







UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
00196004


SCRIPTORES
RERVM
BRVNSVICENSIVM.


SCRIPTORES RERVM BRVNSVICENSIVM ILLVSTRATIONI INSERVIENTES,

ANTIQVI OMNES
ET RELIGIONIS REFORMATIONE PRIORES:
OPVS, IN QVO NONNVLLA CHRONICA
HVIVS VICINARVMQVE REGIONVM ET VRBIVM
EPISCOPATVVMQVE AC MONASTERIORVM, PRÆSERTIM
OSTFALIÆ
RES ETIAM ATESTINORVM LONGO-
BARDIÆ, ET GVELFORVM SVPERIORIS GERMANIÆ;
VITÆ ITEM HOMINVM ILLVSTRIVM
AVT PRINCIPVM;

OMNIA MAGNO STVDIO SVMTVQVE CONQVISITA,
QVÆDAM NVNC PRIMVM EX MANVSCRIPTIS ERVTA, PARS AVCTIORA
PLVRIMVM VEL EMENDATIORA, NONNVLLA DENIQVE EX LATEBRIS
AVT LIBELLIS FVGIENTIBVS OB RARITATEM IN CORPVS
ASSERTA, DIPLOMATIBVS PASSIM INTERSTINCTA;
CONTINENTVR
CÆTERIS GERMANIS ALIISQVE POPVLIS IN
REBVS SVIS AD POSTERITATEM TRANSMITTENDIS
ETIAM EXEMPLO PROFVTVRVM;

CVRA
GODEFRIDE GVILIELMI LEIBNITII.





HANOVERÆ,
Sumptibus NICOLAI FOERSTERI,
ANNO M DCC VII.



INTRODUCTIO IN COLLECTIONEM SCRIPTORUM, HISTORIÆ BRUNSVICENSI INSERVIENTIUM,

QUI PLERIQUE AUT OMNINO AUT MELIORES NUNC PRODEUNT, VEL CERTE NON SATIS IN MANIBUS HABENTUR.



Um renatis literis viri eruditi ad Historias scribendas animum applicarent, narrationes nullis documentis firmatas dabant veterum exemplo, tanquam ad fidem faciendam autoritas scribentis sufficeret. Hoc in contemporaneis admitti poterat utcunque, præsertim si autor in rerum luce versatus scire posset, quæ posteris tradebat: sed in remotis temporibus locisque fiducia pro veris incomperta memorantis, ex rumore, aut affectu, aut infido teste, intolerandos errores peperit; qui paulatim animadversi sunt, postquam scriptores antiquiores Typographiæ beneficio in omnium manibus esse cœpere. Nec rectè veterum exempla nobis opponuntur, solutiùs scribentium: quin potius eo ipso superiores sumus, quod hodie ab Historico probationes exigimus. Itaque valde laudatum est Centuriatorum Magdeburgensium institutum in tradenda Ecclesiæ Historia, ubi magna severitas ad religionem pertinebat. Et sanè Eusebius Cæsareæ in Palestina Episcopus exemplo insigni præierat, qui multa nobis & egregia vetustiorum fragmenta servavit. Hunc imitatus Matthias Flacius Illyricus ex dissipatis aut neglectis Monasteriorum Bibliothecis tanquam ex naufragii tabulis insignem sibi comparaverat apparatum Manuscriptorum Codicum, quorum non pauci postremo in Bibliothecam Juliam cessere, Helmæstadiensi cognomini Academiæ Principum munificentia attributam. Reperitque vir doctus adjutores non spernendos, qui apud Magdeburgenses tutò & liberè scribere posse sperabant, & subsidiis liberalibus undecunque corrogatis sustentabantur, etsi aliquoties sedem mutare cogerentur; unde tandem centuriæ illæ prodiére, quibus plurimum Ecclesia debet. Harum æmulatione Roma Onuphrium Panvinium Veronensem Augustiniani instituti Monachum excitavit in eandem curam, cujus cœpta Baronius pertexuit. Seriùs eadem diligentia ad civilem Historiam scribendam translata est. Nam (ut Germanica nunc tantum attingam) Georgius Agricola, (cujus laboribus Georgius Fabritius usus est) & Johannes Aventinus (qui sua ipse produxit,) habebant quidem egregia collectanea, quibus ille Saxonum, hic Bajoariorum res illustraret; sed contenti nominasse summatim autores suos & succum expressisse, cætera tanquam superflua ex hominum oculis removerunt. Idem fecerat Albertus Cranzius ante ipsos. Sed postquam ad examen processit posteriorum curiositas, apparuit, quàm crebri lapsus admissi essent, quàm multa ex ingenio magis aut præjudicio quàm rerum habitu processissent. Primum in Germania Reinerum Reineccium reperio, Juliæ Brunsvicensium Academiæ insigne decus, qui fidem dictis fecit autores suos minutatim ad testimonium citando. Ejus exemplum in eodem loco Henricus Meibomius successor non impar secutus est. Idem ad Rhenum Freherus, ad Danubium Gewoldus & Herwartus factitarunt. Cæteros non memoro, increbescente jam laudabili more.

Ut ipsi scriptores vetusti corrogarentur, & inde conficeretur Historia, cui fidi posset; Maximilianus Imperator in Germania cogitasse fertur. Ita Joh. Stabius ejus familiaris Melanchthoni narravit, (ut hic refert in præfatione ad Ursbergensem) constituisse Cæsarem certis doctis hominibus mandata dare, ut collectis undique Germanicis Chronicis, quia alius alia annotasset, ex fragmentis illis Germanicam Historiam integram componerent. Putem ea in re Johannis Trithemii Abbatis Spanhemensis ipsi in pretio habiti consilia secutum, quem talia agitasse, discimus ex Paulo Langio Historico Citizensi. Is enim Trithemii jussu Historiæ causa itinera se obiisse scripsit. Vir insignis fuit Trithemius, sed existimationis magnæ magis quàm integræ; omnium calculos meriturus, si solida laude contentus, inanem per figmenta non affectasset. Erat enim nec Matheseos nec Chemiæ expers: sacra autem eruditione nulli tunc sui ordinis facile cedebat; & in Historia plane regnabat, quàm potuisset castam dare ex tot Codicibus, quos viderat legeratque rara, sive industria sive felicitate, quàm nunc quoque ubi omnia fere scrinia expilata sunt, admiramur. Sed ille ut Magi famam in naturali scientia quæsivit, ita in historia pulchrum putavit Principum studiis illudere per plausibiles fabulas, conficto Hunibaldo & similibus nugis, genealogiisque ultra comperta productis: Idque ipsi non obscurè à Friderico Sapiente Saxonum Duce, Imperii Electore exprobratum vidi. Maximilianus ipse Cæsar Genealogiis inprimis delectabatur, nec Historiam minus quàm cæteras liberales artes fovebat. Nam eum constat Viennæ Austriæ collegium Poëtarum sub Conrado Celta & aliud Mathematicorum instituisse, extatque diploma Tomo secundo Freberi. Iisdem aut vicinis temporibus etiam Hermannus Comes Nuenarius, Bilibaldus Pirckeimerus, Conradus Pentingerus, Jacobus Wimphelingus, Henricus Bebelius meliorum literarum simul & Historiæ patriæ studio floruère. Hos secuti sunt Philippus Melanchthon, Beatus Rhenanus, Huldericus Mutius, Caspar Bruschius, Ortwinus Gratius. Et cum Lux Reformationis exorta esset, excitata est magis hominum curiositas: nam Reipublicæ & Ecclesiæ negotia à se invicem divelli non possunt.

Factum erat divino munere, ut Typographiæ inventum, & bonarum literarum introductio in Germaniam, & Reformatio sacrorum sese ordine consequerentur, non magno intervallo; & tanta commoda mutuo sibi auxilio essent. Jam veteres plurimi typis prodierant, cum de mediæ ætatis Historicis cogitari paulatim cœpit, qui elegantia & argumento & fama inferiores, minus curiositatem lectorum invitabant; sed non minus necessarii erant ut temporum series expleretur. Jam anno 1505 Conradus Celtes inter cætera Roswitæ Poetriæ Saxonis, apud Gandeshemenses Sanctimonialis etiam Ottonis Magni elogium carmine Latino scriptum edidit. Peutingerus Conradi Ursbergensis Abbatis Chronica in lucem misit anno 1515. Eodem Johannes Cuspinianus Ottonem Episcopum Frisingensem produxit. Mox anno 1521 Carolo Quinto Hermannus Nuenarius Comes Eginhardum inscripsit. Eidem eodem tempore Reginonem Abbatem Prumiensem Sebastianus de Rotenhan Eques Francus dicavit. Melanchthoni inter cætera beneficia debet Germania, hæc quoque studia excitasse non hortatibus tantum sed & laboribus. Nam admodum juvenis anno 1516 Joannis Nauderi Historiam ita digessit atque expolivit, ut lucem ferre posset. Mox anno 1525 Lambertum Schafnaburgem (etsi ignorato adhuc nomine) ex Codice Augustinianorum Witebergensium descriptum Tubingæ typis summisit: multo post (1537) Ursbergensis Abbatis novam editionem procuravit, ubi continuandæ Historiæ accessere paralipomena, quæ Caspari Hedioni tribuuntur. Suprema jam ætate (1556) Philippus Helmoldi Chronica Slavorum typographo excudenda dedit. Ne de Carionis Historia emendata atque aucta nunc dicam.

Ex eo tempore complures in laudabile institutum eruendi nostros medii ævi Historicos incubuere, quos nominibus perstringere suffecerit: Basilius Johannes Heroldus, Simon Schardius, Justus Reuberus, Christianus Urstisius, Andreas Vellejus Danus, Reinerus Reineccius, Petrus Pithœus (etsi Franco Gallus) Henricus Canisius, Marcus Velserus, Joannes Pistorius, Marquardus Freberus, Christophorus Gewoldus, Henricus Meibomius senior, Melchior Goldastus ab Haiminsfeld, Seb. Tengnagelius, Jacobus Gretserus, Christophorus Browerus, Joh. Chappeauvillæus Leodiensis. Tum Aub. Miræus, Petrus Scriverius & Arnoldus Buchelius Belgæ, sed quos Germanis computo; & Franco Galli Andreas & Franciscus Quercetani, Jacobus Sirmondus, Phil. Labbæus, Andreas Dacherius, Johannes Mabillonius, Stephanus Baluzius & qui Acta Sanctorum (post Laurentium Surium) ediderunt eduntque Johannes Bollandus cum sociis & successoribus Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Francisco Baertio, Conrado Janningo, quibus nuper accessit Johannes Baptista Solierius, quos in rebus Germanicis plurimum adjuvit ex eodem ordine Johannes Gamansius. Præterea in eandem curam edendi antiquiores incubuere Hermannus Conringius, Joh. Henricus Bœcerus, Petrus Lambecius, Johan. Henricus Maderus, Johannes Schilterus, Christophorus Hartknochius, Antonius Matthæus Junior, Joh. Kirchmannus Junior; & talium nos exempla secuti paucos, ante annos Accessiones Historicas edidimus, in quibus scriptores aliquot inediti, & plerique diu expediti tandem prodierunt, habemusque adhuc materiam non unius Tomi τῶν ἀνεκδότων.

Nunc

Nunc constituimus scriptores aliquot uno fasce complecti, quibus Historia Brunsvicensis *illustretur; partim ineditos prorsus, partim ex Manuscriptis Codicibus emendatos & auctos; quibus nonnulli accedunt, quos renovamus tantùm, quia in paucissimorum manibus versantur, faciuntque egregiè in rem nostram. Ea in re Melchioris Goldasti & Petri Scriverii & Erpoldi Lindenbrogii exemplum secutissumus, quorum ille Alamannicarum (id est, Sveviæ Helvetiaque) alter Belgicarum, hic Septentrionalium rerum scriptores propriis voluminibus dedere, quemadmodum Normannicarum Andreas Quercetanus, Neapolitanarum Ant. Caracciolus, Longobardorum ulteriorum Camillus Peregrinus, citeriorum Felix Osius: speramusque exemplo nostro excitatum iri, qui idem in aliis Germaniæ regionibus præstent. Nam Austrii, Bavari, Bohemi, Francones, Saxones Superiores, Marchici Rhenani, Westfali; quin etiam illustriores Principum Germanicorum familiæ non spernenda spicilegia invenient domi suæ, quibus in publicum prolatis & gloriæ suæ & publicæ utilitati velificentur. Nos simul & Regionis Brunsvicensis & Familiæ regnantis rationem habemus, collegimusque, quæ utriusque historiam illustrent.*

Sed ut meliùs noscatur institutum, sciendum est, Brunsvicensi & Luneburgensi ditione maximam partem Ostfaliæ veteris contineri; cujus Ducatum mutato nomine retinuisse aut recuperasse Henrici Leonis posteros, Westfalico licet & Angarico in Bernardum Ascanium & Coloniensem Ecclesiam à Friderico I. Cæsare translatis non ineptè dici potest; quanquam & ex Angaria Comitatus aliquot postliminio redierint, ipsaque ditio Osnabrugensis accesserit alternis. Equidem rationes à Ducatu separatas in Saxonia ab antiquo habuere Episcopi & Marchiones, & Comites Provinciales, ne quid de veteribus Saxoniæ Palatinis dicam. Itaque neque Orientalibus neque Septentrionalibus Marchionibus, id est, Misnensibus Brandeburgicisque, neque Thuringis propria huc admisimus: præsertim quòd Marchiones isti non in antiqua Saxonia sed Slavorum terris constituti erant, Magdeburgicus etiam Archiepiscopatus cum suffraganeis ad Slavos pertinebat. Sed Halberstadensium, Verdensium, Mindensiumque Episcoporum res excludi non potuere: nam & nostrorum regiones horum potissimum diœcesibus continebantur, & passim permistæ sunt ditiones. Itaque & antiqua quædam harum Ecclesiarum Chronica nondum extantia producemus.

Sed cum nostri Principes ex Italia & superiore Germania in has tandem regiones venerint, hinc jam operis hujus latiùs materia, quam Brunsvicensis ditio patet. Seculo Christi undecimo florebat in Italia Marchio Azo potentissimus Longobardiæ Princeps, quem cum magna illa Mathilde Ducatrice (ut tunc appellabatur) inter Cæsarem Henricum Quartum & Gregorium VII. Pontificem Romanum Conciliatoris partes egisse constat: paulò ante finem seculi centenario major obiisse scribitur. Gens ejus jam ab antiquo in illis regionibus rerum latè potiebatur, neque subito creverat. Ipse autem superum mare infero propemodum ditionibus connectebat. Marchio nunc Longobardiæ nunc Liguriæ appellatur; nempe cui Marchiam Genuæ & Mediolani ascripsit sequente seculo Fridericus I. Augustus in diplomate, quod posteris ejus Estensibus Principibus dedit. Atestina urbs vetus iis patrinium erat, vicinumque tractum versus Hadriaticum mare procurrentem continebat. Estenses *porrò vel* Atestinos *antiquissimos Italiæ principum semper habitos constat. Ipsi originem ad Romanos Atios retulere, quod neque astruere neque refellere nostrum est. Conduntur remotiora familiarum insignium capita intra nubes incompertæ vetustatis. Duxerat Azo primis nuptiis Cunigundem ex stirpe* veterum Guelforum, *quæ mox defuncto sine liberis fratre Duce Carinthiæ, terrarum patrimonialium hæres fuit. In Epitaphio antiquo scribitur, eam Regali stemmate fulsisse. Sanè ex illa stirpe prodierant Burgundiæ Reges, & sunt, qui etiam Capetinam, Gallicorum Monarcharum familiam ex Juditha Imperatricis (Ludovico pio nupta) Gvelfi filiæ fratre deducant. Porro ex Cunigunde Azo Gvelfum novorum Gvelforum autorem suscepit, qui ultra majores maternos paternosque magnitudine provectus obtinuit Bavariæ Ducatum. Gvelfus filium cognominem celeberrimæ illi Mathildi despondit, & licet matrimonium infœcundum fuisset, tamen ex pactis dotalibus terras postea Mathildis sibi vindicarunt posteri Gvelfigenæ, & aliquamdiu etiam tenuerunt. Azo defuncta Cunigunde rursus insignium terrarum hæredem secundis nuptiis duxit ex Gallia Garsendim, Comitissam Cenomannorum; unde viri prudentiam & existimationem intelligas. Ex eo matrimonio Hugo & Fulco nati, quorum ille Comitatum maternum obtinuit; sed Fulco stirpem in Italia propagavit &* Marchiones Estenses *sevit, qui mox* Ferrariam, Mutinam, Regium *ex veteri Mathildis ditione acquisiverunt, & tandem* Ducatus *axioma obtinuerunt. Etsi autem liberi conjugiaque Azonis malè prorsus ab Historicis Atestinis aliisque eos secutis narrentur; ignorata secunda conjuge vera, alia secunda tertiaque confictis; filiorum etiam depravatis nominibus, ordineque matrimoniorum perverso; tanquam Gvelfus Dux primogenitus non fuisset: nos tamen quæ proferimus, ex certis documentis veterumque testimoniis comperta habemus. Guelfi filius alter, nomine Henricus, in Ducatu successor, Wulfhildem Magnonis Ducis Saxonum, suæ stirpis ultimi filiam duxit. Inde novam rerum seriem fata aperuêre. Nam ex eo matrimonio natus Henricus alter, cum Lotharii*

Imperatoris filiam unicam duxisset, Saxoniæ Ducatum Bavarico adjunxit. Itaque cum fratre terras Mathildis Italorum Principis, ex patrui pacto, Imperatoris ope nactus, à mari ad mare, à Balthico ad Tuscum se dominari dictitabat. Et defuncto socero in Imperio successurus erat, si prensare Principes voluisset: Inde Superbi nomen tulit. Cumque & moribus & potentia invidiam concitasset, pulsus Bavaria & tantùm non Saxonia in ipso recuperandi conatu obiit, filio impubere relicto Henrico, qui postea Leonis nomen tulit, cui avia Imperatrix Ducatum Saxoniæ servavit. Idem adultus Bavariam recuperavit, Austria tamen multatam; quæ cum Marchia olim Bavariæ esset contra Hungaros, tunc in proprium Ducatum Friderici I. beneficio erecta est. Id solatium Bavariæ usurpatori relictum. Henrici Leonis magnitudinem eorum temporum autores celebrant, neque animo aut virtute infra potentiam fuit. Sed fortunam postremo inquam sensit, & Imperatoris multorumque Principum conspiratione oppressus est. Tenuit tamen Brunsvicenses Luneburgensesque, & nonnullas etiam Slaviæ terras. Idem ex Mathilde filia Henrici II. Angliæ Regis filios reliquit Henricum, Ottonem, Wilhelmum. Henricus, ducta filia & herede Conradi, qui frater Imperatoris Palatinatum Francorum habebat, sese Ducem Saxoniæ & Comitem Palatinum Rheni tulit. Otto quarti nomine factus est Imperator Romanorum, cum antea voluntate aviæ Alionoræ Ducatum Aquitaniæ & Comitatum Pictaviensem nactus fuisset. Nam cum fratribus ob matrem, Henrici II. Regis maximam natu filiam, successioni Anglicæ proximus habebatur, nisi unus Henricus III. consobrinus obstitisset. Sed neque Henricus neque Otto stirpem Guelficam propagarunt. Tertio id fratri Wilhelmo debetur. Filius ejus unicus Otto cum Cæsare Friderico II. transegit, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis nomen sumsit, oblatum à Papa Imperium recusavit, quod patrui Ottonis IV. male habiti meminisset. Ita finita est in Germania inter Guelfos Gibellinosque *contentio. Nam Henrici Imperatores ex Wibilingia domo orti erant; & in eorum jura & affectus, & nomen per matrimonium successerant Friderici Hohenstauffii. Guelfi autem Cæsarum æmuli Pontificibus favebant Romanis. Sed odia in Germania inter Principes sopita, postea in Italia inter asseclas, servatis partium nominibus, exitiosiùs erupêre.* Wibelina *familia in Conradino periit:* Guelfica *nostra in Germania, contenta fortunæ reliquiis sese in meliora tempora faventibus fatis conservavit. Ex his intelligitur, præter Saxonica, etiam Italiæ, Bavariæ, Alamanniæ monumenta passim materiam basinque Historiæ nostræ præbere; neque nobis vitio verti posse, si qua inde non vulgaria mutuò sumamus in rem nostram, & huic Collectioni Brunsvicensibus rebus profuturæ inseramus, qua Scriptores complectimur, in Tomis rerum Germanicarum, aut desideratos, aut non plenè extantes, autores etiam nonnullos. Diplomata, quorum magnus apparatus adest, alteri operi reservamus. Nunc autem ipsos scriptores, quos impræsentiarum damus, recensere operæ pretium erit.*

I. Excerpta Veterum Scriptorum de populis ad Albim & Visurgim, notis illustrata.

C*Oepimus ab Excerptis nonnullis ex veteribus autoribus, qui regiones populosque intra Albim & Visurgim attigere; quales,* Strabo, Vellejus, Mela, Plinius senior, Tacitus, Svetonius, Ptolemæus, Solinus, Dio, Eutropius, Ammianus, Claudianus, Hieronymus, Orosius, Zosimus, Prosper, Salvianus, Sidonius, *Notitia Dignitatum*, Ennodius, Procopius, Marius Aventicensis, Jornandes, Isidorus, Geographus Ravennas; *Tum* Gildas, Nennius, Beda, Chronographus antiquus Anglo-Saxonicè scribens; *& apud Francos* Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, autor vitæ S. Faronis, Biographus Dagoberti; *Denique posteriores: Paulus Diaconus, Eginhardus apud Adamum Bremensem, Aimoinus, Witikindus Corbejensis. Ex quibus ea potissimum lucem afferunt in antiquissimis, quæ Plinius & Tacitus habent, ambo de propinquo periti rerum Germanicarum. Nam ille adiit Chaucos, & bella cum Germanis viginti libris descripsit: hic Belgicæ procurator libello de moribus Germanorum tribuit nostræ genti, quod demtis Hebræis, Græcis, Romanisque, & fortasse Ægyptiis Persisque nescio an alia in omni antiquitate nacta sit, accuratam regionis populique descriptionem. Aspersi passim notas his veterum excerptis, in quibus videor mihi* vexatum Taciti de Germaniæ Etymo locum *in clara satis luce collocasse.* Fossos *Tacito memoratos, & à Cluverio trans Albim remotos, patriæ suæ, amni Fusæ, prope Cellas nostras in Alleram influenti vindicavi. Cheruscorum etiam, Chaucorum, Longobardorum veros fines designavi; in Westphalia Bructeros, Angrivarios, Amsivarios, Dulgibinos, Chasvaros, ab Eximiis viris disjectos* (pag. 11.) *suis locis restitui. Errorem de Mattiacis sustuli (pag. 10.) quorum veræ sedes in Wedderavia; sed corrupta lectione pro Marsaciis in Batavorum viciniam transferebantur. De Danis etiam fortasse non malè meritus videbor. Nam antiquissimam eorum mentionem annotavi, & laudes vetustissimorum Saxonum cum ipsis communes ostendi, & originem nominis vetustate obrutam non improbabiliter erui, indicio Anonymi Ravennatis nuper à Porcherono viro docto*

emis-

emissi, cujus ænigmata quædam Porcherono impervia dissolvimus. Hunc Geographum vir egregius Jac. Gronovius nuper reddidit incudi. Notæ pleræque in Gildam & Nennium Thomæ Galæo V. Cl. debentur: nonnulla nos addidimus. Interdum nomen ipsius ascriptum, interdum nostra uncis inclusa. Factum est tamen festinatione nescio qua, ut non semper ipsius à nostris annotationes discernerentur. Ad Bedam de mensium Saxonicis nominibus loquentem nonnulla congessimus, quæ ad Deos pertinent nostrorum majorum, id est, summas antiquitates. Plerumque enim sub fabulis Deorum aliquid veræ Historiæ latet: quibus si conjungantur, quæ diximus ad Tacitum pag. 8, 9. fortasse non spernenda conjectura videbitur de Teutatæ Arimanive ex Scythoceltis expeditionibus in orientem; & de Wodino vel Odino Saxone per septentrionem aliquando imperante, & mox in Deum verso, de quo addi possunt dicta nobis pag. 33, 45.

II. Lex Saxonum.
III. Lex Angliorum & Werinorum.

Absolutis Excerptis exhibuimus Legem Saxonum antiquam, ut Caroli Magni jussu in scripturam redacta habetur, similemque ei (pag. 81.) Legem Angliorum (Cismarinorum scilicet) & Werinorum. In his legibus nonnulla intacta reliquerat Fridericus Lindebrogius, vir doctissimus, qui post Heroldum edidit: quæ omnia, ni fallor, explicata dedimus. Nonnulla ex his fluxere in posteriores Saxonum leges, quas Eppo de Kepko compilavit Sec. XIII. & nunc Speculi Saxonici nomine noscuntur, cujus magna fuit in toto septentrione autoritas. Cæterum antiquæ illæ leges ex barbarorum consuetudinibus sumtæ erant, quas reliquerant ipsis Reges Francorum, nisi manifesta iniquitate laborarent. Sed errabit, qui inde eximia quædam æquitatis & prudentiæ documenta sperabit. Legibus Saxonum adjici potuissent Capitula Caroli de partibus Saxoniæ, *quæ Ferdinandus Paderbornensis & Monasteriensis Episcopus, doctrina non minus quam dignitate Princeps, ex Vaticano Codice descripta Roma attulit edique curavit; Baluzius etiam Capitularium corpori inseruit, sed serius hoc in mentem venit. De Werinis & Anglis diximus ad Tacitum pag. 13. & ad Procopium pag. 15.*

IV. Altfridi Episcopi Monasteriensis Vita S. Ludgeri.
V. Excerptum ex Litaniis Rythmicis vitam S. Ludgeri continentibus, Werthinæ scriptis.
VI. Chartularium Werthinense.

Leges Saxonum sequatur vita Ludgeri, primi Monasteriensium Episcopi, ab Altfrido antistite ejus sedis tertio scripta. Ejus operis Codicem antiquum in Bibliotheca Augusta Guelferbytana inveni; unde auctior emendatiorque prodit. Ludgerus non de Westfalis tantum, sed & de Ostfalis nostris bene est meritus. Nam ut Werthinense in Westfalia, ita in hoc nostro tractu Helmestadiense Monasterium fundavit, quod ab illo pendet. Helmestadium oppidum à vicina Elmi sylva dictum sub Abbatis sui jure olim fuit, quod ille tandem transtulit in Wilhelmum Juniorem Ducem Brunsvicensem. Vita Ludgeri nobis quædam de Widikindo Saxonum Duce conservavit, quæ alibi non leguntur. Adjecimus Excerptum ex Litaniis rythmicis vitam S. Ludgeri continentibus apud Werthinenses scriptis, in quo agitur de Monasterio Helmestadiensi ab eo fundato. Extant hæ Litaniæ apud ipsos cœnobitas Helmestadienses, & humanitate Admodum Reverendi Priori inspectio earum concessa est. Sequuntur traditiones Werthinenses, antiquitatis Saxonicæ non contemnendum monumentum, id est, variæ Tabulæ contractuum, quibus Ludgerus ipse prædia monasterio suo Werthinensi à vicinis ingenuis obtinuit. Ex Codice Isaaci Vossii nactus Daniel Papebrochius mihi transmisit, quem ego virum felici ophthalmici opera visum ex integro recepisse, & præclarum opus pristino vigore urgere gaudeo. Prosunt hæ Tabulæ ad refellendas falsas Episcopatuum Germaniæ origines. Nam plerique Osterwicensem postea in Halberstad. (sic fertur) translatum, anno Domini 777, Monasteriensem autem anno 784. fundatos scribunt; cum tamen Ludgerus, prius non nisi Presbyter, anno 798. primum & anno 801. postremum in nostris Traditionibus Abbas, & primum in iisdem anno 805. Episcopus appelletur: & frater ejus Hildegrinus seriùs adhuc ad Halberstadiensis Ecclesiæ regimen pervenerit. Certe anno 796. in iisdem Tabulis adhuc vocatur Diaconus. Conferri hæ traditiones cum Fuldensibus possunt ejusdem & paulò majoris antiquitatis, quas Pistorio editori debemus.

VII. Poetæ Saxonis Annales Caroli Magni.

Scriptor idemque Poeta, gentis Saxonicæ primus, quod sciam, is est, quem edidit Reineccius, nos ex Codice authentico membranaceo Bibliothecæ Juliæ recensuimus, adjuti à V. Cl. Hermanno von der

 Hardt,

Hardt, Præposito Mariebergensi, Professore Linguarum Orientalium & Bibliothecæ Præfecto. Hunc Codicem Reineccio in manibus fuisse non satis apparet, & suspicor, non nisi apographo ejus usum, in quo conficiendo librarius aliquam sibi mutandi licentiam sumserat. Eò libentius iterum edidimus, præsertim cum in paucorum manibus versetur non inelegans pro illo tempore scriptor, quem apud Padebornenses egisse nescio unde Reineccio compertum. Arnulpho Imperatori æqualem sese testatur ipse. Cæterum autor iste bella Caroli in Saxonia atque adeò in Ostfalia nostra per annorum seriem exponens, nostro instituto inprimis convenit.

VIII. Vita S. IDAE.
IX. Translatio S. Pusinnæ ad Hervordiam Westfaliæ, cura Abbatissæ Hadwidis, natæ ex filia Ecberti & Idæ.

Vita S. Idæ ab Uffingo Monacho Werthinensi scripta, & à Surio primum edita, continet res notatu dignas de Saxonum Duce post Witikindum primo, ejusque familia. Ecbertus is fuit, Idæ maritus, qui etsi stylo curiæ Comes tantum, Ducis tamen potestate & apud vulgus nomine sub Ludovico Pio Saxoniam rexit: ut solebant Dominici Missi: & ejus opera Saxones Transalbini, Caroli Magni antea jussu trans Rhenum exulantes, in patriam sunt reducti. Nam Carolus, quod crebro rebellarent, & ob Danorum viciniam vix in potestate contineri posse viderentur, renovato veterum Assyriorum exemplo, aliquot eorum millia cum uxoribus & liberis in Belgicam transtulerat: sed postea, cum jam bona fide Christiani & obnoxii viderentur, Ludovicus ejus filius exules domum remisit. Albertus Stadensis antiquiores secutus, (quales nondum editi etiam nobis sunt ad manus) Wicbertum quendam Ducem habet, & Witikindo filium tribuit, quem verè non dixerim, neque an nostrum Ecbertum hoc nomine paulum inflexo involverit. Sanè postea Ludolphum Ducem Henrici Aucupis & Ottonum Augustorum progenitorem successisse inditiones Ecberti, ex eodem discimus Uffingo. Unde suspicio est, ab Ecberto descendisse Ludolphum, vel certè ejus liberos; per mares an per fœminas, pro certo affirmari non potest. Sanè Albertus Stadensis eum continua masculorum serie ex Wicberto Witikindi filio deducit. Sed obstat, quod Witikindus Monachus Corbejensis scripsit, conjugem Henrici Aucupis ex stirpe Witikindi Ducis vel Regis descendisse, idem dicturus & de marito, si eam Ludolphi originem novisset. Ecberto & Idæ geniti fuere, Cobbo Comes, Warinus Abbas & Hadwid Abbatissa. Sanè Cobbonem Warini fratrem facit Egilmarus Episcopus Osnabrugensis in querimoniis, quarum excerptum extat apud Erdmannum rerum Osnabrugensium scriptorem. Warinum autem Ecberti & Idæ filium nominant Uffingus, & translationis Pusinnæ scriptor, qui & Hadwidem Warini sororem facit & Cobbonis. Porro Cobbo magnæ sub Ludovico Germanico per totam Saxoniam autoritatis fuit. A quo extinctam Comitum Teclenburgicorum familiam derivant. Warinus Abbas Corbejæ Saxonicæ, Adalardo successit; juniori scilicet per quem Adalardus senior & Wala frater ejus, Caroli Magni consobrini, Corbejam novam ædificaverunt & rexerunt. Annales Corbejenses à Cl. Paulino editi Warinum nobilem Francum & Adalardi Junioris fratrem faciunt, quod postremum & alii habent: sed his, quos damus, scriptoribus, tanquam propinquioribus, quemadmodum & Egilmaro Episcopo, libentius crediderim, Warinum Saxonem fuisse, non Francum, etsi mater Franca esset. Idam ergo patre Comite natam scribit Uffingus, qui à Pipini & Caroli Magni progenitoribus se ferebat, & fratres habebat Clarissimos viros, qui magnis dignitatibus illustres apud exteros & apud domesticos enituerunt, ut loquitur scriptor translationis Pusinnæ. Quinam illi Magno Carolo cognati, non facile definiveris. Si Bernardus Frater Pipini I. Regis Idam genuisset, fratres Idæ fuissent ipse Adalardus Senior & Wala; Sed hos ab illis distinguit Scriptor ipse translationis. Neque tantum Idæ aut Warini decus Uffingus & Corbejenses Saxonici ignorassent aut tacuissent; Adalardi tamen & Walæ matrem Saxonem facit, qui vitam Walæ posteris reliquit, & hunc ex Saxonum genere, materno scilicet, ortum scribit. Unde credo ipsi fratrique necessitudines in Saxonia, & cogitatio de condenda apud Saxones nova Corbeja. Quoniam ergo Ida non fuit horum soror, neque adeò Caroli que Magni consobrina, an altiùs assurgendo, dicemus, patrem ejus fuisse Nebelungum Matriacensem Comitem Childebrando natum, quem Caroli Martelli fratrem (ex patre an matre ambigunt quidam) Fredegarius facit? an Theodericum, Regiæ & ipsum cognationis, quem quidam Nibelungi fratrem volunt, magnæ apud Carolum Magnum autoritatis, & Ripuariis Præfectum, qui Westfalis proximi erant. Nibelungi per filium cognominem nepos tertius Nibelungus fortasse is est, quem Roswita poëtria Saxonica Bilungum vocavit, patrem Odæ, quæ fuit uxor Ludolphi, Saxonum Ducis, à quo Ottones Cæsares descendunt; quos ab Ecberto ortos non semel sum suspicatus, quando & in hæreditariis terris & in Ducatu Ludolphus successit. Hæc fusius disserere operæ pretium fuit, quia primorum Saxoniæ Ducum res illustrant. Porro Pusinna sancta & virgo in Catalaunensi diœcesi celebratur, quam vixisse ajunt seculo Christi quinto sedente Albino I. Episcopo Catalaunensi. Ejus corpus à Carolo Calvo Franco-

rum

rum Occidentalium Rege cognato suo impetravit Hadwidis Ecberti & Idæ filia, prima Herfordiensis in Westfalia Virginum Monasterii Abbatissa, ut hoc in recens structam Basilicam inter alias Sanctorum reliquias pro illorum temporum more inferret anno Christi 860. Translationis Historiam ex Manuscripto Bodeccensis Monasterii ab insigni viro Daniele Papebrochio in Sanctorum Actis ad 23. Aprilis editam, ob momentum & brevitatem huc transferendam judicavi.

X. Legenda de Sanctis Martyribus interfectis in Hamburgh & in Ebbekestorp reconditis.

XI. Fragmentum est Martyrum in Ebbekestorp quiescentium Passione.

HÆc etsi minoris pretii: quia tamen ex manuscriptis eruta, illud ex Helmestadiensi, hoc ex Antverpiensi, quod R. P. Papebrochius communicavit, adjicienda putavimus. Fabulosæ sunt narrationes maximam partem, è merito à Cranzio confutatæ; cui tamen intelligendo atque illustrando servient, quamquam & ipse multa correctione indigeat. Illud summatim verum est, Anno Domini 872. Brunonem Ducem Saxonum, Ludolphi filium, à Normannis adhuc paganis circumfusum, cum multis Comitibus & aliquot Episcopis periisse: occisorum corpora apud Ebbekesdorfium tumulata & pro martyrum reliquiis honorata; cultum etiam defunctis fuisse exhibitum, tanquam fidei in Christum testandæ causa periissent. Inde Legendæ martyrum in Ebbekesdorf, nunc Ebsdorf Luneburgensis Ducatus, ubi Monasterium virginum hodieque est, quæ Benedictini ordinis olim habebantur. Duos Episcopos memorant veteres, Theodericum Mindensem & Marcwardum Hildeshemensem: recentiores addunt multo plures. Legendæ nostræ pro Normannis id est Danis Slavos substituunt, non rectè, quanquam nil prohibeat de vicino (cum res prope Hamburgum gesta videatur) ex Wagriis & obotritis & Wilzis adhuc paganis, colluviem prædonum Normannis accessisse, & captivos per Slaviam divenditos. Sanè veteres Annales Hildeshemenses & Eckehardus Uragiensis in Chronico Episcoporum Hildeshemensium ajunt, Marcwardum à Slavis occisum. Dux hostium priori legendæ Baruch, posteriori rectiùs Haruch, id est, Horicus vel Ericus dicitur. Quo ipso confirmatur, quod alius Ericus, ex Pomeraniæ Principibus Daniæ Rex, in Historia gentis Danorum scripsit, Erik Barn Regem vastasse Saxoniam, Brun Ducem & XII. Comites occidisse.

XII. Supplementum hiatus Annalium Fuldensium.

HOc cum in eo codice invenerimus, ex quo posteriorem legendam sumsimus, subjicere hic placuit, ne periret, etsi ad res nostras non pertineat; præsertim cum perbreve sit. Quædam corrupta, nam lin. 12. pro interdum *leg.* interim, *pro* Coruntanum *leg.* Carantanum, *id est, Corinthiam, pro* Pascha diu celebrandum, *leg.* ad Paschæ diem celebrandum.

XIII. Vita B. Mathildis, Reginæ Germaniæ.

SPerabamus Manuscriptum codicem, cum quo hanc vitam conferremus, sed ea spes decollavit. Omittere tamen fas non fuit, cum egregiè res nostras illustret, nec nisi in actis Sanctorum Antverpiensibus extet; communicata à Joanne Gamansio amico olim nostro, societatis Jesu Theologo, cujus præclara destinata scribendæ Metropolis Moguntinæ, ipsius morte interciderunt. Nonnulla tamen collectanea & observata, ad sanctos Germaniæ viros pertinentia, Antverpiensium collectorum, *præclare de literis meritorum, beneficio sunt conservata. Gamansius hanc vitam eruerat ex veteri codice Coloniensi Monasterii S. Pantaleonis. Autor regnante Henrico sancto vixit, ut ipse testatur. Mathildis Regina conjux fuit Henrici I. Regis Germaniæ ex vetustissima* Brunsvicensium *Principum stirpe. Nam Henrici Regis patrui duo, Bruno & Tancmarus vel Tankwardus: ille Brunswiga, hic Tankeroda, quæ postea cum Brunswiga in unam urbem coaluit, conditores fuisse scribuntur. Regina autem Mathildis fuit ex stirpe Witikindi Magni. Ita enim Witikindus Corbejensis Monachus lib. I.* Erat namque ipsa Domina Regina filia Thiaderici, cujus fratres erant Witekind, Immed, Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis Widekindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta ferme annos. *Hunc locum Albericus Monachus trium fontium (quem nos edidimus) & Vir in his studiis egregius, David Blondellus, ita accepere, tanquam Witekind, Immed, Reginbern, Thiaderici fratres fuissent: at Gobelinus Reginæ ipsius fratres facit. Ab Immedo & Immedingis Sabaudiæ Duces genus repetunt, Amadeorum frequens in sua gente nomen huc referentes. Idem Gobelinus Thiadericum vocat Comitem Oldenburgen-*

sem, quem Magni Chronici Belgici Autor & Schiphowerus in Chronico Oldenburgensium Comitum, nuper à Meibomio edito, sunt secuti. Nec dissentit noster vitæ scriptor, qui in occidentali Regione, id est, Westfalia, Comitem gloriosum fuisse notat. Mater Reginæ Reinhildis Ditmaro & nostro Biographo dicitur, qui addit Danorum Frisonumque germine procreatam. Unde Manuscriptum Chronicon, Gelenio ad vitam S. Engelberti citatum, inepto res in majus augendi more, Danorum Frisiorumque Regis filiam procudit. Ex nostro autem Biographo, fido magis autore, discimus, aviam Reginæ (paternam opinor) Mathildem nomine, Abbatissam Herfordiensem fuisse, & adolescentulam neptem inter Sanctimoniales suas educasse. Sorores Reginæ, scriptoribus ignotas diesque anni, quibus & illæ & mater earum obiere, Fasti Ecclesiæ Principis Trevirensis nobis conservarunt, unde hæc affert Browerus: Annalium Trev. lib. X. artic. 4. Prid. Id. Mart. Mathild Regina mater Ottonis Imp. V. Id. Maji Reinhild mater Reg. Mahtildis. IIII. Id. Jan. Friderun soror Mahtilt Reginæ. VIII. Kal. Jun. Bia soror Reg. Mahtildis. *His scilicet diebus memoria eorum in Trevirensi Ecclesia solenniter renovabatur; credo quòd Regina suis in eam Ecclesiam beneficiis hoc meruisset, vel hanc pro more illorum temporum conditionem ascripsisset, ut pro anima matris & sororum preces funderentur. Porro Monasteria probantibus & adjuvantibus marito Rege & filio Imperatore Ottone M. construxit in locis, vitalitio suo assignatis, Quidelingaburg, Northausen, Palithi; ex quibus duo priora sanctimonialibus, ultimum monachis colendum dedit, præscripta omnibus regula S. Benedicti. Quidelingeburgensis Abbatissa hodie locum inter Principes Imperii tenet. In Northusanum cœnobium Canonici regulares multo post sunt introducti. Palithi hodie Polda, præfectura est in Electoratu Brunsvicensi.*

XIV. Summa Capitum, ex quibus constant tres libri Widukindi Corbejensis Monachi, qualis legitur in Codice antiquo Bibliothecæ Casinensis.

XV. Variæ lectiones ex Widukindi Codice Archivi Electoralis Dresdensis.

XVI. Historiæ Witichindi editæ Basileæ collatio cum M S. Bibliothecæ Casinensis.

Cum à Viro insigni Laurentio Zaccagnio, *Bibliothecæ Vaticanæ nunc primo Custode, olim didicissem, in Celeberrimo Monasterio Casinensi extare Codicem antiquum Historiæ Saxonum, quam Witikindus Monachus Corbejæ nova tribus libris complexus est, inque eo haberi Capitulorum argumenta, quæ alibi non leguntur, exscribi ejus opera impetravi. Postea etiam idem rogatu meo collationem totius operis cum Editione Herwagiana procuravit. Interea etiam Wilbelmus Ernestus Tenzelius, Consiliarius & Historiographus serenissimi Regis Poloniæ, Saxoniæ Electoris, multa doctrina & variis operibus cognitus eruditis, suam collationem Codicis in Archivo Electorali extantis cum editione, Meibomianis Tomis inserta, ad me transmisit, & quasdam notulas aspersit. Atque inprimis observavit, Urbem ab Henrico I. in expeditione contra Dalemincios Slavos captam, memorante Witikindo lib. I. in Codice Dresdensi vocari urbem, quæ dicitur* Kietni, *quod ipse interpretatur* Köten, *Anhaltinæ hodie ditionis. Sed Meibomius legit Urbem, quæ dicitur* Grona, *& notavit, Ursbergensem legisse Grava, Sigebertum Gana: & hoc modo legitur etiam in Codice Casinensi. Annales Francorum & Saxonum, quos ineditos habeo, ad annum 927. habent Grana. Albinus in Chronico Misnico (pagina 78. 95. 145.) ambigit inter Geiten Opidum & Grunam ad Muldam infra Eulenburgum. Ubi hodie trajectus, olim Opidum esse potuit. Sed & Gana vel Jana est ad rivam Hanam in Dalemincíis fluentem. Itaque nondum sublata est dubitatio. Sed ambo Codices, Dresdensis & Casinensis, conveniunt in memorabili correctione textus eodem lib. I. qui magni est ad Saxonum antiquitates momenti. Verba ita habent:* De legum verò varietate nostrum non est in hoc libello differere, cum apud plures inveniatur Lex Saxonica diligenter descripta. Suevi verò Transalbini illam, quam incolunt regionem eo tempore invaserunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adiere, ut eorum narrat Historia, & ideo aliis Legibus, quam Saxones utuntur. *Nulli autem Suevi vel Suavi post Saxonum in Italiam expeditionem trans Albim habitarunt. Itaque multi hunc locum de Slavis interpretantur. Sed opportunè ex his Codicibus docemur, legendum* Suavi Transbadani, *id est, trans Bodam amnem, qui ex Hercyniis montibus ortus, Quedlingburgum alluens, in Salam mergitur. Est autem illic pagus* Suavia, *qui partem Halberstadensis Diœceseos constituit, ut ex Diplomatibus constat. Sed hæc in specimen utilitatis suffecerint, quæ ex his collationibus capi potest.*

XVII.

XVII. Litaniæ binæ antiquæ in Corbeja Saxoniæ usurpatæ.

Harum posteriorem R. P. Adolphus Overham Benedictini Ordinis, vir in historia nostra eximius, & Ferdinando Episcopo percarus, mihique etiam, dum viveret, amicus, communicavit Nicolao Schatenio, Jesuitæ doctissimo, qui eam inseruit suo Carolo M. Romano-Catholico contra Christianum Nifanium Bilefeldensem Superintendentem, Carolum justo opere Pontificiis abjudicantem edito pag. 36. Extat etiam Schatenii Historia Westfaliæ & Padebornensis Episcopatus, ejusdem Ferdinandi Episcopi auspiciis scripta, docta sed sæpe partium studio manifesta. Priorem verò Litaniam edidit R. P. Dionysius Werlensis Capucinus in Philanthone, (ut scribit ipse vocem) vindicato, quo Novenam, quam vocant Antonii, ex Franciscanorum ordine inter sanctos relati, contra Conringium defendere voluit. Ambæ ex codicibus erutæ sunt, qui nunc quoque in Corbeja Saxonica extant, & testimoniis eorum, qui cum codicibus contulere, à Dionysio allatis confirmantur. Lis autem de Litaniis Corbejensibus excitata fuerat inter Theologos contraversiarios, quod Martinus Chemnitius insignis nostrarum partium doctor, in Examine Concilii Tridentini prope finem partis tertiæ, ubi de Sanctorum invocatione agit, aliam Litaniam ex Corbeja Saxonica attulisset, quæ tempore Arnulphi Cæsaris in usu fuerat, in qua Sanctorum commemoratio tantum, non verò invocatio fieri videbatur. Exempli causa: Stephano summo Pontifici salus & vita. Salvator mundi tu illum adjuva. S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Clemens, S. Sixte. Exaudi Christe. *Ex tali forma suspicabatur Chemnitius invocationem sanctorum saltem apud Corbejenses serius receptam. Sed fatendum est, contrarium evinci ex Litaniis antiquioribus, quarum una hic data continet vota pro Ludovico Imperatore, nempe Pio, sub quo Monasterium fundatum fuit. Arbitror ergo post compellationem (quæ utique differt à commemoratione)* Sancte Petre, *subintelligi,* ora pro nobis, S. Paule, ora pro nobis: *ne scilicet toties idem repeteretur, inque eo confirmor ex Chronico Corbejensi Lezneri ed. 2. Hildes. 1604. C. 23. ubi habetur:*

S. Petre
S. Paule
S. Andrea } *Christe ora nobis.*
S. Clemens
S. Sixte

Ubi haud dubiè vox Christe *transposita est, & post S. Petre, S. Paule &c. ora pro nobis, ponendum, Christe, exaudi nos. Et ita (omisso tamen ora pro nobis) posuerat ipse Leznerus in cap. 12. Editionis prioris ejusdem Chronici, quæ prodiit Hamburgi 1590. Observo, post preces pro Stephano Papa compellari Sanctos Apostolos & Pontifices, post preces pro Arnulfo Rege, compellari Genitricem Dei & Sanctos Angelos; post preces pro Judicibus (id est Comitibus) & omni exercitu Francorum, compellari sanctos milites, Mauritium, Sebastianum, Martinum; & Sanctum Ambrosium ex præfecto Episcopum. Denique post preces pro Bovone Abbate compellari Sanctos, qui Corbejæ speciatim in veneratione erant, S. Stephanum, S. Vitum, aliosque. Denique in editione utraque Lezneriana, ejusdem Litaniæ à Chemnitio productæ, & in editione Meibomiana, quæ adjecta est notis ad translationem S. Viti, post verba:* Arnulfo Regi vita & victoria. Salvator mundi tu illum adjuva, *subjicitur,* S. Dei Trinitas. S. Dei Genitrix, S. Michael, S. Gabriel *&c. Sed in Chemnitiana editione (saltem anni 1605. in 8. quam ad manus habeo) abest illud S. Dei Trinitas. Quod fortasse & à codicibus nonnullis abfuit, ob controversiam antiquis illis temporibus super ea re excitatam. Postremo ipsam Litaniam Corbejensium, qualis à Chemnitio exhibita est, subjicere placet, quoniam casu factum est, ut in ipsa collectione inserta non sit.*

LITANIA, EX VETUSTO
Codice collegii Corbejensis ad Visurgim descripta:

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat:
Exaudi Christe.

Stephano *summo Pontifici salus & vita:*
Salvator mundi tu illum adjuva.

S. Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Clemens. S. Sixte:
Exaudi Christe.

Arnulpho *regi vita & victoria:*
Redemptor mundi tu illum adjuva.

S. Dei Genitrix. S. Michael. S. Gabriel. S. Raphael. S. Joannes:
Exaudi Christe.

 Omnibus

Omnibus judicibus & cuncto exercitui Francorum vita & victoria:
Salvator mundi tu illos adjuva:
S. Maurici. S. Sebastiane. S. Martine. S. Ambrosi. S. Hieronyme:
Exaudi Christe.
Bovoni Abbati & congregationi S. Stephani *salus & vita:*
Redemptor mundi tu illos adjuva.
S. Stephane. S. Vite. S. Dionysi. S. Blasi. S. Georgi:
Christus vincit, Christus regnat,
Christus imperat.

Rex Regum,
Rex noster,
Arma nostra invictissima,
Spes nostra,
Fortitudo nostra,
Murus noster inexpugnabilis, } *Christus vincit.*
Gloria nostra,
Victoria nostra,
Liberatio & Redemptio nostra,
Defensio & exaltatio nostra,
Misericordia nostra,
Lux, via & vita nostra,
Ipsi soli imperium, gloria & potestas, per immortalia secula seculorum,
Amen.
Ipsi soli honor, laus & jubilatio per infinita secula seculorum,
Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo & victoria per omnia secula seculorum,
Amen.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

XVIII. Incerti Autoris Carmen Panegyricum in laudem Berengarii Augusti.

Hunc Poetam Anonymum Berengario I. Regi Italiæ, tandem ad Imperii culmen provecto, contemporaneum, & laudes ejus gestaque commemorantem, & in coronatione Romana finientem, nec stylo rebusque spernendum; ex manuscripto Codice Bibliothecæ Patavinæ Monasterii S. Joannis in Viridario, in itinere Italico eruit Nicolaus Heinsius; Danielis filius, doctrinæ paternæ heres, & V. Cl. Hadriano Valesio exemplum inde sumtum transmitti curavit, qui Parisiis edidit 1663. in forma octava. Cum verò hic autor paucis notus sit, Historiamque sui temporis non mediocriter illustret; & Azonis cujusdam, Estensis (ut apparet) Principis alibi indicti, mentionem faciat; dignus visus est, qui nostræ collectioni insereretur, præsertim cum nos, in antiquitatibus Principum nostrorum explicandis, hujus temporis Historia Italica opus habeamus. Porro poëta libro 2. Virgilii imitatione, viros Italiæ insignes, Berengario & æmulo ejus Widoni auxilium ferentes, enumerans, hæc habet in rem nostram inter Berengarii auxilia:

Advolat *Azo* ferox subigens in bello sodales,
Vicinoque suas cogens ab *limite* turmas
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor est sævis gladios prætendere Abaris.

Ulricus scilicet in extremo Italiæ ad Adriaticum mare limitis custos, contra Avaros seu Avares, id est, Hungaros excubabat; sive is Marchiam tenuerit, quam modo Veronensem, modo Tarvisinam vocabant, sive Ducatui Forojuliensi præfuerit. Cumque ei vicinus Azo memoretur, Estensem Principem fuisse intelligas, quod etiam Hadriano Valesio valde verisimile visum est, quando & nomen familiare genti, & situs locorum in unum conspirant. Aspersimus autem notulas breves, sed ad loca quædam difficiliora explicanda necessarias, & adjecimus Chronologiam Berengarii ab anno 887, quo jam

jam Rex erat, usque ad annum 916, quo imperialem coronam suscepit, cui intervallo hoc poëma includitur.

XIX. Translatio Reliquiarum corporis S. Epiphanii Ticinensis Episcopi & Confessoris, ex Italia in Hildesheim cura Otwini Episcopi.

Translatio corporis S. Viti ex Gallia in Corbejam Saxonicam, & notæ in eam Meibomianæ docent, quanti ea res olim visa fuerit. Nos talia in rem nostram accersimus, ob Historiæ vestigia, quæ temporibus illis Semibarbaris pene obliterata, undecunque investigare & conservare oportet. Sanè non inutilem nobis fuisse translationem S. Pusinnæ, supra notavimus. Ex præsenti narratione (quam Browerus jam in illustribus Germaniæ sideribus evulgaverat) discimus, quæ pertinent ad Iter Italicum Otwini Hildesiensis & Landwardi Mindensis Episcoporum in Comitatu Ottonis M. ubi corpora quædam, Sanctorum credita, furati, putarunt se invenisse non quod pueri in faba. Otwino corpus Epiphanii quondam Ticinensis Episcopi cessit. Furta hæc licita imò religiosa habebantur, ut intelligimus ex Eginhardi narratione de quibusdam sanctorum reliquiis, quibus Monasteria sua ditasse videbatur. Eoque processerat credulitas, ut S. Viti translatio ex Gallia in Saxoniam augurium, ne dicam causa, translati in Saxones imperii haberetur.

XX. De fundatione quarundam Saxoniæ Ecclesiarum aliisque originibus à temporibus Caroli M. ad Ottonem M.

Hanc recensionem fundationum, in Saxonia, præsertimque in nostra Ostfalia factarum, debemus Cl. Madero. Etsi autem Chronologia in antiquioribus vacillet, Episcopatusque à Carolo M. serius sint fundati, quam bujus recensionis autor cum vulgò sibi persuadet: insunt tamen non pauca utilia; præsertim cum autor, vel is, unde ipse transcripsit, non multo Ottonibus posterior videatur: quod ex eo æstimes, quia nihil illis posterius attingit. Unicus enim locus de origine Comitatus Hoyensis anno Domini 1203, ab aliquo recentiore insertus meritò judicatur. Notabile imprimis est, Monasterium in monte Luneburg, *quod S. Michaelis vocatur, tribui fundatori Ottoni Duci Saxonum, Henrici Aucupis Regis Germaniæ patri; quem regiones istas proprio jure tenuisse vel hinc agnoscas. Inde cum ad Hermannum Ducem devenerit ditio, confirmatur, quod aliunde discimus, Billinganam familiam Regiæ per matrimonii vinculum connexam inde opes suas auxisse. Vide, quæ infra in hac præfatione de Ditmaro notantur, articulo scilicet 28.*

XXI. Vita S. Adelheidis Imperatricis autore Odilone Abbate Cluniacensi.

Operæ pretium visum est in Fasciculo nostro dare vitas matris, conjugis & fratris Ottonis Magni Augusti, qui primam stirpem Brunsvicensium *Principum ad summum decus extulit. Mathildem matrem jam exhibuimus: Conjux Adelheida nunc adest; & Bruno frater mox sequetur. Vitæ ipsæ legi dignæ sunt, si quæ aliæ sanctorum; parciores miraculorum, ditiores rebus gestis, ob magnitudinem eorum, qui celebrantur. Et hanc quidem Adelheidæ vitam scripsit Odilo Cluniacensis Abbas, Vir ipse magnus & inter sanctos habitus. Prudentia & moribus eum excelluisse apparet, quod passim à Principibus & Antistitibus coleretur, & Monasteria plurima ei regenda committerentur.* Itaque Monachorum Archangelum *æqualis Fulbertus, Carnotensis Episcopus, appellavit: Adalbero autem Laudunensis Episcopus, in carmine ad Robertum Francorum occidentalium Monarcham, Odilonem per jocum Regem vocat; ita loquentem Monachum introducens:*

Non ego sum monachus, jussu sed milito Regis,
Nam Dominus meus est Rex Odilo Cluniacensis.

Porrò Odilo Adelheidi Imperatrici, cum vidua vitam religiosam duceret, familiaris fuit, & paulo ante mortem affuit, ut ipse narrat cap. 14. Adelheidis patrem habuit Rudolfum, fratrem Conradum, Burgundiæ Reges. Ipsa nupsit primùm Lothario Regi Italiæ, filio Hugonis Regis; marito autem defuncto, capta à Berengario II. successore, fugaque elapsa, & in arcem Canusinam recepta est ab Azone, Sigefridi Principis filio, cujus genus ad Estenses *Sigonius refert. Ibi obsessam à Berengario Otto Magnus, & Germania evocatus, liberavit & uxorem duxit. Eo defuncto, cum à filio Ottone II. non, ut par erat, coleretur, sese ad fratrem in Burgundiam recepit: mox tamen ad filium pœnitentia ductum, in Italia agentem, Ticinum rogata venit, & eo tandem amisso, mortua etiam Theophania nuru, Ottonis III. pueritiam avia moderata est. Monasteria struxit, Paterniacum in Bur-*

in Burgundia, Ticinense in Longobardia, Selziense Argentoratensis diœcesis in Germania, & erga cœnobia quoque Saxoniæ nostræ liberalitatem exercuit. Vita Adelheidis ab Odilone scripta, jam apud Canisium, & in Bibliotheca Cluniacensi extat. Nobis autem huc transferenda visa est cum notis brevibus Canisii, quibus loca obscuriora illustrantur.

XXII. Vita D. Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, ad Folcmarum ejus successorem à Ruotgero scripta.

XXIII. Testamentum ejusdem Brunonis cum ejusdem Epiphanio.

XXIV. Testimonium de Domino Brunone, sumtum ex vita Gerhardi Abbatis Broniensis Ecclesiæ.

XXV. Narratio de Translatione S. Evergisli, Coloniensis olim Episcopi, ex Tungrensi urbe ad Metropolin cura Brunonis Archiepiscopi.

Egregia Brunonis Archiepiscopi Coloniensis vita est magni utique viri; scripta luculenter (ut Sigebertus olim in Chronic. ad ann. 953. judicavit) à familiari ejus Rotgero, jussu Folcmari in Archiepiscopatu successoris. Vossius in opere de Historicis Latinis, Rotgerum hunc Abbatem Monasterii de Cruce S. Leufredi in Normannia facit. Sub Henrico II. Conrado II. & Henrico III. Augustis floruisse notat, eique librum contra Berengarium dicasse Guitmundum, ejusdem monasterii monachum, postea Episcopum Aversanum. Contra objicit Sandius in notis, nullum legi Rotgerum in catalogo Abbatum ejus monasterii: Guitmundum sub Gregorio VII. scripsisse: Sed hæc dictis Vossii non obsunt. Cæterum nec Vossium nec Sandium Vitam Brunonis legisse apparet, alioqui statim animadvertissent, Rotgerum, qui temporibus Ottonis M. & Secundi jam floruit, & tum in diœcesi Coloniensi magnæ haud dubiè dignationis & scholarum fortasse Magister fuit, Henrici Tertii temporibus, id est, integro inde seculo Abbatem in Normannia non fuisse. Extat hæc vita apud Surium Tom. V. die XII. Octob. Sed nos ex Codice egregio Bibliothecæ Augustæ Guelfebytanæ emendavimus auximusque. Et cum Surius subinde stylum mutare soleat, nos Manuscriptum fideliter expressimus. Memorabile est, quod ab ipso Brunone audisse refert Rotgerus, cum Ultrajecti sub Balderico Episcopo liberalibus studiis puer inbueretur, Prudentium Poetam tradente Magistro legere cœpisse, ejusque dulcedine & gravitate mirè captum, exinde jucundiùs in omni Latina Græcaque literatura profecisse. Nescio, an alibi mentio fiat Israelis *Episcopi* Scotigenæ, *id est, Erigenæ, ut puto, seu Hiberni, cujus Rotgerus noster meminit Cap. 6. Nam constat, antiquo significatu Scotorum appellationem ad Hibernos pertinuisse, & Joannes Erigena Scotus, ut vulgo loquuntur, nihil aliud est, quàm Joannes Erigena seu Scotus; uti Rabanus Maurus duplicatio est ejusdem nominis, nihilque aliud sibi vult quàm Rabanus seu Maurus, id est, corvus seu niger.* E is *erat antiquum* Jernes *nomen, & fertur significasse occidentem. Postea Scoti Hiberniæ, Coloniis ductis, Caledoniorum regioni nomen Scotiæ dedere. Porro viri docti ex Hibernia, diu ante & post Carolina tempora, claros in Europæ continentem viros misêre; cum postea, mira rerum commutatione, vix ulla pars Europæ magis quam Insula illa, à cultu desciverit. Israelem Episcopum Scotigenam inter claros aulæ fratris Ottonis Magni viros adiit Bruno, & sub Magisterio ejus plurimum se profecisse testatus est. Hunc Episcopum suspicor eundem esse cum S. Silao Episcopo Hiberno, quem Lucæ in Hetruria venerantur & cujus vitam egregius Historiæ Lucensis illustrator* Franciscus Maria Florentinus *scripsit. Nihil enim prohibet, nomen vel à librariis vitæ Brunonis, vel quod potius credo, ab Hetruscis, quippe posterioribus, vitiatum, & ex Israele factum Silaum; Hibernos deinde consultos, de homine ignoto fabulas confinxisse; quem eorum morem notant & perstringunt doctissimi Collectores Antverpienses, de hoc viro agentes XXI. Maji. Iidem meritò refutant fabulatores, Silaum ad S. Patricii tempora, id est, quintum seculum, aut saltem ad sextum, temporaque Gregorii Magni retrahentes. Nam à S. Gregorio ordinatum Episcopum scribit vita, Lucæ reperta. Sed cum seculi XII. fœtus sit, parum ei fidi potest. Israel quidem à Gregorio aliquo Romano Papa ordinari non potuit, cum Folcmaro Archiepiscopo Coloniensi vivente jam Episcopus fuerit, cujus à temporibus longè abfuit proximè anterior Gregorius quartus. Credibile est, aulæ carum, sorore in matrimonio honorato Lucæ collocata, ætate provecta: illic quietem quæsisse extinctumque sepulturam invenisse: & à morum sanctitate in monumento vel scriptura laudatum, ducentis ferè post annis, ignorata rei veritate, male etiam lectis vel monumenti vel alterius scripturæ literis, prono in hæc seculo, aperto monumento translatisque reliquiis, prodiisse S. Silaum, vitamque ei pro arbitrio componentis, qualibuscunque ex conjecturis, assignatam. Quod si eo anno obiit, quo Dominica ante Pentecostem in XXI. Maji incidit, ut ex Lucensibus Calendariis utcunque colligitur, consequetur,* obiisse

obiisse anno 999, quo pascha incidit in diem nonum Aprilis. Ita potuerit Gregorio V. carus esse, cui haud dubiè dudum ex Ottonum aula notus erat. Is enim eodem anno decessit. Sed ordinatum à Gregorio finxere, dum causam itineris Italici ab Hiberno suscepti quæsiêre; non ignorantes, sæpe regionum remotarum antistites id honoris quæsivisse, ut à summis Pontificibus ordinarentur.

Sed ad Brunonem nostrum à Magistro redeamus. Literarum amantissimum fuisse juvenem Principem, vel inde intelligas, quod Archiepiscopus Coloniæ & totius Regni Lotharienses Gubernator, & maximis rebus à fratre adhibitus; quacunque circumagebantur tabernacula *aut castra regalia*, Bibliothecam *suam circumducebat, ut Rotgerus ait c. 7. Idem non dissimulat (cap. 20.) fuisse, qui reprehenderent, quod Episcopus rem populi & bella tractaret. Sed cui magis fideret frater Imperator? in illa temporum difficultate, qua filius seductus in patrem insurrexerat; qua Hungari, Slavi, Galli metuebantur. Magnos viros ex Ecclesiastico ordine sæpe Rempublicam laudabiliter administrasse constat. Illud tamen peculiarem hominum sermonibus causam præbuit, quod instar Ducis egit. Nam, ut noster ait c. 17.* Imperator fratrem suum Brunonem occidenti (*hoc est occidentali parti Imperii Germanici*) tutorem & provisorem & ut ita dicam Archiducem in tam periculoso tempore misit. *Duces autem & rei militari præerant, & domi supremam jurisdictionem cum jure gladii per provinciam administrabant. Hoc Episcopi Judicibus Regiis, hoc est, Ducibus, Comitibusque, etiam in suis propriis territoriis olim relinquebant, donec ipsi Episcopi tandem Ducatus Comitatusque inter alia regalia accepêre; atque ex eo per Vice-Dominos suos jurisdictionem & merum imperium exercuerunt. Et credibile est, exemplum Brunonis, viri ob mores scientiamque laudatissimi, plurimum potuisse, ut nec vererentur dare Principes, nec accipere Prælati, quod tantus vir habuisset. Quidam longiùs justo provecti, omnem Episcopis & Abbatibus sub Carolinis Regibus secularem potestatem negant, tanquam primus omnium Otto Magnus eam contulerit. Sed Ecclesiæ dudum prædia amplissima, allodii jure, & in illis Vasallos habebant, quibus terras in beneficium dederant, aut à quibus dominium directum reddito utili acceperant, quod feudum oblatum vocamus. Aliquot etiam rusticorum seu colonorum millia aliquando sub sua ditione habebant, quos coërcere potuisse mixti imperii jure non dubito. Sed jurisdictionem in liberos homines (quæ tunc infima nobilitas) aut merum imperium in quoscunque habuisse non apparet, donec ipsi Comitatus Ducatusque aut æquivalentem eis potestatem in sua quisque ditione accepere. Hoc primus forte in occidente Episcopus Romanus obtinuit, Pipini I. & Caroli M. liberalitate. Ducis etiam jus Herbipolensi in Francia orientali Antistiti antiquitus fuisse ait Adamus Bremensis; & Wormatiam Ducis potestati exemtam, Episcopoque attributam narrat Ditmarus. Brunonem autem in Germania cæteris viam aperuisse notavit Chronicon Germanicum, Wicwillagini Magdeburgicæ (quæ speculi Saxonici partem facit) præmissum, his verbis:* an denselben begunten die Bischoff weltliche Gerichte zu haben und zu richten: und das fing erstlichen an sein (*des Keisers*) bruder *Bruno zu Köln*; und Bischof Giseler zu Magdeburg befahl Keiser Otto das Herzogthum an der Elbe zu Schartau. *Sed vereor, ut verum sit, quod de Ducatu ad Albim Giselero Magdeburgensi Episcopo ab Ottone M. concesso refert. De Brunone plurimi consentiunt, sed Epicrisin addit Chronicon (apud Gryphiandrum de Weichbildis c. 28.)* da begunten zu erst die Bischoffe weltliche Richte zu haben, das dauchte damals unbillig manchen manne. *Notatu etiam digna sunt, quæ Rotgerus habet (c. 55.) de Ratherio Veronensium Episcopo, celebri ejus temporis viro, quem sede sua pulsum Bruno ob eruditionem suscepit, & Leodiensi Ecclesiæ præfecit; mox ibi potentioribus cedere coactum, Veronæ sua autoritate Cæsaris restituit. Tandem profectus in Galliam, ut nepotes suos invicem dissidentes ad concordiam revocaret, (c. 37.) id est, ut Regem Lotharium, sororis Gerbergæ filium, cum proceribus, Hugonis filiis, ex Hadwide altera sorore natis, conciliaret, morbo correptus Remis in flore ætatis obiit, sepultusque est Coloniæ in Monasterio S. Pantaleonis, quod ipse construxerat. In verbis morientis, quæ Rotgerus recitat (c. 39.) vix aliquid nostri Theologi reprehendant.* Spero, *inquit*, quod Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum, justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Mox ad plorantes (c. 40.)* nolite, fratres, hac mea sorte tristari: illuc, non absumta vita sed mutata in meliùs pergo, ubi Viros longè plures & clariores, quam hic unquam, cito videbo. *Credas Socratem apud Platonem, aut Scipionem apud Ciceronem, sed emendata ad Christianam normam philosophia, loqui.* Testamentum Brunonis *ex eodem Codice Manuscripto Guelfebytano nunc primum exhibemus cum Epitaphio. In Testamento Ecclesiis unicè prospexit.* Elogium Brunonis, *etsi breve, ex vita Gerhardi Abbatis Broniensis, ibidem extante, exscriptum adjecimus, quia refert Raginerum cognomento Longicollum, Hanoniensium Comitem, quod Provinciam turbaret, à Brunone pulsum*, qui, *inquit*, usque nunc exulat. *Nempe autor, vivo adhuc Brunone, scripsit. Ragineri liberi postea restituti sunt. Hinc Duces Brabantiæ veteres descenderunt, quibus Landgravii Hassiæ originem debent.*

Translationem corporis Evergisli, *olim Coloniensis Episcopi, sed apud Tungros sepulti, quod Bruno metropoli restituit:* & Patrocli *martyris sub Aureliano passi, quem idem, à fratre in Lugdunensem Galliam missus, ab Ansgiso Trecassina Ecclesia Præsule obtinuit, & Ecclesia Susatensium in Westphalia intulit, Surius, vel quem ille secutus est librarius, vita ipsi Brunonis inseruit. Sed neque cohæret ea cateræ narrationi, neque in nostro Codice intexta reperitur. Itaque sublatam inde separatim damus.*

XXVI. Vita Theoderici I. Metensis Episcopi, scripta à Sigeberto Levita S. Vincentii.

HOc opus nunc primum edimus, & visum est cura nostra dignum, quia Theodericus ex stirpe Widikindea per matrem fuit, teste hac ipsa vita. Eum Bruno Ottonis M. frater in Testamento suo Sobrinum *vocat; Rotgerus laxiore sensu Brunonis* nepotem. *Nempe Consobrini erant Bruno & Theodericus, cum mater hujus Amalrada esset soror Mathildis Reginæ, nupta Everhardo Comiti ex pago Saxoniæ Hamalant. Saxonia hîc tam latè sumitur veteri more, ut Westfaliam comprehendat, situsque erat pagus Hamalant ad Rhenum in ea provincia, quæ nunc Ducatus Clivensis appellatur; inque eo Monasterium Eltene diplomata locant. Amalrada Reginæ Mathildis soror, quod sciam, alibi non habetur. Biam & Friderunam (de quibus supra) nobis Necrologium Trevirense servavit. Theodericus, in Halberstadensis Ecclesiæ gremio educatus, Anno 962. Adalberoni Metensi Episcopo defuncto successor datus est, commendatione Consobrini & amici, cui perpetuus deinde adjutor in difficillimis temporib9 adhæsit. Fraternitatem constituere voluit inter Clerum Metensem & Halberstadensem, cum utriusque loci Cathedralis Ecclesia Stephano Protomartyri sit dicata. Hoc nepos ejus & Successor, Adalbero secundus, cum Hildwardo Halberstadensi Antistite perfecit. Ottone Magno cum Adelheida conjuge & filio Ottone II. in Italia agente Episcopus noster cuncta palatina negotia administravit, & triennio ferè integro in ea expeditione militavit, denique, cum inter aulicos & imperii Consiliarios primus haberetur (ut biographus noster ait c. 21.) obiit VII. Idus Sept. feria sexta anno primo Ottonis III. Struxerat S. Vincentii Monasterium, eoque merito Sigebertum loci Diaconum, præconem, vitæque, quam damus, scriptorem invenisse apparet, quem Henrico III. regnante aut non longè inde vixisse ex eo colligas, quod dedicationem Ecclesiæ suæ anno VII. Conradi II. à juniore Theoderico Metensium Episcopo peractam, in recenti eorum, qui interfuerunt, memoria versari cap. ult. scribit.*

XXVII. De Venerabilibus Palatinis Rheni, Erenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza Regina Poloniæ narratio à Monacho Brunwillerensi conscripta.

ETiam Mathildis Ezonis Comitis Palatini ad Rhenum uxor ad Ottonianam, id est, primam Brunsvicensium Principum stirpem pertinet. Nam filia fuit Ottonis II. Augusti, soror Tertii. De hujus ergo vita pariter ac mariti, & filiæ Richesæ Polonorum Reginæ, narrationem adjecimus, quam ex Manuscripto Codice Brunwilariensis ad Rhenum inferiorem Monasterii, à conjugibus istis fundati, eruit Joh. Gamansius, de Historia Germanica egregiè meritus, & præclaris viris Antverpiensibus collectoribus misit, quorum ex notis (21. Maji) quædam sumsimus, alia de nostro adjecimus, quæ paginis hîc subjiciuntur. Discimus autem ex Brunwilariensi narratore, *temporibus, de quibus scribit, proximo, quædam alias ignorata circa veteres Comites Palatinos ad Rhenum, & Duces Bavariæ atque Suevia. Hos autem Palatinos arbitror ad Regnum Lotharingiæ pertinuisse. Itaque Narrator noster notat c. 2. Ezonem, cum Mathildis conjugis mortem intellexit,* fuisse in Aquisgrani palatio, *ubi erat Lotharienfis regni sedes. Porrò Regnum Lotharingiæ duas Metropoles, Trevirensem & Coloniensem; duosque Ducatus Mosellanicum & Brabantinum, vel superioris inferiorisque Lotharingiæ complectebatur, una cum nonnullis aliis Episcopatibus & Principatibus seu Comitatibus, quorum aliqui serius ad axioma Ducatus sunt sublati. Interim pars Cisrhenana provinciæ Coloniensis ad Westfaliam, non ad Ducatum Lotharingiæ, semper pertinuit. Hodie transrhenana pars, quæ circulo Burgundico non continetur, Westfalico computatur. Quantum judico, Henricus I. Rex Germaniæ, cum Lotharii Regnum recuperasset, ibi præter Gisilbertum Ducem, cui filiam (fortasse ex prima conjuge) Gerbergam desponderat, videtur* Comitem palatii *vel constituisse, vel jam constitutum ab anterioribus Lotharingiæ Regibus reliquisse, qui Rege apud Aquas grani aut in alia Regali Villa sedente, veterum Francorum more palatio præesset. Tantæ autem dignitati ditio jam tum hæreditario feudi jure annexa esse solebat præter patrimonialia Comitis bona. Ditionem Palatini hujus trans Rhenum sitam fuisse apparet, in Lotharingia scilicet, ut tunc regionum appellatio erat. Brunwillariensis quidem tractus inter Erpam Rhenumque fluvios jacet. Habuit præterea idem Palatinus insulam S. Swiberti (hodie Keisers werdam) & Duisburgum. Ex his ergo Comitibus Palatinis Hermannus, (quem sub Ottone M. strenuè jam sese contra Hungaros gessisse, posterior quidam Brunwilerana narrationis interpolator, à Gamansio etiam summissus scripsit)*

scripsit) ad Ottonis III. usque tempora pervenit. Id Ditmari verba indicant, cum ait: Cæsaris soror Mathild nomine, Hermanni Comitis filio Ezoni nupsit; *ipsum scilicet Ezonem nondum Comitem Palatinum vocat. Fabulosa videntur, quæ noster narrat de ludo, quo victor Ezo Mathildem à fratre obtinuerit. Illud satis Ditmarus innuit, elegantem juvenem virgini Regiæ placuisse, & fratrem sorori indulsisse. Noster narrator ait, repugnasse inprimis amitam Adelheidem, Assindiensem Abbatissam, Ottonis scilicet Magni filiam, apud quam virgo educabatur. Hæc Adelheid à Madero in Tabula Ottoniana stirpis prætermissa est, & tamen eam Witikindus Monachus indicat non procul initio libri 3. cum ait, Ottoni ex Adelheide præter tres filios Henricum Brunonemque, qui obiêre, & Ottonem, qui successit, filiam natam, Sanctæ matris nomine insignitam. Unde colligas, Mechtildem Abbatissam Quedlingeburgensem natam ex Edita: etsi ei quoque Ditmarus Adelheidem matrem tribuat. Idem Ditmarus de Ezonis conjugio:* hoc, *inquit*, multis displicuit. Sed quia id non valuit emendari legaliter, *(eo scilicet res processerat)* tulit hoc unicus frater illius patienter, dans ei plurima, ne vilesceret innata sibi *(id est ei)* à parentibus gloria. *Dedisse apparet Salaveldam & Coburgum aliaque vicina loca, quæ nunc Ducibus Saxoniæ, Misniæ Marchionibus & Thuringiæ Landgraviis parent; olim ad jura Henrici Aucupis & Ottonum Augustorum pertinebant. Unde Henricus Ottonis M. frater, cum turbas cieret, conscios Salaveldam convocavit, celebri convivio parato, (apud Witikind Corb. lib. I.) & eo Duce Bajoariorum facto, Ludolphus Imperatoris filius Salaveldam obtinuit: nam, ut continuator Reginonis habet ad ann. 952,* Luidulfus ex Italia reversus regio ambitu natalem Domini in Salavelt celebravit, quod convivium jam multis suspiciosum cœpit haberi. *Itaque Witikindus Monachus ait lib. 3.* Luidolfum tunc moratum in loco consiliis funesto Salaveldum. *Hæc eadem ergo loca Otto III. sorori dedit. Unde Ezonem in eo tractu Slavis vicino (tunc scilicet Sala Slavos à Germanis distinguebat) ursum ingentem & regioni infestum occidisse narrat noster autor. Postea Rikesa Regina loca maternæ hæreditatis Salaveld & Koburgh in Annonem Archiepiscopum Coloniensem transtulit, ut ex nostro autore & vita Annonis edita apparet, & ex diplomatibus Rikesæ atque Annonis, quæ edidit Gelenius. Interpolator narrationis Brunwileranæ tertium locum nominat Orlam. Est autem Orla fluvius Thuringiæ, qui apud Orlamundam arcem in Salam influit, ubi fortasse locus ejusdem juris fuit. Annonem Salaveldæ Canonicis expulsis Monachos Colonia adductos substituisse queritur Lambertus Schafnaburgensis.*

Ezo & Mathildis tres filios (quorum mox defecit progenies) & septem filias genuerunt. Filii fuêre Ludolphus, Otto & Hermannus. Ludolphus primogenitus successit patri in palatina dignitate, filios genuit Henricum & Cunonem. Henricus patris avique dignitatem obtinuit; Cuno factus est Dux Bajoariorum. Ambo liberis caruêre. Palatinatus cessit alteri Ezonis filio Ottoni; quo ad Ducatum Sueviæ evecto, Palatina dignitas Henrico consobrino, Hezelonis (qui Ezonis frater fuerat) filio datus est. Cuno Dux, ex qua stirpe esset, hactenus Historici ignoraverant, variis conjecturis nequicquam allatis: hunc nodum noster narrator dissolvit, nec parvam Historiæ illorum temporum lucem affert. Porro Hermannus tertius filiorum Ezonis factus est Archiepiscopus Coloniensis. Filiæ septem à nostro autore ita enumerantur: Rikesa *facta est Regina Polonorum, de qua mox;* Adelheit in Nivella Monasterio; Theophanu *(nomen aviæ Græcæ Principis, Ottoni II. nuptæ)* in Asinde *(hodie Essen)* Heyleweig *(an Hedwig?)* in Nussia; Mathild in Didinckerica atque Vylica; Ida in Monasterio S. Mariæ Coloniæ; Sophia similiter in Monasterio S. Mariæ Moguntiæ atque Gandersheim sanctimonialibus fœminis sunt prælatæ loco regiminis. *Hanc verò Sophiam non puto eam esse, ut annotatio apud Henschenium innuit, quæ in nostris Historiis sæpiùs memoratur, ob lites diuturnas, quibus causam ipsa præbuit, inter Willigisum Archiepiscopum Moguntinum, & Episcopos Hildesienses, Osdagum ac sanctis annumeratos Berwardum & Godehardum: sed esse potiùs ejus neptem. Nam prior Sophia Gandershemensis Abbatissa, filia Ottonis II. & Theophaniæ fuit, ut disertè habet Ditmarus, cui etiam notam fuisse arbitror. Posterior verò ex sorore Ottonis III. & Ezone nata fuit, teste nostro narratore. Bodo Gandeshemensis Historicus priori successorem Adelheidem Quedlingeburgensem, ut ipse ait, Abbatissam, Nivella accersitam: quæ si vera sunt, præter Quedlingeburgensem etiam Nivellensem Abbatiam sub hac fuisse apparet, accedente jam & Gandeshemensi. Hæ autem aliaque Abbatiæ, quæ in Ottoniana familia erant, Quedlingeburgensi excepta, postea inter sex Ezonis & Mathildis filias sunt dispersæ. Ex his Theophanu Assindiensis Abbatissa, tumbæ S. Marsi Martyris in illa Ecclesia hodieque extanti, versus inscribi jussit, qui dubitationem non parvam movent. Henschenius Bucelini editionem cum Ecgrapho Antverpiam misso conferens ita legit:*

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum
Mathildis vovit Theophanu, quod bene solvit
Abbatissa bona Mathild, hæc chrysea dona
Regi dans Regum: quæ res deposcit in ævum

 Spiri-

Spiritus Ottonis pauset cœlestibus oris
Domina Mathild me fieri jussit.

Hæc doctissimus Henschenius (quantum capio) ita interpretatur, tanquam Abbatissa Assindiensis Mathilda fuerit, quæ & Quedlingeburgensis, nempe Ottonis M. filia, quæ, quod neptis Mathildis, Theophanu (Reginæ scilicet) filia, Ezoni nupta, noverat, solverit. Sed non facile solemus alterius vota solvere, nisi extincti. Mathilda autem Abbatissa longè ante Ezonis conjugem, imò ante conjugium obiit, eique soror Adelheidis successit. Versus apud Bucelinum ita leguntur (Germania part. 2. pag. 143.)

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum.
Mechtildis vovit, quæ Theophanu quoque solvit.
Abbatissa bona Mechtildis chrysea dona
Regi dans Regum, quæ Rex deposcit in ævum
Spiritus Ottonis pascit cœlestibus oris.

Et in pede tumbæ sunt hi versus:

Hocce decus gemmis Cosma Damianeque vobis
Fecit Mathildis, mercans æterna caducis
Theophanu cœlis [cætera non legebantur.]

Inscriptionem ita interpretari possis, Theophanu Abbatissam bonam, solvisse Mechthildis chrysea dona, seu quæ Mechtildis voverit. Sed quæ Mechtildis? an ipsa mater Abbatissæ Theophanu, quæ votum pro anima Ottonis III. fecerit soror; cujus scilicet cœpta à filia sint perfecta. Id verisimile puto, sed accurata in loco exscriptione versuum opus foret, videndumque, an non lacunæ suppleri possent. Interim idem Bucelinus alia affert, ex quibus admittendum videtur, aliquam Mechtildem inter Adelheidem & Theophanu mediam apud Assindienses Abbatissam egisse; quæ collegium Canonissarum in Rellinckhausen fundarit, cujus & ibi anniversarium servetur: Eidem & Henricum II. privilegia confirmasse. Quæ autem hæc fuerit, constituere non possum. Sanè non potuit esse soror Ottonis III. ut putavit Bucelinus. Hæc enim Ezoni nupta ante maritum obiit. Nec locum habet filia Ottonis M. quæ utique Henrico II. multo anterior fuit. Hoc loco obiter emendare libet versum Latinum, Græcis characteribus libro quatuor Evangeliorum, auro gemmisque ornato, Assindiæ extanti inscriptum:

ΑΔ ΠΡΟΠΡΙΩΜ ΝΑΤΩΜ ΘΕΡ ΝΩΣΡΩΜ ΥΙΡΓΩ ΠΡΕΓΡΑΤΩΜ.

Quod Bucelinus ita legit:

Ad proprium natum ter nostrum Virgo prægratum.

Sed manifestum est, legi debere:

Ad proprium Natum fer nostrum Virgo precatum.


Nempe pro ΘΕΡ, *erit* ΦΕΡ.

Cæterum, cum ex Ditmaro discamus, Adelheidem sorori Mathildæ in Quedlinburgensi Abbatia successisse, adeoque & hoc, & Assindiense cœnobium simul rexisse; nil prohibet eandem Mathildam similiter etiam Assindiæ antea præfuisse: quanquam ita esse certo argumento doceri non possit.

De Rikesa vel Richsa, Regina Poloniæ, superest, ut aliqua dicamus, non aliena à rebus nostris. Idem nomen etiam gessit Imperatrix, Lotharii Saxonis uxor, cui dotalem attulit Brunsvicensem *ditionem. Suspicor ex Regina (quod non inusitatum est nomen) factam Rekinsam, aut* Rikinse: *sic enim sæpe habent diplomata & veteres scriptores. Rikesam Ottonis III. neptem, Henrici II. consanguineam duxit Micieslaus vel Miseko, qui se Regem ferebat, etsi à Cæsaribus tunc non alio quàm Ducum jure ii, qui Polonis præerant, censerentur, quemadmodum ex Ditmari Episcopi Historia patet. Sed cum ei Casimirum peperisset, mox ob pellicem à marito divertit, & Germaniam repetiit, ut noster habet Narrator, qui ipsam Reginam videre potuit. Poloni scriptores, longè ab illis temporibus remoti, & pleraque ex incertis rumoribus tradentes, post mortem mariti cum filio pulsam fabulantur. Ita habet Matthias Michoviensis, qui conjugium ipsum male ad annum 1001. refert, quasi tunc ab Ottone III. cum sororis filia conciliatum: Sed eo tempore Otto III. in Italia obiit; Rikesa autem nubilis esse non potuit, cum mater ejus Mathilda (quantum ex Ditmari verbis colligitur) adulto jam fratre Ottone III. qui juvenis obiit, matrimonium inierit, & ex narratore nostro, fratris tantum consensum memorante, satis appareat, matrem Mathildæ Theophaniam Augustam tunc non vixisse. Itaque conjugium, ex quo Rikesa nata est, ante annum 990. non cœpit. Porro cum Poloni scriptores Rixam contumeliosè tractent, quam Colonienses tanquam Sanctam, vel certè Beatam venerantur, Ægidius Gelenius, magnitudinis Coloniæ scriptor eruditus & diligens (cujus*

jus pleraque molimina & collectanea intercedisse dolendum est) justam Reginæ Apologiam dedit. Filium infantem secum abstulisse apparet, credo, ne paternis moribus imbueretur. Hunc postea Poloni, lacerato discordiis regno, jam Monachum apud Cluniacenses, & ad Diaconatus gradum promotum, legatione missa repetierunt: quos Odilo Abbas (ut ex ejus vita patet) ad Pontificem Romanum remisit, qui precibus annuit. Fabulosum est, quod additur, Polonos morem tondendi verticis recepisse in memoriam tonsuræ sui Regis. Legati Casimirum prius apud Brunsvicum *quæsisse scribuntur à Longino sive Dlugosso. Sed ego suspicor, corruptum hoc esse ex* Brunwiler, *& notum apud exteros nomen in locum ignoti substitutum. Nam Brunswilariense Monasterium, à parentibus fundatum, Regina amabat & frequentabat, & ibi aut in vicinia puerum Casimirum sæpe egisse credi par est.*

Postremo tabulam Genealogicam, sed contractam, subjicere placet, qua non tantum Ezonis Palatini & conjugis, sed & omnium Saxoniæ Principum, quibus vitarum hîc à nobis exhibitarum scriptores contigêre, inde à Mathilda Regina stirps & nexus oculis subjicitur. Sunt autem Mathilda Regina Germaniæ, Adelheidis Augusta, Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Theodericus Episcopus Metensis, Mathildis filia Ottonis II. Augusti, cum marito Ezone Comite Palatino ad Rhenum, & horum filia Rikesa Regina Poloniæ; denique Henricus II. Imperator, quem Sanctum vocant, Ottonis III. successor ejusdemque stirpis; cujus vita mox sequetur. Antequam autem hinc abeamus, annotare operæpretium visum est, autorem narrationis Brunwilariensis *à rebus, quæ scripsit, non multum abfuisse, cum quædam à vetula sibi narrata referat cap. 2. quæ Mathildem, Ezonis Palatini conjugem, adolescens vidit.*




XXVIII. DITMARUS RESTITUTUS, seu Ditmari Episcopi Merseburgensis Gesta Saxonum, Libris VIII. comprehensa, [quibus Cæsarum, ex antiqua domo Brunsvicensi ortorum, Historia continetur.]

XXIX. Vita Ditmari ex Codice Manuscripto cujusdam Chronici Antistitum Merseburgensium.

Ditmarus ex Comitibus inclytis ortus, quibus castrum Waldbeccense seu (ut ipse vocat p. 306.) rivi sylvatici hæreditarium erat; ad Episcopatum Merseburgensem Imperatoris Henrici, quem sanctum appellant, autoritate pervenit. Cum non spernendus esset in studiis, pro temporum captu, Historiam Henrici I. Regis Germaniæ & descendentium ex ipso, Augustorum, trium scilicet Ottonum & Henrici Sancti (quanquam hoc superstite defunctus vitam ejus non absolvit) octo libris posteris reliquit. Hanc Trithemius non novit, sed discipulus ejus Paulus Langius, Chronici Citizensis autor, notam habuit: Historiæ autem Germanicæ scriptores antiquiores plerique adhibuêre, ipsis verbis transcriptis. Apographum Reinerus Reineccius, beneficio Petri Albini Historici Saxonici, descriptum à Codice Bibliothecæ Augusti Electoris nactus est, & Francofurti apud Wechelios typis edi curavit anno 1580. in fol. paginis comprehensum 114. Brotuffius in Chronico Merseburgico, Autographum Ditmari superesse dixerat: sed hoc non comparuit. Nam, quod Albinus Meibomio scribens, sese ex Autographo Dresdensi locum quendam Reineccianæ editionis correxisse, ait (Chron. Walbecc. Meibom. p. 30.) id comparatione apographi, quod ipse miserat Reineccio, aut ex quo miserat, accipiendum putem: non quasi codicem ipse manu sua scripserit, aut recensuerit Ditmarus. Certè Dresdensem non mutilum tantum, sed etiam, ubi integer est, non emendatissimum esse, res ipsa evincit. Editionem alteram curavit Joh. Joachimus Maderus, Helmstadii 1667. in 4to. pag. 254. sed Reineccianam ferè secutus est. Cùm ergo beneficio Danielis Papebrochii *celeberrimi in Societate Jesu Viri, plusquam dici potest, meriti, facta & de Historia sacra pariter ac civili mihi esset copia codicis antiqui, in quo integrior extat Ditmarus: inde restitutum huic operi inseruimus. Nam cum Cæsarum, ex antiqua domo* Brunsvicensi *ortorum, Historiam texat; maximè ad nostram spectat. Præfixit versus plerisquè libris in prologi modum: itaque qui primo libro, totique adeò operi præmissi erant exciderantque, nunc sunt ex Manuscripto restituti, quemadmodum & quod prosâ sequitur initium operis usque ad verba:* Hic (*Henricus*) nobilissimo Ottonis & Hathui stemmate natus, *pro quo in editis initium est: Henricus nobilissimo &c. Restitutum etiam est libro 6. (pag. 380.) breviarium Canonum Synodi Tremoniensis seu in Throtmanni sub Henrico II. Aug. habitæ (hodie est Dortmunda in Westfalia) etsi errore typorum relicta sint paginâ sequenti hæc verba:* deest decretum Synodi Tremoniensis, *quæ ex Reineccii & Maderi editionibus male huc transcripta sunt, neque enim amplius deest decretum. Cætera pleraque, quæ supplevimus, parenthesibus uncinatis [.....] inclusa sunt (nisi ubi neglexere typothetæ) ut à dudum editis distingui possint. Indicabo tamen lacunas majores expletas. Sic p. 329. ubi in priùs edito habebatur:* hic quædam desiderantur, *ea ipsa desiderata autori reddidimus. Libro etiam IV. pagina 353. nostræ Editionis magnum supplevimus hiatum, qui paulo plus quam duas in folio paginas nobis occupat, finitque demum non procul à fine paginæ 355. Nempe in prioribus Editionibus, post verba:* Deinde Romam veniens (*Imperator Otto III.*) gloriosè nepotem suum Brunonem (*consobrini filius erat*) .... in loco Joannis Papæ .... constituit. Sed incuria ejus contigit damnum; *subjicitur deinde Bernaburg Civitatem captam à Slavis; quæ planè non cohærent prioribus, & saltus fit Roma in Saxoniam. Oportet ergo aliquot folia ei codici defuisse, quem editor Reineccius expressit. Nam in codice integro, quem nos secuti sumus, narratur, à novo Papa unctum Imperatorem. Deinde martyrium Adalberti Bohemorum Episcopi, ad Prussos fidei prædicandæ causâ profecti, memoratur; & Crescentii Romanæ rebellio, & Ansfridi Comitis, postea Trajectensis Episcopi, ob sanctitatem laudati, vita: tum demum ad ea pervenit autor, quæ in hactenus edictis habebantur, & damnum exponit, quod in Saxonia Giseleri Magdeburgensis incuria contigit. Similis & major adhuc, majorisque momenti hiatus expletus est Libro quinto à pag. 368. paulo ante medium, usque ad initium pag. 372. Nempe in pristinis editionibus refertur, Henrico Bavariæ Duce à Francis pro Rege suscepto, indictum fuisse etiam apud Saxones conventum Principum in Urbe Merseburg, quorum & alii nominantur. Tum ex abrupto subjicitur, Redarios Slavos à Rege in gratiam receptos. Sed integer Ditmarus narrat, Regem, à Principibus Saxoniæ honorificè receptum, legem eorum & privilegia confirmasse: inde Bernardum Ducem, accepta in manum sacra lancea, regni (Saxonici) curam ei commisisse. Adest & Boleslaus Polonorum Dux, Regemque veneratur, sed mox rebellat. Rex deinde ad novam Corbejam, à Corbeja* Francorum Latinorum *sic dictam, proficiscitur; & hinc Padebornam. Ibi cum Bavarii vitiorum (leg. Villicorum) fruges diriperent, tumultus ortus est. Inde ad Duisburg perveniens, Luitharienses expectant (leg. expectavit.) Tandem à Primatibus Luithariorum (Lotharingorum) ad Aquasgrani in Regem collaudatur, & in sedem Regiam more antecessorum exaltatur. Hinc expeditionem in Herimannum Alemanniæ Ducem suscipit, (quem autor avunculi matris suæ filium vocat) eumque ad obsequium*

sequium cogit, tandemque in Bavariam suam redit. Compositis deinde vicina Bohemiæ turbis, narratur aliud iter Regis ad Rhenum, & expeditio parum secunda in Hardoinum Regem se Longobardorum ferentem, quam jussu Imperatoris, susceperat Otto Dux Carentanorum; & nova in Bohemia turba, & conventus Quedlingeburgensis, ibique decreta expeditio in Polonos; ubi & Redarii Slavi in gratiam recepti sunt: ac tum demum ad ea venitur, quæ in Editionibus pristinis, magno saltu, nullo apto sensu, prioribus subjecta legebantur. Ita magna pars Historiæ horum temporum redintegratur. Libro VI. (ut Tremoniensem Synodum non repetam) alia fuit lacuna notabilis, quam hians sensus indicare potuisset. Quid enim ineptius, quam quod habebatur de Wicberto prædecessore Ditmari: nec minus quam decem annos toxicata cum gratia Regis per Geronem præpositum vacavit. *Verba integra ita habent:* Non minus quam decem annos, toxicata læsus potione, crebram passionem corporis --- sustinuit. *Inde narrat autor, successorem sese ipsi à Rege destinatum commendatione Taginonis (an Tagmonis?) Magdeburgensis Archiepiscopi,* qui (*inquit*) eò (*in aulam*) me cum gratia per Geronem Præpositum vocavit. *Reliqua, ut in pristinis editionibus, sequuntur. Porro in eis, quæ ad hiatum supplendum inseruimus, legitur, à Wicberto erutum lucum, ut Deum à Slavis hortatum (leg. honoratum) Libro VII. pag. 403. breviculæ expletæ sunt lacunæ, sed alicubi correctio necessaria omissa est. Nam ubi legitur* Valcorbensis *Abbas, legendum: Val (Valo vel Wala) Corbejensis Abbas. Sed minora supplementa, quorum magnus est numerus, prætereo. Passim etiam ex Codicis fide restituta sunt nomina propria, in Editionibus prioribus omissa, passim in melius mutata; subinde etiam utiles circumstantiæ indicantur. Ex multis unum exemplum dabo:* Wigmannnm *Comitem, qui Hermanni Saxonum Ducis fratre natu majore Wigmanno fuit genitus, propinquum Ottonis M. fuisse habet Witikindus lib. 3. ubi mortem illius refert. Desiderabatur ratio gradusque propinquitatis, quam nos ex Ditmaro redintegrato damus pag. 333. Nam cum in prioribus editionibus haberetur:* Wigmannum & Ecbertum *fugavit, nos ex Manuscripto sic supplevimus: Wigmannum* materteræ Regis filium *& Ecbertum fugavit. Witikindus autem dicto loco* Ecbertum *bis vocat Regis (Ottonis scilicet Magni) consobrinum; mox Ecbertum pariter & Wigmannum Hermanni Ducis nepotes facit, ex fratre scilicet: unde intelligimus, ambos fuisse Wigmanni senioris filios, & hunc sororem Henrici Regis, materteram Ottonis M. in matrimonio habuisse. Accedit, quod Otto Dux Saxoniæ, Henrici Regis pater, fundavit Monasterium S. Michaëlis* Luneburgicum (*in allodio scilicet suo*) *ut notatum est in libello de fundatione Ecclesiarum, quem hic damus n. XX. Sed idem postea locus in proprietate Hermanni Saxonum Ducis fuit, ut credibile sit, hujus matrimonii intuitu ex Regia familia in* Billinganam *venisse. Sed Tabellam Genealogicam subjicere placet:*



Notabilis locus ad confirmandam dignitatem Billinganæ (*quam vocant*) originis *contra ineptos scriptores, qui Hermannum ex pauperculo Luneburgici tractus vasallo Ducem factum credidere. Meibomius vindicias Billinganas eruditè scripsit, sed tunc nondum hæc Genealogiæ forma in aperto erat.*

Cæterum Ditmarum, etsi rudem stylo & obscuriusculum subinde scriptorem, meritò in pretio habemus, quòd res sui temporis pene solus posteris tradidit ex fide; peritissimus eorum, quæ scripsit. Itaque Andreas Brunnerus meritò opus ejus, unicum sui avi thesaurum, appellat. Germanica quidem, & certè Saxonica pleraque sine ipso ignoraremus. Misnicas antiquitates nemo ipso luculentius dedit. Urbis Lipsiæ, patriæ meæ, meminit omnium primus, & Silesia etiam sub nomine pagi Silensis.

lensis. Idem de Slavicis, Polonicis Hungaricisque dicendum est, Historiam veterem earum gentium sine Ditmaro mancam fore. Et præ his, quæ ille tradidit, nihili sunt, quæcunque de suo afferre possunt Poloni, serius scriptores nacti.

De Anglicis etiam rebus habet quædam ex relatu, quæ etsi non prorsus erroris expertia sint, videntur tamen lucis aliquid domesticæ gentis Historiæ (valde circa hæc tempora incertæ & obscuræ) afferre posse. Nempe lib. VII. narrat Ditmarus, anno 1016. mense Julio Haraldum & Cnutum fratres, cum Duce Thurguto & classe 340. navium appulisse, & Londinum obsedisse, paulo post mortem Regis Adelradi; cumque sex mensibus durasset obsidio, filios defuncti Regis, urbe antea egressos, Ethelstenum & Ethmundum cum auxiliis venisse, iisque casu obviam factum Thurgutum. Tum prælio commisso Ethmundum Regem & Thurgutum Ducem cecidisse, Danos repetitis navibus recessisse. Sed credibile est, alium à Rege Ethmundo fuisse, qui tunc cecidit. Nam Edmundus Ethelredi filius pacem postea cum Canuto fecit, diviso inter ipsos Angliæ Regno. An dicendum erit, permutasse nomina Ditmarum, & Adelstanum cecidisse: nam quis hujus exitus fuerit, non satis (ni fallor) constat ex scriptoribus Anglis. Nescio, an ad Thurgutum *hunc Ducem pertineat moneta, literis Runicis inscripta, insertaque editioni Anglicæ Britanniæ Camdeni, de qua Cl. Vir Nicolaus Kederus, Regii apud Holmiam collegii antiquitatum Assessor nuper dissertationem edidit, & verba ita legit:* Thurgut Luntis: *suspicatus, Thurgut nomen monetarii esse Lundinensis, refutatis iis, qui* Thur-gut *interpretati sunt Deum* Thor *Septentrionalibus cultum, cum nummus Christi effigiem præferat ab altera parte. Sed Nobilissimus Eques Fontanus, qui nuper pulcherrima amplissimaque collectione nummorum Anglo-Saxonum edita, Hikkesianoque sane eximio Anglo-Saxonicarum antiquitatum Thesauro adjecta, Historiam patriam illustravit: dubitat (fol. 165. 166. Londinum designetur an Licolniensis urbs, dicta olim Lundis-vara. Quod si me aliquid adjicere fas est, dubitari posse putem, an non præstet pro monetario hîc substitui inclytum in Anglia Ducem gentis Danorum, cujus vel mandato vel honori id datum sit, ut nummus iste cuderetur: cum & literæ sint, quæ tunc Danis in usu erant, & nummus in Anglia sit repertus. Sed Ducis Thurguti nec Anglos nec Danos scriptores meminisse suspicor, quoniam nemini nunc ille in hoc nummo interpretando succurrit. Itaque Ditmaro nostro inposterum resuscitatum decus debebit Vir ille.*

Ditmarum inter optimates Germaniæ omnium primum fuisse, qui Historiam scripserit, Reineccius in præfatione notavit; credo quod ipsius tempore ignoraretur Haymonis Episcopi Halberstadensis Historia Ecclesiastica, aut Willibaldi (mea sententia Junioris) Episcopi Eichstetensis vita Bonifacii, aut Altfridi Episcopi Monasteriensis Vita Ludgeri; ne quid de vita Greporii Rectoris Ecclesiæ Trajectinæ, ab ipso Lutgero primo Monasteriensium Antistite scripta, dicam: nisi Reineccium de justa temporum scriptoris Historia interpretamur. Vitam *ipsius* Ditmari *ex Chronico vetere Antistitum Merseburgensium à Reineccio editam ipsius exemplo subjecimus; dolemusque, Chronicon istud nunc, quod constet, non haberi.*

Absoluta jam editione Ditmari, *nonnullas* collationes emendationesque *adjicere è re visum, neglectas initio, quod semper executioni eorum, quæ præscripseram, advigilare mihi non licuisset. Nunc ergo peculiari Tmemate (LXIV) ad Witikindearum collationum exemplum, in fine totius hujus operis subjectas dabimus. Nimirum Albinus Historicus Electoris Saxoniæ, post editionem Reineccianam, correctiones collationesve ex antiquo Codice sumtas, Henrico Meibomio Seniori miserat. Eas nepotis hujus, Henrici Meibomii Junioris, Viri itidem Clarissimi filius, Serenissimi Principis Hæreditarii Guelfebytani Consiliarius ex schedis paternis suppeditavit. Sed & Cl. Vignolla Gallus, verbi divini apud Brandeburgicos tunc Minister, quædam peropportunè ex aliorum autorum locis emendavit; Chronologiæ inprimis habita ratione, in qua se egregiè versatum jam dudum publicis speciminibus ostendit. Quædam ego ipse tum ex collatione Reineccii Maderique, tum ex ineditis quibusdam scriptoribus, tum denique ex ingenio emendavi. Sæpe autem varietate annotata, utra lectio præstaret, incertum reliqui. Eadem occasione etiam typorum nostrorum lapsus, qui turbare poterant, corriguntur.*

XXX. Vita Henrici Sancti Imperatoris, ab Adelboldo Episcopo Trajectensi conscripta.

Henricus, Secundus, si Reges Germaniæ ejus nominis numeres; primus, si Romanorum Imperatores: inter Sanctos ab Innocentio III. Papa relatus est, & apud Bambergenses potissimum colitur, ubi Episcopatum inclytum ipse fundavit. Magnum Virum fuisse & probum, dubitare nos gesta non sinunt. Virginitatem voluntariam in matrimonio cum Cunigunde conjuge coluisse, posteriores tradiderunt: coætanei nec minimum hujus opinionis vestigium exhibent; ut adeò magnopere ei fidi non possit. Patrem ejus fuisse Hezilonem vel Henricum Ducem Bavariæ, filium Henrici, qui à

Magno

Magno Ottone fratre Ducatum Bavariæ accepit, filia Arnulphi prædecessoris ducta, pro certo habendum est, cum à contemporaneis scriptoribus ac documentis extra controversiam collocetur. Et tamen inventus est scriptor, doctus alioqui, sed in hac certè re inconsultus, Matthæus Raderus, qui in Bavaria Sancta opere virum antiquissimæ Brunsvicensi *stirpi eripere & Bavaris vendicare conatur, nullis idoneis argumentis adductis: itaque rei claræ immorari non vacat. Placet tantum adducere locum insignem ex vita Mathildis Reginæ, quam huic collectioni inserimus, hujus ipsius Henrici jussu scriptam. Ibi narratur, Reginam sene, aliquando cum Imperatrice Adelheida nuru ad mensam sedente, ludentibusque juxtà pueris inter se consobrinis, Ottone II. filio Magni & Henrico, filio Henrici Ducis defuncti, quem avia tanquam imaginem Henrici Patris, sibi dilectissimi, in oculis ferebat: Imperatricem de matrimonio aliquando inter filiam suam Hemmam & puerum conciliando, sermonem intulisse; at Reginam suspirantem tanquam futurorum præsciam dixisse:* expedit filiæ vestræ feliciori se Viro adjungere. Hoc nomen (*Henrici*) solummodo decus habuit, quamdiu Dominus noster Henricus vixit. Postquam vero in posteros venit, nunquam infortunio caruit ---- adhuc in divina dispositione est, quid huic debeat accidere. Speramus autem non excidere hoc nomen de genere nostro, priusquam aliquis parvulus oriatur de ejusdem pueri semine, qui sublimetur regali dignitate. Quis autem dubitet, (*subjicit autor*) electæ Christi famulæ prophetiam in Christianissimo Rege Henrico nunc esse impletam.

Vitam Henrici Secundi Imperatoris, à posteriore scriptam, Sanctis Bambergensibus inseruit Gretserus. Sed cum ei magnopere fidi non possit, damus tantum eam, quam scripsit familiaris ipsius Augusti Adelboldus, Ultrajectinus Episcopus, quamvis non nisi imperfecta habeatur, eruta à Tegnagelio ex Codice Bibliothecæ Cæsareæ & Gretsero missa: neque alibi aliud exemplum hactenus repertum est. Et vereor, ne neglecta sit à posterioribus, quia Imperatorem, cujus gesta tradit, magis ut egregium Principem, quàm ut hominem, devotionibus insolitis deditum, describit, quod mox vulgus lectorum quærebat. Autoritate & gratia apud eum valuisse, & consiliis etiam adhibitum fuisse, vel ex Sigeberti Gemblacensis verbis intelligas, qui ad ann. 1004. ita scribit: Gerardus Cameracensis & Adelboldus Ultrajectensis Episcopus, magni in Ecclesia & palatio habentur. *Cæterum, quæ Adelboldo desunt, bonam partem ex Ditmaro suppleri possunt; & ubi is finit, ex variis Historicis, etsi minoris ponderis, spicilegium instituendum est, messe amissa.*

XXXI. Vita S. Bernwardi, XIII. Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi, autore Tangmaro Presbytero.

XXXII. Narrario de Canonisatione & Translatione S. Bernwardi.

XXXIII. Compendium vitæ S. Bernwardi Episcopi Hildesheimensis.

Bernwardus Hildeshemensis Episcopus, de familia illustri harum regionum ortus, præfuit studiis Ottonis III. posteà semper carus Augusto juveni, & magnæ apud eum autoritatis. Lites cum Moguntinis Archiepiscopis, Willigiso & Aribone, exercuit de jure diœceseos in illustre Cœnobium Virginum Gandeshemense, cujus Abbatissæ tenent hodie Principum dignitatem. Trigesimo Episcopatus anno obiit, & tamen superstitem habuit, scriptoremque vitæ suæ, (quam hic damus) Tangmarum, quem habuerat rectorem studiorum: virum, ut apparet, non ineruditum, qui se scholarum primicerium, id est, Magistrum vocat; quod munus, ut in Hildeshemensi Ecclesia, ita & in aliis hodieque superest, proxima plerumque à Præposito & Decano dignatione: etsi solo Scholastici nomine superstite, scholis ipsis Basilicarum dudum sublatis. Doctrina tamen majorum decus nuper æquasse vidimus Illustrem Virum, ac nobis amicum Theodorum Christianum Plettenbergium, Ferdinandi Episcopi Germanorum doctissimi, ex sorore nepotem, in Historia patria immitatorem studii, hæredemque apparatus; sed quem adversa valetudo & tandem mors perficere non passa est, quæ cogitabat.

Plerique omnes Bernwardum familiæ Comitum Summerseburgiorum ascribunt, qui Palatinatum Saxoniæ aliquando tenuerunt. Fuisse in Saxonia non minus quam in Bavaria, & Austrasia, & Burgundia & Neustria, Palatinos Comites, satis constat. Et Henricus Dux Brunsvicensis, Alberti filius, Grubenhagiæ lineæ autor, sese aliquando Palatinum Comitem Saxoniæ scripsit, de cujus tituli sumti ratione alias dicam. Sommerseburgi arx hodie superest in edito colle, uno Germanico milliari ab Helmestadio distans. Bernwardum ex stirpe Comitum, quorum ibi sedes erat, fuisse dicit disertè cap. I. is, qui vitam ejus Saxonicè ante bina secula convertit, patremque facit Comitem Tidericum. Et in ipsa vita à Tangmaro scripta, qualis est à Browero edita, ejusque versione, quam dixi, refertur cap. 32. fratrem Præsulis Bernwardi Tammonem Comitem ad Regis (*Ottonis III.*) imperium,

de Som-

de Sommerschenburg paternum, munitum valde, castellum insedisse. *Sed vereor, ne glossema sit nomen castelli: nam nec bene cohærent verba, nec in* MSto Guelfebytano *nomen reperitur. Certum est, quod Tangmarus ait, avum Bernwardi maternum fuisse Adalberonem Palatinum Comitem Saxoniæ. Sed serius contigit, ut Sommerseburgius Comes Albertus Odam filiam Friderici Comitis Palatini duceret, & filius inde natus Fridericus Comitivam Palatii obtineret. Itaque metuo, ne posteriores Sommerseburgium fecerint Bernwardum, tantùm quia Palatini filia natum. Locus est suspicandi, Adalberonis Palatini (etsi utriusque sexûs liberos habuisse dicatur Tangmaro) tamen stirpem defecisse, & comitivam in Comites Wetinenses translatam, unde tandem ad Sommerseburgios pervenit. Bernwardus puer primum in Ecclesia Hildesiensi magistros audiit; deinde apud avunculum Folcmarum, Ultrajectinum Episcopum; tandem apud patrem Folcmari, avum suum, Adalberonem egit, cui senio & infirmitatibus laboranti sedulam & gratissimam operam dabat. Inde in palatium evocatus, studiisque juvenis Principis Ottonis III. præfectus est, & Hildesiensi Ecclesiæ tandem rector datus. Memorabile est, artis pictoriæ & cognatarum studio deditum fuisse; & cum majora abunde teneret, mechanicis sæpe delectatum. Tangmarus inter alias artes cum fabrili* clusoriam *nominat. Interpretes Saxo accipit de arte gemmarii, cujus est includere gemmas; videturque omne aurifabri artificium eo nomine, etsi arctiore comprehendi. Sanè fundendi artifex erat, & nunc quoque monstratur calix ex metallo, quod ajunt ignotæ esse compositionis. Sed & Chemica arte virum præcelluisse constans apud Hildesienses fama est: eaque commotus non ita pridem Maximilianus Henricus ex Ducibus Bavariæ, Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Princeps Elector, idemque Hildesiensis Episcopus, rei Chemicæ studio & cognitione laudandus, inquisivit diligenter in vestigia scientiæ Bernwardinæ, & nonnulla nactus fertur. Medicinæ peritiam disertè laudat Ditmarus (lib. 6. p. 392.) qui virum novit, & Waltberdo Magdeburgensi Archiepiscopo ægrotanti cum ipso affuit.*

Cæterum fundavit Bernwardus celebre S. Michaelis apud Hildesienses Monasterium sub regula S. Benedicti, egregieque dotavit.

XXXIV. Vita S. Godehardi Episcopi Hildenshemensis, ad S. viri familiarem scripta.

XXXV. Historia Canonisationis S. Godehardi & translationis ejus corporis.

G*odehardus ortu Bajoarius, Ostfaliam & Hildeshemensem Episcopatum illustravit. Itaque vitam ejus, jam inter Sidera Germaniæ à Browero editam, mox à Bollando & Mabillonio recensitam, Berwardi Antecessoris proximi vitæ meritò adjungimus. Ex parentibus mediocris fortunæ ortus, qui ad Altahensis Monasterii familiam pertinebant, ingenio & moribus meruit ut Friderico Salisburgensi Episcopo ab Epistolis esset. Sed aliquot post annis Monasterium patrium ingressus, eique deinde ab Henrico Duce, postea Imperatore, præfectus est. Mox etiam Tegernseense & Cremsense Monasterium regere jubetur: tandem defuncto Bernwardo Hildeshemensi Præsuli ab eodem Imperatore sufficitur. Ibi multa ipsi de jure diœcesano in Gandeshemense Cœnobium cum Aribone Moguntino Archiepiscopo controversia fuit, quam tandem inter utriusque prædecessores diu agitatam feliciter terminavit. Sæpe & Abbas & Episcopus in Aula Imperatoris egit, & maximis rebus admotus est. Obiit anno Chr. 1038. De die obitus controversia est, eaque de re nuper Illustris autor Johannes Mabillonius hæc scripsit in præfatione vitæ:* Sancti Godehardi obitum omnes ferè ad IV. Maji diem referunt, nonnulli ad sequentem: priorem sententiam, quæ posteriore certior videtur, prætulimus. *Sed in antiquo Ecclesiæ Hildeshemensis Necrologio hæc verba habentur:* quarto Nonas Maji translatio S. Godehardi confratris, tertio Nonas Maji natalis S. Godehardi. *Itaque qui in quartum Maji contulêre natalem, translationi confudêre.*

Vitam, quam hic damus, scripsit Wolferus cum ipso Godehardo familiariter conversatus. In Altahensi Monasterio se educatum profitetur, & Abbatem suum Athelbertum nominat. Anteriora quædam ad vitam Godehardi pertinentia didicit ex relatu Reginoldi cujusdam Senis presbyteri, quidam Codices Ratmundum habent, alii Rumoldum. Ea sanctitatis opinione vixit Godehardus, ut mox, ubi excesserat, miraculorum fama inclaresceret, & Bernardus, Episcopus ejusdem sedis, tandem in numerum Sanctorum ascribi eum curaret: quod factum est in Concilio Remensi, quod sub Innocentio II. Pontifice paulo post Leodiense habitum est. Idem Episcopus in Godehardi honorem Monasterium in Urbe Hildeshemensi struxit, in quo nunc quoque Benedictini ordinis cœnobitæ perseverant.

Ex Wolfero firmatur, quod aliunde satis compertum habemus, Gruonam castrum vel palatium, sæpe Imperatoribus frequentatum, non aliud esse, quam cujus vix hodie vestigia supersunt apud Gottingam, quæ Urbs in Electoris Brunsvicensis ditione sita, proprii Principatus olim caput habebatur.

bebatur. Nam ut cap. 4. legitur, juxta prædictum Castellum Gruona *erat* pagus Logingaha, *id est, Leingau, ad Loginam vel Leinam fluvium, non procul Gottinga, ut diplomata complura ostendunt. Dignus etiam notatu locus habetur c. 7. de planis, pia populorum credulitate abutentibus,* qui usitato more per sacra loca discurrentes se aut cæcos, aut debiles, aut elingues, vel certè obsessos temere simulant, & ante altaria vel sepulchra sanctorum se coram populo volutantes sanatos se illico proclamant, eo consilio, ut tantum majorem stipem vel quæstum à plebe percipiant. *Hoc cum fecisset anus quædam ad Godehardi sepulchrum, quæ se post volutationem ex cæca subito videntem proclamaverat; jamque cum Episcopo Clerus & populus convenisset, & ad gratias Deo agendas properaretur: forte affuêre quidam cives ipsius, quibus fraudes mulieris notæ erant. Itaque re detecta male à plebe mulctata fuisset, nisi Clerus* pro beati Pontificis veneratione *defensionem ejus suscepisset: sed tamen confusa discessit. Tales* Sterzeri *vocabantur de quibus ita apud Ducangium Reinerus lib. de Waldensibus:* item Hypocritarum, qui vulgariter Sterzer vocantur, qui fingunt sibi infirmitates & subitam sanitatem. *Infra:* falsæ peregrinæ, quæ vocantur Sterzer. *Hæc Ducangius. In Germania nunc quoque mendici vagabundi* Laudsterzer *appellantur.*

XXXVI. Vita Meinwerci Episcopi Paterbrunnensis.
XXXVII. Vita B. Heimeradi, Presbyteri & Confessoris autore Egberto.

MEinwercus Padebornensis Episcopus, ex stirpe Magni Ducis Witikindi, tribuque Immedingiorum genus duxit. Pater ejus Imadus, filius vel Imadi vel Meinwerci, qui ex Theoderico fratre Mathildis Reginæ, Henrico Aucupi nuptæ, nati erant, & anno 953. Ottonem M. in expeditionem contra filium & conjuratos secuti oppetiêre. Itaque Otto III. & Henricus S. Augusti & Meinwercus Episcopus abavum communem habuêre. Mater hujus Meinwerci Athela, filia Wigmanni fuit Comitis Teisterbandiæ, ex Wigmanno, Hermanni Saxonum Ducis fratre, orti. Sorores Episcopi Athela junior, Sanctimonialis tandemque Abbatissa Monasterii Eltenensis prope Embricam, quod avus maternus condiderat, & Emma (si Adamo Bremensi credimus) nupta Ludero Comiti, Bernardi Saxonum Ducis fratri: quæ in Bremensi Basilica sepulturam accepit, ob beneficia in Ecclesias & mores, apud Albertum Stadensem Cranzium laudata. Consobrinus Meinwerco, quantum apparet, Unwanus fuit, ab ipso educatus, & (Adami autoritate) ex eadem Immedingiorum stirpe ortus, tandemque Hammaburgensis vel Bremensis Archiepiscopus, propinqui Episcopi commendatione, apud Cæsares Henricum & Conradum æquè potentis. Nam cum Henrico sancto educatus fuit in Hildesheimensi schola, & mox apud eum inter Capellanos aulicos egit, ut tunc mos erat primariæ nobilitatis juvenum, cum apud Cæsares collatio Ecclesiasticorum munerum erat. Ab hoc ergo Padebornensem Episcopatum accepit, eumque partim ex patrimonio suo, partim impetratis Cæsarum beneficiis plurimum auxit. Et cum Henrico familiarissimus esset, paulo audaciùs cum illo agebat; & nunc lepidis techniis, nunc importuna instantia, religione velata, emungebat eum pretiosis rebus, aut prædia extorquebat, usque adeo, ut aliquando, cum impetrata vix tandem curte Ervete, dixisset Episcopus: Rex omnium Sanctorum retribuat tibi, *reponeret Imperator:* tu verò odium Dei omniumque Sanctorum ejus habeas, qui me bonis cum detrimento regni spolias. *Sed hæc tunc magna pars pietatis habebatur, Ecclesiis largiri; donec Episcopi in Principes potentes crevere, quorum plures summa mox ingratitudine in imperantes insurrexere: imperium autem prædiis nudatum, injuriis Pontificum, & Principum rebellionibus obnoxium, pene concidit.*

Vita Meinwerci, etsi seculo demum sequente scripta, multa tamen habet utilia ad res Episcopo contemporaneas, Cæsarumque & Principum acta cognoscenda, cum nec Synodos prætereat aliasque res Ecclesiarum. Hanc vitam Browerus ediderat: Sed pleniorem ex Manuscripto Codice dedit Adolphus Overham, ex ordine Benedictino Werthinensis & Helmstadiensis Monachus, Vir doctus, jam supra nominatus, qui etiam notas eruditas addidit, & autorem contra viri cujusdam egregii reprehensiones defendit. Cum Meinwercus Abdinghofense Monasterium ordinis ejusdem struxerit, quod intra Padebornensis urbis muros continetur, reperti ibi sunt antiqui versus in laudem Præsulis, ex quibus hos ascribere operæ pretium est:

Saxo natus erat, bene relligione cluebat,
Unus primorum consistens nobiliorum,
Pollens magnarum dominatu divitiarum.
Imadusque Comes pater ejus & Atyla mater,
Doctus divinis primævo tempore libris.
Fit Capellanus Henrici Regis amatus,

Padebornensem sub eodem tempore sedem
Suscipit invitus, magna Regis prece victus:
Attamen Ecclesiæ valde bene præfuit isti.

Cum multa & in Westfalia & in Ostfalia hereditario jure predia teneret, in Padebornensem Ecclesiam contulit. Ex his Immedeshusen, (ab Immado aliquo ex majoribus Episcopi structum,) nunc feudali lege à Padebornensi Episcopo tenet antiqua Steinbergensium gens; hujus genealogiam cura laudabili Friderici Steinbergii, Consiliarii Brunsvicensis intimi & Aulæ Guelfebytanæ Mareschalli Supremi, exemplo profuturam nobilitati Germanicæ, edidit Behrensius Medicus apud Hildeshemenses pereruditus, & in genealogia familiarum viciniæ egregie versatus. Sed & Plessense Castrum prope Gottingam Immedingiorum fuit, seu Witikindéæ stirpis & ad Padebornenses pervenisse per Meinwercum scribitur ab autore vitæ; unde Plessenses nobiles feudi lege tenuisse dicuntur: sed extincta eorum familia Wilhelmus Hassiæ Landgravius, absente Erico Juniore Duce Brunsvicensi, cum cœnobio Hokelem, Immedingiorum itidem antiquo patrimonio, sibi vindicavit. Immedingiorum tribum non ab Imado aliquo post Witikindum, ut nonnulli scribunt, sed potius ab antiquo aliquo nomen habere puto; ut erant tribus Amalorum & Balthorum apud Gothos, Agilolfingorum apud Bajoarios. Cum scilicet Saxones in has terras ex Transalbinis venirent, unum ex primariis Ducibus Imadum habuisse credibile est, cujus ex stirpe Witikindus Dux aliique gentis primores venére. Sabaudiæ Duces ad eandem stirpem genus referunt, quanquam præter frequens familiæ illi Amadæorum nomen, & antiquam opinionem nullum argumentum afferant. Duo etiam Monasteria Helmwardeshusen & Hilswardeshusen, ab Ekkehardo Comite circa annum Christi 1000. fundata, & ab Imperatore commendata Meinwerco nunc in jura Principum cessêre, illud Hassiorum, hoc Brunsvicensium. Et narrat Browerus in scholiis ad Meinwerci vitam ad C. 117. Ericum Juniorem Brunsvicensem Ducem ex Calenbergico ramo, cum se extincto imminentem religionis mutationem prævideret, statuam miraculosam B. Virginis, quæ Hildiswardeshusæ extabat, ad Forum Livii in Italiam transtulisse, ibique in domo societatis Jesu deposuisse; quasdam autem præstantes reliquias, & in illis caput Elisabetæ, matris Joannis Baptistæ, à filio Erici notho Fuldensi societatis collegio dono datas.

Heimeradi presbyteri vitam adjecimus, quod vitæ Meinwerci jungi soleret. Ambo Sancti habentur, non minus quam Cunigundis Imperatrix. Sed tamen hac Heimeradum, quod Meinwerco displicuisset, & ob vestium cultusque vilitatem vagabundi speciem præferret, verberibus affici jussit.

XXXVIII. Pontifices Romani gente Saxones.

Controversia agitabatur inter viros egregios, Wilhelmum Ernestum Tenzelium & Joannem Mollerum, de vera stirpe Suidgeri Episcopi Bambergensis, qui postea, Clementis II. nomine, Ecclesiæ Romanæ præfuit. Mollerus eum Holsatis vindicabat in libro erudito de scriptoribus Cimbricæ Chersonesi, secutus quosdam recentiores. Contra Tenzelius testimonio Chronici Brunsvicensis veteris, ab Anonymo scripti, Ostfalum & ex Halberstadensi diœcesi ortum contendebat. Mollerus autoritati Chronici, multa scriptoris paroramata opponebat. Sed compertum mihi demum est, Chronici autorem, quæ huc faciunt, ex antiquioribus bona fide descripsisse. Itaque locum ineditorum Annalium paulo prolixiorem hic edendum duxi, qui controversiam decidit, ostenditque, Clementem II. Papam ex Dynastis de Horneburg genus duxisse, qui olim in hac Saxonia nostra ipsisque Brunsvicensium finibus floruêre. Illorum unus, cum liberis careret, castrum & agrum Horneburgium Halberstadensi Ecclesiæ reliquit. Porro cum ex Bruno, qui Gregorius V. Saxonibus à quibusdam accenseatur, de hoc quoque paucula ex compilatore Hamerslebiensi & Amalrici Augerii de Biterris inedito, de Romanis Pontificibus opere addere libuit. Sanè Amalricus Saxonem vocat, & compilator natum vult in Melverode, *quod quale aut quàm verum sit, non dixerim. Fortasse hoc pertinet ad Brunonem Verdensem Episcopum, quem quidam eundem cum eo putant, qui sub nomine Gregorii V. factus est Papa. Chronicon Verdense, quod in alio Fasciculo edemus, Brunonem Episcopum scribit Ullensem, bodie Ulsen, (Luneburgici Ducatus opidum) hæreditario jure possedisse, ibique cœnobium struxisse; Papatum ejus ignorat. Papam autem Gregorium V. non alio jure Saxonem puto dici posse, quàm quod natus est ex Ottone Duce Francorum, cujus mater fuit Luitgardis, filia Ottonis Magni, Conrado Duci nupta. Gregorius V. Septem Viros Electores Imperii constituisse olim credebatur, quod nunc à doctis meritò exploditur.*

XXXIX. Guilielmi Appuli Historicum Poëma de rebus Normannorum in Sicilia, Appulia & Calabria gestis, neque ad mortem Roberti Guiscardi Ducis.

Azo potens Marchio, origine Estensis, ex Cuniza veterum Guelforum herede, pater Guelfi Ducis Bavariæ, qui stirpem in Germania propagavit, in Brunsvicensibus Principibus adhuc superstitem ex altera conjuge filios habuit Hugonem & Fulconem. Hugo filiam duxit Roberti Guiscardi, Normannorum Principis, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam tenebat, magnis rebus gestis clarus, regni utriusque Siciliæ fundator, cujus titulum filius Rogerius gessit. Nam Siciliæ citra Pharum (seu cismarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc Regnum Neapolitanum dicimus: Siciliam verò Insulam, Trinacriæ regnum appellabant. Id porro matrimonium, non minus quam liberorum Azonis & conjugum seriem, Atestini Historici ignorarunt. Quoniam autem Guilielmus Poëta contemporaneus nuptias Hugonis describit, hunc, alioqui paucis visum, nostris scriptoribus addere libuit. Gasp. Barthius, vir maximæ lectionis, & scriptorum latentium ruspator insignis, (in noctis ad Guil. Britonem p. 774.) ita de hoc autore loquitur: Extat Poëma Guilielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, sed in cognitionem meam non venit, non sine fastidio sinistræ fortunæ. *Exemplo, quod ab Ornatissimo Fellero, Doctissimi Lipsiensium Professoris filio, nunc Smi. Ducis Vinariensis Secretario mecum communicatum fuit, hæc inscripserat insignis vir Nicolaus Heinsius;* Hic liber est rarissimus & alias non editus, quo me donavit Emericus Bigotius V. Cl. *Certè oportet fugisse Quercetani diligentiam, qui Scriptores Normannicarum rerum justo volumine edens, folii, quod vocant, forma, hunc omisit: qui tamen jam prodierat hoc titulo:* Guilielmi Apuliensis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque Rothomagi apud Richardum Petit & Richardum Lollemant Anno 1582. 4to. pag. 52. *Editor se vocat Joannem Tiremæum Hautenoëum, fisci in provincia Rothomagensi patronum. Librum autem se reperisse ait in religiosa Beccobelvini cœnobii domo; & inscribit Ludovico Balliolo, Lonleii ac Syllei Cœnobiarchæ.*

Sed operæ pretium est argumentum operis paucis complecti, ut, quæ apud autorem dispersa, & dictione obscurata sunt, faciliùs intelligantur. LIBRO PRIMO *sub initium ait:* Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu venerit Italiam. *Hortatu Rogerii ipsiusque Papæ Urbani II. laborem hunc à se susceptum profitetur. Urbanus anno 1088. sedere cœpit, obiitque 1099. unde Poetæ nostri ætatem æstimes. Narrat, Normannos quosdam, cum ex voto S. Michaelis in Gargano monte ædem ingressi essent, illic Melum insignem virum, à Græcis Baro pulsum reperisse. Hunc suasisse ipsis, ut in Græcos impetum facerent, armaque suppeditasse. Vincitur Turnicius Græcorum Catapan, sed anno sequente successor ejus Basilius apud Aufidum flumen vicissim Melum vincit. Is sese ad Henricum Augustum confert, & auxilia obtinet, sed dum parantur, obit. Normanni destituti in Campaniam redeunt, nunc his nunc illis Longobardorum Principibus manus & arma locant. Tandem in urbe Aversa consident, Ranulphum inter ipsos clarum sibi Ducem præficiunt, qui Jordanem genuit, & hic Richardum. Ab Ardoino quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui à Docbiano Græcorum Duce injuria affectus fuerat. Tum bis sex de omni numero suo nobiliores eligunt, & quingentorum equitum septingentorum peditum numero instructi, Amalphim capiunt. Inde præda onusti, primorum suorum jussa spernunt, Adenulpho Beneventano Principi militant: Filium Basilii, qui olim Melum pepulerat, in prælio capiunt, Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes à Græcis desciscentes, sibi fœdere adjungunt. Tum ab Adenulfo ad Guaimarium Salerni Principem transeunt, qui in Aversa erant Normanni: reliqui Argyroum Meli filium Ducem creant, qui cum Maniaco Græcorum Duce certabat. Interea Constantinus Monomachus ad Imperium Græcorum pervenit. Is Argyroum cum suis in adversantem Maniacum stimulat. Auxilio venère & Aversani, & inter hos Ranulphi in regenda Aversa successor Rudolphus, filiusque Tancredi Guilielmus Ferrobrachius, cui frater fuit Guiscardus, postea Dux. In eo bello cecidit Maniacus.*

LIBRO SECUNDO. *Argyrous Barum tenens, etiam Hydruntum occupat: inde Normannos dimittit, & in Baro urbe à Guaimario obsidetur, ac postremo Constantinopolin redit. Normanni Guaimario Salernitano iterum operam locarant: inde pars Normannorum Comiti Petro, pars Drogoni adhærent, filio ejusdem Tancredi. Petrus bis consanguineus,*

Condidit hic Andrum, fabricavit & inde Coretum,
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.

Munisse puto, hoc noster ædificare appellat: Tandem Petrus ab Unfredo & Drogone in prælio capitur. Constantinopoli cum pecunia redit Argyrous; solicitat Normannos, ut Græcis in Turcas militent, quos

 autor

autor more Græcorum autorum Persas vocat. Sed cum Apulia excedere nollent, opprimere eos tentat, excito etiam Leone IX. Papa. Drogo tunc obierat & Guaimarius: Normanni rectore carebant. Drogoni tamen fratri superstes erat Unfredus, & Aversam in Comitis modum regebat Richardus Normannus; sed præ cæteris virtute eminebat Robertus Guiscardus, Guilielmi, Drogonis & Unfredi frater. Prælio cum Leone Papa commisso, Longobardi Germanos deserunt: Suevi magna virtute resistunt, sed tandem cæduntur: Papa Benevento à Civibus exclusus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, Unfredus Roberto fratri Calabriam concedit, sed mox defunctus eidem & Apuliæ obtinendæ occasionem præbet Nicolaus II. Papa, Synodo apud Amalphitanos habita, Robertum Ducem creat, & oblatas Romanæ Ecclesiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque Poeta de Roberto

Unde sibi Calaber concessus & Appulus omnis
Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam & Calabriam inde ab Ottonibus sibi Imperatores occidentis vindicabant, & quod Otto II. cœperat, prosecutus erat Henricus II. captisque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno & aliis locis, etiam Normannis, quod fortiter militassent, agros dederat. Itaque Henricus IV. & alii Imperatores, vel à Papa vel à Normannis, imperio aliquid detrahi posse negabant, quæ omnia noster dissimulavit. Robertus interim priore conjuge consanguinitatis titulo repudiata (ex qua Boamundum susceperat) Sichelgatam, Guaimarii Salernitani Principis filiam, Gisulfi successoris sororem, ducit, ex qua tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris Unfredi filium Abaëlardum, & alios rebelles vincit.

LIB. III. *narratur, quomodo Barum Græcis, navali prælio victis, tertio demum anno extorserit Robertus. Bellum deinde per Rogerium fratrem in Saracenos Siciliæ parat: mox ipse Panormum obtinet. Inde Petri Comitis filium Petrum Trano exuit, Gisulfum conjugis fratrem capit: ita Salerno & Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorum concursu florebat, & crebris navigationibus exterorum adibatur:*

Hic Arabes, Indi, Siculi, noscuntur & Afri.

Hic pyxidem nauticam *repertam ajunt, de quo tamen nihil noster. Inde rebus ordinatis Trojam redit.*

Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advénit Lambardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo vocatus erat, secum deduxit Hugonem
Illustrem natum, Ducis huic ut filia detur.

Hac re fusiùs exposita narratur deinde, quomodo Dux cognatos aliosque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum ademta, parte reddita.

LIBRO QVARTO *refertur, Michaelem, qui Parapinaceus dicebatur, Constantini Ducæ filium, Imperio dejectum.*

Socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur; *Roberti filia* mœret
Deponi socium, miser exulat ille coactus.

Nempe Michael Imperator filio Constantino desponderat filiam Roberti Helenam, ut ejus auxilio Turcis resisteret; ut habet Curopalates. Poeta autem noster mox de aliis, quos Robertus generos habuit. Inter quos

Partibus Hesperiæ [Iberiæ] quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptum datur: altera nupsit
Egregio Comiti, Francorum stemmate claro.
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti.

Hunc Ebalum Comitem de Rocejo fuisse comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut à Pontifice Dux expeditionis in Saracenos Hispaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus Hugo Estensis *Azonis filius, Guelfi frater innexus fuit. Paulo post Robertus cum Gregorio VII. conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando sancit. Credebatur id secretis eum consiliis agitasse cum Papa, ut ademtam Henrico Romani Imperii coronam acciperet. Interim Robertus transfretat in Græciam, ut generi filiæque injuriam vindicet. Sed intellecto Gregorii periculo, quem Henricus & Guibertus oppositus Papa urgebant, in Italiam redit: florentissimo exercitu sex equitum, triginta peditum millibus Romam*

mum ductis, Gregorium in Hadriani mole obsessum liberat, atque ita eodem anno orientis pariter occidentisque Imperatorem vincit.

LIBRO QVINTO *(qui ultimus) postrema Roberti non redituri expeditio in Graciam describitur. Comitatus Rogerio filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit: in expeditione obit. Interim & Gregorius Salerni in exilio moritur. Reduces naufragium patiuntur Robertus Venusina in urbe apud fratres tumulatur.*

XL. Vita Mathildis Celeberrimæ Principis Italiæ, carmine scripta à Donnizone Presbytero.

XLI. Vita Mathildis Comitissæ, oratione soluta comprehensa.

Mathildis, filia Bonifacii Ducis & Marchionis Thusciæ, & Beatricis, Friderico Lotharingiæ Mosellanicæ Duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre Pontifici Romano Gregorio VII. contra Imperatorem Henricum IV. favit. Et quoniam Guelfus *noster, Azonis filius Bavariæ Dux, ab Imperatore recesserat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito Guelfo nupsit; à quo tamen postremo rursus divertit. In Tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex scripta erat, ut si superstes maritus esset, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite postea Guelfi Ducis posteri, Henricus & Guelfus, sub Lothario Saxone Augusto vendicavere sibi, & autoritate Cæsaris crevère hæreditatem, quam antea Henricus V. Lotharii antecessor sibi usurpârat. Guelfus, qui se Ducem Spoleti ac Tusciæ, ac Dominum domus Mathildis appellabat in diplomatibus, has Regiones in senectutem usque tenuit, & tandem neglecto Henrico Leone fratris filio, Imperatori Friderico I. ejus hosti, accepta pecunia, cessit, qui Philippo filio, Duci Sueviæ, postea Regi Romanorum dedit. Hoc occiso, cum Pontifex Innocentius III. Ottonem IV. coronasset, terras Mathildis ex ejus testamento Romanæ Ecclesiæ vindicabat, Otto & Imperii & majorum jura opponebat, negabatque Mathildem testamento suo auferre his quicquam potuisse. Inde Pontificem hostem magno suo malo sensit: qui æmulum ipsi opposuit Fridericum II. Neapolis & Siciliæ Regem, Henrici VI. Imperatoris filium adolescentem. Ex eo Mathildis hæreditas pro bona parte in Romanæ Ecclesiæ potestate fuit.*

Ipsa magnis in Ecclesias largitionibus non minus, quam rebus viriliter gestis famam & scriptores promeruit. Domnizo vel Donnizo ejus Capellanus, arcis Canusinæ Ecclesiastes, vitam adhuc viventis carmine scripsit, quale tempora ferebant, & constituerat dicare Principi suæ. Itaque in antiquo Vaticano Codice pinguntur, ipse habitu offerentis, Mathilda in throno specie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta Princeps. Ex recentioribus vitam ejus scripsit Dominicus Mellinus; mox curatiùs quædam notavit Felix Contelorius, Romæ sub Urbano Octavo scriniis præfectus. Sed omnium diligentiam & studium vicit vir egregius Franciscus Maria Florentinus, apud Lucenses medicus, qui patriæ suæ asserens hujus Principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum autorumque temporibus vicinorum. Hunc secutus non spernendus ingenio & eloquentia, sed inferior Historicæ narrationis firmitate Julius de Puteo. Novissimè vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina familia, Benedictus Bacchinus, in libro de celeberrimo Monasterio Sancti Benedicti ad Padolironem, quod à majoribus Mathildis fundatum, ab ipsa ditatum est, res Mathildis novis auxiliis ex Tabulis illustravit. Cùm in eo Monasterio ipsa sepulta fuisset, multis post seculis corpus Urbani VIII. jussu clam sublatum, Romamque translatum est, ubi insigne tumuli monumentum in Basilica Vaticana accepit; Duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

Porro Domnizonis presbyteri vitam Mathildæ ex Apographo Roma misso primus edidit Sebastianus Tegnagelius Bibliothecarius Cæsareus, vel qui succenturiatam huic in ea re operam navavit Jacobus Gretserus Ingolstadii 1612. in opere, quod inscriptum est: vetera monumenta contra Schismaticos, jam olim pro Gregorio VII. aliisque nonnullis Pontificibus Romanis conscripta; *quod Goldasto potissimum oppositum erat. Sed cum postea Romæ inquisiissem, deprehendi Apographum illud sumtum ex recentiore codice, non ex antiquissimo, qui tunc nondum erat in Vaticana, sed Cardinalis Sirleti Bibliotheca. Hunc ergo contuli cum edito, ejusque ope multa restitui. Nova etiam collatione me nuper juvit V. Cl. Laurentius de Zaccagnis, Bibliothecæ Vaticanæ Custos primus. Nonnulla ex rebus ipsis emendavi, ut jam vix amplius quicquam in semibarbaro & impeditissimo scriptore fugiat legentem, cum antea multa nullum sensum haberent. Figuras ex eodem codice à pictore ad normam prototypi reddi curavi, sed hic non adjeci; quæ alio loco non intempestivè exhibebuntur. Notulas subinde aspersi sensus declarandi causa. Adjeci & Cartulam Comitissæ Mathildis super concessione bonorum suorum, facta Romanæ Ecclesiæ, quæ in eodem codice ascripta reperitur; neque scio, an ejus authenticum exemplar alibi habeatur. Notandum autem est, ea tantum donasse Mathildem, quæ* jure

pro-

proprietario *seu allodii possidebat: Itaque Ducatus Spoleti, aut Thusciæ Marchia, & quæ alia beneficio Cæsarum feudali majores ejus habuerant, comprehendi donatione non potuisse. Cæterum, ut, quod Guilielmo Apulo dedimus, etiam Donnizoni præstaremus, id est, ut argumentum operis exhiberemus, eo minus opus fuit, quòd vicem ejus præstabit subjecta eidem* vita Mathildis prosa scripta *ab autore anonymo, non recentissimo tamen; quem, à Francisco Maria Florentino aliquoties ex Manuscripto laudatum, suppeditavit nobis filius ejus Maria Florentinus, vir doctissimus & officiosissimus paternarumque laudum hæres; nam hæc vita ferè ex Donnizone desumta est.*

XLII. De S. Autore & Translatione Reliquiarum ejus in Regionem Brunsvicensem.

Magna olim Autoris Episcopi Trevirensis apud Brunsvicenses *veneratio fuit, & nunc quoque in his regionibus multi hoc nomen in Baptismate accipiunt. Cujus rei causa est, quod reliquias ejus Treviris attulisset Gertrudis filia Ecberti Marchionis, soror Ecberti Anticæsaris,* Brunsvici *Domina; vidua Henrici Comitis de Nordheim, Ottone Duce nati; mater Rixæ Imperatricis, Lothario Saxoni nupta; avia Gertrudis, quæ Henrico ex Guelfis Duci Bajoariorum, dotales Brunsvicenses terras attulit, & Henricum Leonem peperit. Hujus translationis narrationem veterem in Codice Bibliothecæ Juliæ repertam damus. Ita scilicet tunc res erat, ut nullus major ornatus in Ecclesias conferri posse crederetur, quam quem reliquiæ sanctis ascriptæ dabant. Mox enim miraculorum fama nascebatur, quæ & autoritatem & fructum multiplicem afferebat. Cæterum habentur hîc aliqua de Gertrude* Brunsvicensium *Principe, quæ alibi non leguntur: eoque magis conservandum hoc fragmentum fuit.*

XLIII. Reinhardi Reinehusensis Abbatis opusculum de familia Reinhardi Episcopi Halberstadensis.

Monasterium Reinhusanum non procul Gottinga, cum sorore Mathilde condidère tres fratres Comites, Conradus Henricus & Hermannus, filii Ellonis Comitis, qui Reynehusen & Lichen (hodie Gleichen) proprietatis jure tenebat. Quartus eorum frater Udo fuit, Hildeshemensis Episcopus. Hos quidam Comites de Asle, vel certè ex eadem stirpe fuisse putant. Lichen *seu Gleichen olim duo erant Castra, sic dicta ab æqualitate, quorum rudera ex duorum parium montium verticibus latè spectantur. Antiquum* Gleichen *hodie Brunsvicensis Elector, novum Hassiæ Landgravius tenet. Mathildis autem nupsit principi Bavaro, eique peperit Hermannum Seniorem dictum de Winzenburch, qui castrum hoc nomine condidit in his oris. Hermannus curam Reinehusani Monasterii gessit, sed in Bavariam profectus non rediit. Duo ei filii, Henricus & Hermannus, successère: prior immatura & misera morte defunctus, apud nos (inquit autor) sepultus est: alter ut notum est, occisus parum prodesse loco potuit. Hæc Abbas iste paucissimis de Hermanno Comite de Winzenburch, viro potente & in historia nostra noto. Is cum Conrado & Gibellinæ familiæ adhæreret, à Lothario Saxone Augusto obsessus & captus est. Sed mox Conrado regnante potentiam recepit auxitque. Ipse jam Herimannus senior, credo, quod provinciam integram regeret,* Comes patriæ *dictus est in monumentis, qualem postea Landgravium dixère. Junior cum militaris viri uxorem violasset, ab hoc in lecto suo cum uxore gravida, occisus fertur. Hildesiensis Episcopus Bernardus castrum ejus sibi vendicavit, quod nunc quoque successores tenent. Nugantur, spectrum familiare subitò indicium cædis Episcopo fecisse, ne præveniretur. Familiam & originem potentissimi Comitis, aliis dissimulatam vel ignoratam, unus hic autor nobis servavit, & hoc beneficium benefactoribus reddidit.*

Quod Reinhardum Halberstadensem Episcopum *attinet, discimus ex hac nostra scriptura (quod cum præfationem in Alberici Chronica scriberem, non animadverteram) filium fuisse Popponis Comitis de Blankenburg: quam gentem ex Thuringia (ubi hujus nominis castrum) in has oras venisse comperi. Fratres Episcopus habuit Conradum & Sigefridum: ex alterutro natum alium Popponem docet noster. Ex eadem familia creditur ortus* Hugo de S. Victore, *vir magnæ doctrinæ & famæ, quem Saxonem plerique scribunt. Educatum se aliquandiu in Hamerslebiensi Monasterio, quod Reinhardus struxerat, testatur ipse. Sed ea de re pluribus dixi in præfatione jam citata. Discimus etiam ex hoc opusculo genus* Udonis Hildeshemensis *Episcopi, nempe, Ellonis Comitis supra dicti filium, & trium Comitum fratrem fuisse. Alveslebiis vulgò ascribitur, nec abhorret, ab Ellone aliquo hujus gentis, Alleslebium structum: unde nomen ramo. Udo autem fortasse jus suum hæreditarium omne in Ecclesiam Hildeshemensem transferens, successori prætextum dedit, ut Mathildis, quæ Udonis soror fuerat, portionem hæreditariam, occiso ejus nepote, tanquam vivo adhuc Udoni, & ex ejus persona Ecclesiæ vindicaret.*

Reinhardus Abbas autor hujus scripti (quemadmodum Archivarius noster harum rerum peritissimus, Johan. Henricus Hofmannus annotavit) fuerat Monachus Helmwardishusensis Benedictini Ordinis.

Ordinis. Doctrinæ expers non fuit, & exscribendis aliorum operibus librarium elegantem se exhibuit: quod ipse insinuat, & hujus etiam opusculi Autographum ostendit. A suis pro sancto habitus est, miraculis etiam attributis: velut quod dæmonem precibus fugaverit, quod Monachum sibi insidiantem excæcaverit, quod Angelicæ voces precanti dixerint Amen, quemadmodum habent rudes admodum versus, quos vidi. Epitaphium tale legitur:

ANNO DOMINI M. C. I. VI. NON. MAJI OBIIT VENERABILIS REINHARDUS PRIMUS ABBAS HUJUS COENOBII. QUI QUIESCIT HIC ET CLARUIT MIRACULIS IN VITA ET POST MORTEM.

XLIV. Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum Quintum res præclarè gestæ.

Hoc qualecunque fragmentum Historiæ adjicere placuit ob brevitatem, & quia nonnulla subinde utilia insperguntur. Debetur Cl. Madero.

XLV. Annales Hildeneshemenses ab anno Incarnationis Domini 714. ad annum usque 1138.

Hos annales ex Codice Membranaceo Manuscripto Bibliothecæ Regis Christianissimi edidit Franciscus Duchesnius sive Quercetanus inter scriptores Francorum tomo III. Initia enim Francis orientalibus & occidentalibus communia sunt: posteriora in rebus Germanicis occupantur, quantum ex ipsis locis conjectare licet. Cœptum est opus in Monasterio Lauresbamensi (vid. ann. 767.) continuatum in Fuldensi (vid. post 800.) sed pro maxima parte in Eccesia Hildeshemensi absolutum. Itaque cum annis 985. 990. Osdagus & Gerdagus Episcopi simpliciter ordinati dicuntur, intelliguntur Hildeshemenses. Et ad ann. 1038. Godehardus vocatur noster Episcopus. *Cum ergo res nostras vicinasque inprimis illustret, ex loco propemodum alieno huc transtulimus.*

XLVI. Chronicon Episcoporum Hildeshemensium.

XLVII. Excerpta ex Necrologio Hildeshemensis Ecclesiæ veteri.

XLIIX. Indiculi confraternitatum & Episcoporum Hildeneshemensis Ecclesiæ.

XLIX. Nomina Archiepiscoporum & Episcoporum, qui primum in Hildeshemensi Ecclesia cathedrali Canonici fuerunt.

L. Excerpta paucula ex libro donationum Eccl. Hildeshemensi factarum.

LI. Fragmentum de reliquiis quibusdam Ecclesiæ Cathedralis Hildeshemensis.

LII. Catalogus Episcoporum Hildenesheimensium, sumtus de Chronico Eggehardi Vragiensis Abbatis ad Egbertum Corbejensem Abbatem.

Chronica, quæ hic damus, esse ipsissima illa Eggehardi Vragiensis Abbatis comperimus, conferendo cum Excerptis ex Eggehardi Chronicis ad Ecbertum, quæ reperit ediditque Browerus, & nos hic subjecimus no. LII. Nam verba excerptorum omnia, mutatis pauculis, hic occurrunt. Finiunt antiqua Chronica in Herimanni Episcopi morte, nec ultra Adelogi initia progrediuntur; sive eo usque vivendo pervenerit, sive, quod malim, paulo ante desierit: Eggehardus primus fuit Abbas Monasterii Uragiensis, ab Ottone Episcopo Babebergensi fundati, qui anno 1136. obiit. Et sanè à Bernardo usque ad Adelogum, in eodem codice minio scripti sunt Episcopi in indice; credo, quod ei contemporanei essent, qui Eggehardi opus transcripsit & supplevit. Porro etiam Broweriana excerpta non ex solo Eggehardo, sed etiam ex continuationibus sumta sunt. Hoc Chronicon ob antiquitatem autoritatemque in illis antiquis (nam continuationibus minor fides) edi utique dignissimum fuit. Et ex eo emendari possunt augerique varii recentiorum labores hujus argumenti. Nam & Buntingius Chronicon breve Hildesiense dedit, & aliud recentis Scriptoris cum notis edidit Cl. Paulinus; prolixius etiam Germanico sermone scripsit Leznerus, sed quod nondum prodiit. Interim in his, quæ ad Ecclesiæ jura controversa attinent, fidi scriptoribus domesticis non potest, *nisi cum probationes afferunt. Quædam cum vetere extinctaque mox linea Luneburgica in præjudicium cæterarum linearum pacta memorantur, quæ si maximè vera ponerentur, agnati successores jure meritò non agnovère.*

Magna est ad Historiam utilitas Necrologiorum *in primariis Ecclesiis, seu fastorum propriorum, in quibus per singulos anni dies non communes tantum Sancti, sed & proprii loci, & praeterea benefactores notantur, quorum in precibus publicis fiebat commemoratio. Solent autem Sanctorum natales, ut vocant, emortualesque caeterorum notari: Unde discitur, quo mense dieque anni obierint.* Hildeshemense, *quod hîc damus, in eo genere egregium est. Habet enim dies obitus Imperatorum, Imperatricum, Episcoporum, Ducum, Principum, Comitum utriusque sexus. Subjicitur indiculus Ecclesiarum, cum quibus Ecclesia Hildeshemensis habebat confraternitatem, ut altera alterius orationibus frueretur. Sequitur deinde egregius* index eorum, qui ex Canonicis majoris Ecclesiæ Hildeshemensis facti sunt Archiepiscopi & Episcopi. *Nam cum priscis temporibus saepe Imperatores Hildesiam diverterent, inprimis, qui Saxones erant, aut qui ex Francis aulam habebant Goslariae; nonnulli etiam in schola Hildeshemensi literis imbuti essent; hinc factum est, ut multi Hildesienses Canonici essent Cappellani Regii, aut alias in aula notissimi. Unde crebro ad dignitates Ecclesiasticas eminentes attollebantur, quando adhuc apud Imperatores nominandi jus erat. Sed qui hîc nominantur, seculum XII. non excedunt.*

Ex libro donationum *quaedam* Excerpta *subjecimus, praesertim cum ibi memorentur donaria aliqua Mathildis, quae filia Henrici II. Regis Angliae, uxor* Henrici Leonis *fuit. Sed nec* indiculum reliquiarum *omittere placuit.*

LIII. Versus antiqui de Venerabili Vicelino Episcopo Aldenburgensi.

LIV. Compendium Vitæ & Translationis Venerabilis Vicelini Episcopi.

HEnricus Leo Saxoniae Bavariaeque Ducatum obtinens, cum potentia opibusque floreret, animum ad Slavos, Albi & Balthico mari intersitos, sed maximè Wagrios, Polabos & Obotritos Christo subjugandos, adjecit. Wagrii circa Lubecam habitabant, Polabi Lauenburgicum tractum obtinebant, Mechleburgicum Obotriti. Neque satis in Gentis Slavicae interiora penetraverat nostra religio, & qui conversi ad meliora habebantur, vacillabant plerumque & veteres superstitiones in oculto fovebant. Optimum remedium visum est, ut Episcopatus in illis tractibus conderentur, aut potius conditi olim & intermissi restaurarentur. Tres igitur Dux fundavit, Aldenburgensem (qui hodie Lubecensis dicitur) Swerinensem ac Raceburgensem, Aldeburgensi Wicelinum praefecit, de quo hîc agimus. Wicelinus ex Hamela, Brunsvicensis *juris opido oriundus, (Helmoldus villam publicam* Quernhamele *vocat) parentibus non infimae sortis (cum Adalbertum, majoris Ecclesiae Bremensis praepositum, consanguineum habuerit teste Helmoldo lib. 1. c. 45. vel 46.) ingenio & virtute altiùs surrexit. Apud Canonicos patriae urbis (quorum nunc quoque superest collegium) literarum rudimentis imbutus: inde apud Comites de Everstein versatus, mox sub nobili quodam Magistro Hartmanno Padebornae in studiis profecit. Ludolphi avunculi Sacerdotis exemplo ad virtutem animatus est: inde Bremae scholas rexit. Tum Parisios profectus est, ut ad fastigium doctrinae ascenderet. Reversus à Norberto Magdeburgensium Archiepiscopo (ordinis Praemonstratensis autore) ad Sacerdotii gradum promotus est, & recusato Bremensi Canonicatu, animum ad apostolicos labores adjecit. Itaque missa Hammaburgensis Archiepiscopi Henricum Slavorum Regulum, Christianum & Christiani cultus sui autorem, Lubecae commorantem, adiit. Hoc doctissimus Bangertus notis ad Helmoldum lib. 1. c. 41. [42.] factum putat anno 1125. quoniam Helmoldus ibi ait, hoc factum, quo tempore Lotharius ad culmen Imperatoriae majestatis pervenit. Sed hoc pro stylo veterum de corona Imperii Romae sumta accipi debet. Wicelinus autem, teste Helmoldo, presbyter à Norberto ordinatus fuerat, qui sub initia Regni Lotharii primùm obtinuit Episcopatum. Wicelinus deinde apud Falderam in confinio Nordalbingorum, (id est, Holsatorum) & Slavorum (Wagriorum) Ecclesiam regendam accepit, ibique coenobium sub Regula S. Augustini instituit, quod novi Monasterii (Nigen-Münster) nomen retinuit. Deinde cum Lotharius jam Imperator Bardevicum, atque inde in Nordalbingiam venisset anno 1137. suasu Wicelini Castrum in Segeberg strui jussit, ut Slavos meliùs in officio contineret. Hanc Imperatoris expeditionem Helmoldus & diplomata firmant, Historici plerique ignorant. Multo post tempore, cum Henricus Leo jam adultus rerum per Saxoniam potiretur, Wicelinum (increpitum prius, quod se inscio Episcopalem ordinationem ab Hartwico Bremensi Archiepiscopo recepisset, coëgit à se suscipere investituram per virgam, quod solius Imperatoriae Majestatis proprium habebatur (Helmold lib. 1. c. 69. [70.] & seq.) Henricus Dux, ut jus suum autoritate Caesarea firmaret, à Consobrino suo Friderico I. Literis aurea bulla signatis, potestatem constituendorum ordinandorumque in Slavia Episcopatuum obtinuit vel firmavit. Wicelinus obiit anno Chr. 1154. Ejus vitam aliquis carmine complexus est, quod post Erpoldum Lindebrogium hîc damus, adjecto breviculo vitae Wicelini compendio, quod nuper dedit Cl. Struvius.*

LV.

LV. Chronicon Weingartensis Monachi de Guelfis Principibus.
LVI. Chronicon ejusdem Weingartensis Monachi à Christo nato usque ad annum 1197.
LVII. Arbor Genealogica præfixa antiquo Membranaceo MSto. Historiæ de Gvelfis Principibus.
LVIII. Ladislai Gundheimii, ex oppido Ravenspurg, Canonici Viennensis Familia Welphorum.

Ex Saxonia nobis in superiorem Germaniam proficiscendum est, Guelforum Principum causa, ex quibus Brunsvicenses sunt orti; ditionesque eorum aliquamdiu tenuere. Guelfi antiqui, sive ex Alamannis, ut veteres scribunt, sive ex Agilolfingis, vetustis Bajoariorum Rectoribus, ut quibusdam viris doctis placet; olim in Suevia & Bavaria hæreditarias nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere, quæ tunc insignis prærogativa habebatur: usque adeò, ut quidam ex illis Ethico indignaretur Henrico filio, quod insignem terrarum tractum sub homagii conditione Imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comitesque (quod feudale erat) non appellarentur; qui tamen domum suam aliquando Regio more per ministeria Comitum vel his æqualium regebant, ut de Guelfis habet scriptor, quem damus. Ex his unus Guelfo, quem Historici magis honoris ergo quam muneris Comitem vel Ducem vocant, filiam Judithам Ludovico Augusto, Caroli M. filio, in matrimonium dedit. Vir celeberrimus Joh. Jacobus Chifletius ex Augustæ fratre Hugonem Capetum Regem, totamque Regum Galliæ, tertiæ stirpis, prosapiam deduxit: Et sunt nunc quoque viri docti, qui sententiam ejus non spernendam censent. Novissimus ex antiquis Guelfis Germaniæ, Guelfus Dux Carinthiæ, cum in castro suo Potamo (ad Potamicum scilicet lacum) obiisset, successit in hæreditarias per Sueviam & Bavariam terras Cunigunda vel Cuniza, nupta Azoni potenti Marchioni Italorum ex Atestina Gente, filiumque Guelfum in Germaniam misit, qui non tantum ditiones avitas obtinuit, sed etiam ad Ducatum Bavariæ pervênit. Ejus filius primogenitus famigeratissimam Mathildem, Italiæ Principem duxit, sed sine liberis decessit. Frater Henricus, cognomine Niger, Ducatum Bavariæ paternum tenuit, & filiam Magni, Ducis Saxoniæ de sua stirpe postremi, duxit. Unde nati ipsi Henricus & Guelfus. Henricus Magnanimus amicis dictus, hostibus Superbus, ducta filia Lotharii Imperatoris, Saxoniæ Ducatum terrasque Brunsvicenses obtinuit. Eo ex Matrimonio natus Henricus Leo, Dux Bavariæ & Saxoniæ: tandem, conspiratione Friderici I. Cæsaris & Principum oppressus, ægrè nec integras retinuit Brunsuicenses ditiones. Ejus filius Otto IV. Imperator, ultus patrem, imperium Philippo Friderici I. filio extorsit: sed vicissim nepoti ejusdem Friderici Friderico II. succubuit. Guelfus, alter Henrici Nigri filius, Svevicas antiquorum Guelforum, & Italicas Mathildis tenuit terras; sed Henrico Leoni fratris filio parum æquus, pecunia accepta, Philippo Suevo Gibellino (postea Cæsari) suæ domus æmulo, eas vendidit admodum senex. Guelficæ terræ in Suevia prope Potamicum lacum sitæ, ubi bodie Ravensburgum est, extincta in Conradino Gibellina Suevorum Cæsarum gente, tandem Austriacis, per Rodulfum Habsburgium regnantibus, cessere, à quibus etiam nunc tenentur.

Non pauca in Suevia & Bavaria sunt fundata ditataque Monasteria à Guelfis: sed in his eminet Monasterium Vinearum, vulgò Wingartense, quod hoc benefactoribus rependit, ut antiquas eorum res memoriæ posterorum traderet. Chronicon ergo Monachi Wingartensis; à Canisio primum editum, hic renovamus, collatum cum Augustano codice, qui est in Monasterio S. Udalrici & Afræ. Memini olim, cum ad Historiam Guelficam animum applicare cœpissem, Carolum Ducangium, Christophorum Justellum aliosque viros doctos in Gallia, cum quibus mihi literarum commercium erat, dubitare, an verum esset, quod vulgò dudum ferebatur, Brunsvicenses ortos esse ex Atestina gente. Equidem disertè in Monacho Wingartensi apud Canisium ita legebatur cap. 6. hic (*Gwelf*) genuit filiam Cunitiam (*Cunizam*) nomine, quam Azo ditissimus Marchio Estensis Italiæ, cum curte Elisina dotatam, in uxorem duxit. *Sed cum codicem Augustanum inspexissem (ex quo Chronicon hoc ediderat & Canisius) comperi, quod ex connexione ipsa verborum jam suspicatus eram, vocem,* Estensis, *esse glossema, alia manu ascriptum. Rem tamen ipsam in Italiam profectus, certis illic argumentis asserui didicique etiam, quibus legibus Azonis posteri, in Germania Duces, cum Marchionibus Italis ex eodem stipite prognatis, de ditionibus communis parentis transegerint, aliaque nostris Atestinisque scriptoribus ignorata.* Arborem Genealogicam, *quam subjecimus, ex Codice membranaceo Monasterii Vinearum descripsit & ad nos misit Nobilissimus & Amplissimus Pregizerus, Consiliarius Wartenbergicus, cui multum speramus debituram Sueviæ & omnis Germaniæ Historiam. Ladislai Sundhemii, Canonici apud Viennam Austriæ, ex Ravensburgio, patrimoniali Guelforum opido, oriundi, de Guelfis commentatiunculam hic adjectam, ex Bibliotheca Cæsarea nacti sumus.*

LIX. Othonis Morenæ & Acerbi, Othonis F. Rerum Laudensium, tempore Federici Ænobarbi Cæsaris Historia.

Ex Bavaria & Suevia in Italiam transimus, damusque Othonem & Acerbum Morenas, patrem & filium, Germaniæ diu ignotos, à quibus expeditio Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses luculenter narratur; nec tantum Henrici Leonis, *qui non exiguam copiarum partem adduxerat, crebra mentio fit, sed etiam vultus ejus & statura describitur, & ut verbo dicam, icon exhibetur, non minus quàm* Gwelfi *patrui ejus, & ipsius Imperatoris aliarumque primariorum virorum, qui affuère. Ita Italo debemus scriptori, quod nemo nostrorum annotavit. Hunc Felix Osius, Professor Patavinus ediderat, & notis illustrare cœperat: sed morte viri docti notæ imperfectæ mansère, quanquam ferè magis ad verba quàm res pertineant.*

LX. Chronicon Stederburgense, cui inserta Gerhardi Præpositi de Henrici Leonis postremis rebus gestis, beatoque ex hac vita excessu historia narratio.

Hoc Chronicon sed imperfectum ediderat Meibomius: ipsum verò Codicem authenticum non viderat. Eum nos olim ex Archivo Guelfebytano nacti, quæ deerant, supplevimus, integrumque libellum damus.

LXI. Excerpta ex narratione de Godescalco.

Cum Henricus Leo, ex Anglia reversus, recuperare Wagriam & vicina loca conaretur, inter cæteros ad castrensia opera excitus rusticus, nomine Godescalcus, miris, quas narrabat, visionibus pro ostento fuit. Eas magni fecit parochus ad novum Monasterium *(quod à Wicelino structum paulo ante diximus) & posteris somnia hominis probi, sed animi morbo laborantis, conservavit. Codex in Bibliotheca Julia extat, unde excerpta damus, quæ conferunt ad res illorum temporum meliùs intelligendas.*

LXII. Excerpta ex Rogerio Hovedeno de rebus gestis Henrici Leonis Saxoniæ Ducis, & filii ejus Ottonis IV. Imperatoris.

Cum multa & luculenta sint, quæ scriptor iste habet in rem nostram, de rebus inprimis Henrici Leonis, quæ nostrates fugerunt; sitque semel tantum editus, paucisque extra Angliam lectus, Excerpta inde desumta adjicere è re visum est.

LXIII. Gervasii Tilberiensis, Arelatensis Regni Mareschalci, Otia Imperialia ad Ottonem IV. Imperatorem.

Gervasius Tilberiensis, vir illustris, & studiis (pro captu temporum) & militia clarus, ad Ottonem IV. Imperatorem, Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, Ottonis, primi Ducis Brunsvicensis, patruum, librum misit, quem Otia Imperialia inscripsit, in jucunda ejus lectione Imperator curas distingueret. Hunc librum passim citarunt autores de Manuscripto. Ex antiquioribus Thedericus de Niem Episcopus Verdensis nominatus, libro 2. de schismate c. 19. librum composuisse Gervasium ait, qui vocetur Otia Imperatoris. Et Autor Speculi exemplorum (quem, cum aliquot sequentibus, viro quondam eruditione eximio Jacobo Thomasio, in literis ad Cl. Maderum datis, notatos debemus) distinct. IX. exempl. 42. refert, *inquit,* M. Gervasius in libro de mirabilibus terrarum & Imperialibus solatiis *&c. ubi Historiolam inde profert Isnardi, Domini Castri Calsini, quæ nobis extat decis. 3. c. 31. & Vincentius Bellovacensis lib. 3. spec. Moral. part. 7. dist. 2. ex nostro exhibet narratiunculam de Cellario quodam B. Rufi Valentiensis Diœcesis. Tilberiensis nostri etiam Bocatius meminit lib. 7. de Geneal. deorum c. 25. & Symphorianus Champerius lib. de antiquitate Lugduni, & autor obscurus de gestis Romanorum c. 154. 155. 162. & Baptista Fulgosus lib 1. memorabil. c. 6. tit. de avibus aliisque animalibus admirandis: & Gaudentius Merula lib. 3. memorabilium c. 44. ult. Pitsei, Balei, Wolfii, & ex recentissimis, Vossii, Boysii, Reinesii, Menagii, Ducangii aliorumque loca nunc non attingam. Tantùm notabo adhuc sub nomine Mareschalli Arelatensis citari nostrum autorem à Falceto (Fauchet liv. 2. de la Maison de Charles Magne) cum de prælio loquitur, inter Guilielmum Tolosæ præfectum & Abdemelecum Saracenum, tempore Caroli Magni commisso: quod referens Guilielmus Catellus, Historiæ Comitum Tolosæ scriptor eruditus lib. 1. hunc Mareschallum sibi visum negat. Fragmentum operis* edidit

edidit vir quondam doctissimus Joannes Joachimus Maderus, hoc titulo: Gervasii Tilberiensis de Imperio Romano; & Gothorum, Lombardorum, Brittonum, Francorum Anglorumque Regnis commentatio, ex ipsius Otiis Imperialibus *&c. Helmstadii 1673. 4to. Cum vero autor non pauca utilia habeat, quæ nostræ Historiæ illustrationi inserviunt, & Ottoni IV. ex hac florente nunc quoque Brunsvicensi Domo Imperatori Librum dicaverit; totum opus ex Codice Manuscripto Membranaceo Bibliothecæ Juliæ edendum duximus, atque inde Apographum Cantabrigiam misimus, quod Cl. Wassius, collegii Reginæ socius, vir doctus & officiosus, cum codice sed & ipso satis imperfecto contulit, qui in Collegio Christi illic extat, quanquam pars collationis vel omissa sit, vel exciderit. Clausa tunc erat Cottoniana Bibliotheca: itaque codice ejus frui nondum datum est. Sane non pauca restituimus, sed omnia nec licuit, nec vacavit: præsertim, quæ ad Geographiam pertinent, ubi multa congessit autor partim à librariis corrupta, partim barbara, quæ examinare majoris operæ foret. Secutus alicubi Orosium est, sed & alios alibi, cum quibus conferri posset ab eo, qui aliquando Geographiam Veterem & Mediam, post laudabilem V. Cl. Christophori Cellarii operam, retractare vellet.*

Scripsit autor anno MCCXI. ut ipse ostendit, cum indictionis numerum computare docet. Controversiam, quæ tunc Ottoni IV. erat cum Innocentio III. Pontifice Romano aliquoties attingit, non sine quadam moderatione & judicii gravitate. Nam &, sermone alicubi ad Papam converso, hortatur eum libero satis ore, ut det Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Interim Ottonem seriò & prudenter monet, ut potius Pontifici gratificetur, cujus certè auxilio debebat Imperium, quàm non sine dignitatis periculo cum eo contendat, qui tunc Vicarius Dei in terris habebatur. Erat sanè optima causa Cæsaris, qui terras Mathildis Tusciæ Ducatricis, ab Henrico V. ejusque successore Lothario, proavo hujus Ottonis, Imperio vindicatas; à Lothario in Guelfum, propatruum ejusdem Ottonis, translatas (qui Philippo Suevo, quanquam injustè vendiderat) Romanæ Ecclesiæ, cum detrimento Imperii & suæ familiæ cedere recusabat. Sed ea tunc erant tempora, ut nisi consensu Principum Imperii Ecclesiasticorum & Secularium Pontifici Maximo adversari etiam potenti Imperatori, ne dum novo & nondum firmis radicibus nixo, parum tutum esset. Nec ineptè noster de illius temporis facie ait:

Ludit in humanis *Romana potentia* rebus.

De Henrici VI. Augusti consiliis, qui principibus Germaniæ concesserat, ut feuda magis ad hæreditatis speciem admoverentur: (ex quo divisiones Principatuum, vetitas priore feudorum jure, male natas suspicor) nimirum, ut vicissim ejus posteritas in Imperio succederet, cessante pristina Palatinorum electione: *nemo tam disertè clarèque scripsit quàm noster, qui mox subjicit,* conventionem pridem cum Principibus Teutoniæ factam ab Henrico de successione Imperii, per Sanctissimum Papam Innocentium *(III)* fuisse cassatam. *Quæ conventio nuspiam hodie extat, quod sciamus. Ubi quod de* Palatinis *habet Cæsarum Electoribus, quantivis pretii est. Intelligit autem Archipalatina officia, id est, Dapiferum, Pincernam, Mareschallum & Camerarium, qui in Cæsarum, Regum aliorumque magnorum Principum palatiis ab antiquo cuncta regebant. Hæ olim dignitates certæ familiæ, aut certo territorio non alligabantur, ut ex Witikindo Ditmaro aliisque intelligi potest. Electionem Regis vel Imperatoris Romanorum ac Germaniæ seculo certe XII. & magna adhuc parte seculi decimi tertii non nisi ex prætaxatione communi Principum (ut Albertus Stadensis Abbas loquitur) solenni ritu peragebant Principes illi, qui munera Palatina gerebant, autoritatem sacri muneris interponentibus tribus Orientalis Francorum Regni ad Rhenum Archiepiscopis, qui & ipsi mox cum Archi-officialibus Electores dici cœpere; cum antea in Bavarico & Saxonico regno peculiaris cujusdam Electionis species, autoribus illic Archiepiscopis, celebraretur, ut ex nostris Ditmari Supplementis imprimis patet. Denique (vix tamen ante Rodulphum Habsburgium) cæteri Principes vel consilio vel negligentia jus suum omisère, omnibus longo interregno in deterius commutatis, obscuratoque per infelicitatem temporum antiquo Imperii jure. Hæc olim fusiùs in præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici explicata, observatus postea Gervasii nostri locus egregiè confirmavit, ad quem etiam in Mantissæ præloquio provocavimus.*

Cæterum Gervasium in his, quæ ad rempublicam pertinent, non spernendum; mox ubi sacra, & remota à suis temporibus locisque attingit, mirificentissimum esse & superstitiosissimum fabulatorem fatendum est. Sed neque prorsus eum à mentiendi libidine absolverim. Quædam enim velut testis oculatus narrat, quæ nemini mentis compoti hodie facile persuaseris. Sed talia tunc vel in pietate vel certè in laude ponebantur. Vix tamen capi potest, hominem de nonnullis rebus naturalibus, civilibus, sacris etiam, doctè & prudenter disserentem, mox in ea dilabi, quæ hodie

Non sani esse homines non sanus juret Orestes.

Nam multiplicis literaturæ virum fuisse apparet, neque in veteribus Historicis aut Poëtis, aut etiam Ecclesiæ Patribus hospitem: Sed omnia corrumpebat cacoëthes mirabilia narrandi. Vixit eo seculo, quod ego cum proximo, omnium seculorum post Christum natum ineptissimum esse comperi; decimo tertio, inquam,

quam, quo subitò omnes propemodum boni scriptores evanuêre, cuncta in se trahentibus Monachis mendicantibus, qui tunc insurrexerant; & mox ignorantiam atque errorem etiam vivi comburio sancientibus: ut jam vix alia quàm utriusque juris & Scholasticarum argutiarum studia superessent. Germanis certè seculum decimum aureum fuit præ decimo tertio & decimo quarto; quo tempore etiam jura Imperii supina ignorantia propemodum intercidêre. Noster habitum doctrinæ animorumque illius temporis velut in speculo intuendùm præbet. Nec mirum, qui in sacris rebus quidvis jam Clero credebant, mox etiam in profana historia nihil incredibile reperisse. Turpini & similium nugæ jam ante inventæ erant; sed ex Ottone Frisingensi aliisque contemporaneis apparet, medio duodecimo seculo integram adhuc discernendi facultatem superfuisse: mox verò uno impetu fabulæ, antea intra Legendas & Sanctorum miracula coercitæ, sese in orbem literarium effudêre. Sanè non sine admiratione legi, quam inepta de rebus suæ patriæ & vicinis, vix uno alteroque seculo anterioribus, Ptolemæus Lucensis, qui seculo decimo quarto floruit, similesque Italiæ Scriptores habeant: usque adeò, ut jam nec Historici nec jureconsulti nossent, quæ esset Guelforum Gibellinorum origo, quorum factionibus tota Italia crudeliter lacerabatur: usque adeò ridicula sunt, quæ de ea re scribunt. Quanta etiam portenta seculo præcedente, id est, Gervasii nostri ætate jam tum peregrinatores referre auderent, ex Arnoldo Lubecensi Abbate intelligas, qui Epistolam ad se Conradi Hildesiensis Episcopi non pauca manifestè fabulosa narrantem in opus suum retulit, tanquam auro includeret gemmam. Tunc & Benjaminus Tudelensis Hebræus itinerarium conscripsit, quo nihil prodigiosius, cum quo Johannes de Mandevilla seculi XIV. scriptor in suo hodœporico videtur mentiendi audacia certare voluisse. Jucunda inprimis sunt & perridicula, quæ & noster narrat de magicis Virgilii operibus apud Neapolin, quibus alia non imparia ille ipse addit Conradus Episcopus, qui (quo magis mirere) Imperatoris erat Cancellarius. Quæ vero de spectris, & apparitionibus, de mortuorum responsis, de fatatis vel incantatis personis aut rebus habet noster, neque Legendariis neque Amadisis concedunt. Cæterum ne fabulas quidem istas percurrere pœnitebit curiosum antiquitatis, & legisse ex hoc stercore aurum. Passim aspergit quædam noster, ad Historiam & Geographiam & Physicam utilia. Certè de vermiculo colore plantaque unde nascitur, disserit digna expendi; quæ ex codice Manuscripto Bibliothecæ Regiæ jam exhibuerat Ducangius, vir vastæ doctrinæ & diligentiæ, Glossar. Latin. V. vermiculus; unde nostrum Codicem emendavimus. Habet etiam non pauca, quibus res Arelatenses & vicinæ illustrantur. Opinionum quarundam & traditionum, adde & rituum origines, non alibi occurrentes, subinde insinuat. Quæ refert de variis Christi iconibus, legi merentur. De Veronica disertè, ut Excellentis vir doctrinæ Mabillonius. Est inquit, Veronica *pictura Domini vera. (vera icon.) Pomum aureum, quod in solennibus sinistra ferebant Imperatores, favilla & cinere plenum fuisse refert, ut admonerentur, quam vana esset omnis humana magnitudo. decis. 1. c. 9. Nonnullos etiam citat Autores, qui non tantùm intercidêre, sed etiam planè nobis ignorantur. Tale est Chronicon Claudii ad Adonem, quod citatur decis. 3. c. de ortu provinciarum; Historia item seu Bibliotheca versificata decis. 1. c. 9. Theodosii Diaconi, tr. de terra sancta, unde ampla exhibentur excerpta, decis. 2. Citatur & (decis. 3. c. de Bevere, id est, Castore) egregius versificator Bernardus Sylvester. Et quotidiana (nescio quæ) Historia decis. 3. cap. de Olympo.*

Complura alia scripta Gervasio nostro tribuuntur. Ipse non semel opus suum citat de vita B. Virginis & discipulorum Jesu, *credo quod pars eorum in Narbonensem Provinciam cum Lazaro & Maria Magdalena venisse crederetur.* Librum Facetiarum *scripserat in gratiam Henrici Junioris Angliæ Regis, qui ante patrem Henricum II. (nostro dictum Seniorem) obiit. Sed* de mundi descriptione *librum unum, &* de mirabilibus orbis *librum unum, quos Baleus refert, in nostro contineri apparet. Galfridi Monmuthensis fabulas de Britonum origine & Bruto Conditore illustravit, eodem Baleo autore; certè compendium harum nugarum in opus, quod edimus transtulit. Ipsas illustrationes Galfridi vidit Baleus (aut fortasse, quem ille sæpe exscripsit, Lelandus) nam initia citat. Idem Baleus à se juvene editam ait Gervasii tripartitam Regni Angliæ Historiam sub Illustrissimo Anglorum Rege Henrico; libris tribus scriptam,* quem (*inquit*) librum, quia per tres columnas digessimus, duximus *Tricolumnium* postea appellari. *Sed hunc librum videre non memini, neque alii indicarunt. Tribuit etiam Dialogorum librum Gervasio Baleus, & Pitseus, cum dixisset, dialogorum librum unum scripsisse, addit:* affirmant etiam multi, eum scripsisse librum nigrum de curia scaccariæ. *Ibi Vossius hæc referens, & non nihil per festinationem, ut arbitror, confundens; hunc ipsum librum de scaccario forma dialogi scriptum putavit. Cæterum ambigere Seldenum in notis ad Eadmerum p. 216. an autor libri nigri Gervasius sit, ipse Vossius notat. Tandem Theodericus de Niem lib. 2. de scismate c. 19. Balnea Puteolana à Gervasio libello metrico descripta scribit, ab eo scilicet, qui etiam scripserit Otia Imperatoris.*

Sed & de vita viri aliqua subjicere operæ pretium est. Baleus non mediocriter eruditum vocat; cognomentum à Tilberia Ostrosaxonum opidulo in Tamesina ripa duxisse. Theodericus de Niem pro Anglo-Saxonem errore quodam facit. Baleus Henrici II. Regis Anglorum nepotem credidit. Sed tanta nobili-

bilitatis nulla indicia apparent in hoc libro aut veteribus monumentis: erroremque ortum opinor, quod aliquando in Manuscriptis codicibus, pro avo vestro (nempe cum Ottonem IV. alloquitur) legitur corrupte, avo nostro. Cæterum virum genere nobilem intelligas, quod Marescalci dignitatem in Regno Arelatensi non alteri, (ut tunc erant tempora) Imperator credidisset. Habebat dudum insignes in illo regno possessiones, nempe per uxorem; haud alioqui facilè illic admittendus ad illam dignitatem. Nam decis. 3. C. de equo Gerardi de Cabreriis, in palatio (*inquit*) nostro, quod ex vestro munere & ex vestra gratia ad nos rediit per sententiam Curiæ Imperialis propter jus patrimoniale uxoris nostræ &c. *Itaque Humbertum Arelatensem Archiepiscopum vocat Affinem suum decis. 3. cap. de Lamiis. Ipse sese in præloquio refert inter homines militares. Itaque marte & arte claruit: nam juvenis Bononiæ Jus Canonicum docuit, auditoremque in eo habuit Johannem* Pignatellum, *Archidiaconum postea Neapolitanum; quem ait scientia, meritis & sanguine illustrem decis. 3. c. 12. Fuit ipse in ministerio Guilielmi Regis Siciliæ, & egit Neapoli tunc, cum Accon seu Ptolemais à Christianis obsideretur, ut ibidem ait. Capta autem illa est post anni & amplius obsessionem Julio anni 1191, & Guilielmus Rex paulo ante obierat Novembri mense anno 1189. Gervasius autem jam antea Henrico Juniori Regi Angliæ, cum patre regnanti familiaris fuerat, qui obiit anno 1183. Tunc ergo in Anglia vel Galliæ parte, Anglis subjecta, egit. Et paulo ante (ut ipse refert decis. 2. c. de Impp. Rom. post Carolum) vidit Venetiis reconciliationem Friderici I. Imperatoris cum Alexandro III. Papa, quæ facta est anno 1177, nullumque illic vestigium habet absurdæ conculcationis, quam boni autores ignorant: quin potius moderatum Alexandri animum laudat patientiamque, qua tandem triumphârit. De ipsa ceremonia sic loquitur:* in Concilio siquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad sinum matris Ecclesiæ regressum *intuitissimus;* cùm summa humilitate *stolam per manus* Sanctissimi *Papæ* Alexandri, quam dedit pater pœnitenti filio, recepisset. *Credo, quòd stola nova innocentiæ signum esset post absolutionem.*

Notum etiam sibi fuisse scribit Joannem Cardinalem Neapolitanum, tempore ejusdem Alexandri Papæ. Itaque hinc supplendus erit Catalogus Archiepiscoporum Neapolitanorum *apud Ughellum. Scribitur enim ibi Marinus anno 1118. ad sedem Neapolitanam ascendisse, & huic anno 1175. successisse Sergium II. quod per se parum verisimile est. Itaque credibile, Joannem, cujus noster mentionem facit, medium intercessisse. Nam & sedem jam anno 1168. vacasse apud Ughellum ipsum habetur. Sed & puerum se Romæ Alexandro III. sedente fuisse scribit Gervasius: Unde intelligas, maturè patria egressum. Juvenem quoque ad Clericatum fuisse destinatum, & inter Guilielmi Remensis Episcopi (cui carum fuisse Baleus scribit) Clericos egisse discimus ex narratione Radulphi Cogeshalensis Abbatis, quam ex Manuscripto exhibet Johannes Picardus notis ad Guilielmum Neubrigensem lib. 2. c. 13. Radulphi autem verba, cum alibi non extent, vel ideò exhiberi merentur, quod de peculiari quadam ejus temporis secta non vulgaria habent: quamvis ego, quæ de anu magistra, projectum fili globum in aerem secuta, Radulpho narravit noster, solitis ipsi teratologiis computanda non dubitem. Canonicum (quod Radulphus habet) serò factum putem, defuncta uxore, rebusque apud Arelatenses mutatis: cum Ottone Augusto fracto, protectorem illic non haberet. Sed verba Radulphi exhibeamus: Temporibus Ludovici Regis Franciæ, qui genuit Regem Philippum, cum error quorundam hæreticorum, qui vulgo appellantur Publicani, per plures Galliæ provincias proserperet: prodigiosum quiddam in urbe Rhemensium contigit, de quadam senili muliere hac peste infecta. Cum enim Dominus Guilielmus ejusdem urbis Archiepiscopus & avunculus Regis Philippi, cum clericis suis spatiandi gratia obequitaret, quidam ex clericis ejus, scilicet magister Tilleberiensis, videns quandam puellam in vinea solam deambulantem, lubricæ juventutis curiositate ductus divertit ad eam, sicut ab ore ejus audivimus postea, cum Canonicus esset. Quam salutans, & unde, & cujus esset filia, & quidnam ibi sola ageret, diligenter inquirens, cum ejus pulchritudinem diutius attendisset, hanc tandem de amore lascivo curialiter affatur. Cui illa simplici gestu, & quadam verborum gravitate respondet, vix juvenem respicere volens: nunquam velit Deus, ô bone adolescens, ut tua amica sive alicujus hominis existam: quia si virginitatem amisissem, & caro mea semel corrupta esset, æternæ damnationi procul dubio, absque omni remedio, subjacerem. Quod audiens magister Gervasius intellexit protinus, hanc esse de illa impurissima secta Publicanorum, qui illo in tempore ubique exquirebantur & perimebantur, sed maxime à Philippo Comite Flandrensium, qui justa crudelitate eos immisericorditer puniebat. Nonnulli verò eorum in Angliam advenerant, qui apud Oxenefordiam deprehensi, jubente Rege Henrico II. clave candenti in frontibus deformiter sunt signati & effugati. Dum itaque prædictus clericus cum puella de tali responso confutando altercaretur: supervenit Archiepiscopus cum suis, qui controversiæ subortæ causam agnoscens, jussit puellam comprehendi, & secum in urbem adduci. Quam coram Clericis suis alloquens, & plures auctoritates & rationum argumenta pro confutando errore*

 propo-

proponens: respondit illa, se nequaquam adhuc fuisse instructam, ut tantas objectiones posset refellere: sed habere se quandam magistram in urbe confessa est, quæ omnium objectiones facillimè suis rationibus refelleret. Cujus nomen & habitationis locum cum indicasset: confestim à ministris quæsita & inventa, coram Archiepiscopo sistitur. Quæ multis quæstionibus & auctoritatibus divinarum scripturarum ab ipso Archiepiscopo & à Clericis undique pulsata, quæ tantum errorem convincerent: ita omnes auctoritates prolatas, quadam sinistra interpretatione, pervertebat, ut satis patenter cunctis innotuerit, Spiritum totius erroris per os ejus fuisse locutum. Ad omnes siquidem auctoritates & historias tam veteris quàm novi testamenti, quæ ei objiciebantur, tam facilè, tam memoriter respondebat, tanquam omnium scripturarum notitiam esset adepta: & in hujuscemodi responsionibus semper exercitata, veris falsa commiscens, & veram fidei nostræ explanationem quodam pernicioso intellectu deludens. Cum autem utrarumque mentes obstinatæ, nec minis nec blanditiis aut ullis allegationibus vel scripturarum auctoritatibus ab errore suarum propositionum revocari possent, reclusæ sunt in ergastulo carceris usque in crastinum. Quæ coram Archiepiscopo, & omni clero ac in præsentia nobilium virorum, in aula Archiepiscopali revocatæ, pluribus iterum allegationibus, de abrenunciando errore publicè conveniuntur. Quæ cum salutaribus monitis nulla ratione acquievissent, sed in errore jam semel concepto immobiliter perstitissent, communi consilio decretum est, ut flammis concremarentur. Et jam igne in civitate accenso, cum ad pœnam adjudicatam à ministris trahi deberent, ait illa malefici erroris magistra: O insensati & Judices injusti! putatisnè, quod me ignibus vestris concremabitis? judicium vestrum non formido, & ignem præparatum non perhorresco. Et hæc dicens, concitè glomum fili extraxit, & extra quandam magnam fenestram projecit, capiti fili in manibus retento, cunctisque audientibus voce sonora dixit: Recipe. *Ad quod verbum mox à terris elevata, glomum agili volatu cunctis aspicientibus extra fenestram subsecuta est, malignorum spirituum ministerio, ut credimus, subvecta; qui quondam Simonem Magum in aëre sustulerunt. Quo autem illa malefica devenerit, vel ad quem locum transportata fuerit, ab aspicientibus omnino sciri non potuit. Puella verò, nondum ad tantam sectæ illius vesaniam perfecta, cum remansisset, & nec rationum persuasione nec divitiarum sponsione ab incepta obstinatione revocari potuisset: igne consumpta est non sine admiratione multorum; cum nulla suspiria, nullos fletus, nullum planctum emitteret, sed omne flagrantis incendii tormentum constanter & alacriter perferret, instar martyrum Christi, sed dispari causa, qui olim pro Christiana religione à paganis trucidabantur. Homines hi hujusmodi impurissimæ sectæ mori magis eligunt quàm ab errore converti. Sed nihil simile habent Martyrum Christi constantia & istorum pertinacia: quia mortis contemptum, in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Asserunt isti, parvulos non baptisandos, donec ad intelligibilem perveniant ætatem. Astruunt, non orandum pro mortuis, nec sanctorum suffragia expetenda: nuptias damnant, virginitatem prædicant in operimentum suæ turpitudinis: Lac, & quicquid ex eo conficitur, abhorrent, & omnem cibum, qui ex coitu procreatur. Non credunt, ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam corpore solutam, ad requiem transire vel ad damnationem. Nullas sacras scripturas recipiunt nisi Evangelia & Epistolas Canonicas. Rusticani homines sunt: & ideo nec rationibus convincuntur, nec auctoritatibus corriguntur, nec persuasionibus flectuntur: mori magis eligunt, quam ab impiissima secta converti. Ajunt & alii (qui de eorum secretis investigaverunt) quod isti non credunt Deum res humanas curare, nec aliquam dispositionem vel potentiam in terrenis creaturis exercere; sed Apostatam Angelum, quem &* Lusabel *nominant, universæ creaturæ corporali præsidere, & ad nutum ejus cuncta terrena disponi. Corpus à diabolo dicunt formari, animam vero à Deo creari & corporibus infundi. Unde fit, ut semper quædam pertinax pugna inter corpus & animum geratur. Dicunt etiam nonnulli, quod in subterraneis suis quædam nefanda sacrificia Lucifero suo, temporibus agant constitutis, & quasdam sacrilegas turpitudines operantur.*

Una adhuc quæstio superest, an verum sit, quod suspicati sunt viri docti Johannes Henricus Hofmannus Archivarius Hanoveranus, & hujus indicio Johannes Joachimus Maderus, Gervasium Tilleberiensem factum fuisse notarium Ottonis Principis de Luneburg, ex Guilielmo Ottonis IV. fratre nati, & Præposituram demum Ebbekesdorfiensis Monasterii, quod in Cellensi hodie ducatu situm supra diximus, ab hoc accepisse. Coram Imperatore (patruo) bona quædam Templo Jerosolymitano 1215. dat Otto Princeps per manus Gervasii velut Notarii seu Cancellarii; deinde ob fidele servitium, *progenitoribus suis in partibus peregrinis præstitum, eidem*

Gerva-


Gervasio Praeposituram confert, quam dixi. Gervasius Praepositus obiit anno 1235. Addit Maderus, Tilberiensem à Niemio Oratorem & Cancellarium Ottonis IV. vocari. Sed Orator esse potuit, Cancellarium Niemius, memoria credo lapsus, vocavit pro Mareschalco; quod scilicet liber & litera magis Cancellario, quam Mareschalco, convenirent. Ego Gervasium Notarium & Praepositum Ebsdorfiensem utique hominem peregrinum fuisse facilè admitto; neque enim hoc nomen usitatum in his oris erat: sed Tilleberiensem progenitoribus Ottonis Ducis, id est, Henrico Leoni aut Conjugi ejus Mathildae, operam navasse in Anglia aut alibi, non apparet. Nec credo id dissimulasset ipse, ad horum filium Imperatorem scribens. Magistrum etiam Gervasium appellant Codices & autores, quae tunc magnae dignationis appellatio erat, publicis doctrinae testimoniis quaesita: sed ea Gervasio Notario & Praeposito nuspiam tribuitur. In Anglia patria potius vitam clausisse Tilberiensem, scripta ejus multa de Anglicanis rebus, nulla de Saxonicis suadere videntur. Denique Radulphus ille Cogesballensis Abbas, qui sub Henrico III. Rege Angliae floruit, videtur Joannis Regis tempore (qui Henrici III. pater fuit) Gervasium jam Canonicum, deposita Mareschalci persona, in Anglia cognovisse; quae in Notarium Ottonis Ducis & Praepositum Ebbekesdorfiensem non bene quadrant.

LXIV. Variae Lectiones & Emendationes Ditmari, seriùs annotatae.

De his dicere occupavimus Num. XXVIII. cum de ipso Ditmaro ageretur.

Ita finem imposuimus Introductioni prolixae quidem sed necessariae, ut cujusque partis, in hunc Fasciculum collectae, autor & usus cognosceretur.





INDEX SCRIPTORUM, HISTORIÆ BRUNSVICENSIS ILLUSTRATIONI INSERVIENTIUM, QUI HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

27. De



I. EXCER-

I.

EXCERPTA

Veterum Auctorum

DE

POPULIS AD ALBIM ET VISURGIM

Notis illustrata.



I.

Ex Strabonis Geographiæ *Libr. VII.*

Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σουήυων ἔθνος. διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχει τοῦ Ἄλβιος, μέρος δὲ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι, καὶ Λαγκόσαργοι. νῦν δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοίγε ἐκπεπλώκασι φεύγοντες. Κοινὸν δ' ἐςὶν ἅπασι τῆς ταύτη, τὸ περὶ τὰς μεταναςάσεις εὐμαρὲς, δὶα τὴν λιτότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν, μηδὲ θησαυρίζειν, ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκεῖν, ἐφήμερον ἔχουσι παρασκευήν. Τροφὴ δ' ἀπὸ τῶν θρεμμάτων ἡ πλείςη καθάπερ τοῖς Νομάσιν. ὥςτ' ἐκείνους μιμούμενοι τὰ οἰκεῖα ταῖς ἁρμαμάξαις ἐπάραντες, ὅποι ἄν δόξῃ τρέπονται μετὰ τῶν βοσκημάτων. Ἄλλα δ' ἐνδεέςερα ἐςὶν ἔθνη Γερμανικὰ, Χηροῦσκοί τε καὶ Χάττοι, καὶ Γαμαβρειοῦνοι, καὶ Χαττουάριοι. πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σούγαμβροί τε καὶ Χαῦβοι, καὶ Βρούκτεροι, καὶ Κίμβροι, Καῦκοί τε καὶ Καοῦλκοι, καὶ Καμψιανοὶ, καὶ ἄλλοι πλείους. Ἐπὶ ταυτὰ δὲ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται, Βίσουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμὸς, διέχων Ῥήνου περὶ ἑξακοσίους ςαδίους, ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων. Ἐςὶ γὰρ καὶ Σάλας ποταμὸς, οὗ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου πολεμῶν καὶ κατορθῶν Δροῦσος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικός· ἐχειρώσατο δ' οὐ μόνον τῶν

Maxima quidem est *Suevorum* natio: nam & à Rheno ad Albim usque pertingit, & trans Albim habitant pars eorum, ut *Hermunduri* & *Longobardi* (*a*). atque nunc quidem hi fuga facta omnino in ulteriorem regionem se conjecerunt. Commune omnium est, qui istis in locis degunt, facilis & expedita soli mutatio, ob tenuitatem victus, & quod neque colunt agros, neque fructus recondunt, sed in casis habitant structura in unum diem constantibus. Cibus eis a pecore plurimus, ut & Nomadibus: quorum etiam imitatione rebus suis in currus impositis facile cum pecore suo abeunt, quo visum fuerit. Aliæ minores Germanorum gentes sunt *Cherusci*, & *Chatti*, & *Gamabriuni* (*b*), & *Chattuarii* (*c*): ad Oceanum autem *Sicambri* (*d*), *Chaubi* (*e*), *Bructeri*, *Cimbri*, *Cauci*, *Caulci* (*f*), *Campsiani* (*g*) & aliæ plures. In eandem cum Amasia partem feruntur *Visurgis* & *Lupias*, qui per *Bructeros minores* fluit à Rheno distans circiter DC. stadiis. Est & *Sala* fluvius: inter quem & Rhenum bellum felici successu gerens obiit *Drusus Germanicus*. Hic non gentes modo plurimas subegit,

sed

(*a*) Imo cis Albim, ut ad Tacitum ostendemus.

(*b*) Pro Γαμαβρειοῦνοι lego Γαμαβρειούιοι, una litera mutata, id est, Gambrivii. Casaubonus eam extrudit & facit Γαμβρίουοι, quem vide in Comment.

(*c*) Cattuarii sunt, qui Tacito Chasuarii, idest, ut sum interpretatus ibi, qui habitant ad Hasam amnem, ut Amsivarii, qui ad Amisium.

(*d*) Confundit autor locorum situs, neque enim aut Sicambri aut Bructeri Oceani accolæ erant.

(*e*) An Chaubi, qui Mamertino Panegyristæ *Chaibones* Herulis juncti dicuntur viribus primi barbarorum, locis ultimi; nempe ad Codanum sinum.

(*f*) Καοῦλκοι, seu Kaulki non videntur esse alii, quam Chauci, nisi Calucos faciamus Chalusos, à fluvio cognomine apud Ptolemæum.

(*g*) Nec *Campsiani* infra *Ampsani* alii quam *Amsivarii*.

ἐθνῶν τὰ πλεῖστα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ παράπλῳ νήσους, ὧν ἐστὶ καὶ ἡ Βυρχανὶς, ἣν ἐκ πολιορκίας εἷλε. Γνώριμα δὲ ταῦτα κατέστη τὰ ἔθνη, πολεμοῦντα πρὸς Ῥωμαίους, εἶτ' ἐνδιδόντα, καὶ πάλιν ἀφιστάμενα, ἢ καὶ καταλίποντα τὰς κατοικίας. Κἂν πλείω δὲ γνώριμα ὑπῆρξεν, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ Σεβαστὸς, διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, μετιοῦσι [Ms. μετιέναι] τοὺς ἐκεῖσε ἐπανισταμένους. νυνὶ δ' εὐπορώτερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ πόλεμον· εἰ τῶν ἔξω τοῦ Ἄλβιος καθ' ἡσυχίαν ὄντων ἀπέχοιτο καὶ μὴ παροξύνοιτο πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς ἔχθρας. Ἤρξαντο δὲ τοῦ πολέμου Σούγαμβροι πλησίον οἰκοῦντες τοῦ Ῥήνου, Μέλωνα ἔχοντες ἡγεμόνα. κἀκεῖθεν ἤδη διεῖχον ἄλλοτ' ἄλλοι, δυναστεύοντες καὶ καταλυόμενοι, πάλιν δ' ἀφιστάμενοι, προδιδόντες, καὶ τὰ ὅμηρα, καὶ τὰς πίστεις. Πρὸς οὓς ἡ μὲν ἀπιστία μέγα ὄφελος, οἱ δὲ πιστευθέντες τὰ μέγιστα κατέβλαψαν, καθάπερ οἱ Χηροῦσκοι, καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι παρ' οἷς, τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τοῦ στρατηγοῦ Οὐάρου Κουιντιλίου παρασπονδηθέντα, ἀπώλετο ἐν ἐνέδραις. Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες, καὶ παρέσχον τὸν νεοτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεμιγοῦντός τε καὶ Σεγέστου υἱὸς, Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουιντίλιον παρασπονδήσει, καὶ ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον, ὄνομα Θουσνέλδα, καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός· ἔτι δὲ Σεσίθακος Αἰγιμήρου υἱὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμόνος, καὶ ἡ γυνὴ τούτου Ῥαμὶς, Οὐκρομύρου θυγάτηρ, ἡγεμόνος Χάττων, καὶ Δευδόριξ Βαιτόριτος, τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς, Σούγαμβρος. Αἰγέστης δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμενίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέστη πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων, ἐν τιμῇ ἀγόμενος· ἐπόμπευσε δὲ καὶ Λίβυς

sed & insulas in legendo litore obvias: quarum est *Byrchanis* (*b*) ab eo expugnata. Innotuêre istæ gentes, cum bellum contra Romanos gererent, deinde concederent, post vel rursus deficerent, vel suas habitationes desererent. At fuissent, ut apparet, plures etiam cognitæ, si Augustus militibus permisisset, ut transmisso Albi eo rebellantes prosequerentur. Sed promptius censuit Augustus se bellum, quod erat præ manibus, confecturum, si populos ultra *Albim* sitos ac nihil moventes, missos faceret, neque irritatos maleficio ad societatem cum hostibus ineundam invitaret. Belli initium fecêre *Sicambri Melone Duce* Rheno vicini: atque huic alii post alios successerunt, potiti imperio, eoque deturbati postea; rursumque inde deficientes fide & obsidibus proditis. Adversus hos plurimum utilitatis est in incredulitate: quibus fides habita est, ii maxima damna intulerunt: ut *Cherusci* & eorum subditi, apud quos tres legiones contra datam fidem insidiis circumventæ cum *Quintilio Varo* perierunt. Pœnas tamen universi dederunt, ac *Germanico Juniori* pulcherrimam triumphi materiam: in quo is illustrissimos viros ac fœminas duxit; de quibus *Semiguntus* (*i*) & *Segesti filius* (*k*) *Cheruscorum Dux, sororque ejus & uxor Arminii*, qui belli dux fuerat Cheruscis, cum violatis pactis Varum Quintilium invaderent, atque etiamnum bellum fovet, nomine *Thusnelda*, ac filius tres annos natus *Thumelicus*; nec non & *Sesithacus Ægimeris* (*l*) filius Cheruscorum ducis, ejusque uxor *Rhamis*, *Ucromeri* filia, *Chattorum* Ducis, & *Deudorix*, *Bœtoritis* filius, qui frater erat *Melonis*, Sicamber. *Ægestes* (*m*) autem, Arminii socer, cum initio sententiæ generi restitisset, capto tempore ad Romanos transfugerat, tumque triumphum, in quo ducerentur ei charissima, in honore ipse habitus à Romanis spectavit. Ductus est etiam in

(*b*) Hodie *Borchum* non procul Amasiæ Ostio, Plinio corruptius *Buchana* IV, 3.

(*i*) Tacito rectius Sigemundus l. 1. Annal. 57.

(*k*) Non dicendum Sigemundus & Segesti filius, sed Sigemundus Segesti filius.

(*l*) Tacitus l. 1. Annal. c. 71. memorat Segimerum Segestis fratrem cum filio (sed quem non nominat) in deditionem acceptum, & cunctantius filio veniam datam, quia Quintilii Vari corpus inlusisse dicebatur.

(*m*) Aegestem paulo ante rectius nominavit Segestum.

τῶν Χάττων ἱερεὺς· καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν, Καθύλκων καὶ Ἀμψάνων, Βουκτέρων, Νουσίπων, Χηρούσκων, Χάττων, Χαττουαρίων, Λανδῶν, Σουβαττίων. Διέχει δὲ τοῦ Ἄλβιος ὁ Ῥῆνος περὶ τρισχιλίους σταδίους, εἴ τις εὐθυπορούσας ἔχει τὰς ὁδούς· νυνὶ δὲ διὰ σκολιᾶς καὶ ἐλώδους, καὶ δυμῶν, κυκλοπορεῖν ἀνάγκη.

in pompa *Libys Chattorum* sacerdos, aliique multi mortales ex devastatis populis *Cathulcis*, *Ampsanis*, *Buccteris*, *Nusipiis*, *Cheruscis*, *Chattis*, *Chattuariis*, *Landis*, *Subattiis*. (*n*) Distat ab Albi Rhenus, si quis recto itinere proficisci eo posset, circiter MMM stadiis. Sed obliquo itinere & per circuitum eò via ducit ob paludes & saltus.

(*n*) Videntur *Cathulci* esse qui supra *Caulci*, id est Cauci, Ampsani, qui supra Campsiani, id est Amsivarii, Nusipii, qui Cæsari & Tacito Usipii; Landi & Subattii ignorantur.

2. Ex C. Velleji Paterculi Hist. *Lib. II.*

NOn diu vindicem, custodemque imperii sui (*a*) morata in Urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub Marco Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, (*b*) immensum exarserat bellum. erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei, cum speciosissima inscriptione operum, ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum antè tribunatu castrorum, Tiberii Cæsaris militem fecit. quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cœlestissimorum ejus operum per annos continuos novem præfectus, aut legatus, spectator, &, pro captu mediocritatis meæ, adjutor fui. Neque illi spectaculo, quo fruitus sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi; cum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, veterem Imperatorem, & ante meritis ac viribus, quam nomine, Cæsarem, revisentes, sibi quisque, quam illi, gratularentur plenius. At vero militum conspectu ejus elicitæ gaudio lacrymæ alacritasque & salutationis nova quædam exsultatio, & contingendi manum cupiditas, non continentium, protinus, quin adjicerent, *Videmus te, Imperatorem salvum recepimus;* ac deinde, *Ego tecum, Imperator*, in Armenia, ego in Rætia fui: *ego à te in Vindelicis*, *ego in Pannonia*, *ego in Germania donatus sum.* Neque verbis exprimi & fortasse vix mereri fidem potest; intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci gentes, & amnis, mox nostra clade (*c*) nobilis transitus *Visurgis:* penetrata ulteriora, cum omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cæsar vindicaret, in iis, quæ minoris erant discriminis, *Sentium Saturninum*, qui tum legatus patris ejus in Germania fuerat, præfecisset; virum multiplicem virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem, ac peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem, ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum, aut desidem diceres. De cujus viri claro celebrique consulatu prædiximus. Anni ejus æstiva, usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecêre victoriæ. Pietas sua Cæsarem, penè obstructis hieme Alpibus in urbem traxit, ad tutelam imperii: eum Veris initio reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus, ad caput *Juliæ* (*d*) fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat. Proh dii boni, quanti voluminis opera insequenti æstate, sub duce Tiberio Cæsare, gessimus! Perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes, pæne nominibus incognitæ. receptæ *Cauchorum nationes*, omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum ducibus suis; septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal. tracti *Langobardi;* gens etiam Germana feritate ferocior. denique quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium à Rheno usque ad flumen *Albim*, qui *Senonum* (*e*) *Hermundurorumque* fines præterfluit, Romanus cum

signis

(*a*) Tiberium Neronem Cæsarem ab Augusto adoptatum.

(*b*) Autor hæc scribit ad M. Vinicium consulem.

(*c*) Variana.

(*d*) Forte legendum *Lupiæ*, nam ibi postea & Varus stativa habuit cæsusque est, nec Juliæ fluminis uspiam mentio.

(*e*) Semnonum.

signis perductus exercitus, & eodem, mira felicitate & cura ducis, temporum quoque observantia, classis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se junxit. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecunque est, inseram. Cum citeriorem ripam prædicti fluminis castris occupassemus, & ulterior armata hostium juventute fulgeret, sub omnem motum nostrarum navium protinus refugientium, unus è barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia (f) conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis; & petiit, liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Cæsarem. Data petenti facultas. Tum appulso lintre & diu tacitus contemplatus Cæsarem, *Nostra quidem*, inquit, *furit juventus, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit, quàm sequitur fidem. Sed ego, beneficio ac permissu tuo, Cæsar, quos antè audiebam, hodie vidi deos. nec feliciorem ullum vita mea aut optavi, aut sensi diem.* Impetratoque, ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est. Victor omnium gentium, locorumque, quos adierat, Cæsar, cum incolumi inviolatoque, & semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hyberna legiones reduxit; eadem, qua priore anno, festinatione urbem petens.

(f) ligno.

3. Ex Pomponii Melæ de Situ orbis *Libro III.*

Terra ipsa (*) multis impedita fluminibus multis montibus aspera, & magna ex parte silvis, & paludibus invia. Paludum *Suesia*, *Mœsia*, & *Melsiapum* maximæ (a). Sylvarum *Hercynia*, & aliquot sunt, quæ nomen habent; sed illa dierum sexaginta iter occupans ut major aliis, ita & notior. Montium altissimi *Taurus* (b) & *Rhetico*, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium, *Danubius* & *Rhodanus*: in *Rhenum*, *Mœnis*, & *Lupia*: in Oecanum *Amisius*, *Visurgis*, & *Albis* clarissimi. Super Albim *Codanus* (c) ingens *Sinus* magnis, parvisque insulis refertus est. Hac re mare, quod gremio littorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus, ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur: qua littora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, & ubique pene tantundem, ut angustum & par freto: curvansque subinde se, longo supercilio inflexum est. In eo sunt *Cimbri* & *Teutoni*: ultra ultimi Germaniæ *Hermiones*. (d)

(*) Germaniæ.

(a) Hæ nuspiam alibi memoratæ ignorantur. Crediderim Lacus magnos intelligi, quos Rhenus & Rhodanus efficiunt, nam has regiones à Mela Germaniæ accenseri, ostendit ipse mox Rhodani ortum Germaniæ ascribens. Lacum Rheni, quem Rhæti accolebant, Tiberius navigasse dicitur Straboni lib. 7.

(b) An Taunus, ex adverso Maguncíaci, de quo Tacitus aliique.

(c) Codano Sinui Gutæ vel Guttones aut Goti ab utraque parte habitantes hoc nomen dedisse videntur. Sæpe enim Germanis G pronuntiatur ut K.

(d) Legendum puto *Helviones* seu *Hillleviones*, Scandinaviæ incolæ, apud Plinium. Hi enim ultra Sinum Codanum ultimi Germaniæ habitant. Nam Hermiones Rheno viciniores & Danubio, Hermunduros, Svevos, Cattos, Cheruscos alios que complecti ex eodem Plinio discimus.

4. Ex Plinii naturalis Historiæ *Lib. IV. Cap. 13. sqq.*

Incipit inde clarior aperiri fama ab gente INGÆVONUM, quæ est prima inde Germaniæ. *Sevo* mons ibi immensus, nec *Riphæis* (a) jugis minor, immanem, ad Cimbrorum usque promonto-

(a) Distinguit ergo Riphæos montes & Sevonem, quos Rudbeckius pro iisdem habet. Quidam Veterum videntur Riphæos & Hyperboreos fecisse orientaliores: Sed cum de regionibus remotis minus accuratè scripserint, parum illis fidi potest in situ locorum.

montorium efficit sinum, qui *Codanus* (*b*) vocatur, refertus insulis. Quarum, clarissima *Scandinavia* (*c*) est, incompertæ magnitudinis; portionem tantum ejus, quod sit notum, *Hillevionum* (*d*) gente quingentis incolente pagis (*e*), quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec est minor opinione *Eningia* (*f*). Quidam hæc habitari ad *Vistulam* usque fluvium, *a Sarmatis, Venetis, Scyris, Hirris* (*g*) tradunt; Sinum *Clylipenum* (*h*) vocari, & in ostio ejus insulam Latrin (*i*): mox alterum sinum *Lagnum*, conterminum Cimbris Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninsulam efficit, quæ *Cartris* appellatur. XXIII. inde insulæ Rom. armis cognitæ. Earum nobilissimæ *Buchana* (*k*), *Fabaria* à nostris dicta, à frugis similitudine sponte provenientis; Item *Glessaria* à succino militiæ (*l*) appellata, à Barbaris *Austrania* (*m*); præterque *Actania*. Toto autem hoc mari, ad *Scaldin* usque fluvium Germanicæ accolunt gentes. Haud explicabili mensura, tam immodica prodentium discordia est. Græci & quidam nostri XXV M. passuum oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa cum *Rhetia* & *Norico* longitudinem DC LXXXVI M. passuum, latitudinem CCLXVIII M. Rætiæ prope unius majore latitudine: sane circa excessum ejus subactæ. Nam Germania multis postea annis, nec tota percognita est. Si conjectare permittitur; haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & longitudini ab Agrippa proditæ.

CAP. XIV. Germanorum genera quinque: (*n*) *Vindili*, (quorum pars *Burgundiones, Varini, Carrini, Guttones.*) Alterum genus INGÆVONES: (quorum pars *Cimbri, Teutoni*, ac *Cauchorum* gentes.) Proximi autem Rheno *Istævones* (*o*) (quorum pars *Cimbri mediterranei* (*p*).) *Hermiones*, (quorum *Suevi, Hermonduri, Chatti, Cherusci.*) Quinta pars *Peucini, Basternæ*, supradictis contermini Dacis. Amnes clari in Oceanum defluunt, *Guttalus, Vistillus* sive *Vistula, Albis, Visurgis, Amisius, Rhenus, Mosa*. Introrsus vero nulli inferius nobilitate *Hercynium jugum* prætenditur. In Rheno ipso prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima *Batavorum insula*, & *Caninefatum* & aliæ Frisiorum, Cauchorum, *Frisiabonum* (*q*), *Sturiorum* (*r*), *Marsatiorum* (*s*), quæ sternuntur inter *Helium* ac *Flevum*. Ita appellantur ostia, (*t*) in

(*b*) A Gotis vel Guttis accolis utriusque litoris dictum videri jam notavi ad Melam.

(*c*) Ab exigua parte, quæ hodieque Scandia, freto Danico adjacet, etiam ulteriora, errore opinor, Romanorum, nomen accepisse videntur.

(*d*) Miror Tacito ignotos Hilleviones, tantumque Suiones & Sitones memorari.

(*e*) Id est regiunculis, uti Svevi & Semnones Cæsari & Tacito centum pagis habitant.

(*f*) Id est, non est minoris opinionis. Puto autem Eningiam esse *Feningiam*, id est Fennonum regionem, Sinu Bodnico à Scandinavia distinctam, etsi neutra insula sit.

(*g*) A Finnis ad usque Vistulam hodie Estii, Livones, Curones, Prussi, alicubi Venedicæ gentes, qui & Sarmatæ; hodie *Wendi*, mediis Scriptoribus *Antes*. Scyri postea cum Rugiis magis innotuere. Et nescio an non *Heruli* & *Hirri* iidem.

(*h*) Sinus Clylipenus & Lagnus ignota alias nomina, neque uspiam alibi *Cartris* legitur tanquam nomen Cimbricæ Chersonesi.

(*i*) Oportet hanc insulam esse Seelandiam, in qua flumen *Letbra* (Lethræ pontem habet Pontanus ad ann. 1256.), & *Letbra*, primaria olim urbs Seelandiæ & sedes regalis in Historia gentis Danorum ab Erico Rege scripta. Itaque sinus Clylipenus non alius esse potest, quam Codanus, aut certe pars sinus Codani, quemadmodum & Lagnus.

(*k*) Legendum *Birchana*, Straboni Byrchanis, hodie *Borchum* ad Amisii ostium. Nisi malimus *Busenam* non procul Albi.

(*l*) Credo quod milites Romani in ea aliquid succini invenissent, quod Germanis *Glessum* dici, Tacitus notavit: nempe à *gleissen*, nitere, splendere, unde & *glass* nobis est vitrum. Succinum sane interdum & in Germaniæ litoribus invenitur ad Oceanum.

(*m*) Forte Austrand, hodie *Strandia*, non procul Albi.

(*n*) Tacito tria, Ingævones, Istævones, Hermiones.

(*o*) Istævones Rheno proximos faciens autor, non satis sibi constat. Nam Catti videntur omnem Rheni oram à Mœno certe ad Oceanum usque implevisse, (si verum est, Batavos Cattorum progeniem esse) & tamen ad Hermiones ab ipso Plinio referuntur. Herminones (sic Tacitus scribit) seu Hermanos etiam fuisse consentaneum est eos, qui in Eburonum regione consedere Cæsare & Tacito autoribus, a quibus cæteri Germani eidem Tacito dicti videntur. Vix enim dubito *Herminones* omnibus Germanis nomen dedisse, parum nec nisi gradu aspirationis, distantibus literis G & H, ut ad Tacitum notavi. Itaque malo *Istævones* esse orientales Germanos (nam *Est* vel *Ost* est oriens,) & *Vindilos* atque *Peucinos* comprehendisse, quæ duo genera Plinius tribus Taciti addit.

(*p*) *Cimbri mediterranei* aliis scriptoribus ignorantur, nisi forte vagantes Cimbri remotam ab Oceano coloniam in aliqua Germaniæ parte reliquerunt, quod Plinio compertum, aliis silentio transmissum.

(*q*) Frisiabones an aliqua Frisiorum colonia.

(*r*) An *Sturii*, qui hodie Stormari trans Albim ab amne Stor. Sed Plinius exiguam quandam gentem in ea regione, quæ nunc fœderato Belgio comprehenditur, intellexisse videtur.

(*s*) Mattiacos Batavis vicinos non recte dici, sed potius Marsacios, ad Tacitum ostendi.

(t) in quæ effusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit; medio inter hæc ore modicum nomine suo custodiens alveum. Sunt & qui alias Insulas prodant, *Scandiam* (u), *Dumnam* (x), *Bergos* (y), maximamque omnium *Nerigon*, ex qua in *Thulen* navigetur. a Thule unius diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.

(t) De Rheni ostiis disceptarunt Cluverius & Pontanus. Flevi vocabulum hodieque servat *Flie*, credo ab æstu, *Flut*.

(u) Nempe regio quæ hodieque Scandia vel Scania, etsi insula non sit; nam hoc longinqui parum discernebant, quemadmodum ipsa Scandinavia & Feningia paulo ante falso pro insulis Plinio habitæ.

(x) Nescio an in *Dumna*, Danorum & fluminis Dinæ vel Dehnæ vestigia, à quo dictos Danos videri in notis ad Anonymum Ravennatem verisimile reddidi. Sanè Dani Slavis *Dunsch*.

(y) *Bergi* non insula, sed regio, ubi hodiè *Bergen* in ipsa Norwegia, quæ *Nerigon* autori, forte *Norigou*, regio septentrionalis.



5. Ex Taciti Germania.

CAP. II. Ipsos Germanos indigenas (a) crediderim minimeque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos: quia nec terra olim (b) sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant: & immensus ultra, utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem (c) Deum terra editum, & filium *Mannum*, originem gentis conditoresque. Manno tres filios

(a) *Indigena* vel *aborigines* hic populi non nisi eo sensu censeri possunt, quo ignotum pro nullo habemus, quia adventus eorum & migrationes primæ omnem historiæ memoriam transcendunt. Cæterum ex linguis apparent cognationes gentium; & Germanos, omnesque Galatas, vel quod idem revera vocabulum est, Keltas, sive Celtas, secundum veram veterum pronunciationem, (quo nomine Germanos Gallosque complexi sunt) ex Scythia venisse, credibile facit magna in multis Germanici Græcique sermonis convenientia. Ut transmissa Vistula, Danubioque, pars in occidentem tendens Germaniam, alia ad meridiem versa Græciam implevisse videatur. Sed non ideo nego serius reversos in Scythiam Germanos, velut Gothos & fortasse etiam antea Cimbros.

(b) Mirari subit, quomodo in mentem venerit Tacito *antiquissimas migrationes non terra sed mari factas*, credere, quod contra est. Sero in longinqua navigatum; pauci casu acti non facile propagarunt genus. Serius eò provecta est ars navigandi, ut classibus iretur; & quantæ molis sit magnam hominum multitudinem navibus transvehere, etiam nunc experimur. Nec refert, quod Germania cœlo soloque aspera est, nam nec Scythia melior, & poterant Scythæ cis Volgam Tanaimve positi ab interioribus pelli (ut postea sæpe factum) velut Gothi ab Hunnis, Cumani à Tartaris.

(c) *Tuistonem* vel *Tuisconem*, unde hodieque Germani sibi dicuntur *Teutisci*, non alium esse quam *Teut* vel *Teutatem*, etiam Gallis & Hispanis cultum, Lucano & Livio teste, quem Cæsar pro *Dite* patre accepit, res ipsa loquitur. Credibile est, magnum fuisse Regem vel Heroem Celto-Scytharum, qui rudes populos ad meliorem frugem vocavit, & pleraque Europæ fortasse & magnam partem Asiæ armis tenuit, & usque ad Ægyptum pervenit; nam & Ægyptiis Theut pro Mercurio celebratur: frustraque nunc pro Deo, nunc pro philosopho privato habetur. Cæterum origine appellativum est nomen, ut *Brennus*, significatq, Regem vel principem, qualis Gothis & Bajoariis *Theodones*. Itaque Ulfilæ *Thiudinassus*, *Thiudangardi* regnum est. Sed Anglosaxonibus & Septentrionalibus Germanis *Thiod* populus. Et superest Brunsvicensibus *Thüdde* pro plebe. Hodieque *tugt* (superioribus Germanis *zucht*) est genus. Hinc vel *Teutones* à ductore *Teut* dicti, vel contra ductor à gente: gens autem sibi ipsi Theut, id est populus, quam vocem alii de certa gente acceperint; uti *Zembla*, *Sambia* Sarmatis omnis terra, aliis certam ipsorum regionem designat; & *Madur* homo, Scandinaviæ Germanis; *Madgyares* vero & *Mogores* Hungari & Tartari sibi ipsis, nempe homines, populi, sed hodie certæ gentes. Quin transit nomen populi in regnantes, ut ostendunt *Theuto* & *Theodo*, ut *Madyas* Rex Scytharum apud Herodotum, ut nunc Indiæ *Mogores* ex *Mogoribus*, id est, Tartaris orti. Ita & *Mannus*, hic Tacito caput est ejus gentis, cui *man* hominem quemvis designat; uti *varo* sive *baro*, de quovis viro, postea de eminentiore; & *queen* (γυνὴ) quævis mulier septentrionalibus, sed Anglis hodie Reginas; ut *frau* jam mulierem Germanis, jam dominam notat. Cæterum *Menes* etiam primus Regum apud Ægyptios.

filios (*d*) assignant: è quorum nominibus proximi Oceano *Ingævones*, medii *Herminones*, cæteri *Istævones* vocentur. Quidam autem licentia vetustatis plures deo ortos pluresque gentium appellationes (*e*) Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant. Eaque vera & antiqua nomina. Cæterum Germaniæ vocabulum recens & nuper additum [auditum] quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint nunc Tungri, tunc Germani (*f*) vocati sunt, ita

B

(*d*) Tres filios Manni hinc post Pseudo-Berosum etiam Conringius suspicatus est dictos *Ingæf*, *Istæf* (vel *Gustaf*) & *Hermin*. Tacitum tale quid credidisse apparet. Sed cum *wonen* Germanis sit habitare, quidam maluere *Ingevones* esse, qui interius habitent, ad Oceanum scilicet, ut Cimbri, Teutones ac Cauchorum gentes & Scandinavii, Plinio teste. *Istevones* vero (velut *Estevones*) qui ad Orientem, quos Plinius Rheno proximos facit, Tacitus videtur melius versus Pannoniam & Sarmatas removisse. *Herminonum* nomine Tacitus medios omnes, Plinius nominatim comprehendit Hermunduros (tanquam qui retinuerint generale nomen) Svevos, Cattos, Cheruscos. Sane Cæsari Catti sunt Svevi. *Hermunduros* autem (Heermænner) & *Herminones* eandem esse vocem apparet, nunc latius nunc arctius sumtam. Quin idem nomen est, Germani & Hermunduri, vel Germani & Hermani; facile enim G & H initiales permutantur, ut Hispani *Hermanos* vocant, quos Romani *Germanos*, Galli *gand*, quod Germani *hand* vel *handschu*, & quod latini *gammaros* nostri *hummer*, ut alia multa taceam. Nec mirum ab Herminonibus, quales Chatti, Gallis propinqui, nomen cæteris Germaniæ populis datum; ut hodieque à nomine superioris Rheni accolis proprio, nostri omnes Galliis Alemanni appellantur. Interim agnosco *Herman* & viri nomen fuisse, qui etiam *Irmin* vel Arminius, non ille Romanis bellis exercitus, sed antiquissimus, quem Tacitus *Manni* filium facit, cujus ut fit in posteriore repetitum nomen. Ille ergo Herminonum sive dux sive genitor pro Deo cultus est etiam Saxonibus in *Irmin-sul* (Irmini columna) in *Irmins wage*, (cœlesti plaustro): quin & ab ipso militaris quædam per Britanniam via Anglo-Saxonibus dicta *Jrminstreet*: nec *Hermetis*, id est, Mercurii nomen abludit. Unde mox Tacitus cap. 9. Germanos deorum maximè Mercurium colere. Cumque Chaldæi & Persæ duos habeant deos, unum bonum *Oromasdem*, alterum malum *Arimanium*, vix est ut non suspicemur, *Irminum* (eundem nescio an diversum Teutatæ, quando uterque Mercurius) Celto-Scytharum maximum principem, antiquissimis temporibus, magna Asiæ parte perdomita cum *Ormisda* Orientalium populorum rege conflixisse; & terrore sui nominis ut alter beneficiis, divinitatem meruisse. Nec quicquam prohibet suis beneficum & artium repertorem, aliis vastitatem intulisse.

(*e*) *Marsi*, ut apparet, à solo; nam hodieque *Marsland*, terra devexa fluminumque alluvione læta, qualis Ditmarsorum. *Gambrivii* possint cum *Cimbris* iidem esse, diverso vocis flexu; Svevi, Vandalique satis aliàs noti, quorum si etyma in hodierna lingua quærere licet, penè eadem vis erit utriusque vocabuli; nam *Svevi*, vagabundos, *Vandali* ambulatores significabunt; at *Kemper* seu *Kimbri* sunt bellatores, id est, idem fere quod *Germani*, ut mox dicemus.

(*f*) Vexatissimus locus varietate interpretationum. Quantum intelligo, *primum* observat Autor Germaniam serò hoc communi nomine appellatam. Ubi assentior, si *serò* intelligit, olim quidem, sed tamen multo post antiqua nomina (ut Svevorum, Marsorum;) sed minus ei subscribo, si respicit ad proxima Cæsari tempora: nam ex Fastis Capitolinis constat, Marcellum, Hannibali æqualem, triumphasse de Bojis & Germanis, qui credo Boetiis, auxilio venerant. *Secundo* quod ait, qui Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungros, tunc Germanos esse vocatos, sumtũ videtur ex Cæsaris lib. 2. Bell. Gall. Nam ut bene observatum est Cluverio, ignota fuit Cæsari Tungrorum appellatio, nominatque illorum loco *Eburones*, *Condrusios*, Segnos, Pæmanos, qui tunc uno nomine Germani appellabantur. Hinc suspicio videtur nata Tacito, hos fuisse primos Germanorum Rhenum transgressos, & ab horum nomine peculiari, ortum deinde commune nomen omnium, etiam Trans-rhenanorum; inque ea suspicione fortasse confirmatus fuit per ea, quæ audierat ipse in illis locis, cum Belgicæ procurator esset. *Tertio* reddere vult rationem Tacitus, unde his primum transgressis nomen Germanorum, nempe *a victore* (id est, ipsismet) *ob metum* fuisse sumtum, scilicet, quo magis metuerentur ab his, quos vincebant vel pellebant. Oportet ergo vocabulum aptum fuisse ad incutiendum metum; & sane Germanis (credo & Gallis) hominem bellicosum significasse apparet. Nam *wehr* arma, *Guerra* vel *gerra* aut *werra* bellum, *hehr*, *bari* exercitus, *hariban* clamor hari (clameur de baro) evocatio ad exercitum. Et serius adhuc *Harimanni* vel *Arimanni*, viri militares, *feudaque Arimanniæ* dicta. Itaque Tacitus cum in Belgica vim vocis intellexisset, judicavit Rhenum transgressos semet vocasse germanos seu viros militares & bellicosos, ut hostibus magis terrorem incuterent. *Quartò* mox factum vult, ut omnes etiam Rhenum non transgressi hoc eodem evalescente paulatim nomine appellarentur. Nempe ut nomina partis attribui solent toti nationi; sic Hellenes, olim pars tantum Græcorum; Iberi Hispanorum; Alemanni non ita pridem de solis Svevis & Helvetiis accipiebantnr. *Quinto* ait omnes dictos hoc nomine *a se ipsis invento*. An quia vox origine Germanica; an quasi Tungrorum exemplo cæteri sponte sumserint nomen, cujus significatio placuisset. Hæc Taciti sententia est, saltem si locus non est corruptus. Nam si legi deberet, *à victo ob metum*; sensus foret, primos Rhe-

ita nationis nomen non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à se ipsis invento nomine Germani dicerentur.

CAP. XXX. Ultra hos (g) Catti initium sedis ab Hercynio (h) saltu inchoant, non ita effusis ac paluſtribus locis, ut cæteræ civitates, in quas Germania patescit, durant siquidem colles, paulatimque rarescunt & Cattos (i) suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus & major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu, omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque & copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus & fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est.

CAP. XXXI. Et aliis Germanorum populis usurpatum, rara & privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignavis & imbecillibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, & hostibus simul, suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum: hæc prima semper acies, visu nova: nam ne in pace quidem vultu mitiore mansvescunt. Nulli domus, aut ager aut aliqua cura, prout ad quemque venêre aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat.

CAP.

Rhenum transgressos à Gallis victis & timore perculsis fuisse appellatos, Germanos, seu viros militares & fortes, mox cœteros quoque id nomen sibi sponte sumsisse, isque sensus paulo priore planior est, quamquam uterque eodem ferè redeat. Cæterum hæc opinio Taciti ex Cæsaris loco, & intellectu vocabuli per conjecturam, ut apparet formata, non usque adeò firma habenda est, ut dissentire fas non sit. Verisimum quidem videtur, non omnium Theotiscorum, sed eorum, qui Gallis propiores notioresque erant, & Rhenum transgrediebantur, nomen fuisse, postea omnibus commune factum. Sed credibile est, partem illam Theotiscorum non accepisse hanc appellationem à metu Gallis incusso, sed secum attulisse; cum sit ipsissimum nomen magnæ gentis transrhenanæ, latiore sensu etiam Cattos complexæ, nempe, ut jam verisimile reddidimus, Herminonum seu Hermannorum, quos Romani Hermunduros vocarunt, eoque flexu vocabulorum cognationes gentium obscurarunt.

(g) *Ultra eos* scilicet, qui trans Rhenum Danubiumque decumates agros exercent, dubiæque possessionis solum; id est eos, ut suspicor, qui postea dicti *Alemanni*, nempe, Asinii Quadrati testimonio apud Agathiam, ex variis gentibus collecti inter Rhætos, Gallos & Germanos. Quanquam ego Asinii ævo, quem & Strabo jam citat, hoc nomen innotuisse non putem in tanto omnium veterum silentio. Et vereor ne Agathias homo græcus Asinium ex alio citarit, qui addidit rei ab Asinio narratæ posterius nomen, cum scilicet hæc colluvies accessu Transrhenanorum in formidabilem Romanis gentem excrevit, Caracallæ petitam; nempe recrudescente sub Antoninis Germania, & Romanis metum reddente, quem ab Augusto ad Trajanum in suo passa erat.

(h) Hercyniæ Sylvæ prima apud Aristotelem mentio Meteor. lib. I.

(i) *Catti & Hassi*, idem nomen pronuntiatione differens secundum dialectos. A felibus, acerrimo animali dicti videntur, ut quidam novæ Franciæ in America populi; Et idem animal alicubi *Katte*, alibi *Hesse*. Nam infinitis locis *h* pro *k*, ut caput, *Haupt*; cervus, *Hirsch*; collis, *Hill*; κολλος, *Hohl*; & sæpius adhuc *s* pro *t* aut vicissim, ut: vvasser, *Waater*; vas, *Vat*; maas, *Maat*; &c. Cattorum autem seu felium est lacerare, scindere unguibus, & sane Saxonibus nostris inferioribus *Cadden* est secare, superioribus adusque Silesios *Cottelhof*, macellum; & superest Anglis *cut* secare; Slavis vero carnifex est *kat*. Videntur tamen Catti præter Hassiam & partem Thuringiæ tenuisse, unde ipsis cum Hermunduris bellum ob flumen gignendo sale fœcundum; ipsam scilicet Salam. Mattiaci fuere pars Cattorum vel appendix, ubi & Curtius Rufus venas scrutatus est (Tac. ann. 11.) ubi & *aquæ calidæ* à Plinio collocantur lib. 31. c. 2. *aquæ Mattiacæ* Marcellino l. 29. hodie Wisbade. Sed vereor ne, qui à nostro Tacito alibi Batavis conjunguntur, pro *Mattiacis* legendi sint *Marsacii* vel *Marsaci*, quos Caninefatibus (in ipsa insula Batavorum positis) vicinos Civilique Batavo adhærentes Labeo incursabat, Hist. l. 4. & qui vicini Batavis Frisiisque minoribus Plinio autore, à Cluverio Velaviæ ascribuntur.

CAP. XXXII. Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri (*k*) colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituêre majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes inter familiam & penates, & jura successionum; equi traduntur, excipit filius non ut cætera maximus natu, sed prout ferox bello & melior.

CAP. XXXIII. Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos & Angrivarios immigrasse narratur (*l*), pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum: nam ne spectaculo quidem prælii invidere, super LX. millia non armis telisque ceciderunt. Maneat, quæso, duretque gentibus si non amor nostri, ad certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

CAP. XXXIV. Angrivarios & Chamavos à tergo Dulgibini & Chasvari cludunt, aliæque gentes haud perinde memoratæ, à fronte Frisii excipiunt (*m*) majoribus minoribusque Frisiis vocabulum est, ex modo virium: utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus navigatos, ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus, & superesse adhuc Herculis columnas (*n*) fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consuevimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum de actis Deorum credere quam scire.

CAP. XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam novimus. In septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim *Chauiorum* gens, quanquam incipiat à Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur (*o*). Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci; sed & implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus, aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores

(*k*) Inter hos & Cattos olim Sicambri habitarunt supra Lupiam ad Sigam amnem; supra hos Ubii prope Lonam. Cæsar apud Ubios Rhenum transgressus in fines Sigambrorum contendit lib. 4. Drusus (Dione autore lib 54.) in Usipetarum Regionem juxta insulam Batavorum, inde Lupia transmisso in Sicambros irrupit. Sigambros deinde multosque Cattorum Augusti auspiciis in Germania militans Tiberius, Vellejo teste, in deditionem acceptos cis Rhenum traduxit. His partim Catti videntur successisse, partim Usipii, Tenchterique, qui pene usque ad confinia Batavorum habitabant.

(*l*) Bructeri ad Rhenum vel non procul, infra Vesaliam Luppiæve confluentes medio ævo *Bructuarii*: manente nomine à solo, etsi mutatis habitatoribus. *Chamavi* intra Lupiam & Amasium. *Angrivarii* superius versus utriusque fluvii fontes. Chamavorum caput fuerit, ubi hodieque opidum *Ham:* inde per Monasteriensem tractum & Bentheimensem Comitatum usque ad Frisiorum fines descendebant. Angrivarii ferè sunt qui serius *Angarii*, Engern, quos Amisius à Westfalis dividebat. Ab his populis Bructeros pulsos consentaneum est, qui infra eos colebant in depressis ac palustribus locis, id enim *broek*, *brauk* notat.

(*m*) Omnia pulchrè consentiunt, *Bructeri* propius Rheno, remotius *Chamavi* usque ad Frisios descendebant. Chamavi à fronte, id est versus Oceanum, Frisios habebant, à tergo Dulgibinos & Chasvaros. Hos dubiæ hactenus sedis, videor mihi suis finibus restituisse. *Dulgibini* Teclenburgii sunt, *Chasvari* Hasæ amnis accolæ, id est Osnabrugenses:, ut mirer acutissimum Cluverium Dulgibinos versus, Paderbornam & Visurgim, Chasvaros ad Huxariam usque removisse; & Ferdinandum Paderbornensem Episcopum, sui ordinis doctissimum Germanorum, Cluverii judicium in Dulgibinis collocandis esse secutum.

(*n*) Nihil video in septentrione, quod accedat ad Herculis columnas, nisi fretum Danicum velis Gaditano conferre: inde forte apud Græculos fabulæ origo de Herculis expeditione in hoc mari.

(*o*) *Chauci minores* intra Amasum & Visurgim; *Majores* intra hunc & Albim. *Minores* memoratarum gentium, nempe Chamavorum, Dulgibinorum, Chasvarorum & Angrivariorum lateribus obtendebantur, ascendentes usque ad Visurgis flexum, hodiè Mindensem principatum; quousque è contrario propemodum descendebant Catti, præsertim Cheruscis pulsis, ut mox dicam. *Majores* vero Chauci per Bremensem Verdensemque tractum in Luneburgensem Ducatum ad Cheruscos usque Fososque ac Longobardos assurgebant. Cæterum Chaucos vel Caycos dictos volunt ab ave ulula, quæ nunc quoque Kauz in his oris. Ulula autem est æmulus Catti venator. Alii à *Kayke*, graculo, quorum multitudo in illis oris, derivant. Talia nomina gentium usurpantur & Americanis, ut jam dixi.

ores agant, non per injurias assequuntur. Promta tamen omnibus arma ac, si reposcat, exercitus: plurimum virorum equorumque: & quiescentibus eadem fama.

CAP. XXXVI. In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci (*p*) nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt: idque jucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos falso quiescas; ubi manu agitur modestia ac probitas, nomina superioris sunt. Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum & Fosi (*q*) contermina gens, adversarum rerum ex æquo socii, cum in secundis minores fuissent.

CAP. XXXVII. Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri (*r*) tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens; veterisque famæ latè vestigia manent, utraque ripa castra, ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti fere & decem anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuêre; quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium dejectus oriens objecerit? At Germani Carbone & Cassio & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium; donec occasione discordiæ nostræ & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavêre: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt.

CAP.

(*p*) Cherusci Cattis Oceanum respicientibus ad dextram, Chaucis Rhenum spectantibus ad sinistram jacebant. Itaque velut in angulo erant utriusque gentis. In utraque Visurgis ripa habitabant; in dextra semper, sed etiam in sinistra tunc, quando Arminius Varum cum legionibus obtrivit. Sed postea à Cattis pulsi ulteriora amisêre, quæ ab Huxaria aut etiam superius per Paderbornensem tractum usque ad Mindam & Cauchos tenebant. Sed retinuêre regiones cis-Weseranas, quæ hodie maximam partem principi Electori, Brunsvicensium Duci parent, ab Hercyniis montibus, quos Harzicos nunc dicimus, ferè usque ad Alleræ Visurgisque confluentes. Nec refragabor partem Thuringiæ iisdem montibus subjectam addenti. Et credibile est, Cheruscos, vel tanquam Harzicos ab illis ipsis jugis, vel, si mavis, à flumine suo Werra tanquam Gueruscos dictos, *Guerrische*. Werra autem & Visurgis idem, ut constat, & Wirraha contractum ex Visuraha, & utrumque nomen fluvio etiam his locis datum, antiqua monumenta ostendunt, de quo plura, ubi Warinos in Procopii excerptis attingemus.

(*q*) De *Fosis* mira est doctissimi Cluverii sententia. Removet eos trans Albim, & in Saxones transformat, nullo prorsus indicio, nisi, quod ad Cimbros à Chaucis & Cheruscis non nisi per Saxones transiri potuisse videatur, nec credibile sit hos Tacito ignoratos aut dissimulatos. Sed conjectura foret verisimilior, si Fosi inter Chaucos & Cimbros collocarentur, non annecterentur Cheruscis. Conringius inter hujus capitis finem & sequens de Cimbris aliquid deesse putat, ubi Saxones memoratos credit; quod ego quidem in medio relinquam. *Fosos* autem restituisse me puto sedibus suis, ad Fusam scilicet amnem, qui in Hildesiensi ditione Feinam opidum præterlabens apud Cellas Aleram subit. Ita patet Fosos fuisse velut appendicem Cheruscorum, ut hodie Brunsvicensium Hildeshemenses.

(*r*) Cimbros Oceani accolas Posidonius (apud Strabonem l. 7.) ad Mæotidem usque paludem olim armis vagatos Cimmerio Bosporo nomen dedisse scribit, & Cimbros Græcis esse Cimmerios. Strabo etiam libro undecimo *Pagum* nescio quem nominat Cimbrum, unde navigetur ad Mæotim. Eam expeditionem Cimbrorum antiquam fuisse oportet, si vera est: nam Homeri jam tempore Cimmerii Græcis noti fuêre. Et Cimmerios Herodotus narrat habitasse ad Euxinum mare, atque à Scythis pulsos in Asiam irrupisse. Non ergo tunc prædones fuêre ab Oceano venientes, sed populi fixam ad pontum sedem habentes, iidem fortasse aut cognati Bastarnis, qui etiam Germani. Certius adhuc est Britanniæ majoris incolas ex antiquo genere in Wallia & Cornvvallia superstites Cumræos sibi ipsis dici ab antiquis Cimbris progenitoribus suis, ut postea Angli successores Britannorum orti sunt à Saxonibus & Iutis successoribus Cimbrorum. Nam Wallica lingua semigermanica est, ut examinando deprehendi, nec dubium est, posteriores Germanos ab antiquissimis tantundem discessisse, quantum Germanica lingua à Wallica vel Gallica vetere abest.

CAP. XXXIIX. Nunc de Svevis (*s*) dicendum est, quorum non una; ut Cattorum Tencterorumve gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Svevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Svevi à cæteris Germanis. Sic Svevorum ingenui à servis separantur. Sic in aliis gentibus seu cognatione aliqua Svevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum & intra juventæ spatium; apud Svevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant: principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ sed innoxiæ: neque enim ut ament amenturve: in altitudinem quandam & terrorem, adituri bella, comti, ut hostium oculis, ornantur.

CAP. XXXIX. Vetustissimos se nobilissimosque Svevorum Semnones (*t*) memmorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum & prisca formidine sacram omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoque publicè homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis præ se ferens; si forte prolapsus est, attolli & insurgere haut licitum; per humum evolvuntur; eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum; centum pagis habitantur; magnoque corpore efficitur, ut se Svevorum caput credant.

CAP. XL. Contra *Langobardos* (*u*) paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt. *Reudigni* deinde & *Aviones*, & *Angli* & *Varini*, & *Eudoses* & *Suardones* & *Nuithones* fluminibus aut silvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune *Herthum*, id est, terram matrem colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani *Castum nemus*; dicatumque in eo vehiculum veste contectum attingere uni sacerdoti concessum.

(*s*) *Svevos* Tacitus latissime extendit trans Balthicum usque mare, quod Svevicum vocat infra c. 45. Cæsar tamen Cattos etiam Svevis annumerasse videtur, ut ita Svevi fuerint iidem, qui Herminones. Certe Hermunduri serius in Rhetiam & vicinos Alamannorum tractus transgressi, constituisse videntur eos Svevos, qui nomen hodie servant alibi amissum. Et Strabo ait à Rheno ad Albim & ultra habitare Svevos, & ipsum eos Hercynium saltum tenere; imò trans Albim porrigi usque ad Getas. Sed ita Istævones quoque absorberent, quod non puto.

(*t*) *Semnones* Cluverius ait habitasse ad utramque Viadri ripam, qui & Svevus dictus sit veteribus. Addiderim ego & Havelam, Spreamque atque adeo Marchiam trans Albinam omnem & Pomeraniæ partem, ac fortasse Lusatiæ quoque. Neque enim minore spatio opus est, ut *centum pagis* habitasse credantur.

(*u*) Langobardos Strabo, Tacitus, Ptolomæus ad Albim locant, quod cum Prosperi & Pauli Diaconi patre Warnefrido Longobardo nati narratione stare non potest, quasi ex Scandinavia venerint, & quidem serò admodum, si tempora ex Diacono supputes, cujus alioqui narratio fabulosa est: Adde quod Saxones (amicos utique & vicinos olim,) secum in Italiam duxere. Itaque non possum assentiri summo viro, Hugoni Grotio, duplices introducenti Longobardos. Nomen à longis barbis deducit Paulus. Quidam tamen docti viri aliter sentiunt. Nempe *Börden* Germanis agri ampli, ut *angara* angusti & intra valles conclusi. Itaque non minus quam Angrivarii & Marsi & Bructeri à soli genere dicti fuerint Bardi vel Longobardi, ad dextram Albis ripam à Luneburgiis per veterem Marchiam usq; ad Magdeburgenses porrecti. Nam urbs *Bardewic* celebris olim, post deleta (ex cujus ruinis Luneburgum crevit) & *Bardungau*, vicina regio, indicant Bardorum oppidum, Bardorum pagum, vel tractum. Strabo Longobardos trans Albim locat, errore opinor, quemadmodum & Hermunduros, quos tamen cis Albim cum Cattis de Sala flumine certasse, & non nimium a Danubio abfuisse ex Tacito discimus. Certè expeditione Tiberii fractos Longobardos Vellejus scribit, sed Albim is utique transgressus non est. Etiam à Ptolomæo cis flumen ponuntur. Et Italo Cheruscorum Regi auxilio fuere dè propinquo. Quanquam nec præfractè negare velim, partem aliquam agri habuisse Longobardos trans Albim. Neque enim absurdum est etiam in alteram ripam transgressos terræ spatium aliquod intra Havelam & Albim tenuisse, tutos tum virtute tum loci situ contra magnas in vicinia gentes. *Anglos*, ubi nunc Holsati aut Wagrii, *Varinos* vel *Varnos* ad Varnam flumen in Mechlenburgico tractu collocandos nemo dubitat. *Aviones* & *Eudoses*, *Svardones*, *Nuithones* ignoramus. Conringius Vuithones, adeoque Albos Suardonibus seu nigris oppositos, legit. Nec *Reudingos* noscimus, nisi cum Cluverio in Deuringos seu Thoringos transformentur; qui postea, ut Warini & cæteri pleriq; sedem mutarint. Idem *Aviones* non male cum Cavionibus eosdem facit, quos Mamertinus, in genethliaco Maximiani, cum Erulis deletos scribit, & in Panegyrico eidem dicto rursus Chaibones Erulis conjungit tanquam viribus primos barbarorum, locis ultimos. Insulam hanc in Oceano Rugiam esse pleriq; credunt. De Anglis tantum addo ex autoritate Ethelredi, Anglo-Saxonum Regis, Angliam veterem sitam fuisse inter Saxones & Giotos [vulgo Jutas] habentem opidum capitale, quod lingva Saxonum Slesvich, secundum Danos Haiteby dictum.

ſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca quæcumque adventu hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt; clauſum omne ferrum; pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata; donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum & veſtes, & ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur: ſervi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hic terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri vident.

CAP. XLI. Et hæc quidem pars Svevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut quomodo paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) *Hermundurorum* (*x*) civitas, fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima Rhætiæ colonia: paſſim ſine cuſtode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſtendamus, his domos villasque patefecimus non concupiſcentibus. In Hermunduris *Albis* oritur; flumen inclitum & notum olim nunc tantum auditur.

CAP. XLII. Juxta Hermunduros *Nariſci*, ac deinde *Marcomanni* (*y*) & *Quadi* agunt. Præcipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Bojis, virtute parta. *Nariſci Quadive* degenerant. Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio peragitur. Marcomannis Quadisve usque ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus; jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus, ex auctoritate Romana: raro armis noſtris, ſæpius pecunia juvantur.

6. Ex

(*x*) De *Hermunduris* jam aliquid dicere occupavimus, cum de Herminonibus, & origine appellationis Germanorum diximus. Videntur tenuiſſe Miſniam & Vogtlandiam & Franconiæ partem, & quicquid intra Salam fluvium Thuringorum & Bohemicos montes interjacet. Albim in Hermunduris oriri non recte Tacito relatum, & forte ex male intellectis delineationibus fons Egræ pro Albis origine habitus eſt; non multum enim magnitudine diſcrepant Egra, Mulda & Albis antequam miſcentur. Strabo Hermunduros trans Albim locat, rectius Vellejus ait Semnonas & Hermunduros interfluere, eoque Romanum exercitum perductum.

(*y*) Nariſci vicini Hermunduris in Franconia, quam hodie vocant; nam quæ nunc Franconia dicitur, Carolinis temporibus Boicæ pars fuit, nec Franci, vetuſtiores inde egresſi ſunt. *Marcomanni* a *Marca* fluvio Moraviæ dicti Bojohemum occupavere; Maroboduo eos a Danubio & Romanis removente, atque in Hercyniæ *interiora* ducente, apud Vellejum. Cluverius *inferiora*, legit, atque inde Marcomannorum ſedes priores apud Rhenum quærit, eo etiam argumento, quod in Arioviſti exercitu Cæſar commemorat Marcomannos. Sed ille auxiliares habere potuit, cum & Bojorum Regis Marcomannis proximi filia in matrimonio ejus eſſet. Niſi quis duplices Marcomannos malit: ex quibus Arioviſto ſubditi, ut Harudes, fracti evanuere, eorumque agri facti decumates, unde nati tandem Alemanni. Maroboduum certè & quos rexit aliquid cum Rheno commune habuiſſe non apparet, & per tanta terrarum ſpatia à Rheno ad Albim & Pannoniam tam facile ſedem transtuliſſe proculcata potentisſima Hermundurorum gente totque aliis populis, quis credat? Sed a Marca fluvio proximus tranſitus eſt in Bojohemum. His autem Marcomannis adjacebant Quadi, quos Strabo facit conterminos Getis, id eſt Dacis. Itaque partem Moraviæ & Sileſiæ tenuerunt usque ad Sarmatiam & Carpathios montes. Strabo omnes in Svevis numerat: Tacitus non ita manifeſtè. Lugios tamen (id eſt reliquos Sileſios) vicinosque tunc cis Viſtulam (Guttones & Burgundiones,) à Svevis Strabo ipſe diſtinguit, cum Maroboduum eos ſibi ſubjeciſſe ait, & ex Svevis magnam nationem Semnones. Hos ergo a Svevis atque adeo Herminonibus diſcretos ego *Iſtævones* cenſeo, id eſt Germanos orientales, qui deinde Dacis à Trajano everſis in eorum loca ſucceſſere, commotaque omni barbarie Marcomannico bello, ad Euxinum usque pontum progresſi inter Danubium & Tanaim Gothorum regna condiderunt. Multo ante Baſtarnæ & Peucini à Plinio illuc referuntur, ultra Dacos utique porrecti. Tacitus dubius hæret Peucinos Venedos & Fennos, Germanis an Sarmatis aſcribat. Equidem *Venedos* ad Sarmatas referri debere, *Fennos* peculiarem eſſe Gentem Scythiæ, a Germanis Sarmatisque diſtinctam, ſerius conſtitit. Sed cum ipſe Tacitus ſubjiciat: Peucinos, quos quidam Baſtarnas vocent, ſermone referre Germanos, quæſtio ab ipſomet deciſa eſt: unde enim illis ſermo Germanicus, niſi ab origine Germana? Galatas vel Keltas (id eſt Germanos) Baſtarnarum nomine ad Iſtrum habitaſſe & à Perſeo contra Romanos fuiſſe excitos, Livius & Plutarchus ex Polybio narrant. Valerius Flaccus in Argonauticis Ducem iis *Teutagonum* tribuit, Livius *Cottonem* nominat, nobilem Baſtarnam. Hæc nomina Germanicum ſonant, ipſaque Baſtarnarum appellatio. Maximam fuiſſe gentem vel inde judices, quod *Baſtarnicæ Alpes* in Peutingeriana Tabula dicuntur, qui alias Carpathii montes. Unde neceſſe eſt inde usque ad Pontum habitaſſe. Itaque minus jam mirere Gothos ſerius ſupervenientes à Taurica Cherſoneſo ad Iſtrum omnia impleviſſe, quod ſcilicet priores ad Pontum Germanicæ gentes in unum cum ipſis nomen concesſiſſent.

6. Ex Taciti Annalium
Lib. IV. Cap. 44.

DOmitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Cæsaris misceretur. Avus Pharsalica acie, pro optimatibus ceciderat, ipse delectus, cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur. Post, exercitu flumen *Albim* transcendit *longius penetrata Germania, quam quisquam priorum* (*); easque ob res insignia triumphi adeptus est.

(*) Nam Drusus accessit tantum ad Albim, Tiberius in eum classem subvexit, flumen non transmisit; ut ex Vellejo intelligitur.

7. Ex C. Svetonii Tranq. Claudio Cæsare.

GAbinio secundo, *Chaucis*, gente Germanica, superatis, *Chaucius* cognomen usurpare concessit.

8. Ex Claudii Ptolomæi Geographiæ
Libr. II. Cap. 11.

Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ἀρχομένης ὑπ᾽ ἄρκτων,

Οἵ τε Βουσάκτεροι οἱ μικροὶ, καὶ οἱ Σύγαμβροι.

Ὑφ᾽ οὓς οἱ Σουῆβοι Λαγγόβαρδοι.

Εἶτα Τίγγροι.

Καὶ Ἰγγριῶνες, μεταξύ τε Ῥήνου, καὶ τῶν Ἀβνοβαίων ὀρέων.

Καὶ ἔτι Ἰντούεργοι.

Καὶ Οὐαργιῶνες.

Καὶ Κάριτνοι.

Ὑφ᾽ οὓς Οὐίσποι.

Καὶ ἡ τῶν Ἐλουητίων Ἔρημος, μέχρι τῶν εἰρημένων Ἀλπίων ὀρέων.

Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν, ὑπὲρ μὲν τοὺς Βουσακτέρους, οἱ Φρίσιοι, μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ.

Μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ.

Εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.

Ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς Χερσονήσου, Σάξονες.

TEnent autem Germaniam, quæ circa Rhenum fluvium incipit à parte septentrionali,

Busacteri (a) appellati *parvi*, ac Sycambri.

Sub quibus (b) *Svevi Langobardi*.

Postea *Tingri* (c).

Et *Ingriones* (d) inter Rhenum & *montes Abnobæos*.

Præterea *Intovergi*.

Et *Vargiones* (e).

Et *Caritni* (f).

Sub quibus Vispi.

Et *Elvetiorum Eremus* usque ad dictos Alpium montes.

Partem vero, quæ secus Oceanum est, habitant supra Busactores, *Phrissii*, usque ad *Amisium* fluvium.

Post hos *Cauchi*, qui appellantur *parvi* usque ad fluv. Visurgim.

Post hos *Cauchi majores* dicti, usque ad Albim fluvium.

Deinde supra dorsum Cimbricæ Chersonesi *Saxones* (g).

Ipsam

(a) Bructeri.
(b) Imò longè absunt.
(c) Tencteri.
(d) *Ingriones* & *Intovergi* ignorantur.
(e) Vangiones forte.
(f) An Harudes. Ita Vargiones & Caritnos interpretor, quia Rheno vicinos autor intelligere videtur; Sin parum ejus collocationi fidendum putemus, (uti certè parum fida esse solet) possent intelligi Varini & Carini, quos Plinius facit partem Vindilorum.
(g) Hæc prima mentio Saxonum apud veteres. Lucani enim locum male de Saxonibus legi ferè constat inter eruditos.

Αὐτὴν δὲ τὴν Χερσόνησον, ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας Σιγουλῶνες ἀπὸ δυσμῶν.

Εἶτα Σαβαλίγγιοι.

Εἶτα Κόβανδοι.

Ὑπὲρ οὓς Χάλοι.

Καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους δυσμικώτεροι μὲν Φουνδούσιοι.

Ἀνατολικώτεροι δὲ Χαροῦδες.

Πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι Κίμβροι.

Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλούσου ποταμοῦ, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ Φαροδῆνοι.

Εἶτα Σιδῆνοι, μέχρι τοῦ Ἰαδούου ποταμοῦ.

Καὶ ὑπ' αὐτοὺς Ρουτίκλειοι, μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ.

Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μὲν ἐστὶ τότε τῶν Σουήβων τῶν Αγγείλων, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λογγοβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.

Καὶ τὸ τῶν Σουήβων τῶν Σεμνόνων, ὅιτινες διήκουσι μετὰ τὸν Ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολάς, μέχρι τοῦ Σουήβου ποταμοῦ.

Καὶ τὸ τῶν Βουγούντων τὰ ἐφεξῆς, καὶ μέχρι τοῦ Οὐιστούλα κατεχόντων.

Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται, Καύχων μὲν τῶν μικρῶν καὶ τῶν Σουήβων Βουσάκτεροι οἱ μείζους.

Ὑφ' οὓς Χαῖμαι.

Καύχων δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν Σουήβων Ἀγγριουάριοι.

Εἶτα Λακκόβαρδοι.

Ὑφ' οὓς Δουλγούμνιοι.

Σαξόνων δὲ, καὶ τῶν Σουήβων Τευτονόαροι.

Καὶ Οὐιροῦνοι.

Φαροδηνῶν δὲ καὶ Σουήβων Τεύτονες.

Ipsam autem Chersonesum supra *Saxones* ab occasu *Sigulones*.

Postea *Sabalingii*.

Post *Cobandi*.

Supra quos *Chali*.

Et super iis quoque magis quidem occidentales sunt *Phundusii*.

Magis vero orientales *Charudes* (*b*).

Omnium autem maximè septentrionales *Cimbri*.

Post *Saxones* verò à *Chaluso* (*i*) fluvio usque ad Svevum fluvium tenent *Pharodeni* (*k*).

Post *Sideni*, usque ad *Viadrum* fluvium.

Sub ipsis *Ruticlii*, usque ad fluvium Vistulam.

Interiores autem atque mediterraneæ gentes maximè sunt *Svevi Angeli*, qui magis orientales sunt quam Longobardi, protensi ad septentrionem usque ad medium *Albis* fluvii (*l*).

Tum *Svevi Semnones*, qui habitant post Albim à præfata parte versus ortum, usque ad *Svevum* (*m*) fluvium.

Præterea qui protenduntur ad *Buguntas* (*n*), qui cætera tenent, quæ inde subsequuntur usque ad Vistulam.

Minores autem gentes & inter *Cauchos parvos* atque *Svevos* jacent *Busacteri* (*o*), qui *majores* nominantur.

Sub quibus Chæmæ (*p*).

Inter Cauchos autem majores ac Svevos adjacent *Angrivarii* (*q*).

Post *Laccobardi* (*r*)

Sub quibus *Dulgumnii* (*s*).

Inter Saxones autem *&* *Svevos Teutonarii*.

Et *Viruni*.

Inter Pharadenos vero & Svevos sunt *Teutones* (*t*).

Et

(*b*) In Cimbrica Chersoneso tot populos, scilicet *Sigulones*, *Sabalingios*, *Cobandos*, *Chalos*, *Phundusios*, *Charudes* alii ignorant; credibile est, Cimbrorum & Saxonum nominibus absorptos.

(*i*) An is Trava, qui Lubecam præterfluit.

(*k*) Varni.

(*l*) Hæc magis Longobardis competunt; nam Angli potius vicini ostio Albis.

(*m*) Quis hic Svevus fluvius, non satis apparet.

(*n*) Burgundiones.

(*o*) Bructeri.

(*p*) Chamavi.

(*q*) Potius inter minores Cauchos & Cattos, atque ita inter Rhenum & Visurgim.

(*r*) Hi utique propinqui Cauchis majoribus inter Visurgim & Albim.

(*s*) Dulgibini, opinor, hi rursus inter Rhenum & Visurgim.

(*t*) Teutonarios à Teutonibus distinguit, non rectè, ut apparet. Nec Viruni (id est Varini) alii à Pharadenis censeri debent. Itaque Teutones extra Cimbricam Chersonesum inter Albim & mare Balthicum Ptolomæo locantur.

Καὶ Ἄυαρποι.

Ῥουτικλείων δὲ καὶ Βουλουντῶν Αἰλουαιῶνες.

Πάλιν ὑπὸ μὲν τοὺς Σέμνονας οἰκοῦσι Λίγγαι.

Ὑπὸ δὲ τοὺς Βουγούντας, Λόγγοι οἱ Ὄμανοι.

Ὑφ' οὓς Λόγγοι Διδοῦνοι, μέχρι τοῦ Ἀσιβουργίου ὄρους.

Ὑπὸ τοὺς Ἰλίγγας Καλουκῶνες ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ.

Ὑφ' οὓς Χαιροῦσκοι.

Καὶ Καμαῦοι, μέχρι τοῦ Μηλιβόκου ὄρους —.

Νῆσοι δὲ ὑπερκεῖνται τῆς Γερμανίας, κατὰ μὲν τὰς τοῦ Ἄλβιος ἐκβολὰς, αἱ καλούμεναι Σαξόνων τρεῖς, ὧν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοίρ. λα. νζ. γο. Ὑπὲρ δὲ τὴν Κιμβρικὴν Χερσόννησον, ἄλλαι τρεῖς νῆσοι Ἀλοκίαι καλούμεναι. Ὧν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοίρας λϛ. νθ. γ.

Ἀπ' ἀνατολῶν δὲ τῆς Χερσοννήσου, τέσσαρες αἱ καλούμεναι Σανδίαι, τρεῖς δὲ μικραί. Ὧν ἡ μέση ἐπέχει μοίρας μα. λ'. νη.

Μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Οὐιστούλα ποτ. Ἧς μὲν τὸ δυτικώτατον ἐπέχει μοίρας μγ. νη.

Τὸ δὲ ἀνατολικώτατον μϛ. νη.

Τὸ δὲ ἀρκτικώτατον μδ. λ'. νη. λ'.

Τὸ δὲ μεσημβρινὸν με. νζ. γο.

Καλεῖται δὲ ἰδίως καὶ αὐτὴ Σκανδεία.

Καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν δυτικὰ Χαιδεινοί.

Τὰ δὲ ἀνατολικὰ Φαυῶναι, καὶ Φιραῖσοι.

Τὰ δὲ μεσημβρινὰ Γοῦται,

Καὶ Δαυκίονες.

Τὰ δὲ μέσα Λευῶνοι.

Et *Avarpi.*

Inter Ruticleos verò & Butuntas *Ælvaones* (u).

Iterum sub Semnonibus habitant *Lingæ*. Sub Buguntis autem *Longi* (x) *Omani.*

Sub quibus *Longi Diduni* usque ad *Asciburgium* (y) montem.

Sub Ilingis vero *Calucones* (z) ex utraque Albis fluvii parte.

Sub iis *Cherusci.*

Et *Chamavi* usque ad *Melibocum Montem* —.

Insulæ Germaniæ adjacent juxta Albis fl. ostia tres, *Saxonum* (a) appellatæ. Quarum medium gradus habet 31. 57. 40. Supra autem Cimbricam Chersonnesum aliæ tres *Alociæ* (b) dictæ. Quarum medium gradus habet 36. 59. 20.

Ab orientali parte Chersonnesi, *quatuor Scbandiæ* nuncupatæ, tres quidem parvæ (c); ex quibus ea, quæ media est, partes habet 40. 30. 56. 0.

Una vero, quæ maxima earum est, & maximè orientalis, juxta Vistulæ fl. ostia est, cujus quidem occidentalissima pars habet gradus 43. 58. 0.

Ejus maximè pars orientalis 46. 58. 0.

Pars maximè septentrionalis 44. 30. 58. 30.

Pars ejus meridionalis 45. 57. 40.

Vocatur autem & hæc propriè *Scandia* (d).

Et tenent ipsius occidentalia *Chædini.*

Orientalia vero *Phavonæ* (e) & Phiræsi.

Meridionalia Gutæ (f),

Et *Daucione*s (g).

Media autem tenent *Levoni* (h).

C 9. Ex

(u) Avarpi, Ruticlei & Aelvæones ignorantur.

(x) Lingæ, Longi, Ilingi, credo non alii quam Lygii.

(y) Asciburgius ergo mons in Silesiæ confiniis.

(z) Calucones aliis ignorati, nisi forte huc pertinent Caulci aut Cathulci Strabonis.

(a) Ex his duæ certæ videntur: *Insula sancta* (Helligeland); & *Strandia*, vicinæ Albi; de tertia non satis constat.

(b) Nomen hodie servat insula *Alsen* in Balthico mari.

(c) An Seelandia, Fionia, & Lalandia.

(d) Ex peninsula insulam fecêre autores. Scandia revera non alia veteribus incolis fuisse videtur, quam quæ hodie Scania; sed exteri in ulteriores Suionum & Sitonum regiones extenderunt Scandiæ vel Scandinaviæ nomen.

(e) De Chædinis, Phavonis & Phiræsis, quod dicam, non habeo.

(f) Gutæ in Scandinavia, hodie Ostgothi & Westgothi.

(g) *Danciones* quidam putant legendos Danciones, & esse *Danos*; licet enim hi extra Scandinaviam sint siti, scimus tamen Ptolemæum non admodum exactè ad veritatis normam populos locare. De Danis plura in notis ad Excerpta ex Chorographo Ravennate.

(h) Sanè & *Levoni* non alii esse videntur, quam qui hodie Livoni aut Libones, quos male in Scandinaviam transfert autor.

9. Ex Caji Julii Solini

Polyhistoris Cap. XX.

MOns ipse ingens (*a*), nec Ripæis minor collibus, initium Germaniæ facit. Inguæones tenent, à quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit. Dives virorum terra, frequens populis numerosis & immanibus. Extenditur inter Hercynium saltum & rupes Sarmatarum. Ubi incipit, Danubio, ubi desinit, Rheno perfunditur. De internis ejus partibus, Albis, Guthalus, Vistula, amnes latissimi, præcipitant in Oceanum. Saltus Hercynius aves alit, quarum pennæ per obscurum emicant, & interlucent, quamvis densa nox edenset tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, prajactisque per opaca callium rationem vitæ moderentur indicio plumarum refulgentium (*b*). In hoc tractu sane, & in omni septentrionali plaga, bisontes frequentissimi, qui bovis feri similes, setosi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti assvescere manu nesciunt. Sunt & Uri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos: cum bubali pene ad cervinam faciem procreentur in Africa. Istis porro, quos Uros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, ut dempta ob insignem capacitatem inter regias mensas potuum geruta fiant. Est & Alces mulis comparanda, adeo propenso labro superiore, ut nisi recedens in posteriora vestigia, pasci non queat. *Gangavia* insula in regione Germaniæ mittit animal, quale Alces. Sed cujus suffragines, ut Elephantis flecti nequeunt. Propterea non cubat, cum dormiendum est tamen, somnolentam arbor sustinet, quæ ad prope casuram secatur, ut fera, dum asvetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. Ita capitur: alioqui difficile eam mancipari: nam in illo rigore poplitum incomprehensibili fuga pollet. De Germanicis insulis *Gangavia* (*c*) maxima est: sed nihil in ea magnum præter ipsam. Nam *Glesaria* dat Crystallum, dat & succinum, quod succinum Germani gentiliter vocant Glæsum.

(*a*) Sevo.
(*b*) Fabula.
(*c*) Non apparet, quæ insula magna credita antiquis ex adverso Germaniæ, quam Scandinaviæ. Sed illa non habet animal, quale Alces: Rheno seu Rangifer enim multo minor est & alia forma.

10. Ex Dionis Hist. Rom.

Libr. LIV.

ΤΟ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ τῷ Δρούσῳ συνέβη. Τῶν τε γὰρ Συγάμβρων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν, διά τε τὴν τοῦ Αὐγούστου ἀπουσίαν, καὶ διὰ τὸ τοὺς Γαλάτας μὴ ἐθελοδουλεῖν, πολεμωθέντων σφίσι, τό τε ὑπήκοον προκατέλαβε, τοὺς πρώτους προφάσει τῆς ἑορτῆς, ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν ἐν Λουγδούνῳ τελοῦσι, μεταπεμψάμενος· καὶ Κελτοὺς τηρήσας τὸν Ῥῆνον διαβαίνοντας, ἀνέκοψε. καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὴν τῶν Οὐσιπετῶν κατὰ αὐτὴν τὴν τῶν Βαλαούων νῆσον διέβη. Καὶ ἐπὶ τὴν Συγαμβρίδα ἐκεῖθεν ἐπιπαρελθὼν, συχνὰ ἐπόρθησεν. ἔς τε τὸν Ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας, τούς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο, καὶ ἐς τὴν Χοαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν, ἐκινδύνευσε, τῶν πλοίων ἐπὶ τῆς τοῦ Ὠκεανοῦ παλιρροίας ἐπὶ ξηροῦ γενομένων. Καὶ τότε μὲν ὑπὸ τῶν Φρεισίων πεζῇ συνεστρατευκότων αὐτῷ

IDem hoc Druso etiam obtigit. Hic, cum Sicambri, eorumque auxiliarii propter absentiam Augusti, ac quia videbant Gallos jugum servitutis gravatim ferre, bellum movissent, Gallorum primoribus sub prætextu ejus festi, quod hodie etiam Lugduni ad aram Augusti celebratur, evocatis, motum subditorum præoccupavit: inde Germanis intentus, quando Rhenum transirent, eos repulit, atque ipse deinde in Usipetarum regionem secundum insulam Batavorum, atque inde in Sicambrorum terram transgressus, magnam agri partem vastavit. Inde secundo Rheno in Oceanum devectus, Frisios subegit, ac per paludem in Chaucorum fines profectus, in periculo fuit, navibus propter defluxum maris in sicco destitutis; tamen Frisiorum opera, qui pedestri militia se ei junxerunt, superato discrimine, inde digressus (jam enim hiems appetebat) Romam pervenit: ibique prætor urbanus, quanquam Præto-

σωθεὶς, ἀνεχώρησε (χειμὼν γὰρ ἦν) καὶ ἐς τὴν Ῥώμην ἐλθὼν, ἀστυνόμος ἐπί τε Κυΐντου Αἰλίου καὶ ἐπὶ Παύλου Φαβίου ὑπάτων, καίπερ τὰς στρατηγικὰς τιμὰς ἔχων, ἀπεδείχθη. ἅμα δὲ τῷ ἦρι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόν τε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο· τόν τε Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προσεχώρησε, μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου. ἠδυνήθη δὲ τοῦτο ποιῆσαι, ὅτι οἱ Σύγαμβροι τοὺς Χάττους μόνους τῶν προσοίκων μὴ θελήσαντας σφίσι συμμαχῆσαι, ἐν ὀργῇ σχόντες, πανδημεὶ ἐπ' αὐτοὺς ἐξεστράτευσαν· καὶ τῷ καιρῷ τούτῳ ἔλαθε τὴν χώραν αὐτῶν διεξελθών. καὶ διέβη ἂν καὶ τὸν Οὐϊσουργον, εἰ μὴ τῶν τε ἐπιτηδείων ἐσπάνισε, καὶ ὁ χειμὼν ἐνέστη· καί τι καὶ σμῆνος ἐν τῷ στρατοπέδῳ αὐτοῦ ὤφθη. οὐκ οὖν περαιτέρω διὰ ταῦτα προεχώρησε, καὶ ἐς τὴν φιλίαν ἀνακομιζόμενος, δεινῶς ἐκινδύνευσεν. οἱ γὰρ πολέμιοι ἄλλως τε ἐνέδραις αὐτὸν ἐκάκωσαν, καὶ ποτὲ ἐς στενὸν καὶ κοῖλον χωρίον κατακλείσαντες, ὀλίγου διέφθειραν. κἂν πασσυδεὶ ἂν ἀπώλεσαν, εἰ μὴ καταφρονήσαντές σφων, ὡς καὶ ἑσσωμένων καὶ μιᾶς ἐπισκοπῆς ὄντων, ὁμόσε αὐτοῖς ἀσύντακτοι ἐχώρησαν. νικηθέντες γὰρ ἐκ τούτου, οὐκέθ' ὁμοίως ἐθρασύνοντο, ἀλλὰ πόρρωθεν μὲν σφᾶς παρελύπουν, ἐγγὺς δὲ οὐ προσῄεσαν. ὥστε τὸν Δροῦσον αὐτὸν καταφρονήσαντα αὐτῶν, ἐκεῖ τε ἧ ὅτε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρούριόν τι σφίσιν ἐπιτειχίσαι, καὶ ἕτερον ἐν Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ. διὰ μὲν οὖν ταῦτα τάς τε ἐπινικίους τιμὰς καὶ τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι, τῇ τε τοῦ ἀνθυπάτου ἐξουσίᾳ, ἐπειδὰν διαστρατηγήσῃ, χρήσασθαι ἔλαβε. τὸ γὰρ ὄνομα τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐπεφημίσθη μὲν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ἐκείνῳ τότε καὶ τῷ Τιβερίῳ, οὐ πρότερον μέντοι παρὰ τοῦ Αὐγούστου ἐδόθη, καίπερ αὐτοῦ ἀπ' ἀμφοτέρων τῶν ἔργων τὸν ἀριθμὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐξήσαντος.

Prætorios honores jam adeptus, est creatus, Q. Ælio Tuberone, Paulo Fabio Maximo, Consulibus. Initio veris rursus ad bellum profectus Rhenum transiit, Usipetas subjugavit: Lupiæque fluminis ripis ponte junctis, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruscorum regionem usque ad Visurgim processit. Id ut ei liceret, Sicambrorum in Chattos, qui soli finitimorum auxilia negaverant, totius populi viribus facta expeditio effecerat: quo tempore Drusus iis imprudentibus regionem peragravit, Visurgim etiam transiturus, ni eum inopia alimentorum, ac hiemis propinquitas, præterea examen apum in castris visum, deterruissent. Regressus in sociorum terram in summum devenit periculum, insidiis hostium frequenter læsus & aliquando in loco angusto & concavo circumclusus, haut procul abfuit, quin toto cum exercitu periret; a qua eum pernicie nihil aliud eripuit, quam hostium temeritas, qui cum uno omnes Romanos impetu deleri posse crederent, nullo ordine servato eos aggressi, victi inde, ferociaque sua fracta, discessere. Ex eo namque Barbari propius adire veriti, eminus tantum hostem infestavere, ita ut Drusus vicissim iis contemtis castellum contra eos ad Lupiæ & Alisonis fluviorum confluentes, aliudque in Chattis ad ipsum Rhenum exstruxerit. Ob hæc ei honores triumphales, ut ovans in urbem inveheretur, ac peracta Prætura cum proconsulari imperio esset, decretum est: nomen autem imperatorium, etsi, sicut Tiberius etiam, a militibus Imperator fuerat dictus, ac utraque re gesta id abunde meruerat, nondum ab Augusto datum est.

11. Ex Jo. Xiphilini Epitome Dionis

Libr. 60.

ΓΝαῖος δὲ Δομίτιος Κορβούλων ἐν τῇ Κελτικῇ στρατηγῶν, τά τε στρατεύματα συνεκρότησε, καὶ τῶν βαρβάρων ἄλλους τε καὶ οὓς ἐκάλουν Καύχοις ἐκάκωσε. Καὶ αὐτὸν ἐν τῇ πολεμίᾳ ὄντα ὁ Κλαύδιος ἀνεκάλεσε. Τὴν δὲ γὰρ ἀρετὴν αὐτοῦ καὶ τὴν ἄσκησιν μαθὼν, οὐκ ἐπέτρεψεν αὐτῷ ἐπὶ πλέον αὐξηθῆναι. Πυθόμενος δὲ τοῦτο ὁ Κορβούλων ἐπανῆλθε, τοσοῦτον μόνον ἀναβοήσας, Ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες· ἐς δήλωσιν ὅτι τοῖς μὲν ἀκινδύνως ἀνδραγαθίζεσθαι ἐξῆν, αὐτὸς δὲ ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος διὰ τὸν φθόνον ἐνεποδίσθη. Τῶν μέντοι ἐπινικίων καὶ ὣς ἔτυχε. Πιστευθεὶς δὲ πάλιν τὸ στράτευμα, καὶ οὐδὲν ἧττον ἤσκει αὐτό· καὶ ἐπειδή γε εἰρήνουν, διετάφρευσε δι' αὐτῶν πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μέσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα· ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ Ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναρρέοντες πελαγίζωσιν.

CNæus vero Domitius Corbulo, qui Prætor in Germania, exercitibus in unum conductis vexabat multos, eosque præsertim, qui *Cauchi* nominantur, è solo hostili à Claudio evocatus est. Cognita enim ejus virtute, exercitationeque armorum amplius eum augeri non permisit. Quod ubi Corbulo intellexit, in urbem reversus est; prius tamen exclamavit: Veteres duces fortunatos fuisse, quibus licuerit esse fortibus sine periculo; se autem invidia a Cæsare prohiberi. Claudius tamen ei, ut triumpharet, concessit; eundemque postea exercitui iterum præfecit. Quem cum ille accepisset, eodem modo exercebat milites: & quoniam eo tempore pax erat, agrum, qui inter Rhenum & Mosam interjacet, ab illis perfodi curavit: (is ager patet ad millia passuum XXI.) idque fecit, ne inundante Oceano flumina restagnarent.

12. Ex Eutropii

Libr. IX.

POst hæc tempora etiam *Carausius*, qui vilissimè natus, in strenuo militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod *Franci* & *Saxones* infestabant, multis Barbaris sæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, (atque hac se occasione ditaret;) à Maximiano jussus occidi, purpuram sumsit, & Britannias occupavit.

13. Ex Ammiani Marcellini Historiarum

Libr. XXVI.

HOc tempore, velut per universum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sævissimæ, limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhætiasque simul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, *Saxones* & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis vexavere continuis: Austoriani Mauricæque aliæ gentes Africam solito acrius incursabant: Thracias diripiebant prædatorii globi Gothorum. Persarum rex manus Armeniis injectabat &c.

Ex ejusd. Libr. XXVII.

Eo tempore (a) Picti in duas gentes divisi, Dicalidonas & Vecturiones, itidemque Attacotti bellicosa hominum natio, & Scoti per diversa vagantes multa populabantur: Gallicanos verò tractus *Franci & Saxones iisdem confines*, quo quisque erumpere potuit, terra vel mari, prædis acerbis, incendiisque, & captivorum funeribus hominum violabant. Ad hæc prohibenda, si copiam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema Dux efficacissimus (b) petens, cum venisset ad

(a) Scil. Tempore Valentiniani. (b) Id est, Theodosius Dux, pater Theodosii Imperatoris.

ad Bononiæ litus, quod à spatio controverso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsveti, rursusque sine ulla navigantium noxa in speciem complanari camporum, exinde transmeato lentius freto defertur Rutupias, stationem ex adverso tranquillam. Unde cum consecuti Batavi venissent & Heruli, Joviique & Victores, fidentes viribus numeri, egressus tendensque ad Lundinium, vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit, divisis plurifariam globis, adortus & vagantes hostium vastatorias manus, graves onere sarcinarum: & propere fusis, qui vinctos homines agebant & pecora, prædam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi --:.

Ex ejusd. Libr. XXVIII.

Per omne latus Maratocupreni grassatores acerrimi vagabantur, vici hujus nominis incolæ in Syria prope Apamiam positi, nimium quantum numero & exquisitis fallaciis abundantes: ideoque formidati, quòd mercatorum militumque honoratorum specie, sine ullo discrimine, domos & villas & oppida pervadebant. Nec quisquam adventum eorum cavere poterat inopinum, non destinata, sed varia petentium: quam ob causam *præ cæteris hostibus Saxones timentur, ut repentini.*

Ex ejusd. Libr. XXVIII.

Erupit Augustis ter consulibus, *Saxonum* multitudo & Oceanum difficultatibus permeatis, Romanum limitem gradu petebant intento, sæpe nostrorum funeribus pasta: cujus eruptionis primæ procellam Nannenus sustinuit Comes, regionibus iisdem appositus diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem destinatæ plebi congressus, cùm milites quosdam ruisse, & se vulneratum imparem fore certaminibus adverteret crebris, docto Imperatore, quid agi deberet, id est adeptus, ut peditum magister Severus opitulatum rebus dubiis adveniret. Qui ducens militem rei sufficientem, cum venisset ad loca, discriminatis ordinibus barbaros ante colluctationem adeò terruit & turbavit, ut nec controversas opponerent manus; sed signorum aquilarumque fulgore præstricti venialem poscerent pacem. Diuque variatis consiliis, cum id reipublicæ conducere videretur, pactis induciis & datis, ex conditione proposita juvenibus multis habilibus ad militiam discedere permissi sunt *Saxones:* sine impedimento, unde venerant, reversuri. Quibus omni jam formidine vacuis reditumque parantibus, occultè pedites missi insidias in abdita quadam valle struxerunt, unde prætereuntes aggredi negotio poterant levi: sed longè secus accidit, quam sperabatur. Sonitu enim adventantium perciti exsiluere quidam intempestivè, visique subito dum se firmare festinant ululantibus lugubre Barbaris, vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati, extremaque sorte vires, licet non integras, suggerente, confligere cogebantur: multaque cæde perculsi concidissent nullo relicto, nì cataphractorum equitum cuneus, ad inferendum periculum transeuntibus Barbaris ex alio latere prope divortium itineris pari modo locatus, clamore percitus tristi, agiliter subvenisset. Exin concursum infestius, firmatisque pectoribus hinc inde incumbentes Romani clausos hostes eductis gladiis obtruncabant: nec quisquam eorum genitales revisere potuit lares, ne uno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Ac licet justus quidam arbiter rerum, factum incusabit perfidum & deforme, pensato tamen negotio, non feret indignè, manum latronum exitialem, tandem copia data, captam. Post hæc ita prospere consummata Valentinianus versando sententias multiformes, anxia solicitudine stringebatur: reputans multa & circumspiciens, quibus commentis Alemannorum & Macriani regis frangeret fastus, &c.

Ex ejusd. Libr. XXX.

Inter hæc tamen caute gesta, jam conversos ad metuendam rabiem *Saxonas, semper quolibet inexplicato ruentes,* delatosque tunc ad maritimos tractus, quorum spoliis bene redierant onusti, malefido quidem, sed utili commento peremit [Valentinianus] præda, raptoribus vi fractis, excussa.

14. Ex Cl. Claudiani Operibus.

De quarto Conf. Honorii Augusti vers. 19. sqq.

Ulpia (*a*) progenies & quæ diademata mundo
Sparsit, Ibera domus: nec tantam vilior unda
Promeruit seriem gentis. cunabula fovit
Oceanus: terræ dominos, pelagique futuros,

(*a*) Ulpius Trajanus ex Hispania.

Immenso decuit rerum de principe nasci.
Hinc processit avus; cui, post Arctoa frementi
Classica, Massylas annexuit Africa lauros.
Ille Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medio Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vastator & Austri.
Quid rigor æternus, cœli quid sidera prosunt,
Ignotumque fretum? maduerunt *Saxone* fuso
Orcades: incaluit Pictorum sangvine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Hiberne (*b*).
Quis calor obsistit forti? per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitque novis Atlanta maniplis.
Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis
Gorgoneos vidit thalamos, & vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incensa Jubæ, rabies Maurusia ferro
Cessit & antiqui penetralia diruta Bochi.
Sed laudes genitor longè transgressus avitas
Subdidit Oceanum sceptris, & margine cœli
Clausit opes: quantum distant à Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum, Nilusque relinqvunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita tropæis,
Non generis dono, non ambitione potitus.
Digna legi virtus, ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

De Nuptiis Honorii & Mariæ vers. 18. sqq.

Illic exuvias omnes cumulate parentum:
Quicquid avus senior *Mauro* vel *Saxone* victis:
Quicquid ab innumeris socio Stilicone tremendus
Qvæsivit genitor bellis.

In Eutropium Libr. I. vers. 391. Roma ait:

- - - Qvantum de principe possim,
Non longinqva docent. domito qvod *Saxone* Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco, tristique Suëvo
Perfruor, & nostrum video, Germanice, Rhenum.

De Laudibus Stiliconis Lib. II. vers. 250. sqq.

Me qvoqve vicinis pereuntem gentibus, inquit (*),
Munivit Stilico, totam cum Scotus (**) Hibernam
Movit, & infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum *Saxona* ventis. &c.

(*b*) Alii legunt *Hierne*. Antiqvum nomen *Eris*, unde *Erigena*, qualis *Joannes*, qui vulgò *Scotus*, id est, Hibernus.

(*) Scil. Britannia.

(**) Al. Iernen.

15. D. Hieronymus Epistola ad Ageruchiam.

Quod rari huc usque residemus, non nostri meriti, sed Domini misericordiæ est. Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, *Saxones*, Burgundiones, Alemanni, &, ô lugenda Respublica! hostes Pannonii (*) vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum, nobilis quondam civitas, capta atque

(*) Nempe lugendam eo magis Rempublicam censet, quod ipsi jam Pannonii in ipsis Imperii visceribus, apud quos ipse natus erat Hieronymus, Barbaris se passim conjunxissent.

atque subversa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Agentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque populorum, Lugdunensis & Narbonensis Provinciæ, præter paucas urbes populati sunt cuncta, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames.

D. Hieronymus in Chronico.

CCCLXXIIII. Saxones cæsi Deusone in regione Francorum.

16. E Pauli Orosii Hist. *Lib. VII.*

Valentinianus *Saxones gentem in Oceani litoribus & paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magna mole meditantem*, in ipsis Francorum finibus oppressit. [*Eadem verba habet Historia Miscella* l. 12.]

17. Ex Zosimi Historiarum *Libr. III.*

Ταῦτα ἐπὶ Γάλλῳ τῷ Καίσαρι πεπραχὼς ὁ Κωνστάντιος, αὐτὸς μὲν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἐκ Παιονίας διέβη· θεώμενος δὲ τὰ πανταχοῦ Ῥωμαίοις ὑπήκοα βαρβαρικαῖς ἐφόδοις ἀπειλημμένα, καὶ Φράγκους μὲν καὶ Ἀλαμανοὺς καὶ Σάξονας, ἤδη τεσσαράκοντα πόλεις ἐπικειμένας τῷ Ῥήνῳ κατειληφότας, καὶ αὐτὰς μὲν ἀναστάτους πεποιηκότας, τοὺς τε τούτων οἰκήτορας, ἀπείρους ὄντας πλῆθος, ληϊσαμένους μετὰ πλούτου λαφύρων ἀναριθμήτου· Κουάδους δὲ καὶ Σαυρομάτας ἐπὶ πολλῆς ἀδείας Παιονίαν κατατρέχοντας, καὶ τὴν ἀνωτέρω Μυσίαν· Πέρσας δὲ τοῦ τὴν ἑῴαν παρενοχλεῖν οὐκ ἀφισταμένους, εἰ καὶ πρότερον ἡσυχάζειν δέει τοῦ μὴ τὸν Καίσαρα Γάλλον αὐτοῖς ἐπελθεῖν. Ταῦτα τοίνυν λαβὼν κατὰ νοῦν, καὶ ἀπορῶν ὅτι πράξειε, μόνος μὲν ἀρκέσειν οὐκ ᾤετο δυνήσεσθαι πεπονηκόσιν οὕτω τοῖς πράγμασι βοηθήσειν· ἑλέσθαι δὲ κοινωνὸν τῆς ἀρχῆς, οὐκ ἐθάρρει. —

His in Gallum Cæsarem perpetratis, è Pannonia Constantius in Italiam transiit. Quum autem videret omnes Romanis ubique subditas provincias barbaricis incursionibus interceptas; Francos, & Alamannos, & *Saxones* jam quadraginta sitas ad Rhenum urbes cepisse, prorsus easdem devastasse, cives & incolas infinitæ multitudinis, cum innumerabili spoliorum copia secum abduxisse; Quados cum Sarmatis magna licentia & securitate per Pannoniam, perque Mysiam superiorem grassari; Persas Orienti molestos esse non desinere, licet antea quievissent, veriti, ne Gallus Cæsar eos adoriretur. His igitur omnibus ad animum revocatis, & quid faceret, ambigens; solum quidem se minimè sufficere posse putabat, ut afflictis adeo rebus & laborantibus opem ferret; imperii verò consortem (a) deligere non audebat. —

***

Πάντων δὲ, ὡς εἰπεῖν, τῶν αὐτόθι βαρβάρων ἀπογνόντων ἐλπίδι πάσῃ, καὶ ὅσον οὐδέπω τοὺς ἔτι περιλελειμμένους ἀπολεῖσθαι πανωλεθρίᾳ προσδοκησάντων, Σάξονες, οἱ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων, θυμῷ καὶ ῥώμῃ καὶ καρτερίᾳ τῇ περὶ τὰς μάχας, εἶναι νομίζοντες, Κουάδους, μοῖραν σφῶν ὄντας, εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων

Omnes jam propemodum in iis locis Barbari spem omnem abjecerant, tantumque non ad internecionem perituras existimabant suorum reliquias; quum *Saxones*, omnium eas regiones incolentium Barbarorum & animis & corporum viribus & laborum in præliis tolerantia fortissimi habiti; *Quados* (b) nationis suæ partem, in solum ab Romanis

(a) Delegit tandem Julianum, Galli cæsi fratrem.

(b) Quadis Pannoniæ vicinis nihil commune cum Rheno. An ergo Cauchi intelligendi pro Quadis. Eunapius Sardianus in Excerptis, quæ Hœschelio edidit, Chamavos pro Quadis nominat, sed illi pars tunc erant Francorum, non Saxonum.

κατεχομένην ἐκπέμπουσι γῆν· οἱ δὲ, ὑπὸ Φράγκων ὁμόρων αὐτοῖς ὄντων κωλυόμενοι διαβῆναι, δέει τοῦ μὴ τῷ Καίσαρι δοῦναι δικαίαν αἰτίαν τῆς κατ' αὐτῶν αὖθις ἐφόδου, πλοῖα ναυπηγησάμενοι, καὶ διὰ τοῦ Ῥήνου τὴν ὑπὸ Φράγκων ἐχομένην ὑπερβαλλόμενοι γῆν, ἐπὶ τὴν ὑπήκοον Ῥωμαίοις ὡρμίσθησαν· Καὶ τῇ Βαταβίᾳ προσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου, τὸ Σαλίων ἔθνος, Φράγκων ἀπόμοιρον, ἐκ τῆς οἰκείας χώρας ὑπὸ Σαξόνων εἰς ταύτην τὴν νῆσον ἀπελαθέντας, ἐξέβαλλον. Αὕτη δὲ ἡ νῆσος, οὖσα πρότερον πᾶσα Ῥωμαίων τότε ὑπὸ Σαλίων κατείχετο. Τοῦτο μαθὼν ὁ Καῖσαρ, ἀντεποίει μὲν τοῖς Κουάδοις· παρεγγυᾷ δὲ τῷ στρατῷ, τούτοις μὲν κατὰ τὸ καρτερὸν διαμάχεσθαι, Σαλίων δὲ μηδένα κτείνειν, ἢ κωλύειν ἐπὶ τὰ Ῥωμαίων ὅρια διαβαίνειν, οἷα μὴ ὡς πολεμίους ἐφισταμένους τῇ χώρᾳ, ἀνάγκῃ δὲ τῇ παρὰ Κουάδων ἐλαυνεσθαι. Ταύτης αἰσθόμενοι τοῦ Καίσαρος τῆς φιλανθρωπίας οἱ Σάλιοι, οἱ μὲν, ἀπὸ τῆς νήσου μετὰ τοῦ σφῶν βασιλέως εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους ἐπεραιοῦντο γῆν· οἱ δὲ συμφυγόντες εἰς τὰ ὄρη κατῄεσαν, ἱκέται τοῦ Καίσαρος ἅπαντες καθισάμενοι, καὶ ἐθελοντὶ τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐνδιδόντες. Ὁ δὲ, πρὸς μὲν πόλεμον οὐδένα θαῤῥοῦντας ἔτι τοὺς Βαρβάρους ὁρῶν, ἐφόδοις δὲ λαθραίαις καὶ λῃστείαις προσέχοντας, οὐ μικρὰ τε οὐδὲ τὰ τυχόντα ἐκ τούτου τὴν χώραν ἐργαζομένους κακά· καὶ ἀπορῶν ὅτι πράξειεν, ἔμφρονι στρατηγήματι ταύτην μετῄει τῶν Βαρβάρων τὴν τέχνην. Ἀνήρ τις ἦν, μεγέθει σώματος ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἅπαντας, ἔχων καὶ τὴν ἀνδρείαν ἀνάλογον τῷ σώματι. Τούτῳ βαρβάρῳ τὸ γένος ὄντι, καὶ λῃστεύειν σὺν αὐτοῖς εἰωθότι, παρέστη τὰ οἰκεῖα ἤθη καταλιπόντι, πρὸς τοὺς ὑπὸ Ῥωμαίοις Κελτοὺς μεταστῆναι. Διατρίβων οὖν ἀπὸ χρόνου τινὸς ἐν Τρεβέροις (ἔστι δὲ αὕτη πόλις μεγίστη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν) ἐπειδὰ τοὺς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον Βαρβάρους ἑώρα τὰς τῇδε κατατρέχοντας πόλεις, καὶ τὰ πάντων ἀκωλύτως λῃζομένους, ὅτε τὴν τοῦ Καίσαρος οὔπω Ἰουλιανὸς εἶχεν ἀρχὴν, ἀμύνειν μὲν διενοεῖτο ταῖς πόλεσιν· οὐκ ἔχων δὲ παῤῥησίαν, οἷα νόμου μηδενὸς αὐτῷ τοῦτο ποιεῖν ἐπιτρέ-

nis occupatum emittunt. At finitimis Francis eos transitu prohibentibus, qui metuerent, ne justam Cæsari causam præberent se rursus invadendi: navibus constructis, Rheno prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in Romani juris solum contenderunt: & adpulsis ad Bataviam navibus, quam divisus Rhenus insulam efficit, quavis insula fluminea majorem *Saliorum* nationem, Francorum à parte profectam & vi Saxonum in hanc insulam suis è sedibus rejectam, expulerunt. Hæc insula prius Romanis in universum parens, a Saliis hoc tempore possidebatur. Cæsar, ea re cognita, *Quados* ille quidem vicissim adgrediebatur: sed jusso prius exercitu cum Quadis acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, nec prohibere, quo minus in Romanorum fines illi transirent; quod non ut hostes Romanam regionem peterent, sed per vim & coactionem à *Quadis* pellerentur. Hac animadversa Cæsaris humanitate Salii, partim ex insula cum rege suo Romanorum in solum transjiciebant, partim ad limites inita fuga se conferebant; omnes Cæsari supplices facti, sponte sua se, cum rebus suis, ejus fidei permittebant. Cæsar, non jam ad bellum gerendum promtos & audentes amplius Barbaros videns, sed clandestinis incursionibus & latrociniis intentos, haud levibus inde malis ac detrimentis regionem adficere: quid ageret dubius, hanc artem Barbarorum prudenti strategemate vicissim ultus est. Erat quidam, vasto supra cæteros omnes corpore; cui corporis magnitudini virilis animus respondebat. Huic natione barbaro, cæterisque cum Barbaris latrociniis assueto, visum est, relictis sedibus patriis ad subjectos Romanis Celtas migrare. Qvumque Treviris ad aliquod tempus hæreret (quæ urbs transalpinarum gentium maxima est) ac transrhenanos Barbaros videret urbes in adversa Rheni ripa sitas incursionibus vexare, omniumque fortunas nullo prohibente rapere; quod sane tum temporis accidit, qvum nec dum Julianus Cæsaris potestatem nactus esset: de tuendis quidem oppidis cogitabat; sed, quod ejusmodi quid ipse moliri non auderet, cui nulla lex, ut id faceret, permisisset; initio solus in densissimas sylvas abditus, Barbarorum impressiones opperiebatur; eosque noctu adgressus, ubi temulentia & somno jam

ψαντος· τὴν μὲν ἀρχὴν μόνος εἰς τὰ δασύτατα κρυπτόμενος τῶν ὑλῶν, ἐκαραδόκει τὰς τῶν Βαρβάρων ἐφόδους· καὶ νυκτὸς ἐπιὼν ἤδη παρειμένοις μέθῃ καὶ ὕπνῳ, κεφαλὰς ὅσων οἷός τε ἦν Βαρβάρων ἀπέτεμε, καὶ τοῖς ἐν τῇ πόλει φέρων, ἐδείκνυ. Συνεχῶς δὲ τοῦτο ποιῶν, ὄκνον οὐκ ὀλίγον ἐποίησε τοῖς Βαρβάροις, ἀγνοοῦσι μὲν τὸ γινόμενον, τῷ δὲ καθ' ἑκάστην (ὡς εἰπεῖν) ἐλαττοῦσθαι, τοῦ κακοῦ συναισθανομένοις. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἄλλοι συνεμίγησαν τούτῳ λῃσταὶ, καὶ καθ' ἕνα συνιόντες, πλῆθος γεγόνασι, τότε δὴ τῷ Καίσαρι προσελθὼν ὁ Χαριέττων, (τοῦτο γὰρ ὄνομα τῷ ταύτην εὑρόντι πρώτῳ κατὰ τῶν Βαρβάρων ἐπιβουλὴν) ἀναφαίνει τὸ πρότερον οὔπω πολλοῖς ἐγνωσμένον. Ὁ δὲ Καῖσαρ, ἐπειδὰ μὴ ῥάδιον ἦν αὐτῷ διὰ τοῦ στρατοπέδου ταῖς ἐν νυκτὶ τῶν Βαρβάρων λαθραίαις ἐφόδοις ἐπεξιέναι (κατ' ὀλίγους γὰρ, καὶ ἐν πολλοῖς ἑαυτοὺς διασπείραντες, ἐλῄστευον· ἡμέρας δὲ γενομένης, οὐδένα θεάσασθαι παντάπασιν ἦν· ἐν γὰρ τοῖς περὶ τοὺς ἀγροὺς δρυμοῖς ἀπεκρύπτοντο, σιτούμενοι τὰ ἐκ τῆς λῃστείας αὐτοῖς προσγινόμενα) τὸ δυσχείρωτον τῶν πολεμίων λαβὼν κατὰ νοῦν, εἰς ἀνάγκην κατέστη τῷ μὲν στρατοπέδῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ λῃστικῷ συστήματι τοὺς λῃστὰς μετελθεῖν. Ἀποδεξάμενος οὖν τὸν Χαριέττωνα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, συνάψας τε αὐτοῖς τῶν Σαλίων πολλοὺς, νυκτὸς μὲν αὐτοὺς λῃστεύουσι τοῖς Κουάδοις, οἷα μεμελετημένους λῃστείαις, ἔπεμπεν· ἡμέρας δὲ οὔσης, ἐν τοῖς ὑπαίθροις ἔταττε τὰ στρατόπεδα, καὶ πάντας, ὅσοι τὸ λῃστικὸν οἷοί τε ἐγίνοντο διαφυγεῖν, ἔκτεινε. Τοῦτο τε ποιῶν διετέλεσεν, ἕως ὅτε καταστάντες εἰς ἐσχάτην στενοχωρίαν οἱ Κουάδοι, καὶ ἐκ πολλῶν ὀλίγοι γενόμενοι, προσεχώρησαν, ἅμα τῷ σφῶν ἡγουμένῳ, τῷ Καίσαρι, πλῆθός τε αἰχμαλώτων ἤδη συλλαβόντι κατὰ τὰς προτέρας ἐφόδους, καὶ τὸν τοῦ βασιλέως παῖδα, παρὰ Χαριέττωνος εἰλημμένον. Ἐπεὶ δὲ ἱκετηρίας αὐτοὺς ἐλεεινῶς προτεινομένους, ὁμήρους ἀπῄτει τῶν ἐπισήμων τινὰς, καὶ τούτοις ἅμα τὸν τοῦ βασιλέως υἱὸν, εἰς θρῆνον οἰκτρότατον καταστὰς ὁ τῶν Βαρβάρων ἡγούμενος, ὤμνυε δακρύων, ὡς ἀπόλοιτο μετὰ τῶν ἄλλων αὐτῷ καὶ ὁ υἱός. Τότε τοίνυν ἐλεήσας ὁ Καῖσαρ δάκρυα πατρὸς, τόν τε παῖδα αὐτῷ δείκνυσιν ἐν εὐπαθείᾳ τρεφόμενον· καὶ φήσας ἔχειν ἐν ὁμήρου τάξει, καὶ σὺν αὐτῷ τῶν εὐγεγονότων ἄλ-

jam consopiti jacebant, capita quotquot poterat, Barbaris abscindebat, & in urbem adlata, civibus ostendebat. Id institutum continuans, metum & cunctationem Barbaris non exiguam injiciebat; ignorantibus quidem illis id, quod fieret; sed ipsum tamen detrimentum ex eo deprehendentibus, quod in singulos prope dies eorum copiæ deminuerentur. Qvum autem & alii latrones cum eo se conjunxissent, & singillatim collecti, quandam ad multitudinem excrevissent: tum vero Charietto (nam hoc nomen erat ei, qui primus insidias hasce contra Barbaros excogitaverat) adito Cæsare, rem ei, non multis antea cognitam, aperit. Cæsar, cui facile non esset, cum exercitu nocturnas & clandestinas Barbarorum incursiones coërcere (nam exiguo numero multisque locis dispersi latrocinabantur, & ubi dies illuxisset, neminem videre erat, quod in saltus agris vicinos semet abderent, ex iis victitantes, quæ hoc latrocinio adquirerent,) qvum ad animum revocasset, quam difficulter hostes domiturus esset; ad eam redactus est necessitatem, ut non exercitu tantum, sed etiam latronum globo quodam latrones persequendos statueret. Quamobrem Chariettone cum suis recepto, & iisdem è Saliorum numero compluribus adjunctis: hos noctu, velut exercitos latrociniis, in latrocinantes Quados emittebat: interdiu dispositas sub dio militum stationes habebat, & omnes, qui latronum manus evadere poterant, trucidabat. Id facere non desinebat, donec *Quadi* maximas ad angustias redacti, deque multis pauci facti, cum duce suo Cæsari se dederent: qui & magnum superioribus impressionibus captivorum numerum adeptus fuerat, & inter alios ipsum quoque Regis filium, a Chariettone captum, habebat. Qvum miserabilem in modum supplices factos obsides dare juberet, homines quosdam nobiles & in his ipsum regis filium: dux Barbarorum lamentatione maximè miserabili sublata cum lacrymis dejerabat, inter alios & filium sibi periisse. Quamobrem paternas miseratus lacrymas Cæsar, filium ei commonstrat, qui delicatè alebatur: simulque professus, eum se obsidis habere loco, deque numero nobilium aliis quoque præter hunc obsidi-

λους ὁμήρους λαβὼν, ἐφιλοτιμήσατο τὴν εἰρήνην, ἐφ' ᾧ μηδέποτε κατὰ Ρωμαίων χεῖρας ἆραι. Ταῦτα οὕτω διαθεὶς ὁ Καίσαρ, Σαλίους τε καὶ Κουάδων μοῖραν, καὶ τῶν ἐν τῇ Βαταυΐα νήσῳ τινὰς τάγμασιν ἐγκατέλεξεν, ἃ καὶ νῦν ἐφ' ἡμῖν ἔτι δοκεῖ περισώζεσθαι.

obsidibus acceptis, pacem ipsis ea largitus est lege, ne contra Romanos unquam arma caperent. His rebus ita constitutis & *Salios* Cæsar & *Quadorum* partem, & quosdam incolentes iusulam Bataviam, legionibus adscripsit: quorum ordines nostro quoque tempore superstites esse videntur. (c)

(c) Hæc Tragica narratione Eunapius ornat.

18. Ex Prosperi Aquitani Chronico.

16. [Arcadii & Honorii anno*] *Saxonum* incursione devastatam Galliarum partem Wandali atque Alani vastavere; quod reliquum fuerat, Constantinus Tyrannus obsidebat.

18. [Theodosii anno] Britanniæ usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque laceratæ, in ditionem *Saxonum* rediguntur.

(*) anno Christi 409.

19. Ex Salviani Massiliensis de Gubernatione Dei

Libr. IV.

Gens *Saxonum* fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunnorum impudica.

Ibidem:

Magna nobis prærogativa de nomine Christianitatis blandiri possumus: qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipsum, quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videatur. At è diverso in paganis, quid horum simile, quæ dicimus? Numquid dici de Hunnis potest: Ecce quales sunt, qui Christiani esse dicuntur? Nunquid de *Saxonibus*, aut Francis: Ecce quæ faciunt, qui se asserunt Christi esse cultores? &c.

Id. Libr. VII.

Exceptis paucissimis Dei servis, ubi non omnia execratione digna? Gothorum gens perfida, sed pudica est. Alanorum impudica, sed minus perfida. Franci mendaces, sed hospitales. *Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi.* Omnes denique gentes habent sicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona.

20. Ex C. Sollii Sidonii Apollinaris Epistolis excerpta, Saxonum veterum mores ob oculos ponentia.

Ex Libr. VIII. Epist. VI.

Dum jam epistolam, quæ diu garrit, claudere optarem, subitus à Santonis nuncius: cum quo dum sui obtentu aliquid horarum sermonicantes extrahimus, constanter asseveravit, nuper vos classicum in classe cecinisse, atque inter officia nunc nautæ modo militis, littoribus Oceani curvis inerrare contra *Saxonum* pandos myoparones (*a*), quorum *quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas*; ita simul omnes imperant parent, docent discunt latrocinari. Unde nunc etiam, ut quam plurimum caveas, causa successit maxima monendi. Hostis est omni hoste truculentior. Improvisus aggreditur, prævisus elabitur: spernit objectos, sternit incautos: si sequatur, intercipit, si fugiat, evadit. Ad hoc exercent illos naufragia, non terrent. Est eis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. Nam quoniam ipsa, si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos, hinc prospici vetat occupaturos, in medio fluctuum scopulorumq; confragosorum, spe superventus læti, periclitantur. Præterea prius quam de continenti in patriam vela laxantes, hostico mordaces ancoras vado vellant, mos est remeaturis, decimum quemque captorum per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc tristi, quod superstitioso ritu, necare; superque collectam turbam periturorum mortis iniquitatem sortis æquitate disper-

(a) Naves longæ actuariæ, pyratis inprimis usurpatæ, Seneca lib. 1. Controvers. 2. *jacuisti in pyrata myoparone.* Et apud Oros. lib. 6. c. 2. *Seleuci pyratæ myoparo.*

dispergere. Talibusque eligunt (b) votis, victimis solvunt: & per hujusmodi non tam sacrificia purgati, quam sacrilegia polluti, religiosum (c) putant cædis infaustæ perpetratores, de capite captivo magis exigere tormenta, quam pretia.

Ex Libr. VIII. Epist. IX.

Tu jam, ô Tityre, rura post recepta,
Myrtos & platanona pervagatus,
Pulsas barbiton, atque concinentes
Ora & plectra tibi modos resultant,
Chorda, voce, metro stupende psaltes.
Nos istic (*d*) positos, semelque visos,
Bis jam menstrua luna conspicatur:
Nec multum domino vacat vel ipsi,
Dum responsa petit subactus orbis.
Istic *Saxona cærulum* videmus,
Assvetum ante salo, solum timere:
Cujus verticis extimas per oras,
Non contenta suos tenere morsus,
Altat lamina marginem comarum,
Et sic crinibus ad cutem recisis
Decrescit caput, additurque vultus. (*e*)
Hic tonso occipiti, senex *Sicamber*,
Postquam victus es, elicis retrorsum
Cervicem ad veterem novos capillos.
Hic glaucis *Herulus* genis vagatur,
Imos Oceani colens recessus,
Algoso propè concolor profundo.
Hic Burgundio Septipes frequenter
Flexo poplite supplicat quietem,
Istis *Ostrogothus* viget patronis,
Vicinosque premens subinde *Chunos*, (*f*)
His quod subditur, hinc superbit illis &c.

Ex Carm. VIII. quod est Panegyricum Avito Augusto dictum, edit. Syrmond. p. 342.

Jam prope fata tui bissenas vulturis alas (*g*)
Complebant, (scis namque tuos, scis Roma labores)
Aetium Placidus (*h*) mactavit semivir amens,
Vixqve tuo impositum capiti diadema Petroni:
Illico barbaries, nec non sibi capta videri
Roma Getis, tellusque suo cessura furori &c. &c...
Quin & Aremoricus *piratam Saxona* tractus (*i*)
Sperabat, *cui pelle salum sulcare Britannum*
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

(b) Non male emendat Savaro: *talibus se ligant votis, victimis solvunt.*

(c) Hæc religio Francorum & Herulorum fuit non minus, quam Saxonum, deos humana cæde placare, si Ennodio credimus, cujus locus mox sequetur.

(d) Burdigalæ, ubi Avitus Augustus tunc agebat.

(e) Savaro hic laminam putat esse novaculam, qua crines omnes abrasi, à victis & servire se agnoscentibus; Sed loquitur autor de recepto Saxonum ritu, qui capillis non toto capite, sed in margine recisis, augebant vultus magnitudinem, reliquos lamina substrictos altabant, quæ non tantum teneret suos morsus, seu quos capillos mordebat, sive comprimebat, sed & omnes, qui supra hos extabant.

(f) Chuni vel Hunni Sarmatis idem, quod equites; nam *Chun* Slavonicis gentibus eqvus.

(g) Seculo duodecimo Romæ finito.

(h) Alii legunt: *Aërium Placidum mactavit semivir amens*, nempe Valentinianus.

(i) Videatur mox locus Isidori de Saxonum myoparonibus ex vimine contextis & corio consutis.

21. Ex M. F. Ennodii, Episcopi Ticinensis, Vita S. Antonii.

JAm Franci, Heruli, *Saxones*, multiplices crudelitatum species belluarum more peragebant; quæ nationum diversitas superstitionis mancipata culturis. Deos suos humana credebant cæde mulceri.

22. Ex Marii, Episcopi Aventicensis, Chronico.

P.C. (*) Basilii anno XIV. Ind. III.

EO anno *Saxonibus* rebellantibus, Chlothacarius Rex cum gravi exercitu contra ipsos dimicavit; ubi multitudo Francorum & Saxonum ceciderunt: Chlotarius tamen Rex victor abscessit.

P.C. Basilii anno XV. Ind. IV.

Eo anno iterum rebellantibus *Saxonibus* Chlotarius Rex pugnam dedit; ibique maxima pars *Saxonum* cecidit.

Eo anno Franci totam Toringiam, pro eo quod cum *Saxonibus* conjuraverat, vastaverunt.

(*) Post Consulatum Fl. Basilii junioris, qui Consul sine collega fuit anno Christi 480.

23. Ex Jornande de rebus Geticis.

A parte vero Romanorum tanta patritii Aëtii providentia fuit, cui tunc innitebatur respublica Hesperiæ plagæ, ut undique bellatoribus congregatis, adversus ferocem & infinitam multitudinem non impar occurreret. Hi enim adfuère auxiliares: Franci, Sarmatæ, Armoricani, Liticiani (*), Burgundiones, *Saxones* (**), Riparioli, Briones (***), quondam milites Romani, tunc vero jam in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes.

(*) An qui alias, *Leti*, in Gallia?

(**) Saxones eo tempore adhuc in litore Oceani consistebant, nec dum sese in Thuringorum & Angrivariorum terras effuderant; Itaque longè ab Attila positi nullo ejus metu Romanis impune militabant.

(***) Britones.

24. Ex Chorographi Ravennatis Libris, editis Parisiis à Placido Porcherono 1688. excerpta de terris Saxonum.

Ex libr. I. cap. XI.

TErtia ut hora noctis *Saxonum* est *patria* (a), cujus post terga infra Oceanum *insulæ* inveniuntur. Quarta ut hora noctis *Nortmannorum* est *patria*, quæ & *Dania* ab antiquis dicitur; cujus ad frontem *Albes* vel *patria Albis*. *Mauringani* (b) certissime antiquitus dicebantur. In qua Albis patria per multos annos Francorum linea remota est.

Ex libr. IV. cap. XIII.

Iterum juxta ipsos *Serdefennos* (c) litus Oceani est patria, quæ dicitur *Dania* (d), quæ patria, ut ait supra scriptus Eithanaridus & Eldevaldus & Marcomirus, Gothorum Philosophus (e), supra omnes nationes velocissimos (f) profert homines, & hoc affati sunt in sua problemata:

(a) Non quæ tempore Ptolemæi trans Albim, sed inter Rhenum & Albim, ut ex lib. 4. c. 17. nostri Autoris patet, ubi flumina Saxonum recensentur. Insulæ Saxonum jam Ptolemæo ex adverso Albis, ex quibus una *Foseteland* in Adamo Bremensi hodie Heiligeland, ab antiquo deo, qui *Fosetes* dicebatur.

(b) Lego: *Moringavi*, *Moringau*, regio marina. Apparet, tractum maris Balthici intelligi interceptum inter Albim & mare usque ad Oderam & fortasse Vistulam quoque.

(c) *Scritofinni*, Lappones hodie. Et constat, Fennorum & Lapponum eandem in summa linguam esse.

(d) Inde Oceanum Germanicum secutus autor ad eas transit regiones, quas hodie Norwegiam & Daniam dicimus; ipse, ut videtur, utramque Daniæ nomine complectitur; nam eandem facit cum *patria* (id est, regione) *Normannorum*; hi scilicet populi mare infestum habebant, paulo ante Carolina tempora.

(e) Autores sæpe citati nostro, aliis ignoti.

(f) Hanc Danorum seu Normannorum velocitatem mox iterum laudat cap. 17.

ta: *Laudabatur Parsus Marco, dum non noverat Gothos, sed ô ubi est Danus?* (g) Quæ Dania modo *Nortmannorum* dicitur patria. Quam *Daniam* plurima transeunt flumina, inter cætera quæ dicitur *Lina* (h), quæ in Oceano ingreditur.

Ex libr. IV. Cap. XVII.

Confinalis prænominatæ Daniæ est patria, quæ nominatur *Saxonia* (i), quæ antiquitus & ipsa *ex Dania pertinere* (k) dicebatur. Quæ patria, ait Marcus-Mirus Gothorum Philosophus, doctissimos quidem proferre homines (l) & audaces, sed non sic veloces, ut sunt *Dani, qui juxta Dina fluvium*. *Per quam Saxoniam* plurima transeunt flumina, inter cætera, quæ dicuntur *Lamizon* (m), *Ipada*, *Lippa*, *Linac*.

Ex libr. IV. Cap. XVIII.

Item ad partem quasi meridianam, quo spatiosissima dicatur terra, est patria, quæ dicitur

(g) Ex hoc loco in præfatione Accessionum Historicarum collegi, laudes Saxonum (qui virtute & *agilitate* terribiles habebantur, ut Orosius testatur,) etiam ad Danos pertinuisse, & hos apud Scriptores sub Saxonum nomine esse comprehensos, vicini & prævalentis tunc populi. Novum & ignotum fuisse veteribus Danorum nomen, multi viri docti putant, Svedi præsertim, quos inter Sternielmius ante Procopium & Jornandem, id est, Justiniani tempora auditum negat; sed contrarium Anonymus Ravennas ostendit, etsi casu evenerit, ut nulla eorum mentio facta sit in Scriptoribus, qui extant. Et memorabile est dictum militare, quod Anonymus iste conservavit, quo Persis (seu Parsis) Gothisque & laude anteferuntur, & tempore ac Romanorum notitia postponuntur. Sensus enim est: Marcus (nescio quis) Persas præ aliis laudabat, cum nondum Gothi innotuissent; Sed quid diceret, si Danos experiretur. Sane post Marci Antonini demum tempora Romani Gothorum experti sunt arma; Sed multo serius Saxonum, atque adeo Danorum.

(h) Legendum: *Dina*, ut infra habetur cap. 19. ubi *Dani juxta Dina fluvium*. Quæ verba mihi suspicionem fecêre, *Dinam* vel *Denam* eum notasse amnem, qui postea *Egdora* dictus est; & Teningiam opidum prope ejus exitum in Oceanum, veteris, ut sæpe fit, nominis vestigium servare. Nec video, quis alius fluvius commodius hoc loco intelligi possit, præsertim cum hinc etiam *Denemarca* optime dicta censeri queat, id est, *limes Denæ* & *Danorum*, vel, ut vulgus enunciat, *Danorum*, quos ipsos ab hoc fluvio nomen accepisse credibile est; & deinde quicquid trans ipsum est, citerioribus Daniæ nomine venisse. Sane *Egdora* (hodie *Eyder*) appellationem posteriorem esse constat, ex quo Dani limitem suum vallo & sentium atque arborum indagine munivêre, id enim est *Hegge*; & aditus seu porta *Hegge-dor*. Ditmarus enim lib. 3. de Ottone II. *Danos*, inquit, *sibi rebelles petens ad Slesvvic properavit. Ibi etiam hostes suos foveam, quæ ad defensionem patriæ parata est* (scilicet ab antiquo) *& portam, quæ* WIEGLES-DOR vocatur, armis *praeoccupare videns* . . . . . *omnes has munitiones viriliter exsuperat*. Ubi notandum, in antiquo Codice, ex quo Ditmaro suam integritatem restituimus, pro *Wiegles-dor* legi *Hegge-dor*, quæ vera haud dubie lectio est. Et Annalistæ Franci ad ann. 808 Godefridum Regem Danorum memorant Caroli M. metu *limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituisse eo modo, ut ab orientali maris* (Balthici scilicet) *sinu ad occidentalem Oceanum, totam* EGIDORÆ *fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, una tantum porta dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi potuissent*. Videantur Annales Bertiniani, Metenses & Rhegino. Sed cum nomen *Egidora* jam illo tempore non novum fuisse manifestum sit, necesse est, Regem renovasse tantum opus Majorum, qui usi beneficio fluminis Cimbricam Chersonnensium contra irruptiones muniverant. Cæterum an Dumnam Plinii & Dauciones Ptolemæi (quidam Danciones legunt) ad Danos referre oporteat, amplius inquirendum.

(i) In MSсto erat, *quæ nominatur Dania*, sed haut dubie errore librarii, præcedens vocabulum (ut accidere solet) repetentis. Legendum ergo, *Saxonia*, quod agnoscit etiam editor Porcheronus.

(k) Id est, trans Albim olim habitabant Saxones in regione, quæ pars ejus, quam Daniam lato sensu vocat autor, comprehenditque regionem, quæ postea Holsatia dicta est, & fortasse Wagriam quoque, ubi Saxones & Angli Taciti & Ptolemæi temporibus degebant, qui deinde & Albim transiêre, & cum Jutis Chersonnesi interioribus incolis, qui Danorum pars, Britanniam insulam invasêre.

(l) Doctissimi hîc sunt ingeniosissimi. Et Saxonum quidem ingenium etiam Sidonius laudat; quorum quot remiges videris, totidem, inquit, te cernere putes archipiratas. Sane ars navigandi Oceanum, inque eam rem notitia ventorum & æstus marini ipsis videntur imprimis deberi.

(m) Manifestum est *Lamizon*, esse Amasum, hodie Ems; *Ipadum* esse Padam vel Paderam prope Padebornam urbem, cui hinc nomen; *Lippam* esse, quæ Lupia veteribus; qui tres fluvii pene eodem loco oriuntur in Angaria, inter Westfalos Ostfalosque, nobis Brunsvicensibus trans Visurgim; Sed *Linac*, id est, *Lina*, vulgo Leine (nam *ach*, aqua; *Wisurach* idem quod Wisura) nobis flumen est cis Visurgim, quod Hanoveram præterfluit, & Aleræ mixtum infra Cellas, deinde sub ejus nomine aquas exonerat in Visurgim. *Lina* hæc una apud veteres mentio occurrit, cum *Lupia* & *Amisia* Romanis, *Alera* vero (qui ad Cellas opidum Fusam recipit) & *Ovacrus*, seu Okara, Brunsvigam urbem alluens, Carolinis historicis celebrentur.

citur *Albis - - - ungani* (n) montuosa per longum (o), quæ ad Orientem multum extenditur, cujus aliqua pars *Bajas* dicitur. Prænominata *Albis patria*, secundum præfatum Marcum-Mirum Philosophum, qui Saxoniam describit, designavimus. Hæc patria habet non modica flumina, inter cætera fluvius grandis, qui dicitur *Albis* & *Bisigibilias*, quæ in Oceano funduntur. (p)

Ex libr. IV. cap. XXIII.

Juxta Oceanum ponitur patria *Frigonum* (q), quæ juxta litus Oceani conjungitur cum supra scripta, quam nominavimus *Saxoniam* (r). Quam prædictam Frigonum patriam, prædicti Philosophi de suprascripta Saxonia & Danorum patria scripserunt, ipsi eandem Frigonum patriam designaverunt. Sed nos secundum præfatum Marcomirum Gothorum Philosophum, eam nominavimus, qui quos [sic] eam designavit, & audaces homines eandem patriam proferre asserunt, & in nullo modo civitates in eandem Frigonum patriam fuisse legimus, exceptis duobus, quæ antiquitus leguntur *Bordonchar* (s) & *Nocdac*. Sed & transire per eandem patriam legimus fluvium, qui dicitur ------

Ex libr. IV. Cap. XXV.

Turingia, quæ antiquitus *Germania* (t) nuncupabatur, quæ propinquatur & *patria Saxonum*.

Ex libr. IV. cap. XLVI.

Postmodum tangit ipse Oceanus *Roxolanos*, nec non *Sarmatas*; iterum Scythiam, postmodum *Rerefennos* & *Serdefennos*; verum etiam DANOS, nec non & *Saxones*, etiam Frisones. (u) &c.

25. Ex No-

(n) Lego: *Patria Albis Morungaui*, ut supra l. I. c. II. id est, ut illic annotavi, regio mari vicina; est enim *gau* regio, *mor* mare, unde Morini, Aremorici, & Cimbrorum Morimarusa. Ait enim d. cap. II. à fronte esse Danorum, sub quibus Holsatiam & fortasse Wagriam quoque ipse comprehendebat; ita Moringia fuerit, ubi hodie Meclenburgicus & Pomeraniæ tractus & vicina Marchia Brandenburgica. Sanè Pomerania idem Slavis quod Moringia sonat. Et Paulus Warnefridi Longobardorum (etsi fabulosas fortasse) migrationes describens, hunc Mauringæ (ut vocat) situm indicat, quando cap. 11. seqq. Longobardos ait ex Scandinavia (interiore) in Scoringam venisse (puto Sconingiam, Schonen, quam Scaniam dicunt) inde in Mauringam (Pomeraniam) per Assipittos transisse (insulam fuisse oportet, an Usedom?) ex Mauringa in *Golandam*, id est, Gotlandam, seu Gotorum regionem, intellige à Gotis jam desertam (cum illi versus Istrum & Pontum essent progressi) regionem, nempe Vistulæ vicinam, Prussiam nempe. Tum venisse in *Anthabet* (Antaib, Ant-au) regionem Antarum Slavini generis, qui hodie Poloni; in *Bathaib*, (quod non divinaverim) pari modo & in *Burgundaib* (Burgund-au) Burgundorum sedem. Unde jam Bulgaris facti sunt vicini, atque adeo in Pannonia habitarunt, ex qua demum in Italiam sunt digressi. Itaque secundum hodierna nomina per Scaniam, Pomeraniam, Prussiam, Poloniam & Hungariam iter fecissent.

(o) Hinc patet, autorem vel suo errorre vel alios secutum, longius quam Paulus extendisse Moringiam, & cum tractu Albis, seu, ut ipse vocat, *patria Albis*, confudisse, atq; adeò ultra Meclenburg. & Brandenburgicos usq; ad Misnos & Bohemos extendisse, *in Orientem*, ut ait; quod & indicat montium mentio, & vox *Bajas*.

(p) Non apparet, quis alius esse possit *Bisigibilias*, quam Viader vel Guttalus, nisi ipsum Vistulam intelligit, quem tamen alibi vero nomine designat. Sed huic autori diversos exscribenti non novum est, eandem rem diversis nominibus appellare.

(q) Frisios vel Frisones noster appellat Frigones, sive, ut opinor, *Frigiones*, jam tum invalescente pronunciatione, quæ nunc est Italorum & Gallorum, quando noster in Italia scripsit.

(r) Saxones ergo collocat inter Danos & Frisios; rectè, sed illud malè, quod ad opida delabitur tanquam Frisonum, quæ in Saxonum regione longè à Frisiis sita sunt, quale Bardongau, quod est nomen regionis, pro urbe Bardewic acceptum.

(s) *Bordonchar* est *Bardangau*, Carolinis temporibus jam celebris locus, postea *Bardewic*, opidum Bardorum, ex cujus ruinis Luneburgum surrexit. Quid *Nocdac*, ignotum, nisi forte Hocbok legendum, seu Francicis Scriptoribus Hohbuoki, ab alta fago, ubi hodie Hamburgum.

(t) Intendit digitum ad locum Taciti sibi non intellectum, Tungros dictos scribentis, qui nunc Germani. Noster eos confudit cum Turingis, quod & fecisse videtur Gregorius Turonensis, ubi de Dispargo.

(u) Accolas Oceani Septentrionalis summatim designat autor, saltem à Rerefennis usque ad Frisones rectè. Nam quos distingvit Roxolanos, Sarmatas, Scythas, eosdem esse credibile est, diversis nominibus apud diversos autores appellatos. Nisi fortasse Oceani & maris Balthici litora confudit. Rerefenni vel *Renefenni* à suis bestiis, à quibus trahuntur (*Rennos* dicimus, cervini generis animal): *Scridefinni*, à cursu denominantur.

25. Ex Notitia Dignitatum Imperii.

SUB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS COMITIS LITORIS SAXONICI. (a)
Præpositus numeri Fortensium Ottonæ.
Præpositus militum Tangricanorum Dubris.
Præpositus numeri Turnacensium Lemannis.
Præpositus equitum Dalmatarum Branodunensis Branoduno.
Præpositus equitum Stablesiani Gariannonensis Garianno.
Tribunus Cohortis primæ Vetasiorum Regulbio.
Præpositus Legionis II. Aug. Rutupis. (b)
Præpositus numeri Abulcorum Anderidæ.
Præpositus numeri Exploratorum portus Adurni. &c.

Ex eadem Notitia.

SUB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DUCIS TRACTUS ARMORICANI ET NERVICANI.
Tribunus Cohortis primæ novæ Armoricæ, Grannona *in litore Saxonico.*

(a) De litore Saxonico in Gallia videatur in rerum Cadomensium libris Vir doctrina præcipuus Petrus Daniel Huetius, Episcopus Abrincensis.

(b) *Rutupias* in insula Britannia locat Ammianus Marcellinus lib. 27. Itaque utrumque litoris nomine litoris Saxonici venisse videtur.

26. De Anglo-Saxonum introitu in Britanniam ex Gildæ Historia, per Thomam Gale ultimò editâ, excerpta.

INitur consilium; quid optimum, ---- quidve saluberrimum ad repellendas tam crebras & tam ferales supradictarum gentium (a) irruptiones prædasque, decerni potius deberet.

Tum omnes consiliarii una cum superbo tyranno *Gurthrigerno Britannorum duce*, cæcantur, & adinvenientes tale præsidium, imo excidium patriæ, ut ferocissimi illi nefandi nominis *Saxones*, Deo hominibusque invisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retrudendas aquilonales gentes intromitterentur. Quo utique nihil ei usquam perniciosius, nihilque amarius factum est. O altissimam sensus caliginem, ô desperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propensius morte, cum abessent, tremebant, sponte (ut ita dicam) sub unius tecti culmine invitabant, stulti sunt Principes (ut dictum est) Thafneos dantes Pharaoni consilium insipienti. Tum erumpens grex catulorum de cubili leænæ barbariæ, tribus (ut *lingua eius* exprimitur) *Cyulis* (b), nostra lingua *longis navibus*, secundis velis secundo omine auguriisque; quibus vaticinabatur certo apud eum præsagio, quod ter centum annis terram, cui proras librarat, insideret: centum vero L. hoc est, dimidio temporis sæpius quoque vastaret. Evectus primum in Orientali parte insulæ, jubente infausto tyranno, terribiles infixit ungues, quasi pro patria pugnaturus, sed eam certius impugnaturus. Cui supradicta genitrix (primo comperiens agmini fuisse prosperatum) item mittit satellitum canumque prolixiorem catastam, quæ ratibus advecta adunatur cum manipularibus spuriis. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio nostris condigna meritis, in nostro cespite, ferocibus palmitibus, pampinisque pullulabat. Igitur intromissis in insulam barbaris veluti militibus, & magna (ut mentiebantur) pro bonis discrimina hospitibus subituris, impetrant sibi annonas dari. Quæ multo tempore impertitæ clauserunt (ut dicitur) canis faucem. Item queruntur non affluenter sibi epimenia contribui, occasiones de industria colorantes, & nisi profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta insulæ rupto fœdere depopulaturos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur.

Confovebatur namque, ultionis justæ præcedentium scelerum causa, de mari usque ad mare ignis Orientalis sacrilegorum manu exaggeratus, & finitimas quasque civitates agrosque populans, qui non quievit accensus, donec cunctam pene exurens insulæ superficiem rubra occidentalem trucique Oceanum lingua delamberet. In hoc ergo impetu, Assyrio olim in Judæam comparando, completur quoque in nobis secundum historiam, ut dicitur:

(a) Scotorum scilicet & Pictorum,

(b) Naves longæ, quarum in Danubio usus est, adhuc *Zeilen* vocantur, à longitudine scilicet sua; in universum Germanis Zeile / in rectum extensum, longum non, latum; itaque lineæ, quibus pagina scripturæ constat, hoc nomine speciatim designantur, & longiores plateæ, qualis Francofurti ad Mœnum Die Zeile.

dicitur : Incenderunt igni ſanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Et iterum dicit Deus : Venerunt gentes in hæreditatem tuam : polluerunt templum ſanctum tuum &c. Ita ut cunctæ columnæ (c) crebris arietibus, omnesque coloni cum præpoſitis Eccleſiæ, cum ſacerdotibus ac populo, mucronibus undique micantibus, ac flammis crepitantibus, ſimul ſolo ſterneretur, & miſerabili viſu, in medio platearum, una turrium edito cardine evulſarum, murorumque celſorum ſaxa, ſacra altaria, cadaverum fruſta, cruſtis ac ſi gelantibus (d) purpurei cruoris tecta, velut in quodam horrendo turculari mixta viderentur, & nulla eſſet omnimodis præter horribiles domorum ruinas, beſtiarum volucrumque ventres in medio ſepultura, ſalva ſanctarum animarum reverentia, ſi tamen multæ inventæ ſint, quæ arduis cœli per id temporis a ſanctis Angelis vehebantur. Ita enim degeneraverat tunc vinea illa olim bona in amaritudinem verſa, uti raro ſecundum Prophetam videretur quaſi poſt tergum vindemiatorum aut meſſorum racemus vel ſpica.

Itaque non nulli miſerarum reliquiarum in montibus deprehenſi acervatim jugulabantur: alii fame confecti accedentes, manus hoſtibus dabant in ævum ſerbituri, ſi tamen non continuo trucidarentur, quod altisſimæ gratiæ ſtabat in loco : alii transmarinas petebant regiones, cum ululatu magno ceu celeuſmatis vice, hoc modo ſub velorum ſinibus cantantes : Dediſti nos tanquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos Deus : alii à montanis collibus, minacibus præruptis vallati, & denſiſſimis ſaltibus, marinisque rupibus vitam, ſuſpecta ſemper mente, credentes, in patria licet trepidi perſtabant. Tempore igitur interveniente aliquanto, cum receſſiſſent domum crudeliſſimi prædones, roboratæ à Domino reliquiæ (quibus confugiunt undique diverſis in locis miſerrimi cives, tam avide quam apes alvearii, procella imminente) ſimul deprecantes cum toto corde, &(ut dicitur) innumeris onerantes æthera votis, ne ad internecionem ita usquequaque delerentur, duce *Ambroſio Aureliano* viro modeſto, (qui ſolus fuit comes, fidelis, fortis, veraxque forte Romanæ gentis, qui tantæ tempeſtatis colliſione, occiſis in eadem parentibus, purpura nimirum indutis, ſuperfuerat, cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnopere avita bonitate degeneravit) vires capeſſunt, victores provocantes ad prælium, queis victoria, Deo annuente, ex voto ceſſit.

Et ex eo tempore nunc cives, nunc hoſtes vincebant, ut in iſta gente experiretur Dominus ſolito more præſentem Iſraelem, utrum diligat eum Dominus, an non : usque ad annum *obſeſſionis Badonici montis*, qui prope *Sabrinum oſtium* habetur, noviſſimæque ferme de furciferis non minimæ ſtragis, quique quadrageſimus quartus (ut novi) oritur annus, menſe jam primo emenſo, *qui jam & mea nativitatis eſt.* Sed ne nunc quidem, ut antea, civitates inhabitantur patriæ ; ſed deſertæ dirutæque hactenus ſqualent, ceſſantibus licet externis bellis, ſed non tamen civilibus. Hæſit etenim tam deſperati inſulæ excidii, inſperatique mentio auxilii memoriæ eorum, qui utriusque miraculi teſtes extitêre: & ob hoc Reges, publici privatique ſacerdotes eccleſiaſtici ſuum ordinem ſervarunt.

(c) al. Coloniæ. (d) al. ſigillantibus.

27. Ex Nennii Hiſtoriâ Britonum à Thoma Gale editâ, excerpta de Anglo-Saxonum introitu in Britanniam.

DUm Gratianus imperium in toto mundo regebat, in Britannia, per ſeditionem militum, Maximianus Imperator factus eſt. Quo mox in Gallias transfretante, Gratianus Pariſius, Merobaudis Magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens Lugduni captus & occiſus eſt : Maximus Victorem filium ſuum conſortem regni fecit. Martinus Turonenſis Epiſcopus in magnis virtutibus claruit. Poſt multum intervallum temporis [à] Valentiniano & Theodoſio Conſulibus, in tertio ab Aquileia lapide, ſpoliatus indumentis regalibus ſiſtitur, & capite damnatur : Cujus filius Victor ab Argobaſte Comite interfectus eſt intra Galliam : peractis à mundi initio annis V. DC. XC. Ab incarnatione Domini CCCXCI.

Tribus vicibus occiſi ſunt *Duces Romanorum* à *Britonibus*. Britones autem, dum anxiarentur a Barbarorum gentibus, *Scotorum* & *Pictorum*, auxilium flagitabant Romanorum. Et dum legati mittebantur magno luctu ; & cum *ſablonibus* (*) ſuper capita ſua intrabant, & portabant magna munera ſecum Conſulibus, pro admiſſo ſcelere occiſionis Ducum ; & ſuſci-

(*) i. e. arenis, pro cineribus.

suscipiebant Consules grata dona ab illis. Promittebant ergo Britones cum Sacramento accipere jugum Romanorum, & *Romanici* juris, licet durum fuisset. Et Romani venerunt cum exercitu maximo ad auxilium eorum, & posuerunt Duces, & Imperatores in Britannia. Et composito Imperatore cum Ducibus revertebatur exercitus ad Romam usque; & sic alternatim per CCCCXLIX annos faciebant. Britones autem propter gravitatem imperii occidebant Duces Romanorum, & auxilium postea petebant. Romani autem ad imperium auxiliumque, & ad vindicandum veniebant, & spoliata Britannia auro argentoque, cum ære, & omni preciosa veste, & melle, cum magno triumpho revertebantur. Nunc vero ad *gentem Saxonum* flectendus articulus.

Factum est autem post supradictum bellum, quod fuit inter Britones & Romanos, quando Duces illorum occisi sunt; & post occisionem Maximi Tyranni, transactoque Romanorum in Britannia imperio, per XL. annos sub metu fuerunt. *Gorthigernus* regnavit in Britannia, & dum ipse regnabat, urgebatur a metu *Pictorum Scotorumque*, & a *Romanico impetu*, necnon & a *timore Ambrosii* (z). Interea venerunt tres *Chiulæ* a Germania *in Exilio* pulsæ, in quibus erant *Hors* & *Hengist*, qui ipsi *fratres* erant. *Hors* & *Hengist* filii *Guitigils*, filii *Gugta* (*), filii *Guecta*, filii *Vuoden*, filii *Frealf* (**), filii *Fredulf*, filii *Fuin* (***), filii *Folepald* (****), filii *Geata*, *qui fuit*, ut ajunt, *filius Dei*; Nunquid (a) *ipse est Dominus exercituum* vel *Dominus Deorum*, sed *unus est ab idolis eorum*, *quæ ipsi colebant*. [Hæc (b) est Genealogia istorum *marum* (c), de quibus primò creverunt *Saxones*.] *Gortigernus* autem suscepit eos benigne, & tradidit eis *insulam*, quæ *lingua eorum* vocatur *Taneth*, Britannico sermone *Ruithina* (d), regnante Martiano secundo (e), quando Saxones a Gortigerno suscepti sunt, anno CCCCXLVII (f) post Passionem Christi. - - - - - -

Factum est autem, postquam *castra metati sunt Saxones in* supradicta *insula Taneth*, promisit Rex supradictus dari illis victum & vestimentum absque defectione; & placuit illis, & ipsi promiserunt expugnare inimicos ejus fortiter. At illi Barbari, cum multiplicati essent numero, non potuerunt Britones cibare illos: cum postularent cibum & vestimentum sicut promissum illis erat, dixerunt Britones, non possumus vobis dare cibum nec vestimentum, quia numerus vester multiplicatus est; sed recedite a nobis, auxilio vestro non indigemus: ipsi vero consilium fecerunt cum Majoribus suis, ut pacem disrumperent.

Hengistus autem cum esset vir doctus atque astutus & calidus, cum explorasset super

(z) Ambrosius Saxonum adventu posterior.

(*) In Cod. Cantabrig. *Gurtha*. Et in margine: *Guytha* & *Guicta* & *Gurgta*.

(**) *Wodan* & *Frealf* nomina Regum vel Heroum, videmur agnoscere posse & in *Odino* & *Frea* vel *Friccone*, sed antiquioribus hujus nominis Principibus pro Diis habitis, quorum appellationes deinde in posterioribus, ut fit, sunt repetitæ. In *Frea* variant Scriptores, nam interdum pro Dea voluptatum habetur, uxore Wodan vel Odini, ut apud Paul. Diac. de Gest. Longobard. l. 1. c 9. interdum pro Deo, ut apud Adamum Bremensem, quo narrante statuas trium Deorum veneratur populus Sveonum, ita ut potissimus eorum *Thor* in medio solum habeat triclinium, hinc & inde locum possideant *Wodan* & *Fricco*. Thor præsideat in aëre, flumina, fruges gubernet, Wodan bella regat, Fricco pacem voluptatemque largiatur mortalibus, cujus etiam simulacrum fingant ingenti Priapo. Hæc ex Adamo. Ad voluptates pertinere hunc sive Deum sive Deam, indicat non tantum *Freitag* Veneris dies, sed & *frayer* (Gallicum ex Celtico) *freien* (nubere) *brut* (generatio genus) *braut* (sponsa) aliaque hujusmodi. Credideris *Fream* vel *Frealfum* in pace regnasse, *Wodan* bella gessisse. Suspicari etiam possis in hac ipsa Genealogia, ubi *Geata* filius Dei dicitur; Deum hunc seu *God* fuisse antiquiorem *Wodan*. Et forte *Godan* ac *Wodan* eadem nomina esse, ut Gula & Wheel (conversio) Guilielmus & Wilhelm; Walen, Galli; Werre, Guerra; aliaque id genus.

(***) Cod. Cantabrig. *Filii Siun*; Cod. Cottonianus: *Sin*.

(****) Codd. Cantabr. & Cotton: *Foloroald*.

(a) Lego: *Non quod*. Codd. Cantabr. & Cotton. *Non, inquio, ipse*. Et in margine; *Non dei veri, nec omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi, qui ante tempora seculorum permanens Patri & Spiritui Sancto coæternus & consubstantialis in fine seculorum, mortalitatis nostræ formam non dedignatus est induere, sed unus &c.*

(b) Parenthesi inclusa a Samuele inserta sunt, forte ex Chron. Saxonico, judice Thoma Gale.

(c) An forte pro *Marum* legendum est *Macum*, quod verbum infra, uti titulus honoris, occurrit? infraque etiam c. 53. pro *Mac Eldat*, *Mac Eldoe*, *Mac Briecat* in quibusdam Codicibus MSs. legitur corrupte: *Merelchad*, *Mereldoe*, *Merbietat &c.* uti videre licet in variis Lectionibus Nennio per Th. Galesium adjunctis.

(d) Cod. Cantabr. *Ruditbin*. Cotton. *Ruithon* & *Ruoitbin*. Cambdenus in Cantio: *Errat Nennius, qui putat Saxonas nomen dedisse insulæ Tanet: ejus meminit Solinus*.

(e) Cod. Cantabr. & Cotton. unus: *Gratiano*; sed alter *Martiano* habet.

(f) Cott. Cotton. 347. Alius vero Cottonianus 400.

Regem inertem, & super gentem illius, quod sine armis utebantur, inito consilio dixit ad Regem Britannicum; pauci sumus, si vis mittemus ad patriam nostram, ut invitemus milites de militibus regionis nostræ, & sit amplior numerus ad certandum pro te & pro gente tua: & Rex hoc idem concessit. Qui illico miserunt, & Legati transfretaverunt trans *Scithicam vallem*(g), qui reversi sunt cum Chiulis XVII. Militesque electi venerunt in illis, & in una Chiula venit *puella pulchra valde* atque *decora*, hæc erat *filia Hengisti*. Postquam venissent Chiulæ, fecit convivium Hengistus *Guorthigirno Regi*, & militibus suis, & *interpreti suo*, qui vocabatur *Cerdicselmet*(h). [Nullo (i) Britone sciente *Saxonicam linguam*, præter istum Britonem: studet, qui legit, quo eventu evenit ipsi viro intelligere sermonem Saxonicum.] *Hengistus* itaque puellam jussit ministrare illis vinum & siceram, qui inebriati sunt nimis & saturati. Illis bibentibus, intravit Sathanas in corde *Guorthigerni*, ut adamaret puellam, & postulavit eam à patre suo per interpretem suum, & dixit, omne quod à me postulas, impetrabis, licet dimidium regni mei. Et *Hengistus* inito consilio cum suis senioribus, qui secum venerant de insula *Oghgul*(k), quid peterent Regi pro puella, unum Consilium illis omnibus fuit, ut peterent Regionem, quæ in lingua eorum vocatur *Canthguaraland*(l), in nostra autem lingua *Chent*(m), & dedit illis, *Guoirangono* (n) *Rege* regnante in *Cantia*; & inscius erat, quod traditum esset regnum ipsius Paganis, & ipse solus in potestatem illorum clam dari: & sic data est puella in conjugium, & dormivit cum ea, & adamavit eam valde.

Dixit ergo Hengistus ad Regem; ego sum Pater tuus, & consiliator ero tibi, & noli præterire consilium meum unquam, quia non timebis te superari ab uno homine, neque ab ulla gente, gens illa mea valida est. Invitabo itaque *filium meum* cum *fratrueli* suo: bellatores illi sunt viri, ut dimicent contra *Scotos*, & da illis Regiones, quæ sunt in aquilone, juxta *murum*, qui vocatur *Gual*. Et jussit, ut invitaret eos: quos & invitavit *Ochta* & *Abisa* cum XL Chiulis. At ipsi, cum navigarent circa *Pictos*, vastaverunt *Orchades* insulas, veneruntque, & occupaverunt plurimas regiones (o) trans *Mare Fresicum* (p), i. e. *quod inter nos Scotosque est*, usque *ad confinia Pictorum*. Et *Hengistus* semper Chiulas ad se paulatim invitavit, ita ut insulas, de quibus (q) venerant, absque habitatore relinquerent: cumque gens illius crevisset & in virtute & in multitudine, venerunt ad supradictam *Cantuariam*., - - - - Interea *Guortemir* filius *Guorthigirni* cum *Hengist* & *Horso* & illorum gente potenter pugnabat, & eos usque ad insulam, quæ dicitur *Taneth* expulit, illosque illic tribus vicibus conclusit, percussit, obsedit, comminuit, terruit. Ipsi itaque legatos trans Mare usque in Germaniam miserunt, vocando Chiulas cum ingenti numero virorum bellatorum & fortium. Et postea pugnabant contra Reges gentis nostræ: aliquando vincebant, & dilatabant terminos suos: aliquando vincebantur & expellebantur. Et *Guortemir quatuor bella con-*

(g) Cod. Cantabr. *Tythicam.* Gildas: *Tithicam.* Forte *Theticam.* Gildas, ex quo hæc, verbis Poetarum sæpe utitur. [neque aliud fuerit Thetica vallis seu vallis Thetidis, quam profundum maris, quem sensum optimum puto]. Cottonianus legit *Scythicam.* Legatos hic ex Nennio Guilielmus Malmesb. missos agnoscit. Et fere Nennium sequitur, [ut annotat Th. Gale, V. cl. qui Scythicæ valli magis favet.]

(h) In variis Lect. a Th. Gale editioni Oxoniensi adjectis scribitur hoc nomen *Cerdicelmet.* Codex Cottonianus *Ceretec.* Forte autem hic est idem cum illo *Certec* Regulo territorioli *Elmet* in Westr. Ebor. quem Edgvinus filius Alli expulit, ut in Nennii nostri Append. I. videre est.

(i) Hæc Glossatoris Samuelis verba sunt.

(k) *Oghgul*, i. e. *Angul* Cod. Cantabrig. id est, peninsula Cimbrica.

(l) Cotton. *Conguaraland.*

(m) Imo potius *Caint.* Circa prima tempora Normannorum *Chent* aliquando dicitur *Chenith.* Th. Gale.

(n) Cod. Cantabr. *Guaranggono regnante.* *Gorongus* dicitur G. Malmesburiensi. Regem fuisse non puto; vox *custodem* denotat, habes in *Barangus*, & *Cair Guarongon*, urbs præsidiaria. Interim vox hæc in Cott. scribitur disjunctim, *Guoran cono. Cuno* nomen esse dignitatis, fatentur Britanni, inquit Cambdenus, & scribi *Cono* etiam in voce *Conetodunus* notat. Hæc ipsa vox occurrit in vita Marcwardi, 4. Sæc. Act. Bened. p. 608. Videtur Nennii *Gorondus* idem fuisse, qui hodie dicitur V. portuum Guardianus. Cæsare Britannias invadente quatuor fuere Reges in Cantio. Multi credunt honorarios officiarios, seu præsides fuisse. Horum primi nomen *Cungetoric* habet aliquid affine Guorancono.

(o) Cott. *regiones & insulas.*

(p) Cott. *Fresium.* An *Frethicum*, Britannicè dicitur *Veriche*, & *Werith? Th. Gale.* Ex Frisia Saxones venisse huc scribit Joh. Leydensis in Chronico. [Malim *Freticum Mare*, idem esse quod angustum, uno verbo *fretum*].

(q) Hæc si verè scribuntur, sunt ex Beda interpretanda. Alia lectio est, *ad quas venerunt:* Hæc ita intelligenda sunt, ut expulisse omnes pristinos incolas ex insulis occupatis Saxones dicantur. *Th. Gale.*

la contra eos avide gessit(r). Iste *Guorthemir* filius *Guorthigirni* in Synodo habita apud *Guartherniaun*, postquam nefandus Rex, ob incestum, quem cum filia commiserat, à facie *Germani* & *Clericorum Britaniæ* in fugam iret, patris nequitiæ consentire noluit: sed rediens ad *Sanctum Germanum* ad pedes ejus cecidit veniam postulans, atque pro illata à patre suo & sorore sancto Germano calumnia, terram ipsam, in qua prædictus Episcopus obprobrium tale sustinuit, in æternum suam fieri sanxivit. Unde & in memoriam Sancti Germani *Guarenniaun* nomen accepit, quod Latine sonat *calumnia juste retorta*; quoniam cum Episcopum vituperare putaverat, semet ipsum vituperio affecit. *Guortemir* vero accepto regno hostibus viriliter obsistit, qui tantæ magnitudinis esse & virtutis dicebatur, ut siquando iratus in bello dimicaret, accepta arbore cum frondibus funditus extirparet, & cum ea solotenus adversarios prosterneret: cum tali ille arbore *Horsam* satellitem bellicosum confractis in alterutrum armis pene defectis viribus prostravit, cæterosque in fugam versos, ut stipulas, terræ allidit, & ex omnibus finibus Britaniæ expulit, & per quinquennium postea insulam intrare non audebant usque ad obitum *Guortemir*.

Primum bellum super flumen *Derevent*(s). *Secundum bellum* super *Vadum*, quod dicitur in lingua eorum, *Episford*(t), in nostra autem lingua *Sathenegabail*. Et ibi cecidit *Horsa cum filio Gourthigirn*, cujus nomen erat *Catigirnus*. *Tertium Bellum*(u) in *Campo*(x) juxta lapidem Tituli, qui est super ripam Gallici Maris, statutum; & Barbari victi sunt, illeque victor fuit, & ipsi in fugam usque ad Chiulas suas reversi sunt, in eas muliebriter intrantes. Ille autem post modicum intervallum temporis mortuus est: & ante mortem suam ad familiam suam animadvertit, ut illius Sepulchrum in portu ponerent, à quo exirent super Maris ripam, in quo vobis commendo: quamvis in alia parte portum Britanniæ teneant, & habitaverunt, tamen in ista terra in æternum non manebunt. Illi autem mandatum ejus contempserunt, & eum in loco, in quo imperaverat illis, non sepelierunt: in *Lincolnia* enim sepultus est. At si mandatum ejus tenuissent; procul dubio per orationes sancti Germani quicquid petierant, obtinuissent. At Barbari magnopere reversi sunt; cum *Guortigirnus* amicus illorum erat pro uxore sua, & nullus illos abigere ultra audacter valuit. Quia non de Virtute sua Britanniam occupaverunt, sed nutu divino; contra voluntatem Dei quis resistere nitatur? Sed quomodo voluit, Dominus fecit, & ipse omnes gentes gubernat & regit.

Factum est autem post mortem *Guorthemir Regis Gourtigirni filii*, & post reversionem *Hengisti* cum suis turmis, fallax consilium hortati sunt, ut dolum *Guortigerno* cum exercitu suo facerent. At illi legatos, ut pacem impetrarent, miserunt, & ut perpetua amicitia inter illos fieret: & *Vortigirnus* cum suis majoribus natu consilium fecerunt, & *scrutati* sunt, quid facerent; tandem consilium omnibus fuit, ut pacem facerent: & Legati *Saxonum* reversi sunt: postea verò conventum adduxerunt, ut ex utraque parte *Britones* & *Saxones* in unum sine armis convenirent, statutum est, & amicitia firma ad invicem esset.

Hengistus nequissimus omni familiæ suæ jussit artavum suum sub pede suo in medio siconis sui poneret, & quando clamavero ad vos & dixero, *En Saxones* NIMED EURE SAXES (y), id est, *cultellos* vestros de siconibus vestris deducite, & in illos irruite, & fortiter contra resistite; Regemque eorum nolite occidere, sed eum, pro causa filiæ meæ, quam dedi illi in conjugium, tenete: quia melius est nobis, ut ex manibus nostris redimatur. Et conventum adduxerunt, & in unum convenerunt: *Saxones* autem amicabiliter locuti sunt, & mente interim vulpino more agebant, & vir juxta virum socialiter sederunt. Et *Hengistus*, sicut dixerat, vociferatus est, & omnes *seniores* CCC. *Guortigerni*

(r) Quæ sequuntur: *Iste Guorthemir &c.* usque ad *ad obitum Guortemir*, omittuntur in Codd. Cantabr. & Cotton. De istis Usserius Br. Ant. 206.

(s) Al. *Dergvvent*. Aliqui intelligunt fluvium Derbeiensem, qui idem est.

(t) Codex quidam Galfridi legit *Bedfort*. Auctor Scalæ Chronicæ legit *Slefort in Lindisia*. Et notat ibi quidem congressos esse Horsam & Categernum, sed neutrum cecidisse in ea pugna. *Th. Gale.*

(u) Hoc bellum apud *Episford* mihi gestum videtur. Ita enim numerus præliorum constabit. Videatur R. Hygdenus. *Th. Gale.*

(x) Bellum *in Campo* quartum facio. Si faverent Codices Msc. legerem *in Cantio, juxta lapidem populi (Folkstane) super ripam Gallici Maris.* Alii intelligunt *Stonar. Th. Gale.*

(y) Al. *haxas*. In margine Codd. Cotton. Cantabrig. & Usf. 227. *Nimeth Sexees*, Ranulphus, *Nimeont your Saexes*.

ni Regis sunt jugulati; ipseque solus captus & *catenatus* est; ac regiones plurimas pro redemptione animæ suæ tribuit illis, id est, *Eastsexa*, *Suthsexa*, *Midelsexe*, ut ab illicita conjunctione se separaret. - - - - [Guortigirnus, in arce sua posthæc, ut fertur, igne consumtus est, &] *Tres filios* habuit, quorum nomina hæc sunt, *Guorthemir*, qui pugnavit contra Barbaros, ut supra scripsi. Secundus *Contegirnus*, Tertius *Bascent*, qui regnavit in duabus Regionibus, i. e. *Buelt* & *Guortigermanum* (z), post mortem Patris sui, largiente (a) *Ambrosio*, *qui fuerat Rex in omnes Regiones Britanniæ* (b). Quartus fuit *Faustus*, qui illi de filia sua natus est, quem Sanctus Germanus baptizavit, enutrivit, atque docuit; & condidit locum magnum super ripam fluminis, quod vocatur *Renis* (c), & manet usque hodie: & unam habuit *filiam* (d), quæ ut diximus, mater fuit *Sancti Fausti*.

Hæc est genealogia illius, quæ ad initium retro currit. *Firmvail* (e) ipse est qui regit modo in regione *Guortigirmanum*: filius est *Theudubr*. Ipse *Theudubr* est *Rex Bueltb regionis*: *Theudubr* filius *Pascent Mac Apguocan* (f), *Mac Moriud*, *Mac Eldat*, *Mac Eldoe*, *Mac Paul*, *Mac Mepric*, *Mac Briecat*, *Mac Pascent*, *Mac Guorthigirn*, *Mac Guortheneu*, *Mac Guitaul*, *Mac Guitolin*, *Mac Apglovi* (g), *bonus Paulus Mauron*. Tres fratres fuerunt filii *Glovi*, qui ædificavit *urbem magnam* super ripam fluminis *Sabrinæ*, quæ vocatur Britannico Sermone, *Cair Glovi*, Saxonice autem *Gloucestre*. [Satis dictum est de *Guorthigerno*, & de regno suo & de gente ejus] - - - -

In illo tempore (h) *Saxones* invalescebant, & crescebant non modice in BRITANNIA. Mortuo autem *Hengisto*, *Ochta filius ejus transiit de sinistrali parte Britanniæ ad Regem* (i) *Cantuariorum*, *& de ipso orti sunt Reges illius Patriæ*. *Artur* pugnabat contra illos in illis diebus, videlicet Saxones cum Regibus Britonum; sed ipse *Dux erat bellorum*: & in omnibus bellis victor extitit. [*Artur*, Latine translatum, sonat *ursum horribilem*, vel *malleum ferreum*, *molæ leonum*. *Mabute* (k) Britannice, *filius horribilis* Latine; quoniam à pueritia sua crudelis fuit.]

Primum bellum fuit in Ostium fluminis, quod dicitur, *Glem* (l). *Secundum* & *Tertium* & *Quartum* & *Quintum* super aliud flumen, quod vocatur *Duglas* (m), quod est in regione *Linuis* (n). *Sextum bellum* super flumen, quod vocatur *BASSAS* (o). *Septimum* bellum fuit in silva *Calidonis*, id est, *Cattoit Celidon* (p). *Octavum* fuit *bellum* in Castello (q) *Gunnion*, in quo *Arthur* portavit imaginem Crucis Christi, & Sanctæ Mariæ semper virginis, super humeros suos: & Pagani versi sunt in fugam in illo die: & ceciderunt, plagaque magna super eos venit per virtutem Domini nostri Jesu Christi, sanctæque suæ genetricis. [(r) Nam *Arthur*

(z) i. e. *Guelth* & *Vortigernianum*. Usserius legit *Guartheuniaun*. *Buelt Ptolemæo est* Βȣ́λλαιον, forte Βȣ́λταιον.

(a) Cod. Cantabr. *largiente suffragium Ambrosio*, Cotton. *Embresio*.

(b) Cotton: *Qui fuerat Rex magnus inter omnes regiones Britannicæ gentis*. Alius Codex: *Reges*.

(c) Cantabrig. Cotton. Usf. 206. *Reins*, & *sibi consecravit & manet*.

(d) Cantabrig. Cott. *Quintam habuit filiam*. Alii: *Quinta fuit filia & mater S. Fausti secundi*.

(e) Cott. *Fermail*.

(f) Al. *Goithon*, *Gaidean*, *Gocan*, *Goithan*, *Guordeant*.

(g) Cotton. & Cantabrig. *Mac Glouida*, *qui fuit filius Paul Maurion*, *tres fuerunt fratres Glouii*, *qui ædificavit &c.* Ego quæ reperi, ut potui, repræsentavi. Viderint alii, qvalia sint. Hæc Genealogia addita fuisse videtur a Samuele, ego suspicor Guortigernum fuisse genere Pictum vel Scytham; qui Pictorum ope ad regnum pervenerit.

(h) Scil. post mortem Guortigerni Regis. Quæ autem hic seqvuntur, a verbis nempe: *in illo tempore* & porro, *judice Th. Gale*, forte sunt additiones Nennii vel Samuelis ad Gildam: vide Balæum p. 72. certe non sunt hujus nostri Scriptoris. [Gildam autem cum dicit Th. Gale, intelligit Gildam querulum, non hunc præ manibus Gildam seu Pseudo-Gildam.]

(i) Cod. Cantabr. *ad regnum*.

(k) Th. Gale legendum svadet: *Mabuter* & *malleum ferreum*, *quo franguntur molæ*. Cod. Cantabrig. Prise.

(l) Cod. Cantabr. *Glein*. In margine: *Devonia* & *Gleni*. Sed rectius Glem in Lincolnia, ubi *Glemford* nunc. Vortigernus dedit Hengisto Lincolniam; unde eum expellere certant Britones bellis sequentibus, sub Aurelio, Vortigero & Arthuro. *Th. Gale*.

(m) *Dug* & *Du* fluvius Linc. Alii hæc collocant in Lancastria prope Wigan, ibi Dugles fl. *Th. Gale*.

(n) Al. *Linnis*, in Marg. Cod. Cantabr. *Lindisey*. Cott. *Linnuis*. Th. Gale legit *Lind*.

(o) Ubi nunc *Baston*, vel *Boston*. *Th. Gale*.

(p) Al. *Cathcoit Celidon*. Rectius *in Lincolnia*. *Th. G.*

(q) Al. *Castello Guynion*. It. *Guimer*. Forte, *Gainsford*. *Th. G.*

(r) Quæ hic parenthesi inclusa vides, desunt in Cod. uno Cantabrigiensi & Cottoniano, & stant in margine Cod. Benedictini Cantabrigiensis.

tbur Jerosoliman perrexit, & ibi crucem ad quantitatem Salutiferæ Crucis fecit, & ibi consecrata est; & per tres continuos dies jejunavit, vigilavit, & oravit coram Cruce Dominica, ut ei Dominus victoriam daret per hoc Signum de Paganis; quod & factum est; cujus fractæ adhuc apud *Wedale* in magna veneratione servatur. *Wedale*, Anglice *Vallis doloris*, Latinè Wedale est villa in Provincia *Lodonesie*, nunc vero Juris Episcopi sancti Andreæ Scotiæ, VI milliaria ab occidentali parte, ab illo quondam nobili & eximio Monasterio *de Meilros.*] *Nonumque bellum* gestum est in urbe *Legionis* (s). *Decimum* bellum gestum est in littore fluminis, quod vocatur *Ribroit* (t). *Undecimum bellum* fuit *in monte*, quod dicitur *Agned Cathregonion* (u). *Duodecimum* fuit *bellum in monte Badonis*, in quo corruerunt uno die DCCCXL. viri de uno impetu ARTUR, & nemo eos prostravit, nisi ipse solus. Ipsi vero *Barbari*, dum in omnibus bellis prosternerentur, auxilium à *Germania* petebant, & augebantur multipliciter sine intermissione; & *Reges a Germania deducebant*, ut regnarent super eos in Britannia (x). Et regnabant usque ad tempus, quo IDA *filius Eobba* (y) regnavit, qui fuit *primus Rex in Bernitia* (z), id est, *Iberneicb.*

Ida filius Eobba tenuit Regiones in sinistrali parte *Humbri Maris* XII. annis & junxit (a) arcem (b), id est, *Dinguirin* & *Gurbirneth*: quæ duæ regiones fuerunt in una regione, idest, DENRABERNETH (c), Anglicè DEIRA, & BERNICIA. *Elflet* filia *Edvvini* XII. die post Pentecosten baptismum accepit, cum innumerabilibus hominibus de viris & mulieribus cum ea. Et hæc prima baptizata est. *Edvvinus* vero postea in sequenti Pascha baptismum suscepit, & XII. millia hominum in uno die baptizati sunt cum eo (d): *Sanctus Paulinus* Eboracensis Archiepiscopus eos baptizavit, & per XL. dies non cessavit baptizare omne genus AMBRONUM (dd), id est, ALDSAXONUM; & per prædicationem illius multi crediderunt Christo. Sed *cum inutiles Magistro meo*, id est, *Beulario presbytero*, *visæ sunt genealogiæ Saxonum & aliarum genealogiæ gentium*, *nolui ea scribere* (e), sed *de Civitatibus* (f) & *mirabilibus Britanniæ Insulæ* (g), ut alii Scriptores ante me scripsêre, scripsi.] ....

(s) Al. *urbe Legionis*, *quæ Brithannicè dicitur Kairleun.* Tres fuêre urbes Legionum, 1. ad Uscam, 2. ad Deam, 3. Verovicum, præsidium Warwic. Sic Joan. Rossus.

(t) Cantabrig. *Trathtreviroit*; Cotton. & Prise, & Chronicon Walliæ MS. *Arderit.*

(u) Cantabr. & Cotton. *Undecimum fuit in montem*, *qui dicitur Agned Cath-Regenion.* Ibid. in margine: *in Sumersetesbire*, *quem nos Cath-Bregion appellamus.* Lhuydo *Edenborrovv.* Prise pro *Agned* legit *Assuet.* Hæc prælia simul enumerata gesta videntur spatio 40. annorum, & amplius; & licet hic omnia videantur Arturo tribui, tamen gesta fuere sub Vortigerno, Ambrosio & aliis. *Th. G.*

(x) Hic desinunt Codd. Cott. A & B., alii ab iis, quos supra ad Cap. 62. finivisse diximus.

(y) Al. *Ida regnavit, qui fuit filius Ebba, ipse primus in Bernicia, id est, in Cernech Rex fuit*, *& in Cair Effranc*, *de gente Saxonum.*

(z) Omnia quæ hic sunt a *id est*, *Iberneicb* usque ad verbum *scripsi* inclusivè, desunt Codicibus Cantabrigiensi & Cottonianis quibusdam. Nimirum hæc non poterant à Nennio scribi, quoniam quædam sunt temporum inferiorum. Et sane videntur esse fragmenta Chronologiæ Saxonicæ, minime contemnenda; obscura interim & vitiose admodum congesta. *Th. G.*

(a) Al. struxit.

(b) Forte, arces.

(c) Forte, *Deirabernecb.*

(d) Hic in margine Cod. Cantabrig. habetur hoc Scholion: *Si quis scire voluerit, quis baptizavit eos, sic mihi tradidit Reuchidus & Elbodus Episcoporum scientissimus, Rimin ap urb* [al. *Rim map. urb.*] *i. e. S. Paulinus.* Conjicio legi oportere, *Run map Urbgen*; id est, Romanus urbigena. Eadem fere infra habentur, nec non in Beda & Saxonica Chronologia. *Th. G.*

(dd) Notatu dignum est, Saxones hic *Ambronum* nomine appellari; nescio, an sumta appellatione ex vetere Romana Historia, ubi Cimbri, Teutones atque Ambrones conjungebantur, quo sensu forte nihil aliud significaverint hoc loco, quam Teutones sive Germanos; an verò aliquod ejus nominis vestigium apud Saxones superfuerit, cum in Britanniam transirent, & aliquanto post; quod non inverisimile videbitur consideranti, mox redire id Saxonum nomen in Genealogia sequente. Sane *Alt Saxonum* nomine sæpe *Westfali* à veteribus designantur, quorum (latius sumtorum, ut comprehendant, quicquid intra Rhenum & Visurgim est) pars Angarii.

(e) Descripsit tamen Genealogias istas alius, & Nennii Codicibus Cottonianis insertæ sunt, uti sequens appendix Nennii nos docet a Cl. Th. Gale publicata.

(f) De Civitatibus quæ Nennius scripsit, omisimus; Saxonica tantum curantes.

(g) Sequebantur ista Mirabilia in Codicibus multis, quibus usus sum; ea tamen omisi tanquam ad institutum meum minus nunc facientia: simul etiam quod in Ranulfo Higdeno recurrant. *Th. Gale.*

APPENDIX I. *ad Nennii Hist. Britonum, ex Nennii MSS. Joannis Cotton Equitis aurati, spectantia ad Genealogiam Saxonum, quæ desunt in aliis Ninnii MSS. Exemplaribus, exhibens.*

Woden genuit *Beldeg*, genuit *Beor-nec*, genuit *Gethbrond*, genuit *Aluson*, genuit *Inguet*, genuit *Edibrith*, genuit *Offa*, genuit *Eobba*, genuit *Ida*. *Ida* autem *XII. filios* habuit, quorum nomina fuerunt, *Adda Eadlric*, *Decdric*, *Edric*, *Deothere*, *Osmer*, & unam Reginam *Beornoch*, *Falric* ; *Ealdric* genuit *Eadlfret*, ipse est *Eadlfret Flesaur* : nam & ipse habuit filios septem, quorum nomina fuerunt, *Anfrid*, *Osgnat*, *Osbui*, *Osguid*, *Osgudu*, *Oslapf*, *Offa*. *Osguid* genuit *Alcfrid*, & *Alfgunn*, & *Echfrid*; *Echfrid* ipse est, qui fecit bellum contra fratruelem suum, qui erat Rex Pictorum nomine *Birdei*, & ibi corruit cum omni robore exercitus sui, & Picti cum Rege suo victores extiterunt : & nunquam addiderunt SAXONES AMBRONEM (h), ut à Pictis vectigal exigerent à tempore istius belli, vocatur *Guerchlum Garan* (i). *Osguit* autem habuit duas uxores, quarum una vocabatur *Nemmedt*, filia *Roith*, filii *Rum*, & altera vocabatur *Eanfeld*, filia *Eadguin*, filii Alli. *Hengist* genuit *Octha*, genuit *Offa*, genuit *Eosmoric*, genuit *Eadlberth*, genuit *Ealdbald*, genuit *Excunberht*, genuit *Ecgberth*. *Woden* genuit *Casser*, genuit *Titinon*, genuit *Trigil*, genuit *Rodnum*, genuit *Kippan* (k), genuit *Guithelm*, *Guechan*. Ipse primus regnavit in Britannia super gentem *Eastanglorum*. *Gueca* genuit *Guffan*, genuit *Tidil*, genuit *Ecni*, genuit *Edric*, genuit *Aldulfh*, genuit *Elric-Woden*, genuit *Guedolgeat*, genuit *Gueagon*, genuit *Guithlig*, genuit *Guerdmund*, genuit *Offa*, genuit *Origon*, genuit *Eamer*, genuit *Pubba*. Ipse *Pubba* habuit IX. filios, quorum duo mihi notiores sunt quam alii, id est, *Penda* & *Eva*, *Eadlrit*, filius *Pantha*. *Penda* filius *Pubba*. *Ecgfrid* (l) filius *Offa*, filius *Clum*, *Inferth* filius *Eandalf*, filius *Ossulfh*, filius *Eava*, filius *Pubba*. *Woden* genuit *Beldeyg*, *Brond* genuit *Siggar*, genuit *Sibald*, genuit *Zegulfh*, genuit *Soemil*. Ipse primus superavit *Deur Oberneich* (m). *Soemil* genuit *Sguerthing*, genuit *Guilglis*, genuit *Ulfrean*, genuit *Iffi*, genuit *Ulli*, *Ædguin*, *Osfird* & *Eadfird*. Duo filii *Edguin* erant, & cum ipso corruerunt in Bello *Ineicen* : & de Origine illius nunquam iteratum est Regnum, quia non evasit unus de genere illius de isto bello, sed interfecti fuerunt omnes cum illo ab exercitu. *Catguallum* (n) *Regis Guondotiæ Regionis*. *Osguit* genuit *Ecgfird*, ipse est *Ocgfird* ; *Ailguin* genuit *Oslagh*, genuit *Athun*, genuit *Echun*, genuit *Oslaph*. *Ida* genuit *Eadirc*, *genuit Ecgulf*, genuit *Liod*. *Guad* genuit *Eatan*, ipse est *Eata Glim Maue* ; genuit *Eadbirth* & *Ecgbirth* (o) *Episcopum*, qui fuit primus de Natione eorum. *Ida* (p) filius *Eobba* tenuit Regiones in sinistrali parte Britanniæ, ist est, *Umbri Maris* (q), & regnavit annis XII, & vixit (r) *Dynguayrh Guarth berneich*. Item *Dutigirn* (s) in illo tempore fortiter pugnabat contra *gentem Anglorum*. Item *Talhaern Talanguen in Poemate claruit*, & *Nevin*, & *Taliessin*, & *Bluchbar*, & *Cian*, *qui vocatur Gueinchguant*, *simul uno tempore in Poemate Britannico claruerunt*. *Mailcunius* (t) *Magnus Rex apud Britones* regnabat, id est, in Regione *Guenedotæ*, quia atavus illius *Cunedag* cum filiis suis (quorum numerus octo erat) venerat prius de parte sinistrali, de Regione, quæ vocatur *Manan Guotadin*, CXLVI annis ante quam *Mailcun* regnaret; & Scotos cum ingentissima clade expulerat ab istis Regionibus, & nusquam reversi fuerunt iterum ad habitandum. [*Adda* filius *Ida* regnavit annis octo : *Æddric* filius *Adda* regnavit quatuor annis. *Deoric* filius *Ida* regnavit septem annis. *Friodolguald* regnavit sex annis; in cujus tempore *Regnum Cantuariorum* mittente *Gregorio Baptismum suscepit*. *Hussa* regnavit annis septem:

(h) Cotton. *Ambronum*. Forte *Ambrones*.

(i) *Vocaturque Cathlum Garran*. Al. *Guetlingarran*, Forte, *Cath Langarran*.

(k) Alius Cotton. *Rippan*. Vide omnino Florentium p. 688.

(l) Hic in marg. Cott. *Eadbald filius Algund*, *fil. Ena*, *fil. Penda*, *fil. Pubba*. Habet & alius Cotton. sed *Algumch* & *Eva*, pro *Algund* & *Ena*.

(m) Legerem *Guir o Brinaic*, Homines montanos, Brigantas: Si vero scriptum esset : *primus separavit*, legerem *Deir o Bernec*. *Th. G.*

(n) De Cadwallone hæc eadem narrat Chron. Walliæ MS. Mox lege *Osvvi* pro *Osguid*, & *Liodguald* pro *Liod Guad*.

(o) Is est Ecbertus Eboracensis Archiepiscopus A. D. 735.

(p) Ante Idam apud Northymbranos subreguli sive Duces fuerunt novem. Parebant hi regibus Cantianis. Ida primus se ipsum in regem evexit. Scala Chron.

(q) Δύμβεις κατὰ γλῶσσαν θάλασσα.

(r) Pro *vixit* lege *struxit*, sicut supra.

(s) An Wortigern? an potius est ille Wthigern, cujus meminit, circa hæc tempora, Ethelwerdus? Mox lege *Tantaguen* & *Talaessin*, de quo Prise.

(t) Est *Maglocunus* Codici Cantabrig. *Mailgo* Chronicæ Walliæ.

ſeptem: contra illos quatuor Reges, *Urbgen*, & *Rydertben*(u), & *Guallanc*, & *Morcant* dimicaverunt. *Deodric* contra illum *Urbgen* (w) cum filiis dimicabat fortiter. In illo autem (x) tempore, aliquando hoſtes, nunc cives vincebantur; & ipſe concluſit eos tribus diebus, & tribus noctibus in Inſula *Medcant* (y); & dum erat in Expeditione jugulatus eſt, *Morcanto* deſtinante pro invidia, quia in ipſo præ omnibus regibus virtus maxima erat inſtauratione Belli. Item *Eadlfered Fleſaur* regnavit XII. annos in *Berneich*, & alios XII in *Deur*: XXIV annos inter duo regna regnavit, & dedit uxori ſuæ *Dinguo Aroy*, quæ vocatur *Bebbab*, & de nomine Uxoris ſuſcepit nomen, id eſt, *Bebbanburgh*. *Edguin* filius *Alli* regnavit annis XVII. & ipſe occupavit *Elmet*(z), & expulit *Certec* Regem illius Regionis. *Eanfled* filia illius, duodecimo die poſt Pentecoſten, Baptiſmum accepit cum univerſis hominibus ſuis de viris & mulieribus cum ea (a). *Eadguin* vero in ſequenti Paſcha Baptiſmum accepit, & XII. millia hominum in uno die baptizati fuerunt cum eo: ſi quis ſcire voluerit, quis eos baptizavit, *Runmap Urbgen* baptizavit eos, & per XL. dies non ceſſavit baptizare *omne genus AMBRONUM*, & per prædicationem illius multi crediderunt Chriſto. *Oſwald* filius *Eldfred* regnavit novem annis, ipſe enim (b) *Oſuual Lanniguin*, ipſe occidit *Catgublaun Regem Guenedotiæ Regionis*, in bello *Catſcaul* (c), cum magna clade exercitus ſui. *Oſguid* filius *Eldfrid* regnavit XXVIII. annis & ſex menſibus: dum ipſe regnabat, venit mortalitas hominum, *Catgualat* regnante apud Britones poſt patrem ſuum, & in ea periit. Et ipſe occidit *Pantha* in Campo *Gai*, & nunc facta eſt ſtrages *Giti* (d) *Campi*, & Reges Britonum interfecerunt, qui exierunt cum Rege *Pantha* in expeditione usque ad urbem, quæ vocatur *Judeu* (e). Tunc reddidit *Oſguium* omnes Divitias, quæ erant cum eo in urbe usque in manu *Pendæ*, & *Penda* diſtribuit eas regibus Britonum, id eſt, *Albert Judium*. Solus autem *Catgubail*, Rex *Guenedotæ Regionis*, cum exercitu ſuo evaſit de nocte conſurgens, quapropter vocatus eſt *Catgabail Catguommedd*. *Egfrid* filius *Osbui* regnavit novem annis. In tempore illius *S. Gudberd* Epiſcopus obiit in Inſula *Medcant*: ipſe eſt qui fecit bellum contra Pictos, & corruit ibi. *Penda* filius *Pibba* (f) regnavit decem annis: ipſe primus *ſeparavit regnum Merciorum à regno Nordorum*; & *Onnan Regem Eaſte-Anglorum*, & *Sanctum Oſgualdum, Regem Nordorum*, occidit per dolum. Ipſe fecit bellum *Codoy*, in quo cecidit *Eova* filius *Pubua*, *frater ejus Rex Merciorum*, & *Oſguald Rex Nordorum*, & ipſe Victor fuit per Diabolicam artem. Non erat baptizatus, & non Deo credidit.

APPENDIX II.

1. A mundi principio (g) usque ad Conſtantinum & Rufum 5658. anni reperiuntur. - 5658.
2. Item à duobus Geminis Ruffo & Rubellio usque in Stiliconem Conſulem trecenti ſeptuaginta tres anni ſunt. - - - - - 373.
3. Item à Stilicone usque ad Valentinianum filium Placidiæ, & *Regnum Guortigerni* (alii *Guortigirni*) viginti octo anni. - - - - - 28.
4. Et à Regno Guortigerni (alias *Guortigirni*) usque ad diſcordiam *Guitolini* (h) &

(u) Conjicio *Rhyd. Erchen*. Ergen ſive Archen eſt Herefordenſis agri pars. *Th. G.*

(w) Forte intelligit *Aurelium Ambroſium*.

(x) Hæc ex vero Gilda.

(y) Nunc *Lindisfarn*:. ibi enim Cuthbertus deceſſit. *Th. G.*

(z) Eſt territoriolum agri Ebor. prope Leodes. Hæc Beda tangit.

(a) Pro *cum ea* Cambdenus legit: *& hac prima baptizata eſt*. Beda & Chron. Saxon.

(b) Cotton. indit hic: *eſt*.

(c) Petr. Langtoft vocat *Huntingfeild*, legit etiam *Cateſcaul* Chron. Walliæ. Forte, *Catgual*. Erat prælium prope vallum Picticum. *Th. G.*

(d) Al. *Guenti*. Chron. Walliæ videtur hic ponere, *ſtrages Gai campi; Penda occiſio*. Aliis eſt Winwetfeild: & non procul hinc fluvius *Guent*, qui nunc *Went*. *Th. G.*

(e) Alius legit, *Nidu*. *Nidus* bene notus ex Antonino & aliis. *Th. G.*

(f) Al. *Pubba*, rectius *Wibba*. Conferendus in his Huntingdonenſis, qui ſecutus eſt Annales Saxonicos multo auctiores, quam qui nunc extant. *Th. G.*

(g) De hac appendice, quid ſenſerit Cambdenus, vide Britann. p. 95. vide & Priſæum p. 119. Uſſerium Antiq. Eccl. Britan. p. 217. & 239. Illud interim apparet, non Nennii, ſed melioris eſſe manus.

(h) Supra in Genealogia Guorthigirni Regis, *Guitilin*, & in alio Codice *Maurion*, *Guithilin*. Hunc Maurion puto eſſe Marchantum, filium Guitolini, de quo paulo ante; inter hunc & Ambroſium diſſidium ortum eſt; & poſtea ſecuta eſt cædes Ambroſii, in expeditione Transhumbrana contra Saxones. Hinc lux Galfrido l. 8. c. 3. 4. Chron. Walliæ circa hæc tempora: *Idris jugulatur*. Lego *Embrids*: qui & Ambroſius alibi. Gildas in libro Querulo graves Britonum inimicitias ante ſua tempora deplorat. p. 14. Sect. 19. *ungebantur* Reges, &c. *paulo poſt trucidabantur*. Adde his, quod Nennius

& *Ambrosii*, Anni sunt XII. quod est *Guoloppum*, id est, *Catguoloph*. - 12.

5. *Guortigernus* autem tenuit imperium in Britannia, Theodosio & Valentiniano Consulibus. Et in quarto anno regni sui, *Saxones ad Britanniam venerunt*, Felice & Thauro Consulibus, quadringentesimo primo anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi. - 401.

6. Ab anno, quo *Saxones venerunt in Britanniam*, & *à Guortigerno* suscepti sunt usque ad Decimum & Valerianum, anni sexaginta novem. - - - 69.

nius Urbigenæ filios tribuat, & Ambrosii sobolem ab avita virtute degenerem suo tempore commemoret: Neminem ex Ambrosii sobole fuisse regno sublimatum dicit. Nam credibile est, Marchantum & Guitholini factionem, occiso Ambrosio, istam familiam exclusisse. An hic Guitholinus is forte fuerit, à quo Warwicum, Cair-Guetholin, denominatum fuisse scribit Humphredus Lhuydus in Britan. descript. An ille alius Guethlin, sive Wetheling, à quo nomen suum viam Wetlingianam volunt accepisse, viderint quibus ocium. Quod autem bellum & ubi loci gestum fuerit Cat-Guolophum (cujus hic obscura est mentio) tacent antiquarii. Gallacum Ptolemæi, Cambdenus putat esse Whellep, vel Whallop-Castle in Westmaria. Hoc in vocabulo puto ego latere Cat-Guoloph; & huic conjecturæ adstipulatur locus ille vicinus Marchantoniby, magnis ruinis notabilis; in illa enim voce Marchanti, filii Guetolini manifestum habes indicium. His ipsis temporibus erat Morganiæ Rex Mercaunius, cognomento insanus; ista duo vocabula non multum abludunt. Sed conjecturarum satis. *Th. Gale.*

28. Ex Bedæ Historia Ecclef. Gentis Anglorum excerpta de introitu Anglo-Saxonum in Britanniam.

L. I. c. 13. seqq.

ANno Dominicæ incarnationis vigesimo quadringentesimo tertio Theodosius Junior post Honorium quadragesimus quintus, ab Augusto regnum suscipiens viginti & septem annis tenuit, cujus anno imperii octavo Palladius ad Scottos in Christum credentes à Pontifice Romanæ ecclesiæ Cælestino primus mittitur Episcopus. Anno autem regni ejus vigesimo tertio Boëtius vir illustris, qui & patricius fuit, tertium cum Symmacho gessit consulatum. Ad hunc pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epistolam, cujus hoc principium est: Boëtio ter Consuli gemitus Britannorum. Et in processu epistolæ ita suas calamitates explicant: Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros: inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur, aut mergimur. Neque hæc tamen agentes quicquam ab illo auxilii impetrare quiverunt, utpote qui gravissimis eo tempore bellis cum Bleda & Attila regibus Hunnorum erat occupatus. Et quamvis anno ante hunc proximo Bleda Attilæ fratris sui sit interemptus insidiis; Attila tamen ipse adeo intolerabilis reipublicæ remansit hostis, ut totam pene Europam excisis invasisque civitatibus atque castellis corroderet. Quin & iisdem temporibus fames Constantinopolim invasit, nec mora, pestis secuta est: sed & plurimi ejusdem urbis muri cum quinquaginta septem turribus corruerunt, multis quoque civitatibus collapsis, fames & aërum pestifer odor plurima hominum millia jumentorumque delevit.

Interea Britones fames illa præfata magis magisque afficiens, ac famam suæ malitiæ posteris diuturnam relinquens, multos eorum coëgit victas infestis prædonibus dare manus: alios vero nunquam, quin potius confidentes in divinum (ubi humanum cessavit) auxilium, de ipsis montibus, speluncis ac saltibus continuè rebellabant, & tum primum inimicis, qui per multos annos prædas in terra agebant, strages dare cœperunt. Revertuntur ergo impudentes grassatores *Hyberni* domum, post non longum tempus reversuri. *Picti* in extrema parte insulæ tunc primum & deinceps quieverunt, prædas tamen nonnunquam exinde, & contritiones de Britonum gente agere non cessarunt. Cessante autem vastatione hostili, tantis frugum copiis insula, quantis nulla retrò ætas meminit, affluere cœpit, cum quibus & luxuria crescere, & hanc continuo omnium lues scelerum comitari acceleravit: crudelitas præcipuè, & odium veritatis amorque mendacii: ita ut si quis eorum mitior & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniæ subversorem, omnium odia telaque sine respectu contorquerentur. Et non solum hæc seculares viri, sed etiam ipse grex Domini, ejusque pastores egerunt, ebrietati, animositati, litigio, contentioni, invidiæ, cæterisque hujusmodi facinoribus sua colla, abjecto levi jugo Christi, subdentes. Interea subito corruptæ mentis

mentis homines acerba pestis corripuit, quæ in brevi tantam ejus multitudinem stravit, ut ne sepeliendis quidem mortuis vivi sufficerent: sed ne morte quidem suorum, nec timore mortis, hi qui supererant, à morte animæ, qua peccando sternebantur, revocari poterant. Vnde non multo post acrior gentem peccatricem ultio diri sceleris secuta est. Initum namque est concilium, quid agendum, ubi quærendum esset præsidium ad euitandas vel repellendas tam feras, tamque creberrimas gentium aquilonarium irruptiones: placuitque omnibus cum suo *rege Vortigerio*, ut *Saxonum gentem* de transmarinis partibus in auxilium vocarent: quod Domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus probavit.

Anno ab incarnatione Domini quadringentesimo nono, Martianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annis tenuit. Tunc *Anglorum sive Saxonum gens*, invitata à rege præfato in Britanniam, *tribus longis navibus* advehitur, & *in Orientali parte insulæ* jubente eodem rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nunciatum est, simul & insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum, mittitur confestim illò classis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmissæ adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo, qui advenerant, donantibus Britannis locum habitationis inter eos: ea conditione, ut hi pro patriæ pace & salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, *Saxonibus*, *Anglis*, *Vitis*. De *Vitarum* origine sunt *Cantuarii* & *Vectuarii*, hoc est, ea gens, quæ Vectam tenet insulam, & ea quæ usque hodie in provincia occidentalium Saxonum, *Vitarum natio* nominatur, posita contra ipsam insulam Vectam. De *Saxonibus*, id est, ea regione, quæ nunc *antiquorum Saxonum* cognominatur, venêre *orientales Saxones*, *Meridiani Saxones*, *Occidui Saxones*. Porro de *Anglis*, hoc est, de illa patria, quæ *Anglia* dicitur, & ab eo tempore usque hodie manere desertus (*) inter provincias Vitarum & Saxonum perhibetur, *orientales Angli*, *Mediterranei Angli*, *Mercii* tota *Nord-humbrorum* progenies, id est, illarum gentium, quæ ad Boream *Tumbri* fluminis inhabitant, cæterique *Anglorum populi* sunt orti. Duces fuisse perhibentur eorum primi duo fratres *Hengistus* & *Horsus*, è quibus *Horsus* postea occisus in bello à Britonibus, hactenus in orientalibus Cantii partibus *monumentum* habet *suo nomine insigne*. Erant autem filii *Vuetgissi*, cujus pater *Vecta*, cuius Pater *Voden*: de cujus stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit. Non mora ergo, confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis, grandescere populus cœpit advenarum, ita ut ipsis quoque, qui eos advocaverant indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius iam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt. Et primum quidem annonas sibi eos affluentius ministrare cogunt, quærentesque occasionem divortii protestantur, nisi profusior sibi alimentorum copia daretur, se cuncta insulæ rupto fœdere loca vastaturos: neque aliquando segnius minas effectibus prosequuntur. Siquidem, ut breviter dicam, accensus manibus paganorum ignis, justas de sceleribus populi Dei ultiones expetiit: non illius impar, qui quondam à Chaldæis succensus Hierosolymorum mœnia, imo & ædificia cuncta consumpsit. Sic enim & hic agente impio victore, imo disponente justo Judice, proximas quasque civitates agrosque depopulans, ab orientali mari usque ad occidentale nullo perhibente suum continuavit incendium, totamque prope insulæ pereuntis superficiem obtexit. Ruebant ædificia publica simul & privata, passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis, sine ullo respectu honoris, ferro pariter ac flammis absumebantur; nec erat, qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miserandis reliquiis in montibus comprehensi acervatim jugulabantur. Alii fame confecti procedentes, manus hostibus dabant pro accipiendis alimentorum subsidiis, æternum subituri servitium: si tamen non continuo trucidarentur. Alii *transmarinas regiones* dolentes petebant: alii perstantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus, silvis, vel rupibus arduis, suspecta semper mente agebant.

At ubi hostilis exercitus, exterminatis dispersisque insulæ indigenis, domum reversus est, cœperunt & illi paulatim vires animosque resumere, emergentes de latibulis, quibus abditi fuerant, & unanimo consensu auxilium cœleste precantes, ne usque ad internitionem, usquequaque delerentur. Utebantur eo tempore duce *Ambrosio Aureliano*, viro modesto, qui solus forte *Romanæ gentis* præfatæ tempestati superfuerat, occisis in eadem parentibus *regium nomen & insigne* ferentibus. Hoc ergo duce vires capessunt Britones, & victores provocantes ad prælium, victoriam ipsi (Deo favente) suscipiunt. Et ex eo tempore nunc cives, nunc hostes vince-

(*) An: *manere deserta dicitur?*

vincebant, usque ad annum *obsessionis Badonici montis*, quando non minimas eisdem hostibus strages dabant, quadragesimo circiter & quarto anno adventus eorum in Britanniam - - - - - -

Interea *Saxones Pictique* bellum adversum Britones, junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat: & cum trepidi partes suas penè impares judicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt: qui promissum maturantes adventum tantum paventibus fiduciæ contulerunt, ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum, in tantum, ut quotidianis prædicationibus instituti, certatim populi *ad gratiam baptismatis* convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit, & ecclesia ad diem *resurrectionis Dominicæ* frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. *Madidus baptismate* procedit exercitus, fides fervet in populo, & conterrito armatorum præsidio, divinitatis expectatur auxilium. Institutio, vel forma castitatis hostibus nunciatur, qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes assumpta alacritate festinant; quorum tamen adventus exploratione cognoscitur cumque emensa solennitate Paschali, recens de lavacro pars major exercitus arma capere ac bellum parare tentaret, *Germanus* (*) se ducem prælii profitetur. Eligit expeditos, circumjecta percurrit, & e regione, qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam mediis montibus intuetur. Quo in loco novum componit exercitum ipse Dux agminis. Et jam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Tunc subito Germanus signifer universos admonet & prædicat, ut voci suæ uno clamore respondeant: securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, Alleluja tertio repetitum sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium & elatum clamorem repercusso äere montium conclusa multiplicant, hostile agmen terrore prosternitur, & super se non solum rupes circumdatas, sed etiam cœli machinam contremiscunt, trepidationique injectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini, plures etiam timore præcipites, flumen quod transierant, devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, & victoriæ concessæ ociosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, & cælestis palmæ gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant Pontifices hostibus fusis sine sanguine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus. Composita itaque insula, securitate multiplici, superatisque hostibus vel invisibilibus vel carne conspicuis, reditum moliuntur Pontifices. Quibus tranquillam navigationem, & merita propria, & intercessio beati martyris Albani paraverunt, quietosque eos suorum desideriis fœlix carina restituit.

Interim in Britannia cessatum quidem est parumper ab externis, sed non à civilibus bellis. Manebant exterminia civitatum ab hoste dirutarum ac desertarum, pugnabant contra invicem, qui hostem evaserant cives: attamen recenti adhuc memoria calamitatis & cladis inflictæ servabant ut cunque reges, sacerdotes, privati & optimates suum quique ordinem. At illis decedentibus, quum successisset ætas tempestatis illius nescia, & præsentia (**) solum serenitatis statum experta, ita cuncta veritatis ac justitiæ moderamina concussa ac subversa sunt, ut nullum earum non dicam vestigium, sed ne memoria quidem præter in paucis, & valde paucis ulla appareret. Quin inter alia inenarrabilium scelerum facta, quæ historicus eorum *Gildas* flebili sermone describit, & hoc addebat, ut nunquam genti Saxonum sive Anglorum secum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicandum committerent. Sed non tamen divina pietas plebem suam quam præscivit, deseruit, quin multo digniores genti memoratæ præcones veritatis; per quos crederet, destinavit.

Siquidem anno ab incarnatione Domini, quingentesimo octogesimo secundo Mauritius ab Augusto quinquagesimus quartus imperium suscipiens, uno & viginti annis tenuit. Cujus anno regni decimo *Gregorius* vir, doctrina & actione præcipuus pontificatum Romanæ & Apostolicæ sedis sortitus, rexit annos tredecim, menses sex, & dies decem. Qui divino admonitus instinctu anno decimo quarto ejusdem principis, *adventus* verò *Anglorum in Britanniam anno* circiter *centesimo quinquagesimo* misit servum Dei *Augustinum*, & alios plures cum eo monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cum jussis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpissent, jamque aliquantum

(*) Hic erat Altisiodorensis Episcopus, & cum Lupo Trecasinæ Ecclesiæ præside per Synodum Gallicanam ad hoc delectus, Britanniam adiit, ut ejus regionis incolas Saxones Christo adduceret. vid. Beda l. 1. c. 17.

(**) *præsentis.*

tum itineris confecissent, perculsi timore inerti redire domum potius, quam barbaram, feram incredulamque gentem, cujus nec linguam quidem nossent, adire cogitabant, & hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora, *Augustinum*, quem eis *Episcopum* ordinandum (si ab Anglis susciperentur) disposuerat, domum remittunt, qui à beato Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens literas, in opus eos verbi, divino confisos auxilio, proficisci suadet. Quarum videlicet literarum ista est forma: *Gregorius servus Servorum Dei.* Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his, quæ cœpta sunt cogitatione, retrorsum redire, summo studio, dilectissimi filii, oportet, ut opus bonum, quod auxiliante Domino cœpistis, impleatis. Nec ergo labor vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia, omnique fervore, quæ inchoastis, Deo autore, peragite. Scientes, quod laborem magnum æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite, scientes, hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat. Quatenus & si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii. Data die decima Kalendarum Augustarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto anno decimo quarto, post Consulatum ejusdem Domini nostri anno decimo tertio, indictione decima quarta. Misit etiam tunc iisdem venerandus Pontifex ad *Etherium Arelatensem Archi-episcopum* (ut *Augustinum* Britanniam peragentem (*) benigne susciperet) literas, quarum iste est textus: *Reverendissimo & sanctissimo fratri Etherio Coëpiscopo Gregorius Servus servorum Dei.* Licet apud Sacerdotes habentes Deo placitam charitatem religiosi viri nullius commendatione indigeant: quia tamen aptum tempus scribendi se ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus, insinuantes latorem præsentium *Augustinum* servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei, illuc pro utilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem necesse est, ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvare, & sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam, ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare: scientes quod ea cognita tota vos propter Deum devotione ad solandum, quia res exigit, commodetis. *Candidum* præterea prebsyterum, communem filium, quem ad gubernationem *patrimoniali ecclesiæ nostræ* (**) transmisimus, charitati vestræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater. Data die decima Kalendarum Augustarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto anno decimo quarto, post Consulatum ejusdem Domini nostri anno decimo tertio, indictione decima quarta.

Roboratus ergo confirmatione beati patris Gregorii *Augustinus* cum famulis Christi, qui erant cum eo, rediit in opus verbi, pervenitque in Britanniam. Erat eo tempore *rex Edilberthus in Cantio* potentissimus, qui ad confinium usque Humbri fluminis maximi, quo meridiani & septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Est autem ad orientalem Cantii plagam *Tanetos* insula non modica, id est, magnitudinis juxta consvetudinem æstimationis Anglorum, miliarium (***) sexcentorum, quam à continenti terra secernit fluvius Vantsumu, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, & duobus tantum in locis est transmeabilis. Utrumque enim caput protendit in mare. In hoc ergo applicuit servus Domini *Augustinus*, & socii ejus viri (ut fertur) fermè quadraginta. Acceperunt autem, præcipiente beato Papa Gregorio, *de gente Francorum interpretes*, & mittens ad Edilberthum mandavit se venisse de Roma, ac nuntium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum sine fine cum Deo vivo & vero futurum, sine ulla dubitatione promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant insula, & eis necessaria ministrari, donec videret, quid eis faceret, jussit. Nam & antea fama ad eum Christianæ Religionis pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Christianam *de gente Francorum regia*, nomine *Bertham*: quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suæ cum episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant nomine *Luidhardo*, inviolatam servare, licentiam haberet. Post dies ergo aliquot venit ad insulam Rex, & residens sub dio jussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire Colloquium. Caverat autem,

(*) Leg. *in Britanniam pergentem.*
(**) An *patrimonii* vel *patrimonioli*? tunc ergo prædia quædam Romana Ecclesia in Gallia habebat.
(***) Locus corruptus. An *miliarium sex circuitu*?

autem, ne in aliquam domum ad se introirent, veteri usus augurio, ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmonica, sed divina virtute prædìti veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, letaniasque canentes, pro sua simul & eorum propter quos & ad quos venerant salute æterna, Domino supplicabant. Cumque ad jussionem regis residentes, verbum ei vitæ una cum omnibus, qui aderant ejus comitibus prædicarent; respondit ille dicens, Pulchra sunt quidem verba & promissa, quæ affertis, sed quia nova sunt & incerta, non his possum assensum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente servavi. Verum quia de longe huc peregrini venistis, & ut ego mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera & optima credebatis, nobis quoque communicare desideratis: nolumus molesti esse vobis, qui potius benigno vos hospicio recipere, & quæ victui vestro sunt necessaria, ministrare curamus: nec prohibemus, quin omnes, quos potestis, fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in civitate *Dorovernensi* (quæ imperii sui totius erat metropolis) eisque ut promisserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem, quod appropinquantes civitati, more suo cum cruce sancta & imagine magni regis Domini nostri JEsu Christi, hanc letaniam consona voce modularentur: Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus & ira tua à civitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccavimus. Alleluja &c.

29. De Mensibus Anglorum locus Bedæ, Libr. ejus de temporum ratione cap. 13. insertus.

ANtiqui enim *Anglorum populi* (neque enim mihi congruum videtur, aliarum gentium annalem observantiam dicere & meæ reticere) juxta cursum Lunæ suos menses computavêre: unde & à Luna Hebræorum & Græcorum more nomen accipiunt. Siquidem apud eos Luna *Mona*, mensis *Monath* appellatur, primusque eorum mensis, quem Latini Januarium vocant, dicitur *Guili*: Deinde Februarius, *Sol monath*: Martius, *Rebel monath*: Aprilis, *Eslur monath*: Maius, *Trimilchi*: Junius, *Lida*: Julius similiter *Lida*: Augustus, *Vveid monath*: September, *Halegmonath*: October, *Vvyntyr fillyth*: November, *Bloth monath*: December, *Guili*, eodem quo Januarius nomine vocatur. Incipiebant autem annum *ab octavo Calendarum Januariarum die*, ubi nunc natale Domini celebramus. Est ipsam noctem nunc nobis sacrosanctam, tunc gentili vocabulo *Mædrenech*, id est, matrum noctem appellabant: ob causam, ut suspicamur, ceremoniarum (a), quas in ea pervigiles agebant. Et quotiescunque communis esset annus, ternos menses lunares singulis anni temporibus dabant. Cum verò Embolismus, hoc est, XIII. mensium lunarium annus occurreret, superfluum mensem æstati apponebant, ita ut tunc tres menses *Lida* (b) vocarentur, & ob id annus ille *Trilidi* cognominabatur, habens IIII. menses æstatis, ternos, ut semper, temporum cæterorum. Item principaliter annum totum in duo tempora, hyemis videlicet & æstatis dispartiebant: sex illos menses, quibus longiores noctibus dies sunt æstati tribuendo, sex reliquos hyemi. Unde & mensem, quo hyemalia tempora incipiebant, *Vvynter fyllith* (c) appellabant, composito novo nomine ab hyeme & plenilunio, quia videlicet à plenilunio eiusdem mensis hyems sortiretur initium. Nec ab re est, si & cætera mensium eorum nomina, quid significent, interpretari curemus. Menses *Guili* (d) à conversione Solis in auctum diei, quia unus eorum præcedit, alius subsequitur, nomina accipiunt. *Sol monath* dici potest mensis placentarum, (e) quas in eo Diis suis offerebant: *Rhed monath* à Dea illorum *Rheda* (f), cui in illo sacrificabant, nominatur *Eostur monath*, qui nunc Pa-

(a) Malim *Matrem noctium* antiquis Saxonibus dictam longissimam noctem; neque enim ipse natalis Domini ab ipsis respici potuit, sed vicinum ei solstitium hybernum, natura indice.

(b) *Lida*, à *blide*, velocius atque imperfectius pronuntiato, ut solet fieri. Est autem *blide* gratum, amœnum, quod non solum hodierna Anglorum lingua, sed & antiqua monumenta Teotisca servant. Et ipse mox Beda, *lide* esse blandum.

(c) Nempe *Winter* hyems est Germanis, hoc est, tempus ventosum; *Fülle*, plenitudo.

(d) *Jule*, *Whelle*, *Well*, hodieque conversionem, rotam, cylindrum notat Scandinaviis, Anglis, nostrisque Germanis.

(e) Omne planum tenue, Germanis, &, ut opinor, omnibus Celtis *Sole*, ut *Solea* piscis, Planta pedis, *Solum* terra, *Sule* acus lata, & hoc loco veteribus Saxonibus *Sol* placenta.

(f) Verisimile est, *Redam* vel *heredam* non aliam esse quam *herdam*, seu *Erdam*, id est terram, cujus cultus apud veteres Germanos jam Taciti ævo. Et convenit mensis: Nam inclusi hyemis sævitia homines, Martio apud nos terram resalutant, & stercorare incipiunt. Ac tum credibile est, Sacrificiis eam sibi propitiam reddere conatos, ut toto scilicet anno faveret.

Paſcalis menſis interpretatur, quondam à Dea illorum, quæ *Eoſtre* (g) vocabatur, & cui in illo feſta celebrabant, nomen habuit: à cujus nomine nunc Paſchale tempus cognominant, conſueto antiquæ obſervationis vocabulo gaudia novæ ſolennitatis vocantes: *Trimilchi* dicebatur, quod tribus vicibus in eo per diem pecora (h) mulgebantur. Talis enim erat quondam ubertas Britanniæ vel Germaniæ, è qua in Britanniam natio intravit Anglorum. *Lida* dicitur (i) blandus, ſive navigabilis, quod in utroque menſe & blanda ſit ſerenitas aurarum & navigari ſoleant æquora. *Vuenden* (k) *monath*, menſis zizaniorum, quod ea tempeſtate maxime abundent. *Haleg monath* menſis ſacrorum (l). *Vvintyrfyllyth*, ac ſi dicas compoſito nomine hyemeplenium. *Bloth monath*, menſis immolationum (m), quod in eo pecora, quæ occiſuri erant, Diis ſuis voverent.

 Gratias

(g) De Dea *Eoſtra* cogitanti, nihil veriſimilius occurrit, quam *Auroram* ſignificari. Nam *Oſt* Oriens Germanis, hodie Anglis *Eaſt*. Italis *Oſtro*, à Gothis & Longobardis accepta voce. *Auſtria*, *Auſtraſia* non ab Auſtro, ſed ab Oriente. Hoc autem menſe & paulo ante, id eſt, circa æquinoctium vernum Sol in vero Oriente verſatur. Quidam tamen malunt Eoſtram eſſe Lunam. Quid ſi *Aſtarte* ſit Veneris ſtella? neque id ineptum; nam lucifer Germanis hodie *Morgenſtern*, forte antiquis *Oſt-Star*, nam *Morgen* eſt Oriens. Sed cur cultus hujus deæ in hunc menſem; neque enim credo veteribus Germanis hæc ſtella Veneri ſive Freiæ ſuæ attribuebatur? Sanè ſi de eo conſtaret, appareret ex eo ratio, quod Vere animalia multa in Venerem feruntur.

(h) *Milch* Germanis lac, credo & veteribus latinis omnibusque adeò Celtis; nam unde alias *mulgere?* Slavis *mlec*, ut vix audiatur *m*; idem credibile eſt apud Latinos factum, atque ita *lac* remanſiſſe.

(i) *blide*, blandus, ut jam ſupra notavimus.

(k) Supra *Weid-monath*. *Weide*, paſcua, herbæ in univerſum, ſed non video, cur magis Auguſto quam alio menſe zizania aut paſcua abundent. Illud hic menſis habet, ut ſecundum gramen, recens ac viride colligatur; noſtris *grummet*, forte à viriditate; cum adultius gramen atque ſiceſcens dudum in fœnum fuerit collectum. Cæterum Beda videtur Weidmonat de zizaniis interpretatus, quia Weiden in genere eſt herbas evellere, quod faciunt tum paſcentia animalia, tum qui zizania extirpant, quod Belgis & Saxonibus inferioribus eſt *Widen*, *Wien*. Carolo Magno Iunius *Weidmonat*, quod tum adultæ herbæ, mox fœnum daturæ.

(l) *Haleg* vel *Heilig*, ſacrum eſt Germanis, ſed non explicat Beda, cur September potiſſimum antiquis Saxonibus ſacrorum menſis.

(m) *Blot* Germanis eſt ſanguis; occidebantur autem pecora non tam immolationis cauſa, quam familiæ, ut ſale condita in annum ſervarentur: etſi pagano ritu immolationes acceſſiſſe dubium non ſit, in quæſtum victumque ſacrificulorum. Hic menſis hodieque Schlachtemaned Danis.

* * *

(*Placet hîc adjicere & illuſtrare nonnihil dierum appellationes apud Germanicos populos ex Ethnica antiquitate deductas, à nominibus ſeptem Planetarum.*

Dies *Solis* Sontag.

Dies *Lunæ* Montag.

Dies *Martis* Dingstag, Erichstag.

Dingen eſt litigare, contendere. Hinc Saxonibus *Dingstag*, Anglis *Tuesday*, Septentrionalibus *Thisdag*; ſed eadem dies Germanis ſuperioribus *Erichstag*, nam *Ares* Græcis Mars.

Dies *Mercurii*, Mittewoch, Wodansdag.

Mittevvoch eſt medium Septimanæ, ita hodie loqvuntur Germani plerique, mediterranei; ſed Belgis, Anglis, & Germanis ſeptentrionalibus, (id eſt, Danis, Norwagis & Suedis) manſit vetus appellatio Woensdag, Wednesdag, Onsdag, a Deo ipſorum vel Heroë *Wodan* ſive *Odino* (nam Septentrionales ſæpe literam W initio vocabulorum omittunt) qui cum mirus artifex magusque haberetur, viſus eſt Mercurio reſpondere. Hunc *Saxonum principem* fuiſſe indicat Genealogia Hengiſti & Horſæ ſanè antiqua. Eundem in Balthici maris inſulis & Scandinavia plurimum potuiſſe, veneratio probat, qua eum gentes illæ ſunt proſecutæ, donec Chriſti fidem amplecterentur. Orientales ſuſpicor pro Mecurio habuiſſe Zoroaſtrum magum ipſis hodieque *Zerduſt*. Nam dies Mercurii Turcis eſt *Zarſchamba*, Perſis *Dſearſchanbe*. Hinc Hungaris quoque *Zerda*, Sarmatis vel Slavis *Sreda*; hæc, ut apparet, ex Oriente edoctis.

Dies *Jovis*, Donnerſtag, Thorsdag, Pfingstag.

Tonitru, vel deus tonans, qui Latinis Jupiter, omnibus Celtis, id eſt Germanis & Gallis *Taran*, *Thor*, *Donder*, appellatione, ut apparet, ex ipſo ſono motuque deducta. Jam Lucano apud Gallos memoratur *Taramis (Taranis) Scythicæ non mitior ara Dianæ.* Non mitiorem vocat Taranis, quam Dianæ Tauricæ aram, quod in utraque homines immolarentur. Quin *Thori* veſtigia ſunt in *Zhetertek* Slavorum, *Chevvtertek* Hungarorum, quibus illi nominibus diem Jovis deſignant. Sed illud ſæpe miratus ſum, cur ſuperioribus Germanis, qui Alpibus viciniores, dies Jovis ſit *Pfingstag*. Tandem venit in mentem, forte Jovem ſummum deorum nonnullis populis dictum *Pen*, aut *Pennin*, id eſt, caput, atque etiam montium vertices βȣνȣς ſeu *pinnas* ipſi ſacratas; quod ut primum ſubiret animum, fecit quod Alpes *Penninæ*, Italiam a Burgundia diſtinguentes, poſterioribus appellantur *Mons Jovis*. Itaque credibile eſt, Jovi in jugo hujus montis dedicatam fuiſſe aram, vel ſacellum, præſertim Livii autoritate lib. 21. cap. 28. qui *neque*, inquit, *montibus his ab tranſitu Pœnorum ullo Veragri incolæ jugis ejus, norunt nomen inditum, ſed ab eo* (forte legendum *à Deo*) *quem in ſummo ſacratum vertice* Penninum *montani appellant*. Confirmat Servius ad illud Virgilii Aeneid. X. verſ. 13. *Alpes immittet apertas*; niſi quod ex Deo Deam

Gratias tibi bone JEſu, qui nos ab his vanis avertens, tibi ſacrificia laudis offerre donaſti.

Deam facit. Verba ejus ita habent: *Denique loca ipſa quæ rupit* [Hannibal] *Apennina Alpes vocantur. Quamvis legatur à* Pœnina *dea, quæ ibi colitur, Alpes vocari.* Deum fuiſſe, & Jovem quidem, ſaltem interpretatione populorum Romanos deos ſuis accommodantium, multa concurrentia indicia oſtendunt; cum & montium juga tempeſtates & tonitrua in ſubjecta loca emittere videantur. Bochartus quoque lib. I. Geographiæ Sacræ c. 42. Jovem (ait) fuiſſe putant, qui *Penninus* ideo dictus ſit, quod aram vel ſacellum habuerit in ſummo *Penn*, id eſt, vertice Alpium. Petitum id ex ſermone Hebræo, quo פנה *pinna* proprie angulum ſonat, ſed & faſtigium montis, quod in angulum deſinit. Sic Sophon. I, 16. Chaldæus reddit colles excelſos. Abenezra etiam פנות dicit idem eſſe quod colles. Unde ducta Metaphora Jud. XX, 2. & 1. Sam. XIV, 39. duces populi vocantur Pinnoth. Vide & Soph. III, 6. & Zach. X. 4. Et Eſ. XIX, 13. Hæc Bochartus. Quæ ideo attuli, quod video etiam apud Turcas & Perſas Megiſero autore *Penſchambe, Pengemin*, eſſe *diem Jovis*.

Dies *Veneris*, Freitag. De Freia Dea vel Deo, cui Venus aut Priapus reſpondent, jam dictum eſt. Perſis hæc dies *Adine*, ab Adonide, ut apparet.

Dies *Saturni*, Sonnabend, Samstag, Saterdag. *Sonnabend*, quaſi veſperæ aut vigiliæ diei Solis. *Saterdag* Belgis. Et *Samsdag*, *Samedi*, credo, quod *Sambat* pro Sabbato. Nam & quod Slavis eſt *Sobota*, Hungaris eſt *Zombat*; Turcis autem *Schamba* vel *Samba*, Perſis *Schanbe*, Abyſſinis *Sanbathe*, idem eſt quod *Sabbathum*, id eſt, dies in univerſum; nobis autem poſt Hebræos accipitur de die ſeptimo; quanquam & in Sacra Scriptura interdum generalius ſumatur.

30. De Anglo-Saxonum geſtis in Britannia primis excerpta è Chronologia Saxonica, edita primum ab Abr. Wheloco Cantabrigiæ 1644.

(*Septis his* [ ] *incluſa in MSto Col. Ben. charactere recentiori exarata fuerunt:*)

An. Chriſt.

CCCLXXIX. [Her Gratianus feng to rice.]

[Hîc Gratianus regnum capesſit.]

CCCLXXXI. Her Maximianus ſe Caſere feng to rice; he wæs on Breten londe geboren and thonon for into Gallia. [And he thar ofsloh thone Caſere Gratianum and his brother adraf of ethele, ſe wæs gehaten Valentinianus; and ſe Valentinianus eft geſamnode werod, and ofsloh Maximum and feng to rice. In tham tyman aras Pelagies gedwyld geond middan eard.]

Hîc Maximianus Cæſar imperium capesſit; idem in Britannia natus fuit, & inde in Galliam migravit: [ibique occidit Gratianum Cæſarem, fratremque ejus de terra fugavit, qvi dictus eſt Valentinianus; idemque Valentinianus coëgit exercitum, & Maximum neci dedit, atque imperium capesſit: Hoc tempore orta eſt Pelagiana hæreſis, per totum mundum graſſata.]

CCCCXVIII. Her Romane geſomnodon eal tha gold hord the on Brytene wæron; and ſume on eorthan ahyddon, that hy nænig mon ſiththan findan ne meahte, and ſume mid him on Gallia læddon.

Hîc Romani theſauros omnes, qui erant in Britannia (inventi) coacervarunt; quorum aliquot in terra occultarunt, nequis homo inde reperire posſit, aliquot autem ſecum in Galliam abduxerunt.

CCCCXXIII. [Her Theodoſius ſe gingra feng to rice.]

[Hîc Theodoſius junior imperium capesſit.]

CCCCXXIX. Her Palladius ſe Biſceop wæs onſended to Scottum, that he hiora geleafan trymede from Celeſtino tham Papan [to bodianne Scottum fulluht.]

Hîc Palladius Epiſcopus ad Scotos miſſus fuit (ut horum fidem * confirmaret) a Papa Cæleſtino [ad prædicandum Scotis baptiſmum.]

CCCCXXXV. Her Gotan abræcon Rumeburh, and næfre ſiththan Romane ne ricſodon on Brytene. [thæt wæs embe XI. hund wintra and X. winthra thæs the heo getimbred was: ealles hi rixodon on Brytene feowen hund wintra and hund ſecuanti wintra ſyththan ærost Gajus Julius thæt lond ærost geſohte.

Hîc Gothi urbem Romanam vaſtarunt; neque unquam poſtea Romani regnabant in Britannia. [Id, circa undecim centum annorum decemque annorum terminum, poſt urbem conditam factum eſt: Hîc omnino in Britannia regnabant quadringentos annos, & ſeptuaginta annos, ex quo Cajus Julius terram primus petebat.]

CCCCXLIII.

CCCCXLIII. [Her ſendon Brytwalas to Rome and heom fultomes bædon with Peohtas; ac hi thar næfdan nanne fortham the hi fyrdedon with Atla Huna cyninge; and tha ſendon hi to Anglum and Angel cynnes æthelingas thæs ylcan bædon.]

[Hic Britanni Romam (legationem) mittebant, ſibique præſidium rogabant contra Pictos; ſed inde nihil impetrabant, quia jam expeditionem facturi ſunt Romani contra Attilam Hunnorum Regem; hinc demum mittebant ad Anglos, atque ab Anglicæ Gentis magnatibus hujusmodi (ſuppetias) flagitabant.]

CCCCXLIX. Her Mauritius and Valentinus onfengon rice; and ricſodon VII. winther; on heora dagum Hengeſt and Horſa from Wirtgeorne gelathode Bretta cyninge to fultume; and hie gerohton Brytene on tham ſtæthe the is genemmed Yppines fleot; æreſt Brittum to fultume, ac hy eft on hy fuhton. [Se cing het hi feohtan agien Pihtas, and hi ſwa dydan, and ſige hæfdon ſwa hwar ſwa hi comon: hi tha ſende to Angle and heton heom ſendan mare fultum and heom ſeggan *Brytwalana* nahtneſſe and dæs landes cyſta: Hi tha ſendan heom mare fultum; tha com tha menn of thrim mægthum Germanie, of eald Seaxum, of Anglum, of Jotum. Of Jotum comon Cantware, and Wihtware; thæt is ſeo mæith the nu eardath on Wiht; and thæt cynn on Weſt-Sexum (the man gyt het Jutna cynn.) Of eald Saxon comon Eaſt-Sexa, and Suth-Sexa, and Weſt-Sexa; of Angle comon ſe arithan . . . . Eaſt-Engle, Middel-Angla, Mearca and ealle Northymbra.]

Hic Mauritius & Valentinianus capeſſebant imperium, & regnabant ſeptem annos; quorum in diebus Hengeſtus & Horſa a Vortigerno Britannorum Rege invitati illis in præſidium; illi autem Britanniam appulerunt, in loco qui dicitur Hypwines-Fleot: primo Britannis auxiliaturi, ſed poſtea, contra illos belligerabant. [Rex illos contra Pictos pugnare juſſit; quod ita fecerant: victoriam etiam qvoqvò venerant, adepti: tum ad Anglos mittebant; plura inſuper illis auxilia mittere rogabant: illisque *Wallo-Britannorum* pravitatem, terræque bonitatem narrabant: plures ergo illis mittebant ſuppetias; tunc de tribus Germaniæ provinciis venerunt: de Saxonia antiqua: de Anglis, Jutisque: De Jutis enati Cantii incolæ & Vectæ inſulæ; hæc illa gens eſt, quæ hodie Vectam inhabitat: genusq; illud in occidentali Saxonia (quæ adhuc vocatur Jutorum genus) de Saxonia antiqua venerunt: Saxones Auſtrales, & occidentales Saxones de Anglis venerunt; qvi ex illo ſemper . . . . orientalium Anglorum, Middel-Anglorum, Merciorum omniumque Northanhymbrorum.]

453

CCCCLV. Her Hengeſt and Horſa fuhton with Wyrtgeorne tham cyninge in thære ſtowe the is cweden *Ægelesford:* and his brothor man ofsloh Horſan, and æfter tham Hengeſt feng torice, and Æſc his ſunu.

Hic Hengeſtus & Horſa pugnabant contra Vortigernum Regem in loco, qui dicitur *Aeillſtreu:* occiſoque Horſa fratre ſuo, Hengeſtus poſtea cum Eſc filio ſuo regnum capeſſebat.

CCCCLVII. Her Hengeſt and Æſc fuhton with Bryttas in thære ſtowe the is gecwedan Creccanford and thær ofslogon feowen weras; and tha Bryttas tha forleton Centlond, and mid micele; ege flugon to Lunden Byrig.

Hic Hengeſtus & Eſc pugnabant cum Britannis in loco, qvi dicitur Creganford; ibiq; qvatuor duces occidit; exinde Britanni Cantio relicto, magno cum timore Londinum confugerunt.

461

CCCCLXV. Her Hengeſt and Æſc gefuhton with Wealas neah Wippedes fleothe and thær twelf [illegible] Wyliſce ealdormen ofslogen. [And hiera *Thegn* (*) thær wathr ofslægen tham wæs noma Wipped.]

Hic Hengeſtus & Eſc, prope Wyppedes Fleot, cum Wallis pugnabant; ibiq; duodecim principes, (Walli omnes erant) interfecerunt. [Eorumque Thanus (*) (ſive Comes) nomine Wippel, unà occiſus fuit.]

469

CCCCLXXIII. Her Hengeſt and Æſc fuhton with Wealas and genamon unarimedu herereaf; and tha Wealas flugon tha Englan ſiva thær fyr wære.

Hic Hengeſt9 & Eſc pugnabant contra Wallos, & prædam infinitā diripiebant; Walli contra ab Anglis, tanquam ab incendio (ibi conflagrante) fugiebant.

CCCCLXXVII. Her cuom Ælle to Bretenlond and his III. ſuna, Cymen, and Wlencing, and Ciſſa mid thrym ſcypum on tha ſtowe the is nemmed Cymenes ora; and thær ofslogon moni-

Hic venit Ella in Britanniā, & tres filii ſui, Cymen, Wlentingus & Ciſſa cum tribus navigiis, in loco, qui portus Cymenis dicebatur; ibiq; Wallos multos occidebant; quosdam autem in fu-

(*) *Thegn* vel *Degen* etiam veteribus Germanis heros, princeps. Miror, cur verſio Thanum ſubſtituat, & cum hic, tum aliàs tantopere ab Anglo-Saxonico recedat.

monige Wealas and sume on fleame bedryfon thone wudu the genemmed is Andredesleage.

CCCCLXXXV. Her Ælle gefeaht with Wealas neah Mearcredes burnan stede.

CCCCLXXXVIII. Her Æsc feng to rice and wæs XXIV. wintra Cantwara cyning.

CCCCXC. Her Ælle and Cissa ymbsæton Andredes-cester, and ofslogon ealle tha the thær inne eardedan, ne wearth thær forthon an Bryt to lafe.

CCCCXCV. Her cuomon twegen ealdormen on Bretene, Cerdic an Cynric his, sunu mid fif scipum in thone stede the is gecweden Cerdices hora; and thy ilcan dæge with Wealum gefuhtan.

DI. Her cuom Port on Bretene, and his II. suna Bieda & Magla mid twam scipum on thære stowe the is gecweden Porthesmutha, and ofslogon ænne geongne Brettiscne monnan, swythe æthelne monnan.

DVIII. Her Cerdic and Cynric ofslogon ænne Brythiscne cyning, tham wæs nama Natanleod, and fif thusendo wera mid him; æfter than vvæs thæt lond genemned Natan leaga oth Cerdices ford.

DXIIII, Her cwomon West-Seaxe in Bretene mit 3. scypum in thas stowe, the is gecweden Cerdices-hora, Stuf and Witgar; and fuhtum vvith Bryttas, and hie geslymdon.

DXIX. Her Cerdic and Cynric rice onfengun and thy ylcan geare hie fuhton with Bryttas, thær mon nu nemneth Cerdices-Ford. [and siththan ricsadon West-Seaxa cyne beam of tham dæge.]

DXXVII. Her Cerdic and Cynric fuhton vvith Bryttas in thære stovve the is gecvveden Cerdices leah.

DXXX. Her Cerdic and Cynric genamon VVihte ealond and ofslogon feala men on VVihtgarabyrig.

DXXXIII. Her Cerdic forthferde and Cynric his sunu ricsode forth XXVI. vvinthra; and hi sealdon hiora tvvam nefum Stuffe and VVihtgare VVihte ealond.

DXXXVIIII. Her sunne athystrode feovvertyne dagum ær Kl. Martii from ær mergene oth undern.

DXL. Her sunne athystrode on XII. Kal. Julius, and steorran hy oth yvvdon ful neah healfe tid ofer undern.

DXLIV. Her VVitgar forthferde and hine mon bebyrigde on VVihtgarabyrig.

DXLVII. Her Ida feng to rice thonon Northan-hymbra cyne cyn onvvoc. Ida vvæs Eopping: Eoppa vvæs Esing: Esa Inging: Ingin Angenvviting: Angenvvit Aloching: Aloc Beonocing: Beonoc Branding: Brand Bældæging:

gam abegerunt in sylva, quæ Andredes-Leage appellabatur. 481

Hic Ella contra Wallos pugnabat, prope Mercredes-burnan stede.

Hic Esc regnum occupat, & 24. annos Cantiorum Rex permansit.

Hic Ella, & Cissa (urbeculam) Andredes-ceaster obsederunt; omnesque, qui inibi habitarunt, occidebant: neque ibi exinde Britannus (vivus) relictus fuit.

Hic principes duo in Britanniam Cerdicus & Cynricus ejus filius cum navigiis quinque appulerunt: in loco sc. qvi Cerdices-ora dicitur; eodemque die contra Wallos pugnatum est.

499

Hic venit in Britanniam Port, filiique ipsius duo, Bleda & Magla, duobus cum navigiis in loco, qui Portesmuth vocatur: ibique Juvenem qvendam Britannicum, virum pernobilem interfecerunt. 505

Hic Cerdicus & Cynricus Regem quendam Britannicum nomine Natanleod; atque una cum illo quinque mille virorum occiderunt; ex quo locus ille, usq; ad Cerdices-Fordam, Natanleod dicebatur. 512

Hic occidentales Saxones in Britanniam, cum tribus navigiis appulerunt in loco, qvi dicitur Cerdices-ora; Stuf et VVitgar contra Britannos pugnabant, & illos fugabant.

518

Hic Cerdicus & Cynricus regnum occuparunt; eodemq; anno contra Britannos pugnatum est in loco, quem hodie Cerdices-Fordam appellant; [Et protinus ex illo die Regia proles occidentales Saxones gubernabat.]

525

Hic Cerdicus & Cynricus contra Britannos pugnabant, in loco, qui Cerdices-Leaga nominatur.

Hic Cerdicus & Cynricus Vectam insulam occupantes in VVightgara-burgo multos interfecerunt.

Hic Cerdicus obiit, & Cynricus filius suus regnabat per annos 26. illi autem duobus nepotibus suis Stuffo & VVightgaro Vectam insulam dederunt.

Hic Sol obscuratus est quatuor dies ante Calendas Martii ab hora matutina prima, usque ad tertiam (vespertinam.)

Hic Sol obscuratus est 12. Calend. Julii, & apparuerunt stellæ ad horam prope tertiam dimidiam. 543

Hic VVihtgar obiit, & in VVihtgara-burgo sepultus est.

Hic Ida cœpit regnare, unde Northanhymbrensium genus regale ortum est. Ida fuit Eoppæ filius: Eoppa Esæ: Esa Ingui: Inguus Agenvvitæ: Agenvvita Aloc: Aloc Beonoci: Beonoc qui fuit Brandi; qvi fuit Bealdegi; qui

ging: Bældæg Wodening: Woden Frithovvulfing: Frithovvulf Finning: Finn Godvvulfing: Godvvulf Geating: [and rixode tvvelf gear; and he timbrode Bebanburh, seo vvas ærost mid hegge betgned and thar æfter mid vvealle.]

fuit *Wodeni*; qui fuit Frithovvulfi; qui fuit Finni; qui fuit Godulfi; qui fuit Geatæ. [regnabatque duodecim annos, & Bebbanburgam ædificabat; quæ primum septo fuit, postea autem muro circumdata.]

DLII. Her Cynric gefeaht with Bryttas in thære stowe the is genemned æt Searobyrig and tha Brytwealas geflymde. Cerdic wæs Cenrices fæder: Cerdic Elesing: Elesa Esling: Esla Gewising: Gevvis Wiging: Wig Freavvining: Freavvine Frithogaring: Frithogar Branding: Brand Bældæging: Bældæg Wodenning.

Hîc Cynricus contra Britannos pugnabat in loco, qui nominatur Searaburh; & Britanno-Wallos in fugam dedit. Cerdicus pater fuit Cynrici: Cerdicus filius Elesæ: Elesa Eslæ: Esla Gevvisi; qui fuit Wigæ; qui fuit Freavvini; qui fuit Frethogarii; qui fuit Brandii; qui fuit Bealdigi; qui fuit Wodeni.

DLVI. Her Cynric and Ceavvlin fuhton vvith Bryttas æt Beranbyrig.

Hîc Cynricus & Ceaulinus apud Beranbirig Britannis bellum intulerunt.

DLX. Her Ceavvlin feng to rice on West-Seaxum, and Ælle feng to Northan-hymbra rice and Reold XXX. wintres. Ælle vvæs Yffing: Yffe Uscfreaing: Uscfrea Wilgising: Wilgis Westerfalcning: Westerfalcna Sæfugling: Sæfugl Sæbalding: Sæbald Sigegeating: Sigegeat Svvæfdæging: Svvæfdæg Sigegearing: Sigegear Wægdæing: Wægdæg Wodening: Woden Frithovvulfing. [Her feng Æthelbriht to Cantvvara rice and heold LIII. wintra. On his dagum sende Gregorius fulluth------]

Hîc Ceaulinus in West-Saxonia regnare cœpit: Et Ella cœpit in Northan-hymbrorum regno; tenuitque regnum XXX. annos. Ella filius erat Iffi: Iffus filius Wuscfreæ: Wuscfrea Wilgisi: Wilgisus Westerfalcninæ: Westerfalcnina Sæpugeli: Sæpugelus Seabaldi: Seabaldus Siggeoti: Siggeotus Suebdegi: Suebdegus Siggari: Siggarus Weadegi: Weadegus Wodeni: Wodenus Frithovvulfi. [Hîc Ethelbertus Cantuariorum regnum capessit: annosque 53. tenuit; cujus in diebus Gregorius huc baptismum misit......]

DLXVIII. Her Ceavvlin and Cutha gefuhton vvith Æthelbyrht and hine in Cent geflymdon and tvvegen ealdormen on Wibban dune ofslogon Oslac and Cnebban.

Hîc Ceaulinus & Cutha contra Ethelbertum pugnabant: eumque Cantium fugabant, duosque comites (Ethelberhti) Oslac & Cnebban in Wibban-dune occidebant.

DLXXI. Her Cuthvvulf feaht vviht Brytvvealas æt Bedican forda, and IV. tunas genam Lygeanburh and Ageler-burh, Benningthun and Egonesham and thy ilcan geare he gefor.

Hîc Cuthulf contra Britannos Bedanfordæ pugnat: quatuorque villas cepit, Liganburh & Egelesburh, Bensingtun & Ignesham: eodemque anno ipse obiit.

DLXXVII. Her Cuthvvine and Ceavvlin fuhton vvith Bryttas and hy III. Cyningas ofslogon Commail and Condidan and Farinmail in thære stovve the is gecvveden Deorham and genamon III. cestro Gleavvancester and Cyrencester and Bathancester.

Hîc Cuthvvinus & Ceaulinus Britannis bellum inferunt: tresque Reges interimunt, Comegl, & Condidan, & Farmimegl in loco, qui Deorhamme nuncupatur: tres insuper urbes, Glaucestriam, & Cirencestriam, & Bathancestriam ceperunt. 581.

DLXXXIII. [Her Mauritius feng to Romana rice.]

[Hîc Mauritius Romanorum imperium occupat.]

DLXXXIV. Her Ceavvlin and Cutha fuhton vvith Bryttas in tham stede, the mon nemneth Fethan leag; and Cuthon mon ofsloh, and Ceavvlin monige tunas and unanmedlicu here reaf and yrre, gehvvearf thonan to his agenum.

Hîc Ceaulinus & Cutha pugnant contra Britannos in loco, qui Fethanleage dicitur; hic Cutha cecidit; Ceaulinus vero villas haud paucas & spolia innumera diripuit; denique haud pacatus, inde ad suos reversus est.

DLXXXVIII. [Her Elle cyning forth ferde, and Ethelric ricsode æfter him V. gear.]

[Hîc Ella Rex defunctus est, cui succedens Ethelricus quinque annos regnavit.]

DXC. Her Ceol ricsode V. gear.

Hîc Ceola quinque annos regnavit.

DXCI. Her micel vvæl fill vvæs æt Woddnes beorlige and Ceavvlin vvæs ut adrisen.

Hic lues magna Wodnesburgi facta est, ita ut Ceaulinus inde abactus sit.

DXCIII. Her Ceavvlin and Cvvichelm and Cryda forvvurdan and Æthelfrith feng to rice [on North-hymbrum.]

Hic Ceaulinus & Cvichelmus & Crida perierunt, & Ethelfrithus regnum suscepit [in Northan-hymbria.]

DXCVI. Her Gregorius Papa sende to Bre-

Hic Gregorius Papa Augustinum cum tene

tene Augustinum mid vvel monegum munecum tha Godes vvord Engla theode godspellian.

DXCVII. Her ongon Ceolvvulf ricsian on West-Seaxum and symble he feaht and vvon oththe vvith Angel cyn, oththe vvith Wealas, oththe vvith Peohtas, oththe vvith Scottas. Se vvæs Cuthaing: Cutha Cynricing: Cynric Cerdicing: Cerdic Elesing: Elesa Esling: Esla Gevvising: Gevvis Wiging: Wig Freavvining: Freavvine Frithugaring: Frithugar Bronding: Brond Bældæging: Bældæg Wodening.

DCI. Her sende Gregorius Papa Augustino Arcebisceope pallium in Bretene and vvel monige godcunde lareovvas him to fuhtume, and Paulinus bisceop gehvvyrsde Edvvine North-hymbra cyning to fulvvihte.

DCIII. Her vvæs gefeoht æt Egesanstane [Her Ægthan Scotta cyng feaht vvith Dælreoda and vvith Æthelferthe Northymbra cynge æt Dægstane, and man ofsloh mæst ealne his here.]

DCIV. Her Est-Seaxe on fengon geleafan and fulvvithes bæth under Sæbyrht cyninge. [Her Augustinus gehalgode II. B. Mellitum and Justum Mellitum he sende to bodiende East-Seaxum fulluht, thar vvæs se cing gehaten Sæbyrht rycolan sunu Æthelberhtes svvyster; than Æthelbyrht gesealde Mellite biscop setl on Lundenvvic, and Justo on Hrovvecyste, se ys XXIV. mila fram Dorvvitceastre.

DCVI. Her fortferde Gregorius ymb tyn gear thæs the he us fulvviht sende and his fæder vvæs haten Gordianus ------

DCXI. Her Cynegyls feng to rice on West-Seaxum, and heold XXXI. vvintra. Cynegyls vvæs Ceoling: Ceol Cuthaling : Cutha Cynricing.

DCXIV. Her Cynegyls and Cvvichelm gefuhton on Beamdune, and ofslogon tvva thusendo vveala and XLVI.

DCXVI. Her Æthelbyrht Cantvvara cyning forthferde and Eadbald his sunu feng to rice --------

DCXXVI. Her Eanfleda Edvvines dohtor cyninges vvæs gefulvvad in thone halgan æfen Penthecosten. And Penda hæfde XXX. vvintra, rice, and he fæfte fifti vvintra, tha he to rice fæng. Penda vvæs Wybbing: Wybba Cryding: Cryda Cynevvolding: Cynevvold Cnebbing: Cnebba Jceling: Jcel Eomæring: Eomær Angel theovving: Angeltheovv Offing: Offa Wærmunding: Wærmund Witlæging: Wihtlæg Wodenning.

DCXXVII. Her Edvvine vvæs gefulvvad mid his thiode on Eastron &c.

permultis monachis in Britanniam misit; qui verbum Dei Anglorum genti prædicarent.

Hic cœpit Ceolvvulfus occidentales Saxones gubernare, qui vel Anglis, vel Wallis, vel Pictis, vel Scotis denique bellum intulit, & contendit. Cynricus erat filius Cerdici: Cerdicus Elesæ: Elesa Eslæ: Esla Gevvisi: qui fuit Wigæ, qui fuit Freavvini, qui fuit Frithogarii, qui fuit Brandii, qui fuit Bealdegi, qui fuit Wodeni.

Hic Gregorius Papa Augustino Archiepiscopo pallium in Britanniam, & haud paucos Theologiæ Doctores illi in auxilium misit: nec non Paulinus Episcopus Edvvinum Northanhymbrorum Regem ad baptismum convertit.

Hic apud Egesanstan pugnatum est: [Hic Aidanus Scotorum Rex cum Delreoda & Æthelfritho belligeravit apud Degsastan; ubi exercitus ejus pene totus deletus fuit.]

Hic Saxones orientales fidem & baptismi lavacrum sub rege suo Sigebertho susceperunt. [Hic Augustinus duos Episcopos Mellitum & Iustum consecravit. Mellitum misit, ut Saxonibus orientalibus prædicaret baptismum; quibus Rex nomine Sæberhtus fuit, sororis Ethelberthi filius; quem Ethelberhtus regno præfecit. Ethelberhtus autem Mellito sedem Episcopalem dedit Londini; & Justo Hrofeceestriæ, quæ 24. milliaribus distat à Dorvvitceastria.

Hic obiit Gregorius circa decimum, plus minus, annum, ex quo nobis baptismum misit; cujus pater Gordianus dictus est -----

Hic Cinegelsus & Cuichelmus regnum occuparunt, idemque 31. annos tenuerunt. Cinegelsus filius erat Ceolæ, Ceola Cuthæ, Cutha Cenrici.

Hic Cinegelsus & Cuichelmus in Beandune pugnabant: & duo millia cum quadraginta sex Britonum occidebant.

Hic Ethelberhtus Rex Cantuariorum obiit; regnumque filius Eadbaldus suscepit ------

Hic Eanfleda Edvvini in sanctis Vigiliis Pentecostes baptizata fuit. Penda autem regnum annos triginta tenuit; natusque annos quinquaginta regnare cepit. Penda fuit Wibbæ filius; Wibba Cridæ; Crida Cunevvaldi; Cunevvaldus Cnebbæ; Cnebba Icelii; Icelius Eomeri; Eomerus Angelgeati; Angelgeatus Offæ; Offa Weremundi; Weremundus Wightleagi; Wightleagus Wodeni.

Hic Edvvinus Rex cum gente sua in Pascha baptizatus fuit.

(In

[*In eadem Chronologia Saxonica an. 854. Genealogia Regum Anglo-Saxonicorum extenditur ad Adamum usque hoc modo:*]

Ond se Æthelvvulf vvæs Ecgbyrhting: Ecgbyrht Ealhmunding: Ealhmund Eafing: Eafa Eopping: Eoppa Ingilding: Ingild vvæs Ines brovvor West-Seaxna cyninges: thæs the ferde est to Sce̅. Petre and thær eft feorh gesealde. And hie vværon Cenredes suna: Cenred vvæs Ceolvvalding: Ceolvvald Cuthaing: Cutha Cuthvvining: Cuthvvine Ceavvlining: Ceavvlin Cynricing: Cynric Cerdicing: Cerdic Elesing: Elesa Esling: Esla Gevvising: Gevvis Wiging: Wig Freavvining: Freavvine Frithugaring: Frithugar Bronding: Brond Bældæging: Bældæg Wodening: Woden Frithuvvaling: Frithuvvald Freavvining: Freavvine Frithuvvulfing: Frithuvvulf Finning: Finn Godvvulfing: Godvvulf Geating: Geat Tætvvaing: Tætvva Beavving: Beavv Sceldvvaing: Sceldvvea Heremoding: Heremod Itermoning: Itermon Hravvraing: se vvæs geboren in thære earce Noe. Lamech, Matusalem, Enoch, Jared, Malalahel, Cainion, Enos, Sed, Adam primus homo, & pater noster est Christus. Amen.

Ethelvvulfus autem erat Ecberti filius: Ecbertus Ealmundi: Ealmundus Easæ: Easa Eoppæ: Eoppa Ingildi: Ingildus frater erat Inæ, Saxonum occidentalium Regis, qui denuo ad S. Petrum se contulit, ibique pariter Spiritum efflavit. Erant autem illi filii Cenredi: Cenredus Ceolvvaldi: Ceolvvaldus Cuthæ: Cutha Cuthvvini: Cuthvvinus Ceaulini: Ceaulinus Cenrici: Cenricus Cerdici: Cerdicus Elesæ: Elesa Eslæ: Esla Gevvisi: Gevvisus Wigi: Wigus Freavvini: Freavvinus Frithugari: Frithugarus Brondi: Brondus Bældegi: Bældegus Wodeni: Wodenus Frithuvvaldi: Frithuvvaldus Freavvini: Freavvinus Frithuvvulfi: Frithuvvulfus Finni: Finnus Godvvulfi: Godvvulfus Geatæ: Geata Tetvvaini: Tetvvainus Beavvi: Beavvus Sceldvvæi: Sceldvvæus Heremodi: Heremodus Itermoni: Itermonus Hravvraini: qui scilicet in arca Noæ procreatus fuit. Lamech, Mathusalem, Henoch, Jared, Malaleel, Kenan, Enos, Seth, Adam primus homo, & pater noster est Jesus Christus. Amen.

31. Procopii Cæsarienſ. locus de Werinis & Anglis, ex lib. IV. Belli Goth. c. 20. cui Versio Latina Hugonis Grotii adjuncta est.

Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον τῷ τε Οὐάρνων ἔθνει καὶ στρατιώταις νησιώταις, οἳ δὴ ἐν νήσῳ τῇ Βριττία καλουμένῃ ᾤκηνται, πόλεμος καὶ μάχη ἐγένετο ἐξ αἰτίας τοιᾶσδε. Ὄυαρνοι μὲν ὑπὲρ Ἴστρον ποταμὸν ἵδρυνται· διήκουσι δὲ ἄχρι τε ἐς ὠκεανὸν τὸν ἀρκτῷον, καὶ ποταμὸν Ῥῆνον· ὅσπερ αὐτούς τε διορίζει, καὶ Φράγγους, καὶ τἄλλα ἔθνη, ἃ ταύτῃ ἵδρυνται· Οὗτοι

Sub idem tempus *Varnos* inter & milites Brittiam tenentes insulam bellum ac pugna orta est, qua de causa dicam. Varni transdanubianus populus pertingit ad Oceani septentrionalia & amnem Rhenum, qui ipsos a Francis aliisque sedes Francis vicinas habentibus nationibus secludit (a). Omnes

(a) *Varni* à Tacito trans Albim locantur, ad *Warnam* fluvium, ut apparet, qui hodie in Mechleburgensi Ducatu fluit, & ad opidum *Warnemundam* mare Balthicum influit. Non procul illis *Angli* versus Cimbricam Chersonnesum, *Rugii* versus Viadrum. In iisdem locis *Reudingi*, vel, ut quidam legunt, *Deuringi*. Hi omnes Tacito nominantur, Ptolemæus *Saxones* addit in ipsis faucibus Chersonnesi; *Heruli* posterioribus memorantur. *Varini* jam Plinio, qui cum Burgundionibus & Guttonibus partem Vindulorum facit. Hi omnes populi postea Albim aut Vistulam transgressi magnum sibi nomen condidêre, eoque credibilius est, *Werinos*, qui Procopio & Francis Scriptoribus memorantur, fuisse eosdem cum Warnis, quia cum Anglis conjunguntur in Inscriptione *Legis Anglorum & Werinorum.* Anglos autem situ & mentione Tacitus Varnis junxit. Accedit quod Verini Thuringis aliquando confusi, cogantis utique populis; si Deuringos pro Reudingis Taciti legimus. Nam in eadem Inscriptione Legis dicitur: *Werinorum, id est, Thuringorum*; ubi quædam in hanc rem sunt annotata. Ut credibile sit, *duo Regna Thuringorum* fuisse, alterum *maritimorum*, nempe *Werinorum*, de quo hic Procopius, alterum *Mediterraneorum*, quod Franci auxilio Saxonum, victo Herminfredo, everterunt. Cæterum suspicatus aliquando sum, *Werinos* seu Werinarios esse habitatores *Werræ*, id est, Visurgis, quem Werræ nomen usque ad Oceanum olim pertulisse ex diplomatibus constat. Et sanè Warna vel Werra prope eadem fluviorum nomina sunt, ut Varini ad posteriorem à priore venientes eò facilius nomen retinuisse videri possint. Cæterū Varnos ad Rhenum quoque pertigisse vix est ut Procopio, talia indiligentius tractanti, credamus.

ἅπαντες, ὅσοι τὸ παλαιὸν ἀμφὶ Ῥῆνον ἑκατέρωθεν ποταμὸν ᾤκηντο, ἰδίου μέν τινος ὀνόματος ἕκαστοι μετελάγχανον· ὧν δὴ ἔθνος ἓν Γερμανοὶ ὀνομάζονται. ἐπὶ κοινῆς δὲ Γερμανοὶ ἐκαλοῦντο ἅπαντες. Βριττία δὲ ἡ νῆσος ἐπὶ τούτου μὲν τοῦ ὠκεανοῦ κεῖται, τῆς ἠϊόνος οὐ πολλῷ ἄποθεν· ἀλλ᾽ ὅσον ἀπὸ σταδίων διακοσίων καταντικρὺ τῶν τοῦ Ῥήνου ἐκβολῶν μάλιστα. Βρεττανίας δὲ καὶ Θούλης τῆς νήσου μεταξύ ἐστιν. ἐπεὶ Βρεττανία μὲν πρὸς δύοντά που κεῖται ἥλιον κατὰ τῆς Ἰσπανῶν τὰ ἔσχατα χώρας, ἀμφὶ σταδίους οὐχ ἧσσον ἢ ἐς τετρακισχιλίους τῆς ἠπείρου διέχουσα. Βριττία δὲ ἐς τῆς Γαλλίας τὰ ὄπισθεν, ἃ δὴ πρὸς ὠκεανὸν τετραμμένα, Ἰσπανίας δηλονότι καὶ Βρεττανίας πρὸς βορρᾶν ἄνεμον. Θούλη δὲ, ὅσα γε ἀνθρώπους εἰδέναι, ἐς ὠκεανοῦ τοῦ πρὸς τῇ ἄρκτῳ τὰ ἔσχατα κεῖται. ἀλλὰ τὰ μὲν ἀμφὶ Βρεττανίαν καὶ Θούλην, ἐν τοῖς ἔμπροσθέν μοι λόγοις ἐῤῥήθη. Βριττίαν δὲ τὴν νῆσον ἔθνη τρία πολυανθρωπότατα ἔχουσι· βασιλεύς τε εἷς αὐτῶν ἑκάστῳ ἐφέστηκεν. ὀνόματα δὲ κεῖται τοῖς ἔθνεσι τούτοις Ἀγγίλοι τε καὶ Φρίσσονες καὶ οἱ τῇ νήσῳ ὁμώνυμοι Βρίττονες. τοσαύτη δὲ ἡ τῶνδε ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα, ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι, ξὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν, ἐς Φράγγους χωροῦσιν. οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσιν ἐς γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρημοτέραν δοκοῦσαν εἶναι. καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαί φασιν. ὥστε ἀμέλει οὐ πολλῷ πρότερον ὁ Φράγγων βασιλεὺς ἐπὶ πρεσβείᾳ τῶν οἱ ἐπιτηδείων τινὰς παρὰ βασιλέα Ἰουστινιανὸν ἐς Βυζάντιον στείλας, ἄνδρας αὐτοῖς ἐκ τῶν Ἀγγίλων ξυνέπεμψε, φιλοτιμούμενος, ὡς καὶ ἡ νῆσος ἥδε πρὸς αὐτοῦ ἄρχεται. τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν Βριττίαν καλουμένην νῆσον τοιαῦτά ἐστιν.

Τῶν δὲ Οὐάρνων ἀνήρ τις οὐ πολλῷ πρότερον, Ἑρμεγίσκλος ὄνομα, ἦρχεν. ὅσπερ τὴν βασιλείαν κρατύνασθαι διὰ σπουδῆς ἔχων, τοῦ Θευδιβέρτου ἀδελφὴν τῶν Φράγγων ἄρχοντος γυναῖκα γαμετὴν ἐποιήσατο. τετελευτήκει γὰρ αὐτῷ ἔναγχος ἡ πρότερον ξυνοικοῦσα γυνὴ, παιδὸς ἑνὸς γενομένη μήτηρ· ὃν καὶ ἀπέλιπε τῷ πατρὶ Ῥαδίγερα ὄνομα, ᾧ δὴ ὁ πατὴρ παρθένου κόρης,

mnes autem istæ ad Rhenum nationes suo quæque nomine censentur: at commune universis Germanorum vocabulum est. Brittia insula in eadem Oceani parte est, non procul a littore, ducentûm ferme stadiorum intervallo Rheni maximè ostiis objacens, Britanniam inter Thulenque medio positu. Nam Britannia ad occasum Hispaniæ ultimis obvertitur, a terra continente stadia non minus quater mille absita. At *Brittia* ad extima Galliæ, quæ Oceano alluitur, accedit, ab Hispania *Britanniaque* (b) Septentrionem versus semota. *Thule*, quantum hominibus noscitur, in supremo Oceani ad Septentrionem recessu sita est. Sed de Britannia Thuleque & alibi egimus. At Brittiam insulam tres populi tenent ingenti hominum numero, suo quisque sub rege. Nomina populis, Angli, Frisones & cognomines insulæ Brittones. Tanta autem sobolis felicitas est, ut quotannis inde multi cum uxoribus liberisque in Francorum transeant terras, qui illis dant incolendas regionum suarum desertas maxime (c). Atque inde credi volunt Franci, ipsam quoque insulam ad se pertinere, sicut nuper cum Francorum rex ex amicis suis Byzantium ad Imperatorem Justinianum legatos misisset, Anglorum quosdam iis addidit famam imperii in eam, quam dixi insulam quærens. Hæc de Brittia, quæ dicerem habui.

Varnis nuper imperaverat Hermegisclus nomine, qui firmando regno *Theudeberti* Francorum regis (d) sororem conjugio sibi sociaverat, amissa non ita pridem quam habuerat uxore, filii unius matre, quem moriens Patri reliquerat, nomine *Radigem* (e). Ei puero pater vir-

(b) Hæc omnia inepta sunt & miram in Procopio rerum Occidentis ignorantiam ostendunt. Videtur *Brittia* nomine majorem Britanniam, *Britannia* Hiberniam accepisse; quanquam ne sic quidem omnia quadrent. Thules nomine Scandinaviam designat.

(c) Hæc itidem vana. Audivit, credo, multos Britonum (sed Saxonum dominatum fugientes) in Galliam trajecisse, itaque fœcunditati tribuit, quod metu hostium fiebat.

(d) Qui fuit Theodorici filius, Clodovæi nepos.

(e) Radigerum.

γένους Βριττίας, ἐμνήστευσε γάμον, ἧσπερ ἀδελφὸς βασιλεὺς ἦν τότε Ἀγγίλων τοῦ ἔθνους, χρήματα μεγάλα τῷ τῆς μνηστείας αὐτῇ δεδωκὼς λόγῳ. Οὗτος ἀνὴρ ξὺν Οὐάρνων τοῖς λογιμωτάτοις ἐν χωρίῳ τῷ ἱππευόμενος, ὄρνιν τινὰ ἐπὶ δένδρου τε καθημένην εἶδε, καὶ πολλὰ κρώζουσαν. εἴτε δὲ τῆς ὄρνιθος τῆς φωνῆς ξυνεὶς, εἴτε ἄλλο μέν τοι ἐξεπιστάμενος, ξυνεῖναι δὲ τῆς ὄρνιθος μαντευομένης τερατευσάμενος, τοῖς παροῦσιν εὐθὺς ἔφασκεν, ὡς τεθνήξεται τεσσαράκοντα ἡμέραις ὕστερον. τοῦτο γὰρ αὐτῷ τὴν τῆς ὄρνιθος δηλοῦν πρόῤῥησιν. ἐγὼ μὲν οὖν προορώμενος, ἔφη, ὅπως δὴ ὡς ἀσφαλέστατα ξὺν τῇ ἀπραγμοσύνῃ βιώσησθε, τοῖς τε Φράγγοις ἐς κῆδος ξυνῆλθον, γυναῖκα ἐνθένδε τὴν ἐμοὶ ξυνοικοῦσαν ἐπαγαγόμενος, καὶ τῷ παιδὶ τῷ ἐμῷ περιβέβλημαι τὴν Βριττίαν μνηστήν. ἀλλὰ νῦν, ἐπεὶ ἐγὼ μὲν γε τεθνήξεσθαι ὑποτοπάζω αὐτίκα μάλα, εἰμὶ δὲ ἄπαις ἀρσενός τε καὶ θήλεος γόνου, ὅσα γε τὰ ἐκ γυναικὸς τῆσδε· πρὸς δὲ καὶ ὁ παῖς ἀνυμέναιός τε καὶ ἄνυμφος ἔτι νῦν ἐστι· φέρε ὑμῖν ἐπικοινώσομαι τὴν ἐμὴν διάνοιαν, καὶ εἴ τι ὑμῖν οὐκ ἀξύμφορον δόξειεν εἶναι, ὑμεῖς δὲ αὐτὴν, ἐπειδὰν ἀφίκωμαι τάχιστα ἐς τὸ μέτρον τοῦ βίου, τύχῃ ἀγαθῇ κατακυροῦντες διαπεραίνετε. οἶμαι τοίνυν Οὐάρνοις ξυνοίσειν τὴν κηδείαν ἐς Φράγγους μᾶλλον, ἢ ἐς τοὺς νησιώτας ποιεῖσθαι. Βρίττιοι μὲν γὰρ οὐδὲ ὅσον ἐπιμίγνυσθαι ὑμῖν οἷοί τέ εἰσιν, ὅτι μὴ ὀψέ τε καὶ μόλις. Οὔαρνοι δὲ καὶ Φράγγοι τοῦτο μόνον τοῦ Ῥήνου τὸ ὕδωρ μεταξὺ ἔχουσιν. ὥστε καὶ αὐτοὺς ἐν γειτόνων μὲν ὡς πλησιαίτατα ὄντας ἡμῖν, ἐς δυνάμεως δὲ κεχωρηκότας μέγα τι χρῆμα, ἐν προχείρῳ ἔχειν εὖ ποιεῖν τε ἡμᾶς καὶ λυμαίνεσθαι, ἡνίκα ἂν αὐτοῖς βουλομένοις εἴη. λυμανοῦνται δὲ πάντως, ἢν μὴ τὸ κῆδος αὐτοῖς ἐμπόδιον ἔσται· βαρεῖα γὰρ φύσει τοῖς ἀνθρώποις ὑπερβάλλουσα αὐτοὺς τῶν πλησιοχώρων δύναμις γίνεται, καὶ πρὸς ἀδικίαν ἑτοιμοτάτη. ἐπεὶ γείτονι δυνατῷ ῥᾴδιον ἐπὶ τοὺς πέλας οὐδὲν ἀδικοῦντας ἐκπορίζεσθαι πολέμου αἰτίας. ὅτι τοίνυν ταῦτα οὕτως ἔχει. παρείσθω μὲν ὑμῖν τοῦ παιδὸς τοῦδε νησιῶτις μνηστὴ χρήματα ταῦτα, ὅσα παρ' ἡμῶν κεκομισμένη τούτου δὴ ἕνεκα ἔτυχε, τῆς ὕβρεως ἀπενεγκαμένη μισθὸν, ἢ νόμος ἀνθρώπων ὁ κοινὸς βούλεται. Ῥαδίγερ δὲ ὁ παῖς ξυνοικιζέσθω τῇ μητρυιᾷ τὸ λοιπὸν τῇ αὐτοῦ, καθάπερ ὁ πάτριος ἡμῖν ἐφίησι νόμος.

virginem Brittia è gente desponderat, cujus frater apud Anglos regnabat, magnamque sorori dotem dederat. Fortè Hermegisclus cum Varnorum principibus per agros equitans avem vidit, eamque sonorum crocitantem. Sive autem intellexit volucris sonum, sive aliunde edoctus, ominis istius finxit intellectum, omnibus qui aderant palam edixit, post dies quadraginta vitæ sibi instare exitum, id sibi avem prædicere. Deinde: ego, inquit, eam curam habens maximam, ut sine metu in otio vivatis, affinitatem cum Francis junxi, ducta inde uxore: filio autem ex Brittia quæsivi matrimonium. Nunc vero cum propinquam mihi mortem video, nullos ex secunda uxore habenti liberos, filium vero ad hunc usque diem expertem nuptiarum, aperiam vobis animi mei cogitata. Ea si vobis in publicum utilia videntur, vos, ubi mortalitatem explevero, approbate & rata facite, quod Deus fortunet. Sic igitur existimo, conducere magis Varnorum rationibus Francos habere affines, quam illos qui Brittiam insulam habitant. Nam Brittii nobis se jungere, nisi sero, idque magna cum difficultate nequeunt. Franci à Varnis medio tantum Rheno distant, cumque situ locorum vicini sint, imperii autem magnitudine validi: tam commodare nobis quam nocere, utrumcunque voluerint, promtum habent. Nocebunt autem, nisi prohibeat affinitatis vinculum. Gravis enim per naturam hominibus quæcunque in vicino modum excessit potentia & ad inferendas injurias parata. Neque enim deesse possunt præpollentibus quas in finitimos, quantumvis innoxios, obtendant bello causas. Hæc cum ita sint, quæcunque à nobis sponsalium nomine Brittia virgo accepit, sibi habeat, spretæ conditionis suæ gentium ex jure solatium. Radigis apud novercam deinceps habitet, ut mos patrius jubet.

Ὁ μὲν ταῦτα εἰπὼν, τῇ τεσσαρακοστῇ ἀπὸ τῆς προρρήσεως ἡμέρᾳ νοσήσας, τὴν πεπρωμένην ἀνέπλησεν. ὁ δὲ τοῦ Ἑρμεγίσκλου υἱὸς, Οὐάρνων τὴν βασιλείαν παραλαβὼν, γνώμῃ τῶν ἐν Βαρβάροις τοῖς δὲ λογίμων ἀνδρῶν ἐπιτελῆ ἐποίει τὴν τοῦ τετελευτηκότος βουλὴν, καὶ τὸν γάμον αὐτίκα τῇ μνηστῇ ἀπεῖπε, καὶ τῇ μητρυιᾷ ξυνοικίζεται. ἐπειδὲ δὲ ταῦτα ἡ τοῦ Ῥαδίγερος μνηστὴ ἔμαθεν, οὐκ ἐνεγκοῦσα τὴν τοῦ πράγματος ξυμφορὰν, τίσασθαι αὐτὸν τῆς ἐς αὐτὴν ὕβρεως ὥρμητο. τίμιον γὰρ οὕτω τοῖς ἐκείνῃ Βαρβάροις σωφροσύνη νομίζεται εἶναι, ὥστε δὴ μόνου παρ᾽ αὐτοῖς ξυντετευχηκότος ὀνόματος γάμου, μὴ ἐπιγενομένου τοῦ ἔργου, δοκεῖ πεπορνεῦσθαι γυνή· τὰ μὲν οὖν πρῶτα πέμψασα πρὸς αὐτὸν ἐπὶ πρεσβείᾳ τῶν οἱ ἐπιτηδείων τινὰς, ἀνεπυνθάνετο, ὅτου δὴ ὑβρίσειεν ἐς αὐτὴν ἕνεκα, οὔτε πεπορνευμένην, οὔτε τι ἄλλο εἰργασμένην αὐτῷ ἄχαρι; ἐπεὶ δὲ ἀνύτειν οὐδὲν ταύτῃ ἐδύνατο, τὸ ἀρρενωπὸν ἀνελομένη, ἐπὶ πολέμια ἔργα ἐχώρει. νᾶυς οὖν αὐτίκα τετρακοσίας ἀγείρασα, στρατεύματά τε αὐταῖς ἐνθεμένη οὐχ ἧσσον ἢ μυριάδων δέκα μαχίμων ἀνδρῶν, αὐτὴ ἐξηγεῖτο ἐπὶ τοὺς Οὐάρνους τῇ στρατιᾷ ταύτῃ. ἐπήγετο δὲ καὶ τῶν ἀδελφῶν τῆς ἑαυτῆς ἕνα, ξυνδιοικησόμενον αὐτῇ τὰ παρόντα, οὐχ ὅς μέν τοι τὴν βασιλείαν εἶχεν, ἀλλά γε τὸν ἐν ἰδιώτου τελοῦντα μοίρᾳ. Ἄλκιμοι δὲ εἰσὶ πάντων μάλιστα Βαρβάρων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, οἱ νησιῶται οὗτοι, ἔς τε τὰς ξυμβολὰς πεζοὶ ἴασιν. οὐ γὰρ ὅσον εἰσὶ τοῦ ἱππεύεσθαι ἀμελέτητοι, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἵππον, ὅτοι ποτὲ ἐστιν, ἐπίστασθαι σφίσι ξυμβαίνει. ἐπεὶ ἵππον ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ οὐδ᾽ ὅσα κατ᾽ εἰκόνα τεθέανται. οὐ γάρ ποτε αὐτῶν τισι τὸ ζῶον τοῦτο ἔν γε Βριττίᾳ γεγονὸς φαίνεται. εἰ δέ ποτε αὐτῶν τισι ἐπὶ πρεσβείᾳ ἢ ἄλλου τοῦ ἕνεκα Ῥωμαίοις ἢ Φράγγοις ἢ ἄλλῳ τῷ ἵππους ἔχοντι ἐπιχωριάσαι ξυμβαίη, ἐνταῦθά τε ἵπποις ὀχεῖσθαι αὐτοῖς ἐπάναγκες εἴη· ἀναθρώσκειν μὲν ἐπ᾽ αὐτοὺς οὐδεμιᾷ μηχανῇ ἔχουσιν, ἕτεροι δὲ αὐτοὺς μετεωρίζοντες ἄνθρωποι ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβιβάζουσιν· ἀπαλλάσσεσθαί τε βουλομένους ἐντεῦθεν, αὖθις αἴροντες ἐπὶ τῆς γῆς κατατίθενται. οὐ μὴν οὐδὲ Οὔαρνοι ἱππόται εἰσὶν, ἀλλὰ πεζοὶ καὶ αὐτοὶ ἅπαντες. οὗτοι μὲν οὖν οἱ Βάρβαροι τοιοίδε εἰσί. πρείνεως δὲ οὐκ

Hæc postquam dixerat, præsignificata die quadragesima fatum explevit. Filius ejus, ut in regnum successit, consilio virorum inter Barbaros eminentium, ultimam defuncti voluntatem implet, repudium sponsæ renunciat, cum noverca commoratur. Quæ ubi didicit sponsa Radigis, intolerans contumeliæ in ultionem tota ferebatur. Tanto enim honore pudicitia apud Barbaros colitur, ut femina, de cujus nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integro, pro corrupta habeatur. Ante tamen amicorum suorum idoneos ad eum mittit, percunctatum, cur ipsam dedecoret, non stupro a se, non re alia læsus? Id ubi nihil profecerat, viriliores ad curas versa in bellum accingitur: navibusque contractis quadringentis, impositoque exercitu non minus millium centenum, arma qui ferrent, ipsa ducem se in Varnos præbet. Comitem sibi rerumque adjutorem sumserat fratrem, non eum qui regnum obtinebat, sed privatæ fortunæ alterum. Insulæ illius homines omnium, quos novimus, Barbarorum ad bella acerrimi pedibus pugnas ineunt, eqvitatus adeo imperiti, ut etiam, quid sit eqvus, nesciant. Namque id animal ne ex imagine quidem norunt Brittii, ita ut credibile sit, nullum unquam eqvum in ea visum insula (e). Quod si quando eorum aliqui sive per legationem, sive aliud ob negotium ad Romanos veniunt, Francosve aliasve gentes, quibus equorum est usus, ibique ipsis equo vehi necesse est, insilire in eqvum plane nequeunt, sed alii eos attollunt, inque eqvum imponunt, & ubi equitare desierunt, iterum demissos humi collocant. Varni & ipsi omnes non equites sunt, sed pedites (f). Talis est Barbarorum illorum militia. At in ea, de

(e) Quid ineptius? cum ex Historia Romana discere potuisset Procopius, ejus insulæ homines ex curribus pugnasse.

(f) Sed à Vegetio Thuringorum equi laudabantur, quorum partem ex Verinis, id est, Cauchorum & Cheruscorum regione venisse credibile est, ut hodieque inde peti solent à superioribus Germanis.

ἦν ἐν τούτῳ τῷ στόλῳ, ἀλλὰ αὐτερέται πάντες. οὐδὲ ἱστία τούτοις δὴ τοῖς νησιώταις τυγχάνει ὄντα, ἀλλ᾽ ἐρέσσοντες ἀεὶ ναυτίλλονται μόνον.

Ἐπειδὴ δὲ κατέπλευσαν ἐς τὴν ἤπειρον, παρθένος μὲν, ἥπερ αὐτῶν ἦρχε, χάρακα ἐχυρὸν πηξαμένη παρ᾽ αὐτὴν μάλιστα τὴν ἐκβολὴν ποταμοῦ Ῥήνου, ξὺν ὀλίγοις τισὶν αὐτοῦ ἀπέμεινε· παντὶ δὲ τῷ ἄλλῳ στρατῷ τὸν ἀδελφὸν ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἐξηγεῖσθαι κελεύει. ἐστρατοπεδεύοντο δὲ Οὔαρνοι τότε, τῆς τε ὠκεανοῦ ἠϊόνος καὶ Ῥήνου ἐκβολῆς οὐ πολλῷ ἄποθεν. οὗ δὴ ἀφικομένων κατὰ τάχος Ἀγγίλων, ξυνέμιξαν μὲν ἀμφότεροι εἰς χεῖρας ἀλλήλοις, ἡσσῶνται δὲ κατὰ κράτος Οὔαρνοι. καὶ αὐτῶν πίπτουσι μὲν πολλοὶ ἐν τούτῳ τῷ πόνῳ· οἱ λοιποὶ δὲ ξὺν τῷ βασιλεῖ, ἐς ὑπαγωγὴν τρέπονται ἅπαντες· οἵ τε Ἀγγίλοι τὴν δίωξιν ἐπ᾽ αὐτοῖς δι᾽ ὀλίγου πεποιημένοι. ἢ θέμις πεζοῖς, εἰς τὸ στρατόπεδον ἀπεχώρησαν. οὕσπερ ἐκάκιζεν ἐπανήκοντας ἐς αὐτὴν ἡ παρθένος· τῷ τε ἀδελφῷ ἐλοιδορεῖτο πικρότατα, οὐδὲν τῇ στρατιᾷ λόγου ἄξιον ἰσχυριζομένη πεπρᾶχθαι, ἐπεὶ μὴ ἀγάγοιεν αὐτῇ ζῶντα Ῥαδίγερα. καὶ αὐτῶν ἀπολεξαμένη τοὺς μάλιστα μαχιμωτάτους, εὐθὺς ἔστειλεν, ἀπαγγείλασα, δορυάλωτον ἀγαγεῖν τὸν ἄνδρα μηχανῇ πάσῃ. οἱ δὲ τὴν αὐτῆς ἐπιτελοῦντες ἐπίταξιν, περιήρχοντο διερευνώμενοι ξύμπαντα ἐς τὸ ἀκριβὲς τὰ ἐκείνῃ χωρία, ἕως ἐν ὕλῃ ἀμφιλαφεῖ κρυπτόμενον Ῥαδίγερα εὗρον· δήσαντές τε αὐτὸν, τῇ παιδὶ ἀπεκόμισαν. καὶ ὁ μὲν αὐτῆς ἐν ὀφθαλμοῖς εἰσήκει, τρέμων τε καὶ τεθνήξεσθαι αὐτίκα δὴ μάλα ὑποτοπάζων θανάτῳ οἰκτίστῳ. ἡ δὲ αὐτὸν ἐκ τοῦ παραδόξου οὔτε ἀπέκτεινεν, οὔτε τι ἄλλο ἄχαρι ἔδρασεν· ἀλλὰ καὶ ὀνειδίσασα τὴν ἐς αὐτὴν ὕβριν, ἀνεπυνθάνετο τοῦ ἀνθρώπου, ὅτου δὴ ἕνεκα ἀλογικῶς τὰ ξυγκείμενα ἑτέρᾳ γυναικὶ ἐς εὐνὴν ξυνέλθοι, καὶ ταῦτα οὐ πεπορευμένης αὐτῷ τῆς μνηστῆς; καὶ ὃς τὴν αἰτίαν ἀπολογούμενος, τὰς τοῦ πατρὸς ἐντολὰς καὶ τὴν τῶν ἀρχόντων σπουδὴν προὔφερεν, ἱκεσίους τε προὔτείνετο λόγους, καὶ λιταῖς ἀνέμιστγε τὴν ἀπολογίαν πολλαῖς, ἐς τὴν ἀνάγκην ἀναφέρων τὸ ἔγκλημα. βουλομένῃ τε αὐτῇ ξυνοικίσεσθαι ὡμολογεῖ, καὶ τὰ οὐκ ἐν δίκῃ τὸ πρότερον οἱ αὐτῷ πεπραγμένα, τοῖς ἐπιγινομένοις ἰάσασθαι. ἐπεί τε τὴν παῖδα ταῦτα ἤρεσκε· καὶ τῶν τε δεσμῶν ἀφεῖτο

de qua dicere cœperam, classe, nemo erat vector, nautæ omnes, neque vero velis utentes, sed remigio singuli ministrantes navigia (g).

In continentem ut ventum est, virgo dux Anglis, castris bene munitis ad ipsa Rheni ostia, ibi cum paucis resedit, fratre misso in hostem cum toto prope exercitu. Varni eo tempore non procul Oceano atque iisdem Rheni ostiis stativa habebant, quo cum venissent Angli, committitur prælium, infelix Varnis, quorum multi inter certandum periere, reliqui cum ipso rege fuga se abstulerunt. Inhæsere eorum tergis quantum poterant pedites, & mox in castra reversi sunt. Eos reduces verbis asperis objurgavit virgo, maxima in fratrem insectatione, nihil actum exercitu tanto dicens, quamdiu vivus non adduceretur Radigis. Itaque acerrimos suorum dilectos ex omni agmine mittit, id unum præcipiens, regem ut quovis modo captivum sibi sisterent. Illi dicto obedientes loca omnia diligenti inquisitione obeunt, tandemque denso latentem nemore inveniunt Radigem. Is ad sponsam veterem adductus adstitit tremens, mortem expectans, eamque non simplicem. Illa vero præter spem ipsius neque occidit eum neque sævi quicquam admisit: sed exprobrans, quod in se commissum fuerat, quæsivit, qua de causa, contempta pactorum conventorum fide aliam sibi matrimonio sociasset, cum de sponsæ pudicitia queri non posset? Captivus excusationi patris jussa studiumque Principum suæ gentis obtendere, supplicare, preces miscere purgationi, in necessitatem transferre culpam, polliceri se cum ipsa victurum, & quæ iniquè fecerat, sanaturum pœnitentiâ.

(g) Saxones & Anglos, quorum cum mari & discriminibus familiaritas celebrata Sidonio aliisque, quis vela ignorasse credat? Adde quod veniebant *dubiis ventis*, (ut Claudianus ait) & quo non consilium, sed ventorum flatus ferebant.

Ῥαδίγερ, τῆς τε ἄλλης φιλοφροσύνης ἠξίωτο. ἀποπέμπεται μὲν τὴν Θευδιβέρτου εὐθὺς ἀδελφὴν, τὴν τε Βριττίαν ἐγήματο. ταῦτα μὲν τῇδε κεχώρηκεν.

Ἐν ταύτῃ δὴ τῇ Βριττίᾳ νήσῳ, τεῖχος ἐδείμαντο μακρὸν οἱ πάλαι ἄνθρωποι, δίχα τέμνον αὐτῆς πολλήν τινα μοῖραν· ὅτι ἡ γῆ καὶ ὁ ἀὴρ καὶ τἄλλα πάντα, οὐχ ὁμοίως ἐφ' ἑκάτερά ἐστι. τὰ μὲν γὰρ τοῦ τείχους πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον, εὐεξία τε ἀέρων ἐστὶ ξυμμεταβαλλομένη ταῖς ὥραις, θέρους μὲν μετρίως ἀλεεινὴ, ψυχεινὴ δὲ χειμῶνος. καὶ ἄνθρωποι μὲν πολλοὶ ᾤκηνται, κατὰ ταῦτα βιοτεύοντες τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις· τά τε δένδρα καρποῖς ἐν ἐπιτηδείῳ γινομένοις ὡραῖον ἀνθεῖ, τά τε λήϊα τῶν ἄλλων οὐδὲν καταδεέστερον τέθηλεν. ἀλλὰ καὶ ὕδασιν ἡ χώρα ἐναβρυνομένη διαρκῶς φαίνεται. πρὸς δύοντα δὲ, πᾶν τοὐναντίον. ὥστε ἀμέλει μὲν ἀνθρώπῳ οὐδὲ ἡμιώριον δυνατόν ἐστιν ἐνταῦθα βιῶναι· ἔχις δὲ καὶ ὄφεις ἀναρίθμητοι, καὶ ἄλλων θηρίων παντοδαπῶν γένη, διακεκλήρωται τὸν χῶρον ἐκεῖνον. καὶ τὸ δὴ παραλογώτατον, οἱ ἐπιχώριοι λέγουσιν ὡς, εἴ τις ἄνθρωπος τὸ τεῖχος ἀμείψας ἐπὶ θάτερα ἴοι, εὐθυωρὸν θνήσκει, τὸ λοιμῶδες τῶν ἐκείνῃ ἀέρων ὡς ἥκιστα φέρων· τοῖς τε θηρίοις ἐνθάδε ἰοῦσιν ὁ θάνατος εὐθὺς ὑπαντιάζων ἐκδέχεται. ἐνταῦθα δέ μοι γενομένῳ τῆς ἱστορίας, ἐπάναγκές ἐστι λόγου μυθολογίᾳ ἐμφερεστάτου ἐπιμνησθῆναι. ὅς δή μοι οὔτε ἐπὶ τὸ παράπαν ἀληθὴς ἔδοξεν εἶναι, καίπερ ἀεὶ πρὸς ἀνδρῶν ἐκφερόμενος ἀναρίθμων· οἳ δὴ τῶν μὲν πρασσομένων αὐτουργοὶ, τῶν δὲ λόγων αὐτήκοοι, ἰσχυρίζοντο γεγονέναι· οὔτε παριτέον παντάπασιν, ὡς μὴ τάγε ἀμφὶ Βριττίᾳ τῇ νήσῳ ἀναγραφόμενος ἀγνοίας τινὸς τῶν τῇδε ξυμβαινόντων διηνεκῶς ἀπενέγκαιμι δόξαν.

tentia. Puella hæc probante, exsolvitur vinculis, comiterque habitus dimittit Theudeberti sororem, & illam prius pactam rite uxorem capit.

Eandem Brittiam insulam jam olim qui habitaverant, muro exstructo in longum procedente prope omnem intersecuerant partesque fecerant, diversas ipso etiam soli cœlique ingenio. Nam quæ a muro Solem spectant orientem, æëris mediocritate anni tempestatibus satis respondent, calentia æstate, frigida hyeme: vivuntque ibi homines plurimi ad morem hominum aliorum: arboresque statis temporibus fructus & quidem pulchros edunt, nec pecudes alibi lætiores: tum vero aquis regio ubertim irrigua est. Ad occasum cuncta contraria, ita ut per semihoram vita ibi duci nequeat. Viperæ ac serpentes alii & nata nocere animalia terræ incubant. Addunt, quod maxime mirandum, qui in proximo nati sunt, si quis murum transeat, eum exspirare continuo, cœli pestilentis vi insuperabili: quin & animantia, eo si transferantur, interire. Cum in hæc loca narrationis me series perduxerit, auditionem quandam a fabulæ specie (h) non alienam omittere non ausim. Apud me quidem ea, quanquam pluribus hominibus, qui visu se atque auditu suo percepisse rem dicunt, testata, fidem non invenit: neque tamen subticenda visa est, ne de Brittia scribens famam subeam ignorantis ea, quæ ibi sunt celebratissima.

Λέγουσιν οὖν τὰς τῶν ἀποβιούντων ἀνθρώπων ψυχὰς ἐς τοῦτο ἀεὶ διακομίζεσθαι τὸ χωρίον. ὅντινα δὲ τρόπον, αὐτίκα δηλώσω, σπουδαιότατα μὲν ἀπαγγελλόντων ἀκηκοὼς πολλάκις τῶν τῇδε ἀνθρώπων, ἐς ὀνειρώδη δέ τινα δύναμιν ἀποκεκρίσθαι νενομικὼς τὰ θρυλλούμενα. παρὰ τὴν ἀκτὴν τῆς κατὰ τὴν Βριττίαν τοῦ ὠ-

Dicunt igitur, mortuorum animas in Brittiam perpetuo deportari ad eum quem dicturus sum modum, sicut serio admodum narrantes illorum locorum homines audivi, quanquam mihi ad naturam somnii accedere, quæ illi referebant, videbantur. In littore insulæ alterius (i), quæ Brittiæ objacet, vici

(h) Quasi quæ paulo ante narravit, de inhabitabili ob serpentes regione, minus sint fabulosa.

(i) Insulam quandam videtur designare Aremorici litoris, forte eam, quam celebratam religionibus Gallorum quædam virgines sacratæ olim habitabant, quas *Cenas* vocabant, id est antiqua latinorum pronuntiatione *Kenas*, seu dominas, matronas, quod hodieque *Queen* Anglis & Septentrionalibus significat; nisi Monam esse maximus Insulam, de qua Procopius loquitur, medio fere spatio inter Galliam Britanniamque sitam. An Hiberniam intelligit autor, ubi *Purgatorium S. Patritii* potuit ab antiquiore fabula nasci. Jam ante Procopium, apud Romanos aliqua hujus narrationis opinio fuit, tanquam in extremo Europæ ad Gallicum Oceanum portæ Erebi essent: nam ibi Claudianus canit Megæram ab inferis erumpentem.

κεανοῦ νῆσον, κώμας παμπληθεῖς ξυμβαίνει εἶναι. οἰκοῦσι δὲ αὐτὰς ἄνθρωποι σαγηνεύοντές τε καὶ γῆν γεωργοῦντες, καὶ ἐπ' ἐμπορίαν ναυτιλλόμενοι ἐς τήνδε τὴν νῆσον, τὰ μὲν ἄλλα, Φράγγων κατήκοοι ὄντες, φόρου μέντοι ἀπαγωγὴν οὔτε πώποτε παρασχόμενοι· ὑφειμένου αὐτοῖς ἐκ παλαιοῦ τοῦδε τοῦ ἄχθους, ὑπουργίας τινὸς (ὥς φασιν) ἕνεκα, ἥ μοι ἐν τῷ παρόντι λελέξεται. λέγουσιν οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι, ἐκ περιτροπῆς ἐπικεῖσθαι τὰς τῶν ψυχῶν παραπομπὰς σφίσιν. ὅσους οὖν τῇ ἐπιγενησομένῃ νυκτὶ ἐς τὸ ἐπιτήδευμα τοῦτο τῇ τῆς ὑπουργίας διαδοχῇ ἰτέον ἐστὶν, οὗτοι δὴ ἐπειδὰν τάχιστα ξυσκοτάζει, ἐς τὰς οἰκίας τὰς αὐτῶν ἀναχωροῦντες καθεύδουσι, προσδεχόμενοι τὸν ξυναγωγέα τοῦ πράγματος. ἀωρὶ δὲ νύκτωρ τῶν μὲν θυρῶν σφίσιν ἀρασσομένων αἰσθάνονται· φωνῆς δέ τινος ἀφανοῦς ἐπαΐουσιν, ἐπὶ τὸ ἔργον αὐτοὺς ξυγκαλούσης. αὐτοί τε ὀκνήσει οὐδεμιᾷ ἐκ τῶν στρωμάτων ἐξανιστάμενοι, ἐπὶ τὴν ἠϊόνα βαδίζουσιν, οὐ ξυνιέντες μὲν, ὁποία ποτὲ ἀνάγκη αὐτοὺς ἐς τοῦτο ἐνάγει, ἀλλ' ὅμως ἀναγκαζόμενοι. ἐνταῦθα δὲ ἀκάτους παρεσκευασμένας ὁρῶσιν ἐρήμους τοπαράπαν ἀνθρώπων, οὐ τὰς σφετέρας μέντοι, ἀλλ' ἑτέρας τινάς. ἐς ἃς δὴ ἐσβάντες, τῶν κωπῶν ἅπτονται. καὶ τῶν βαρέων αἰσθάνονται ἀχθομένων μὲν ἐπιβατῶν πλήθει· ἄχρι δὲ ἐς σανίδα τε ἄκρας καὶ τῶν κωπῶν τὴν χώραν ῥοθίῳ βεβαπτισμένων, ἀποδεουσῶν τε τοῦ ὕδατος ὅσον οὐδὲ δάκτυλον ἕνα. αὐτοὶ μέντοι οὐδένα θεῶνται· ἀλλὰ καὶ μίαν ἐρέσσοντες ὥραν, ἐς τὴν Βριττίαν καταίρουσι. καίτοι τῶν ἀκάτοις ἡνίκα τῶν αὐτῶν ἰδίαις ναυτίλλονται, οὐχ ἱστίοις χρώμενοι, ἀλλ' ἐρέσσοντες ἐς νύκτα τε καὶ ἡμέραν, μόλις ἐνταῦθα διαπορθμεύονται. ἐς τὴν νῆσον δὲ καταπλεύσαντες, ἀποφορτιζόμενοι ἀπαλλάσσονται αὐτίκα δὴ μάλα, τῶν βαρέων σφίσι κούφων τε γινομένων ἐκ τοῦ ἀφνιδίου καὶ τοῦ ῥοθίου ἐπαιρομένων ἔν τε τῷ ὕδατι καταδυομένων οὐδέν τι ἄλλο, πλήν γε ὅσα ἐς τὴν τρόπιν αὐτήν. καὶ αὐτοὶ μὲν ἀνθρώπων οὐδένα ὁρῶσιν, οὔτε ξυμπλέοντα, οὔτε ἀπαλλασσόμενον τῆς νηός. φωνῆς δὲ ἀκούειν τινὸς ἐνθένδε (φασὶ) τοῖς ὑποδεχομένοις ἀπαγγέλλειν δοκούσης πρὸς ὄνομα τῶν ξυμπεπλευκότων αὐτοῖς ἕκαστον, τά τε ἀξιώματα ἐπιλεγούσης οἷς πρώην ἐχρῶντο, καὶ πατρόθεν αὐτοὺς ἀνακαλούσης. ἢν δὲ καὶ γυναῖκες ξυνδιαπορθμευσάμεναι αὐτοῖς τύχωσι, τῶν ἀνδρῶν ἀποσοματίζουσι τὰ ὀνόματα, οἷσπερ ξυνοικοῦσαι ἐβίων. ταῦτα μὲν οὖν οἱ τῇδε ἄνθρωποι ξυμβαίνειν φασίν.

vici sunt magno numero habitati partim piscatoribus, partim iis, qui agros colunt, partim iis, qui cum Brittiis mercaturam exercent, Francorum quidem subditi imperio, sed ita ut a tributis immunes vivant, remisso eis pridem eo onere ob ministerium, quod ipsis incumbit, quod quale sit, dicam. Ajunt sibi per vicem injunctam animarum travectionem. Ad quos igitur nocte imminente labor circuitu redit, ii domum abeunt, dormituri, donec veniat operæ exactor. Intempesta nocte impulsas fores sentiunt, simul claram audiunt vocem, qua ad opus excitantur. Tum sine mora surgunt de stragulis, & ad littus se conferunt, ignari quidem, quæ ipsos eo impellat necessitas, necessitate tamen ducti. Ibi paratas vident naves actuarias hominum vacuas non suas quidem, sed alias, quibus conscensis remigare incipiunt, sentiuntque gravari naves vectorum onere, ita ut descendant in aquas summa latera & ea pars, qua remi transeunt, neque digiti unius latitudine aquis exstet vestigium. Ipsi neminem conspiciunt, sed horæ unius remigatione attingunt Brittiam, cum, suis si utantur navigiis, remisque non velis trajiciant, ægre die nocteque tota conficiant idem spatii. In Brittiam ut advenerunt, deposito onere statim levari actuarias sentiunt, deque aquis assurgere, ita ut sola prope puppis mersa maneat. Neque vero quenquam hominem vident aut navigantem secum, aut de nave exscendentem, sed vocem audiri sibi ajunt quandam, significantem qui cum ipsis navigarint; expressis etiam honorum, si quos gessere, vocabulis, & paterno nomine: & si mulieres sint una vectæ, additis & maritorum nominibus, quorum in matrimonio vixere. Hæc sunt, quæ homines illis in locis nati memorant.

32. Ex Venantii Honorii Clement. Fortun. Fortunati Carminum libris.

Ex Lib. III. Carm. IX.

ASpera gens Saxo, vivens quasi more ferino,
Te medicante (*) sacer bellua reddit ovem.
Centeno reditu tecum mansura per ævum,
Mensis abundantis horrea fruge reples.
Immaculata tuis *plebs hæc* vegetetur in ulnis,
Atque DEo purum pignus ad astra feras.
Una corona tibi de te tribuatur ab alto,
Altera de *populo* vernet adepta *tuo.*

Ex Lib. III. Carm. IV. in Epistola ad Felicem Episcopum Namneticum hæc leguntur:

Quod intulistis: *Si Ligerim vobiscum ascendissem secundis fluctibus, & Namnetis occurrissem.* Novi quidem, Te mihi Canobo, (**) *Cheruscis* (***) accersentibus myoparonem præpetem, catus, & arte armoniaca tutus, inter Symplegadas se mordentes exiissem; & si res exigeret *plausu oreperegico* Oetan Thyrinthiam, cum Pindaro spirante, pulsassem &c.

Ex Libr. VI. Carm. III. De Sigeberto Rege & Brunichilde Regina.

Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc nova te virtus prædicat, inde genus.
Cujus rapta semel sumsit victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat.
Saxone Thuringi resonant, sua damna moventes, (a)
Unius ad laudes tot cecidisse viros.
Quod tunc ante aciem pedibus prior omnibus isti (b),
Hinc modo te Reges, unde sequantur, habent.
Prosperitate nova pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen ut placeas, cum sit victoria jactans,
Tu magis unde subis, mitior inde manes.

Ex Libr. VII. Carm. VII. de Lupo Duce.

Quæ tibi (c) sit virtus cum prosperitate superna,
Saxones & *Dani* (d) gens modo victa probat.
Bordaa (e) qua fluvius sinuoso gurgite currit,
Hic adversa acies *te duce* cæsa ruit.
Dimidium vestris jussis tunc paruit agmen,
Quam merito vincit, qui tua jussa facit!
Ferratæ tunicæ sudasti pondere victor,
Et sub pulverea nube coruscus eras.

Tam-

(*) Loquitur de *Felice Episcopo*, ad quem etiam hoc carmen *de Paschate resurrectionis Domini* direxit. Fuit ille ipso alibi indicante Venantio *Episcopus Namneticus*. Unde Saxonum illorum, qvi navibus ad Galliæ litora venere, saluti studuit.

(**) Id est, ductore, aut gubernatore navis. A *Canobo* Menelai gubernatore, unde maris mediterranei insula, qvæ Nili ostio obvia est, *Canopici* nomen accepit.

(***) En hic *Cheruscos* vocatos, qui aliàs Saxones; qvi in Cheruscorum loca successere.

(a) Hæc Historia ignota est: videntur Saxones in Thuringia victi à Sigeberto, atque inde Thuringos, id est, Thuringiam resonasse.

(b) Ivisti.

(c) Alloquitur Lupum Ducem.

(d) Sed quid Danis in Wetteravia? Hinc apparet, Saxones & Danos interdum ab antiquis fuisse confusos.

(e) Fluviolus Wedderaviæ, ut Nida, Weddera, unde populi Wedravi, Bordari &c. in Epistola Gregorii Papæ in gratiam Bonifacii ad has gentes scripta.

Tamque diu pugnas acie fugiente secutus,
Laugona dum vitreis terminus esset aquis.
Qui fugiebat iners, amnis dedit ille sepulcrum,
Pro duce fœlici flumina bella gerunt.

Ex Libr. IX. Carm. I. ad Chilpericum Regem.

Quem (a) *Geta*, *Wasco* (b) tremunt, *Danus*, *Estio* (c), *Saxo*, *Britannus*,
Cum patre quos acie te domitasse patet.
Terror & extremis *Frisonibus* atque *Suevis*,
Qui neque bella parant, sed tua frena rogant.
Omnibus his datus est timor illo judice campo,
Et terrore novo factus es altus amor.
In te, Rector, habet *regio circumdata* (d) murum
Et levat excelsum *ferrea porta* caput. &c.

Ejusdem
De Excidio Thuringiæ ex persona Rhadegundis Liber.

COnditio Belli tristis, sors invida rerum,
Quam subito lapsu regna superba cadunt.
Aula palatino quæ floruit antea cultu,
Hanc modo pro cameris mæsta favilla tegit.
Quæ steterant longo felicia culmina tractu,
Victa sub ingenti clade cremata jacent.
Ardua quæ rutilo nituere ornata metallo,
Pallidus oppressit fulgida tecta cinis:
Missa sub hostili Domino captiva potestas,
Decidit in humili gloria celsa loco,
Stans ætate pari famulorum turba nitentum
Funereo sordet pulvere functa die.
Clara ministrorum stipata corona potentum,
Nulla sepulchra tenens, mortis honore caret.
Flammivolum vincens rutilans in curribus aurum
Strata solo recubat, lacticolor amati. (a)
Heu male texerunt inhumata cadavera campum,
Totaque sic uno gens jacet in tumulo.
Non jam sola suas lamentet Troja ruinas,
Pertulit & cædes terra *Toringa* pares.
Hinc rapitur laceris matrona revincta capillis,
Nec laribus potuit dicere triste vale.
Oscula non licuit captivo infigere posti,
Nec sibi visuris ora referre locis.
Nuda maritalem calcavit planta cruorem,
Blandaque transibat fratre jacente soror.
Raptus ab amplexu matris puer ore pependit,
Funereas planctu nec dedit ullus aquas.
Sorte gravi minus est nati sic perdere vitam,
Perdidit & lachrimas mater anhela pias.
Non æquare queo vel Barbara fœmina fletu,
Cunctaque guttarum mæsta natare lacu.
Quisque suos habuit fletus, ego sola, sed omnis
Est mihi privatæ publicus ille dolor.

 Con-

(a) scil. Chilpericum regem.
(b) id est, Gothus Aquitaniæ & vicinus Vasco.
(c) Estio poëticè hic additur; nam Aestii maris Baltici extrema colentes in has regiones expeditiones fecisse non memorantur.
(d) id est, Britannia: Adulatoriè Britannos inducit Chilperici ope, ut olim Romana, à Scotis & Pictis tutos.
(a) Amathys, id est, Amethystus.

Consuluit fortuna viris, quos perculit hostis,
 Ut flerem, cunctis una superstes ago.
Nec solum extinctos cogor lugere propinquos,
 Hos quoque, quos retinet vita beata, fleo;
Sæpe sub humecto conlidens lumina vultu,
 Murmura clausa latent, nec mea cura tacet.
Specto libens aliquam, si nuntiet aura, salutem,
 Nullaque de cunctis umbra (b) parentis adest;
Cujus in aspectu tenero solabar amore,
 Solvit ab amplexu sors inimica meo.
An quod in absenti te nec mea cura remordet,
 Affectum dulcem cladis amara tulit.
Vel memor esto, tuis primævis qualis ab annis
 Hamalefrede (c) tibi nunc *Radegundis* eram.
Quantum me quondam dulcis dilexeris infans,
 Et de fratre patris nate, benigne parens;
Quod pater extinctus poterat, quod mater haberi,
 Quod soror aut frater, tu mihi solus eras.
Prensa piis manibus heu blanda per oscula pendens
 Mulcebar placido flamine parva tuo.
Vixerat (d) in spatium quo te minus hora referret,
 Secula nunc fugiunt nec tua verba fero.
Volvebam rabidas inliso in pectore curas,
 Ceu revocarer eis, quando, vel unde parens.
Si pater aut genitrix, aut regia cura tenebat,
 Cum festinabas, jam mihi tardus eras.
Sors erat indicium, quia te cito, care, carerem,
 Importunus amor nescit habere diem.
Anxia vexabar si non domus una tegebat,
 Egrediente fores te, pavitasse vocas.
Vos quoque nunc oriens, & nos occasus obumbrat,
 Me maris, oceani te tenet unda rubri.
Inter amatores totusque interjacet orbis;
 Hos dirimit mundus, quos loca nulla prius.
Quantum terra tenet, tantum divisit amantem,
 Si plus arva forent, longius isset iter.
Esto tamen, quo vota tenent meliora parentum,
 Prosperius quam te terra Toringa dedit.
Hinc potius crucior validis onerata querelis,
 Cur mihi nulla tui mittere signa velis.
Quem volo, nec video, pinxisset epistola vultum,
 Aut loca, (e) quæ retrahunt, ferret imago virum.
Qua virtute atavos repares, qua laude propinquos,
 Ceu patre de pulchro (f) ludit in ore rubor.
Crede parens, si verba dares, non totus abesses,
 Pagina missa loquens pars mihi fratris erat.
Cuncti munus habent, ego nec solatia fletus,
 O facinus; quæ dum plus amo, sumo minus.
Si famulos alii pietatis lege requirunt;
 Cur ego præterear sangvine juncta parens?
Ut redimat Dominus vernam, sæpe ipse per alpes
 Frigore concretas cum nive rumpit aquas.
Intrat in excisis umbratica rupibus antra,
 Ferventem affectum nulla priora vetant.

Et


(b) Cognati.
(c) Hærminefridus Rex Thuringorum, Berthari-us & Badericus fratres fuere, ex Berthario nata Radegundis, ex Baderico Hamalefredus, qui everso Thuringorum Regno in Orientem se receperat ad Imperatorem.
(d) Leg. *Vix erat.*
(e) Lego: *Ad loca.*
(f) Baderico.

Et duce cum nullo pede nudo currit amator
    Atque suas prædas hoste vetante rapit;
Adversas acies, & per sua vulnera transit,
    Quod cupit, ut capiat, nec tibi parcit amor.
Ast ego pro vobis momenta per omnia pendens
    Vix curæ (g) spatio mente quiete fruor.
Quæ loca te teneant, si sibilet aura requiro,
    Nubila, si volites, (h) pendula posco locum.
Bellica Persidis, (i) seu te Bizantion optat,
    Ductor Alexandræ seu regis urbis opes;
An Hierosolimæ resides vicinus ab arce,
    Qua est genitus Christus virgine matre DEus.
Quoque (k) hæc nullatenus patefecit littera chartis,
    Ut magis hinc gravior sumeret arma dolor.
Quod si signa mihi nec terra nec æquora mittunt,
    Prospera vel veniens nuntia ferret avis;
Sacra Monasterii si me non claustra tenerent,
    Improvisa aderam, qua regione sedes.
Prompta per undifragas transissem puppe procellas,
    Flatibus Hybernis læta moverer aquis.
Fortior eluctans pressissem pendula fluctus,
    Et quod nauta timet, non pavitasset amans.
Imbribus infestis si solveret unda carinam,
    Te peterem tabula remige vecta mari.
Sorte sub infausta si prendere ligna vetaret, (l)
    Ad te venissem lassa, natante manu.
Cum te respicerem, peregrina pericla negassem,
    Naufragii dulcis mox relevasset onus.
Aut mihi si querulam reparet sors ultima vitam,
    Vel tumulum manibus ferret arena tuis;
Ante pios oculos issem sine luce cadaver,
    Ut vel ad exequias commoverêre meas.
Qui spernis vitæ fletus, lachrimatus humares,
    Atque dares planctus, qui modo verba negas.
Quid fugio memorare, parens, quid differo luctus,
    De nece germani cur dolor alte taces?
Qualiter insidiis insons cecidisset iniquis
    Oppositaque fide raptus ab orbe fuit.
Et mihi quare novo fletus referendo sepultos,
    Atque iterum patiar dum lachrimando loquor.
Ille tuos cupiens properat dum cernere vultus,
    Nec suus impletur, dum meus obstat amor.
Dum dare dura mihi refugit, sibi vulnera fixit,
    Lædere qui timuit, causa doloris adest.
Perculitur juvenis tenera lanugine barba,
    Absens nec vidi funera dira soror.
Non solum amisi, sed nec pia lumina clausi,
    Nec super incumbens ultima verba dedi.
Frigida non calido tepefeci viscera fletu,
    Oscula nec caro de moriente tuli.
Amplexu in misero neque collo flebilis hæsi,
    Aut fovi infausto corpus anhela sinu.
Vita negabatur, quia jam de fratre sorori
    Debuit egrediens halitus ore rapi.

 Quid

(g) Horæ.
(h) Nubila si volitent pendula, posco locum.
(i) Persidis, id est, Persis. Sensus est: seu te bellicosa Persis habet, seu urbs Byzantina, seu Alexandria Ægyptia.
(k) Quodque.
(l) Sorte sed infausta si prendere ligna vetarer.

Quid feci, ut non comes irem lecta pheretro,
Non licet extinctum vel meus ornet amor?
Impia crede tuæ rea sum Germane saluti,
Mors cui sola fui, nulla sepulchra dedi.
Quæ semel excessi patriam, bis capta remansi,
Atque iterum hostes (m), fratre iacente tuli.
Tunc pater, ac genitrix, & avunculus, atque parentes,
Quos flerem in tumulo reddidit iste dolor.
Non vacat ulla dies lachrimis post funera fratris,
Qui secum ad manes gaudia nostra tulit.
Sic miseræ dulces consummavêre parentes,
Regius hac serie sanguis origo fuit.
Quæ mala pertulerim, neque præsens ore referre,
Nec sic læsa tuo consulor alloquio.
Quæso serene parens, vel nunc tua pagina currat,
Mitiget ut validam lingua benigna luem.
Deque tui (n) similis mihi cura sororibus hæc est,
Quas consanguineo cordis amore colo.
Nec licet amplecti, quæ diligo membra parentum,
Osculor aut avidè lumen utrumque soror.
Si, velut opto, manent, superis, rogo, redde salutes,
Proque meis votis oscula cara feras.
Ut me commendes Francorum regibus oro,
Qui me materna sic pietate colunt.
Tempore longævo vitalibus utere flabris,
Et mea de vestro vernet honore salus.
Christe fave votis, hæc pagina cernat amantes,
Dulcibus & redeat littera picta notis.
Ut quam tarda spes cruciat per tempora longa,
Hanc celeri cursu vota secuta levent.



33. Ex vita MS. S. Faronis, Episcopi Meldensis, excerptum de bello Francorum cum Saxonibus sub Clothario II.

LXXI. De superbissimo regis Bertoaldi mandato Saxonum, ad regem Clotharium Francorum.

Gens *Saxonum* illo in tempore fide instabilis effecta efferataque duris animis, ad dinoscendum, quod sub nullius ditione esse decrevisset, mittit nuncios una cum consilio Regis sui nomine *Bertoaldi* Regem ad Francorum in hæc verba: Scio, inquit, quia non colligis tu, Clothari, vires bellandi in animo adversus potentiam virtutis meæ, nec tantam spem concipis in robore corporis, quapropter mitius agam, ne depopuletur terra jam non tua, sed mea, ubi gloriosus residere, fida dispositione dispono, & occurre mihi obviam, ductoremque mei per ignotam terram te præmoneo. Ibi enim consilio meorum tractandum est, bella cum quibus agenda erunt, quoniam in te & in tuis imbellibus non experiemur ea.

LXXII. Quod Nuntios Saxonum Rex capitali jussit puniri sententia contra fas & Francorum jura.

At Legatorum verba dum per aures usque ad notitiam animi regis Clotharii pervenissent, illico eius fel immoderate efferbuit, moxque furibunda voce tulit irretractabiliter in eos capitalem sententiam. Nam stipatores & *archiseniores* principum, hoc edictum iræ ingeminando ab ore regis auribus ut hauserunt, contradicendo pulsu vocum suarum refringere temptaverunt. Violari namque nefas est, inquiunt, ritum, ac legem regni Francorum interfectione horum, atque omnium, si reminisceretur ab origine nationum.

LXXIII. Quod

(m) Hostes iterum.
(n) tuis.

LXXIII. *Quod obtentu S. Faronis industria dantur illis unius noctis induciæ.*

Sed illius ira ruptis habenis recti consilii, libere impatienterque per ejus animum sæviente, B. Faro, qui aderat inter magnates, illic non mediocris, astutè regis verbis obtemperare præmonuit ad præsens; sed tamen hoc differre in crastinum, ut sic dilata res, causa liberationis eorum fieret.

LXXIV. *Qualiter sanctus Faro legatos Saxonum consiliis liberaverit prædicationum.*

Hoc autem dum cunctorum sedisset animis, etiam dies illa decederet, *missi Saxonum* custodiæ militum deputantur trepidantibus animis. Quorum corda inter mortem & vitam pavitando pendentia occultè miles Christi Faro alloquiis divinis miserando aggreditur, suadens fonte Christianitatis sibi ipsis subveniri, & à duplici morte, præsenti videlicet, & æterna sese servare: ad hæc animis illi inclinati, prævalentibus meritis misericordissimi Faronis fonte sacri sunt abluti Baptismatis, noxque erroris conversa est in illis in Diem fidei & Caritatis, & de numero servientium idolorum, mutati in consortium sunt Christianorum.

LXXV. *Quod eos sanctus Faro nuntiat Christianos esse, quos Rex deliberat morti tradere.*

Dum in his sic nox occupata sibi transiret, & dies redderetur iam terris novo lumine Solis, procerum cohortem iam contrahebat consilium ad tecta Regis, causa consilii quærendi super verbis legatorum directis, à gente Saxonum; vel quid utilitatis, quidve damni conferret interitus eorum; sed cum de his sermonem alternatim ad eligendum utilius consilium conferrent, inter eos miles Christi Faro longas querimonias dubietatis solvens ait: Hos legatos certum est, non esse gentis Saxonum, sed modo consortes effectos Christianorum. Sicut enim semper mirabiliter auctor orbis & spes unica mundi Deus operatur; ita in his etiam mirabilia eius opera hac non defuerunt nocte, dum conversi ad militiam Christianitatis forte alicujus Dei fidelium gratia prædicationis operante, abluti sunt a sordibus undà sacri Baptismatis, quos etiam me huc accedente, vidi *albere novis vestibus Baptizatorum.*

LXXVI. *Quod sic primitias Christianitatis B. Faro Germaniæ miserit.*

Ad hæc Rex cunctique in admirationem versi, qui tractabant eorum de morte pericli, statuunt jam donis pretiosis confirmare eos in fide Christi, quasi in alios viros mutati, de hinc redeunt ad patriam maternam remissi. Hanc quippe novellam plantationem egregius Faro primus pene * de *gente Saxonum* semine verbi Christi excoluit; portendens iam officium futuri pastoris, cuius seges multiplicata prædicatione votis ipsius felicibus respondet in cœlis.

LXXVII. *Quod Rex perdurantis Germaniæ proceritatem superbiæ, ad mensuram, quam ferebat, decurtaverit Spatæ.*

Postmodum autem ipsa est gens a Clothario rege depopulata ex humano semine in tota terra illa, neminemque reliquit maiorem, nisi ad eam mensuram, qua regis ensis se attollebat.

LXXVIII. *Quod etiam tantæ apud Regem gratiæ esset sanctus Faro, ut ei conjungeretur carmine publico.*

Ex qua victoria carmen publicum *juxta rusticitatem*, per omnium pene volitabat ora ita canentium: Fæminæque choros, inde plaudendo, componebant.

De

* Rectè: pene primus. Nam paulo ante tempora Venantii Fortunati Felix Nannetensium Episcopus in Saxonibus ad fidem Christi convertendis laboravit. Lib. 3. carm. v. Id tamen interest, quod Saxones Nannetensibus noti, litorales fuêre; sed Bertoaldus Rex, cujus legatos Faro baptisari curavit, ad Visurgim regnavit, ubi olim Cherusci, hodie Brunsuicenses.

De Chlotario est canere Rege Francorum,
Qui ivit pugnare in gentem Saxonum.
Quam graviter provenisset missis Saxonum,
Si non fuisset inclytus Faro de gente Burgundionum.

Et in fine hujus carminis:

Quando veniunt missi Saxonum in terram Francorum,
Faro ubi erat princeps, transeunt per urbem Meldorum
Instinctu Dei, ne interficiantur à rege Francorum.

Hoc enim *rustico carmine* placuit ostendere, quantum ab omnibus celeberrimus habebatur.

34. Excerpta ex Gregorio Turonensi, de rebus gestis Saxonum Veterum.

Libr. II. cap. XVIII.

Igitur Childericus Aurelianis pugnas egit: Odovacrius (a) vero cum Saxonibus Andegavos venit. Magna tunc lues populum devastavit. Mortuus est autem Egidius, & reliquit filium Syagrium nomine. Quo defuncto Odovacrius de Andegavo & aliis locis obsides accepit. Brittanni de Biturica a Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremtis. Paulus vero comes cum Romanis ac Francis, Gothis bella intulit, & prædas egit. Veniente vero Odovacrio Andegavos, Childericus Rex sequenti die advenit, interemtoque Paulo Comite civitatem obtinuit. Magno eo die incendio domus Ecclesiæ concremata est.

ibid. cap. XIX.

His ita gestis inter Saxones atque Romanos bellum gestum est; sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus gladio, reliquere: insulæ (b) eorum cum multo populo interempto, a Francis captæ atque subversæ sunt. Eo anno mense nono terra tremuit. Odovacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannosque, qui partem Italiæ pervaserant, subjugarunt.

Libr. IV. cap. X.

Eo anno rebellantibus Saxonibus, Clotharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem delevit, pervagans totam Thoringiam ac devastans, pro eo quod Saxonibus suppetias præstitissent (c).

ibidem cap. XIV.

Igitur Clotharius post mortem Theodovaldi, cum regnum Franciæ suscepisset, atque illud circumiret, audivit a suis iterata insania effervescere Saxones, sibique esse rebelles, & quod tributa, quæ annis singulis consveverant ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis, ad eos dirigit. Cumque iam prope termiuum illorum esset, Saxones legatos ad eum mittunt, dicentes: Non enim sumus contemptores tui, & ea quæ fratribus ac nepotibus tuis reddere consvevimus, non negamus, & majora adhuc, si quæsieris, reddemus: unum tantum exposcimus, ut sit pax, ne tuus exercitus & noster populus conlidatur. Hæc audiens Clotharius Rex, ait suis: Bene loqvuntur hi homines, non incedamus super eos, ne forte peccemus in Deum. At illi dixerunt: Scimus enim, eos esse mendaces, nec omnino, quod promiserint, impleturos: eamus super eos. Rursum Saxones obtulerunt medietatem facultatis suæ, pacem petentes. Et Clotharius Rex ait suis: desistite quæso ab his hominibus, ne super nos Dei ira concitetur. Quod illi non adquieverunt. Rursum Saxones obtulerunt vestimenta, pecora, vel omne corpus facultatis suæ, dicentes: Hæc omnia tollite cum medietate terræ nostræ: tantum uxores & parvulos nostros relinquite liberos, & bellum inter nos non committatur. Franci autem nec hoc adquiescere voluerunt. Quibus ait Clotharius Rex: desistite quæso, desistite ab hac intentione. Verbum enim *directum* (d) non habemus. Nolite ad bellum ire, in quo

(a) Al. Adovacrius.
(b) An legendum, *ciulæ* eorum, id est, naves?
(c) Solatium præbuissent.
(d) Justum Gall. *droict.*

quo disperdamini. Tamen si eo ire (e) volueritis spontanea voluntate, ego non sequar. Tunc illi ira commoti contra Clotharium Regem, super eum irruunt & scindentes tentorium ejus, ipsum quoque conviciis exasperantes, ac vi detrahentes, interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Hæc videns Clotharius, invitus fuit (f) cum eis. At illi inito certamine, maxima ab adversariis internecione cæduntur: tantaque ab utroque exercitu multitudo cecidit, ut nec æstimari nec numerari penitus possit. Tunc Clotharius valde confusus pacem petiit, dicens, se non sua voluntate super eos venisse. Qua obtenta, ad propria rediit.

Ibid. cap. XVI.

Fortiter tunc Rex Clotharius contra Saxones decertabat. Saxones enim (ut adserunt (g) per Childebertum commoti atque indignantes, contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, & usque ad Nutiam (h) civitatem prædas egerunt, nimiumque grande scelus perpetrati sunt.

Libr. V. cap. XV.

Et quia tempore illo, quo Alboinus in Italiam ingressus est, Clotharius & Sygibertus Suavos (i), & alias gentes in loco illo posuerunt, hi qui tempore Sygiberti regressi sunt, id est, qui cum Alboino fuerant, contra hos consurgunt, volentes eos a regione illa extrudere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem terræ, dicentes, Simul vivere sine collisione possumus. Sed illi contra eos irati, eo quod ipsi hoc antea tenuissent, nullatenus pacificare voluerunt. Dehinc obtulerunt eis iterum isti medietatem: post hæc duas partes, sibi tertiam relinquentes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra omnia pecora, tantum ut a bello cessarent. Sed nec hoc illi adquiescentes, certamen expetunt. Et inter se ante certamen, qualiter uxores Suavorum dividerent, & qui quam post eorum exitum acciperet, tractant, putantes eos jam quasi interfectos habere. Sed Domini miseratio, quæ justitiam facit, in aliam partem voluntatem eorum retorsit. Nam confligentibus illis: erant autem viginti sex milia Saxonum, ex quibus viginti milia occiderunt: Suavorum quoque sex milia, ex quibus quadringenti & octoginta tantum prostrati sunt, reliqui vero victoriam obtinuerunt. Illi quoque, qui ex Saxonibus remanserant, detestati sunt, nullum se eorum barbam, neque capillos incisurum, nisi prius se de adversariis ulciscerentur. Quibus iterum decertantibus, in majore excidio corruerunt; & sic a bello cessatum est.

35. Ex Isidori Origin. Lib. XIX. cap. I.

MToparo, quasi minimus paro, id est, *carabus* (a). Est enim parva *Scafa* ex vimine facta, quæ contexta crudo corio (b), genus navigii præbet, quali utuntur Germanorum pyratæ, in Oceani litoribus vel paludibus, ob agilitatem; de qualibus *historia* (c): gens, inquit, *Saxonum* myoparonibus, non viribus nituntur, fugæ potius quam bello parati.

36. Ex Anonymi Gestis Dagoberti Regis Francorum. Cap. XIV.

DAgobertus itaque pulcherrimus juvenis, efficax atque strenuus, in omnibus solertis ingenii probatissimus cum *Pippino Duce* in *Hoste* (a) regnaturus à patre dirigitur. Austrasii vero Franci superiores congregati in unum, Dagobertum super se regem statuunt.

 In

(e) Al. si abire.
(f) Al. abiit
(g) ut audiverunt.
(h) Al. usque Divitiam, hod. *Deuz*, è regione Colon. Agrip.
(i) Cum Suavi seu Svevi his temporibus longè abfuerint à Saxonia, aut legendum: *Slavi*, aut (quod malim) dicendum, Saxones cum Longobardis profectos in Italiam non in Saxonia habitasse amplius, sed dudum digressos, in aliqua superioris Germaniæ parte viciniore Longobardis, qui tunc in Pannonia agebant. Wittikindus Corbejensis regionem Saxoniam intelligit, Suavos facit Transalbinos, ita legendum esset: *Slavi*.

(a) Solent eadem nomina imponi navibus & vasis. Ipsam navem Galli vocant Vasculum (Vaisseau) Scafa (Germanis Schif) scypho respondet; carabum non tantum navem, sed & scyphum significasse, vel caraffa & caraffina Italorum Gallorumque docent.
(b) His navigiis jam ante usi erant Britanni. Nam Plinius lib. 7. c. 56. Etiam nunc in Oceano Britannico vitiles corio circumsutæ fiunt. Idem lib. 4. c. 16.
(c) Non apparet, ex quo Historico hæc sumta. In Saxonibus alii non tantum agilitatem, sed & fortitudinem agnoscunt.
(a) Seu *Oste*, hoc est, in Oriente seu Austrasia.

In illis quoque diebus *Saxones* nimium rebelles cum *Bertoaldo Duce* commoverunt exercitum gentium plurimarum contra Dagobertum Regem Austrasiorum. Dagobertus vero & ipse collecto hoste plurimo Rhenum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitat. Illisque valde pugnantibus, Dagobertus super galea capitis sui percussus est, atque abscissa particula de capite cum capillis ad terram decidit. Adtira autem armiger ejus à retro stans collegit eam. At ille læsum cernens exercitum suum, dixit ad ipsum juvenem: Perges velociter festinus deferens crines capitis mei, nuncia patri meo, quatinus veniens succurrat nobis antequam cunctus corruat exercitus. Qui statim cursum arripiens Rhenum transiit, atque in Ardennam silvam, eo quod Rex Clotharius eo tempore ibi moraretur, Longolarium usque pervenit. Cumque nuntiasset ea, quæ contigerant, & deferens Regi abscissam particulam de capite filii sui adpræsentasset, Rex nimio dolore commotus cum strepitu tubarum & exercitu Francorum illicò de nocte consurgens, velociter Rhenum transiit atque in auxilium filii sui celerrimè pervenit. Cumque simul conjuncti in unum hilari corde manibus jocundissimè plauderent, supra Vvisera fluvium tendentes fixêre tentoria. *Bertoaldus* verò *Dux Saxonum* ex alia parte ripæ fluminis stans, paratus, ut ad pugnam procederet, audiens tumultum Francorum, interrogabat, quid hoc esset? At illi responderunt, dicentes: Dominus Clotharius Rex advenit, & ob hoc lætantur Franci. Quibus respondit cum cachinno dicens: Formidantes vos nimium, mentimini delirantes. Clotharium enim, quem vobiscum habere dicitis, nos mortuum esse auditum habemus. Rex autem super ripam fluminis stans, galea induto capite, crinesque cum canitie variata obvolutos habens, & hæc audiens, galeam celerrime à suo capite deposuit. Cum nudatum à galeâ apparuisset caput Regis, agnovit eum Bertoaldus Regem esse, & irridens ait: Tu hic eras *bale* (b) jumentum? Rex vero hæc audiens, valde indignatus, & hoc convicium graviter ferens, Wisera fluvium impatienter ingressus, cum equo velocissimo transnatavit, atque ferus, ut erat, corde Bertoaldum persequebatur. Francorumque exercitus sequentes Regem, natando vix fluvium cum Dagoberto transiebant per gurgites immensos. Rex itaque Clotharius persecutus Bertoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque ei Bertoaldus: O Rex recede à me, ne forte interficiam te. Qui si prævalueris adversum me, ita omnes homines dicent, quod servum tuum Bertoaldum gentilem interemeris. Si autem ego interfecero te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, qvod fortissimus Rex Francorum à servo sit interfectus. Rex vero nequaquam adquievit dictis ejus, sed fremens ira, magis magisque insurgebat super eum. Equites itaque à longe seqventes Regem clamabant, dicentes: Confortare contra adversarium tuum, Domine Rex. Erantque manus Regis valde graves. Erat enim Rex loricatus, & aqva sinum ejus, dum transnataret fluvium, replens indumenta omnia nimium adgravaverat. Sed diu multumque decertantes, tandem insurgens Rex super Bertoaldum, interfecit eum. Tollensque caput ejus in conto, reversus est ad Francos. Illique lugentes (nesciebant enim, qvid Regi contigisset) viso eo gavisi sunt gaudio magno. Rex verò totam terram Saxonum devastans & omnem populum interficiens, non ibidem majorem hominem viventem reliquit, quàm longitudo gladii sui, qvem spatam vocant, habere videbatur. Hoc itaque signum in regionem illam statuit, scilicet ut posteri discerent, quanta Saxonum perfidia extiterit & quanta Francorum polleret potentia, quantaque Regum provocata prævaleret animositas—«

Cap. XXXI. Denique anno X. regni sui (c), cum ei nuntiatum fuisset, exercitum Winidorum Toringiam fuisse ingressum, cum exercitu nil moratus ex regno Austrasiorum ab urbe Mettis promovens, transita Ardenna Magontiam adgreditur; disponensque Rhenum transire, scaram de electis viris fortibus ex Neustria & Burgundia cum Ducibus & Grafionibus secum habens, Saxones missos ad eum dirigunt petentes, ut eis tributa, quæ fiscorum ditionibus desolvebant, indulgeret. Ipsi vero studio suo & utilitate Winidis resistendum spondent, & Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Rex itaqve Dagobertus consilio Neustrasiorum adeptus, eis, qvod poscebant, præstitit. Saxones autem, qui hujus petitionis suggerendi causa venerant, sacramentis, ut eorum mos erat, super arma patratis, pactum pro universis Saxonibus firmant. Sed parum hæc promissio sortitur effectum. Attamen Saxones tributum, qvod reddere consueverant, per præceptionem Dagoberti hactenus habent indultum. *Quingentas* enim *vaccas inferendales* annis singulis à Clothario seniore *censiti* reddebant, quod tunc à Dagoberto Rege cassatum est.

37. Ex-

(b) Convicio canitiei ejus illusit. *Vale* enim Germanis est griseum seu subalbicans, quasi diceret, *du fahles aass*. Apud Aimoinum l. 4. cap. 18. aliter habetur: Tunc hic eras muta bestia? quod Rex antea silendo præsentiam suam dissimulasset.

(c) Dagoberti I.

37. Excerpta ex Aimoino ad res gestas Saxonum veterum pertinentia.

Libr. I. cap. VII.

- - Childericus vero cum & manu promtus & consiliis esset providus, cum Adovagrio Saxonum Rege Aurelianis pugnans victor extitit. Quem fuga lapsum Andegavos usque persequens, cum eum non reperisset, ipsam urbem oppugnans cepit, Paulum Romanarum comitem partium interemit. Sicque regni terminos, Aurelianensem ac demum Andegavensem usque civitatem dilatare haud segniter procuravit.

Libr. III. cap. VII.

Saxones qui ad Italiam jussu Theodeberti senioris demigraverant, cum conjugibus ac liberis in Gallias prorumpunt. Quibus Mummolus Guntranni regis patricius obviam pergens eos fugaciter Italiam repetere compulit. Sequenti anno iterum Saxones ad Rhodanum usque fluvium Gallias ingressuri accesserunt. Mummolus cum exercitu suo obvius, transitum eis fluminis denegabat. Sed acceptis muneribus per fines regni, quod tuebatur, transeundi ad Sigebertum licentiam tribuit: a quo suscepti jubentur proprias incolere terras. Quo dum tendunt, plurimos negociatorum in itinere deceperunt, æris laminas quadam arte ad auri optimi atque probati speciem coloratas vænundantes, aurumque pro pretio earundem accipientes. Hac de re multi mercatores ad inopiæ malum se devolutos sero doluerunt. Sed Saxones fraudulentiæ suæ pœnas matura ultione luerunt. Nam a Suevis aliisque nationibus, quæ patriam eorum pervaserant, terna acie superati, ad XX millia suorum ferme interemptis, reliqui conditionibus hostium, licet inviti, paruerunt.

Libr. IV. cap. XVIII.

Austrasiis vero Francis rex institutus a patre (*), adversus Saxones, qui rebellare tentaverant, arma movit: transgressusque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum duce pugna commissa, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, & ut sibi, antequam cunctus corruat exercitus, in auxilium properet, mandat. Forte fortuna affuit: Clotharius (**) enim venationis gratia Longolariam sylvam petierat: ubi accepto periculorum filii nuntio, gravi exagitatus dolore, raptis quos in promptu habebat juvenibus, ad alios etiam, ut se sequerentur, directis legatis, brevi tempore longum iter emensus (nam & noctibus viam carpebat) ad filium usque pervenit, & ea quidem nocte fixis *super Wiseram fluvium* tentoriis quieverunt. Mane autem facto, dum Franci plausus ac voces lætitiæ pro adventu regis Clotharii ederent, Bertoaldus Saxoniæ Dux super ripam fluminis prælium præstolans, audito tumultu, interrogat, ut quid tantus in Francorum castris oriretur tumultus? dictum est ei, Clotharium advenisse Regem, atque ob id diem festum agere Francos. At ille ad hæc, falsa (ait) spe decepti præ timore desideria somniant sua. Nam Regem, quem secum gratulantur manere, certa ferente fama nos compertum habemus vita jam defunctum. Clotharius citeriori armatus superstans littori, tum talia superbe profantem audiret, nil dicens, quo major taciturnitate sua hostibus incuteretur timor, celerrime galea nudavit caput. Erat quippe ejus cæsaries pulchra canitie variata, in cujus aspectu adversariis maxime dignoscebatur. Denique statim a Bertoaldo agnitus, incongrua percepit responsa, in hunc modum a præfato contrariæ partis duce prolata. Tune (dixit) hic muta aderas bestia? Tunc Rex huiusmodi commotus convicio, & ultra quam dici possit exardescens ira, capiti reposita cassice, calcaribus equum versus eum impulit, ut transmeato flumine se de inimicis suis ulcisceretur: Franci itidem, injuria ducis permoti, atque ejus exemplo animati flumen natantes transibant, sequentes Regem: qui fugienti Bertoaldo infestus insistebat. Gravabatur sane ad insequendum, & pondere armorum, & quod, dum transnataret fluvium, aqua sinum ejus nec non ocreas repleverat. Bertoaldus tamen recedendo clamabat ad Regem, non æquo & bono illum esse intentum, qui se persequeretur; sed quod sola hæc ageret laudis cupidine ductus, qui tanti æstimaretur, ut sequestratus a suis, hostem terga dare sibi compelleret. Verendum vero, ne hæc res in contrarium versa, ipsum potius pessundaret. Ista autem dum diceret, fugere non cessabat: & sæ-

(*) Dagobertus I. (**) Clotharius II.

& sæpe se ejus servum, illum vero suum fatebatur Dominum. Viderique injustum, ut vel servus a clementissimo Domino, vel Dominus a servo, licet invito ac coacto, perimatur. Verum Clotharius callide hæc eum prosequi sciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi, quo vehebatur, eum assecutus interemit. Sublatoque ejus capite, ad filium & cæteros Francos (qui tristes, eo quod eum consequi nequirent, ejus saluti timentes, post eum iter pro posse accelerabant) regreditur: indeque relevatis mœstitia eorum animis, una cum eis Saxoniam ingressus, ita depopulatus est eam, ut nullum in ea hominem viventem relinqueret, qui longitudinem spatæ, quam tunc forte gerebat, excessisset. Et Clotharius quidem hoc taliter egit.

ibid. cap. XXVI.

Anno autem decimo postquam præfatus Dagobertus regnare cœperat, memor malitiæ Sclavorum in suos, collegit lectam e Franciæ bellatoribus *scaram*, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus. Cui properanti ad capiendam ultionem ex inimicis, occurrere Saxonum legati, spondentium se fore vindices contumeliarum, quæ Francis illatæ erant, si tributo, quod regiis exhibebant usibus, levari meruissent. Quingentas namque *vaccas inferendales* a Clothario seniore, Clodovei filio, Chilperici patre, regiæ mensæ inferre jussi fuerant: Quæ ideo inferendales dicebantur, eo quod singulis inferrentur annis. Dagobertus vero, sapienti Austrasiorum consilio, petita non abnuit, eo videlicet pacto, ut per succedentia semper tempora, Francorum limitem sibi vicinum, Saxones contra adversantium defensarent incursus. Hoc pactum *sacramento* quidem *super arma* (ut eis mos erat jurantibus) firmatum: sed nulla efficacia factorum est stabilitum; licet censu, quem solvere solebant, liberati essent.

38. Epistola Gregorii Papæ ad Altsaxones, ex Epistolis Bonifacianis a Serario Mogunt. 1629. in 4. editis.

GREGORIUS Papa universo populo provinciæ ALTSAXONUM.

Sapientibus & insipientibus debitor sum, fratres charissimi, volens vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis & pro his, qui verbum exhortationis fidei JESU CHRISTI Domini nostri susceperunt, & qui adhuc suscepturi sunt, *ut consolentur corda vestra instructa in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris* JESU CHRISTI, (ut ait egregius Apostolus) *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Hoc autem dico, *quoniam prope est regnum Dei*, ut nemo vos amplius decipiat in sublimitate sermonum, ut in quocunque metallo salutem vestram quæratis adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta. Quæ falsidica numina à Paganis antiquitus quasi Dii vocati sunt. In quibus dæmones habitare noscuntur, quoniam *omnes Dii gentium dæmonia sunt* (ut ait Scriptura) *Dominus autem Deus noster cœlos fecit.* Quicunque autem in vobis susceperunt CHRISTUM JESUM Dominum nostrum, in ipso *ambulent radicati, & superædificati & confirmati fide, abundantes in gratiarum actionem. Videte, ne quis vos amplius decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filii tenebrarum, quam filii lucis.* Discedite filii ab idolorum cultura, & accedite & adorate Dominum Deum, *qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt:* & vultus vestri non erubescent. Unus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum & piscium, qui est benedictus in secula seculorum. Expoliate ergo vos veterem hominem, & induite CHRISTUM novum *deponentes omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam. Turpem sermonem nolite de ore vestro producere*, ab idolorum cultura recedite. Jam enim advesperascit dies, nolite esse ociosi, sed potius operamini opus bonum, ut CHRISTUS habitet in vobis. *Et quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI, *gratias agentes Deo, & Patri per ipsum:* respuentes Gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi instantes ad ipsum cor erigite, quoniam *magnus est Dominus Deus noster & laudabilis nimis, & terribilis super omnes Deos. qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.* Hoc autem commoneo, fratres, ut quicunque voluerit ex vobis ad CHRISTUM converti, nullo modo eum prohibeatis, neque vim ei faciatis sculptilia adorare: quia ipse CHRISTUS Dominus vivit cum Deo Patre omnipotente, in unitate

tate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Chariſſimi, fidelis miniſter & conſervus in Domino, quem miſi ad vos *Bonifacium* fratrem ac Cöepiſcopum meum, ad hoc ipſum, ut cognoſcat, quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo in CHRISTO JESU Domino noſtro, ut à diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari, & ut ab æterna damnatione liberati vitam habeatis æternam.

39. Ex Pauli Diaconi libb. de Geſtis Longobard. excerpta de Saxonum expeditione Italica.

Lib. II. cap. VI.

Alboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab *amicis ſuis vetulis* (a) *Saxonibus* auxilium petit, quantenus ſpatioſam Italiam cum pluribus poſſeſſurus intraret. Ad quem *Saxones plusquam viginti millia virorum* cum uxoribus ſimul & parvulis, ut cum eo ad Italiam pergerent, juxta ejus voluntatem venerunt. Hoc audientes Chlotarius & Sigisbertus Reges Francorum, *Suavos* (b) *aliasque gentes* in locis, de quibus iidem Saxones exierant, poſuerunt &c.

Lib. III. cap. V.

Poſt hæc Saxones, qui cum Longobardis in Italiam venerant, in Gallias perrumpunt, & intra territorium Rhegenſe, id eſt, apud *ſtablonem* villam, caſtra conſtituunt, diſcurrentes per villas urbium vicinarum, diripientes prædas, abducentes captivos vel etiam cuncta vaſtantes. Quod cum Mummulus comperiſſet, ſuper eos cum exercitu irruit, multosque ex eis interfecit, ac donec nox finem faceret, cædere non ceſſavit. Ignaros enim repererat homines, & nihil de iis, quæ acciderant, autumantes. Mane autem facto ſtatuunt Saxones exercitum, præparantes ſe fortiter ad bellum, ſed intercurrentibus nunriis pacem fecerunt. Datisque muneribus Mummulo, relictis captivis & univerſa præda ad Italiam revertuntur.

Libr. III. Cap. VI.

Igitur regreſſi *Saxones* in Italiam, aſſumptis ſecum uxoribus atque parvulis ſuis, cum omni ſupellectili, rurſum ad Gallias deliberant venire, ſcilicet ut à Sigisberto rege ſuſcepti, ejus posſint adjutorio ad patriam remeare. Certum eſt autem, hos Saxones ideo ad Italiam cum uxoribus & parvulis adveniſſe, ut in ea habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt Longobardorum imperiis ſubjacere. Sed neque eis à Longobardis permiſſum eſt in proprio jure ſubſiſtere, ideoque æſtimantur ad ſuam propriam repedaſſe. Hi Gallias ingreſſuri, duos ex ſe cuneos faciunt, & unus quidem cuneus per Nicæam urbem, alter vero per Ebredunum ingreſſus eſt, illa revertens via, quam anno ſuperiore tenuerat. Hi quia tempus meſſium erat, colligentes ac triturantes frumenta comedebant, ac ſuis animantibus ad eſum præbebant. Deprædabantur pecora, ſed nec ab incendiis abſtinebant. Qui cum ad Rhodanum amnem perveniſſent, ut transmeato eo regno ſe Sigisberto conferrent, occurrit eis Mummulus cum valida multitudine. Tunc illi viſo eo valde timentes, datis pro redemptione ſua multis aureis numismatibus, Rhodanum tranſire permiſſi ſunt. Qui dum ad Sigisbertum regem pergunt, multos in itinere negotiatione ſua deceperunt, venundantes Regulas æris, quæ ita, neſcio quomodo, erant coloratæ, ut auri probati atque examinati ſpeciem ſimularent. Unde nonnulli hoc dolo ſeducti, dantes aurum, & æs accipientes, pauperes ſunt effecti. Pervenientes tandem ad regem Sigisbertum, ad locum unde prius egreſſi fuerant, redire permiſſi ſunt.

Libr. III. Cap. VII.

Qui dum ad ſuam patriam veniſſent, invenerunt eam à *Suavis* & *aliis gentibus*, ſicut ſupra commemoravimus, retineri. Contra quos inſurgentes, conati ſunt eos deſtrue-

(a) Vetuli ſeu antiqui Saxones opponuntur *Saxonibus transmarinis. Longobardi* autem cum olim ad Albim habitarint, Saxonum vicini fuerant.

(b) De his quædam notata ad excerpta ex Gregorio Turonenſi.

re ac delere. At illi obtulerant eis tertiam partem regionis, dicentes: Simul possumus vivere, & sine collisione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquiescerent, de hinc obtulerunt eis medietatem; post hæc duas partes, sibi tantum tertiam reservantes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra etiam omnia pecora, tantum ut à bello cessarent. Sed nec iis Saxones adquiescentes, certamen expetunt, atque inter se ante certamen, qualiter uxores Suavorum dividerent, statuunt. Sed non eis ut putabant, evenit. Nam commisso prælio, viginti millia ex eis interempta sunt. Suavorum vero quadringenti octoginta ceciderunt, reliqui verò victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt, se neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suavis ulciscerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer attriti sunt, & sic à bello quieverunt.

40. Excerpta ex Witichindi Annal. Lib. I. de Saxonum origine & statu veteri.

POst operum nostrorum primordia, quibus summi Imperatoris militum triumphos declaravi, nemo miretur Principum nostrorum res gestas literis velle commendare: Quia in illo opere professioni meæ, ut potui, quod debui, exsolvi: modo generis gentisque meæ devotioni, ut queo, elaborare non effugio. Et primum quidem *de origine statuque gentis* pauca expediam, solam penè famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem ferè certitudinem obscurante. Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de *Danis Nortmannis*que (a) originem duxisse *Saxones;* aliis autem æstimantibus, ut ipse adolescentulus audivi, quendam prædicantem, *de Græcis*, quia ipsi dicerent, Saxones *reliquias* fuisse *Macedonici exercitus*, qui secutus magnum Alexandrum immatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Cæterum gentem antiquam & nobilem fuisse non ambigitur, de quibus & in *concione Agrippæ ad Judæos* in Josepho oratio contexitur (aa), & *Lucani Poetæ* sententia probatur. Pro certo autem novimus, Saxones *his regionibus navibus advectos*, & loco primum applicuisse, qui usque hodie nuncupatur *Hadolaun* (b). Incolis vero adventum eorum graviter ferentibus, qui *Thuringi* (c) traduntur fuisse, arma contra eos movent: *Saxonibus* verò acriter resistentibus, portum obtinent. Diu deinde inter se dimicantibus, & multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, & fœdus inire: ictumque est fœdus eo pacto, quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, cæterum ab agris, à cæde hominum atque rapina abstinerent: stetitque illud fœdus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defecisset pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem arbitrabantur. Ea igitur tempestate contigit adolescentem quendam egredi de navibus oneratum multo auro, torque aurea, simulque armillis aureis: cui obvius quidam *Turingorum*, quid sibi vult, inquit, tam ingens aurum circa tuum famelicum collum? Emtorem, inquit, quæro, ad nihil aliud istud aurum gero: qui enim fame periclitor, quo auro delecter? At ille qualitatem quantitatemque pretii rogat. Nullum, inquit, mihi, Saxó, est discrimen in pretio, qvicquid habes, gratum teneo. Ille vero subridens adolescentem, quid si, inquit, de isto pulvere sinum tibi impleo? erat enim in præsenti loco egesta humus plurima. Saxo nihil cunctatus aperit sinum, & accepit humum, illicoque Turingo tradidit aurum: lætus uterque ad suos repedat. *Turingi* Turingum laudibus ad cœlum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit, fortunatumque eum inter omnes mortales fuisse, qui vili pretio tam ingens aurum possederit. Cæterum certi de victoria, de Saxonibus jam quasi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo appropriat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus, & quid ageret, admirantibus, alii eum irridere cœperunt, amicorum alii arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille postulato silentio, sequimini me, inquit, optimi Saxones, & meam vobis amentiam probabitis utilem. At illi, licet dubii, sequuntur tamen ducem. Ille autem sumta humo per vicinos agros qvam potuit subtiliter spasiit, & castrorum loca occupavit. Ut autem

(a) Ex regione transalbina Danis vicina venisse Saxones Ptolemæi autoritate probatur.

(aa) Joseph lib. 2. c. 16. bell. jud. loquitur de Germanis in universum. Apud Lucanum lib. I. variant Codices, nec rectè *Saxones* in nonnullis exemplaribus legi notant docti.

(b) Hadelen; huc nempe venere Saxones navibus transmisso Albi.

(c) Werinos usque ad mare pertigisse constat, an hi confusi cum Thuringis? vel iis accensiti? Sanè Inscriptio in codice Legum veterum habet: Incipit lex Angliorum & Werinorum, hoc est, Thuringorum. Vid. quæ ad Procopium notata.

autem videre Thuringi castra Saxonum, intolerabilis res eis visa est, & missis legatis conquesti sunt de rupto fœdere, ac violato pacto, ex parte Saxonum. Saxones respondent, se hactenus fœdus inviolabiliter servasse: terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere, aut certe armis defendere. His auditis, incolæ jam maledicebant aurum Saxonicum, & quem paulo ante felicem esse prædicabant, auctorem perditionis suæ, suæque regionis, fatentur. Ira deinde accensi cœco marte sine ordine & sine consilio irruunt in castra: Saxones verò parati hostes excipiunt sternuntque, & rebus prospere gestis proxima circumcirca loca jure belli obtinent. Diu itaque crebroque cum ab alterutris pugnatum foret, & Thuringi Saxones semper sibi superiores fore pensarent, per internuncios postulant, utrosque inermes convenire, & de pace iterum tractare, condicto loco dieque. Saxones postulatis se obedire respondent. Erat autem illis diebus Saxonibus *magnorum cultellorum* usus, quibus usque hodie *Angli* utuntur, morem gentis antiquæ sectantes. Quibus armati Saxones sub sagis suis procedunt castris, occurruntque Turingis condicto loco. Cumque viderent hostes inermes, & omnes principes Turingorum adesse, tempus rati totius regionis obtinendæ, cultellis abstractis super inermes & improvisos irruunt (d), & omnes fundunt, ita ut ne unus quidem ex eis superfuerit. Inde Saxones clari existere, & nimium terrorem vicinis incutere cœperunt. Fuerunt autem & qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim nostra lingua *Sahs* dicuntur (e), ideoque *Saxones* nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent. Dum ea geruntur apud Saxoniam, quæ ita modò vocitatur, regionem, Britannia à Vespasiano Principe jam olim inter Provincias redacta, & sub clientela Romanorum multo tempore utiliter degens à vicinis nationibus impugnatur, eo quod auxilio Romanorum destituta videretur. Populus namque Romanus Martiali (ee) imperatore à militibus interfecto, externis bellis graviter fatigatus non sufficiebat solita auxilia administrare amicis. Extructo tamen ingenti opere ad munimen regionis inter confinia à mari usque ad mare, ubi impetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hosti acriori, & ad bellandum prompto, ubi gens mollis & pigra belli, resistit, nulla difficultas in destruendo opere fuit. Igitur fama prodente de rebus à *Saxonibus* prosperè gestis supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia. Et procedentes legati: *Optimi*, inquiunt, *Saxones, miseri Bretti, aliàs Bracti, crebris hostium incursionibus fatigati, & admodum contriti, auditis victoriis à vobis magnifice patratis, miserunt nos ad vos, supplicantes, ut ab eis vestra auxilia non subtrahatis. Terram latam & spatiosam & omnium rerum copia refertam, vestræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter viximus: post Romanos vobis meliores ignoramus: ideo sub vestræ virtutis alas fugere quærimus. Vestra virtute, vestris armis hostibus tandem superiores inveniamur, & quicquid imponitis servitii, libenter sustinemus.* Patres ad hæc pauca respondent: *Certos amicos Brettis Saxones sciatis, & eorum necessitatibus atque commodis æque semper affuturos.* Legati læti in patriam redierunt, exoptato nuncio socios lætiores reddentes. Deinde promissus in Britanniam mittitur exercitus, & gratanter ab amicis susceptus, in brevi liberat regionem à latronibus, restituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit, quippe qui jam olim audita fama Saxonum, perculsi terrebantur, tum modo præsentia eorum procul pelluntur. Erant enim hæ gentes Brettis adversæ, *Scoti* & *Pehiti* (f), adversus quos militantes Saxones accipiebant à Brettis omnia ad usum necessaria. Manserunt itaque in illa regione aliquanto tempore, vicaria Brettorum bene usi amicitia. Ut autem viderunt Principes exercitus terram latam ac fertilem, & incolarum manus ad bellandum pigras; se vero ad maximam partem Saxonum sine certis sedibus, mittunt ad evocandum majorem exercitum, & pace cum Scotis & Pehitis firmata, in commune contra Brettos consurgunt, eosque regione propellunt, & suæ ditioni regionem distribuunt. Et quia illa insula in angulo (g) quodam maris sita est, *Angli-Saxones* usque hodie vocitantur. De quibus omnibus si quis plenius scire voluerit, historiam gentis ejusdem legat, & ibi inveniet, quomodo, aut sub quibus Ducibus, hæc omnia acta sint, vel qualiter ad Christianitatis nomen per virum suis temporibus sanctissimum *Papam*, videlicet *Gregorium*, pervenerint. Nos vero cœptam historiæ viam recurramus. Post hæc mori-

(d) Vereor, ne, quæ Saxones fecere Britannis, errore in Thuringos patrata narrentur.

(e) Non ineptum Saxones ab armorum genere dictos, sed multo ante hoc facinus.

(ee) An Martiali hic idem quod bellicoso, Maximo scilicet?

(f) Scoti originis Hibernicæ, Picti Britannicæ, nempe ex Britonum Sylvestrium genere, qui ab antiquo corpora pingebant, & in Caledonia, id est, septentrionali Britannia superfuerant non satis domitià Romanis.

(g) Angli nomen suum ex Germania attulerunt, ut jam ex Tacito constat.

moritur (h) *Huga*, *Clodoveus* Rex Francorum, nullum alium heredem regni relinquens præter unicam filiam nomine *Amalbergam*, quæ nupserat *Erminfrido*, Regi Turingorum. Populus autem Francorum à Seniore suo humane clementerque tractatus, pro gratiarum actione rependenda filium, quem ex concubina genuit, nomine *Thiadericum*, (i) ungunt in regem. Thiadericus autem designatus rex mittere curavit legationem ad Erminfridum pro pace atque concordia: & ingressus legatus ad Erminfridum: Mortalium, inquit, optimus maximus Dominus meus, Thiadericus, misit me ad te, exoptans te bene valere, & lato magnoque diu imperio vigere, seque tibi non Dominum, sed amicum; non Imperatorem, sed propinquum propinquitatisque jura inviolabiliter tibi fine tenus velle servare demandat: tantum ut à populi Francorum concordia non discordes, rogat: ipsum namque sibi regem sequuntur constitutum. Ad hæc Erminfridus juxta quod regalem decuit dignitatem, clementer legato respondit, placita sibi placere populi Francorum, ab eorum concordia non discordare, pace omnimodis indigere; super negotio verò regni responsionem suam in amicorum præsentiam velle differre: Virumque honorifice tractans facit eum secum aliquandiu manere. Audiens autem regina legatum fratris (k) supervenisse, & locutum cum rege super negotio regni, suasit *Hiringo*, ut pariter persuaderent viro, quia sibi regnum cessisset jure hæreditario, utpote quæ filia regis erat, & filia reginæ: Thiadericum vero suum servum tanquam ex concubina natum, & ideo indecens fore proprio servo unquam manus dare. Erat autem Hiringus vir audax, fortis manu, acer ingenio, acutus consilio, pertinax in agendis rebus, facilis ad suadendum, quæ vellet, hisque rebus animum sibi Erminfridi connexuerat. Convocatis principibus & necessariis amicis, Erminfridus verba legati in præsentiam eorum contulit; at illi unanimiter suadebant quæ pacis atque concordiæ sunt, eum sentire: quia impetus Francorum ferre non posset, maxime, qui acrioribus hostium armis ex alia parte premeretur. Hiringus vero votis lascivæ mulieris satisfaciens, svasit Erminfrido, Francis cedere non debere, super negotio regni justiorem causam se habere, latum præterea imperium, militum manus & arma cæterasque belli copias sibi à Theodorico parum procedere. Secundum hæc verba Erminfridus respondit legato, amicitiam quidem sui & propinqvitatem Theodorico non negare; mirari tamen non satis posse, quomodo usurpare vellet prius imperium quam libertatem: servum natum, & quomodo sui quæreret dominium? proprio servo non posse manus dare. Legatus contra hæc satis commotus, mallem, inquit, hoc caput meum tibi tradere, quam hujuscemodi verba à te audire, sciens ea multo sangvine Francorum atque Turingorum diluenda. Et hæc dicens reversus ad THIADERICUM, quæ audivit non celat. Thiadericus autem nimiam iram vultu celans sereno, oportet nos, inquit, ad servitium Erminfridi festinare, quatenus qui libertate privamur, inani saltem vita fruamur: Et cum gravi exercitu appropians terminis Turingorum, invenit cum valida quoque manu generum suum se expectantem in loco, qvi dicitur *Runibergum*, & commisso certamine pugnatum est ancipiti bello una die, & secunda: Tertia vero die victus Erminfridus cessit Thiaderico, & fugiens tandem se recepit cum reliquo comitatu in urbem, quæ dicitur *Schidingi*, sita super fluvium, qui dicitur *Unstrode*. Thiadericus autem congregatis ducibus ac militum principibus exercitus sui rogat sententiam, utrum nam censerent, Erminfridum persequendum, an in patriam remeandum. Inter quos Waldericus consultus, censeo, inquit, causa cæsos sepeliendi, vulneratos curandi, majorem exercitum congregandi patriam remeandum: neque enim arbitror, multis millibus tuorum amissis, sufficere nos posse ad peragendum præsens bellum. Si enim barbaræ nationes innumeræ in nos consurgant, multis nostrorum debilitatis, per quos vinces? Erat autem Thiaderico servus satis ingeniosus, cujus consilium expertus est sæpius probum, eique propterea quadam familiaritate conjunctus. Hic rogatus sententiam dare, in rebus, inquit, honestis pulcerrimam semper esse arbitror perseverantiam, quam ita coluerunt majores nostri, ut acceptis negotiis raro vel nunquam deficerent: nec tamen labores nostros eorum æquandos putaverim, qui parvis copiis ingentes gentium copias superavere. Nunc terra in nostra est potestate & discessione nostra victis occasionem vincendi præstabimus? Amplecterer & ipse patriam redire, familiarem necessitudinem videre, si hostem nostrum eo spatio scirem ocio vacare. Sed vulnerati nostri forsitan hac re indigent? Castrorum iste labor, impigris animis, reor, pro maxima voluptate est. Ergo cæsa multitudine exercitus est vehementer attenuatus; Hostes non omnes evasère, certè rarissimus: ipse namque Dux, ut quædam bestiola suo munitur latibu-

(h) Voluit dicere Theodericum Regem Ostrogothorum, qui Amalbergam filiam Amalfredæ germanæ suæ Thuringorum Regi consociavit Hermenfrido, ut habet Jornandes.

(i) Hic revera fuit filius Clodovæi.

(k) Hæc narratio vana est, neque enim Amalberga soror Theoderici fuit.

tibulo, urbis circumdatur claustro, nec ipsum cœlum secure audet inspicere, nostro cogente timore. Sed non desunt ei pecuniæ, quibus conducantur nationes barbaræ: non deest militum manus, licet lassa: quæ tamen omnia nostra absentia redintegrantur. Indecorum est victoribus victis vincendi locum dare. Num singulis urbibus ad ministranda sufficimus præsidia? Sed eas omnes perdimus, dum imus & redimus. Hæc eo prosequente placuit Thiaderico, omnibusque gloriæ victoriæ avidis, manere in castris, & mittere ad *Saxones*, qui jam olim erant Thuringis acerrimi hostes, quatenus ei essent auxilio: siquidem vincerent Erminfridum, urbemque caperent, terram eis in possessionem æternam traderet. Saxones nihil cunctati novem Duces cum singulis millibus militum destinare non dubitant. Et ingressi Duces in castra singuli cum centenis militibus, reliqua multitudine extra castra dimissa, salutant Thiadericum verbis pacificis. Quos cum Thiadericus hilarior suscepisset, dextris datis & acceptis, copiam viris fandi concessit. At illi, populus, ajunt, Saxonum tibi devotus & tuis parens imperiis, misit nos ad te: & ecce adsumus parati, ad omne quodcunque voluntas tibi suggesserit, parati, ut aut hostes tuos vincamus, aut si fortuna aliud jusserit, pro te moriamur: aliam enim caussam nullam Saxonibus esse scias, nisi vincere velle, aut certe vivere nolle: neque enim gratiam majorem amicis exhibere possumus, quam ut pro eis mortem contemnamus: & ut hoc experimento discas, omnino desideramus. Illis loquentibus, mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, & novum habitum, arma quoque & diffusos scapulas cæsarie, & supra omnia ingentem animi constantiam: nam vestiti erant sagis, & armati longis lanceis, & subnixi stabant parvis scutis, habentes *ad renes cultellos magnos*. Erant etiam, qui dicerent, tantis ac talibus amicis Francos non indigere: indomitum genus hominum fore: & si præsentem terram inhabitarent, eos procul dubio esse, qvi Francorum imperium quandoque destruerent. Thiadericus vero propriis utilitatibus consulens, suscepit in fide viros, demandans ut ad oppugnandam urbem præpararentur. Illi a rege regressi castra metati sunt ad meridianam plagam urbis in pratis fluvio contiguis: & postera die prima luce surgentes, sumptis armis oppugnant oppidum incenduntque. Capto oppido & incenso aciem ordinant ex adverso portæ orientalis. Clausi muris dum acies vident ordinatas, ac se in ultimis necessitatibus constitutos, audacter erumpunt portis, cæcoque furore irruunt in adversarios, & telis emissis, gladiis proinde res agitur. Cumque grave bellum oritetur, plures hinc, plures inde sternuntur: istis pro patria, pro uxoribus ac natis, postremo pro ipsa vita pugnantibus: Saxonibus vero pro gloria, & terra acquirenda certantibus. Attollitur clamor virorum invicem exhortantium, fragor armorum, & gemitus morientium: talique spectaculo tota dies illa trahitur. Cumque fierent cædes, ubique ululatus, & neutrum agmen loco cessisset, jam tardior hora prælium diremit. Eo die ex Thuringis multi interfecti, multi sauciati: de Saxonibus vero numerata sunt sex millia cæsa. Mittitur igitur Hiringus ab Erminfrido cum supplici legatione, & omnibus suis thesauris ad Thiadericum pro pace ac spontanea deditione. Et accedens Hiringus, hæc, ait, misit tibi quondam tuus propinquus, modo servus, ut si non sui miserearis, miseræ saltem sororis tuæ miserearis, nepotum quoque tuorum in ultima necessitate constitutorum. Dum hæc lacrymans dixisset, interpellatio Principum auro corruptorum adjecit, quia decens foret clementiæ regali, quo talem supplicationem non sperneret, communium quoque naturæ rerum non oblivisceretur, utiliusque esse eum in fide suscipere, quem jam superatum haberet, tamque contritum, ut nunquam se contra eum posset levare, quam illud genus hominum indomabile, & ad omnem laborem perdurabile, à quo nihil expectaret Francorum imperium, nisi solum periculum. In peracto quoque bello considerare posset, quam duri & insuperabiles existerent Saxones, ideoque melius esse, ut susceptis Thuringis, pariter eos ejicerent de finibus suis. His dictis, licet invitus, flectitur tamen Thiadericus, promisitque postera die generum suum se suscepturum Saxonesque abjecturum. His auditis, Hiringus vestigiis prosternitur Regis, laudavitque sententiam clementiæ imperialis, & misso ad Dominum optato nuncio lætum eum, omnemque urbem securiorem reddidit, mansitque in castris ipse, ne quid adversi nox ipsa moliretur. Interea urbe ex pace promissa securiore reddita, egressus est quidam cum accipitre victum quæritans supra litus fluvii supradicti. Emissa vero volucre, quidam ex Saxonibus in ulteriore ripa illico eam suscepit. Quo rogante ut remitteretur. Saxo e contra, dic, ut accipias, quod quæris. Reges, inquit, inter se pace facta decretum tenent, si cras inveniamini in castris, capiamini, aut certe occidamini. Ad hæc ille, serione hæc an ludo ais? Secunda hora, ait, sequentis diei probabit, quia vos oporteat sine ludis agere. Quapropter consulite vobis ipsis, & fuga salutem quærite. Saxo statim emittens accipitrem, sociis retulit, quæ audivit; illi satis commoti, non inveniebant in promptu, quid super hoc agere debuissent. Erat autem tunc in castris quidam jam senior, sed viridi senectute adhuc vigens, qui merito bonarum

virtutum pater patrum dicebatur, nomine *Hathagast*. Hic arripiens *signum*, quod apud eos habebatur *sacrum*, *leonis atque draconis*, *atque desuper aquilæ volantis insignitum effigie*, quo ostentaret fortitudinis atque prudentiæ, & earum rerum efficaciam, & motu corporis animi constantiam declarans, ait: hucusque inter optimos Saxones vixi, & ad hanc ferme ultinam senectutem ætas me perduxit, & nunquam Saxones meos fugere vidi: & quomodo nunc cogor agere, quod nunquam didici? Certare scio, fugere ignoro, nec valeo: si fata non sinunt ultra vivere, liceat saltem, quod mihi dulcissinum est, cum amicis occumbere. Exemplo mihi paternæ virtutes sunt, amicorum corpora circa nos prostrata, qui maluêre mori, quam vinci, impigras animas amittere, quam coram inimicis loco cedere. Sed quid necesse habeo exhortationem protrahere tantisper de contemtu mortis? Ecce ad secures ibimus: ad cædem tantum, non ad pugnam: nam de promissa pace, ac nostro gravi vulnere nihil suspicantur adversi: hodierno quoque prælio fatigati, quemadmodum sunt sine metu, sine vigiliis, & solita custodia manent. Irruere igitur super improvisos, ac somno sepultos, parum laboris est: sequimini me ducem, & hoc canum caput meum vobis trado, si non evenerit, quod dico. Illius igitur optimis verbis erecti quod supererat diei in reficiendis suis corporibus expendebant: deinde prima vigilia noctis, qua solet sopor gravior occupare mortales, dato signo, sumptis armis præcedente Duce, irruunt super muros, invenientesque sine vigiliis ac custodiis ingressi sunt urbem cum clamore valido. Quo excitati adversarii, alii fuga salutem quæsivere; alii per plateas & muros urbis ut ebrii erravêre; alii in Saxones, cives suos putantes incidere. Illi vero omnes perfectæ ætatis morti tradidêre, impuberes prædæ servavêre. Eratque nox illa plena clamoribus, cæde atque rapina, nullusque locus in omni urbe quietus, donec aurora rutilans surgit, & incruentam declarat victoriam. Cumque penes regem videlicet Erminfridum summa victoriæ esset, requisitus, cum uxore & filiis ac raro comitatu evasisse repertus est. Mane autem facto, ad orientalem portam ponunt *aquilam*, aramque victoriæ construentes, secundum errorem paternum sacra sua propria veneratione venerati sunt: nomine *Martem* effigie *columnarum* innitentes, Herculem loco Solis, quem Græci appellant Apollinem. Ex hoc æstimationem illorum apparet utcunque probabilem, qui Saxones originem duxisse putant de Græcis, quia *Hirmin*, vel *Hermes*, Græcis (a) Mars dicitur: quo vocabulo ad laudem vel ad vituperium, usque hodie etiam ignorantes utimur. Per triduum igitur dies victoriæ agentes, spolia hostium dividentes, exequias cæsorum celebrantes, laudibus ducem in cœlum attollunt, divinum ei animum inesse, cœlestemque virtutem acclamantes, qui sua constantia tantam eos egerit perficere victoriam. Acta sunt hæc autem omnia, ut majorum memoria prodit, *Kal. Octobris*, qui dies erroris religiosorum sanctione virorum mutati sunt in jejunia & orationes, oblationes quoque omnium nos præcedentium Christianorum. His itaque omnibus peractis reversi sunt ad Thiadericum in castra & ab eo suscepti, satisque laudati & in terra præsenti in æternam possessionem donati sunt. Socii quoqve Francorum & amici appellati urbem, cui ab igne ut propriis mœnibus pepercêre, primum incoluerunt. Qui autem finis regis secutus sit, qui memorabilis fama est, prodere non negligo. Missus denique Hiringus ad Thiadericum eo die, quo capta est civitas, proxima nocte susceptus ab eo, permansit in castris. Audito autem, quia elapsus esset Erminfridus, egit ut dolo revocaretur, & Hiringus eum interficeret, tanquam claris muneribus ab ipso donandus, ac magna potestate in regno honorandus; ipse vero Thiadericus cædis illius quasi alienus existeret. Quod cum Hiringus ægre suscepisset, falsis promissionibus corruptus cessit, seque parere voluntati illius confessus est. Revocatus itaque Erminfridus prosternitur vestigiis Thiaderici. Hiringus vero tanquam armiger regalis stans secus evaginato gladio prostratum Dominum trucidavit. Statimque ad eum ait rex: tali facinore omnibus mortalibus odiosus factus Dominum tuum interficiendo, viam habeto apertam à nobis discedendi, sortem vel partem tuæ nequitiæ nolumus habere. Merito, inquit, Hiringus, odiosus omnibus mortalibus factus sum, quia tuis parui dolis: antequam tamen exeam purgabo hoc scelus meum, vindicando Dominum meum: & ut evaginato gladio stetit ipsum quoque Thiadericum obtruncavit, sumensque corpus Domini super cadaver Thiaderici, ut vinceret saltem mortuus, qui vincebatur vivus, viamque ferro faciens discessit. Si qua fides his dictis adhibeatur, penes lectorem est. Mirari tamen non possumus, in tantum famam prævaluisse, ut *Hiringi* nomine, quem ita vocitant, lacteus *cœli circulus* (b) usque in præsens sit notatus. Saxones igitur possessa terra summa pace quieverunt, societate Francorum atque amicitia usi. Parte quoq; agrorum cum amicis aui-

(a) Imò Mercurius.

(b) Widikindus vocabulum soni vicini ad Hiringum applicuit. Credibile est ab *Heve* (cœlo) & *ring* Saxones viam lacteam dixisse *Heuring*.

auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsæ gentis tributis condemnavere: unde usque hodie *gens Saxonum triformi genere ac lege* (bb) *præter conditionem servilem*, dividitur. A tribus etiam principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in *Orientales* scilicet populos, *Angarios* atque *Westvalos*. Si autem universale bellum ingrueret, forte eligitur, cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac propria potestate unusquisque contentus vivebat. De legum vero varietate nostrum non est in hoc libello disserere, cum apud plures inveniatur *lex Saxonica* diligenter descripta. *Suevi* (c) vero *Transalbini* illam, quam incolunt, regionem, eo tempore invaserunt, qvo *Saxones cum Longobardis Italiam adiere*, ut eorum (d) narrat historia, & ideo *aliis legibus*, quam Saxones utuntur. Igitur Saxones variam fidem Francorum experti, de quibus nobis non est dicendum, cum in eorum gestis inveniatur scriptum, paterno errore obligati usque ad tempora Caroli magni perdurabant. Magnus vero Carolus, cum esset regum fortissimus, non minori sapientia vigilabat. Enim vero considerabat, quia suis temporibus omni mortali prudentior erat, finitimam gentem nobilemque vano errore retineri non oportere, modis omnibus satagebat, quatenus ad veram viam duceretur, & nunc blanda suasione, nunc bellorum impetu ad id cogebat, tandemque trigesimo imperii sui anno obtinuit: imperator quippe ex rege creatus est, quod multis temporibus elaborando non defecit. Ob id qui olim socii & amici erant Francorum, jam fratres & quasi una gens ex Christiana fide, veluti modo videmus, facta est. Ultimus vero Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothowicus ex Arnulfo fratruele Caroli, hujus Lotharii regis proavi, natus erat. Quicum accepisset uxorem nomine *Liudgardam*, *Sororem Brunonis* ac *magni Ducis Ottonis*, non multis post hæc vixerat annis. Horum pater erat *Luidolfus*, qui Romam profectus transtulit reliquias beati Innocentii Papæ. Ex quibus *Bruno* cum Ducatum administraret totius Saxoniæ, duxit exercitum contra Danos, & inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi, periit cum omni exercitu, fratri natu quidem minori, sed omni virtute multo potiori, relinquens Ducatum &c.

41. Ex Adami Bremensis Hist. Libr. I.

Historiam Hamburgensis Ecclesiæ scripturi, quoniam HAMMABURG *nobilissima quondam Saxonum civitas* erat, non indecens aut vacuum fore putamus, si prius *de gente Saxonum* & natura ejusdem provinciæ ponemus ea, quæ doctissimus vir *Einhardus, aliique non obscuri auctores in scriptis suis* reliquerunt. *Saxonia*, inquiunt, pars non modica est Germaniæ, & ejus quæ à Francis incolitur duplum in lato putatur habere, cum ei longitudine possit esse consimilis. Positio ejus recte metientibus trigona videtur, ita ut primus angulus in Austrum porrigatur, usque ad *Rhenum* flumen. Secundus vero inchoans à maritimis *Hadeloe* (a) regionis, longo secus *Albiam* limite protenditur in Orientem usque ad *Salam* fluvium. Ibi est angulus tertius. Itaque ab angulo in angulum habens iter octo dierum, præter eam partem Saxoniæ, quæ trans Albiam supra incolitur à *Sorabis*, infra autem à *Nordalbingis*. Saxonia viris, armis & frugibus inclyta, excepto, quod raris intumescit collibus. Tota vero declivis in planiciem consideratur, sola caret vini dulcedine, alia omnia fert usui necessaria. Ager ubique fertilis, compascuus & sylvestris. Qva Thuringiam accedit, aut Salam vel Rhenum fluvios, ibi prorsus opimus. Cæterum juxta Fresiam palustris & aridus: prope Albiam degenerat aliquantum. Jocunda ubique, nec mirum, cum oportuna provinciam riget amnium copia.

Nobilissimi Saxoniæ fluvii sunt *Albis, Sala, Wisura*, qui & *Wirraha* nuncupatur. Is in Thuringiæ saltu fontem habet, quemadmodum & Sala: deinde mediam cursu pertransiens Saxoniam, in vicino Fresonum sortitur occasum. Verum maximus Albis, qui nunc Albia nomen habet, etiam Romanorum testimonio prædicatur, cujus ortum ferunt trans Bohemiam; mox Slavos dirimit à Saxonibus. Juxta Magdeburg (b) in se recipit Salam fluvium, nec longe ab Hammeburg ipse Albia mergitur in Oceanum. Qvartus ex magnis Saxoniæ fluminibus est *Emisa*, qui Westvalos à reliquis illius provinciæ dirimit populis (c). Isque oritur in saltu *Padarburnensi*; currit autem per medios Fresonum terminos in Oceanum Britannicum.

(bb) Adelingi (id est, Reguli), ingenui, libertini.
(c) Non Suevi his temporibus, sed Slavi trans Albim.
(d) Longobardorum.

(a) Ibi Saxones primum appulêre apud Witikindum.
(b) Sed paulo superius.
(c) id est ab Angrariis.

Quærentibus autem, qui mortales ab initio Saxoniam coluerunt, vel à quibus gens hæc primo finibus sit egressa, compertum est nobis ex multa lectione Veterum, istam gentem, sicut omnes fere populos, qui in orbe sunt, occulto Dei judicio non semel de regno ad populum alterum fuisse translatos, & ex nomine victorum provincias quoque vocabula sortitas. Quippe, si Romanis credendum est Scriptoribus, primo circa Albiam, & in reliqua Germania *Svevi* habitarunt, quorum confines erant, qui dicuntur *Driades* (cc), *Bardi*, *Sicambri*, *Huni*, *Wandali Sarmatæ*, *Langobardi*, *Heruli*, *Dacæ*, *Marcomanni*, *Gothi*, *Nordmanni* & *Slavi*. Qvi propter inopiam soli natalis, contentionesque domesticas, aut sicut dicitur, minuendæ multitudinis causa à loco suo egressi, totam simul Europam inundaverunt & Africam. *De antiquitate* vero *Saxonum* meminit *Orosius* & *Gregorius* ita: Saxonum, inquiunt, gens ferocissima, virtute, & agilitate terribilis in Oceani littore habitat, inviis inaccessa paludibus, quæ periculosam tunc Romanis finibus irruptionem meditans, à Valentiniano Imperatore oppressa est. Deinde cum occuparent Gallias Saxones, à *Sagrio* (d) duce Romanorum victi sunt, & insulæ eorum captæ. Igitur Saxones primo circa Rhenum sedes habebant & vocati sunt *Angli* (dd), quorum pars inde veniens in Britanniam, Romanos ab illa depulit insula: Altera pars Thuringiam oppugnans tenuit eam regionem. Qvod breviter conscribens *Einhardus*, tali modo suam ingreditur historiam:

Saxonum gens, inquit, sicut tradit antiquitas, ab Anglis Britanniæ incolis egressa (e), per Oceanum navigans, Germaniæ littoribus studio & necessitate quærendarum sedium appulsa est, in loco qui vocatur *Hatheloe*. Eo tempore quo Thidericus rex Francorum contra Hirminfridum Ducem Thuringorum generum suum dimicans terram eorum crudeliter ferro vastavit & igne, & cum jam duobus præliis ancipiti pugna incertaque victoria mirabili cæde suorum decertassent, Theodoricus spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum *Dux* erat *Hadugatus* (f), ut audivit causam adventus eorum, pollicitisque pro victoria cohabitandi sedibus, conduxit eos in adjutorium. Quibus secum quasi jam pro libertate & patria fortiter dimicantibus, superavit adversarios vastatisque indigenis, & ad internecionem pene deletis, terram eorum, juxta pollicitationem suam, victoribus delegavit. Qui eam sorte dividentes, cum multi ex eis in bello cecidissent, & pro raritate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius, eam maxime, quæ respicit orientem, colonis tradebant, singulis, pro sua sorte, sub tributo exercendam. Cætera vero loca ipsi possederunt. A meridie quidem Francos habentes, & partem Thuringorum, quos præcedens hostilis turbo non tetigit, alveoque fluminis *Unstrote* (g) dirimuntur. A septentrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas; ab ortu Solis Obotritos; & ab occasu Frisos, à quibus sine intermissione vel fœdere vel concertatione necessaria finium suorum spatia tuebantur. Erant enim inquieti nimis, & finitimorum sedibus infesti; domi vero pacati, & civium utilitatibus placida benignitate consulentes. Generis quoque ac nobilitatis suæ providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam & sinceram, tantumque sibi similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, sicut in tanto numero hominum, idem pene omnibus. Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, *nobilium* scilicet, & *liberorum*, *libertorumque* atque *servorum*. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ sortis terminos transferat; sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus conjungatur libertæ, & servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat. Legibus etiam ad vindictam male factorum optimis utebantur. Et multa utilia atque secundum legem naturæ honesta, in morum probitate studuerunt habere; quæ eis ad veram beatitudinem promerendam proficere potuissent, si ignorantiam Creatoris sui non haberent, & a veritate culturæ illius non essent alieni. Coluerunt enim eos, qui natura non erant Dii, inter quos præcipue *Mercurium* (h) venerabantur, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare consveverant. *Deos suos neque templis includere, neque ulla humani oris specie assimulare, ex magnitudine & dignitate cœlestium arbitrati sunt. Lucos & nemora consecrantes, deorumque nominibus appellantes*, secretum illud sola reverentia contemplabantur (i). *Auspicia* & *sortes* quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex

(cc) An Harudes intelligit ex Cæsare Suevis vicinos?

(d) Syagrio.

(dd) hic Angli videntur confundi cum Werinis vel cum aliis Saxonibus.

(e) Erroneum hoc, nam à Germanico potius litore in Britanniam transiere.

(f) hæc paulo aliter in Witikindo.

(g) Ab Unstruta versus Albim septentrionalis Thuringia in Saxoniæ nomen cessit, mansit tamen in diplomatibus Nort thuringau.

(h) Wodan an Irmin?

(i) Hic multa Saxonibus applicantur, quæ Tacitus habet de Germanis in universum.

plex erat, *virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox si publica fuit consultatio, Sacerdos populi, si privata, ipse pater familias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tulit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatus est.* Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio; si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur. *Avium voces & volatus* interrogare proprium erat illius gentis. *Equorum* quoque *præsagia* ac *motus experiri, hinnitusque* ac *fremitus observare.* Nec ulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed etiam apud proceres habebatur. Erat & alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorare solebant. Ejus quippe gentis, cum qua bellandum fuit, *captivum* quoquo modo interceptum, *cum electo popularium suorum patriis quemque armis committere, & victoriam hujus vel illius pro judicio habere.* Quomodo autem *certis diebus* cum aut *inchoatur luna,* aut *impletur, agendis rebus auspicatissimum initium crediderunt*, aliaque innumerabilia vanarum superstitionum genera, quibus impliciti sunt, observaverint, prætereo. Hæc vero ideo commemoravi, qvod prudens lector agnoscat, à quantis errorum tenebris, per Dei gratiam & misericordiam sint liberati, qvando eos ad cognitionem sui nominis lumine veræ fidei perducere dignatus est.

Erant enim, sicut omnes fere Germaniam incolentes, & natura feroces & cultui dæmonum dediti, veræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Nam & *frondosis arboribus, fontibusque venerationem exhibebant. Truncum* quoque *ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum sub Dio locabant*, patria eum lingva IRMINSVL appellantes, qvod latine dicitur *universalis columna* (k), quasi sustinens omnia. Hæc tulimus excerpta ex scriptis *Einhardi, de adventu, moribus & superstitione Saxonum*, quam adhuc *Slavi* & *Sueones* ritu paganico servare videntur.

II.
Lex Saxonum.
Capitula Legis Saxonum.

Incipit
Lex Saxonum.
Caput I. De Vulneribus.

De ictu nobilis solid. XXX. vel si negat, tertia manu juret.
II. Livor & tumor sol. IX. vel sexta manu juret.
III. Si sangvinat, sol. CCXX. vel cum XII. juret.

(k) *Irmin-Sul* interpretatur quasi Idermans-Sul, sed rectius derivatur vox ab *Irmin* Deo vel Heroë.

IV. Si os (*) paruerit, sol. CLXXX. vel cum XII. juret.

V. Si os fregerit, vel *Wltavam* (**) fecerit corpus; vel coxam, vel brachium perforaverit, sol. CCXL. culp. jud. (***) vel cum XII. juret.

VI. Si gladio vestem, seu scutum alterius inciderit, sol. XXXVI. componat, vel tertia manu juret.

VII. Si per capillos alium comprehenderit, sol. CXX. componat, vel cum XII. manu juret.

VIII. Quicunque gladio stricto super alium cucurrerit, & retentus ab alio fuerit, XII. sol. componat vel in manu liti sui vel in armata juret.

IX. Si quis alium de ponte, vel navi, vel ripa in flumen impinxerit, & ille evaserit, sol. XXXVI. componat, vel tertia manu juret.

X. Si comprehenderit, & ita in aquam projecerit, sol. CXX. componat, vel cum XII. juret.

XI. Qui oculum unum excusserit, sol. DCCXX. componat: qui ambos, sol. ICCCCXL. Similiter de una aure vel ambabus, si surdus efficitur. Similiter de naso, si abscissus fuerit, sol. DCCXX. componat. Similiter de manibus & de pedibus. Testiculos, si unus abscissus fuerit, DCCXX. sol. si ambo, ICCCCXL. solid. componat.

XII. Si auricula, vel oculus, vel nasus, vel manus, vel pes, ita percussa manca loco remanserint, vel pependerint; medietatem supradictæ compositionis exsolvat. Si movere ipsum membrum possit, quartam partem componat.

XIII. Pollex totus abscissus, CCXL. solid. componatur: si dimidius CLXX. componatur. Si minimus totus, CCXL. sol. componatur. Si unum digiti membrum, LXXX. si duo membra, CXI. si totum, ut supra. Si index, CLXXX. & per singula membra, tertia pars totius mulctæ componatur. Medius & Medicus, uterque sol. CXX. componatur, & membra eorum, ut de ceteris dictum est. Pollex pedis medietate pollicis manus componatur. Tres articuli medii, medietate compositionis medii, & medici digitorum componantur. Minimus articulus medietate unius de tribus articulis componatur.

II. *De Occisionibus.*

I. Qvi nobilem occiderit, ICCCCXL. sol. componat. *Ruoda* (a) qvod dicitur apud Saxones, CXX. sol. & *interpremium*. CXX. sol.

II. Qvidqvid de superioribus factis in fœminam committitur, si virgo fuerit, dupliciter componatur, si jam enixa, simpliciter componatur.

III. Litus occisus CXX. sol. componatur. Mulcta vero vulnerum eius per omnia duodecima parte minor, qvam nobilis hominis solvatur, aut solido maiori (b): vel si negaverit, sua manu XII. juret. Si in turba vel seditione fuerit occisus, componatur ab eo, cui mors eius imputatur, vel Sacramento XII. hominum negetur.

IV. Si servus à nobili occisus, XXX. sol. componatur, vel tribus juratoribus negetur: si à liberto vel lito, pleno sacramento negetur.

V. Litus si per jussum vel consilium domini sui hominem occiderit, ut puta nobilem, dominus compositionem persolvat, vel *faydam* portet. Si autem absque conscientia domini hoc fecerit, dimittatur à domino, & vindicetur in illo, & aliis septem de consangvineis eius ad propinquos occisi; & dominus liti se in hoc conscium non esse, cum XII. juret.

VI. Si *mordrum* (d) totum quis fecerit, componatur primo in simplo, juxta conditionem suam. Cuius mulctæ pars tertia à proximis eius, qui facinus perpetravit, componenda est: duæ

(*) *paruerit*, corruptum.

(**) Hic quoque corruptum est aliquid. Infra *Vultiva* in lege Anglorum.

(***) F. *componat judicio*.

(a) Conferatur lex Anglorum, quæ etiam distingvit eum, qui Adelingum & qui liberum occidit. Nam videtur *Ruoda* nobili opponi; *Nobili*, inquam, non hodierno sensu, sed antiquo, cum Regulum seu primorem populi significaret. *Ruoda* autem est gentilis, seu liber sive familiam habens, ingenuus, *Geschlechter*, Polonis *schlachtiz*, ex nostro. De tali homine libero infra artic. 16. Nam *Ruode* est genus, stirps, race, radix. *Aus rotten*, eradicare, extirpare. Nec dubium est, radicem, ῥίζαν, ruode ex eodem esse Celtico fonte. Et cum non sit verisimile CXX. sol. bis occurrere, suspicor legendum: *qui -- occiderit -- Ruoda, quod dicitur apud Saxones, id est, ingenuum* (det) -- sol. nam *interpremium* nihil est. Puto autem summam scriptam majorem quam CXX. quia infra in liti mortem CXX. solidi constituuntur, & ex majore summa per errorem librarii divulsa bis prodiisse CXX. sol. Postea ut *nobilis*, ita & *ruoda* appellatio descendit ac degeneravit, nam ut postea nobilis dictus est, quicunque ex militari genere fuit prognatus, ita *ruode* (roturier) ei oppositus attributum est hominibus de ima plebe, unde *rotte* collectio peditum, aliquando & colluvies hominum seditiosorum.

(b) puto legendum: *solido minore*.

(c) Id est proscriptionem, seu, ut posteriores locuti sunt, banni pœnam, *faida* est hostilitas (hodieque (*fehde*), *faidam portat*, seu *faidosus* est, qui hostis judicatur. Nempe qui scelus commiserat, aut pœnam subibat, aut si vel non posset satisfacere, vel nollet, extorris fiebat.

(d) *mordrum*, meurtre, improbius homicidium.

duæ verò partes ab illo, & insuper octies ab eo componatur. Et ille ac filii eius soli sint *faydosi*.

VII. Si nobilis nobilem extra solum vendiderit, & reducere non potuerit, componat eum ac si occidisset: si vero reduxerit eum, emendet ei juxta qvod placitare potuerit. Si autem ille sua sponte reversus fuerit, medietatem *Weregeldi* (e) eius componat. De muliere similiter.

VIII. Qvi in Ecclesia hominem occiderit, vel aliquid furaverit, vel eam effregerit, vel sciens periuraverit, si infra patriam non fuerit, in qualicunque loco fuerit, secundum illorum legem. Et qui nesciens periuraverit, manum suam redimat auctor Sacramenti.

IX. Qui homini ad Ecclesiam vel de Ecclesia pergenti die festo, id est, dominica Paschæ, Pentecostæ, Natali Domini, sanctæ Mariæ, sancti Joannis baptistæ, sancti Petri, sancti Martini insidias posuerit, eumque occiderit, capite puniatur, si infra patriam fuerit. Sin autem in quali loco, secundum capite puniatur, si infra patriam fuerit. Sin autem in qvali loco, secundum illorum legem. Si non occiderit, tamen insidias fecerit, bannum solvat de reliquis.

III. De Conjuratione & læsa Dominatione.

Qui in regnum vel in Regem Francorum, vel in filios eius de morte consiliatus fuerit, capite puniatur.

II. Qui dominum suum occiderit, capite puniatur.

III. Qui filium Domini sui occiderit, vel filiam, aut uxorem, aut matrem stupraverit, juxta voluntatem Domini occidatur.

IV. Qui hominem propter faydam in propria domo occiderit, capite pun.

V. Capitis damnatus nusquam habeat pacem: si in Ecclesia confugerit, reddatur.

IV. De Furtis.

Qui caballum furaverit. Capite puniatur (f).

II. Qui alvearium apum infra sepem alterius furaverit, capite puniatur: si extra sepem furatum, novies componendum est.

III. Qui nocte domum alterius effodiens vel effringens intraverit, & duorum solidorum pretium abstulerit, capite puniatur: si ibi occisus fuerit, non solvatur.

IV. Qui infra *Screonam* (g) aliqvid furaverit, capite puniatur.

V. Qvi bovem quadrimum, qui duos solidos valet, nocte furto abstulerit, capite puniatur.

VI. Qvi in re qvalicunque, vel interdiu vel noctu trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur (h).

VII. Quidquid vel in uno denario, minus tribus solidis, quislibet furto abstulerit, novies componat qvod abstulerit, & pro *fredo* (i) si nobilis fuerit XII. si libera VI. comp. De hac re qvod superius dictum est de furto, qui infra patriam furaverit aliquid, unde mori debeat, si fortis (k) patria hoc fecerit, non moriatur, sed secundum illorum legem (l) ubi factum fuerit componat.

V. De Vi & Incendiis.

Qvi homini in hoste vel de hoste ad palatium, vel de palatio pergenti malum aliquod fecerit, componat in triplo.

II. Qvi domum alterius vel noctu vel interdiu suo tantum consilio volens incenderit, capite puniatur.

III. Qvi alteri dolose per Sacramentum res proprias tollere vult, duobus aut tribus de eadem provincia idoneis testibus vincatur; & si plures fuerint, melius est.

VI. De Conjugiis.

Uxorem ducturus CCC. solidos det parentibus ejus: si autem sine voluntate parentum, puella tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos parentibus ejus componat. Si vero nec parentes nec puella consenserunt, id est, si per vim Rapta est, parentibus ejus trecentos solidos, puellæ CCXL. componat eamque parentibus restituat. VII. De

(e) *Weregeldum* ex posterioribus Saxonum legibus notum est.

(f) Quid incongruum magis, quam caballi furtum capite puniri, nobilissimi viri cædem pecunia lui? Eant nunc & veteres Germanorum leges revocent in usum viri docti, explosis Romanis, hoc est, à fruge ad glandes revertantur. Cæterum in vita Ludgeri exemplum habemus hominis morti destinati, quod Witikindi Saxonum ducis equos esset furatus.

(g) *Screona*, scrinium puto seu arca clausa. Hodieque Germanis furtum cum effractione capitale est.

(h) His cognata etiam nunc per Germaniam ex Caroli V. criminali constitutione servantur.

(i) *Fredum*, pax, satisfactio.

(k) Foris.

(l) Nempe apud alios populos Germanicos, qvorum leges habemus, tam graviter non puniebatur furtum, ne apud Verinos quidem vel Anglos. Et hinc esse puto, quod Wippo crudelissimam Saxonum legem appellat.

VII. De Heredibus & Viduis.

Pater aut mater defuncti filio non filiæ hereditatem relinquant.

II. Qvi mortuus viduam reliquerit, tutelam ejus filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat: si is forte defuerit, qui frater est defuncti: si frater non fuerit, proximus paterni generis vel ejus consangvineus.

III. Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis eius, consentientibus ad hoc propinquis eius. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos eius, & eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori eius, si forte aliquid dicere velit, dare possit, hoc est, solid. CCC.

IV. Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat, tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis deputetur.

V. Si vidua filiam habens nupserit, filiumque genuerit, tutela filiæ ad filium, quem tunc genuerat, pertineat: si autem filium habens nupserit, filiamque genuerit, tutela filiæ non ad filium prius genitum, sed ad fratrem patris vel ad proximum eius pertineat.

VI. Qui filium aut filiam habuerit, & filius uxore ducta filium genuerit, & mortuus fuerit, hereditas patris ad filium filii, id est, ad nepotem, non ad filiam pertineat.

VII. De Dote.

Dotis ratio duplex est. *Ostfalai* & *Angrarii* volunt, si fœmina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivit, filiisque dimittat. Si verò filii matre superstite moriantur, ipsaque post obierit, dotem proximi ejus in hereditatem accipiant. Si autem filios non habuerit, sicque diem obierit, dos ad dantem, si vivit, revertatur: si defunctus est, ad proximos heredes ejus. Apud *Vestfalaos* postquam mulier filios genuerit, ad dies suos dotem possideat: post decessum eius dos ad dantem, vel si deest, ad proximos heredes eius revertatur.

VIII. De Adquisitis.

De eo quod vir & mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat, hoc apud *Vestfalaos*: apud *Ostfalaos & Angrarios* nihil accipiat, sed contenta sit dote sua.

IX. De Raptu Mulierum.

Qui fœminam ab alio desponsatam rapuerit, CCC. patri puellæ, CCC. sponso componat, & insuper CCC. sol. emat eam: & si cum matre euntem in via rapuerit, etiam & matri CCC. sol. componat.

X. De Delictis Servorum.

Quidquid servus aut litus jubente domino perpetraverit, dominus emendet.

II. Si servus scelus quodlibet nesciente domino commiserit, utputa homicidium, furtum, Dominus ejus pro illo juxta qualitatem facti mulctam comp.

III. Si servus perpetrato facinore fugerit, ita ut à domino ulterius inveniri non possit, nihil solvat. Si domino factum servi imputetur, qvasi consentiret sua, XII. manu (m) jurando se purificet.

IV. Si servus iterum à domino receptus fuerit, mulctam pro illo comp.

XI. De Damno casu inlato.

Si arbor ab alio præcisa casu quemlibet oppresserit, componatur mulcta pleno *Weregeldo*, à quo arbor præcisa est.

II. Si arbor accensa ceciderit, hominemque oppresserit, à mane usque ad mane, vel à vespera usque ad vesperam, ex quo ignis accensus est, si infra hoc tempus cadens hominem oppresserit, ab eo qui incendit arborem, componatur: si post, nihil solvatur.

III. Qui laqueum fossamve ad feras capiendas fecerit, & hæc damnum cuilibet fecerint, qui eas fecit, mulctam solvat.

XII. De Animali quod damnum dat.

Si animal qvodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo cujus esse constiterit, componatur, excepta *faydâ*.

II. Si fossa vel laqueus ad feras capiendas præparata damnum qvodlibet fecerint, à quo parata sunt, componatur.

III. Si ferrum manu elapsum hominem percusserit, ab eo cuius manum fugerat, componatur, excepta fayda.

XIII. De

(m) Selb-Zwölfte.

XIII. *De eo qui animal læserit.*

Qui in foſſam vel ſudem acutam, vel alienam ſepem, pecus quodlibet agitaverit, ibique confixum, vel cadens perierit, mulctam componat.

XIV. *De Traditionibus.*

Traditiones & venditiones omnes legitimæ, ſtabiles permaneant.

II. Nulli liceat traditionem hereditatis ſuæ facere, præter ad Eccleſiam vel Regi: nec heredem ſuum exheredem faciat, niſi forte famis neceſſitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, ſuſtentetur. Mancipia liceat illi dare ac vendere.

XV. *De terra aliena invaſa.*

Qui terram ſuam occupatam ab altero dixerit, adhibitis idoneis teſtibus probet eam ſuam fuiſſe; ſi occupator contradixerit, campo dijudicetur. Si occupator ſibi recrediderit, reddat hoc quod occupavit, non amplius.

XVI. *De Exulibus.*

Liber Homo, qui ſub tutela nobilis cujuslibet erat, qui jam in exilium miſſus eſt, ſi hereditatem ſuam neceſſitate coactus vendere voluerit, offerat eam primum proximo ſuo; ſi ille eam emere noluerit, offerat tutori ſuo, vel ei qui tunc a Rege ſuper ipſas res conſtitutus eſt, ſi nec ille voluerit, vendat eam cuicunque voluerit.

XVII. *De Conjugio.*

Lito Regis liceat uxorem emere ubicunque voluerit, ſed non liceat ullam fœminam vendere.

XVIII. *De Solidis.*

Solidus eſt duplex, unus habet duos tremiſſes, qui eſt bos anniculus XII. menſium, vel ovis cum agno: alter ſolidus tres tremiſſes, id eſt, bos XVI. menſium. Majori ſolido aliæ compoſitiones, minori homicidia componuntur. VVeſtfalajorum & Angrariorum & Oſtfalajorum ſolidus eſt, ſecalis ſceffila XXX. ordei XL. (*) avenæ LX. Apud utroſque (**) duo ſi de mallis ſol. quadrimus bos duo ſolidi: duo boves, quibus arari poteſt, quinque ſol. bos bonus tres ſolidi. Vacca cum vitulo, ſolidi duo & ſemis.

Explicit Lex Saxonum.

III. Lex Angliorum & Werinorum.

Capitula *Legis Angliorum & VVerinorum.*

(*) Leg. XL. (**) corruptum.

Expliciunt Capitula.

Incipit Lex Angliorum (a) & Werinorum, hoc est (b), Thuringorum.

Titulus I. de Homicidiis.

SI quis Adalingum occiderit, DC. sol. componat.

II. Qui Liberum occiderit, CC. sol. componat. (c)

III. Et de utroque si negaverit, cum XII. juret, aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem causa pertinet.

IV. Qui servum occiderit, XXX. solid. componat, aut si negaverit, cum V. juret.

II. De ictu læsis.

Qui Adalingum ictu percusserit, XXX. sol. componat, aut cum V. juret.

II. Qui Liberum, X. solid. componat, aut cum quinque juret.

III. De vulneribus.

Sanguinis effusio Adalingi XXX. sol. componatur, aut cum sex hominum sacramento negetur.

II. Liberi hominis, X. sol. aut sex hominum sacramento negetur.

IV. De fractura ossium.

Os fractum Adalingo XC. sol. componatur, aut XII. hominum sacramento negetur.

II. Libero XXX. solidis componatur, aut sex hominum sacramento negetur.

V. de transpunctione & membris læsis.

Corpus transpunctum similiter.

II. Coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio.

III. Oculus unus vel ambo excussi Adalingo, CCC. sol. componantur; Libero C. solidis; aut si negat, XII. hominum sacramento negetur.

IV. Nasus abscissus, similiter. Auris similiter. Lingua similiter.

V. Manus vel pes abscissus, similiter: aut si mancapependerint, medietas componatur.

VI. Qui Adalingo unum vel ambos testiculos excusserit, CCC. sol. componat. Si Libero, C. sol. componat, vel juret ut superius.

VII. Si *vectem* (d) similiter.

VIII. Qui pollicem absciderit, XXXIII. solid. & tremissem componat. Si indicem & impudicum, similiter. Si medicum & minimum, similiter.

IX. Articulus pedis abscissus ut os fractum componatur.

X. Vultivam (e) L. solid. componat, vel cum sex juret.

XI. Qui alium percusserit, ut surdus fiat, Adalingo CCC. solid. componat; Libero C. sol. componat, vel cum XI. juret.

Hæc

(a) Mirum Anglos & Werinos conjungi. Equidem Taciti temporibus vicini erant trans Albim, sed postea Werini cis Albim, Angli trans mare profecti sunt.

(b) Werinos ad mare pertigisse ex Procopio discimus. Idem Widikindus refert de Thuringis antequam à Saxonibus invaderentur. Itaque credibile est, Werinos habitos pro parte Thuringorum, & habitasse in regione Cauchorum.

(c) Conferatur initium Legis Saxonum, ubi etiam distinguitur homicidium nobilis & homicidium liberi, qui *ruoda* appellatur.

(d) Hinc vocabulum Gallicum.

(e) Vultava in lege Saxonum.

Hæc Judicia Wlemarus dictavit.

XII. Si contra stomachum vulnus factum erit, & claudi non potuerit, XII. sol. pro ipsa apertione componat.

XIII. Si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem sol. componat, quot pro ipso vulnere composuit.

XIV. Si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint, similiter faciat, id est, totidem solid. apertionem vulnerum componat, quot pro ipsis vulneribus composuit.

XV. Si utraque coxa ferro vel quolibet telo trajecta fuerint, VI. solid. componat.

XVI. Si folliculus testiculorum cum coxa, IX. sol. componat.

XVII. Si utraque coxa cum testiculis fuerint perforata, XV. sol. comp.

XVIII. Si quis alium in facie percusserit, ut oculus vel os torqueatur, IIII. solid. componat.

XIX. Si quis alium in brachio vel in cruce percusserit, ut ipsa membra decrescant, & ita fuerit subtilitatum, ut duos digitos minuatur, IIII. solid. componat: si unum, II. solid. si digitus dimidius, solid. si sexta pars digiti est, unum tremissem.

XX. Qui *harpatorem* (f), qui cum circulo harpare potest, in manum percusserit, componat illum quarta parte majori compositione, quam alteri ejusdem conditionis homini. Aurifices similiter. Fœminas *fresum* (g) facientes similiter.

VI. De Alodibus.

HEREDITATEM DEFUNCTI FILIUS, NON FILIA SUSCIPIAT. SI FILIUM NON HABUIT QUI DEFUNCTUS EST, AD FILIAM PECUNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMUM PATERNÆ GENERATIONIS CONSANGUINEUM PERTINEAT.

II. Si autem nec filiam habuit, soror ejus pecuniam & mancipia: terram proximus paternæ generationis accipiat.

III. Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed matrem tantum superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est, pecuniam & mancipia.

IV. Quod si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus qui fuerit paternæ generationis, heres ex toto succedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.

V. Ad quemcunque hereditas terræ pervenerit, ad illum vestis bellica, id est, lorica, & ultio proximi, & solutio leudis, debet pertinere.

VI. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ verò spolia colli, id est, murenas, muscas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

VII. Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem verò habuerit, sorori pecuniam & mancipia, proximo verò paterni generis terram relinquat.

VIII. Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, & tunc demum hereditas *ad fusum* (h) *à lancea* transeat.

VII. De Furtis.

Qui gregem equarum in parco furatus fuerit, in triplum componat. Si autem foris gregem commovit, quot equæ fuerunt, tot capita in commotionis mulctam componat, & quot abstulit, tot in triplum componat. Hoc de cervo, bove, vacca, ove, porco, judicatum est.

II. Qui scrofas sex cum verre, quod dicunt son, furatus est, in triplum componat, & delaturam sol. VII. & in freda totidem.

III. Qui ornamenta muliebria, quod *rhedo* (i) dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam sol. XII. & in freda similiter.

 IV. Ho-

(f) Citharoedum. Vel potius qui cum circulo, id est, arcu fides tangit.

(g) Lanificii genus.

(h) Fusum Germanis *Spindel*, Spille, hinc in posteriore Saxonum jure *Spil-Magen* cognati per fœminas.

(i) Rhedo, seu *räte*, *geräte*, jure Saxonico *gerada*.

IV. Homo in furto occisus, non solvatur: sed si proximus ejus dixerit innocentem occisum, campo eum comprobet innocentem, vel XII. hominum sacramento, furem credi justè occisum.

V. Qui hominem liberum infra patriam vendiderit, solvat eum quasi occisum, & in fredam solid. XII. Qui liberum extra solum vendiderit, solvat eum similiter, & in fredam sol. LX. Similiter de fœmina.

VI. Qui liberum ligaverit, X. sol. componat. Qui Adalingum XXX. sol. si negat, cum XII. juret, aut campo decernat.

VII. In omni re furto ablata, si is cui res componenda est, dixerit capitale pejus esse, quam quod ablatum est, juret de debito solus, pejus non esse quod offert, illo quod abstulit, & ita solvat secundum legem.

VIII. De Incendio.

Qui Domum alterius noctu incenderit, damnum triplo sarciat, & in fredo solid. LX. aut si negat, cum undecim (k), juret, aut campo decernat.

IX. De Liberto occiso.

Servus à Domino per manumissionem libertate donatus, si occisus fuerit, LXXX. sol. componat, vel quidquid ei solvi debeat, medietas compositionis liberi hominis solvatur.

X. De Vi.

Qui liberam fœminam rapuerit, reddat eam cum solid. CC. & quidquid cum ea tulit, restituat, addens ad unamquamque rem sol. X.

II. Si libera fœmina, sine voluntate patris, aut tutoris, cuilibet nupserit, perdat omnem substantiam quam habuit, vel habere debuit.

III. Qui fœminam nobilem virginem, nondum parientem, occiderit, DC. solid. componat: si pariens erit, ter DC. solid. si jam parere desiit, DC. solid.

IV. Qui liberam non parientem occiderit, bis LXXX. & VI. solid. & duos tremisses componat: si pariens est, DC. solid. si jam desiit, CC. solid. componat.

V. Si servus liberam fœminam rapuerit, Dominus compositionem solvat, ac si occisa fuisset.

VI. Similiter de viduæ raptu, vel interfectione, judicatum est.

VII. Qui alterum intra septa propria occiderit, in triplum componat, vel quidquid damni ibi commiserit, tripliciter emendet.

VIII. Qui nolens, sed casu quolibet, hominem vulneraverit, vel occiderit, compositionem legitinam solvat.

IX. Qui Domum alterius collecta manu hostiliter circumdederit, trium primorum qui fuerint, unusquisque solid. LX. componat, & rei similiter. De ceteris, qui eos secuti sunt, solid. X. unusquisque, & in bannum Regis solid. LX.

XI. Si Quadrupes damnum fecerit.

Si quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni vel compositionem solvat, vel sacramentum juret.

XII. De minoribus causis.

Quidquid homo alteri fecerit, quod injustum factum dicatur, X. solidis componat, aut cum quinque juret.

XIII. De potestate testandi.

Libero homini liceat hereditatem suam cui voluerit tradere.

XIV. De Veneficiis.

Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur.

XV. De

(k) Ipse duodecimus, ut supra in Lege Saxonum.

XV. De Campo.

A duobus solid. usqve ad maximam compositionem, in furto & vulneribus campus judicat.

XVI. De delictis servorum.

Omne damnum, qvod servus fecerit, dominus emendet.

XVII. De animali alieno læso.

Qvi qvadrupedia alterius in sepem cujuslibet seu fossam minaverit (1), ibiqve vel mortua fuerint, vel damnum aliqvod pertulerint, is qvi ea minavit, damnum emendet.

II. Si homo laqveum, vel pedicam, vel qvodlibet machinamentum, ad capiendas feras in sylva posuerit, ibiqve pecus vel jumentum alterius captum, vel mortuum fuerit, qvi machinamentum fecit, damnum emendet.

Explicit

Lex Angliorum & Werinorum.

IV.

Altfridi Episcopi Monasteriensis Vita S. Ludgeri

ex veteri MSto auctior.

Index Capitum.

Prologus Autoris.

I. *Altfridus Dei gratia Episcopus* dilectis fratribus & *monachis in cenobio S. Salvatoris & S. patris Lutgeri* Domino servientibus in Christo. Petitioni vestræ idcirco consensum præbui, qvia Karitati vestræ nihil denegare potui. Postulastis igitur crebris precibus, ut *de vita S. Patris Lutgeri* aliqvid scribere studerem, qvatenus tam veneranda illius exempla multis ad ædificationem proficerent. Ad quod studiosum opus peragendum, qvamvis imparem me esse, & scientia & doctrinâ debilem scirem, tamen caritate cogente ad illud scribendum animum appuli, qvia nefas putabam tanti viri latere virtutes. Cum Beati Gregorii ad indagationem sacri verbi sonus dicat: Sunt nonnulli, qvos ad amorem cœlestis patriæ plus exempla qvam prædicamenta incendunt. Fit verò plerumqve animo duplex adjutorium in exemplis patrum. Exempla etiam & actus S. Lutgeri ideo plenè comprehendere neqveo, *qvia non ea visu sed auditu didici, illis attestantibus, qui ab infantia illum noverant, Hildigrimo scilicet Episcopo fratre ejus, & Gerfrido Episcopo nepote ejus*, sed & *Sanctimoniali femina Herburga germana ejus*, nec non & venerabilibus ejus Presbyteris *Aluberto, Atingo & Thiatbaldo*. Virtutibus igitur multis atqve signis, qvæ per illum Dominus operatus est, per negligentiam prætermissis, ea sola huic libello inscribi feci, qvæ una vobiscum aut visu deprehendi, aut facta certe cognovi.

(1) duxerit.

Incipit Vita.

2. Vitam S. Lutgeri ratum duxi altius repetendam, ut quibus in hoc seculo sit parentibus editus, evolvam. Fuit in diebus *Radbodi Regis Fresonum* vir qvidam nobilis in eâ gente *Uursingus* nomine, cognomento *Ado;* qvi qvamvis fidem Sanctæ Trinitatis nondum sciret, erat tamen adjutor pauperum, defensor oppressorum, in judicio qvoqve justus. Et quia gens illa eo tempore in errore infidelitatis erat excæcata, multi multa injusta à Rege & ab ejus ministris sunt perpesi. Alios enim Rex idem insidiando necaverat, & hæreditates eorum possidebat, & nihilominus sibi hæreditates eorum vendicabat. Sed vir præfatus se minimè subtrahens, qvo minus veritatem coram Rege & ejus Principibus defenderet, nullius personam in judicando justè, & amplectendo veritatem respiciebat. Qvâ de re contigit, ut magnas a Rege crudeli insidias pateretur, ita ut juberet illum callidè interfici, & facultates suas tolli. Qvod letale consilium illi continuò unus ex consiliariis Regis nunciare curavit, eo quod à pluribus diligeretur.

3. Tunc *Vuursingus* una cum conjuge sua *Adalgarda* & filio uno, qvem habebat, *Nothgrimo* nomine, & cum paucis domesticis suis occultè fugiens ad *Ducem Francorum, nomine Grimoldum* (a) pervenit. Qvi benignè ab eodem Duce susceptus, habitavit in regione Francorum & imbutus fide catholicâ baptismi consecutus est gratiam, una cum conjuge suâ & filio ac domo reliqvâ. Post præfati vero Ducis obitum singuli Duces Francorum venerabilem *Wursingum* honoratum beneficiis retinuerunt secum, uxor vero ejus in peregrinatione ejus alterum sibi genuit filium nomine *Thiatgrimum*, & filias novem, & defuncta obiit in pace, nec non & sex filiæ ejus in Virginitate subtractæ sunt. Pater igitur filios duos cum filiabus tribus, quæ remanserant, cum timore Domini nutriens, servavit castitatem suam reliqvum tempus vitæ suæ.

4. His ita gestis Rex *Radbodus* infirmari cœpit infirmitate, qvâ & mortuus est, & sex annis continuis ante diem mortis suæ paulatim traxit dolorem, cœpitque regnum ejus deficere, regnum qvoqve Francorum augmentando proficere. Infirmatus autem misit ad virum memoratum Wursingum, postulans ut ad se rediret recepturus hæreditatem suam, insuper & alia multa se daturum ei spopondit, si pacem secum tenere voluisset. Sed vir catholicus precibus ejus non acqvievit. Iterum autem Radbodus misit ad eum postulans, ut si ipse venire noluisset, saltem filium suum ad se mitteret, & juravit se ei daturum qvicqvid sibi promiserat. Igitur Wursingus precibus victus misit ad eum filium suum juniorem, qvem ille benignè suscipiens fecit honorifice habitare secum, & restituit ei hæreditatem patris. Ipse tamen pater cum seniore filio & filiabus habitavit in regione Francorum usque ad obitum regis (b). ---

Contigit autem *Pippinum Ducem Francorum* de hac luce migrasse, & filium ejus *Karolum* regno potiri patris, qvi multas gentes sceptris adjecit Francorum, inter qvas etiam cum triumphi gloria *Fresiam* extincto *Radbodo*, paterno addit imperio, in qva tunc gente Sanctus *Willibrordus* positus est prædicator, sedesque episcopalis in Trajecto castello delegata est, sicut *in libello de vita ipsius Willibrordi* scriptum legitur. Dedit igitur Karolus memorato Wursingo beneficium in confinio Fresonum, & direxit eum ad patriam suam causa fidei roborandæ. Qvi veniens acceptâ hæreditate propriâ, habitavit in loco, qvi dicitur *Suabsna* (c) juxta Trajectum, & cœpit esse adjutor sancti Willibrordi cum filiis & propinqvis suis, in qvibuscunqve potuerat. Diligebat eum S. Willibrordus valdè, eo qvod esset vir bonus & plenus fide & acceptabilis universæ plebi & castitatem servans.

5. *Nothgrimus* igitur filius ejus senior duxit uxorem fidelem similiter, & filiæ tres cum timore Domini conjugio copulatæ sunt, vivente patre, habuitque progenies illa magnam familiaritatem cum S. Willibrordo, nec non & cum *S. Bonifacio*, qvi post eum partibus illis Doctor serenus illuxit, qvo adusque pro fide Christi martirio coronatus, spiritum reddidit *in pago*, cui nomen *Astrache* in loco, qvi *Doccinga* vocatur, sicut & de illo scripta testantur.

Post obitum vero Patris *Thiatgrimus filius* junior memorati Wursingi duxit uxorem nomine *Liafburch*, [Hafburch] filiam cujusdam *Nothradi* & *Adelburgæ*; qvæ videlicet Adelburch pridem duos suos germanos fratres sancto commendaverat Willibrordo, de quo superius diximus, Domino nutriendos; qvorum major *Wullibrat*, minor autem *Thyatbrat* vocabatur: Qvi etiam primi omnium gentis Fresonum clericatûs officium acceperunt. Horum prior in Levitarum obiit gradu, junior non pervênit ad gradum, sed ita in juventute de hac luce migrabat.

6. Memorata *Liafburch*, cum nata esset, habebat aviam gentilem, matrem videlicet patris sui abrenunciantem omnino fidei catholicæ: Qvæ non nominanda cum furore (d) conver-

(a) Hic Grimoldus Dux erat Pipini, Majoris domus filius, & obiit anno DCCXIV.

(b) qui contigit anno DCCXIX.

(c) In Rhythmica vitâ *Sualisna* dicitur, in MS. Budic. *Suahsna*, annotantibus hoc Antwerpiensibus patribus.

(d) Antwerpienses & Editores SS. Benedict. *in furorem*.

versa, eò quod prænominata conjux filias tantum genuisset, & filium viventem non haberet, misit lictores, qui raperent eandem filiam tunc natam de sinu matris, & necarent priusquam lac sugeret matris, quia sic mos erat paganorum, ut si filium aut filiam necare voluissent, *absque cibo terreno* necarentur. Lictores autem sicut illis fuerat imperatum, rapuerunt eam & deduxerunt eam & portavit illam unum mancipium ad situlam aquâ plenam, cupiens eam in ipsam aqvam mergere, ut finiret vitam. Sed miro Omnipotentis dono actum est, ut puella, quæ nec dum suxerat ubera matris, extensis brachiis suis utrâque manu apprehenderet marginem situlæ, renitens ne mergeretur. Hanc ergo fortitudinem tenerrimæ puellæ ex divinâ credimus actam prædestinatione, eo quod ex eâ duo Episcopi fuissent oriundi, sanctus videlicet *Lutgerus* & *Hildigrimus*. In hac ergo colluctatione mirabili juxta misericordis Dei dispositionem supervenit vicina mulier, & misericordiâ mota eripuit puellam de manu præfati mancipii, cucurritqve cum eâ ad domum suam, & claudens post se hostium, pervenit ad cubiculum, in qvo erat mel, & misit ex melle illo in os juvenculæ, qvæ statim sorbuit illud. Venerunt interea prædicti carnifices jussa dominæ suæ expleturi: dominabatur enim illa furibunda in totâ domo filii sui. Mulier autem qvæ infantem rapuit, occurrens lictoribus dixit, mel comedisse puellam, & simul ostendit illis eam adhuc labia sua lingentem, & propter hoc illicitum erat juxta morem gentilium necare illam. Tunc lictores dimiserunt illam, & mulier, qvæ eam rapuerat, occultè nutrivit eam mittendo lac per cornu in os ejus. Mater quoque occultè misit ad eam nutricem puellæ afferentem qvæ necessaria fuerant, quo adusqve præfata illa ferox mulier vitam finiret: & tunc demum accepit mater filiam suam nutriendam. Sed de his ista sufficiant.

7. Nunc etiam qvia de *S. Lutgero* loqvi inchoavimus, libuit de eo verum (e) replicare sermonem. Cum venisset autem *Thiatgrimus pater ejus* de quodam itinere, & mater ejus pregnans esset, vicinaque partui gestans in utero eundem futurum episcopum, audito qvod vir ejus veniret, inmoderatè gaudens properavit ad eum, & offenso pede corruit, intravitqve palus per latus ejus, & ablata est mortua, ita ut nullus putaret eam vel vitæ præsenti restituendam, vel filium, qvem gestavit in utero; Sed miserante divinâ clementiâ revixit spiritus ejus, & benè fuerat curata; in puero qvoqve post paucos dies edito nulla læsionis macula apparuit. Baptizatus autem accepit vocabulum *Lutgerus*. Qui statim ut ambulare & loqui poterat, cœpit colligere pelliculas & cortices arborum, *quibus ad luminaria uti solemus*, & qvicqvid tale invenire poterat, ludentibusque pueris ipse consuit sibi de ipsis collectionibus quasi libellos. Cumqve invenisset sibi liqvorem imitabatur scriptores, & afferebat nutrici suæ quasi utiles libros custodiendos: Et cum ei qvis diceret, qvid fecisti hodie? dixit, se per totum diem aut componere libros aut scribere, aut etiam legere. Cumque iterum interrogaretur, quis te docuit? respondit: Deus me docuit. Meditabatur autem in tenerâ ætate, qvod postea devotus implevit.

8. Posthæc etiam auctus majori gratiâ, rogavit parentes suos, ut se alicui viro Dei committerent erudiendum. At illi, cum essent benigni, glorificaverunt Deum, videntes intentionem juvenis, commendaveruntqve eum Viro venerabili *Gregorio discipulo & successori S. Bonifacii Martyris*, Domino nutriendum, qvi libenter eum suscepit, & comperta sagacitate pueri, studiosè illum erudiebat. Crevit itaque Lutgerus proficiens in timore Dei, & deposito seculari habitu in triecto [*Trajecto*] monasterio se contulit ad studium artis spiritualis. Erant autem in illâ Scholâ Gregorii & alii condiscipuli nobiles & prudentes, è qvibus alii Episcopi postea extiterant, alii in minoribus gradibus Doctores ecclesiarum; apud qvos idem Lutgerus in magno habebatur affectu, eo qvod esset vir miræ mansuetudinis, vultu hilari, non tamen facilis in risu, & in omnibus actibus prudentiam cum temperantiâ amplectens. Erat enim assiduus, meditator divinæ Scripturæ, & ejus præcipuæ, qvæ ad laudem Dei, & ad doctrinam pertinebat catholicam, pro qvibus à venerabili magistro, velut unicus filius, diligebatur.

9. Venit interea Vir qvidam de terra Anglorum *Alubret* (f) nomine ad Abbatem Gregorium, cupiens Domino cooperante plebi partis illius in doctrina prodesse (erant enim rudes in fide), quem Abbas Gregorius libenter suscepit, & comperto, quod esset vir bonus & doctus; suasit, ut sibi Episcopus fieret: non enim fuerat idem Gregorius ad gradum Episcopalem ordinatus, sed Presbyterii perseveravit in gradu. Vir igitur prudens, ad hæc; ut scias, inquit, me cum licentia & consilio Episcopi mei huc transmeare, mitte mecum fratres fideles ad terram, de quâ egressus sum, ad Episcopum meum, ut ab eo ordiner ego & illi, tali modo consensum præbeo. Qvod Abbas Gregorius libenter audiens, direxit eum & cum eo Lutgerum,

(e) Antvverpienſ. & Benedictini: *iterum*.

(f) Benedictini: *Aluberht*. MS. Budicense, quod Antvverpienses laudant: *Adelbertus*.

rum, aliumqve fratrem fortiorem ætate, *Sigibodum* nomine, ad Episcopum, de qvo *Alubertus* dixerat: qvi eundem Alubertum ordinavit Episcopum, Sigibodum Presbyterum, Lutgerum Diaconum, & manserunt illic anno uno. *Alchuinus* etiam illo in loco tunc magister erat, qvi postea temporibus *Karoli Turonis* (g) & *in Francia* magisterium exercuit. Cui statim Lutgerus hauriens spiritalia dogmata (h) -- post anni vero circulum revertentes, qvi missi erant, Domino gubernante venerunt ad Abbatem Gregorium, qvi benignè suscipiens eos, gavisus est valdè in adventu eorum, & mansit cum eo Alubertus collaborans in opere Domini.

10. S. Lutgerus igitur cupiens se saturare prælibati dulcedine favi (i), petiit ab Abbate Gregorio licentiam redeundi ad magistrum *Alchuinum*, qvod ille molestè ferens, fieri renuit; noluit tamen contristari petentem, sed blandis sermonibus cœpit compescere eum. Cumque cerneret se nullis objectionibus illum à suâ intentione revocare posse, accersito Patre illius postulavit, ut conaretur revocare eum à cœpto itinere, sed studiosus Levita instanter in suo voto permansit. Tunc parentes ejusdem Lutgeri & Gregorius, quandoqve precibus evicti, direxerunt eum ad præfatum magistrum *Eboraicæ* civitatis Anglorum, præbentes qvæ illi opus erant in viâ: Qvem magister illustris Alchuinus cum magno suscepit gaudio. Susceptus itaque Lutgerus, erat consveto more omnibus carus, eo quod esset ornatus moribus bonis, & studiis sanctis, & mansit ibi annis tribus & mensibus sex, proficiens in doctrinæ studio. Cupiebat enim ibidem diutius in sancto manere studio; sed non fuit concessa facultas: nam egredientibus civibus illis ad bellum contra inimicos suos, contigit, ut per rixam interficeretur filius cujusdam comitis ipsius provinciæ à Fresone qvodam negotiatore, & idcirco Fresones festinaverunt egredi de regione Anglorum, timentes iram propinqvorum interfecti juvenis. Tunc Alchuinus necessitate compulsus direxit Lutgerum, & cum eo Diaconem suum nomine *Putul*, cum præfatis negotiatoribus (k), timens ne amore discendi aliam regionis illius civitatem adiret, & pro ultione prædicti juvenis aliqvas pateretur insidias. Dicebat enim, se potius velle mori, qvam ut filius suus dilectus qvicquam pateretur letalis mali. Directus itaqve Lutgerus, prospero cursu pervenit ad patriam suam benè instructus, habens copiam librorum, eratque Patri Gregorio & ceteris tanto tunc dignior & acceptior, quanto fuit & in monasticis eruditionibus illustrior. Diaconus vero, qvi venerat cum eo, juxta dispositionem Alchuini perrexit Romam, iterum reversurus, qvi etiam postea cum *Alchuino* venit in Galliam in ordine Presbyterii.

11. Cum talia gerebantur, venit qvidam Presbyter sanctus & doctus de genere Anglorum nomine *Liafuuinus* ad Abbatem Gregorium, dicens sibi a Domino terribiliter trinâ admonitione fuisse præceptum, ut *in confinio Francorum atque Saxonum* secus fluvium *Isla* plebi in doctrinâ prodesse deberet, rogavitqve, ut ad locum illum se perduci juberet & ad fluvium sibi a Domino prænominatum. Tunc Gregorius, eo qvod locus idem ad parrochiam suam pertineret, benignè eum illic dirigere statuit, agens gratias Pastori summo, eo qvod visitaret plebem suam. Misit etiam cum eo & *Marchelmum* servum Dei de genere Anglorum, & a *S. Willibrordo* Episcopo a pueritia sanctis instructum moribus, ut eum præponeret populo. Susceptus ergo presbyter Liafuuinus à matronâ qvadam nomine *Averhilda*, ceterisqve fidelibus seminabat documenta salutis, & rigabat prata mentium. Fecerunt autem ei Oratorium in occidentali parte præfati fluminis, in loco qvi *Hulpa* vocatur.

12. Posthæc etiam ædificaverunt ei ecclesiam in littore orientali ejusdem fluminis, in loco cujus vocabulum est *Daventre*, cumqve ad eam populus ob Viri sancti doctrinam conflueret, *Saxones* qvi eo tempore paganis fuscabantur ritibus, in furorem conversi collecto exercitu effugaverunt Christianos ab illis locis, & ecclesiam combusserunt igni. Tunc vir Dei Liafuuinus reversus ad Abbatem Gregorium præstolabatur consolationem a Domino. Sedato igitur tumultu reversisqve prædonibus in sua, vir Dei reædificavit ecclesiam, quæ fuerat combusta; & more solito non cessabat documenta salutis impendere gregi, qvo ad usque Pastori summo dilectam redderet animam, & defunctus in eadem ecclesia est sepultus.

13. Post S. Liafuuini obitum iterum impii Saxones vastaverunt locum illum, & succenderunt ecclesiam, corpusqve ejus per tres dies quæsiverunt, nec invenire potuerunt. Sed & *Abbas Gregorius* migravit ad Dominum (l): & suscepit curam pastoralem *Albricus nepos ejus*, qui venerabilem Lutgerum cum magno diligebat affectu, atque eum ita allocutus est, dicens: Nunc

(g) Antvverpienses & Benedictini: *Karoli junioris in Turonis*. Per Juniorem autem Carolum hic intelligitur Carolus M. habita ratione Caroli Martelli avi illius.

(h) Supple ex Antvverpiens. & Benedictinis: *sedulo jungebatur*.

(i) In Suriana Ludgeri vita alia ratio affertur, nempe quod Ludgerus tum diaconus cum coram Gregorio Evangelium legens in quodam verbo offendisset, emendatus à Gregorio statuit reverti ad scholam Alchuini, indignum se putans diaconi gradu, qui non posset emendate legere.

(k) Antvverp. & Benedictini: *direxit Ludgerum cum præfatis negotiatoribus: misit etiam cum eo & Diaconum suum, nomine Putul, timens* &c.

(l) Gregorium Abbatem an. DCCLXXVI. decessisse, demonstrarunt sic satis Patres Antvverpienses.

Nunc qvia frater meus dilectissimus es, peto, ut desiderium meum impleas; locus enim, in qvo sanctus Domini, Liafuuinus presbyter, qvem nosti, in opere Domini usque ad mortem persistendo laboravit, ubi sacrum ejus corpus sepulturâ tegitur, in solitudinem est redactus; qvam ob rem peto, ut eum restaurare studeas, & super corpus sancti ecclesiam reædifices.

14. Dei igitur famulus Lutgerus magistri jussis obtemperans quæsivit in loco prænominato corpus Sancti & non invenit, sed tamen intra spatium loci, ubi illud esse putabat, cœpit construere ecclesiam. Cumqve posuisset bases, & parietes conaretur erigere, apparuit ei sacerdos Domini Liafuuinus in somnis dicens: Frater dilectissime Lutgere, benè fecisti restaurando Dei templum, jam dudum deletum à gentilibus, sed & corpus meum qvod quæsisti invenies sub australi, qvem erexisti, pariete humatum. Lutgerus igitur manè Domini laudibus expletis invenit corpus Sancti in loco sibi in visione prædicto, & collecta multitudine fecit transvehi bases ejusdem ædificii in partem australem, & ita infra ecclesiam collegit sepulchrum Viri Dei. Perfecta itaqve est ipsa ecclesia & consecrata, quæ numquam deinceps à gentilibus fuerat contaminata. Sed in loco illo per servum suum Liafuuinum Dominus multas virtutes operatur usqve in hodiernum diem, ubi est etiam nunc cœnobium Canonicorum Domino famulantium.

15. Posthæc misit *Albricus* Lutgerum & cum eo alios servos Dei, ut destruerent fana deorum, & varias culturas Idolorum in gente Fresonum. At illi jussa complentes attulerunt magnum *thesaurum* eum(m), *qvem in delubris invenerant*, ex quo *Karolus Imperator* duas partes accepit, tertiam vero partem ad usus suos Albricum recipere præcepit.

Albricus autem cum in *Colonia* gradum accepisset Episcopalem, fecit & Lutgerum secum presbyterii percipere gradum, & constituit eum Doctorem ecclesiæ *in pago*, cui nomen *Ostrache* [id est, Ostergau] in loco, ubi S. Bonifacius martyrio est coronatus. Divisitqve idem Albricus annum in distributiones qvatuor, ita ut in *Trajecto* monasterio præ cæteris Præpositis ipse in tempore vernali in doctrinæ studio & sanctæ conversationis præesset fratribus menses tres, deinde post eum in æstate *Adalger* Presbiter in vice sua menses tres, post hunc *Lutgerus* Presbiter menses tres, deinde in hyeme *Thiatbrat* Presbiter menses tres.

16. Lutgerus igitur in ordine vicis suæ nocturnis temporibus post psalmodiam & orationes, qvas semper amaverat, in solario ecclesiæ sancti Salvatoris, qvam S. Willibrordus construxerat, membra qvieti dare consueverat, ubi ei nocte qvadam venerabilis Abbas Gregorius per visionem apparuit dicens: Frater Lutgere, sequere me; qvem dum ipse seqveretur, ascendit in eminentiorem locum, jactavitqve coram eo particulatim qvasi membranas & vestimentorum partes, & dixit: collige ex eis acervos. Cumque congregasset ex eis tres tumulos, dixit ei: Distribue ista benè in opere Domini & ego tibi satis dabo, & signavit eum signaculo crucis & abscessit. Cumqve mane facto retulisset somnium Præposito monasterii *Haldoni* nomine & custodi ecclesiæ sanctitate prædito *Marchelmo*, cujus superius memoriam feci: confestim Marchelmus adhæc ea qvæ probavit rei eventus, exorsus est, dicens: Tres tumuli, qvos congregasti, trium sunt gubernacula plebium, quibus adhuc pastorali regimine te oportet præesse. At ille dixit: utinam in loco mihi credito aliqvem Domino fructum perficiam. Hic etiam Lutgerus, qvaliter in gente Fresonum optatum evangelizandi exercuisset officium, & semina vitæ supernæ gratiæ rore irrigante, in agris multorum cordium ad ejus prædicationem uberrimè pullulassent, testes sunt usqve hodie populi regionis illius, qvos ad veritatis agnitionem à prisco revocavit errore; testes qvoqve ecclesiæ, qvas per loca singula construxit; testes & famulantium Deo congregationes, qvas aliqvibus coadunavit in locis.

17. Cui etiam testimonium perhibuit qvidam *Alchuini discipulus* (n) versibus heroicis talia mandans:

Frater amore DEI cognato dulcior omni
Et consanguineis merito pretiosior ipsis.
Lutger amate mihi, Christi te gratia salvet:
Vive tuæ gentis Fresonum clara columpna.
Presbiter occiduis laudabilis orbis in horis [oris]
Doctus, in eloquio prudens, & mente profundus
Ipse gradum meritis ornas, & moribus almis.
Et puer, en, senibus humili de corde ministras:

M Et

(m) Antvverpienses & Benedictini: *ei*.

(n) Ex indice Capitum patet, *Josephum* qvendam esse autorem horum versuum. Et Surius quoqve notat in MSto Codice legi: VERSUS IOSEPH. Certè Joseph inter Alcuini discipulos computatur, ut patet ex iis, quæ Sec. IV. Benedictino P. I. in Elogio Alcuini, pag. 180. in medium afferuntur.

Et germanus agis cunctis æqualibus ævo:
Atque parens pueris vitæ documenta rependis.
In melius crescendo, mei memor esto, sacerdos,
In precibusque tuis commendes quæso Tonanti
His brevibus vatem, qui te laudavit in odis;
Cui teretis baculi pro tali carmine donum
Munificus tribuas. Fors hæc mercedula vati
Concordat modico. Felix sine fine valeto.
Hic (o) pater egregius meritis Bonifacius almis
Cum sociis pariter fundebat sanguinis undam,
Inclita martirii sumentes stemmata sacri.
Terra beata nimis Sanctorum sanguine dives,
Transvolat hinc victor ad cœli præmia miles,
Ultima cespitibus istis vestigia linquens.
Suadeo quæpropter curvato poblite supplex,
Tu quicumque legis, terris his oscula fige.
Spes tibi magna fiat [forte: *fiet*] lacrimas ascendere cœlum
Hinc potuisse tuas, fultas patronibus (p) istis.
Sic (q) manet ille cruor cuncto pretiosior auro,
Membraque cœlesti rore hic perfusa quiescunt.
Adjuvat hinc Paulus Doctor, Bonifacius inde,
Hæc illis qvando constat simul aula dicata.

18. Cumqve Vir Dei Lutgerus in eadem regione annis ferè septem in doctrinæ studio persisteret, consurrexit radix sceleris *Wutukint Dux Saxonum* eatenus gentilium, evertit Frisones a via Dèi combussitqve ecclesias & expulit Dei famulos & usqve ad *Fleo* fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere, & immolare idolis juxta morem erroris pristini. Sed & Albricus Episcopus in ipsa perversa commotione migravit ad Dominum. Tunc Lutgerus necessitate compulsus deseruit partes illas, & dispositâ turbâ discipulorum duos ex eis secum assumens *Hildigrimum* scilicet germanum ejus, & *Gerbertum*, qvi cognominabatur *Castus*, perrexit Romam (r), & inde progrediens pervênit *ad monasterium S. Benedicti in regno Beneventino*, & illic in sancta conversatione consistens didicit regulam ejusdem Sancti Patris Benedicti. Erat enim cupiens in hæreditate sua cœnobium construere monachorum, qvod ita postea Domino opitulante concessum est in loco, qvi vocatur *Vuerthina*.

19. Post duos igitur annos, & menses sex reversus est ad patriam suam, & pervenit ejus fama ad aures *gloriosi Principis Karoli*, qvi constituit eum Doctorem in gente Fresonum ab orientali parte fluminis *Labeki* (s) super *pagos qvinque*, qvorum hæc sunt vocabula (t): *Hugmerchi*, *Hunusga*, *Fuulga*, *Emisga*, *Fedirga*, & unam insulam, quæ dicitur *Bant*. Ipse vero cura sollerti, doctrinæ Domini gregi sibi tradito fluenta ministrare studuit, fana destruere, & omnes erroris pristini abluere sordes. Curavit qvoqve ulterius doctrinæ derivare flumina, & consilio ab Imperatore accepto transfretavit *in confinio Fresonum atque Danorum* ad qvandam insulam, quæ à nomine Dei sui falsi *Fosete*, *Foseteslant* (u) est appellata. Cui cum navigando appropinquassent tenens in manu sua crucem, & ad Dominum preces cum laudibus fundens, viderunt, qvi in ea navi erant, caliginem tenebrosam de eadem navi egredientem, qvâ recedente, magna in ea serenitas perstitit. Tunc Vir Dei ait: videtis, qvaliter per misericordiam Dei effugatus est inimicus qvi prius caligine occupaverat insulam hanc. Pervenientes autem ad eandem insulam, destruxerunt omnia ejusdem *Fosetis fana*, qve illic fuere constructa, & pro eis Christi fabricaverunt ecclesias. Cumqve habitatores terræ illius fide Christi imbueret, baptizavit eos cum invocatione sanctæ Trinitatis, *in fonte, qui ibi ebulliebat*, in qvo *S. Willibrordus* prius homines

(o) In editionibus Vitæ S. Ludgeri, quas Antvverpienses & Benedictini procurarunt, versus sequentes, a prioribus distingvuntur, & ante versum: *Hic pater egregius* &c, talem titulum positum invenêre: *Versus Alchvvini de Ecclesia S. Luitgeri.* Qui etiam titulus præponi debere videtur. Nam prius carmen Josephi finitur in verbis: *Felix sine fine valeto.* Et novum incipit in verbis: *Hic pater egregius.* &c.

(p) inclinante Latinitate etiam sæpe *diaconibus* dicunt, pro *Diaconis.*

(q) Al. Hic pro manet forte *manat.*

(r) Factum hoc est circa annum DCCLXXXIII.

(s) Vulgò, ut Corn. Kempius in descript. Frisiæ l. 1. c. 6 dictus *de Lauvvers*, aliis Lavica.

(t) In edd. Antvverp. & Benedictinorum vocantur hi pagi: *Hugmerthi*, *Hunulga*, *Fivilga*, *Emilga*, *Fedirilga.*

(u) Antvverpiensibus hæc insula videtur illa fuisse, quam Tacitus *castum nemus* vocavit, licet ibi non *Foseti* dei, sed *Herta* deæ meminerit, & credibilius sit, Rugiam ab eo intelligi. Adamus Bremensis l. 4. hist. Fositeslandiam eandem esse dicit cum *Farria insula, quæ in ostio fluminis Albiæ longo recessu latet*, alias *Heiligelant* appellata; id est, terra sancta.

nes tres baptizaverat, *à quo etiam fonte nemo prius haurire aquam nisi tacens præsumebat.* Cujusdam etiam eorum Principis filium *Landricum* nomine accepit à fonte, qvem sacris literis imbutum ordinavit presbyterum, qvi multis annis genti Fresonum in doctrinæ præfuit studio. Tunc iterum operante maligno *ab orientalibus Fresonibus nox infidelitatis magna* fuerat exorta, cujus *Maluinno* [Malumno] *&* *Eilrat* (w) fuere Principes, & conbustæ sunt ecclesiæ servique Dei repulsi; sed radiante Sole justitiæ effugatæ sunt tenebræ radiantis erroris, ita ut post anni circulum S. Lutgerus cum suis prisca consuetudine fiducialiter plebi illi pabula fidei ministrare non desisteret, & Domino opitulante in ea, qvam tunc receperant, perseverabant fide.

20. Intereà per dispositionem misericordis Dei *Saxones conversi sunt ad Dominum & Rex Karolus* eundem Virum Dei *Lutgerum Pastorem in orientali parte Saxonum constituit*, cujus parochiæ sedes est principalis (x) in loco *Mimigernefor* [infra: Minigerneford] ubi Domino ipse honestum *construxit monasterium* sub regula canonica Domino famulantium. Itaqve more solito cum omni aviditate & sollicitudine *rudibus Saxonum populis* studebat in doctrina prodesse, erutisque Ydolatrie spinis verbum Dei diligenter per loca singula serere, ecclesias construere, & per eas singulos ordinare Presbyteros, qvos verbi Dei cooperatores sibi ipsi nutriverat. Cupiebat igitur in cœpto evangelizandi opere multis subvenire gentibus; sed tamen Pontificalem gradum humiliter declinare: idcirco suos frequenter petiit alumpnos, ut aliqvis ex eis pro eo episcopalem susciperet ordinem. Cui cum *Hildibaldus Episcopus* persuaderet, ut Episcopus ordinari debuisset; illud apostolicum ei respondit, dicens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. At ille, ut erat humilis, & Viro Dei amicissimus, cum gemitu dixit: Hoc in se minimè fuisse completum. Tandem consensu omnium superatus, & magis Dei dispositione coactus, acqvievit, ne plurimorum consilio, ymmo Dei voluntati contrarius esse videretur.

21. Accepto itaque sacro ordine pontificali cum omni sagacitate & modestia gregi *Saxonico* sibi credito documenta salutis uberrimè ministravit, qvo adusqve Domino largiente ad perfectam illos perduceret fidem. Illis etiam *quinqve pagellis*, quos *in Fresia* ad agnitionem veræ & individuæ Trinitatis de gentilitate perduxerat, (eo quod prius non haberent episcopum) simili modo pontificali præerat regimine. Sed & successores ejus utraque loca pro unâ habuerunt parochiâ, deditque ei Rex Karolus ut in regno Francorum *in Pago Brachante* [*Bracbante*] in loco, qui *Locus* (y) vocatur *Monasterium Sancti Petri* gubernandum cum omnibus adjacentibus suis ecclesiis & villulis. Tunc adimpletum est somnium, qvod ei Vir Dei Marchelmus prius fuerat interpretatus de collectione trium tumulorum, significantium trium gubernacula populorum.

Liber Secundus.

1. Qvamvis præponendum sit ministerium evangelicæ prædicationis, & multorum illuminatio cordium operationibus miraculorum, ostensionibusqve signorum, ad honorem tamen largientis Domini stylo alligari fecimus, quæ ab eodem sancto Viro facta recolimus.

Cum evangelizandi gratia in Fresia ad quandam villam nomine *Helewirt* pervenisset, Matrona quædam *Mensuit* nomine, excepit illum in domum suam, & ecce illo discumbente cum discipulis suis oblatus est cœcus, vocabulo *Bernlef*, qui à vicinis suis valdè diligebatur, eo quod esset affabilis, & *antiquorum actus & regum certamina bene noverat psallendo promere;* sed per triennium continua cœcitate percussus est, ita ut nullum sibi lumen vel extremæ visionis remaneret. Qvem dum vultu hilari esset intuitus, interrogavit si pœnitentiam à se vellet accipere, acceptâque ab eo hujus rei sponsione, jussit, ut die crastina veniret ad se. Crastina vero eqvitanti Viro Dei obvius factus est idem cœcus: accepto ergo Dei famulus per frenum ejus caballo, & duxit eum à turba seorsum & confitenti peccata sua pœnitentiam indixit. Deinde signum sanctæ crucis oculis ejus imposuit, & tenens manum suam coram eo, interrogavit, si aliqvid videret? Ipse vero cum magno gaudio dixit, se manum illius videre posse; At ille, age, inquit, omnipotenti Deo gratias. Sermocinantibus qvoque eis de fide catholicâ pervenerunt ad villam nomine *Vuerthen* (a), & interrogavit: si ipsam videre potuisset? Ille vero statim ipso vocabulo nominavit eam, & arbores & qvæque ejus ædificia se benè posse conspicere professus est. Ait autem illi: Omnipotenti Deo age gratias, qui te illuminavit. Cumque venissent ad villam *Vviscuuirt* (b) nomine, ubi oratorium erat constructum, fecit eum secum orare, & Deo gra-

(vv) Antvverpiens. & Benedictini: *cujus mali Huno & Cilrad.* &c.

(x) Antvverpiens. & Benedictini: *Sedes est principalis in pago Sudergoë, in loco cujus vocabulum est Mimigerneford* &c. Id hodie est *Münster.*

(y) Alii Codd. *Lotus, Losusa.* Vulgò *Leuse,* Hannoniæ oppidum inter Athum & Tornacum.

(a) Al. *Wershem, Wersheim. Imershem.*

(b) Al. *Vsquurd, Vuscuurdis, Vosgurd, VVuscurdus.*

gratias agere, constrinxitque eum Sacramento, ut ante diem obitus sui nulli, qualiter illuminatus fuerit, indicaret. Complevit ille Viri Dei præceptum, & per dies aliquos cœcitatem simulando ducatu alieno utebatur; sed post obitum ejus, qualiter illuminatus fuerit, asseruit.

2. *In secundâ* igitur *expulsione servorum Dei à Fresia*, de qua superius jam diximus *jussit*, Sanctus vir Lutgerus eundem *Bernleuum* (eo qvod diligeretur à multis) per singulorum domos discurrere, & persuasis matronis, nurituros illorum infantulos *baptizare*, benedictâ simpliciter aqua in nomine Domini *intinctos vel superfusos* cum invocatione Sanctæ Trinitatis. At ille jussis ejus libenter obediens baptizavit in ipsa perturbatione infantes decem & octo, qui omnes nuper, ut baptizati fuerant, defuncti sunt, exceptis duobus, quos beatus Lutgerus redeunte pace cum sancta crismatis unctione confirmavit. Ipse vero Bernlef ubicunque Virum Dei repperisset, didicit ab eo Psalmos, & in ea, quam receperat illuminatione permansit, qvoadusqve senex, & plenus dierum obiret in pace. Qvem dum morientem uxor sua flendo interrogaret, qualiter post eum vivere potuisset, respondit dicens: Si ego à Domino aliqvid impetrare potero, post meum obitum non longo tempore in hoc seculo eris victura. Dumqve sana & incolumis hanc ejus responsionem audisset, die quinto decimo moriendo subsecuta est.

3. Alio qvoqve tempore dum esset beatus Lutgerus *secus mare, in loco qvi vocatur Werdina*, ubi ipse sibi in hæreditate paternâ construxit ecclesiam, terribile vidit somnium, qvod narrans *Herburgæ sorori* suæ dixit: Vidi per sompnium qvasi solem fugientem supra mare à partibus aquilonis, & nubes teterrimas sequentes, qui fugiens ac deficiens pertransivit nos, ita ut elongatus à nobis videri non posset, & caligines quæ eum fuerant secutæ, obtinuerunt omnia loca hæc maritima. Post multum vero temporis, reversus est sol minor & pallidior, quam fuisset prius, effugavitque caligines trans mare. Et hæc dicens, ubertim faciem suam irrigavit lacrimis. Qvem dum flentem soror sua conspiceret, flevit & ipsa, dicens: Qvid sibi vult hoc sompnium? Cui ille respondit: venturæ sunt a *Northmannis* persecutiones magnæ, & instantia bella, vastationesque immensæ, ita ut hæc delectabilia loca maritima peccatis exigentibus pene inhabitabilia remaneant. Deindè posthæc favente Duo reddita erit pax ecclesiæ, & severissima plaga quæ regionibus his incubuerat, infra ipsos Northmannos retorquebitur. At illa cum gemitu dixit: ô utinam dignetur me Dominus auferre de hoc seculo, priusquam hæc mala superveniant. Cui ille: non ita erit, inquit, sed in diebus tuis hæc erunt; ego vero pestem illam in hoc corpore non videbo. Hujus ergo vaticinii veritas ejusdem sororis suæ *nostrisque* est probata *temporibus*. Nam omnibus diebus quibus idem Dei famulus in hoc seculo vixerat, pax fuit undiqve læta, ut nullus putaret his regionibus aliqvam perturbationem à Northmannis evenire posse; Sed post obitum ejus à gente severissima (c) Northmannorum innumerabilia penè annis singulis *perpessi sumus* mala. Nam concrematæ sunt ecclesiæ; monasteria destructa; deserta ab habitatoribus prædia; in tantum, ut peccatis exigentibus regiones maritimæ, qvas prius multitudo tenebat hominum, penè sint in solitudinem redactæ. Sed Solem justitiæ, qui pro nostris peccatis elongatus abscesit, reversurum speramus, & juxta præsagium Viri Dei pacem ecclesiæ redituram.

4. Venit qvoque idem vir Dei in loco, qui vocatur *Bilurbike* (d) ad eccesiam, & ecce mulier quædam, quæ illicito erat connubio suo copulata viro, ejus volens mitigare terrorem, misit illi mel quasi pro benedictone; at ille tale munus accipere despiciendo rennuit. Qvidam tamen juvenes ex discipulis ejus illud mel concupiscentes acceperunt, & in ecclesia retro altare occultè posuerunt, cumqve Vir Dei ad idem altare missam celebraturus, accederet, & os ad preces aperuisset, confestim vas testeum, in qvo illud inobedientiæ mel habebatur, minutatim crepuit, & dispersum est mel, quod colligentes projecerunt foras. Non cessavit autem miles Christi, qvo minus illud illicitum destrueret conjugium, sed & virum ipsum, qui illud perpetrare ausus est, exterminavit à patria.

5. Cum igitur in Fresia docendi gratiâ ad ecclesiam suam venisset, juxta *fluvium Lade* petiit illius loci piscatores, qui ei pisces afferre solebant, ut aliquem sturionem comprehensum afferrent. At illi dixerunt, longe esse præteritum tempus, quo tales pisces comprehendi poterant (erat enim in proximo tempus hyemis). Qvibus ille læto vultu ait: Ite filii, facite, quæ dixi; Potens est Deus omni tempore servis suis desiderata præstare. Ipsi vero precibus Viri Dei coacti cœperunt more solito rete per aquas trahere, &, ecce, subito elevatis oculis viderunt avem magnam descendentem de cœlo coram se, & dum intentè in illam oculortm figerent aciem, dixit unus ad alterum: Verè similitudinem habet piscis. Mirantibus itaque eis ac pavo-

(c) Antvverp. & Benedictini: *sævissima*. (d) Antvv. & Bened. *Billurbeki*.

vore perterritis cecidit ipsa piscis effigies sive avis coram ipsis in aquam, cumque ad ipsum locum pervenissent, intravit in illorum rete piscis miræ magnitudinis, quem *sturionem* * vocant, qvem Vir Dei desiderabat. At illi comprehensum illum attulerunt Viro Dei, narrantes miracula, quæ fuerunt gesta. Quibus ille, agamus, inquit, omnipotenti Deo gratias, qui dat escam omni carni. Commonuit etiam eos, ne hoc idem pro cujusquam sanctitate vel meritis actum narrare præsumerent.

6. Erat S. Lutgerus in Scripturis sacris non mediocriter eruditus, sicut in *libro ab eo composito de vita venerabilium ejus Doctorum Gregorii* scilicet *& Albrici* apertè probatur; sed & *primordia S. Bonifacii adventus atque ordinationis*, quæ fuerant in alio opusculo prætermissa, *pulchro sermone ipse conscripsit*. Discipulis etiam suis manè diebus singulis tradere per se lectiones non neglexit, & qvicqvid in sacris codicibus faciendum invenit, illud instantissimè studuit observare & docere. Caverat ergò, ne sibi aliquando nomen faceret inane, & idcirco secundum Apostolum omnia mensuratè facere concupivit. *Cucullam*, eò quod *promissionem observationis monachorum* non fecerat, portare desivit, *cilicii* tamen indumentum, quod magis abscondi potuit, ad carnem usque ad finem vitæ suæ habuit. Carnis esum certis temporibns non rennuit; satiatum tamen illum cibo vel potu, discipulorum ejus nemo unquam vidit; sed cum ad se more solito pauperes ac divites pransuros invitasset, dulcia æternæ vitæ illorum cordibus infundere documenta non cessavit, ita ut plus spiritualibus, quam carnalibus delitiis satiati remearent. Erat itaque Pater egenorum & despector sui: & secundum Apostolum, sic se omnibus coaptare curavit, ut omnibus prodesse potuisset. Fuit autem cupiens anxiè, gratiâ docendi Northmannos adire, sed *Rex Karolus* nullatenus assensum præbuit.

7. Cumque omnipotens Deus perhennem mercedem reddere suis piis studiis decrevisset, ante obitum suum aliquanto tempore corporis molestia depressus est. In Infirmitate tamen positus consueto more sanctis semper actibus intentissimè mentem occupavit, aut in lectionibus sacris audiendo, aut in Psalmis canendo, vel etiam in aliis quibuslibet rebus spiritualibus agendo, ne umquam à supernâ contemplatione dissoluta mens tepesceret, & penè diebus singulis missarum sacramenta qvamvis ægrotus corpore, infatigatus tamen animo celebravit. Ipso vero die dominico, cum in subsequenti nocte de hoc mundo esset iturus ad Dominum, quasi valefaciens creditis sibi omnibus in duabus suis ecclesiis publicè prædicavit, manè scilicet in loco, qui dicitur *Coasfelt*, canente Presbytero missam, & circa horam tertiam in loco nuncupatò *Billurbike*, ubi infirmatus ipse corpore, ut supra retulimus, sed fervore Karitatis validus devotè missarum ultima celebravit solempnia; ubi etiam ipsa subsequenti nocte assistentibus discipulis dilectam Domino reddidit animam. In ipsa igitur exitus sui horâ clementiæ suæ Dominus dignatus est ostendere signum. Nam *Gerfridus* Presbyter nepos ejus & Successor cum nocte eadem una cum fratribus, gratiâ visitandi, ad illum festinus properasset, & paululum adhuc itineris remaneret, viderunt ante se lumen magnum, quasi ignem in sublime ascendere, ac cunctas tetræ noctis illius effugasse tenebras. Et per hoc statim indicium intelligentes sancti ac venerabilis viri obitum, qvod reliqvum erat viæ, cum magnâ velocitate peregerunt, jamqve eum defunctum invenerunt, & subtiliter reqvirentes, agnoverunt, qvod eodem momento veri luminis assiduus speculator & amator migravit ad Dominum, qvo eis fuit per lumen ostensum.

8. Igitur discipuli non immemores, qvaliter idem Sacerdos Domini disposuerat adhuc vivens, ut in loco nuncupato *Werthina*, ubi in hæreditate propriâ ob habitaculum monachorum in honore S. Salvatoris, sanctæ Dei genetricis, sanctiqve Apostolorum Principis Petri ipse construxit ecclesiam, ejus sepeliretur corpus. Sed cum ad hoc agendum, populus illius sancta recolens merita, vehementer resisteret, inito consilio ad monasterium ab eo constructum vocabulo *Mimigerneford*, de qvo jam superius diximus, perduxerunt illud; atqve in ecclesiâ sanctæ Mariæ inhumatum reliqverunt, donec venerabilis Episcopus ecclesiæ *Cadolonensis*, *Hildigrimus nomine*, *germanus ejusdem viri Dei atque eruditus ab eo*, *ageret cum glorioso Rege Karolo*, ut ejus imperio, immo Dei consilio, in loco, ubi ipse vivus decreverat, sanctum illius conderetur corpus, extra ecclesiam in parte orientis, ut jusserat ipse: Non enim erat umqvam consentiens, *ut in ecclesia sua consecrata sepeliretur corpus humanum*. Defunctus est itaque anno dominicæ incarnationis octingentesimo nono, septima Kalendas Aprilis, & tricesimo secundo die sui sancti obitus, hoc est, sexto Kalendas Maj. mirificè *fragrans* (*) in eodem loco sepultus est.

(*) Vulgo *Stör*. Antiquis Saxonibus ut hodie Septentrionalibus Stor, magnum significat; & Anglis *Store* est abundantia.

(*) Forte: odore Sanctitatis, quod posteriores de odore corporis acceperint.

Liber Tertius.

1 Divinâ igitur donante clementiâ, ut vivus ante desideravit profuisse multis, sic etiam post ejus obitum sancta illius merita suffragari non cessant, qvibusdam longe manentibus, quibusdam etiam ad illius sepulchrum meantibus, aliis vero illic manentibus, vel inde domum redeuntibus; ex qvibus ea, qvæ ad memoriam veniunt, intimamus.

Fuit qvidam *in pago Nortgo* Irmingerus nomine, qvi eidem Sancto Lutgero in juventute serviebat, cui contigit, ut lumen oculorum amitteret, & tredecim annis continuis in cœcitate permansit. Cui nocte qvadam sanctus Vir per visionem apparuit, & eum nomine proprio vocavit, dicens: *Irminger* vigilas? Qvi cum se vigilare diceret; tetigit faciem ejus dicens: Si cuti reliquæ hoc in loco color dissimilis apparuerit, dic *Dindoni* Domino tuo, ut te faciat venire ad ecclesiam meam in Werthina, qvam ibidem Domino fabricavi, ubi etiam corpus meum sepulturâ tegitur, & ibi Domino largiente lumen oculorum recipies. Qvi cum taliter fuisset admonitus, narravit Domino suo, qvale à S. Viro mandatum acceperat, & simul, quod faciei ejus imposuerat signum, ostendit, quod erat juxta verbum Dei viri dissimile cuti reliquæ omnibus diebus vitæ suæ. Tunc Dominus suus una cum conjuge sua ad eundem locum gratulabundus pergens, secum ipsum Irmingerum duxit. Contigit etiam, ut *Gerfridum Episcopum* S. Lutgeri nepotem & Successorem una cum fratribus & Monachis invenirent ibi, quibus cum gesta narrarent, fecerunt eundem Irmingerum in præfatâ ecclesiâ ea nocte jacere, in qua cum orasset, & vigilasset, continuo per Dei gratiam lumen oculorum recepit secundum verba Viri Dei. In eadem nocte circa gallorum cantum ante sepulcrum Viri Dei mulier quædam paralitica repentè sanitati corporis restituta est, & abiit incolumis, magnificans Deum, qvi per servum suum tam subito eam curare dignatus est.

2. *In pago Suderge* (c) matrona qvædam nomine *Sigiburch colonum* habuit Reinoldum nomine, cujus uxor longa ægritudine depressa jacebat, ac penè corporalem desperata salutem. Cum igitur nocte qvadam inter ægra suspiria paululum membra defessa laberentur in somnum, vidit per somnium quendam assistentem & dicentem sibi: Loquere cum Lutgero Episcopo. At illa, ut postea narrare solebat, nec graviter dormiens, nec perfectè vigilans, vidit illum stantem ad orientem conversum: Cumqve eum alloqvi non præsumeret, ille verso vultu ad eam inquit: Probavi patientiam tuam, patientiam habeto & Dominns curabit te. Completa ergo visione tantum vigorem accepit corpus ejus, ut penè ab ea tolleretur memoria prioris molestiæ; & facto mane læta surrexit, narrans ordinem suæ restaurationis. Vir autem ejus & filii cum familiâ congaudentes benedixerunt Deum. At illa deinceps S. Lutgeri consueverat cum gratiarum actione visitare sepulchrum, cui etiam posthæc revelatum est, quod sacro non esset abluta baptismate, & ejusdem revelationis veritate comperta baptismi suscepit gratiam.

3. Alius qvidam *Berthricus* nomine in eodem pago *colonus Igonis nostri Presbyteri*, & alumpni S. Lutgeri, filiam habuit adolescentulam paralisi doloribusque destitutam. Qvi cum famam S. audisset spe puellæ sanitatis accensus arrepto itinere ad sacrum illius sepulcrum perducere eam festinavit. Qvibus illuc pergentibus, dixit illa fratri suo, qui eam ante se equitando in sago ferebat, nullum se in corpore sensisse dolorem. Ac deinde subjunxit: Deponite me & sinite abire; quod cum fecissent, stetit illa sano corpore & ambulabat; & exiliens cucurrit, gaudebatque vehementer in ambulando. Illi vero hæc videntes glorificaverunt Deum, pervenientesque ad locum præfatum, narraverunt miracula, quæ gesta erant in via, simul ostendentes, illam nullam læsionis habentem maculam. Completaque oratione ac gratiarum actione cum gaudio redierunt ad propria.

4. Cuidam nostro Diacono Monacho accidit *Hildirado* nomine, dum adhuc in eodem monasterio Viri Dei scholasticus esset, ut in longa ægritudine contractis nervis pobliteque curvato, ejus tibia jungeretur femori, & post longam fatigationem sanato corpore reliqvo ipsa tibia, ut fuerat, curvata remansit. Utebatur enim pro ea in ambulando sustentatione baculi per dies plurimos. Cumque Pater illius *Sigibertus* nomine, jam tunc monachus tractare cœpisset, si aliqua medicorum curatione contractio nervorum ejus relaxari potuisset; ecce sacerdos Domini Lutgerus eidem scholastico in veste sacerdotali cidarim in capite gestans, per visionem apparuit, dicens: Vide, ne pro eo, quod pateris, carnalem alicubi medicinam quærere præsumas; quia si hoc feceris, nullam ipsius medicaminis curationem recipies, & similiter pro levitate ac puerili mobilitate increpavit eum & abscessit. Mane autem facto narravit, quæ viderat: & cum die eodem peractis vespertinis laudibus domum infirmorum, in qua ei priore nocte Vir sanctus per visionem apparuit, intrasset, cernentibus fratribus, qui illic aderant ex templo ad terram corruit, & erecta est ejus tibia sine dolore, audiebaturque sonitus nervorum in

---

(c) *Sudergoe* aliàs.

inpoblite, ac si illic sarmenta sicca frangerentur, & surrexit continuo sanus, nihil sentiens debilitatis pristinæ, sed exultans una cum fratribus referebat Deo laudes. Ipse vero deinceps juxta verbum Viri Dei vitam suam cautius corrigere studuit.

5. Puella qvædam nomine *Modswith* lumen amiserat oculorum, & sine lumine duodenos menses permansit, ut nec extremæ frui valeret visionis. Pater vero & mater audientes famam S. Lutgeri, quanta per eum faceret Dominus ad consolationem infirmantium, peracto itinere perduxerunt eam ad supradictam ecclesiam, in qua accepta licentia una cum cœca filia ante sepulchrum egregii confessoris in oratione transegere noctem: mane autem facto dixit, se puella, jam proprias videre posse manus: & sic largiente Domino lumen paulatim crescere cœpit, ut antequam domum redisset, clare videre potuisset, atque in ea donum, quod caret figmento, tota permansit ætate.

6. Alia quoque puella a dæmonio muto vexata perducta est ad memoratam Ecclesiam, quam mox ut ingressa fuit, statim ab ea spiritus immundus abscessit, & locuta est, quæ fuerat muta; interrogavitque matrem suam; quomodo illuc adveniret? Et dixit, se famem pati. Cui cum mater miserabilem passionem suam ex ordine retulisset, prostravit se ante sepulcrum athletæ Dei, gratias agens Domino Salvatori, qui per servum suum de tam crudeli eam contaminatione liberare dignatus est; & accepta pœnitentia pro actis suis abiit incolumis.

7. Contigit igitur juvenem quendam, *Heliduuin* nomine, paralisin incurrere, & diebus multis, destituto omnium membrorum officio, lecto incumbere, cujus tibia sinistra contracta adhæsit femori, & brachium dextrum similiter contractum obriguit. Cætera vero membra ut prædiximus, sibi inutilia remanebant, sed & cum emissione miserabilis soni, indicis doloris, foras efferri solebat. Cumque diu hæc pateretur, die quadam sororem suam, quæ præ cæteris ejus conpatiebatur doloribus, affatus est dicens: Audivi de S. Lutgero, qualiter per illumDeus infirmantibus sanitates præstare dignatus est, in loco, ubi sancta ejus membra tumulata quiescunt: fac etiam me foras ferri, & contra viam, quæ ducit illuc, poni, ut me voveam illi serviturum, si ejus meritis sanitatem michi Dominus donare dignatus fuerit. Quod cum factum fuisset, statim in ipsa nocte præstante divinâ gratiâ, qvievit dolor ejus, restituta sunt ei omnia corporis officia, præter unam tybiam, quæ ita permansit, ut erat contracta. Peracta igitur gratiarum actione rogavit Dominum suum, ut ad memoratum se locum perduci juberet. Dissimulante autem illo, is quem necessitas regebat, baculo regente debile latus corporis, pervenit ad sepulcrum prænominatum. Peractis ergo ibi noctibus quinque supervenit sollempnitas ejusdem S. Lutgeri. Cumque in ea porticu, quæ est ante Basilicæ januam, infra quam S. Sacerdotis sepulchrum susceptum est, ipsa nocte membra sopori dedisset, ei per visum idem Vir Dei comitatus magno lumine atque Clericorum obsequio, apparuit, tetigitque membra illius, & abscessit, eo in sopore relicto. Qui, dum signa ad nocturnas vigilias, expergefactus audisset; surrexit sanus, & oblitus baculi, priorisque debilitatis, intravit cum aliis in templum lætus & incolumis. Oratione autem facta ad cor rediens narravit omnia, quæ circa se fuerant gesta, & peracta celebratione operis Domini egressus est, baculumque suum in ingressu ejusdem Basilicæ in loco, ubi fuerat sanatus, infixit pro signo curationis, nec inmemor voti prioris redemit se à temporali Domino suo, & votum servitutis implevit.

8. Qvædam autem fœmina ad eundem locum *de Saxonia* cœca perducta est. Cumque coram sepulchro Dei famuli, missarum sollempnia agerentur, in hora evangelicæ lectionis repente lumen accepit, & peracta gratiarum actione incolumis ad propria rediit.

9. Qvidam juvenis *in Fresia* nomine *Osbrat*, à dæmonio muto vexatus, per singulas ecclesias à Patre suo deductus est, ut curari potuisset. Sed cum in nulla earum curari potuisset, tandem pater ejus cœlitus inspiratus peracto longo itinere perduxit eum ad memoratam ecclesiam, & accepta licentia à custodibus ante sepulchrum Sacerdotis Christi Lutgeri nocturno tempore in oratione persistens, habebat secum eundem filium sensu & voce carentem. Cui per misericordiam Dei dæmone expulso integra sanitas fuerat concessa loqvelæ & sensus. Sed & vicina ejusdem Osberti, qvæ erat paralitica ad eandem ecclesiam perducta est, & accepta continuo plena restauratione propriis gressibus remeavit ad patriam, gratias agens salvanti Domino, qui per servum suum ejus corpus cunctorum membrorum officio destitutum tam velociter restaurare dignatus est.

10. Igitur *in pago Borathra* colonus quidam *Follit* (d) nomine, filium habuit cœcum nomine *Gerbaldum*, qui dum per multa sacra loca deductus, nullam medelam susciperet; pio Domino instigante demum S. Lutgeri fama, ad memoriam venit; continuo parentes illius pueri spe

(d) *Folcbald* Antvverpiens. & Benedictini scribunt.

ſpe gaudentes, duxerunt eum foras, & ſtatuerunt contra viam, quæ ducit ad eccleſiam, in qua idem Domini ſacerdos córpore pauſat, devoveruntque ſe illum ad illud ſacrum ſepulchrum cum oblationibus adducturos. Hac itaque ſponſione facta ingreſſi ſunt domum, & ecce ſubito puer ille terſit oculum dextrum, & aperto eo ſtatim videre potuit; terſit alterum, & ſimiliter eo reſerato accepit viſum, exclamansque cum gaudio dixit; ſe clare poſſe videre. Quo agnito parentes ejus cum familia immenſo repleti ſunt gaudio, & benedixerunt Deum, qui per ſervum ſuum tam ſubito ſanitatem puero præſtare dignatus eſt. Sed & promiſſa complentes ad memoratam eccleſiam perduxerunt eum, & cum voto gratulationis deſignaverunt illum nulla ſigna læſionis in oculis habentem.

11. Offerebatur autem puella quædam, quam longa ægritudo continuusque dolor paraliticam fecerant, quæ etiam brachiis continuè caput conſtringere conſueverat, cui maximus incubuerat dolor, ita ut de cerebro ſonus quaſi ſibilus potuiſſet audiri. Cumque in cripta nova nec dum peracta ad ſepulcrum Lutgeri Deum rogatura deponeretur, mira omnipotentis Dei gratia, ſurrexit continuo curata ab omni debilitate corporis, & benedicens Deum abiit incolumis.

12. Contigit cuidam viro *de Saxonia* in loco qui dicitur *Vuerthina* (e), ut per temptationem fieret ſurdus, ita ut nullum omnino ſonum auribus caperet. Qui cum diu funditus officio careret aurium; tandem ſpe recuperationis ductus, pervenit ad ſepulcrum Dei famuli Lutgeri; cumque ſigna ad nocturnas vigilias ſonarent, ſubito apertæ ſunt aures ejus, & dixit, ſe apertè ſonum *cloccarum* audire poſſe, monachosque pſallentes. Et ita continuo percepta reſtauratione auditus, rediit domum magnificans Deum.

13. Aliquando etiam ipſam eccleſiam, infra quam ſepulcrum ejusdem Dei famuli receptum eſt, nocturno tempore columpna lucis optinendo protexit, & ad cœlum usque porrecta foris excubantibus conſpicua ſtabat; ſed & *cloccarum* illic ſonitus frequenter audiebatur, humana non tangente manu, ſed agente potius cognitione Deitatis arckanâ.

14. Cœcus qvidam (f) ad ſepulcrum Dei famuli Lutgeri perductus eſt, ubi dum proſtratus oraſſet, repente a Domino lumen recepit.

15. Alius quidam cœcus nomine *Richbertus*, ad idem ſanctum ſepulcrum adductus eſt, ſed illic celeriter Domino miſerante illuminatus eſt, & Deo gratias agens, ſanus ad propria rediit.

16. Monachus noſter nomine *Adalvardus* affirmare ſolet rem, quæ eo tempore geſta eſt, quo cuſtodia ejusdem eccleſiæ S. Lutgeri ſibi credita fuerat. Narrat, quod quodam tempore die adveſpereſcente cum ad eandem eccleſiam lumen, quod illic ſemper ardere ſolebat, reſtauraturus accederet, juxta ipſius eccleſiæ angulum, ubi interius lectulus ejus poſitus fuerat, antiqvum hoſtem ſtantem aſpexit, cujus viſio nigerrima ac teterrima fuit. Quo viſo præfatus Monachus ſignum ſanctæ crucis ſibi impoſuit, &, ut aſſerit, interritus contra eundem dæmonem aſpiciens diu ſtetit. Cum autem tantam fiduciam ejusdem Monachi diabolus cerneret, talem ac tantum ſonum excitavit, ut paries eccleſiæ & lectulus ejus, qui interius locatus fuerat, minutatim confringi videretur. Quo facto idem Monachus clamavit dicens: Sancte Lutgere, adjuva. Cumque nomen Viri Dei invocando nominaſſet, annuente Domino idem diabolus repentè conſtrictus, & in partem occidentalem abſtractus eſt, atque cum qua violentia traheretur, garriendo, & miſerabiles voces emittendo monſtravit. Monachus vero ille lumen, quod illic paulo ante reliquit, invenit, & lectum ſuum & omne illud ædificium ſanum conſiſtere vidit, & adhuc vocem dæmonis in parte occidentali garrientis audivit.

17. Mulier quædam cum multo tempore membrorum officio deſtituta, miſerabiliumque vocum ſuſpiria emittens lecto incumberet, quandoque ad memoratum ſepulcrum Viri Dei Lutgeri cum magno gaudio & labore allata eſt. Ubi dum Deo favente celeriter priſtinam membrorum ſanitatem reciperet, gratulabunda & exultans Deumque laudans, propriis greſſibus ad ſua reverſa eſt.

18. *Igitur* inſtigante maligno juvenis quidam, nomine Adam, Henricum fratrem ſuum per rixam interfecit, & pro hac cauſa judicante *Jona Epiſcopo* flagellatus atque in carcerem truſus eſt, in quo etiam uno anno jacuit, deinde circumdatis brachiis ferro & corpore medio, indicto fortiſſimo jejunio diſcalciatus, & ſine lineo indumento in exilium miſſus eſt. Quarto vero exilii ſui anno ante ſepulcrum *Gertbrudis* ferrum de ſiniſtro ejus brachio cecidit; deinde poſt anni circulum in Roma in ipſa cripta S. Petri ferrum, quo præcinctus erat, nihilominus cecidit. Cum autem iterum Romam peteret, contigit, ut infirmitate valida illic deprimeretur, cumque in ipſa ægritudine vita ejus deſperata fuiſſet, quidam in ſpecie ſacerdotali per viſum appa-

(e) Antvverpienſ. & Benedictini: *VVerina*.
(f) Antvverp. & Benedict. *Cœcus quidam nomine Eilvvold de loco, qui vocatur Amaloh.* Brovverus autem in margine notat, hunc locum vulgò *Almeloy* dici.

apparuit ei, dicens: Surge, vade, & sepulcrum S. Lutgeri quondam *Episcopi Saxonum Fresonumque* perquire, & illic Domino miserante pro meritis suis sanitatem recipies. Qua visione expleta confestim de infirmitate, qua deprimebatur, absolutus est, adhuc tamen ferrum brachium ejus dextrum ut prius fortiter strinxit, & ita consumpta carne nervisque ipsum etiam os eodem ferro tam validè præcinctum est, ut omnes ejusdem dexteræ digiti præter pollicem & indicem debiles ac rigidi permanerent. Erat enim memoratus miser, juvenis, & ideo ad augmentum doloris sui carnes ejus ex ossa in tempore vinculorum suorum creverunt. Cumque mane somnium retulisset, ibidem statim multi, qui eundem S. Lutgerum in corpore viderant, & sancta ejus studia benè noverant, Romæ inventi sunt; qui cum viam illuc eundi, & locum venerandi sepulcri ipsi juveni intimassent; peracto itinere ad memoratum sepulcrum S. Lutgeri eo tempore, quo illic monachi matutinas laudes Domino celebrabant, ferrum, quod dextrum brachium cinxerat, repentè dissiliens, longius Domini virtute projectum est.

19. Mulier quædam (g) debilis erat, cujus brachium dextrum infirmitate agente inflexibile fuit; manu vero curvata persistente ungves palmæ illius fortiter imprimebantur. Quæ dum diu hæc pateretur, memorati viri Dei fama ad mentem ejus pervenit, cumqve spe sanitatis ducta ad sepulcrum ejus properasset, priusquam eo pervenisset, in ipso itinere plenam corporis sanitatem ei Dominus pro S. viri meritis repentè tribuit. Quæ tamen peracto itinere ad idem sepulcrum cum oblationibus sana exultans, & Salvatorem laudans pervenit, & ita incolumis ad propria rediit.

20. *Cobbonis venerabilis Comitis* colonus quidam adolescentem filium *Warmundum* nomine habuit, qvem malignus Spiritus invasit, & tam vehementer vexare cœpit, ut ad desperationem vita ejus perducta esset. Cujus mater hæc Dominæ suæ videlicet *uxori Cobbonis* sollicitè per nuntium indicare studuit. Illa vero confestim mandavit ei dicens: Si adhuc filius vivit, fac eum celeriter efferri, & statue illum contra viam, quæ ducit ad seplucrum S. Lutgeri, & credo, quod pro ejusdem famuli Dei meritis sanandus sit. Cum ergo mater pro eodem semivivo puero juxta præceptum Dominæ suæ vota perageret; continuo in eodem loco, & in eodem momento Dæmone expulso plenam sanitatem accepit. Deinde secundum sponsionis votum, ad memoratum viri Dei sepulcrum sanus à matre perductus est, sanusque rediit (h).

21. Verum Lutgerus qvamvis cuncta hujusmodi opera occultare vellet, non tamen hæc Deo revelante usquequaque effecit. Villa est *in Saxonia in pago Suderge*, *Alna* (i) nuncupata. Ad hanc dum parrochias suas circuiens veniret, die quadam sedente eo ad mensam, audiebatur foris clamare pauper, anxiè obsecrans, ut Episcopus cœcum hominem respicere dignaretur. Festinavit Diaconus, cujus id erat officii, putans unum esse de pauperibus, qvi stipem petierit, sumensque panem & cibum porrexit illi. Rennuit ille accipere, aliud sibi, dicens, esse necessarium. Deferebatur potus. Ille, nec hoc se velle respondit; nec propter stipem petendam se venisse, sed ut ante Episcopum intromitteretur, ut cœco homini subveniret. At Diaconus non intellecto, quod postulaverit, dimisso illo in domum regressus est. Porro ille foris relictus cum iterato diu vociferaretur, tandem circumspiciens Liutgerus; qvare, inqvit ad diaconum, tam diu dissimulare vis, qvod audis? Et respondit: Detuli illi cibum potumque; sed ille nihil horum curat. Nummum, ait, da ei; qvod cum fecisset, & nihilominus sperneretur; jussit eum Episcopus ad se introduci. Dum ergo introductus esset, ait illi, qvid est, frater, quod habes; qvid est, quod expetis? Ille respondit; fac, ut videam, rogo propter amorem Dei. Videas, inquit Lutgerus propter amorem Dei. Et mirum in modum, cum hoc non imperando dixerit, sed tantum *miratus petitionem*, similia verba responderit; statim ille vidit, jussusque accedere ad mensam lætior comedit & bibit, abiitque in viam suam

22. Ferebant autem veracissimi Viri de discipulis ejus, quod quodam tempore, dum ad *comitatum* pergens, per *provinciales*, *qui Hassi dicuntur*, iter ageret, per orationes ejus homo mortuus revixerit. Qui scilicet *propter furtum caballorum Widekindi Ducis Saxonum* * huic morti adjudicatus fuit, ut in campo ad stipitem ligatus, jactatis in eum sudibus acutis & lapidibus necaretur. Qvod dum factum fuisset, corpus exanime in campo relictum est. Venit autem Lutgerus secus locum, & comperto quod Christianus fuerit, *mittens ad Witikindum*, impetra-

N

(g) Antvverpiens. & Benedictini: *In Ripuariis juxta ingressum sylvæ Hamarithi, villa nomine Budica constituta est, in qua mulier quædam* &c.

(h) Antvverpiens. & Benedict: *sanusque rediit*, *atque in ea*, *quam acceperat*, *sanitate*, *domino largiente*, *permansit*. Atque in his verbis definit vita S. Lutgeri, quam edidere Antvverpienses & Benedictini. Quæ autem in nostro Exemplari sequuntur, aut continuatoris, aut ipsius Altfridi, ea habentur etiam iisdem ferme verbis in Anonymi coætanei Frisonis Actis a Brovvero editis ex MSto Fuldensi.

(i) Cincinnius in tit. c. 24. *Alen* vocat.

* Ergo in finibus Hassorum in loco quodam Budenfeld Widekindus possessiones habuit.

petravit ad humandum corpus. Dehinc discerpta totius corporis membra pallio colligi jussit, & inferri in tentorium suum, donec humando corpori sepulcrum pararetur. Dum ad hoc ventum esset, ut elatum de tentorio, in fossam ponerent, astante Episcopo; efferte, inquit, eum è tumulo, namque illi spiritus inest. Qui dum elevatus esset, respirare cepit, & iterum illatus in tentorium oblato potu refocillabatur, & ligari jussit antistes vulnera ejus, & in brevi tempore convaluit. Stat adhuc in eo loco lapidea crux in monumentum miraculi hujus ab incolis erecta: & ex nomine ejus dein viri, quia *Buddo* vocabatur, campus ille *Buddonuelt* usque hodie nominatur.

23. Oppidum est in Saxonia notum plurimis *Meppea* nominatum, in cujus vicinia, dum antistes sanctus Fresiam pergens veniret, aspexit non longè a via, vulgi concilium die dominica congregatum. Divertit illuc volens cognoscere, quæ causa hujusmodi conventiculi existeret tali die, viditque in colle, quem circumvallaverant rei cuidam suspendium præparari; accedensque propius affatus est eos blande, postulans sibi concedi hominem, aut si necesse esset eum interfici, hoc eo die nequaquam facerent, magis ipsi ad ecclesiam missas audire convenirent. Cumqve nihil horum a rusticis inpetrare posset, contumeliosis insuper verbis Clerico insultantes, *quia ad ejus Parrochiam locus ille non pertinebat*, vix obtinere potuit, ut parumper cum homine de pœnitentia se loqvi permitterent. Factum est hoc. Discessit antistes, & homo in patibulum est suspensus. At vero vespere illius diei, cum Episcopus itineris sex ab eo loco milliaria peregisset, manens in *villa quæ vocatur Aschandorp*, en veniens homo ille, quem paulo ante suspenderant, ad pedes episcopi corruit. Mirantibus ac sciscitantibus cunctis, qvomodo de eo gereretur, rem taliter pandit: Cum ego, inquiens, Episcopo inde digresso, sursum in patibulum traherer; videbam duos viros à latere Episcopi eqvitantes aliquamdiu cum eo per iter loqui, dehinc post paululum alter festinè regrediens, nescio quid mihi pendenti supposuit, super qvod firmiter stans non sentiebam cruciatum, donec dispersis hiis, qui me suspenderant, & ad occasum vergente Sole, me idem ipse deponeret. Depositum jussit iter vestrum quantocius sequi & pro concessa vita sancto Antistiti gratias agere, quam michi ipse dum à fatuis contempneretur, à Domino inpetravit, addiditque se nullo pacto scire, qualiter ipse post virum Dei tantum viæ spatium in momento percurrerit. Ferunt & alia multa miranda venerabiles viri de discipulis ejus à Beato Lutgero gesta vel dicta, quæ cuncta ponere inmoderatioris fortasse prolixitatis videretur.

24. Præterea monasterium qvod in honore sanctarum reliquiarum, quas ab apostolico acceperat, olim construere decrevit, ubi posset construi, *agnita maritimarum regionum desolatione*, sollicitè requirebat. Duo autem loca construendis monasteriis apta videbantur, unus *in Witmundi* (k) *juxta fluvium Isla*, alter qui *ad cruces* dicitur secus *fluvium Arnapa* (l); sed divinæ præscientiæ voluntatem super hiis demonstrari sibi devotis jejuniis & orationibus deposcebat. Unde cum ad locum, quem juxta amnem Arnapa eum elegisse diximus, hyemis tempore veniret; crucem ligneam in eo loco jussit erigi, & ipse solus coram cruce in nive maxima duri frigoris & longæ noctis prolixas usqve ad lucem in oratione protraxit vigilias. Proinde divina revelatione monasterium ibi esse non posse, cognovit; sed locum in quodam saltu *juxta fluvium Rura* fundando monasterio à Deo fore præscitum. Quapropter dum suæ viæ comitibus quæ divinitus cognoverat, referret; ad promissum à Deo locum properavit, & cum possessore ejus locutus locum illum data terra alia comparavit. Posthæc autem, cum occupationibus variis liberior factus tempus huic vacationi aptum invenire potuit, assumptis secum, quas huic operi necessarios scivit, ad ipsum denuo locum profectus est.

25. Erat ibi *sarculum* (m) qvoddam arborum opacitate, & silvarum densitate undique conclusum, ibi fixis tentoriis mane primo arbores diruere & locum ponendis ædificiis expurgare, si qva facultas daretur, disponebant. Quod tamen illis fieri omnino inpossibile videbatur: unde & Beatum virum à sua intentione penitus revocare studentes, dixerunt; incredibile prorsus videri, illum locum umqvam habitabilem fieri posse, qvoniam arborum densitate & ramorum obductione cœlum qvoqve ipsum absconderetur. At ille spem suam in Domino ponens; quæ hominibus, inqvit, impossibilia sunt, Deo possibilia sunt. Itaque nocte ingruen-

(k) Locus hodieque notus in Tabulis, intervallo unius leucæ ab urbe Sutphaniensi.

(l) Vulgò hic fluvius *Erfft* & *Erpe* dicitur, variaque Juliæ oppida alluit & Rheno immergitur Coloniam inter & Doesburgum.

(m) Surius vertit: *nemus*. Antvverpienses suspicantur *sartulum* esse scribendum, ut sit diminutivum a *Sart* Teutonicâ voce, germanis superioribus *Hart* pronunciata; quâ significetur non simpliciter silva, sed silva præ fruticum densitate pene impervia; qualis hic locus describitur.

gruente cum temperius ad vigilias nocturnales surrexissent, post peractum officium se cubitum denuo receperunt; cumqve jam omnes dormire putaret, tacitè surrexit & tentorium egressus paululum orationis gratia secessit: sed qvia qvidam ex ejus contubernio clericus nomine *Thiatbat* eadem hora vigilavit, ipsum confestim foras exeuntem secutus est, quod mox vir Dei cognovit, & paulisper quasi pro horæ inspectione substitit, deinde tabernaculum ingressus rursus exiit. Sed eundem clericus, qvem diximus, secutus est. Ita secunda qvoqve vice oratione ejus intercepta clericum stratum suum repetere, nec ante lucem surgere præcepit. Ipse qvoqve, ut ejus curiositatem eluderet, se cubitum recepit. Cumqve aliquamdiu expectaret, & neminem vigilare suspicaretur, tertio surrexit, & egressus sub qvadam arbore se in orationem dedit; Verum cum memoratus clericus, contra auctoritatis præceptum, sequi non auderet, & omnino, qvid agere vellet, explorare intenderet, *papilione* juxta lectum suum levata, in oratione positum vidit: erat enim nox luna & stellis admodum clara. Et cum diutissimè orasset, & se per Spiritum à Deo auditum cognovisset, tentorium cunctis, ut putabat, ignorantibus repetivit. Mutata ilico qvæ tunc erat cœli serenitas, obscurata astra, & ventis hinc inde surgentibus tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circumqvaqve arbusta, & cum magno licet omnium timore ipsa elementa famulo Dei militabant. Nam cum diluculo exsurrexissent, videbant silvam hinc inde erutam fundando monasterio locum satis amplum dedisse; & arbores passim jacentes sufficientem lignorum ad ædificationem copiam præbuisse. Unde S. Lutgerus cum die jam clara suos reliqvo operi instare hortaretur, eos percunctari gratulabundus cœpit: anne adhuc cœlum se ex illo loco crederent conspecturos?

26. Mane ex arboribus, quas illic corruisse diximus, una solum non diruta remansit, sub qva eadem nocte vir Dei oravit, sub hac sellula, jam luce clara, posita, suos ad operandum hortabatur. Ibi qvidam ad eum ex ejus clericis nomine *Odilgrimus* ex itinere, qvo directus fuerat, venit; qvem inter mutua quæ habuerunt colloqvia, ipse interrogavit; qvid sibi de illo loco videretur? utrum nam eum Monachorum collegio congruum arbitraretur? At ille vultum ejus clariorem solito videns; in vestra, inquit, facie video, hoc opus sine Dei voluntate inchoatum non esse, locum jam olim electum a Deo oportunissimum divino servitio futurum. Qva responsione ipse delectatus, *gratias*, inqvit, *babe*, qvoniam secundum voluntatem meam locutus benivolentiam, quam solum homo potest, tuam ostendis; Cæterum effectus in Dei potestate est constitutus. Illud sanè te nosse volo, qvod tamen vivo me aliis te publicare nolo, in hoc loco me diem judicii expectaturum, & me hic, ubi nunc sedeo, monumentum habiturum. Ita Clericus arborem qvam diu ibi stetit diligenter observavit; sed cum post ea in usum ecclesiæ qvæ ad occidentalem ejus partem construebatur, præcisa esset, lapidem in eo loco nullo alio sciente pro signo infodit, qvi ibidem cum postea sepulcrum Sancto foderetur, effossus est.

27. In angustiis positus vel sollicitus in majoribus rebus tractandis hoc statim exordium sumere moris habuit, Sacerdotes missas celebrare monuit, religiosis viris vel fœminis jejunia mandavit, invitavit pauperes & egenos, & sic in omnibus gressibus ejus se Domino commendavit. Omnem censum, qvi in hæreditate propria vel in Episcopio colligebatur, mox distribuere studuit, nichil omnino præter solum necessarium usum super angustioribus [f augustioribus] ædificiis vel ambitiosis ministeriis curans. Qvapropter cum à quibusdam Regis Principibus quasi stirpator Episcopii criminaretur, & qvi nullas ædificiorum honestates nec ipsis ecclesiis congruos metallorum ornatus prævidere scierit, gloriosissimus Imperator ad ejus audientiam invitavit. Unde dum veniens mansionem apud palatium accepisset, mane primo ad eum Imperator cubiculario misso, ad suum jussit venire colloqvium. Forte tunc antistes, dum consuetudinariis ex more psalmis & orationibus instaret, dixit cubiculario, ut præcederet, se mox divino peracto officio secuturum. Dum secundo & tertio nunciis venientibus ille ab incepto non moveretur opere, occasionem se accusatores ejus invenisse lætati ex hoc ipsius facto criminationem cumulabant. Verum dum completis Psalmodiis ante Imperatorem venisset, dixit Imperator: Qvare nostrum mandatum sic difficile accepisti, Episcope, ut tot accersitus nunciis statim venire despiceres? Qvia, inqvit Lutgerus, & Tibi, o Rex, & cunctis hominibus Deum præponendum arbitrabar: hoc enim mihi præcepisti, curam episcopalem committens; idcirco à tuis licet vocatus nunciis omnipotentis servitium intermittere inconveniens judicavi: At mox divino peracto servitio paratior ad Regis imperium veni. Qvod responsum ejus Imperator optimus veneratus *gratias*, ait, *habeto*, Episcope, qvia talem te modo invenio, qvalem antea æstimabam. Fuerunt autem aliqvi qvi facta bonitatis tuæ malivolè apud me interpretati sunt, sed hoc deinceps minus gratos habebo, & nullius verba super tua criminatione me ulterius spondeo accepturum.

28. Porro qvia sanctorum officiorum incidit mentio, narrant, qvod dum ad opus diurnum [divinum] staret vir Dei, ineffabiliter timorata intentione fixaque mente manserit. Aliquando

do dum in itinere esset, lectus illi ad vicinum focum struebatur, unde dum noctu stans juxta lectum matutinas laudes cum clericis cantaret, & tectis cinere prunis fumus evaporans illi in faciem exalavit; ille qvasi nihil sentiens inmotus mente & corpore stabat: at unus ex clericis auferre hoc volens incommodum curvato genu carbones detegit & insufflans *sopitos suscitat ignes.* Mane autem vocans clericum distinctè [fortè: districtè] sciscitatus est; qvare hujus mentis fuerit, ut sacris ymmis dimissis se magis incurvaverit ad construendum focum? Et pœnitentiam aliquot dierum sibi indicens, docuit clericos, dum ad opus divinum assisterent, omnes occurrentes cogitatus amovendos, & qvantum humani cordis fugacitas patitur, nihil aliud cogitandum.

29. Igitur de sancto transitu beatissimi viri (n) non tam nobis dolendum quam gaudendum esse videmus. Gratias enim agere debemus, *quod talem nostris temporibus virum concessit*, qvi & prioribus Sanctis æquandus, & *hujus ætatis hominibus* incomparabilis, & posteris imitandus exstitit. Gratias enim agere debemus, *quod nos eum & Pastore Patronum habere fecit.* Nam qvamvis omnes sanctos nos Patronos habere confidamus, ipsum tamen speciali licet nos [forte: nos licet] indignos patrocinio tueri non absurde speramus. Qvantum autem apud Deum ejus patrocinia valeant; testantur sanitates morbidorum, qvibus in variis necessitatibus succurrit. Proinde non ut mortuum plangimus, sed ut viventem subsidio suarum precum nobis subvenire oramus. O verè beatum & omni laude dignissimum, Angelis, Prophetis, Apostolis, Martiribus, Confessoribus, Virginibus non inmerito comparandum: Angelis munditia & cœlestium contemplatione; Prophetis futurorum notitia; Apostolis Pastoralis curæ successione, & prædicationis imitatione; Martiribus carnis castigatione & martirii desiderio; Confessoribus divini nominis coram Regibus & Principibus confessione; Virginibus corporis simul & mentis castitate. Qvis ejus sanctitatem non veneretur? Qvis miraculorum operationem non obstupescat? Qvis ejus humilitatem in signis occultandis non miretur? Majora sunt illa, quam ut dignè ea nostræ linguæ ariditas valeat explicare. Nec eget ille nostri sermonis præconio, qui tantis apud mortales prodigiis clarus; qvi tantum inter Angelos & omnium Sanctorum choros in cœlo est glorificatus: ubi nunc Christo conjunctus pro nobis ejus servis, suisque servitoribus apud ipsum intercedat, qvi cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat Deus per omnia seculorum secula, Amen.

V.

Excerptum ex Litaniis Rythmicis vitam S. Ludgeri continentibus, Werthinæ scriptis,

De Monasterii in Helmstät fundatione à S. Ludgero facta.

Ex Litania I.

FUndavit insuper tria loca pariter
Numero locorum, quo & populorum
Werthinam, Helmenstad monachis fundaverat,
De proprietate vel hæreditate,
Et Episcopium dictum Monasterium &c.

Ex Litania II.

Ita ut plurimis studeret discipulis
Omni semper mane lectionem dare.
Qvos & erudiens ipse & instituens,
Per honestos mores duxit ad honores.
De quibus plurimi facti sunt Episcopi;
Suus sicut primus frater Hildegrimus:
Qvi in Ecclesia dudum fuit aliqua,
Catalaunensi Præsul, sub Remensi:
Ubi dum degeret, & commissa regeret;
Et prosperitatem habuisse fratrem

Liud-

(n) Quæ hoc in Capite ad finem usque extant, in nullo exemplari impresso de vita aut miraculis S. Ludgeri hactenus habentur.

Liudgerum cerneret, ut gentes converteret,
Qvos de paganiſmo acquiſivit Chriſto;
Et ipſe monitus nimirum divinitus,
Ad Northuringenſem ſe committit gentem,
Uſus auxilio fratris & hoſpitio,
Manentis in loco Helmenſtad vocato:
Ubi ſanctisſima ordinantes ſemina
Evangeliorum, in Northuringorum
Jecerunt pectora, donec Dei gratia,
Fecit ibi fructum cœlos usque ductum.
Eſt *Epiſcopium* adhuc teſtimonium,
Qvo incepit ſedem *Hildegrimus* idem,
Qvi qvamvis Werthinæ ſit conditus corpore,
Haluerſtadis tamen ſit patronus, Amen.

VI.

Chartularium Werthinenſe ex MSto.

In nomine Sanctæ Trinitatis incipit liber chartarum cambiæ.

Contra Folcbertum in Widuberge.

I. NOtum fieri cupio omnibus tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Liudgerus Presbyter* aliquantulam particulam hæreditatis dato pretio à *Theganbaldo ingenuo & nobili* homine comparavi in villa, quæ nuncupatur *Fislacu*, [Fislaeck], id eſt Hovam illam, quæ dicitur Alfgedinc-hov[illegible]m omni integritate, ſive in ſylva, ſeu in paſcuis & perviis & in aquarum uſu & decurſibus: [illegible]c omnia à ſupra dicto *nobili Franco Theganbaldo* ego *Liudgerus Presbyter* comparavi, & aliquantos annos poſſedi, & in ea elaboravi, quod potui. Nunc autem eandem Hovam in terra aratoria, qvicquid in ea unqvam aratum fuit, dedi Folcberto contra illum *Rotbum*, quod dicitur *Widuberg* inter duos rivulos, id eſt, inter *Diapanbeci*, & alium ab Occidente usqve in flumen *Ruram:* excepto, quòd ego *Liudgerus* dominationem, quæ ad illam Hovam reſpexit, mihi retinui, ſeu in ſylva, ſive in aquis & paſtu, vel in comprehenſione cum omni integritate juri meo reſervavi, & in ea ratione accepi *Rotbum* illum à Folcberto vicino meo in Cambia contra terram aratoriam Hovæ ſuprà dictæ, ut eum jure hæreditario in perpetuum posſidere debeam, & ad æternos uſus eccleſiæ Dei & ſervientium ejus redigere: aut qvicquid exinde utile eſſe decrevero, liberam & firmisſimam habeam poteſtatem ab omnibus, ſive vivens facere, ſive poſt obitum meum, tantum ad uſum fructiferum pertinentem & proficientem. *Si qvis* verò, quod futurum eſſe non credo, ego ipſe, quod abſit, aut aliquis de hæredibus vel pro hæredibus meis, ſeu qualibet oppoſita perſona, quæ contra hanc chartam Cambiæ injuſto conamine venire tentaverit aut eam infringere voluerit, imprimitus iram Dei cœleſtis incurrat, & à ſanctorum Angelorum ſocietate ſeparetur, & ab ingreſſu omnium eccleſiarum alienus exiſtat, qvoadusqve ſe correxerit à nefaria præſumtione. Et inſuper à fisco mulctatus auri libras duas, argenti pondus decem coactus exſolvat; & ſic quidem quod repetit, evindicare non valeat, ſed firma & immutabilis hæc Cambia in ſempiternum permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Acta eſt autem publicè *anno XXXI. glorioſi atque religioſi ſecundi Regis Caroli, XVI. Kalendas Martii* in loco, qui dicitur *Diapanbeci* in *Ripa-rura*, coram teſtibus ac manum mittentibus, quorum nomina ſubtus adnotantur. Notavi tempus, diem, locum, quô hæc acta ſunt. Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Signum Folcberti, qui hanc chartam fieri rogavit & propria manu firmavit. Signum Regenberthi. Signum Alfdagi. Signum Bonno. Sig. Fridubaldi. Sig. Hluduwini. Sig. Giffudi. Sig. Borngeri. Sig. Hildiradi. Sig. Borbini. Sig. Liudrici. Sig. Walafridi.

Traditio Hludvvini ad VVerethinas.

2. Notum fieri cupio omnibus tàm præſentibus quàm futuris, qvomodo ego in Dei nomine *Hluduwinus*, filius quondam Thiatheri, pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione tradidi omnem partem hæreditatis meæ in loco nuncupato *Werethinum*, ad reliquias S. Salvatoris, & venerabili *viro Liudgero Abbati*, qvi ipſas reliquias ſemper ſecum geſtare ſolet, id eſt, inter duos rivulos, qui ſurgunt in monte, & in flumen *Ruram* vadunt: unus vocatur *Diapan-*

panbeci; alter verò in Orientali parte, id est, *absque nominis appellatione*, de terra aratoria usque in flumen *Ruram*, traditumque in perpetuum esse volo, & nullis temporibus immutatum. Sed ipse venerabilis Abbas *Liudgerus* hanc traditionem, quæ dudum comprehensio mea esse dinoscitur, simul cum illa terra, quæ ibidem jam culta esse videtur, totum & ad integrum perennibus temporibus teneat, possideat, ad usus ecclesiæ Dei, liberamque & firmissimam potestatem habeat à me & ab omnibus hæredibus meis, qvicqvid exinde facere voluerit, & in cujuscunqve manus mittere decreverit, dum adhuc ille advixerit, qui post obitum suum illud excolat, & ad utilitatem ecclesiæ Dei redigat. Si quis verò, quod futurum esse non credo; ego ipse, quod absit, vel aliqvis de hæredibus meis, aut ulla adposita persona, quæ contra hanc traditionem venire conaverit, imprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & à consortio omnium ecclesiarum anathematizetur; & insuper in Dominicum auri libras V. argenti pondus X. coactus exsolvat. Et sic quidem, quod repetit, evindicare non valeat; sed firma & immutabilis traditio hæc in sempiternum permaneat, stipulatione subnixa. Acta est autem publicè *XXXI. anno regni religiosissimi Regis Caroli, XV. Kal. Febr.* coram manummissoribus in loco nuncupato *Diapanbeci*, sive *Werithina*, quorum nomina infra tenentur. Notavi diem, locum, tempus, quo scripsi. Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Hludwini, qui hanc traditionem dominante manu peregit, propriaqve subtus firmavit.

Signum Reginberti. Sig. Thiatbaldi. Sig. Thiathori Sig. Frithuradi. Sig. Frithubaldi. Sig. Frithubrandi. Sig. Reginbaldi. Sig. Theganradi.

Traditio Oodhelmi ad VVithmundum.

3. Dum unusqvisqve in præsenti seculo conversatur, cogitare debet & perpendere, qvaliter sibi vitam adquirat & remunerationem sempiternam post mortem. Idcircò ego *Oodhelmus*, filius qvondam Oodwerci, pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione tradidi partem hæreditatis meæ, quæ mihi jure hæreditario legibus contigit, id est tres Hovas in tribus locis, quorum nomina locorum hæc sunt: Hova una Okinni i[illegible] *Isloi*, altera in *Manberi*, illa *Selibova* in pago *Norhtuvanti*, tertia in *Hasungun* in eodem pago. Hoc quod modo denominavi, tradidi *in reliquias sancti Salvatoris*, quæ in *Withmundis* constitutæ sunt, & in manus *Liudgeri Presbyteri*, traditumque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ejusdem ecclesiæ custodes hæc omnia possideant cum integritate illibata: tantum ut diebus vitæ nostræ ego & conjux mea dilecta Theodlinda res istas in beneficio ejusdem ecclesiæ sub usu fructifero habere valeamus, id est, ut per singulos annos solidum unum ad luminaria ecclesiæ in Natali Domini donare debeamus. Post nostrum vero discessum de hac vita in dominationem supra dictæ ecclesiæ res ipsæ melioratæ perveniant cum omni integritate: ejusdem ecclesiæ legitimi procuratores ad utilitatem ejus qvicqvid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam ab omnibus habeant potestatem. Siqvis verò, quod futurum esse non credo, ego ipse, quod absit, aut aliquis de hæredibus vel pro hæredibus meis contra hanc traditionem venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, instigatus à diabolo, inprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & à sanctorum Angelorum societate separetur, & ab ingressu omnium ecclesiarum alienus existat, donec se emendet à præsumtione nefanda. Et insuper in Dominicum auri libras duas, argenti pondus X. coactus exsolvat, & sic quidem quod repetit, evindicare non valeat; sed firma & immutabilis hæc traditio in sempiternum permaneat stipulatione subnixa. Acta est autem publice in loco ipso, qui dicitur *Withmundi* anno XXXI. regni religiosissimi Regis Caroli sub die V. Idus Junii. Notavi diem, tempus, locum, quô hæc scripta sunt. Ego Thiatbaldus, humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Oodhelmi, qui hanc traditionis chartam fieri rogavit & propria manu firmavit.

Signum Hildigeri. Sig. Meginulfi. Sig. Liudgeri. Sig. Meginungi. Sig. Gerwini. Sig. Marcrici. Sig. Thathumeri. Sig. Gerhardi.

Traditio Immæ.

4. Notum fieri cupio omnibus tam præsentibus quàm futuris, qualiter ego *Imma* tradidi partem hæreditatis meæ ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ constructa est in pago *Ripoariorum*, in loco, qui dicitur *Werthina*, super fluvio *Rura*, hoc est, quod tradidi in pago *Sutrachi*, in villa, quæ dicitur *Aldgreposhem*, terram XX. animalium & dimidiam unius, & in alia villa terram XV. animalium, quæ vocatur *Kompingvverva* in ipso supra dicto pago: Et in tertia villa XII. animalium terram, quæ vocatur *Invvostarburon* in pago *Westrachi*, traditumque in perpetuum esse volo, & promtissima voluntate confirmo, & transtuli de mea potestate in illorum potestatem, ut post hunc diem habeant licentiam habendi, possidendi, commutandi, & qvicquid exin-

exinde facere voluerint, liberam & firmissimam habeant ab omnibus potestatem. Siqvis verò, quod futurum esse non credo, si fuerit in postmodum ego ipse aut aliquis de hæredibus meis seu ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem à me factam venire voluerint aut eam infringere & immutare tentaverit, imprimitus iram Dei omnipotentis incurrat, & à liminibus Sanctorum efficiatur extraneus, præsensque traditio firma permaneat stipulatione subnixa. Acta est *in Werthina monasterio XIV. Kal. Septembr. anno VI. Regni Domini Ludovici Regis indictione VIII.* Ego Thiathardus humilis Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Immæ, qui hoc tradidit, & propria manu firmavit.

Isti sunt visores & auditores:

Signum Remberti. Sig. Erpolfi. Sig. Aldhardi. Sig. Wichardi. Sig. Snelgeri. Sig. Erbaldi. Sig. Iti. Sig. Sigiwardi. Sig. Heio.

Traditio Henrici juxta Ruram.

5. Dum unusqvisqve in præsenti seculo conversatur, cogitare debet & providere, quomodo animam suam salvare possit, & æternum sibi refrigerium invenire post temporalem & mortalem vitam mundi hujus. Hoc ego *Henricus* perpendens in animo meo, & frequenti meditatione revolvens tradidi pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione *ad reliquias sancti Salvatoris* & sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus *Liudgeri Presbyteri*, qui easdem reliquias procuravit, particulam hæreditatis & proprii laboris mei, id est totam comprehensionem in sylva, quæ dicitur *Hoissi* in aquilonali ripa *fluvii Rura*, quam ibi dudum comprehendi inter montem & ipsum fluvium, communionemque in eandem sylvam. Simili modo tradidi & piscationem in Rura cum pascuis, perviis, aquarumque decursibus, quæ illuc attinent, & in ipso loco excoli possunt & perfici. Hæc omnia tradidi ad reliquias superius nominatas, & in manus jam dicti Presbyteri, traditaque in perpetuum esse volo, & per nulla temporum curricula ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei in eleemosynam meam ista omnia superius nominatus Presbyter Liudgerus jure hæreditario possideat, habeat, colat & fructificet, & cuicunque disposuerit, & utile esse perspexerit, post obitum suum commendare & tradere, liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem. Siqvis verò instigatus à diabolo, quod tamen futurum esse non credo, ego ipse, qvod absit, aut aliquis de hæredibus vel pro hæredibus meis, seu quælibet extranea persona contra hanc traditionem venire tentaverit, aut eam infringere proposuerit fixâ & deliberatâ intentione, *imprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & à sanctorum Angelorum societate separetur, & ab ingressu omnium ecclesiarum alienus existat, donec se emendet à præsumtione nefanda.* Et insuper in Dominicum auri libras duas argenti pondus X. coactus solvat. Et sic qvidem, quod repetit, evindicare non valeat, sed firma & immutabilis hæc traditio in sempiternum permaneat cum stipulatione subnixa. Acta est autem publicè *anno XXVIII. regni Domini nostri religiosissimi Regis Caroli, VI. Kal. Martias, in villa, qua dicitur Hlopanheldi* coram testibus & manumissoribus, qvorum nomina subtus notantur. Et ut hoc traditionis testamentum firmius perseveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, in quo factum est. Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Henrici, qvi hanc traditionem perfecit & propria manu firmavit. Signum Hriatthrudæ conjugis ejus consentientis & confirmantis. Signum Heribaldi filii ejus consentientis & confirmantis. Sig. Æerici, filii ipsius eadem facientis. Sig. Berngeri subtus firmantis. Sig. Aluberti, clerici. Sig. Hluduwindi. Sig. Theganbaldi. Sig. Guntfridi. Sig. Oodfinni. Sig. Hildiberti. Sig. Wimberti. Sig. Cassi Diaconi. Sig. Raadfridi. Sig. Landberti.

Traditio Liudgeri.

6. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Liudgerus, filius quondam Hrodgeri*, pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione tradidi ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ semper Virginis & in manus *Liudgeri Presbyteri*, qui easdem reliqvias procurabat, portionem hæreditatis meæ, id est, omne, quod jure hæreditario legibus obvenit *in villa, qua dicitur Bidningahemi*, & in alia, quæ nuncupatur *Thornspyc*, in terra aratoria, seu in pratis, & in pascuis, & in omnem communionem mecum in sylvam, qvæ dicitur *Huifterbant*, exceptâ unâ particula in illa prata, quæ dicitur *Blidgeryngmad*, qvam mihi reservavi pro necessitatibus meis. Cætera autem omnia tradidi ad reliquias superius denominatas & in manus jam dicti Presbyteri cum omni integritate in villulis, qvibus antè dixi, sive in terra aratoria, seu in pratis & pascuis, vel piscationibus, & aquarum decursibus, perviis, communis, quæ ad illas villas adtinent. Et hæc omnia tradita in perpetuum esse volo, nullisque unquam temporibus ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei ista omnia jure hæreditario jam me-

memoratus Presbyter Liudgerus possideat. Siqvis verò instigatus à diabolo, ego ipse, quod absit, aut aliqvis de hæredibus vel pro-hæredibus meis, seu quælibet extranea persona contra hanc traditionem venire tentaverit, aut eam fixa & proposita intentione infringere decreverit, imprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & à sanctorum Angelorum societate separetur, atque à liminibus omnium ecclesiarum alienus existat, donec se emendet à nefaria præsumtione. Et sic quidem, quod repetit, evindicare non valeat, sed firma & immutabilis hæc traditio in sempiternum permaneat cum stipulatione subnixa. Acta est autem publicè in loco, qui dicitur *Adosumnis* [Rocroort] *anno XXVIII. Regni Domini nostri religiosissimi Regis Caroli, sub die Kalendarum, VIII. Idus Junias* coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc testamentum traditionis firmius habeatur in perpetuum, notavi diem, tempus, locum, in quo hæc facta sunt. Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Liudgeri, qui hanc traditionem in eleemosynam suam peregit, & propria manu subtus firmavit.

Signum Bernsuidæ consentientis. Sig. Gerwali. Sig. Welfrici. Sig. Bago. Sig. Hrodberti. Sig. Wigbaldi. Sig. Borhtrici. Sig. Fegingeri. Sig. Wilbaldi. Sig. Helmrici. Sig. Liudberthi. Sig. Meginbaldi. Sig. Bernhardi. Sig. Hiddoni. Sig. Hrafangrimi. Sig. Weringeri. Sig. Folcradi. Sig. Raadgeri.

Traditio Folchardi & Reginaldi & Gerhardi &c. in Withmundi.

7. Notum fieri desideramus omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter nos hæredes & comparticipes & consangvinei, his nominibus *Reginaldus, Folchardus, Gerhardus, Wisil & Helmberbtus* tradidimus agrum hæreditarii juris nostri *in Withmundi Liudgero Presbytero & Abbati* ad construendam in eo ecclesiam in Aqvilonali latere agri illius, qvem *à Wrachario Comite* tradente ipse Liudgerus suscepit: traditumque in perpetuum esse volumus & nullis unqvam temporibus immutari, sed ad perpetuos usus & ad utilitatem ecclesiæ Dei supra dictus Presbyter liberam & firmissimam à nobis & ab omnibus habeat potestatem, qvicqvid exinde vivens agere voluerit, aut cuicunqve post obitum suum tradere decreverit ad colendum & fructificandum in ecclesia Dei. Siqvis verò, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, qvod absit, aut aliqvis de hæredibus, vel pro-hæredibus nostris contra hanc traditionem venire tentaverit aut eam infringere voluerit instigatus a diabolo, imprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & à sanctorum Angelorum societate separetur, & ab ingressu omnium ecclesiarum alienus existat, donec se emendet à præsumtione nefanda. Et insuper in Dominicum auri libras duas, argenti pondus decem, coactus exsolvat, & sic qvidem, quod repetit, evindicare non valeat; sed firma & immutabilis hæc traditio in sempiternum permaneat, stipulatione subnixa. Acta est autem publicè in loco ipso, qui dicitur *Withmundi*, anno tricesimo secundo regni religiosissimi Regis Caroli, sub die XIII. Octobr. Notavi diem, locum, tempus, quô hæc scripta sunt. Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Isti sunt visores & auditores:

Signum Folchardi, Gerhardi, Wisel & Helmberti, qvi hanc traditionem perfecerunt & propriis manibus firmaverunt.

Sig. Hildigeri. Sig. Oodhelmi. Sig. Meginungi. Sig. Waldfridi. Sig. Werinberti. Sig. Hrodberti. Sig. Liudgeri. Sig. Werinhardi. Sig. Engilberti.

Traditio Hrodulfi in Englandi.

8. Notum fieri desidero omnibus, & præsentibus & futuris, qualiter ego *Hrodulfus, filius quondam Wibaldi* tradidi ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ semper Virginis & in manus *Liudgeri Abbatis* particulam hæreditatis meæ *in pago Folum* [Velow] in villa, quæ dicitur *Englandi*, id est curtile unum & duodecimam partem in sylvam, quæ dicitur *Braclog*, cum pascuis & plena dominatione, quæ jure legali ad illud curtile pertinere compertum est. Hæc omnia tradidi in eleemosynam meam ad reliquias superius memoratas, & in manus jam dicti Abbatis, traditaqve in perpetuum esse volo, & per nulla temporum curricula ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei ipse *Abbas Liudgerus* qvicqvid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem, stipulatione subnixa. Acta est autem publicè in loco, qvi dicitur *Wigtmundi, ad ecclesiam sancti Salvatoris anno XXXIII. regni Domini nostri religiosissimi Regis Caroli, VII. Kal. Septembr.* coram testibus ac manummissoribus, qvorum nomina subtus notantur. Et ut hoc traditionis testamentum firmius perseveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, qvo scriptum est. Ego Thiatbaldus Presbyter ro-

rogatus scripsi & subscripsi. Signum Hrodulfi, qvi hanc traditionem dominante manu perfecit & subtus firmavit.

Signum Hildigeri. Sig. Liudgeri. Sig. Eurwini. Sig. Liudgeri. Sig. Meginberti. Sig. Engilberti. Sig. Oodhelmi. Sig. Germundi.

Traditio Hirpingi.

9. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus, qvam futuris, qvomodo ego *Hirpingus* filius qvondam N---- accepto pretio *à Liudgero Abbate*, vendidi ei vineam unam in villa, qvæ nuncupatur *Bacheim*, qvæ etiam villa in ripa consistit fluviali, qvæ dicitur *Melenbach* [*Melem* propè Bonnam] & eandem ipsi firmiter contradidi, traditamque in perpetuum esse volo, & nullis unqvam temporibus immutari; sed ad perpetuos usus suos & ecclesiæ Dei post obitum suum liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem, qvicqvid exinde facere voluerit, stipulatione subnixa. Acta est autem publicè *in Saxonia, ubi tunc temporis fuimus in hoste*, in loco, qui nuncupatur *Mimnithum* [Minden] *anno XXX. regni Domni religiosissimi Regis Carli, XIIII. Kal. Augusti* coram testibus ac manummissoribus, qvorum nomina subtus notantur. Et ut hoc testamentum firmius habeatur, notavi diem, tempus, locum, qvo scriptum est. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Hirpingi, qui hanc traditionem fecit, & propria manu firmavit. Signum Hildibrandi. Sig. Berngeri. Sig. Hugbaldi. Sig. Gundholdi. Sig. Berngeri. Sig. Wanberti. Signum Hathubaldi.

Traditio Liudgeri & Hiddoni.

10. Notum fieri desideramus omnibus, tam præsentibus qvam futuris, qvomodo ego *Liudgerus, filius quondam Hrodgeri*, & ego *Hiddo*, filius quondam Herewini, tradidimus partem propriæ hæreditatis nostræ *Liudgero Episcopo*, pro remedio animæ nostræ & pro æterna retributione in villa, quæ dicitur *Thornspic* [Dornspyck] in his duobus locis, id est in *Qvarsingseli* & in *Borugtanscotan*, qvicqvid ibi habuimus, aut per jus hæreditatis, aut per comprehensionem, aut per aliam qvamcunqve adqvisitionem, omnia hæc ad integram ipsi *Liudgero Episcopo* in eleemosynam nostram tradidimus, traditamqve in perpetuum esse volumus, & nullis unqvam temporibus immutari, sed ad perpetuos usus suos & utilitatem ecclesiæ Dei, qvicqvid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam à nobis & ab omnibus habeat potestatem. Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa in villa, quæ dicitur *Bidingahem anno XXXVII. Regni gloriosissimi Imperatoris Carli, IX. Kalendas Majas* coram testibus ac manummittentibus, qvorum nomina subtus notantur. Et ut firmior hæc traditio in sempiternum perseveret, notavi diem, locum, in qvo hæc scripta sunt. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Liudgeri, qui hanc traditionem dominante manu perfecit & subtus notavit.

Signum Hiddoni similiter tradentis & subtus firmantis. Sig. Marchardi. Sig. Baiori. Sig. Holmerici. Sig. Engilbaldi. Sig. Liudberti. Sig. Wilbaldi. Sig. Folcradi. Sig. Regingeri. Sig. Lodoci. Sig. Gerberti. Sig. Thiatbaldi.

Traditio Eforvvini & Parentum ejus.

11. Dum unusqvisqve in præsenti seculo conversatur, & hanc mortalem vitam habere videtur in corpore, cogitare debet & prævidere, qvaliter sibi in futura essentia, & in perpetua mansione remedium aliquod & salutem animæ suæ acquirere possit in cœlestibus. Idcircò placuit nobis cohæredibus & comparticipibus in uno patrimonio his nominibus, *Erfurwino*, Hildirado & Irminevino, *Liudgero Presbytero* postulante tradere ad reliqvias sancti Salvatoris, qvas ipse Liudgerus semper secum gestat, & in manus ejusdem Presbyteri aliquam particulam hæreditatis nostræ in eleemosynam nostram, quod & fecimus hoc modo: Tradidimus in propria hæreditate & dominatione nostra in sylva, quæ dicitur *Hoissi*, comprehensionem illam, qvam ipse Liudgerus ibi desideravit, & *Hildiradus* in nostro nomine comprehendit simul cum eo, & consignavit ad reliquias supra dictas sancti Salvatoris, & in manus ejusdem Presbyteri simili modo tradidimus, & dominationem aliqvam in eandem sylvam superius adjacentem. Hæc comprehensio, qvam tradidimus juxta illas comprehensiones, contigua est & cohærens à summo usqve ad finem, qvas Henricus & Hluduwinus ad easdem reliquias & ipsi Liudgero ante annos aliquos tradiderunt. Ista est traditio, qvam in eleemosynam nostram tradidimus, traditamque in perpetuum esse volumus & nunqvam ulterius immutari; sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei ipse Presbyter, qui eam suscepit, liberam & firmissimam à nobis & ab omnibus habeat potestatem, qvicquid exinde facere voluerit ad fructum ecclesiæ Dei. Acta est autem pu-

publicè cum stipulatione subnixa in loco ipso, *qui dicitur Diapanbeci, anno tricesimo secundo regni gloriosissimi Regis Carli sub die XV. Kal. Octobr.* Notavi diem, locum, tempus, quo hæc scripta sunt. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Isti sunt visores & auditores:

Signum Euurvvini, qui hanc traditionem fieri rogavit, & propria manu firmavit.

Signum Irminvvini. Sig. Heribaldi. Sig. Hildiradi. Sig. Anoloni. Sig. Efurhardi. Sig. Thiatfridi.

Traditio Amulrici Ad-crucem juxta Arnapa.

12. Dum unusqvisqve in præsenti seculo conversatur, cogitare debet & prævidere, qvomodo animam suam salvare possit & æternum sibi refrigerium invenire post temporalem & mortalem vitam mundi hujus. Hoc ego *Amulricus* perpendens in animo meo & frequenti meditatione revolvens tradidi pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ semper virginis, & in manus *Liudgeri Presbyteri*, qui easdem reliqvias procurabat, particulam hæreditatis meæ, id est, ipsum locum, qui dicitur *Ad-crucem*, cum pratis, qui ibi jacent in *Ripa fluvii Arnapi*, ubi quondam Avus meus *Irminfridus* casam habebat cum duobus agris, qui separati sunt non longè ab eodem loco, dominationemque in sylvam, qvæ dicitur *Sitroth*, cum pascuis, perviis, aqvis, piscationibus, quæ in ipso loco excoli possunt & perfici. Hæc omnia tradidi ad reliquias superius nominatas, & in manus jam dicti Presbyteri, traditaque in perpetuum esse volo, & per nulla temporum curricula ulterius immutari; sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei in eleemosynam meam ista omnia superius nominatus *Presbyter Liudgerus* possideat, habeat, colat & fructificet: & cuicunqve dispposuerit & utile esse perspexerit, post obitum suum commendare & tradere, liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem jure hæreditario. Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa *anno XXVII. Regni Domini nostri religiosissimi Regis Caroli XVII. Kal. Aprilis in villa, quæ dicitur Hrodberbtinga-Hova* coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc traditionis testamentum firmius perseveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, quo scriptum est. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Amulrici, qui hanc traditionem perfecit & propria manu firmavit. Signum Helmberti. Sig. Goduberht. Sig. Folcberti. Sig. Hrundulfi. Sig. Eorici. Sig. Hildifridi. Sig. Duodoni. Sig. Fridurici. Sig. Alfgeri. Sig. Guntberti.

Traditio Theganbaldi.

13. Notum fieri desidero omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter *ego Theganbaldus*, filius quondam Hrodbaldi tradidi partem hæreditatis meæ *Liudgero Abbati* in villa, quæ dicitur *Fislacu* juxta ripam fluvii *Ruræ*, id est, illam Hovam integram *Alfgating-Hova* cum pascuis & perviis & aquarum decursibus, & *Scara* in sylva juxta formam Hovæ plenæ. Hæc omnia tradidi, sicut superius dixi, in eleemosynam meam & conjugis meæ Regintrudæ *Liudgero Abbati*, traditamqve in perpetuum esse volo, & nullis unqvam temporibus immutari, sed ad perpetuos usus suos & fructum ecclesiæ Dei ipse Liudgerus Abba eandem Hovam superius nominatam cum omni integritate possideat jure hæreditario, & qvicqvid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem. Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa *anno XXVIII. Regni Domini nostri religiosissimi Regis Carli, 11. Kal. April. in loco, qui dicitur Ad-crucem, in pago Niuansheim, in ripa fluvii Arnapea.* Et confirmata est per manum Berngeri nepotis mei, cui ego ipse potestatem dedi ad hoc, in villa ipsa superius denominata, id est, in Fisclacu, ubi eadem Hova jacet, coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc traditionis testamentum firmius perseveret in sempiternum, notavi tempus, diem, locum, quo scriptum est. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Berngeri, qvi hoc testamentum acceptâ potestate à Theganbaldo & perfecit & propria manu firmavit.

Signum Hrodrici. Sig. Hildiradi. Sig. Reginberti. Sig. Bernhardi. Sig. Berwini. Sig. Hlotwini. Sig. Waldmari. Sig. Eforuuini. Sig. Bennoni. Sig. Alfnandi. Sig. Herebaldi.

Traditio Hiddoni, & conjugis ejus Madalgardæ.

14. Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter *ego Hiddo* filius qvondam Heriwini pro remedio animæ meæ & pro remedio conjugis meæ *Madalgardæ* partem hæreditatis nostræ tradidimus *Liudgero Episcopo* in his locis: Primò in *Quarsingsoli* & in *Bertanscotan* & in *Bocburssi* & in *Tolgud:* in *Quarsingsoli* totum quod ibi habuimus in comprehensione nostra

& in *Bertanscotan* totum: & in *Bocbursi* dimidium, quod ibi habuimus, & in *Telgud* tertiam partem de nostro. Hæc omnia tradidimus traditaque in perpetuum esse volumus, & nullis unquam temporibus immutari; sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei & suæ utilitatis ipse *Liudgerus Episcopus* potestatem habeat, qvicqvid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam à nobis & ab omnibus habeat potestatem in perpetuum. Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa hæc traditio *anno XXXIX. Regni Domini Imperatoris religiosissimi Carli VII. Idus Octobris, in villa, quæ dicitur Bidningahem*, coram testibus ac manummittentibus, qvorum nomina subtus adnotantur. Et ut firmior habeatur hæc traditio in perpetuum, notavi diem, locum, tempus, quo peracta est & scripta. Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Hiddoni, qvi hanc traditionem dominante manu peregit & subtus firmavit.

Signum Liudgeri. Sig. Beratheri. Sig. Marchardi. Sig. Liudberti. Sig. Wilbaldi. Sig. Folcberti. Sig. Folcradi. Sig. Gerberti. Sig. Holmrici. Sig. Hildiwardi.

Traditio Wolfi.

15. Notum cupio omnibus, tam præsentibus qvam futuris, qvaliter *ego Wolf* & frater meus *Reinbrat*, nec non & sorores meæ *Osbirin* & *Meinbirin* tradidimus partem hæreditatis nostræ, hoc est, qvod tradidimus, ad saginandum porcos XX. & octo jurnales intercultâ terra & inculta cum omnibus adjacentiis. Tradidimus enim hæc pro remedio animarum nostrarum & matris nostræ *ad ecclesiam S. Salvatoris*, quæ constructa est in loco, qui dicitur *Werthina*, *in pago Riporum*, super fluvio Rura. Et propria manu firmamus, & præsens traditio firma permaneat. Acta in *Werithina monasterio anno XX. regni Domini Hluduwici Imperatoris, Indictionis I.*

Signum Wolfi, qui hoc tradidit.

Signum Meinberin sororis ejus. Sig. Osbirin sororis ejus. Sig. Reginberti, fratris ejus, qui hoc similiter tradidit. Sig. Gundhardi. Sig. Heribaldi. Sig. Bonnoni. Sig. Irminnothi. Sig. Bernharii. Sig. Hildibaldi. Ego Hrodbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Fridrici & Hildibert, & Altperct in Ripo.

16. Notum fieri cupimus omnibus, tam præsentibus quam futuris, qvomodo nos *Frithuric & Hildibert & Altprect* tradidimus pro remedio animarum nostrarum ad reliqvias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ & S. Petri, quæ sunt conlocatæ in *pago Ripoariorum* in loco nuncupante *Werithina* super fluvio *Rura*, traditumque in perpetuum esse volumus & promtissima voluntate confirmavimus. Hoc - - - - res nostras in pago supra memorato in uno loco, ubi Frithuric & Hildibert fratres communi consilio tradiderunt in fine, quæ pertinet ad *Hrotberctinga-Hova*, terra aratoria, jornales III. habet exterminatione de ambos latos, terra fiscalis de uno fronte, terra *Hildigrim*, de alio verò fronte terra S. Petri. In alio loco tradiderunt ipsi supra memorati fratres in fine, quæ pertinet ad *Weldi* terra aratoria, jornales III. habent exterminatione de ambos latos, & uno fronte terra Friduric: de alio fronte terra Dodun infra ista exterminatione. Qvod nos cum communi consilio tradidimus, post hunc diem ad ipsas reliquias proficiat in augmentum.

Siqvis verò, quod fieri non credimus, si fuerit in postmodum, nos ipsi aut aliquis de hæredibus nostris, qui contra hanc donam venire conaverit aut eam infrangere temptaverit, inferat vobis unà cum socio fisco auri lib. I. argenti pond. V. coactus exsolvat, & quod repetit, evindicare non valeat, sed præsens donatio ista firma permanet stipulatione subnixa. Actum *Ad-Crucem*, ubi conscripta est sub die *VII. Kal. Julii anno V. imperante Domino Hludowico Imperatore.*

Isti sunt *visores & auditores:*

Signum Altbert, & Frideric, & Hildibert, qui hanc traditionem fieri & firmare rogaverunt.

Signum Ercanfrid. Sig. Alfger. Sig. Gerwini. Sig. Widrad. Sig. Hildimar. Sig. Hludubret. Sig. Heriulf. Sig. Ansgor. Sig. Hildigrim Episcopi. Sig. Hirminger. Sig. Ansger.

Ego Adalgerus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Venditio Fridurici.

17. In Christo fratri *Hildegrim Episcopo* emtori ego Friduric venditor. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi res meas proprias, quæ sunt in *pago Niuenhem* in villa *Hrodbertinga-Hova* super fluvio *Gilibechi*, id est duos jornales de terra, & habent de uno latus terra S. Andreæ: de alio latus terra ipsius emtoris. De uno fronte terra Friduric: de alio verò fronte aqua. Tradidi tibi perpetualiter ad possidendum, & accepi à te pretio, sicut inter nos placuit atque convenit, hoc est, solidos VI. ita ut post hunc diem habendi, tenendi, vendendi, vel qvicqvid exinde

inde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Acta est autem publicè cum stipulatione subnixa in loco, qui dicitur *Ad-Crucem*, ubi conscripta est sub *die VIII. Kal. Maji anno IV. Regni Domini Hludowici Imperatoris.*

Isti sunt *visores* & *auditores*:

Signum Friduric, qvi hanc traditionem fieri rogavit. Sig. Hildibert, qvi revestivit. Sig. Grimald Vicarii. Sig. Dado. Sig. Heriulf. Sig. Widrad. Sig. Benno. Sig. Heridac. Sig. Hagor. Sig. Adolric. Sig. Brun. Sig. Hodilhard. Ego Adalgerus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Hrotstein Comitis.

18. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus qvam futuris, qualiter ego *Hrodsten* tradidi partem hæreditatis meæ ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ constructa est in *pago Ripariorum*, in loco, qui dicitur *Werthina*, super fluvio *Rura*, hoc est, quod tradidi unum mancipium juris mei, nomine Hildisuit, traditumque esse in perpetuum volo, & ut præsens traditio ista omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Acta in *Werthina* monasterio, scripta *XI. Kal. Febr. anno I. regni Domini Hludowici Imperatoris, indictione V. Ego Hildiwardus Cancellarius* scripsi & subscripsi.

Hæc sunt nomina testium, qui hæc viderant & audierant:

Signum *Hrotsteni*, qui hoc tradidit. Sig. Meginhardi. Sig. Wolfi. Sig. Gunthardi. Sig. Helmbratti. Sig. Woldrici. Sig. Werinmari.

Traditio Abboni in Lopanheldi.

19. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Abbo*, filius quondam Gerrardi tradidi hæreditatem meam ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ est constructa *in pago Riporum*, in loco, qui dicitur *Werithina*, super fluvio Rura, hoc est, duos mansos in præfato pago, in villa nuncupante *in Lopanheldi*, super ripam præfati fluminis tam in terris, quam in sylvis, seu in pratis, pascuis, aquis, aqvarumve decursibus, & cum omnibus adjacentiis, & mancipia, his nominibus: Wiva, Sigifrid, Radgis, Rattruut, Frithuric, traditumque in perpetuum esse volo, & promtissima voluntate confirmo. Et accepi ad *Custores* ipsius præfatæ ecclesiæ pretium, sicut inter nos placuit atque convenit, hoc est, libras XXIIII. & transtuli de mea potestate in illorum, ut post hunc diem habeant licentiam habendi, tenendi, possidendi, commutandi, vel qvicqvid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem, stipulatione subnixa. Actum in *Werithina monasterio*, ubi conscripta est sub die *Non. Kal. Novembr. anno XXI. imperante Domino Hludowico Imperatore.*

Hæc sunt nomina testium, qui hoc viderant & audierant:

Signum Abboni, qui hanc traditionem fieri rogavit, & propria manu firmavit. Sig. *Adelhardi Comitis*. Sig. *Reginbaldi Comitis*. Sig. *Odwaccar Comitis*. Sig. *Hrodsten*. Sig. Alfger. Sig. Huebercti. Sig. Freduward. Sig. Meginhardi. Sig. Briotgeri. Sig Gorrici.

Ego Reginharius ac si indignus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Folcradæ.

20. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Folcrada*, Germana soror quondam Hemmingi exactoris, tradidi agrum unum jure hæreditario *Liudgero Abbati*, accepto pretio æstimationis competentis, juxta *Arnapa*, propè Mansionilem, quod dicitur *Ad-Crucem*: traditumque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei prædictus Abbas jure hæreditario possideat eundem agrum, & fructificare faciat diebus vitæ suæ: & cuicunque commendare voluerit & tradere ad possidendum post obitum suum, liberam & firmissimam à me & ab omnibus habeat potestatem. Siquis verò, quod futurum esse non credo, ego ipse, quod absit, aut aliquis de hæredibus meis contra hanc traditionem venire tentaverit & eam infrangere decreverit, ab ingressu omnium ecclesiarum alienus existat, & in Dominicum quinque libras exsolvat argenti, & ita quiescat absque operis effectu. Traditione hac firmiter permansurâ cum stipulatione subnixa. Acta est publicè in loco ipso, qui dicitur *Ad-crucem*, coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur.

Signum Folcradæ, quæ hoc testamentum fieri rogavit & propria manu firmavit.

Signum Heinrici. Sig. Oodbald. Sig. Winibrohr. Sig. Wilheri. Sig. Godobrot. Sig. Folcbret. Sig. Alfger. Sig. Liudbret.

Tra-

Traditio Evvrvvini in Witi.

21. Notum fieri cupio omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Ewrwinus* tradidi partem hæreditatis meæ ad Eccleſiam ſancti Salvatoris, quæ eſt conſtructa *in pago Ruricgoa*, in loco, qui dicitur Wirithina, ſuper fluvio Ruræ, hoc eſt, quod tradidi duas jornales de terra in Witi pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione ita tradita, traditumque in perpetuum eſſe volo, & promtisſima voluntate confirmo, ſtipulatione ſubnixa. Acta in Werithina monaſterio *XV. Kal. Julii anno IIII. Regni Domini Hlotharii Regis, indictione VII.*

Hæc ſunt nomina teſtium, qui hoc viderant & audierant.

Sig. Euurwini, qvi hoc tradidit in Witi jornales duas. Sig. Helmbratti. Sig. Frithubaldi. Sig. Thiatbaldi. Sig. Hrodbratti. Sig. Weſhardi. Sig. Lothradi. Sig. Athulini. Sig. Landrardi.

Ego Thiathardus Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Traditio Erponi in Meinthinne.

22. Notum fieri cupio omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Erpo* tradidi partem hæreditatis meæ ad *eccleſiam S. Stephani*, quæ eſt conſtructa *in pago Ruricgoa* in loco *Wirithina* ſuper fluvio Ruræ. Hoc eſt, quod tradidi jornales duas de terra in Meinthinne [Meinterde] pro remedio animæ meæ, traditumque in perpetuum eſſe volo, & propria manu firmavi: præſensque traditio firma permaneat ſtipulatione ſubnixa. Acta in Werithina monaſterio *II. Id. Novembr. anno IIII. Regni Domini Hlotharii Regis, indictione VI.*

Signum Erponi, qui hoc tradidit. Sig. Meinhardi. Sig. Wolfi. Sig. Thiatradi. Sig. Gerbaldi. Sig. Helmbratti. Sig. Thiatbaldi. Sig. Frithubaldi.

Ego Thiathardus Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Traditio Hildiradi in Wenasvvalda.

23. Notum fieri cupio omnibus, tam præſentibus, quam futuris, qualiter ego *Hildiradus* filius quondam ------ pro remedio animæ meæ & pro hæreditate comprehendi, à rivulo, qui dicitur Burgbeki [Bornebeck] usque ad illum rivulum, qui in occidentali parte *Widubergi* [Wynberg] decurrit, ad reliquias ſancti Salvatoris & ſanctæ Mariæ ſemper virginis, & cum omni integritate usque in ripam *Ruræ*, excepta illa particula, quam Fœcbertus in proximo angulo inter Ruram & *Widubergam* olim ſtirpare inchoavit. Hanc ergò denominatam comprehenſionem cum tota integritate tradidi in eleemoſynam meam ad reliquias ſuperius dictas, & in poteſtatem Liudgeri Abbatis, traditamque in perpetuum eſſe volo, & per nulla temporum curricula ulterius immutari, ſed ad perpetuos uſus eccleſiæ Dei prædictus Abba Liudgerus qvicquid exinde facere voluerit, jure hæreditario liberam & firmisſimam à me & ab omnibus habeat poteſtatem. Siquis verò inſtigatus à diabolo, quod tamen futurum eſſe non credo, ego ipſe, quod abſit, aut aliquis de hæredibus vel pro hæredibus meis ſeu quælibet ex perſona contra hanc venire temptaverit aut eam infrangere voluerit fixâ & deliberatâ intentione, imprimis iram Dei cœleſtis incurrat, & à ſanctorum Angelorum ſocietate ſeparetur, ſi ſe citò non correxerit à ſua peſſima præſumtione: & inſuper in Dominicum auri libras duas, argenti pondus X. coactus exſolvat, & ſic quidem quod repetit, evindicare non valeat, ſed firma & immutabilis hæc traditio in ſempiternum permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Acta eſt autem publicè in loco, qui dicitur Diapanbeci in ripa Ruræ, ad reliquias ſancti Salvatoris & ſanctæ Mariæ, *anno XXXIII. Regni Domini noſtri religioſisſimi Regis Carli, Kal. Majas*, coram teſtibus ac manummiſſoribus, quorum nomina ſubtus notantur. Et ut hoc teſtamentum firmius perſeveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, quo ſcriptum eſt.

Signum Hildiradi, qui hanc traditionem dominante manu perfecit, ſubtusque firmavit.

Signum Heribaldi. Sig. Frithurici. Sig. Hildibratti. Sig. Brunhardi. Sig. Avo. Sig. Sewardi.

Ego Thiatbaldus Presbyter rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Traditio Sigihard.

24. Notum fieri deſidero omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Sigihard* tradidi particulam hæreditatis meæ, quod conjacet in villa Fiſclaco, in pago *Ruricgao*, hoc eſt, de terra plenum jornalem tradidi ad reliquias ſancti Salvatoris, quæ collocatæ ſunt in loco, qui dicitur Werthina, in pago Ruricgoa, in Ducato Ripoariorum, ubi *Hildigrimus* & *Gerfridus Epiſcopi Rectores* præeſſe videntur. Hoc tradidi pro remedio animæ meæ & pro æterna bona retributione, in ea verò, ut à die præſente Rectores ipſius eccleſiæ habeant, teneant atque poſſideant; & quicquid exinde facere voluerint, liberam in omnibus habeant poteſtatem, ad faciendi

ciendi, quicquid elegerint, stipulatione subnixa. Acta est autem *die III. Id. Septemb. anno VI. regnante Domino nostro Hludowico gloriosissimo Rege ac Imperatore.*

Signum Sigihard, qui hanc traditionem fieri, & firmare rogavit. Sig. Reginbrat. Sig. Hrodhard. Sig. Ohtric. Sig. Bonno. Sig. Erkinger. Sig. Erimbrot. Sig. Alfric. Sig. Odbold. Sig. Alvold. Ego Liudberthus Diaconus scripsi & subscripsi.

Carta de Concambia Gerfridi episcopi & Frithuardi in Hesangi & Castorp, seu in Werina.

25. Nihil sibi quispiam cernitur innuendo, quicquid de contra recipitur in augmentis, ideoque placuit atque convenit inter *Gorfredo episcopo & Frithuardo*, ut terras eorum, ubi loci eveniebant, inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Ergo donat memoratus Frithuardus supra scripto *Gerfrido episcopo* in concambio terræ suæ in villa, quæ dicitur *Hesingi, in pago Riporum* super fluvio *Rura*, id est dimidium mansum cum pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molibus & immolibus, præsidiis, peculiis. Econtra dedit *Gerfridus episcopus* supra scripto Frithuardo dimidium mansum, id est terram tantùm in pago Bortergo, in villa, quæ dicitur Castorp. Et contra pascua & sylvas, quas dedit Frithuardus, dedit Gerfridus Episcopus XX. furlangas *in pago Dreginni*, in villa, quæ dicitur *Werina.* Unde inter se epistolas uno tenore conscriptas fieri & adfirmare rogaverunt, ut unusquisque quod à pare suo accepit, hoc habeat, teneat atque aposideat, & quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeat potestatem adfaciendi. Et si aliquis de hæredibus nostris hanc Concambiam infrangere voluerit, inde ante conspectum Dei in die judicii reddat rationem, & in hoc seculo componat C. libras de auro cocto, & ducenti de argento. Actum in loco, qui nuncupatur *Billarbeki*, sub die *VIII. Kal. Decemb. regnante Hludowico Imperatore, anno XXI.*

Signum Frithuardi, qui hanc traditionem fieri rogavit & propria manu firmavit.

Signum Reginhardi. Sig. Walgeri. Sig. Bruni. Sig. Bovoni. Sig. Berningi. Sig. Reginfridi. Sig. Hildibaldi. Sig. Hericoni. Sig. Egoni. Ego Reginharius indignus Presbyter scripsi & subscripsi.

Traditio Helmbratti.

26. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Helmbrahtus*, filius quondam Reginberti pro remedio animæ filii mei nomine Ecdbrati, tradidi partem hæreditatis meæ ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ constructa est *in pago Riporum*, in loco, qui dicitur Werithina super fluvio Rura, hoc est, quod tradidi jornalis unus in pago præfato, in villa, quæ dicitur *Hernatscet* [Hernscheide] super ripam præfati fluminis, tam in terris quam in sylvis. Traditum esse in perpetuum volo, & promtissima voluntate confirmo, in ea verò ratione, ut post hunc diem habeatis licentiam habendi, tenendi, possidendi, commutandi, vel qvicquid exinde facere volueritis, liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem, stipulatione subnixa. Actum in Werithina monasterio, ubi conscripta est, sub die X. Kal. Novemb. regnante Domino Hludowico Imperatore, indictione I.

Ego Thancbaldus Subdiaconus scripsi & subscripsi.

Signum Helmbrahti, qui hanc chartulam fieri rogavit & propria manu firmavit.

Sig. Bonnoni, Sig. Berngeri. Sig. Nunni. Sig. Gerbaldi. Sig. Thiatbaldi. Sig. Reinbaldi.

Traditio Wolf in Hestratescethe.

27. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Wolf* tradidi partem hæreditatis meæ pro remedio animæ meæ ad ecclesiam sancti Salvatoris & *S. Patris Liudgeri*, quæ constructa est *in pago Riporum*, in loco, qui dicitur Werthina, super fluvio Ruræ, hoc est, quod tradidi, quicquid habui in villa, quæ dicitur in Hestratescethe [Hetterschede]. cum appendentiis suis, id est, terris, sylvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, & traditum esse in perpetuum volo, & ut præsens traditio ista omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Acta est *in Werithina monasterio*, scriptaque *VX. Kal. Septembris, anno Dominicæ DCCCXLVII. indictione IV. anno III. Hludowici Imperatoris.*

Ego *Liudbaldus* Cancellarius rogatus scripsi & subscripsi.

Isti sunt visores & auditores:

Signum Wolf, qui hoc tradidit, & propria manu firmavit.

Sig. Megenhardi, Advocati nostri. Sig. Raduni. Sig. Salaboldi. Sig. Bornuni. Sig. Erithubaldi. Sig. Hrotberti. Sig. Nunni. Sig. Heribaldi. Sig. Athulini.

28. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Oddag*, filius quondam Othilrici, tradidi partem hæreditatis meæ ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ est constructa in pago Riporum, in loco, qui dicitur Werithina, super fluvio Rura, hoc est, jornales X. in præfato pago, in villa nuncupanto Menithinin [Mynters] super ripam præfati fluminis, tam in terris, quam in sylvis, seu in pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, & cum omnibus adjacentiis: traditumque in perpetuum esse volo, & promtissima voluntate confirmo. Et accepi à custodibus ipsius præfatæ ecclesiæ pretium, sicut inter nos placuit atque convenit, hoc est, solidos XXII. & transtuli de mea potestate in illorum, ut post hanc diem habeant licentiam tenendi, possidendi, commutandi, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem, stipulatione subnixa. Actum in Werithina monasterio, ubi conscripta est sub die pridiè Kal. Novembr. anno XXIII. imperante Domino Hludowico Imperatore, indictione XIIII.

Isti sunt visores & auditores:

Signum Oddag, qui hanc traditionem fieri rogavit, & propria manu firmavit.

Signum Adaluni. Sig. Erpo. Sig. Gunthard. Sig. Hrodbrat. Sig. Theatbald. Sig. Reginbald. Sig. Heribal. Sig. Gerbald. Sig. Lantrat.

Ego Thancbaldus monachus scripsi & subscripsi.

Traditio Meginhardi & Wolf, in sylva Witi.

29. Notum fieri cupimus tam præsentibus quam futuris, qualiter ego Meginhard & Wolf tradidimus partem hæreditatis nostræ ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ est constructa in pago Riporum, in loco, qui dicitur Werithina, hoc est, quod tradidimus X. porcorum pascuam in ylva Witi, pro remedio animæ nostræ, traditumque in perpetuum esse volumus, & propriis manibus nostris firmavimus, præsensque traditio firma permaneat, stipulatione subnixa. Acta in *Werithina monasterio, III. N. Kal. Decembr. anno II. regni Domni Hlotharii Regis, indictione V.*

Sig. Meginhardi & Wolfi, qui hoc tradiderunt, in Witi. Sig. Raduni. Sig. Frithubaldi. Sig. Nunni. Sig. Gerbaldi. Sig. Salabaldi. Sig. Bornnuni.

Ego Thiathardus subdiaconus scripsi & subscripsi.

De Holtscara in Witi.

30. Brevis commemoratio de illa pastione, quod nos habemus deambas partes *Rura in Hosi*, & in *Wagnoswald*. Imprimis *in Hosi* Heinricus donavit ad LX. porcos. De *Hrotinga* [Ratingen] Willibald & neptis illius vendiderunt ad LX. porcos. Aluric vendidit nobis hæreditatem suam in *Lapanheldi* [Lopenhelt] ibi pertinet ad LXXXX. porcos. Gerfrid habet in ipsa villa ad XXX. porcos. Alfnant tradidit nobis ad XX. porcos. De *Menedinna* Gerala vendidit nobis ad XV. porcos. De Witi Euurwini tradidit pro salute animæ suæ ad XX. porcos. De ipsa villa Euuco & Hildirad & illorum cohæredes tradiderunt ad XXX. porcos. Othilulf *in Hratuga* [Ratingen] tradidit nobis pastum X. porcorum. Ad illam terram pertinet, quam *in Witi* comparavimus à Meinhardo, qui sororem Huntionis in conjugio habuit, pastum ad XXV. porcos. Ab Eribaldo comparavimus ad pastum XXX. porcorum in Wagnoswald. Habemus in *Fisclacu* de uno manso quciquid ibi pertinet, & de alio manso te[illegible]m partem. Et in ipsa villa tradidit Hrodhardus ad V. porcos. Hludowinus ad V. porcos. [illegible]eginbrot ad V. porcos. Et in Witi comparavimus de Meginhardo ad XX. porcos. In ipsa villa Huntio donavit ad V. porcos. Thiathold & Thruthger tradiderunt in Witi ad XX. porcos pastiones.

Traditio Gunduini & Adelboldi.

31. In Christo fratri *Hildigrim Episcopo* emtori *Gundvinus* & *Adelboldus* venditores. Constat nos tibi vendidisse, quod ita & fecimus, cortilo uno *in pago Bunnengao* [Bonna] in villa Melenchem [Melheim]. Et ipse cortilus habet in longitudine pedes CXX. & in latitudine pedes LVI. & hic habet exterminationes de uno fronte via Caballaricia, & de alio fronte Rigo; & de uno latus ipsius hæredes. Et accepimus à te pretium, sicut inter nos placuit atque convenit, hoc sunt sol. XX. ita ut post hunc diem ipsas res habeas jure habendi, tenendi, dandi, & quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem, stipulatione subnixa. Actum ad *Rura, ante Basilicam sancti Salvatoris, ubi conscripta fuit sub die XV. Kal. Novemb. anno XII. Imperii Domni Caroli, gloriosissimi Imperatoris.*

Signum Gunduin & Adolbold, qui hanc venditionem fieri & firmare rogaverunt.

Sig.

Sig. Asbret. Sig. Reginald. Sig. Reginbold. Sig. Radbald. Sig. Euroin. Sig. Hrauinger. Sig. Thiatfrid. Sig. Ludgis. Sig. Rodald.

Ego Amalbertus Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Traditio Heinrici in Witi.

32. Notum fieri cupio omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter ego Heinric, filius quondam Berngeri, tradidi partem hæreditatis meæ pro remedio animæ meæ ad *Reliquias ſancti Salvatoris*, quæ eſt conſtructa in *pago Riporum*, in loco, qui dicitur *Werithina* ſuper fluvio Ruræ, in ſupra memorato pago, in villa, quæ dicitur Witi [Ovete] ad XV. porcos paſtionem: traditumque in perpetuum eſſe volo, & promtiſſima voluntate confirmo, ſtipulatione ſubnixa. Actum in *Werithina monaſterio, ubi conſcripta eſt ſub die V. Kal. Novembr. anno XXI. Domno Hludovvico Imp.*

Signum Heinrici, qui hanc traditionem fieri rogavit & propria manu firmavit.

Sig. Heribaldi. Sig. Ulfridi. Sig. Lotradi. Sig. Theatbaldi. Sig. Herponi. Sig. Wolfoni. Sig. Reginbaldi. Sig. Gerbaldi.

Ego Reginharius Presbyter ſcripſi & ſubſcripſi.

Venditio Erpæ & Helmfridi.

33. Hæc ſunt teſtimonia, quæ hoc viderunt, quod *Erpa* tradidit *Hildigrim Epiſcopo* in duo loca jornales IIII. in finibus *Menethinno*, de uno latus terra Adalric infantes: de alio latus vallis, de tertio verò latus ipſa vallis, & in ipſo loco reveſtivit per manus Alfnant, Flodoin, Reginbert, Fridubold, Brunhard, Hocca, Focco, Ecco, Wido, Alfgod, & in alio loco ſuper fluvio Rura dimidio jornale: & ipſe Alfnant fecit iſta veſtitura, & ipſa terra jacet in illo loco, ubi ille porcus anteriore anno. Hæc ſunt teſtimonia, quæ hoc viderunt, quod Helmfrid tradidit *Hildigrim Epiſcopo* unum campum in finibus *Menithinne*, tenet ipſe campus plus minus inter terram arabilem & ſylvam, jornales VI. aut VII. adjunget de uno latus Hoca terra; de alio latus ipſius hæredes: de uno fronte Gerrig terra, & de alio fronte rivolus. Et in ipſo loco reveſtivit per manus Eccon, Alfnant, Flodoin, Reginbrat, Frithubold, Brunhard, Erpa, Hocca, Focco, Ecco, Wido, Alfgod.

Traditio Theodoldi & Thrudgeri.

34. Notum fieri cupimus omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Theodold* & frater meus *Thrudger*, filii quondam Wiggeri, tradidimus partem hæreditatis noſtræ pro remedio animæ matris noſtræ, nomine Ricburg, ad Reliquias ſancti Salvatoris, quæ ſunt conſtructa *in pago Ruriggo*, in loco, qui dicitur *Werithina*, ſuper fluvio Ruræ, in ſupra memorato pago, in villa, quæ dicitur *Withi* ad XX. porcos paſtionem: traditumque in perpetuum eſſe volumus, & promtiſſima voluntate confirmamus, ſtipulatione ſubnixa. Actum in *Werithina* monaſterio, ubi conſcripta eſt ſub die *XV. Kal. Novemb. anno XXIII. Domni Hludovvici Imperatoris, indictione XIIII.*

Signum Theodoldi & Thruthgeri, qui hanc traditionem fieri rogaverunt & propria manu firmaverunt.

Sig. Meginhardi. Sig. Wolf. Sig. Theatradi. Sig. Hrodberti. Sig. Helmberti. Sig. Hildibaldi. Sig. Heribaldi.

Ego Thiatgerus ind[illegible]us ſubdiaconus ſcripſi rogatus & ſubſcripſi.

Traditio Meginhard in Oviti paſtione ad XX. porcos.

35. Notum fieri cupio omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter *nos Meginhard* & Gunthard pro remedio animarum noſtrarum ad eccleſiam ſancti Salvatoris, quæ eſt conſtructa in pago Riporum, in loco, qui dicitur Werithina ſuper fluvio Ruræ tradidimus, hoc eſt partem hæreditatis noſtræ in ſuper-memorato pago, in villa nuncupante - - - tuiti ad XX. porcorum paſtionem traditumque in perpetuum eſſe volumus & promtiſſima voluntate confirmamus, ſtipulatione ſubnixa. Actum in *Werithina monaſterio*, ubi conſcripta eſt ſub *die III. Kal. Septembr. indictione XIIII.* Traditio, quam tradiderunt Meginhard & Gunthard. Sig. Meginhard. Sig. Gunthard. Sig. Hunbald. Sig. Hindolf. Sig. Grimward. Sig. Reginbald. Sig. Salubald. Sig. Hrodger. Sig. Erconger. Sig. Reginmar. Sig. Werinmar. Sig. Thiatbald. Sig. Frithubald.

Ego Reginharius Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Traditio Meginhardi & Gunthardi de Witi.

36. Notum fieri cupimus omnibus, tam præſentibus quam futuris, qualiter *nos Meginhard* & *Gunthard* tradidimus ad eccleſiam ſancti Salvatoris pro remedio animarum noſtrarum, quæ eſt conſtructa *in pago Rurucgao*, in loco, qui dicitur *Werithina*, ſuper fluvio Rura, hoc eſt partem

tem hæreditatis nostræ in supra memorato pago in villa nuncupante Wita ad XX. porcorum pastionem, traditumque in perpetuum esse volumus, & promtissima voluntate confirmamus, ut omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in *Werithina Monasterio*, ubi conscripta est sub die *V. Id. Novemb. Indictione XIIII.*

Sig. Meginhard. Sig. Gunthard. Sig. Hunbald. Sig. Reginbrat. Sig. Hindolf. Sig. Grimuard. Sig. Halabald. Sig. Hrodiger. Sig. Erconger. Sig. Reginmar. Sig. Werinmar. Sig. Theatbald. Sig. Frithubald. Sig. Reginbald.

Ego Reginbarius Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Amulrici Ad-crucem in ripa Arnapa.

37. Dum unusquisque in præsenti seculo conversatur, cogitare debet & prævidere, quomodo animam suam salvare possit, & æternum sibi refrigerium invenire post temporalem & mortalem vitam mundi hujus. Hoc ego & Amulricus perpendens in animo meo & frequenti meditatione revolvens tradidi pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione ad reliquias sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ semper Virginis, & in manus *Liudgeri Presbyteri*, qui easdem reliquias procurabat, particulam hæreditatis meæ, id est, ipsum locum, qui dicitur Ad-crucem, cum pratis, qvi ibi adjacent in ripa fluvii Arnapa, ubi qvondam Avus meus Irminfridus casam habebat, cum duobus agris, qui separati sunt non longe ab eodem loco. Hoc tradidi ad reliqvias superius nominatas jam dicti Presbyteri: traditumque in perpetuum esse volo, & per nulla temporum curricula ulterius immutari; sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei in eleemosynam meam omnia ista superius nominatus Presbyter Liudgerus possideat, habeat, colat & fructificet: & cuicunque dispośuerit, & utile esse perspexerit, post obitum suum commendare & tradere liberam & firmissimam a me & ab omnibus habeat potestatem jure hæreditario.

Si quis vero instigatus a Diabolo, quod tamen futurum esse non credo, ego ipse, quod absit, aut aliquis de hæredibus meis, seu quælibet extranea persona contra hanc traditionem venire temptaverit, aut eam infringere voluerit fixâ & deliberatâ intentione, imprimis iram Dei cœlestis incurrat, & a sanctorum Angelorum societate separetur, si se cito non correxerit a sua pessima præsumtione. Et insuper in Dominicum auri libras duas, argenti pondus X. coactus exsolvat, & sic quidem, quod repetit, evindicare non valeat; sed firma & immutabilis hæc traditio in sempiternum permaneat cum stipulatione subnixâ. Acta est autem publice anno XXVII. regni Domni nostri religiosissimi Regis Carli, XIIII. Kal. Aprilis, in villa, quæ dicitur Hrodbertinga Hova coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc traditionis testamentum firmius perseveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, quo scriptum est.

Signum Amulrici, qui hanc traditionem perfecit, & propria manu firmavit. Signum Godoberti. Sig. Æorici. Sig. Frithurici. Sig. Folcberti. Sig. Hildifridi. Sig. Alfgeri. Sig. Helmberti. Sig. Hruodulfi. Sig. Duodeni. Sig. Gundberti.

Ego Thiatbaldus humilis Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Eric, & Ermenfrid de Arnapa.

38. Notum fieri cupimus tam præsentibus quam futuris, quomodo nos *Eric* & *Ermenfrid* tradidimus *Hildigrim Episcopo* duas partes de illa foreste, quæ est super fluvio Arnapa, in loco, qui vocatur ad Crucem, quicquid ad illas duas partes adspicit, totum & ad integrum donamus & tradidimus perpetualiter ad possidendum. Si quis vero, quod fieri non credimus; si fuerint in postmodum nos ipsi, aut aliquis de hæredibus nostris, qui contra hanc Traditionem venire voluerit aut eam infringere temptaverit; inferat vobis una cum socio fisco auri libras II. argenti pond. V. coactus exsolvat; & præsens traditio ista omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum est autem ad *Ruram* ante Basilicam S. Salvatoris, ubi scripta fuit anno III. imperii Domni nostri Hludowici Imperatoris. Hæc sunt testimonia, qui hoc viderunt, quod Eric & Ermenfrid tradiderunt pro XXX. solidis duas partes de illa foreste ad *Arnapam*, qui Amulric fuit, & Theadradan; quum ipsa Theadrada antea tertiam partem & quintam traditam habuit.

Signum Gundoino. Sig. Hildibert. Sig. Erchenger. Sig. Eilbold. Sig. Odvvin. Sig. Reginher. Sig. Euurvvini.

Et isti sunt, qui viderunt, quod Hildibert revestivit in vico illorum de ipsa silva: Grimold vicarius, Hrodger, Frideric, Herulf, Widrad, Landbert.

Ego Amulbertus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Helmbrat.

39. Isti sunt testes, qui viderunt & audiverunt Traditionem, quam tradidit *Helmbrat* pro remedio animæ patris sui & pro sepultura ejus 3. Kal. Julias, regnante Hludovvico Imperatore, XIII. annis, hoc est, de terra jornalem unum.

Signum Helmbrat, qui hanc traditionem fieri rogavit & propria manu firmavit.

Signum Hrodbrat. Sig. Theobald. Sig. Heribern. Sig. Hildibald. Sig. Herico. Sig. Cot.

Ego *Liudbaldus Cancellarius* rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Erpi, filii Aldrici.

40. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter Ego *Erp* filius quondam Aldrici, tradidi partem hæreditatis meæ ad Ecclesiam S. Salvatoris, quæ constructa est in *pago Ripariorum*, in loco qui dicitur *Werithina* super fluvio Ruræ; hoc est, qvod tradidi unum *biuang* in saltu *Waneswalde* inter duo flumina, id est, *Podrebeci* & *Farnthrapa* cum omnibus appendiciis suis, id est, terris, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus: & traditum esse in perpetuum volo; & ut præsens Traditio ista omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Acta in *Werithina monasterio*, scriptaque XVI. Kal. Novembr. anno XXIV. regni Domni Hludovvici Imperatoris, Indictione VX.*

Ego Hrodaldus Cancellarius scripsi & subscripsi.

Signum Erpi, qui tradidit istud.

Hæc sunt nomina testium, qui hoc viderunt & audiverunt & manibus propriis firmaverunt.

Signum Hramningi. Sig. Wrachardi. Sig. Osleni. Sig. Hrodardi. Sig. Heriscalci. Sig. Heddiloni. Sig. Luthugis. Sig. Waliconi. Sig. Evardagi.

Venditio Gunthardi & Athilvvini

41. In Christo patri *Altfrido gratia Dei Episcopo*, Emptori; Ego Gunthard & Athilvvin venditores. Constat nos tibi vendidisse, & ita vendidimus, id est, comprehensionem nostram in silva, quæ vocatur Witerovvald; quam comprehensionem homines tui una nobiscum circuierunt, & novis signis obfirmaverunt; & accepimus a te pretium pro ea, sicut inter nos convenit, hoc est, libras III. in ea ratione, ut post hunc diem ipsa comprehensio ad proprium vestrum monasterium pertineat, quod vocatur Werthina; & qvicquid ex ea facere volueris, ab hac die liberam & firmissimam habeas potestatem. Si quis vero, quod fieri non credimus, hanc venditionis cartulam infringere temptaverit, iram Dei incurrat, & a liminibus sanctorum alienus existat, & hæc venditio firma permaneat stipulatione subnixa. Acta in *Werithina* Monasterio, *tertio decima* Kal. Augusti *anno incarnationis Dominicæ DCCCXLVIII. regnante Hludowico juniore anno IX. Indictione XI. feria sexta.*

Isti sunt testes, qui hoc audierunt & viderunt.

Ego Liudbaldus, humilis Levita rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Gunthardi, & Athilvvini, qui hanc traditionem fieri rogaverunt. Sig. Bernharii. Sig. Meinhardi. Sig. Heribratti. Sig. Reinhardi. Sig. Bernvvini. Sig. Hrodger. Sig. Nunnoni. Sig. Irmunifridi. Sig. Erkingeri. Sig. Helmfridi.

Traditio Huntionis.

42. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Huntio*, filius quondam Egilberni, tradidi res meas ad *Ecclesiam S. Salvatoris*, quæ est constructa in *pago Ruriggo*, in loco, qui dicitur *Werthina* super fluvio *Rura*. hoc jornale uno de terra in villa nuncupante *Wisi*, & cum eo medietatem de silva, qvicqvid mihi in ipsa villa jure paterno advenit: traditumque in perpetuum esse volo & promptissima voluntate confirmo; ut post hunc diem Custodes ipsius Ecclesiæ habeant licentiam tenendi, habendi, possidendi, commutandi; vel qvicqvid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem stipulatione subnixa. Actum in *Werthina* monasterio, ubi conscripta est sub die *IV. Kal. Junii anno VII. imperante Domno Hludowico Imperatore.*

Ego Adalgerus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Huntio, qui hanc traditionem fieri & firmare rogavit. Signum Aluric. Sig. Alfnand. Sig. Reginbald. Sig. Uulf. Sig. Reginbrat. Sig. Theodbald. Sig. Reginmar. Sig. Benno. Sig. Helmbrat.

Traditio Flodoini & Regimbrat.

43. Hæc sunt testimonia, qui hoc viderunt, quod *Reginbrat* tradidit in *Mulenegia* de silva & de terra qvicqvid ibidem habuit, *Hildigrimo Episcopo.*

Signum

Signum Berengar Vicar. Sig. Afold. Sig. Albmand. Sig. Benno. Sig. Frithubold. Sig. Frithubert. Sig. Grimward. Sig. Odfin. Sig. Flodoini. Sig. Wigfrid. Sig. Engilbert. Sig. Occo.

Per Frithubold manus iftam inveftituram.

Hæc funt teftimonia, qui viderunt de eo, quod *Flodoinus* reveftivit. Signum Herbold, Regembrat, Autfini, Hunebold, Ricgrim, Radbert, Fridubold, Nunni, Wlfrid: iftam inveftituram per Flodoini manus.

Hæc funt teftimonia, qui hoc viderunt, quod *Flodoinus* donavit illam comprehenfionem fuper *Hefepe rivulo Hildigrimo Epifcopo*. De uno latus terra Grimward: de alio vero latus comprehenfio Bennonis. De uno fronte mons: & de alio fronte comprehenfio ipfius Epifcopi.

Signum Berenger Vicarii. Sig. Afold, Albnand, Benno, Regimbrat, Frithubold, Frithubrat, Grimward, Odfin, Wigfrid, Engilbert, Erp, Occo.

Traditio Sneuburgæ in Fislaca.

44. Notum fieri cupio omnibus, tam præfentibus quam futuris, qualiter ego *Sneoburg*, filia quondam Bernhardi, tradidi partem hæreditatis meæ ad ecclefiam Sancti Salvatoris, quæ conftructa eft in *pago Riporum*, in loco qui dicitur *Werthina* fuper fluvio *Rura*; hoc eft, quod tradidi jornales quinque in loco, qui dicitur *Tottontborra*, in villa quæ dicitur *Fislaca*, in *pago Riporum*; traditamque in perpetuum effe volo, & promptisfima voluntate confirmo, ut poft hunc diem Cuftodes ipfius Ecclefiæ licentiam habeant tenendi, posfidendi, commutandi, vel qvicqvid exinde facere voluerint, liberam ac firmisfimam in omnibus habeant poteftatem cum ftipulatione fubnixa. Actum in *Werithina* monafterio, ubi confcripta eft II. Kal. Aprilis anno XXV. *regnante Domno Hludowico Imperatore.*

Ego Reginharius indignus presbyter fcripfi & fubfcripfi.

Signum Thiatradi, Frithubaldi, Hrodberti, Helinberti, Gunthardi, Theatbaldi, Reginbaldi, Heribaldi.

Traditio Widrad.

45. In Chrifto fratri *Hildigrim Epifcopo*, Emptori; ego *Widrad* venditor. Conftat me tibi vendidiffe, & ita vendidi res meas proprias, quæ funt in *pago Niuenfem*, in finem Welde jornales IIII. & habent de ambos latus terra Frithuric. De uno fronte terra Lantbert: de alio fronte vero terra ipfius emptore, tradidi tibi perpetualiter ad posfidendum: & accepi a te pretium, ficut inter nos placuit, atque convenit, hoc eft, folidos VI. ita ut poft hunc diem habendi, tenendi, vendendi, & qvicqvid exinde facere volueris, liberam & firmisfimam in omnibus habeas poteftatem ftipulatione fubnixa. Actum in loco, qui dicitur *Adcrucem*, ubi confcripta eft, *fub die VIIII. Kal. Maji anno IIII. regni Domni Hludowici Imperatoris.*

Signum Widrad, qui hanc traditionem fieri rogavit.

Signum Grimald vicarii. Sig. Dodo. Sig. Frithuric. Sig. Hildibert. Sig. Odilhard. Sig. Heriulf. Sig. Benno.

Ego Adalgerus rogatus fcripfi & fubfcripfi.

Traditio Liudgeri in Suiftarbant, feu in Seuvvald & in Berelfi.

46. Notum fieri omnibus defidero, tam præfentibus quam futuris, quomodo ego *Liudgerus*, filius quondam Hrodgeri, tradidi *amico meo Liudgero Presbytero*, pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione dimidietatem hæreditatis meæ, quæ mihi jure paterno, & lege hæreditaria in *Berilfi*, & infra terminos, qui illuc attinent, id eft, ab *Emefe* ad usque in locum fupradictum contigit. Sed & dimidietatem ei tradidi hereditatis meæ: Eadem ratione in filva, quæ dicitur *Scaewald*, five Suifterbant; exceptis agris, qui inibi ante extirpati funt a patribus, aut ab hominibus noftris. Cæteram autem dimidietatem ipfi *Liudgero Presbytero* tradidi in territorio jam dicto, & in filva fuperius nominata cum omni integritate, traditamque in perpetuum effe volo, & nullis unquam temporibus immutari: fed ipfe Liudgerus Presbyter hæc omnia poffedeat jure hæreditario, & cuicumque voluerit poft obitum fuum ad utilitatem animarum noftrarum jure hæreditario commendat ftipulatione fubnixa. Acta eft autem publice hæc Traditio *anno regni religiofisfimi Regis Caroli XXV. XI. Kal. Aprilis in villa, quæ dicitur Bidningehufum* coram teftibus ac manummifforibus, quorum nomina fubtus notantur.

Signum Liudgeri, qui hanc Traditionem perfecit, & propria manu firmavit.

Signum Bernsuide. Sig. Wlfrici Presbyteri. Sig. Fledradi, Folclebi. Sig. Thiadulfi. Sig. Wendilbaldi. Sig. Wigbaldi. Sig. Wilbaldi. Sig. Isinbaldi. Sig. Raeddegi. Sig. Reginhardi. Sig. Hildigrimi Diaconi.

Traditio Oodhelmi.

47. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, quomodo ego *Oodhelmus*, filius quondam ---- tradidi pro remedio animæ meæ & pro æterna retributione tertiam partem hæreditatis meæ *ad Reliquias Sancti Salvatoris*, cæterorumque Sanctorum, quæ a *Liudgero Abbate* in *Withmundi* constitutæ sunt, traditamque in perpetuum esse volo, & nunquam ulterius immutari: in ea vero ratione tamen, ut quamdiu vixero in præsenti mortalitate, ad me pertineat pars illa justo servitio ad augendum non ad minuendum, post obitum vero meum de hac vita cum omni integritate in jus transeat supradictarum Reliquiarum & servorum Dei, qui eas legitime custodire reperientur. Hæc autem pars tertia hæreditatis meæ tribus in locis consistit: in *pago Hisloi*, in villa, quæ nuncupatur *Ocanni* hova una, quam proserviunt liti mei: in *pago* vero *Northtuianti*, in villa, quæ dicitur Huleri-Hova altera. Et in eodem pago Hova tertia, in villa, quæ nuncupatur *Manberi*. & sexta pars hovæ quartæ in villa, quæ appellatur *Hrenberi*; quæ etiam sexta particula hovæ illius me vivente in usus vergit jam dictarum reliquiarum, cum illis comprehensionibus in silva, quæ notæ sunt, juxta *Hislam*. Hæc omnia trado, atque transfundo ad memoratas reliquias, & ad usus servorum Dei, qui easdem reliquias sanctas procurare justo videntur; ut cum omnibus ad se pertinentibus illuc respiciant & deserviant in sempiternum, sicut dictum est superius, & decretum cum omni integritate. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa in loco, qui nuncupatur *Withmundi anno XXIX. regni Domni religiosi Regis Carli III. Kal. Julii* coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc testamentum firmius, notavi diem, tempus, locum, quo scriptum est.

Signum Oodhelmi, qui hanc Traditionem perfecit, & subtus firmavit.

Signum Hildigari. Sig. Bernhardi. Sig. Hildiberti. Sig. Judoni. Sig. Butoni. Sig. Meginlevi. Sig. Bernheri. Sig. Meginberti. Sig. Germundi.

Ego *Hildigrimus indignus Diaconus* subscripsi.

Ego Abba Presbyter subscripsi.

Traditio Wracharii in Suiftarbant, seu in Seuvvald.

48. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, quomodo ego *Wracharius*, filius quondam Brunhari, tradidi *Liudgero Presbytero* pro remedio animæ meæ terram proprii juris mei in *pago Hisloa*, in villa, quæ dicitur *Withmundi*, id est, totam terram illam, quam Landulfus litus meus incolebat, & proserviebat: Et unum agrum, quem Hildigerus ingenuus homo in meo beneficio ante habuit, cum omnibus, quæ ad ipsam terram respiciunt, id est, silvis, pratis, pascuis, perviis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, excepto uno curtili in eadem villa, in cujus compensationem agrum illum tradidi, quem superius dixi. Hæc omnia tradidi pro æterna retributione superius nominato Presbytero Liudgero cum omni integritate: traditaque in perpetuum esse volo, & nullis temporibus ulterius immutari; sed ad perpetuos usus Ecclesiæ Dei supradictus presbyter eandem terram proprio jure possedeat, colat & fructificare faciat in eleemosynam nostram: & cuicunque eam commendare voluerit, & utile nobis fieri prospexerit post obitum suum, liberam & firmissimam a me & ab omnibus habeat potestatem. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa *anno XXVII. regni Domni nostri religiosissimi Regis Caroli, VII. Id. Octobris*, in villa, quæ dicitur *Brunnum*, coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus notantur. Et ut hoc Traditionis testimonium firmius perseveret in æternum, notavi tempus, diem, locum, quo scriptum est.

Signum Wracharii, qui hanc Traditionem propria manu perfecit, subtusque firmavit.

Signum Meginhardi filii ejus consentientis. Sig. Bernhardi. Sig. Gerwaldi. Sig. Liudgeri. Sig. Frodgeri. Sig. Heligberti. Sig. Liudgeri. Sig. Irminleui. Sig. Gelo. Sig. Efurgeri. Sig. Ledovi. Sig. Hildibaldi.

Traditio Gisluin in Welloe.

49. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego *Gisluinus* tradidi partem hæreditatis meæ ad *ecclesiam Sancti Salvatoris*, quæ constructa est *in pago Riporum*, in loco *Werthina* super fluvio *Ruræ*, hoc est, quod tradidi unum jornalem pro remedio animæ meæ, & pro remedio animæ *Athalwini* in *Welloe* [Veluwe,] præsensque Traditio firma permaneat; traditumque in perpetuum esse volo stipulatione subnixa. Acta est autem in *Weritbina* monasterio *XII. Kal. Februar. Anno VIII. Indictione IX.*

Si-

Signum Gisluni, qui hoc tradidit. Sig. Wlfi. Sig. Meginhardi. Sig. Widradi. Sig. Thiatbaldi. Sig. Helmbratti. Sig. Landradi. Sig. Erponi. Sig. Athalbodo.

Ego Thiathardus Diaconus scripsi & subscripsi.

Carta de illa foreste de Arnapa.

50. Notum fieri cupio omnibus, tam præsentibus quam futuris, quomodo nos *Eric* & *Erminfrid* cogitamus pro Dei timoris intuitum, vel pro animæ nostræ remedium, seu retributionem æternam, per hanc donationem donamus *ad Reliquias Sancti Salvatoris*, seu *Hildigrim Episcopo* duas partes de illa foreste, quæ est super fluvio *Arnapa* in *pago Niuenen*, quicquid pater noster Amalricus nobis dimisit in hæreditatem: & in aliis duobus locis terra aratoria: unum ante illam portam orientalem: alterum prope de ipsa foreste; & inter illa duo loca habent jornales X. totum, & ad integrum donamus & tradidimus perpetualiter ad possidendum. Et ut præsens donatio ista omni tempore firma permaneat. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa *anno III. imperii Domni nostri Hludowici gloriosissimi Imperatoris.*

Signum Eric, qui hanc Traditionem fieri rogavit & propria manu firmavit.

Signum Erminfrid eadem facientis. Sig. Oodric, filii Eric. Sig. Frideric. Sig. Egimbert. Sig. Aldbert. Sig. Landbert. Sig. Hildibert. Sig. Winibert. Sig. Oodoni. Sig. Doduni. Adbold. Sig. Albrad. Sig. Albdag. Sig. Widrat. Sig. Fidubert.

Ego Amalbert Presbyter scripsi & subscripsi.

Traditio Badoni.

51. Notum fieri desidero omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego Bado, filius quondam Widuc, tradidi unam Hovam pro remedio animæ fratris mei, nomine Odi, & pro æterna retributione ad monasterium, quod constructum est in honore sancti Salvatoris in loco, qui dicitur *Wyrdina*, in *pago Riporum* juxta flumen Ruræ. Tradidi eam supra dictam in villa, quæ dicitur *Porricbeci* [Pyrbeke] in *pago Borotra* cum omni integritate, id est, terris, sylvis, pratis, & cum omnibus adjacentiis, quæ ad eandem Hovam pertinent. Ita eam tradidi, traditamque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus immutari, sed ad perpetuos usus ejusdem ecclesiæ superius nominatæ custodes quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam a me & ab omnibus habeant potestatem. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa. *Anno VII. gloriosi atque religiosissimi Imperatoris & Regis Hludowici, Idus Aprilis*, coram testibus ac manummittentibus, quorum nomina subtus notantur.

Notavi diem, tempus, locum, quo hæc scripta sunt.

Signum Badoni, qui hanc traditionem fieri rogavit, & propria manu firmavit. Signum Hrodin. Sig. Occing. Sig. Holca. Sig. Wracheri. Sig. Osbern. Sig. Radhori. Sig. Heribaldi. Sig. Bavoni. Sig. Wedrad. Sig. Wlf-Hravan. Sig. Egbrat. Sig. *Sutoris Comitis.*

Ego Werinhardus indignus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Commutatio de terra sancti Salvatoris & Duadungi.

52. Nihil sibi quispiam cernitur minuando, quicquid e contra recipitur in augmentis. Ideoque placuit atque convenit inter *Meinhardum Advocatum sancti Salvatoris de Werthina monasterio*, nec non & hominem nomine Thiadungum, ut terras eorum, ubi locus opportunus eveniebat, inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Ergo donavit memoratus Meinhardus supra scripto Thiadungo in concambio in terra sancti Salvatoris in *Giffriding Hovum*, jornales VIII. & libram unam cum V. solidis. Similiter ei contra dedit memoratus Thiadungus supra scripto Meinhardo in concambio terram suam, quicquid ibidem habuit juxta stirpem sancti Salvatoris super fluvium *Hosapa*. Unde inter se duas epistolas uno tenore conscriptas fieri & adfirmare rogaverunt, ut unusquisque, quod a patre suo accepit, hoc habeat, teneat atque possideat, vel quicquid ex eo facere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeat potestatem ad faciendum. Actum in loco, qui dicitur Werthina sub *die VIII. Idus Maji, regnante Domno Hlutbario, anno I. indictione IIII.*

Ego Thiathardus indignus Subdiaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Thiadungi & Wracardi, qui hoc tradiderunt juxta Hosapa.

Sig. Meinhardi Advocati nostri. Sig. Benno. Sig. Gunthardi. Sig. Genic. Sig. Bernheri. Sig. Wlfeni. Sig. Helmbrat. Sig. Irminfrid. Sig. Lotrad. Sig. Wolfridi. Sig. Nithardi.

Præstaria Helmbaldi.

53. Dum omnibus vicinis suis non habetur incognitum, qualiter *Helmbaldus* filius Heribaldi tradidit ad reliquias sancti Salvatoris, & in manus *Liudgeri Abbatis* in eleemosynam suam comprehensionem illam, quam ipse Helmbaldus in propria hæreditate & in commu-

nione proximorum suorum, proprio labore & adjutorio amicorum suorum legibus comprehendit & stirpavit, id est, in loco, qui dicitur Widapa, in villa Salehem. Et postea postulavit, ut dimidiam ipsam comprehensionem in beneficium accipere deberet diebus vitæ suæ & filii sui sub usu fructifero, id est, de medio solido per singulos annos ad Pesga Domini ad supra dictas reliquias, quæ in eodem loco ponendæ sunt ad lumina comparanda. Ita & feci *ego medicus Abbas Liudgerus* præstiti ei dimidiam comprehensionem illam in ea ratione, ut diebus vitæ suæ & filii sui meliorati fiant: res ipsæ, quæ ad eandem comprehensionem respiciunt, absque ulla distractione & contradictione post obitum ipsorum ad supra dictas reliquias res ipsæ melioratæ revertantur, & in usum servorum Dei, qui easdem reliquias procurare, Deo largiente, & custodire merentur imposterum. Acta est autem hæc præstaria publice in loco ipso, qui dicitur *Widapa*, sub die *VIII. Idus Maji anno tricesimo tertio gloriosi Regis Carli. Ego Liudgerus Abbas* subscripsi.

Signum Gerusalem Presbyteri. Sig. Hardgeri clerici. Sig. Wlgeri clerici. Sig. Guntberti clerici. Sig. Bocco clerici. Sig. Gerfrid clerici.

Ego Wambertus Clericus subscripsi.

Traditio Sigiwini in Hrotbertinga-Hova.

55. Notum fieri desidero tam præsentibus quam etiam futuris, qualiter ego *Sigiwinus*, filius quondam Gisilberti, tradidi *Liudgero Presbytero* contra pretium eius particulam hæreditatis meæ, id est in *Hrotbertinga* Hova unum modicum curtile cum agris III. in eadem villa, & cum Waterscapis, perviis, communiis pascuis, & dedi ei potestatem habere in sylvam quæ dicitur *Sitroth*, & in aliam sylvam, quæ dicitur Huvil. Hæc omnia ego Sigiwinus tradidi superius nominato *Presbytero Liudgero* secundum legem: traditaque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus immutari, sed a me, & omnibus habeat potestatem jure hæreditario, quicquid exinde facere voluerit, & cuicunque voluerit post obitum suum donare. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa in villa, quæ dicitur *Widugises Hova, anno tricesimo quinto regni Domni nostri gloriosi Regis Carli*, II. Kal. Julii coram testibus ac manummissoribus, quorum nomina subtus adnotantur.

Notavi diem, tempus, locum, quo hæc scripta sunt.

Signum Sigiwini, qui hoc testamentum fieri rogavit, & propria manu firmavit. Sig. Hildifridi. Sig. Theodberti. Sig. Raadheri. Sig. Meginhardi. Sig. Folcheri. Sig. Wigberti. Sig. Boldheri. Sig. Notrici.

Ego Werinhardus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi.

Traditio Radaldi.

56. Tradidi ego *Raadald* in eleemosynam meam ad ecclesiam, quam *Liudgerus Abbas* in *Withmundi* collocavit, omnem partem modicæ hæreditatis meæ, id est, & in *Holmisfi*, & in *Withmundi*, quicquid ibi habere visus sum tam in terra, quam in sylva, cum omni integritate tradidi ad supra dictam ecclesiam; traditumque in perpetuum esse volo, & nunquam ulterius immutari.

Signum Meginungi. Sig. Walda. Sig. Gerbaldi. Sig. Bosuc. Sig. Werbert. Sig. Atalgot. Sig. Alfgrim. Sig. Frithuwardi Presbyteri.

Traditio Folcberti.

57. Notum fieri cupio omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Folcbrat* aliquantulam particulam hæreditatis data terra iuris mei in villa, quae dicitur *Bilici*, à *Theganbaldo ingenuo* & nobili homine comparavi in villa, quæ nuncupatur *Fisclacu*, id est Rothum illum, quod dicitur *Widuberg*. Hoc Rothum a supra dicto Nobili Franco Theganbaldo ego Folcbrat comparavi, & aliquantos annos possedi, & in eo laboravi, quod potui. Nunc autem eundem Rothum in terra aratoria, quicquid in eo unquam aratum fuit dedi, *Liudgero Presbytero* cum omni integritate contra terram aratoriam illius Hovæ, quæ dicitur *Alfgeding-Hovæ*. In ea ratione accepi Hovam illam a Liudgero Presbytero vicino meo in cambia contra terram aratoriam Rothi supra dicti, ut eam jure hæreditario in perpetuum possidere debeam, & ad proprios usus hæreditatis redigere, aut quicquid exinde utile esse decrevero, liberam & firmissimam habeam potestatem ab omnibus, sive vivens facere, sive post obitum meum tantum ad usum fructiferum pertinentem & proficientem. Siquis vero, quod futurum

turum esse non credo, ego ipse, quod absit, aut aliquis de hæredibus & prohæredibus meis seu quælibet opposita persona, qui contra hanc cartam cambiæ injusto conamine venire temptaverit, aut eam infringere voluerit, imprimitus iram Dei cœlestis incurrat, & a sanctorum Angelorum societate separetur, & ab ingressu omnium ecclesiarum alienus existat, quoadusque se correxerit a nefaria praesumtione, & insuper a fisco mulctatus auri libras duas, argenti pondus decem coactus exsolvat, & sic quidem, quod repetit, evindicare non valeat, sed firma & immutabilis hæc cambia in sempiternum permaneat, stipulatione subnixa. Acta est autem publice *An. XXXI. gloriosi atque religiosi secundi Regis Carli, XVI. Kal. Martii, in loco, qui dicitur Diapanbeci, in ripa Rura* coram testibus ac manummittentibus, quorum nomina subtus adnotantur.

Notavi tempus, diem, locum, quo hæc acta sunt.

Signum Liudgeri Presbyteri, is eam chartam fieri rogavit, & propria manu firmavit.

Signum Berngeri. Sig. Alfdagi. Sig. Hildiradi. Sig. Berwini. Sig. Gisfridi. Sig Benno. Sig. Liudrici. Sig. Walafridi.

Traditio Theodgrini Diaconi.

58. Notum fieri desidero omnibus, tam praesentibus quam futuris, qualiter ego *Theodgrim*, filius quondam Aldgrini, tradidi omnem hæreditatem meam, quam Ricfridus mihi tradidit, pro remedio animæ meæ, & pro æterna retributione *ad monasterium, quod constructum est in honorem sancti Salvatoris*, in loco, qui dicitur *Werthina, in pago Riporum* juxta fluvium *Rura*, ubi *Hildigrimus Episcopus praeesse videtur.* Tradidi eam supra dictam in villa, quae dicitur Arlo, *in pago Threant*, cum omni integritate, hoc est, una ecclesia, in terris, in mancipiis, in domibus, in ædificiis, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, totum & integrum trado atque transfirmo: ita eam tradidi, traditamque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus immutari, sed ad perpetuos usus eiusdem ecclesiæ superius nominatæ custodes quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam a me & ab omnibus habeant potestatem.

Acta est autem publice cum stipulatione subnixa *Anno VII. gloriosi atque religiosi Regis & Imperatoris Hludowici XIIII. Kal. Julii.* Facta est autem hæc traditio in loco, qui dicitur Mimigernaford, coram testibus ac manummittentibus, quorum nomina subtus adnotantur. Notavi diem, tempus, locum, quo hæc scripta sunt.

Signum Theodgrimi, qui hanc traditionem fieri rogavit, & propria manu firmavit.

Signum Liudolfi. Sig. Aldgeri. Sig. Aldberti. Sig. Adoni. Sig. Adaldung. Sig. Eburgeri. Sig. Folcbrat. Sig. Erpulf. Sig. Thancheri. Sig. Theadi. Sig. Osgeri. Sig. Bavoni. Sig. Hildold. Sig. Egilhard. Sig. Waldric. Sig. Marcward. Sig. Marcrad. Sig. Val. Sig. Herimod.

Ego Werinhard Presbyter scripsi & subscripsi.

Traditio Bettoni in Holtheim.

59. Notum fieri desidero omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Betto*, filius quondam N. . . . . tradidi particulam hæreditatis meæ *Liudgero Abbati*, accepto pretio juxta consensum amborum, *in pago Niuanheim* in villa, quæ dicitur *Holtheim*, id est, curtile, cum adjacentiis, uno rodo & modico prato, ex uno jurnali in terra arabili cum cæteris omnibus, quæ ad ipsum curtile, legaliter respiciunt, hoc est, pascuis, perviis, usibus aquarum, dominationemque in sylvas ad supra dictam villam pertinentes cum pastu plenissimo iuxta modulum curtilis ipsius. Hæc omnia superius denominata Ego Betto cum omni integritate tradidi Liudgero Abbati traditamque in perpetuum esse volo, & nullis unquam temporibus ulterius immutari, sed ad perpetuos usus ecclesiæ Dei quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam a me & ab omnibus habeat potestatem. Acta est autem publice cum stipulatione subnixa in loco, qui dicitur *Ad-Crucem, anno tricesimo tertio regni religiosissimi Regis Carli, sub die VI. Nonas Maji.* Notavi diem, tempus, locum, quo hæc scripta sunt.

Signum Bettoni, qui hanc traditionem perfecit, & propria manu firmavit.

Signum Landberti. Sig. Horulfi. Sig. Erlulfi. Sig. *Folcheri.* Sig. . . . . Sig. Hrotulfi. Sig. Folcberti. Sig. Miloni.

Et ego Thiatbald Presbyter scripsi & subscripsi.

Traditio Andgeri in Volum.

60. Notum cupio fieri omnibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Andger* per manus Wolfhrammi tertiam partem hæreditatis meæ vendidi & pauperibus erogavi,

gavi, reliquas duas partes tradidi ad ecclesiam sancti Salvatoris, quæ est constructa in *pago Riporum*, in loco, qui dicitur Werthina super fluvio Rura, in ea ratione, ut uxor mea medietatem habeat omnibus diebus vitæ suæ illius hæreditatis, quod ad prænominatam ecclesiam tradidi in precaria, hoc est tertiam partem hæreditatis meæ, & post obitum suum ad prædictam ecclesiam pro remedio animæ meæ, traditumque in perpetuum esse volo, præsensque traditio firma permaneat in æternum *Acta in Werthina monasterio VII. Idus Januarii anno V. regni Domni Hlotharii Regis, indictione VII.*

Ego Thiathardus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.

Signum Andgeri, qui hoc tradidit. Sig. Wolthramni. Sig. Folcberti. Sig. Meginhardi. Sig. Aldberti. Sig. Wolf. Sig. Theatradi. Sig. Sigibaldi. Sig. Gerbaldi Sig. Frithubaldi. Sig. Reginbaldi. Sig. Bornheri. Sig. Waldheri. Sig. Meinradi.


Traditio Willeburg.

61. In Christo fratri *Hildigrim Episcopo* emtori ego Willeburg venditrix. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi proprietatis meæ in pago Ruracgawa, in villa, quæ vocatur Menithinna, id est in terra arabili, terra & sylva, jornales VI. & accepi a te pretio, sicut inter nos placuit atque convenit, tantum ita ut post hunc diem jam dictas res jure habendi, tenendi, dandi, vendendi vel quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Actum est autem publice cum stipulatione subnixa, in villa, quæ dicitur Werithina, ad locum . . . . . super fluvio Rura, ubi levata fuit, & ante testes seu manummissores sub die VI. . . . . Imperante Domno nostro Karolo Imp.

Sigillum Willeburg, quæ hanc traditionem fieri rogavit.

Cætera deerant in codice, cui præfixus catalogus traditionum in super nominabat sequentes:

62. Traditio Bringeri - 63. Irpingi prope Renum. 64. Werdilburg. 65. Afferi Presbyteri. 66. Fridubergæ de Mellingi. 67. Venditio Gerum & Lebwar de *Arnapa.* 68. Vend. Friddric de Arnapa. 69. Trad. Sigibaldi & eius uxoris in Hoangi. 70. Tr. Rumfrid. *de pago Riguario.* 71. Trad. Heribrahti. 72. Ewrwini & Ricwini in *Vuiti.* 73. Trad. Radberti. 74. Trad. Hravanger de Bunnagao.



VII.

POETÆ SAXONIS ANNALES CAROLI MAGNI

ex editione R. Reineccii emendata ex MSto.

Annalium de gestis Caroli Magni Imp. (a)

Liber Primus.

ANN. DCC. LXXI. INDICT. VIII. (b)

SAlvator mundi postquam de virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,
Evolvit septingentos rota temporis annos,
Et decies septem, sed & unus pene peractus
Insuper annus erat, cum iure Monarchia regni
Francorum CAROLO divinitus est data MAGNO.

Nam

(a) In MScto Helmst. non nisi hic titulus: *Vita Karoli.*

(b) Hæc annorum designatio hic & toto libro primo in MSCto Helmst. non comparet. Repererit ergo Reineccius in Wolffenbuttelensi. Alioquin si ex suo ingenio adjecisset, monuisset, ut aliàs fecit, Vid. infr. p. 19, b, p. 47, a.

Nam Carolomannus, frater decesserat ejus
Præsentis jam supremis prope partibus anni.
Et Carolus villam, quæ *Carbonata* vocatur,
Adveniens, summos proceres, omnesque potentes,
Fraternæ quondam partis susceperat illic,
Haud, retractantes domino se subdere tali.
Exceptis tantum paucis, quos forte prioris
Magnus amor domini cum conjuge fecerat ejus
Et natis remanere, quibus comitata petivit
Italiam, sperans se degere posse quietam
Sub regis *Desiderii* munimine vitam.
Rex autem Carolus celebravit in *Attiniaco*
Natalem Domini, nec non Paschalia festa.

ANN. DCC. LXXII. INDICT. IX.

PAulo Romanæ defuncto Præsule sedis,
Suscepit post hunc *Adrianus* Pontificatum.
Et Rex *Wormatiam* Carolus collegit in urbem
Francorum proceres ad concilium generale,
Cum quibus ut bello *Saxones* aggrederetur,
Decrevit: quoniam Saxonum proxima Francis
Adiacet ad Boream tellus: vix limite certo
Divisi gentis fines utriusque cohærent.
Quæ tum vicinæ quo plus regione fuere,
Tanto sejunctas animis discordia fecit.
Finitimos sed enim per agros utrinque solebant
Assidue fieri cædes, incendia, prædæ.
Saxonum natura ferox, & pectora dura,
Ferre jugum Christi nec dum dignata suave,
Dæmonico nimium fuerant errore subacta.
Christicolæ vero jam longo tempore Franci
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Jam dominabantur populis, quibus undique fulti,
Præcipue virtute Dei, quem rite colebant,
Hanc unam poterant nimirum vincere gentem.
Quæ nec Rege fuit saltem sociata sub uno,
Vt se militiæ pariter defenderet usu,
Sed variis divisa modis plebs omnis, habebat
Quot *pagos* tot pene Duces, velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique *Westfalos* vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant (1) *Osterlingi*, quos nomine quidam
Ostualos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida *Sclavi*.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria, Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.
Hanc igitur Carolus statuit sibi subdere gentem.
Nec mora, cum totis Francorum viribus ipsam
Aggressus, late ferro vastavit & igni.

(1) Osterludi.

Castellum naturali munimine forte
Valde, manu quoque firmatum, quod barbara lingva
Nominat *Eresburg*, valido cum robore cepit.
Gens eadem coluit *simulacrum*, quod vocitabant
Irminsul, cuius (2) factura, simulque *columna*
Non operis parvi fuerat pariterque decoris.
Hoc rex evertens, mansit tribus ipse diebus
In castris juxta positis, tum continuato
Aestatis fervore diu, cœloque sereno,
Ardebant agri, nec in ipsis fontibus humor
Vllus erat, multo (3) squallebant pulvere rivi.
Jamque fatigabat graviter regalia castra
Aucta calore sitis, sed vis dedit omnipotentis,
Cui placuit fani subversio justa profani,
Vt mediante die, subito per concava sicci
Cujusdam torrentis, * erat qui proximus illis,
Sufficiens exercitui prorumperet unda.
His gestis cum Rex *Wisuram* venisset ad amnem,
Obsidibus bis sex ipsa de gente receptis,
Ad patriam rediit magna cum prosperitate.

DCC. LXXIII. INDICT. X.

Missis legatis, *Adrianus Papa* sacratus
Auxilium Caroli studuit deposcere Magni
Adversus *Longobardos*, quorum fuit illo
Tempore *Rex Desiderius*: nam valde premebat
Improba Romanos hujus violentia gentis.
Et quia tunc illi pars maxima subdita regni
Italiæ totius erat, terrasque per illas,
Scilicet hostiles, non quenquam mittere (1) tuto.
Romanus præsul potuit, qui tramite recto
Francorum terras peteret, conscendere navem
Fecit apud Romam legatum nomine *Petrum*,
Vt mare circuitu longo fluctusque pererrans
Suspectum vitaret iter. Sic sæpe videtur
Tutior Oceani fervor pelagique procella,
Quam mentes hominum, quas turbida commovet ira.
Hic igitur *Petrus* Roma directus ab urbe,
Per mare *Massiliam* petiit, longumque deinde
Præteriens iter, in *villa Theodone* vocata
Insignis Caroli pietatem regis adivit,
Orans devote satis, ut defendere vellet
Ecclesiam Petri, summus qui claviger aulæ
Illi cœlestis dare præmia maxima posset.
Nec non Pontificis succurreret anxietati,
Romanique simul populi mala plurima passi,
Cui libertatis iam spes, vitæque tenendæ
Vnica post Dominum, tantum restaret in illo.
Talibus auditis, causam Rex protinus omnem
Sollicito volvens animo, satis affore justum
Perpendit, gratumque Deo, defensor vt ipse
Sedis Apostolicæ totis pro viribus esset.
Atque suo statim regno collegit ab omni
Roboris immensi variis ex gentibus agmen.
Quod secum ducens, *Genuam* * pervenit (2) ad urbem,

Quam

(2) Cujus similis factura columnæ
(3) squalebant
* Procul dubio hic torrens fuit der Bullerborn in agro Paderbornensi, quem in monumentis Paderbornensibus fuse descriptum vide.
(1) tute
* *Geneva* hodie.
(2) in

Quam rapido cursu Rhodanus præterfluit amnis,
Tum gemino (3) Longobardos invadere bello
Decrevit, populumque suum divisit, & unam
Cum Duce (4) *Benhardo* partem præceperat ire
Per *montem Jovis*: id nomen vetus indidit error.
At reliquam per Cinisium rex duxerat ipse.
Transcensis igitur horrendis Alpibus, instar
Turbinis Ausoniæ duplex exercitus arva
Irruerat, late regnum vastans opulentum.
Jamque metus cunctos Francorum perculit ingens.
Nam *Desiderium*, primo qui bella parabat,
Se frustra Carolo sperans obsistere posse,
Congressu necdum facto, terrore fugavit.
Et clausum *Ticino*, cui nunc est *Papia* nomen,
Regius admotis exercitus undique castris
Obsedit, variisque modis per plurima tentans
Temporis hyberni spacio molimina toto,
Non urbis poterat muros irrumpere ferro.

DCC. LXXIV. INDICT. XI.

TAles Italicis dum res agerentur in (1) *oris*,
Saxones sibi contiguos invadere fines
Ausi, *Francorum pagum*, qui dicitur *Hassi*,
Prædantur, flammisque simul populantur & armis.
Quos animavit ad hoc longinqua profectio Regis,
Credentes ulciscendi sibi tunc fore tempus
Damna prius per eum quæ maxima sustinuere.
Qui tamen usque locum, qui *Fridesblar* vocitatur,
Progressi, quandam cupierunt tradere flammis
Ecclesiam, quam sacravit *Bonifacius* illic
Martyr & Antistes Christo dilectus in ævum.
Hoc frustra nisos facinus complere nefandum,
Invasit subito terror divinitus ingens,
Atque fuga turpi trepidos repedare coëgit
Ad patriam, quos non hostes, non arma fugarunt.
At Rex dispositis legionibus ad (2) *Ticinensem*
Obsidione jugi *populum* belloque premendum,
Orandi causa Romæ loca sancta petivit.
Illic supplicibus votis ex corde peractis,
Ad *Ticinum* rediit, quæ iam certamine longo
Fessa repugnandi vires amiserat omnes.
Dedita tum Francis hæc urbs clarissima, cunctis
Exemplo fuerat reliquis; nam protinus omnes
Tradiderant Carolo sese concorditer urbes
Eiusdem regni, quod jam sibi jure sabactum
Disposuit, quantum potuit pro tempore tali.
Ad sedes etenim cupiens remeare paternas,
(3) Accelebrabat iter, secum ducens memoratum
Italiæ Regem, noviter quem ceperat armis.
Hic humanarum videas ludibria rerum,
Quam vario cursu vitæ rota volvitur hujus?
Hesterno *Desiderius* diademate regni
Floruit, en hodie est pauper, captivus & exul.
Filius illius, cognomine dictus *Adalgis*,
Cum (4) Longobardis in eo spes ampla maneret,

(3) Langabardos.
(4) Bernhardo.
(1) horis
(2) Ticinensum.
(3) Accelerabat.
(4) Longabardis.

Diffidens rebus patriæ, se contulit inde
Ad *Constantinum Græcorum sceptra regentem*.
A quo Patricius præclaro munere factus,
Hoc in honore suæ permansit ad ultima vitæ.
Rex autem Carolus veniens, dum cognitus ejus
Velox adventus nec dum Saxonibus esset,
Fecerat ut triplex exercitus in regiones
Illorum missus, multis affligeret ipsos
Cædibus ac prædis, loca denique plurima vastans,
Hinc est cum spoliis victor regressus opimis.

DCC.LXXV. INDICT. XII.

Rex hyemis tempus ducens in *Carisiaco*,
Nomine quo quædam *regalis villa* vocatur,
Illuc Francorum proceres totumque Senatum
Convocat, ac multum tractans de rebus agendis,
Et variis, quibus indiguit Respublica, curis,
Inprimis hoc consilium perhibetur inisse,
Vt jugiter bellum Saxonibus ingereretur,
Quos expertus erat fidei vel fœderis omnis
Immemores, nunquam sub pace quiescere velle.
Hinc statuit, requies illis ut nulla daretur,
Donec gentili ritu cultuque relicto,
Christicolæ fierent, aut delerentur in ævum.
O pietas benedicta Dei, quæ vult genus omne
Humanum fieri salvum, quia noverat hujus
Non aliter gentis molliri pectora posse,
Disceret ut cervix reflectere dura rigorem
Ingenitum, mitique jugo se subdere Christi.
Ob hoc doctorem talem, fideique magistrum,
Scilicet insignem *Carolum* donavit eisdem,
Qui bello premeret, quos non ratione domaret,
Sicque vel invitos salvari cogeret ipsos.
Hoc inspiratum cordi divinitus ejus
Vtile consilium comitantur strenua facta.
Quippe Duces, omnisque simul delecta juventus
Ad *Duriam vicum* properant: nam Rege jubente,
Illic conventus populi generalis habetur.
Atque dehinc grandi transmisso flumine Rheno,
Saxonum Carolus fines hostiliter intrat.
Ac primo *Sigeburg castellum* cepit, & inde
Eresburg petiit, quam captam diximus urbem.
Sed ne præsidio Francis fore posset, eandem
Indigenæ destruxerunt: hanc denique rursus
Munivit, posuitque suas illic legiones.
Inde gradu celeri *VVisuram* pervenit ad amnem,
Cui juxta montem; qui *Brunesberg* vocitatur,
Obvia magna fuit, cupiens obsistere, turba,
Ne fluvium transiret, & hoc conamine casso.
Fugit enim primo statim certamine pulsa,
Innumerosque die ferrum prostraverat illo.
Inde movens Carolus regiones venit ad illas,
Quas (1) *Osterlingi* retinent, seditque locatis
Ad fluvium castris, qui nunc (2) *Ovacra* vocatur.
Tunc illi quidam, qui de *primoribus ejus*
Gentis erat, supplex occurrit nomine *Hessi*,
Partis & illius pariter plebs obvia tota

Vene-

(1) Osterluidi. (2) Ovaccra.

Venerat, obsidibusque datis, quos jusserat ipse,
Se servare fidem Regi per maxima spondent
Iuramenta. Quibus cunctis hoc ordine gestis,
In *pagum* rediit, quem dicunt nomine *Bukki*. *
Illic occurrere Duces simul Angariorum
Cum populo, similique modo regalibus omnes
Dum parent jussis, juramentisque fideles
Se fore confirmant, reditum parat illico victor.
Interea juxta *VVisuram* dimissa manebat
Pars exercituum Regis, locus ipse vocatur
Hlidbeki, ** quo castris (3) iidem sedere locatis.
Sed male securos res prospera fecerat illos,
Qua rex usus erat, cum cunctis hostibus esset
Terrori, jam tunc audente resistere nullo.
Hinc erat in castris cautela remissior illis,
Vt possent nimia Saxonum fraude noceri
Sol summo cœli pronus vergebat ab axe,
Et vespertinas jam tendere cœpit ad horas.
Tunc ut equis quidam deferrent pabula longe,
De castris prius egressi pariter redierunt.
His se Saxonum quoddam permiscuit agmen,
Fingentum semet socios, animoque fideles.
Tum se quisque novo blande sociabat amico,
Hostis quo sævus latuit sub nomine tectus.
Adhibitumque fidem verbis fallacibus auget
Obsequium; cuncti simul in commune laborant.
Pars subvectat onus viridis simul utraque fœni.
Sic introgressi Francorum castra dolosi,
Quod vi non poterant, egerunt arte. Sed olim
Est dictum, Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Depressos somno Francos instanter adorti
Saxones, cædem nimiam fecere, feroces,
Donec discusso tandem torpore soporis,
Quidam correptis obstare viriliter armis
Cœperunt, pugnaque de hinc utcunque remota,
Scilicet ex pacto, quod tunc angustia talis
Dictabat, hostes celeri rediere recursu.
His Rex auditis illuc properare satagit,
Atque satis velox fugientum terga secutus,
Prostravit multos auctores criminis hujus.
Hinc ad (4) *VVestualos* venit, statimque receptis
Obsidibus, quos tradiderant, abscesserat inde.
Ac suscepit ovans redeuntem Francia regem.

* Dubium, an hoc sit Boëke, ubi post S. Menulphus Monasterium construxit; an Buckenburg, arx ditionis Schaumburgicæ.

** Al. *Hudbecki*.

(3) idem.

(4) Westfalhos.

DCC. LXXVI. INDICT. XIII.

CVmque domum rediens Princeps iter acceleraret,
Comperit Ausoniis in partibus esse Tyrannum,
Nomine *Hrodgaudum* nova qui molimina tentans,
Nec, quem Rex illi dederat, contentus honore,
Italiæ latum voluit sibi subdere regnum.
Quippe *Ducem Comitemque Forojulensibus* ipsum
Constituit Carolus, primo cum clara triumpho
De (1) Longobardis victor vexilla revexit.

(1) Langobardis.

Huic nimis ingratus dono male sollicitabat
Vrbibus ex multis populos, ac fecit ut ad se
Deficerent, justo Caroli spreto dominatu.
Hos ut comprimeret motus, nil ipse moratus,
Strenua quam celeri raptim vocat agmina jussu.
Cum quibus Italiam properans, meritoque Tyrannum
Interitu plectens, urbes servare receptas
Francorum Comites, quos ipse locabat in illis,
Iussit, & ut venit velox, sic inde recessit.
Vix Alpinarum nivium juga proxima cœlo
Illi transgresso tristis fuit obvia fama,
Eresburg referens urbem, quam ceperat olim,
Militibusque suis mandaverat ipse tuendam,
Saxones expugnatam cepisse, suumque
Expulsum fore præsidium violenter ab illis.
Tum (2) *Sigeburg* aliud multo conamine castrum
Oppugnare quidem studuit, nec vincere quivit
Gens eadem, cupiens ab ea Regis legiones
Pellere. Sed pugnæ populus Saxonicus instans,
A tergo circumventus fuit atque fugatus,
(3) Internis positis simul erumpentibus, atque
Incautos plaga facile sternentibus ampla.
Hic rumor *Caroli* cum primum venit ad aures,
Conventum procerum fieri præcepit in urbe
VVormatia, statuitque moras innectere nullas,
Quin lueret tanti sceleris gens perfida pœnas.
Ergo suis exercitibus Rex undique lectis,
Conatus celer hostiles prævertitur omnes,
Tentavere quibus primo defendere sese.
Nam *fontes* adiens, *ubi Lippia nascitur amnis*,
Repperit ex ipsa numerosas gente catervas
Illic collectas, humiles, veniamque precantes,
Quod non servassent anno promissa priori.
Cum vero Carolus clemens ignosceret illis,
Complures, Domino se Christo credere velle,
Spondentes, simulacrorumque relinquere cultus,
Purgari jussit sacri baptismatis unda,
Servandæque iterum fidei promissa recepit,
Obsidibus firmata datis, quibus ipse volebat.
Eresburg iterum firmat munimine forti,
Et juxta fluvium, quem *Lippia* diximus ante,
Castellum condens aliud, complevit utrumque
Militibus lectis. Tum *Gallica* rursus *ad arva*
Regrediens, hyemis tempus transegit in aula,
Nomen *Heristalli* dederat cui *barbara lingua*.

(2) Siburg. (3) Interius.

DCC. LXXVII. INDICT. XIV.

Aspirante novi placido cum tempore veris
Horrida jam transisset hyems, Rex *Noviomagum*
Adveniens, celebravit ibi solennia Paschæ.
Tum quia *Saxones* suspectos semper habebat,
Haud dubitans, illos pro libertate tenenda
Artibus acturos variis quodcunque valerent,
Et nisi continui premerentur pondere belli,
Fœdera rupturos, secum condicta frequenter,
Rursus in illorum patriam fortissima ducit

Agmina:

Agmina: conventum *placiti generalis* habere
Cum Ducibus se velle suis denunciat illic.
Tanto concilio locus est electus agendo,
Quem *Pathalbrunnon* vocitant, quo non habet ipsa
Gens alium naturali plus nobilitate
Insignem, qui præcipue redimitus abundat
Fontibus & nitidis & pluribus, & trahit inde
Barbarica nomen lingua sermone vetustum.
Tunc ibi *villa* fuit tantum, nunc *Pontificalis*
Ecclesia constructa nitet clarissima sedes.
Quo *Carolus* veniens, collectos repperit omnes
Pene *duces*, *populumque* simul, *totumque Senatum*
Saxonum, nisi quod quidam *VVidokindus* abinde
Aufugit, Regem veritus: nam conscius idem
Audacis sibimet facti, multique reatus,
Sifridum petiit, *Danorum sceptra regentem.*
Porro Duces illic alii cum plebe (1) gregata
Suppliciter cuncti veniam pacemque petentes,
Paruerant regi (2) tali sub conditione,
Vt cuncta scelerum dimissa mole priorum,
Si post auderent ejus violare statuta,
Libertate simul prisca, patriaque carerent.
Quorum tum Christo se credere velle professa
Magna salutiferum suscepit turba lavacrum.
Sed simulata fides versuto prodiit ore,
Quod notum multis fecere sequentia gesta.
Tunc *Sarracenus* quidam pervenerat illuc,
Nomine qui patrio dictus fuit *Ibinalarbi.*
Hic cum non paucis sociis ac civibus, ipsum
Qui comitabantur, fines regionis Iberæ
Linquentem, Carolo se dedidit, ac simul urbes,
Rex Sarracenus quibus hunc præfecerat olim.
Ob hoc Saxonum tandem regione relicta,
Gallica regna petit. Post hæc *Aquitania* regem
Insignem Carolum tenet *ad Paschalia festa.*

DCC.LXXVIII. INDICT. XV.

Hortatu *Sarraceni* cum se memorati
Hispanas urbes quasdam sibi subdere posse
Haud frustra speraret, eo sua maxima cœpit
Agmina per *celsos Vuasconum* ducere *montes.*
Qui cum prima *Pyrenæi* juga jam superasset
Ad *Pompelonem*, quod fertur nobile *castrum*
Esse *Navarrorum*, veniens id ceperat armis.
Traiiciensque vado famosum flumen (1) *Iberum*,
Cæsaris Augusti * quondam *de nomine dictam*
Vrbem præcipuam terris penetravit in illis.
Acceptis tamen obsidibus, quos *Ibinalarbi*
Iam dictus, pariterque sua de gente fideles,
Illustresque viri, dederant, sic inde recessit.
Ac *Pompelonem* rediens, dejecerat ejus
Ad terram muros, fieret ne forte rebellis.
Cumque Pyrenæi regressus ad intima saltus,
Milite cum lasso calles transcenderet arctos,
Insidias (2) ei summo sub vertice montis

Ten-

(1) gregati
(2) sub tali

(1) Hiberum
(*) Cæsaraugusta.
(2) ejus

Tendere *Vuascones* ausi, nova prælia tentant.
Denique postremos populi regalis adorti,
Missilibus primo sternunt ex collibus altis.
Et Francos, quamvis armis animisque priores,
Impar fecit & augustus locus inferiores.
Rex jam præcessit, tardumque remanserat agmen,
Cura vehendarum quod rerum præpediebat.
Fit pavor hinc exercitibus, subitoque tumultu
Turbantur, victrix latronum turba nefanda
Ingentem rapuit prædam, pluresque necavit.
Namque *Palatini* quidam cecidere *ministri*,
Commendata quibus *regalis copia gaza*,
Prædones illos spoliis ditavit opimis.
His gestis, hostes vasti per devia saltus
(3) Accelerant fugam, fuerant quibus ardua montis
Abdita sylvarum vallis loca nota profunde.
Quos fuga dilapsos investigabilis, & nox.
Instans eripuit, sequeretur ut ultio nulla.
Ac facinus tantum quoniam permansit inultum,
Tristia regali subduxit nubila menti,
Prospera quam fecere prius complura serenam.
Aptum præterea se tempus habere putantes
Saxones ulciscendi quam plurima damna,
A Francis illata sibi, quia Rex erat absens,
Infesto *Rheni* petierunt agmine *littus*.
Quem transire tamen nulla ratione valentes,
Francorum terras, in eadem parte jacentes,
Qua venere nimis vastare ferociter ausi,
A muris urbis, quæ dicta *Duitia* nunc est,
Donec pervenias, *ubi Rhenus confluit idem*,
Littoribusque ferens fontes Mosella Lyæi,
Cunctas, quas poterant villas invadere, flammis
Tradiderant, ipsis etiam non ira pepercit
Ecclesiis, nec erat hominum cædis modus ullus.
Non aliquod sexus, ætatis, conditionis
Vllius, furor immitis discrimen agebat,
Omnia sed ferrum, vel edax consumserat ignis.
Hinc non prædandi studio, sed ut ultio quædam
In Francos fieret, hoc eos gessisse probatur.
Hoc *Rex Hispanis didicit regressus ab* (4) *oris*.
Tunc *Orientales Francos*, nec non *Alamannos*,
Obvia ferre jubet statim Saxonibus arma.
Quos cum jam patriam redeuntes insequerentur,
In (5) *Baddenfeldum* (sic est locus ille vocatus)
Adernam juxta fluvium constanter in ipsos
Irruerant, nutuque Dei, quem crimina tanta
In populo commissa suo damnare decebat,
Saxones (6) tanto ciderunt strage peremti,
Vt de prægrandi superessent agmine pauci.

(3) Fugerunt, celerant.
(4) horis.
(5) Baddanfeldim
(6) tanta.

DCC. LXXIX. INDICT. I.

VEre novo Carolus caussa poscente peragrans
Gallorum quondam terras, ad (1) *Vverciniacum*
Accessit *vicum*, quo tunc occurrit eidem
Dux Spoletanus, Hildibrandus vocitatus.

(1) Wirciniacum.

Qui

Qui preciosa ferens insigni munera Regi,
Ad sua cum magno satis dimissus honore.
At Rex intente meditans invadere terras
Saxonum, citius Rhenum trajecerat amnem.
Cui se spe vana gens ipsa resistere posse
Confidens, pariter sumtis occurrerat armis,
In quodam collecta loco *Bocholt* vocitato.
Sed cum cœpissent acie confligere, statim
Terga dedit, numero Francorum territa grandi.
Accepit tunc *VVestfalos* in deditionem.
Progressusque dehinc *VVisuram* pervenit ad amnem,
Atque dies aliquot mansit statione locata.
Angarios sed & (2) *Ostfalos* ad se venientes
Promissam firmare fidem, qua semet eidem
Subjectos fore spondebant, animoque fideles,
Obsidibusque datis sacramentisque cöegit.

(2) Ostfalhos

DCC. LXXX. INDICT II.

His gestis *VVormatiam* remeavit ad urbem.
Inde movens oportuno sua tempore castra,
Saxonum rursus properaverat in regionem.
Eresburg primum petiit, post hæc *ubi fontes*
Lippia flumen habet, perplurima dispositurus
In castris aliquot fertur mansisse diebus.
Hinc *Orientis* iter sumens ad flumen (1) *Ovacrum*
Venit, & ejusdem gentis quam maxima turba
Illuc præcepto parens, occurrerat, atque
Credere se Christo simulans baptisma recepit.
Indeque festinus pergens, ibi castra locavit,
Albia qua grandis fluvius miscetur & (2) *Hora*.
Nam res Saxonum voluit componere, nec non
Sclavorum, medius quos Albia dividit amnis.
Citra *Saxones* degunt, *in littore vero*
Sclavorum pagana manet gens ulteriori.
Dispositis sane rebus pro tempore cunctis,
Ad sedes tandem studuit remeare paternas.
Tum quia præcipuo semper flagrabat amore
Petri, qui summe præclarus Apostolus extat,
Ipsius Romæ decrevit limina sacra
Quærere, vota precesque Deo persolvere curans.
Atque citus properans, assumta conjuge secum,
Et natis, *urbem* pervenerat ad *Ticinensem*,
In qua Natalis Domini festum celebravit.
Hic igitur statui primæ cum fine Decadis
Annorum Caroli, postquam Rex cœperat esse
Francorum solus, primum finire libellum,
Viribus ut parvis requies solatia præstet.

R Anna-

(1) Ovaccrum

(2) In MSC. scriptum fuerat *ora*, sed *h* impositum, & *s* in fine alio calamo adjectum.

POETA
Annalium (a) de gestis Caroli Magni Imp.
Liber Primus
EXPLICIT. INCIPIT
Secundus.
DCC. LXXXI. INDICT. III. (b)

OCTonis decies septingentisque peractis
Annis est genitus postquam de virgine Christus,
Hic primus sequitur, Carolus quo Rex pius *arces*
Romanas adiit Domino ducente secundo.
Tunc *Adrianus* eum jamdudum commemoratus,
Præsul Apostolicus, cum magno lætus honore
Suscepit, populusque simul Romanus ad ipsum
Ut defensorem, libertatisque datorem,
Unanimis concurrit ovans, gratesque rependens.
Illic cum præsens foret ad solennia Paschæ,
Fonte salutifero *Pippinum* nomine natum
Abluit ipsius Præsul venerabilis idem. (c)

(a) Neque hic titulus in MSC. Helmst.
(b) Neque hic annus in MSC. Helmst. expressus.
(c) Hic in Codice Helmst. MSCto immediate sequuntur, quæ habentur infra sub anno 783. *Gloria certabat* &c. usque ad illa: *Salvavit mundum, voto celebraverat almo.* Posthæc sequuntur ista: *Exoriens æstas ubi primum* &c. Sed descriptoris vitio hæc transpositio facta, cui Reineccius medica manu adfuit, & res gestas ad normam veterum Annal. Franciсorum suo ordini restituit, uti hic impressæ sunt. Poëtæ tamen nostro hoc loco quædam deesse videntur.

(1) DCC. LXXXII. INDICT. IV.

EXoriens æstas ubi primum gramine pulcro
Vestierat terras, poteratque exercitus apte
Educi, quoniam molles animalibus herbæ
Dulcia præbuerant florentis pabula fœni:
Innumeris fultus populis, & milite claro,
Saxonum rursus Rex inclytus in regionem
Venit, &*ad fontes fluvii*, *cui Lippia nomen*,
Conventum fieri *procerum* jussit *generalem.*
Illic disponens complura negocia regni,
Danorum Regis (2) *Sigfridi* nomine missos,
Et quos *Iugurgus* pariterque *Caganus* ad ipsum
Hunorum misere *Duces*, pro pace petenda,
Adiit, absolvitque, datis prudenter eisdem
Responsis. Posthæc Rhenum traiecerat amnem,
Gallica seque dehinc Rex magnus in arva recepit.
Interea patriæ quondam (3) *Vuidokindus* ab oris
Qui fuerat profugus, *Normanorumque* petivit
Auxilium, rediens vana spe sollicitabat
Saxones, initum cum Francis rumpere fœdus
Ut conarentur, multosque vocavit in arma
E populo, fecitque novum consurgere bellum.
Gens quoque *Sclavorum Sorabi* cognomine dicta,
Audacter sumtis subito præruperat armis,
Vicinas sibi *Saxonum* terras populando,
Atque *Thuringorum* fœcundos frugibus agros.
Qui medias Sorabi terras camposque jacentes

Inha-

(1) In MSCto titulus hic habetur, sed præmittitur *Anno*
(2) Sigifridi
(3) Widukindus

Inhabitant inter fluvios: hinc volvitur amnis,
Qui Sala nomen habet, fluit Albia latior inde.
Ast ubi Sclavorum Carolo sunt cognita gesta,
Protinus illorum reprimendos censuit ausus,
Arcendosque sui regni de finibus hostes.
Unde *Palatinis* ad se *tribus* ipse vocatis
Principibus, quorum fuerat *Camerarius* unus
Regis *Adalgisus* (4) *Geilo stabuli Comes* alter,
Ductores exercituum fore jussit eosdem.
Quos Orientali Francorum de regione
Collectos contra *Sclavos* præceperat ire,
Nec non Saxones, sibi quos parere jubebat,
Auxilio fieri ducibus mandaverat ipsis.
Sed cum legati per eorum ducere terras
Agmina cœpissent (nam sic invadere Sclavos
Tramite debuerant recto) fit protinus ipsis
Cognita jam dictæ grandis defectio gentis.
Ob hoc iter cœptum flectunt, primo cupientes
Saxones, numero freti, prosternere bello.
Quod nimis incaute cœptum, pariterque superbe,
Francorum misera fuerat cum clade peractum.
Namque Duces ubi compererant, quod se (5) *Vvidokindus*
Ad pugnam multa stipatus plebe parasset,
Et juxta *montem* (*), *Suntal* sua castra locasset,
Illuc infestis properarunt ilico signis,
Ad prædam potius quam pugnam semet ituros
Sperantes, ipsam patriam Rex ipse quotannis
Cum prius impugnans vires exhauserat eius.
Immemores morum gentis simul ingeniique,
Quod tanto varia plus nititur arte doloque,
Quo premitur bellis, & victa quiescere nescit,
Vindictæ rediviva parans conamina semper.
Ergo Palatinis Ducibus properantibus ad se,
Saxones, acie longo satis ordine structa,
Pro castris occurrerunt. Ibi protinus atrox
Conseritur fundens ingentem pugna cruorem,
Francorumque truci proceres sunt cæde necati,
Regis legati, (6) & præclari quattuor illic
Extincti Comites, cum viginti venerandis
Nobilibusque viris aliis, hac clade peremtis.
At reliqvus bello populus consumtus in illo
Censeri numero nequit, altum denique montem,
Qui vicinus erat, fugiens paucissima turma.
Interfectus *Adalgisus*, pariter quoque (7) *Geilo*
Expetiit, sylvisque latens evaserat hostem.
Nuncius hæc tristis narraverat omnia Regi.
Ille suis exercitibus, festinus in unum
Collectis, statim Saxonica venit (8) arena.
Quem cum primores eiusdem gentis adissent,
Illud se (9) certo non commisisse probantes,
Et rex auctores facti perquireret, una
Esse (10) reum clamant *Widukindum* criminis huius,
Et quos hortatu proprio sibi consociavit.
Nec potuit tradi, quia rursus contulerat se

 Ad

(4) Gilo.
(5) Widukindus.
(*) *Ad Munderam oppidum ditionis Brunsuig.*
(6) In MSC. vox & non habetur.
(7) Geillo.
(8) harena.
(9) In MSC. hæc vox non comparet.
(10) Et hæc vox in MSCto desideratur.

Ad Normannorum patriam post prælia gesta.
Tradita sunt sane reliquorum bis duo (11) *letho*
Millia, quingentique viri, qui tam grave bellum
Illius contra Francos gessere suasu.
Hosque die cunctos Rex decollaverat una
Juxta (12) *Alaram* fluvium, locus idem *Ferdi* vocatur.
Hac (13) ibi vindicta Regum clarissimus acta,
Ad propriam rediit *villam Theodone* vocatam.

(11) In MSC. vitium. scribitur enim *gesta* ex antecedenti versu.
(12) Alarim
(13) Ubi

(1) DCC. LXXXIII. INDICT. V.

Gloria, (*) certabat, sibi ne consueta periret.
Alter jam nullam statuens sperare salutem,
In ferrum prisca pro libertate ruebat.
Sed tandem Carolus DIVINO MUNERE victor,
Cæsis innumeris reliquos exinde fugavit.
Transierantque dies pauci, cum rursus eodem
Comperit in populo repetitum surgere bellum.
Scilicet in *Westfalorum* regione gregatis
Pluribus in ripa fluvii, *Hasa* nomine, rursus
Audebant, animi plus quam virtutis habentes.
(†) Pergere Rex ad quos meditans, sociosque recensens,
Repperit in pugna plures cecidisse priori,
Aegros vulneribus multos ibi forte receptos.
Sed subito novus ex Francis exercitus illi
Advenit, cunctisque suis legionibus auctis,
Ad debellandos studuit properare rebelles.
Qua dux egregie prudens dum cuncta parasset,
Virtutem, sicut solet, est fortuna secuta.
Saxones iterum cæsi, longeque fugati,
Abductus captivorum numerus fuit ingens.
Inde *plagas Orientales* Rex victor adivit,
Omnia quam late ferro populatus & igni,
Donec ad fluvium, qui dicitur Albia, venit.
Post hæc ad patriam rediit. Tunc est sociata
Regali thalamo conjux Fastrada vocata,
Filia Radolfi Comitis, sata germine claro.
Hybernas in (2) *Heristalli* tum duxerat horas,
Atque dies, quibus hunc nascens moriensque redemtor
Salvavit mundum, voto celebraverat almo.

(1) Hic titulus non habetur in MSCto Helmst. Neque in MSCto Wolffenb. comparuit, insertus a Reineccio, ut fatetur f. 19. b.
(*) Hæc, quæ sequuntur in MSCto Helmst. sunt superioribus præmissa, hoc ordine:
Abluit ipsius Præsul venerabilis idem.
Gloria certabat sibi, ne consueta periret . . .
Salvavit mundum, voto celebraverat almo.
Anno DCC LXXXII. Indict. V.
Exoriens æstas . . . . Ad propriam rediit villam . . . . Sed nihil turbandum esse, & Reineccium optime omnia in sua editione collocasse patet ex Annalium Francicorum collatione; qui res anno 781. 782. 783. eodem modo, quo Reineccius fecit, disponunt. Mutilum interim Poëtam, uti supra, ita & hoc loco esse, certus sum.
(†) In MSC. integer versus sequitur: Qui victi totiens, acie configere *habent*, Verum vox ultima vitio non caret, ex antecedenti quippe versu oculorum vitio repetita, substituendaque, ut videtur, vox *vellent*.
(2) Eristalli.

DCC. LXXXIV. INDICT. VI.

Relliquias belli tandem fortissimus Heros
Consummare volens, tanto quod tempore gestum

Saxo-

Saxonum (1) cum gente fuit, numerosa virorum
Millia lectorum terris induxit eorum.
Ac primum Rheni (2) transcendens fluminis undam,
Vastabat *pagos Westvalorum* regionis.
Venit & ad *VVisuram*, locus est ubi dictus *Vculbi*.
Inde *Thuringorum* per agros iter egerat, atque
Saxonum campos, quos *Albia* vel *Sala* tangunt
Amnes vicini, lustrans villas ibi plures
Tradiderat flammis, donec pervenit ad illum,
Qui veteri locus est (3) *Schaningi* nomine dictus.
Hinc in (4) *VVormatiam* rediens se contulit urbem.
Filius interea Regis, qui par genitori
Indole mentis erat, tum nomine dictus eodem,
Cum patriis exercitibus, quos ipse regebat,
In *Westvalorum pago* cognomine *Dreini*,
Ejusdem populi turbas ad bella paratas
Ostendens, statim certamine vicit equestri,
Victor & ad patrem jam dicta venit in urbe.
Qui valida comitante manu Saxonica statim
Arva petens, juxta fluvium consederat *Ambram*,
Est ubi castellum, quod *Skideronburg* vocitatur.
In castris ibidem votis solennibus actis
Natalis Domini, processit *ad* (5) *ostia VVarne*,
Qua fluit in VVisuarm. Nec iam fuit ulla facultas
Longius ad Boream, sicut cupiebat, eundi.
Temporibus obstabat simul asperitas hyemalis,
Atque jugis pluviæ cursus vehementer inundans.
Ob hoc in *Eresburg* residens se contulit urbem.

(1) In MSC. vox *cum* abest.
(2) In MSC. vitiose *trans*, non transcendens
(3) Scannigi
(4) Warmatiam.
(5) hostia.

(1) DCC. LXXXV. INDICT. VII

Cumque dies reliquos brumalis frigoris illic
Ipse manere suum decrevisset comitatum,
Accersivit eo propriam cum conjuge prolem.
Cum quibus, ut decuit, fido firmoque relicto
Præsidio, juvenes animis ac viribus acres
Assumsit secum, lateque vagatus in omnes
Illius regionis agros, sed & oppida quæque,
Cuncta simul flammis, spoliis, ac cæde feroci
Miscuerat, cupiens animos, quos sæpe rebelles
Expertus fuerat, tali prosternere clade.
Hæc lugubris hyems illi funestaque genti,
Cum tandem finita foret, vernalis & aura
Jucundum spirans ornaret floribus arva,
Publicus in *Padarbrunnon* conventus habetur.
Quo Rex insignis solenni more peracto,
In pagum quendam, vocitat quem *barbara lingua*
Berdango, celeri studuit se tramite ferre.
Tunc (2) ubi compererat *VVidokindum* iam memoratum,
Abbonemque simul, *qui de majoribus eius*
Gentis erant, memores scelerum latitare suorum
Finibus in patriis, quos sepserat ad borealem

(1) Anno
(2) ibi

Albia lata plagam juxta confinia terræ
Danorum, (3) mittens propriis de civibus ipsis
Legatos, hortatur eos, quo flectere tandem
Colla sibi, fideique suæ se credere vellent,
Commissi veniam, nec non & PRÆMIA spondens.
Conscia sed magni dubitarunt corda reatus
His de promissis, donec firmata salutis
Spes est obsidibus missis, quos expetierunt.
Quos ut *Amuluuinus* quidam vernaculus aulæ
Ejus adduxit, properarunt protinus ambo
Ad Regem, jam tunc fuerat qui forte reversus
Ad villam propriam, quæ dicitur Attiniacus.
Hic (4) iidem proceres sacri baptismatis unda
Perfusi, tandem Regi mansere fideles.
Ipsaque gens aliquot requieverat inde per annos.
Interea quidam conjuravere maligni,
Ut dirum facinus scelerato corde patrarent,
Vel ferro Regem, vel qualibet arte necando.
Criminis incentor *Hardradus* tunc *Comes* hujus
Extiterat. Sed ut indicio delata fideli
Factio sæva fuit, statim sedata quievit,
Ingens valde foret licet, & nimis acriter orta.
Auctores ejus privari lumine quosdam,
Exilio reliquos damnari jusserat ipse
Rex summe prudens, cujus clementia nulli
Reddiderat dignam (5) tali pro crimine pœnam.

(3) In MSC. vox *propriis* abest.
(4) idem
(5) tanto

DCC. LXXXVI. INDICT. VIII.

MAgni decreto Caroli, sacrique Senatus,
Missus in occiduas exercitus exiit (1) oras,
Subdere *Brettones*, gentem tunc forte rebellem,
Insula cujus erat fœcunda (2) *Britania dudum*
Patria: namque illic habitabat tempore multo.
Cumque novas Angli sedes sibi quærere vellent,
Saxonesque simul hanc invasere feroces,
Expulsi statim veteres cessere coloni.
Maxima pars quorum fugiens mare transiit, atque
Gallia qua fines habet extremos, ibi tandem
Fluctibus Oceani quæ proxima viderat arva
Detinuit, quibus in terris huc usque moratur,
Indicium patriæ solo dans nomine priscæ.
Hæc a Principibus Francorum gens superata,
Solvere vectigal quamvis invita solebat.
Cum tentaret eo Dominorum tempore jussa
Spernere, directus multis cum millibus illuc
Dux (3) *Ardulfus* eam celeri virtute repressit,
Et satis edomuit populi fera corda rebellis.
Tum Regis Regum Christi pietate juvante,
Disposito Carolus regno, placidaque per orbem

Vndi-

(1) horas
(2) Brittannia
(3) Audulfus

Undique pace data, ſtatuit *Romam* proficiſci,
Nec non Italiæ reliquam ſibi ſubdere partem,
Cujus erat victum caput, & pars maxima, capto
Jam Deſiderio, (4) Longobardisque ſubactis.
Ducatus Beneventanæ tantum *regionis*
Non illi ſubiectus erat, cui præfuit illo
Tempore *Dux Aragiſus*. Eum tunc aggrediendi
Accenſus ſtudio, partesque profectus in illas,
Accelerabat iter, quem non tardare valebat
Vel glacialis hyems, ſolitis jam menſibus inſtans,
Vel via terribiles viſu ſcandenda per Alpes,
Montibus in ſummis, ubi tectæ nubibus atris,
Ac nive perpetua, rupes ad ſidera ſurgunt,
Tranſcenſis quibus, Italicas intraverat urbes.
Ex quibus eſt quædam *Florentia* nomine dicta,
In qua virginei partus florem veneratus,
Chriſti ſacrificum ſupplex celebraverat ortum.
Inde cito *Romam* curſu penetrare ſategit.
Quo cum ſuſcepti tractans molimina belli
Parvum tranſigeret tempus, cupiens *Aragiſus*
Hunc auro, quem non potuit depellere ferro,
Per *natum* miſit *proprium* quam maxima dona,
Suppliciter pacem rogitans. Sed Rex ſibi longe
De rebus cœptis aliter ratus eſſe gerendum,
Qua præbet latos *Campania* fertilis agros,
Illuc progreſſus, *Capua* conſedit in urbe,
Geſturus ſtatim bellum, niſi Dux memoratus
Prudenti ſibimet facto bene conſuluiſſet.
Nam primo firma ſe clauſit in urbe *Salerno*,
Tum natos utrosque ſuos, quorum vocitatus
Rumoldus maior fuerat, *Grimoldus* & alter,
Miſſis legatis Regi contradidit, ac ſe
Ipſius imperiis ſubjectum mente fideli
Manſurum populumque ſuum promiſerat omnem.
Talibus oblatis, Caroli requieverat ardor,
Præcipueque Deum metuens, ne Chriſticolarum
Sangvinis effuſi poſthæc reus ipſe maneret,
Abſtinuit bello, non jam curans latitantem
Expugnare Ducem. Nec non & filius ipſi
Conceſſus major, minor eſt detentus, ut obſes
Eſſet apud Regem. Beneventanus quoque cunctus
Dedere ſe populus non diſtulit, obſidibusque
Undenis pro pace datis, hoc deditionis
Confirmans fœdus, per ſacramenta ſpopondit,
Ut Francis, rerum Dominis, ſerviret in ævum.
Tunc *Romam* regreſſus ovans, ibi pectore læto
Maxima Paſchalis celebravit gaudia feſti.

DCC. LXXXVII. INDICT. IX.

ADhuc Romulea dum Rex manſiſſet in urbe,
Taſſilo legatos *Adrianum* miſit ad almum
Pontificem, quorum fuit *Arnus Epiſcopus* unus,
Abbas alter erat *Hunricus* nomine dictus,
Obnixe rogitans, *idem mediator ut eſſet*
Inter ſe & Carolum, pacis fideique ſequeſter.
Hoc antiſtes Apoſtolicus ratus eſſe decorum,

Ut

(4) Langobardisque

Ut Petri de ſede ſacra concordia pacis
Reſtaurata daret Ducibus populisque quietem,
Inſtanter Regem petiit deponere cunctas
Corde ſimultates. Ad quæ cum mente benigna
Annueret, Ducis ab miſſis inquirere cœpit,
Pactio quo præſens eſſet firmanda tenore.
Legati nihil injunctum de re ſibi tali,
Sed Domino reſponſa ſuo, quæ Rex daret, & quæ
Præſul Apoſtolicus, tantum referenda fatentur.
Quapropter tanquam fallacia, fraudeque plena,
Papa ſacratus eos ſprevit mandata ferentes,
Damnandos etiam ſtatuens anathemate diro,
Promiſſæ dudum fidei ſi rumpere fœdus
Tentarent, quod cum Carolo pepigere volentes.
Sicque relinquentes infecta negotia pacis,
Ad patriam rediere ſuam. Rex his quoque geſtis
Francorum lætus remeaverat in regionem,
Conciliumque dehinc procerum generale ſuorum
Intra *VVormatiæ* muros collegit, & illic
Decrevit, certo quo diſceret experimento,
Utrumnam ſibimet memoratus Taſſilo vellet
Juratam ſervare fidem, ſubjectus & eſſe.
Unde ſuo (1) regno populos perduxit ad omnes
Fortia caſtra nimis, ternis in partibus ipſa
Diſponens, *Bajoarii* quo tanta paverent
Agmina; nam terrore magis, quam ſanguine fuſo
Chriſticolæ voluit plebis ſuperare tumorem.
Pippinus Regis natus cum milite multo
Italicis illuc fultus legionibus ibat,
Perque (2) *Tridentinam* ſua duxerat agmina *vallem.*
Aſt *Orientalis* quos hæc in prælia miſit
Francia, Saxones etiam tum ſigna ſequentes
Regia, ſic juſſi, quendam *Pheringa* vocatum
Armati petiere locum, *prope littora magni*
Danubii, priſco qui nomine dicitur (3) *Iſter.*
Ipſe ſuper *Lecchum*, certus *qui terminus amnis*
Eſt inter Bajoarios, nec non Alamannos,
Urbis ad Auguſtæ confinia caſtra locavit.
Stipatusque manu valida, cum *Norica regna*
Taſſilo quæ tenuit, ferro proſternere vellet,
Undique Dux idem circumſeſſum fore ſeſe
Conſpiciens, ſupplex adiit veſtigia Regis,
Devotis vitam precibus veniamque precatus.
Qui quia natura fuerat mitiſſimus, illi,
Quem penitus victum vidit, humilemque, pepercit.
Fœdera priſca tamen rurſus Bajoariorum
Firmantur, populo per ſacramenta coacto
Perpetuam ſpondere fidem, ſeu ſubditionem.
Præterea Regi *duodenus* traditur *obſes.*
Regreſſusque dehinc, hyberno tempore toto
Manſit in (4) *Ingelenheim*, *ſedes ubi regia fulget.*

DCC. LXXXVIII. INDICT. X.

CVm Rex in villa fieri juſſiſſet eadem
Conventum procerum ſolenni more ſuorum,
Cum reliquis etiam fuit illic *Taſſilo* præſens.

Quem

(1) populos regno
(2) Tredentinam
(3) Hiſter
(4) Ingulenheim

Quem proprius quondam populus, cui præfuit ipse,
Criminibus magnis, maiestatisque reatu
Accusans, Regis merito commoverat iram,
Objiciens primo, quod fœdere deditionis
Neglecto, quo subjectum seu pectore fidum
Se fore juravit, donis crebroque rogatu
Instigans *Hunos*, Francis ita fecerat hostes,
Vt vellent sumtis vastare ferociter armis
Illorum fines, Carolumque lacessere bello.
Ejus ut hoc faceret *Leutberga* suaserat *uxor*,
Quæ *Desiderii* fuerat quia *filia Regis*,
Post patris exilium Francis inimica manebat,
Fœmineique gerens odii sub pectore flammas,
Mittere jam populos in summa pericula pravo
Consilio studuit, non curans, sanguine quanto
Humani generis fuso, quot utrinque perirent
Millia, dum tantum Francis inferre labores
Bellorum satagens, nec non dispendia rerum,
Vlcisci patrem tali ratione valeret.
Præterea dictis seu factis pluribus illi
Objectis, quibus indicio clarebat aperto,
Quod violata fides esset, quod fœdere spreto,
Tassilo molitus fuerit contraria Regi,
Ipse nihil horum vel cœperat inficiari,
Vel poterat, sed convictus noxæ, capitali
Damnatur pœna. Merito sic evenit illi,
Consilium quisquis fuerit muliebre secutus.
At regis pietas damnatum protinus illum
Absolvit, retrahens ipso de limine mortis,
Et factum Monachum servare monasteriale
Propositum jussit. Iuvenis quoque natus ab illo,
Nomen habens *Theodo* genitoris facta secutus,
Contemplativæ susceperat otia vitæ.
At vero *Huni*, studiis gens aspera belli,
Præfato promissa Duci complere studentes,
Instructis exercitibus cœpere duobus
Francorum regni fines invadere quosdam.
Italiæ partes unum penetraverat agmen,
Quaque foro nomen dederas clarissime Juli,
Vrbis ad ejusdem confinia venerat hostis.
Invasit Bajoarios exercitus alter,
Sed frustra: totus quoniam conatus inanis
Is fuerat, victique loco cæduntur utroque.
His quoque temporibus Græcorum nobile rexit
Imperium *Constantinus*, qui splendidus ortu
Debitus Augustis patribus successerat hæres.
Qui jam præterito missis oraverat anno
Legatis, ut se generum dignantis habere
Susciperet *natam Caroli sibi consociandam*
Fœdere conjugii: sed spes frustrata petentum
More leves solito Græcos commovit in iram
Hinc dedit Augusto pariter sua curia tale
Consilium, penitus quo non pateretur inultum,
Quod Rex contemsit Carolus præstare petitos
Virginis amplexus illi, cui summa potestas
Mortalem vix esse parem permitteret ullum.
Ob hoc præfecto, cui procurare Sicanas
Officium fuerat regiones, nomine dicto

Theodoro, junctis Ducibus quoque pluribus illi,
Hoc opus edicto mandaverat Imperiali,
Vt sibi contiguas vastaret protinus (1) oras
Regni Francorum, sic incentiva moveri
Disponens belli generalis suscipiendi.
Sed cum primores Graii sibi jussa secuti,
Hesperium littus forti cum classe petissent,
Vt Beneventanæ villas regionis & urbes
Depopularentur ferro flammaque voraci,
Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri
Cura fuit loca, præcipue *Grimoldus, in ipso*
Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso.
Nec non *Spoleti rector* cum milite multo,
Hildibrandus, ad hoc bellum properabat agendum.
Cumque novos hostes, opibus numeroque potentes,
Ignotos lingua celebris jam fama referret
Adventasse, maris trajecto gurgite vasto
Vrbibus Italicis ex pluribus arma suasit,
Obvia ferre viros conjunctis viribus omnes,
Vt sibi consulerent prædonibus inde repulsis.
Quo motu prorsus concussa *Calabria* tota,
Vix unquam fertur similes suspecta tumultus.
In qua conseritur pugnæ certamen utrinque,
Ingenti studio sumit pars justa trophæum.
Cedit Achiva cohors, Danaum dant terga phalanges,
Græcorum quoniam semper gens strenua lingua,
Pigra manu tantum facilis solet esse movendis,
Sed bene tractandis haud extat idonea bellis.
Victores igitur Caroli rediere fideles,
Hostibus innumeris cæsis; præda quoque multa,
Et captivorum turba sua castra replentes,
Absque gravi damno magnum cepere triumphum.
Tum Bajoariam se contulit in regionem
Rex Carolus, cunctisque suis cum finibus ipsam
Disponens commendavit Rectoribus aptis.
Et rediens in *Aquisgrani*, quam condidit ipse,
Aulam magnificam, sibimet gratissima festa
Natalis Domini, sanctum quoque Pascha peregit.

DCC. LXXXIX. INDICT. XI.

Gens est Slavorum Wilci cognomine dicta,
Proxima littoribus quæ possidet arva supremis,
Iungit ubi Oceano proprios Germania fines.
Hæc Francis inimica nimis cum tempore multo
Esset, eis vel subjectos, vel fœdere junctos
Sclavorum populos, sibimet regione propinquos,
Insectans odiis, bello quoque sæpe premebat.
Nec potuit tolerare diu hoc inclytus Archos,
Sed populis secum variis, legioneque multa
Assumta, gentem studuit penetrare procacem.
Cui per Saxonum terras iter istud agenti
Albia trajiciendus erat latissimus amnis.
Illic immensum, positis in littore castris,
Est opus aggressus, celeri quod fine peregit.
Nam gemino stravit quam maxima ponte fluenta,
Et caput ipsius vallo munivit utrumque,
Imponens & præsidium, ne forte regresso

Quis

(1.) horas

Quis prohibere viam, super alto flumine stratam,
Lignorum rupta fragili compage valeret.
Exin (1) multorum terras invaserat, amne
Transmisso, quas cum ferro vastaret & igni,
Barbaricum subito domuit terrore tumorem.
Denique Francorum multis ubi castra referta
Conspiciunt populis, *VVilci*, fortissima quamvis
Gens foret, & numero pollens certamina belli
Omnimodis fugiens se dedidit ilico Regi.
Inprimis *Rex, Dragavviti quem nobile clarum*
Præ reliquis fecit genus & maturior ætas.
Namque propinquaret cum Rex illius ad urbem,
Obvius ipse suo pariter processerat omni
Cum populo, Caroli sese tradens ditioni.
Sic quoque cum Ducibus gens & primoribus illa
Cuncta suis servituram se mente fideli
Francorum Dominis, dans juramenta spopondit.
Tum Rex obsidibus, quos jusserat ipse, receptis,
Et simul hoc populo tali ratione subacto,
Tramite quo venit, memoratum rursus ad amnem
Felici cursu rediit, cunctisque reductis
Per pontem propriis legionibus, ipse reversus,
VVormatia tempus hyemis transegit in urbe.

1. *Wilcorum* DCC. XC. INDICT. XII.

HIc modo Musa novam Caroli deprome quietem.
Est hic primus enim postquam regnaverat annus,
Quo non cum propriis foret in longinqua profectus
Militibus, seu diversos ut sterneret hostes,
Aut aliis quoque pro causis ac rebus agendis.
Cui cum *Wormatia* tandem residere liceret,
Illic *Hunorum missos* audivit, ad illos
Ipse suos etiam misit. Nam maxima causa
Hos inter populos litem commovit atrocem,
Dum quo Regnorum confinia certa suorum
Esse loco veteri deberent jure statuta,
Ingenti studio, disceptaretur utrinque.
Hæc & origo fuit belli, quod posteriori
Tempore *cum Hunis* Franci gessisse probantur.
Sed Rex nec spacium torpere per ocia parvum
Dignatus, semper sed strenuus, indole mitis,
Est (1) agressus *iter* (2) *Mœnum navale per amnem*,
Ascenditque per hunc, donec prope *mœnia* venit
Magna Palatinæ sedis, Salt nomine dicta,
Nascenti vicina Salæ: nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipsa palatia cingit,
Vix raucum per saxa ciens resonantia murmur.
Dispositis ibi rebus, aqua redeundo secunda
Wormatiam petiit: qua cum per tempora brumæ
Mansisset, subito regales funditus ædes
Illic constructas noctu consumserat ignis.
Ipse Redemtoris nati passique sacrata
Festa gerens ibidem (3) veri transegerat ortum,
Expectans vestita foret dum gramine tellus,
Fronderent silvæ, possent & Sole sereno,
Et (4) cœlo, de diversis regionibus apte

Ad

(1.) Aggressus
(2.) Moinum
(3.) Veris
(4) *cæde diversis*, ut apparet, amanuensis vitio.

Ad bellum gentes variæ, populique vocari.
Namque novum rursus voluit certamen inire,
Atque labore gravi modicam mutare quietem.

1. Annalium de Gestis Caroli Magni Imp.

Liber Secundus
EXPLICIT. INCIPIT III.
2. DCC. XCI. INDICT. XIII.

Aurea siderei transcendere cornua Tauri,
Fulgentesque polo iam Sol intrare (3) Laconas
Cœperat, & gelidis breviatæ noctibus umbræ,
Auraque productæ spacio iucunda diei.
Florenti (4) studiis, animoque vigenti,
Dant gratum *Carolo* tempus, quo viribus uti
Posset, & ad bellum proprias educere turmas.
Qui post annorum centena volumina cursu
Septeno transacta, decem quoque circiter annis
Emensis novies, postquam Deus est homo natus,
Hoc fuit aggressus *Hunos certamine primo.*
Nec sibi cunctandum ratus est, quin redderet illis,
Quam meruere vicem, (5) veteres hoc denique causæ
Poscebant odii. Nam gens, dum floruit illa,
Innumeris dominans aliis, quas subdidit armis,
Tum Francis inferre malum persæpe solebant.
Sic veteres memorare solent, quod funditus olim
Illorum terras immani cæde furentes
Vastarint, dederintque voracibus omnia flammis
Oppida, rura, domos, urbes, cœnobia, villas.
Nam furor hostilis voluit nec parcere sacris
Aedibus, & regno vix una remansit in illo
Mettenses intra muros constructa decenter
Ecclesia Stephani, martyr qui primus habetur.
Denique continuis Francos compluribus annis
Sic impugnabant *Huni*, Rex donec eorum
Attila, multorum totiens victor populorum,
Fœminea periit dextra sub tartara trusus.
Namque ferunt, quod eum vino somnoque gravatum,
Cum nox omnigenis animantibus alta quietem
Suggereret, cœptis crudelibus effera conjux,
Ducens insomnes odiis stimulantibus umbras,
Horrendo Regem Regina peremerit ausu.
Vlta necem proprii tamen hoc est crimine patris.
Hoc res Hunorum tristi velut omine lapsa
Post rediit retro, nec prosperitate priori
Sunt posthæc usi. Prius oppressere profani
Christicolas Francos antiqui temporis ævo,
Castigante Deo caros sibi more benigno.
Ergo patrum cladis nota mansit inusta nepotum
Pectoribus, servans iræ monumenta vetustæ.
Tum nova præterea de causis orta simultas
Jam dictis, animum Caroli commovit, ut illos
Francorum totis cum viribus aggrederetur.

Pro-

(1.) Hæc inscriptio in Helmst. MSC. obvia.
(2.) in MSC. Helmst. hæc anni designatio non comparet.
(3.) In MSC. Helmst. in margine adjectum *geminos*.
(4.) Cum vox desit, & in MSC. Helmst. locus rasus deprehendatur, augurio ex residuis lituris & literis non vano vocem *semper* extitisse apparet.
(5.) veteris

Protinus edicto producitur imperiali
Et cunctis ingens populis exercitus illi
Subjectis, & cunctarum validissima rerum
Copia, quas tanti belli instrumenta gerendi
Poscebant, (6) vigili cura studioque paratur.
Sed numerosa nimis quoniam produxerat ex hoc
Agmina, per partes eadem sejunxerat, ac sic
Pannoniam, gens Hunorum quam sæva tenebat,
Tramite distantem longo penetrare fategit.
Tunc unam populi partem *Comiti Theodorico*,
Atque *Magenfrido*, *Ducibus* hoc tempore primis,
Committens, *aquilonares per fluminis* (7) oras
Danubii præcepit eos iter accelerare.
Ipse *per australis* tendebat *littoris agros*,
Millinus innumeris stipatus, & agmine forti.
In medio fluvius cunctis alimenta vehebat
Agminibus, Regis speciosa classe repletus,
Quam *Bajoariis* fuit ingens cura tueri.
Ipsos in ratibus descendere quippe secunda
Jussit aqua. Sic ad fluvium Rex venit *Anesum*,
Qui medius Bajoarrios (8) *sejunxit & Hunos.*
Hunc juxta positis per prata virentia castris,
Communi voto ternis statuere diebus
Suppliciter celebrare preces, ac pectore toto
Auxilium Regis Regum deposcere Christi,
Ut cœptis pius annueret, quo cuncta darentur
Prospera, tot populis in tam longinqua profectis,
Munitis signo fidei, contraque nefandos
Gentiles felix fieret certamen agendum.
Atque dehinc motis memoratæ prælia castris
Intulerat genti, *cujus munimina* statim
Pulsis præsidiis destruxerat, ex quibus unum
Non operis parvi *Cambus* præterfluit *amnis*,
Atque super (9) montem *Cumberg* munitio dictum
Altera prægrandi fuerat circumdata vallo.
Destructis utrisque tamen cum robore forti,
Aequatisque solo, ferro vastabat & igni
Hostiles late terras, *ad ostia* donec
Perveniens *Arrabonis*, *qua fertur in undas*
Danubii, lassis ibidem statione locata
Militibus parvum dederat requiescere tempus.
Sic ubi *Pannoniæ* fuerat pars maxima late
Divitiis spoliata (10) suis, ac tradita flammis,
Incolumem victor populum Rex inde reduxit,
Cui fuit hostilis hæc tota profectio plane
Prospera, res in ea nec contigit ulla moleste,
Excepto, quod tanta lues ejus legionis,
Quam Rex duxit, equos morbo consumsit atroci,
Ut decimam partem vix de tot millibus hujus
Expertem cladis tradant potuisse reduci.
Rex autem (11) veniens *Reginum*, quam *Reganesburg*
Nunc vocitant, ibidem natalis gaudia Christi,
Cordeque sacratum celebravit Pascha fideli.

Anno DCC. XCII. INDICT. XIV.

CElsa Pyrenæi supra juga condita montis
Vrbs est *Orgellis*, *Præsul* cui nomine *Felix*

(6.) virili.
(7.) horas.
(8.) sejungit.
(9) dictum Cumberg munitio montem.
(10) E MSC. abest vox *suis*.
(11) In MSC. non habetur hæc vox *veniens*.

Præfuit. Hic hæresin molitus condere pravam,
Dogmata tradebat fidei contraria sanctæ,
Affirmans, *Christus Dominus quia corpore sumpto*
Est homo dignatus fieri, non proprius ex hoc,
Sed quod adoptiuus sit filius omnipotentis.
Responsumque *Toletano* dedit hoc *Helipando*
Pontifici, de re tanta consultus ab ipso.
Atque suum scriptis defendere dogma libellis,
Omni quo potuit studio curavit & arte.
Hinc ad *Catholici* deductus *Principis* aulam
(Idem (1) *Regino* nam tum hyemavit in urbe)
A *multis ibi Præsulibus synodoque frequenti*
Est auditus, & errorem docuisse nefandum
Convictus, posthæc *Adriano* mittitur almo,
Sedis Apostolicæ fuit hoc qui tempore Præsul.
Quo præsente, Petri correctus in æde beati,
Pontificum coram sancto celebrique senatu,
Damnavit *Felix* prius infeliciter a se
Ortam perfidiæ sectam, meruitque reverti
Ad propriæ rursus retinendum sedis honorem.
At *Bajoaricis* æstivum tempus (2) *in oris*
Dum Rex duxisset, suprema pericula pene
Incurrit, nisi quod pietas divina resistens
Ausibus humanis, sævas everterat iras.
Horror inest animis tales recolentibus ausus,
Quod fuerat rutilum Francorum tam prope lumen
Extinctum, facinus vel concepisse malignos
Tantum mente viros. Carolum nam tradere morti
Omnimodis satagunt: hinc conjuratio fertur
Inter Francorum proceres crudeliter acta.
Præcipue *Regis materno** *sanguine cretus*,
Sed plus nequitia morum, quam degener ortu,
Auctorem sceleris demens se præbuit hujus.
Non tamen hoc odium Regem meruisse, vel ipse
Hostis jure queri poterat, regina sed atrox,
Ac sævum gestans animi *Fastrada* tumorem.
Insidiatores partim suspenderat illos
Informis lethi laqueus, natoque pepercit
Rex tantum proprio, tonsumque monasteriali
Proposito purgare scelus jussit meditatum.
In Bajoarica vero regione moratus,
Instabat Princeps *navalem condere pontem*,
Qui per Danubium bello prodesset agendo,
Quod contra sævos olim susceperat *Hunos*.
Hinc & natalem Domini celebraverat illic,
Ipsius & merito clarissima festa triumpho,
Quo pariter vicit mortem mortisque ministrum.

ANNO DCC. XCIII. INDICT. XV.

Cum Rex ad cœptum statuisset conficiendum
Belli certamen, *Hunos* invadere rursus,
Comperit extinctas, *Theodricus Dux* legiones,
Quas per *Fresonum pagum Hriustri* vocitatum
Ducebat. Nam *Saxonum* periere dolosis
Insidiis, captæ Wisuræ prope littora pulcræ.
Dissimulans igitur tanti infortunia damni,
Intermisit iter, quo disponebat adire

Pan-

(1) Regina
(2) horis

(*) An legend: *nativo*? intelligit enim Pipinum Caroli filium naturalem.

Interea suasere sibi, qui nota ferebant
Talia, *quod fluuios inter, Radantia quorum*
Vnus habet nomen, sed & (1) *Almona dicitur alter,*
Si fieret tantus fossa tellure paratus
Alveus, inductis ambos dum tangeret amnes
Gurgitibus, posset puppes vt ferre natantes.
In Rhenum de Danubio celer efficeretur,
Et facilis cursus ratibus. Radantia namque
Illic se (2) *Moeno, hic Rheno miscere probatur.*
Alcmona Danubij rabidis illabitur vndis.
Consilium credens igitur sibi dantibus istud,
Ipse locum Princeps operi quem credidit aptum
Expetiit tanto, multis quoque millibus illuc
Conductis operatorum, simul omnia penè
Autumni studio consumpsit tempora casso.
Attamen in longum passus duo millia ducta
Fossa fuit, pedibus tercentum lata patebat.
Sed non perfectum poterat consistere prorsus
Hoc opus, assiduus quoniam nimis obfuit imber,
Et naturalis terram dissoluerat humor.
Egestumque fuit quantum sudore diurno,
Rursus humi tantum rediit sub nocte relapsa.
Cumque lutum semper madidis increscceret arvis,
Alveus & firmo constaret littore nusquam,
Ima petens immensa palus per lubrica fluxit,
Ac densum scrobibus cœnum subsedit in altis.
Cùm tamen in coepto persisteret ipse labore,
Hunc tristi tandem fama reuocante reliquit.
Est totius enim subitò *defectio gentis*
Saxonum, rursus bellum narrata mouentis.
Præterea *Sarraceni* permaxima damna
Intulerant, quædam regni confinia ferro
Vastantes, Ducibus Francorum denique cæsis,
Cum spoliis, lætoque nimis rediere trophæo.
Tum rex aduersis commotus talibus, inde
Ad Francos rediit, natalis gaudia Christi
Deuotè celebrans (3) *Moeni prope clara fluenta,*
Qua locus insignis Kiliani martyris almi
Nomine seu meritis fulget : sanctum quoque Pascha
Est in *Franconofurt* magno veneratus honore.

Anno DCC. XCIIII. INDICT. I.

Dira veneniferæ conatus semina sectæ,
Quæ *Felix* infelici malè sparserat ausu,
Vellere de sacro Domini radicitus agro,
Catholicus Princeps, Synodum celebrare vocatos
Vndique Pontifices iam dictam fecit ad aulam.
Nec non affuerat *Stephanus* cum *Theophylacto*:
Nam fuit Antistes sedis legatus vterque
Romanæ, quos Papa sacer mittens Adrianus,
Ritè suam seruare vicem maudaverat illic.
Tunc igitur cuncti cum decreto generali
Hanc condemnarunt *hæresin, scriptusque libellus*
Est illam contra, quem confirmauerat ille
Pontificum cœtus, simul & subscripserat omnis.
Annis præterea Synodum non pluribus antè
Constantinopoli celebrari fecit in vrbe

Græcorum

(1.) *Alcmona*
(2) Moinus
(3) Moini

Græcorum Princeps, qui *Constantinus* habebat
Nomen, & eiusdem genitrix (1) *Hirena* vocata.
Et condixerunt, vt septima seu generalis
Appellaretur. Sed eam non nomine tali
Dignam concilium pariter cognoverat istud,
Vtque supervacuam spernendam censuit iste.
Tunc ibi regalis *Fastrada* migraverat uxor
Hac ex luce, diem tandem sortita supremum.
Cuius *in Albani speciosa Martyris æde*,
Iuncta *Mogontiacæ* fulget quæ mœnibus *urbis*,
Cum magno fecit sepeliri corpus honore.
Atque dehinc Carolus cunctis hoc ordine gestis,
Fœdifragis rursum Saxonibus intulit arma.
Ac geminis exercitibus decreuerat ipsos
Instructis terrore simul ferroque domare,
Vt citò gens bellis succumberet una duobus,
Ex quibus haud unum penitus sufferre valeret.
Regis ab australi properabant agmina parte,
Saxonum miseras latè vastantia terras.
Filius ipsius Carolus traiecerat undas
Rheni, quem comitabatur delecta iuventus,
Invadens ex occidua regione rebelles.
Quos statim terror meritò pervaserat ingens:
Et magni quamvis campi per plana *Sinothfeld*
Collecti, pugnaque forent certare parati,
Hoc animi cecidere metu, nec spes erat illis
Vlla resistendi Francis, quos tot populorum
Agminibus fultos vinci non posse videbant.
Protinus omisso sese certamine belli
Subjiciunt Regi juramentis quoque firmant,
Obsidibusque datis, hæc fœdera deditionis.
Ipse regressus *Aquasgrani* (sic regia sedes
Inclyta nomen (2) habet, nec non vocitatur Aquensis)
Illic more suo celebravit tempora sancta,
In quibus est vnita Deo substantia nostra,
Morsque redemtoris mundum reparaverat omnem.

ANNO DCC. XCV. INDICT. II.

CVm nimium suspecta foret gens facta rebellis
Saxonum totiens, crebro quoque fœdere rupto,
Sub iusta Regis ditione quiescere nolens,
Haud ullum respirandi dare censuit illi
Atque rebellandi spacium fortissimus Archos,
Sed rursum terram populans hostiliter ipsam,
Eius in extremo tandem prope limite castris
Consedit positis, *vicus* qua nobilis extat,
Nomine *BardonVVich* dictus, quo iusserat ad se
Pergere Sclauorum proceres sibi fœdere iunctos.
Illic aduentum quorum dum forte maneret
Opperiens, ex his extinctum comperit unum.
Rex Abodritorum fuit is, cognomine (1) *VVitzan*,
Iussus & vt fuerat, Regem dum vellet adire,
Incidit insidias, illi quas ante pararunt
Saxones, quoniam Francis novere fidelem.
Hinc iræ stimulis animo commotus amaris,

Eiusdem

(1) Herena
(2) in MSC. vox *habet* non habetur.

(1) Witzun

Eiusdem regionis agros, villasque feroci
Quàm latè ferro populari jussit & igni.
Tunc ex *Hunorum quidam primoribus* illuc,
Tudun habens nomen, venit per longa viarum,
Velle fatebatur Regi qui subdere sese,
Et Christo domino deuota credere mente.
Hinc in (2) *Aquisgrani* Carolus remeauerat aulam,
Ac memorata prius supplex ibi festa peregit.

ANNO DCC. XCVI. INDICT. III.

SEdis Apostolicæ sublimis culmine Præsul,
Hoc *Adrianus* ab hac vita decesserat anno.
Post quem sortitus summum *Leo* Pontificatum,
Confestim claues, quibus est confessio sancti
Conseruata Petri, vexillaque miserat urbis
Romulea Carolo, pariterque decentia dona.
Admonuitque piis precibus, quò mittere vellet
Ex propriis aliquos Primoribus, ac sibi plebem
Subdere Romanam, seruandæ fœdera cogens
Hanc fidei sacramentis promittere magnis.
Missus ad hoc *Angilbertus*, qui corpore sancti
Richarii clarè decoratam rexerat *Abbas*
Ecclesiam, pariter regalia detulit illuc,
Deuotè sancto misit quæ munera Petro.
Nam spoliata fuit *Hunorumregia, Hringum*
Quam vocitant. Hanc *Dux Erichus* hoc ceperat anno.
Multimodos etiam Regi deuexerat inde
Thesauros, æuo quos collegere vetusto,
Innumeris crebro spoliatis gentibus Huni.
Ex quibus est Romam tunc maxima copia missa,
De reliquo summos proceres aulæque ministros
Multum larga manus ditavit Principis omnes.
His gestis iterum Rex Saxonum regiones
Inuadens latè vastauerat, atque reuersus
Victor *Aquisgrani* brumali tempore mansit.
At *Dux Italia* (1) *Pipinus, regia proles,*
Adiunctis Baioaricis legionibus illi
Hunis intulerat bellum, sic patre iubente.
Cum quibus euentu certamina prospera læto
Trans *fluvium Tizan* gessit cunctisque fugatis
Hostibus, à Francis Hunorum regia tota
Est æquata solo, quam *Hringum* diximus antè.
Cuius penè gazæ gentis tunc funditus omnes,
Magnus erat quarum numerus, cunctæque priorum
Diripiuntur opes Regum, quas depopulantes
Plures in variis sacras regionibus ædes,
Temporibus multis malè congessisse feruntur.
Tunc quibus ablatis, tam clari iure triumphi
Ad patrem victor memorata venit in aula
(2) *Pipinus*, regni cui thesauros spoliati
Attulit, exuuiasque Ducum, vexillaque capta.
Cum quo iam dictus *Tudun* quoque venerat illuc,
Promissisque fidem propriis adhibere sategit,
Cum toto comitum numero baptisma suorum
Percipiens, etiam per sacramenta spopondit,
Se fore subiectum Francis, fidumque per æuum.
Sed postquam rediit, mutans promissa fidemque,

(2) *Aquasgrani*

(1) *Pippinus*
(2) *Pippinus*

Perfidiæ luerat parvo post tempore pœnas.
At Rex solenni voto celebrauerat illic
Tempora, quæ Christus nascens moriensq; sacravit.

ANNO DCC. XCVII. INDICT. IV.

CVm pulcro renitens ortu clarescceret æstas,
Ad Regem Sarracenus cognomine *Zatus*
Adueniens, à se peruasam reddidit urbem,
Barzinona cui nomen: nam limite structa
Constat in Hispano, vario cogenteque casu
Nunc Sarracenis fuerat, nunc subdita Francis.
Perque Ducem tandem memoratum reddita, qui se
Sponte sua pariter Carolo permisit & urbem,
Francorum subiecta fuit posthæc ditioni.
Inde suum *gnatum Hludovvicum* nomine, *Regem*
Tunc Aquitanorum, direxit ad obsidionem
Osca, nomen habet sic urbs Hispanica quædam.
Ipseque more suo rursum *Saxonibus* arma
Intulit, auderent duras ne fortè leuare
Ceruices iterum, quorum vastauerat omnes
Extremos etiam fines, quos Albia claudit,
Et *quà diffuso miscent se gurgite salsis*
Fluctibus Oceani Wisuræ præclara fluenta.
Cumque rediret, *Aquisgrani* devotus audivit
Regis *Abinmaga Maurorum filius* illum,
Abdelle cui nomen erat, quem Rex ibi clemens
Cum suscepisset, collegerat inde Senatum,
Et quo conficeret tandem Saxonica bella,
Consilium prudens iniit, quò tempore toto
Instantis brumæ regione maneret in ipsa.
Ergo suo secum comitatu protinus omni
Assumto, *Wisuræ positis in littore castris,*
Sedit, Heristellique locum iussit vocitari,
Hactenus hoc & habet nomen, terramque per ipsam
Adductos secum populos diviserat, atque
Indigenas licet invitos dare compulit ipsis
Hybernas sedes simul & stipendia cunctis.
Huc *ex Italia venit* (1) *Pipinus* ad ipsum.
Hispanis etiam rediens Hludovvicus ab (2) *oris.*
Hunorum quoque *legati*, nec non *Hadefonsi*,
Asturiæ regis, quàm maxima dona ferentes,
Ex tam longinquis Carolum terris adierunt.
Hinc est in regnum proprium dimissus uterque
Regalis natus: misit quoque cum *Hludovvico*
Abdellam, qui post patriam deductus, & illis
Est commissus, ad hoc quos tunc elegerat ipse,
Et quorum fidei se credere non dubitavit.
Rex autem residens in *Saxonum* regione,
Præfatoque loco, sanctissima festa peregit,
In quibus indutus processit corpore Christus,
Et posuit carnem moriens, sumsitque resurgens.

ANNO DCC. XCVIII. INDICT. V.

VEris in initio facinus commiserat atrox
Saxonum populus quidam, quos claudit ab austro
Albia (1) *seiunctum positos Aquilonis ad axem.*

Hos

(1.) *Pippinus*
(2) *boris*

(1) *sejunctim*

Hos Northalbingos patrio sermone vocamus.
Nam pro iusticia legali more gerenda
Cum Rex legatos illuc transmitteret, ipsos
Impia fœdifragæ iugulavit factio gentis.
Cumque *Godeschalcus Regis legatus* & ipse,
Ante dies missus paucos ad regna tenentem
Danorum, *Sigfridus* erat cui nomen, in ipso
Tempore regrediens foret interceptus ab (2) illis,
Auctores huius fuerant qui seditionis,
Pertulerat mortem pariter pro crimine nullo.
His Rex commotus *Wisuram* properavit ad amnem,
Inque loco, quem *Munda* vocant, sua castra locavit.
Atque necis legatorum justissimus ultor,
In desertores iræ laxavit habenas,
Vastari latè sparsis legionibus illam
Præcipiens terram. Tum sævus ubique furebat
Miles ubique cruor rivis madefecerat arua,
Omnibus atque locis increuerat horrida clades,
Vulnera, mors, luctus, clamor, fuga, flamma, rapinæ,
Omnia complebant, donec compescuit altis
Albia gurgitibus procedere longius arma.
At *Northalbingi* missos impune peremtos
A se cernentes Caroli (nam regia castra
Haud traiecerunt fluvium) superaddere magnos
Disponunt ausus, *Abodritos* denique, Francis
Qui tunc subjecti fuerant, ac fœdere juncti,
Nisibus ex totis cœpere lacessere bello.
Ast illis *Abodritorum Dux* nomine *Thasco*,
Comperto tali motu tulit obvia signa,
Consertaque loco pugna, quem *Suentana* dicunt,
Quattuor hostilis prostravit millia cœtus,
Ac victos fecit nimia cum clade reverti.
Cumque regressus *Aquisgrani* Rex esset in aula,
Constantinopoli missos suscepit ab urbe
Legatos, Augusta suis pro rebus ad ipsum
Quos misit (3) *Hirena*, preces ac dona ferentes.
Nam *Constantinus* fuerat qui natus ab illa,
Cum foret immensa morum gravis improbitate,
A Græcis regni dejectus culmine, magnas
Nequitiæ dederat privatus lumine pœnas.
Unus erat missus *Michaël*, & presbyter alter
Theophilus, quibus est tandem poscentibus actum,
Ut magna Regis pietate *Sisinnius*, olim
In bello captus, patriam dimissus abiret.
Is germanus erat præfatæ Præsulis urbis,
Quæ caput imperii Græcorum nobile fulget.
His quoque dimissis, *Hadefonsi Regis* ab (4) oris
Hispanis venere viri, qui munera Magno
Attulerant Carolo, renovantes fœdus avitum,
Semper amicitia Reges quod junxerat ipsos,
Magna quibus dederat susceptis dona benigne,
Ac patriam tali lætos dimisit honore.
Insulæ invasæ *Baleares* esse feruntur
Hoc anno, quarum *Majorica* dicitur una,
Altera nomen habet sermone *Minorica* prisco.
Has etenim *Mauri* devastavere piratæ.
At Rex præfata tempus celebravit in aula,

(2) *Hunis*
(3) *Herena*
(4) *Heris*

Quo nasci voluit cœli terræque creator,
Et quo mors mortis fuit, infernumque momordit,
Reddidit & nobis vitam de morte resurgens.

ANNO DCC. XCIX. INDICT. VI.

O Quam triste nefas mortalia pectora crebro
Concipiunt, quam præcipiti (1) submersa profundo
Nequitiæ, dum non leges, non jura verentur,
Horrificos nimium cæci labuntur in actus.
Testis hic est annus, quo res indigna relatu,
Crimine *Romuleam* sævo maculaverat *urbem*.
Nam sacer Antistes, mundo venerabilis omni,
Civibus à propriis pœnas *Leo* sumsit atroces.
Credidimus, tormenta quidem cessasse piorum,
Jamdudum sævis tortoribus igne gehennæ
Damnatis, quos Imperii dum sceptra tenentes
Fecerat elatos immensa potentia secli.
Martyribus cæsis implerunt sanguine Romam.
Nunc in pace novi sceleratis ausibus Orci
Carnifices ibidem, longe licet inferiores
Jure potestatis, simili sed mente feroces,
Temporibus tantum scelus admisere modernis,
Indicto cum justitio, se publica vota
Cum precibus solvens plebs castigare fidelis
Deberet, pariterque suos purgare reatus.
Tum celebrare volens Christi mysteria cunctis
Pro sibi commissis, solenni more sacerdos
Vectus equo, Lateranensi processit ab aula,
Ad tua Laurenti pergens sacra limina Martyr,
Qua decus Ecclesiæ lectus modo ferreus auget,
Virtutis monimenta tuæ clarissima præbens,
Quod superimpositus prunis contemseris ignes,
Corporis ardescens Christi magis intus amore.
Sed neque tale tuum meritum sedare furores
Hostiles potuit, quin ad tua dum properaret
Antistes summus suffragia sacra petenda,
Insidias illi simul & tormenta pararent.
Cum celeraret iter, turba vallatus iniqua,
Crudelesque manus tolerans, amiserat ipsum
Effossis oculis lumen, linguam quoque tortor
Præcidit, nudumque dehinc liquere jacentem
Seminecemque foris, fœdatum sanguine multo,
Inque monasterium posthæc deductus (2) Erasmi
Martyris (auctores facti sic nempe jubebant)
Curandi specie fuerat servatus in ipso.
Donec cognoscens *Winigisus* res ita gestas,
Dux Spoletanus, Romam festinus adivit,
Noctque sublato per murum Præsule sacro,
In sua cum justis deduxit honoribus ipsum.
Qui miserante Deo transacto tempore pauco,
Amissum recipit visum pariterque loquelam:
Seu quia festinans tortor, trepidansque nefandis
Dum concurrentes metuit non talia turbas
Passuras, sed velle suum defendere Papam,
Non quantum voluit crudelia facta peregit:
Seu, quod credendum magis est, antiqua Redemtor
Per meritum magni renovans miracula Petri,

Sana-

(1) *summersa* (2) *Herasmi*

Sanari successorem donaverat ejus.
Hæc *Winigisus* ut ad Caroli Dux detulit aures,
Admonitus probitate viri, summæque colendo
Ordine sedis Apostolicæ, Rex jussit, ut ad se
Glorifico Præsul deductus honore veniret.
Egit iter tamen ipse suum, decrevit ut ante,
Saxonum terras adiens, ibidemque locatis
Ad Paderbrunnon multo cum milite castris,
Opperiebatur non parvo tempore summi
Præsulis aduentum. *Carolus quoq; regia proles,*
A patre missus ad ejusdem confinia gentis,
Perrexit lato qua profluit *Albia* cursu,
Disponenda forent dum forte negotia quædam
Cum *Wilcis* & *Abodritis*, ac suscipiendi
Saxones aliqui, qui se de partibus illis
Jam delegerunt fidei committere Regis.
Hæc satis egregie peragens dum cuncta, moratus
Junior esset in his *Carolus* spectatque reuersum
Dum videat natum patrio Rex magnus amore,
Venit Apostolicus, terrarum pene supremas
Jam penetrans (3) oras. Illi via tanta peracta
Visa brevis fuerat, quia compensaverat omnes
Intuitu Caroli quos pertulit ante labores,
A quo cunctorum solamina digna malorum
Danda sibi merito spe certa credidit olim.
Namque propinquantem cum primum noverat, illi
Obvius ipse loco de castrorum memorato
Stipatus multis populorum millibus ibat.
Pontificemque vicem Petri, cui claudere cœlos
Et reserare licet verbo, sedemque tenentem,
Suscepit cum magnifico reverenter honore.
Cumque dies aliquot lætos ibi duceret, idem
Insinuans Præsul sua quæque negocia Regi,
Illius facilem cognovit ad omnia mentem,
Concedenda pie voluit quæcunque precari.
Inde reducendum digne primoribus illum
Francorum commendavit, qui jussa replentes,
Ingressi pariter Romam sua restituerunt
Omnia Pontifici rursum, quo jura regendæ
Sedis Apostolicæ, justosque teneret honores.
Et post discessum Papæ Rex duxit eodem
Tempora pauca loco, subito cum tristis ad illum
Nuncius interitum procerum, mortemque duorum
Detulit, insignes quos fecit maxima virtus.
Unus erat *Bajoariæ Comes*, isque vocatus
Geroldus, qui cum populum defendere Christi
Conatus, bello sævis obsisteret *Hunis*,
Finivit vitam fragilem, sumsitque perennem.
Italici vero fuerat *Dux limitis* alter,
Nomen habens *Erichus*, qui post bene plurima gesta
Prælia, post crebro sumtos ex hoste triumphos,
Oppugnare *Liburnorum* contenderat *urbem*
Tharsaticam, civesque loci quem robore semper
Invictum novere, dolis ac fraude necarunt.
At Carolus, quantum tempus permiserat illud,
Saxonum rebus certo moderamine cunctis
Dispositis, in Aquisgrani se contulit aulam.
Ad quem *Wido Comes, cui Brettonum regiones*

(3) *Horas*

Commissa fuerant, gentis (4) tam sæpe rebellis
Detulit arma Ducum, proprio quæ nomine quisque
Inscripto dederat: signum fore deditionis
Hoc statuere suæ, Francis servire coacti.
Nam sociis Comes ille suis compluribus ipsam
Hoc anno penitus terram lustraverat omnem,
Corda domans belli terrore ferocia grandi.
Et jam perpetuo *Brettones* jure subacti
Parerent Francis, si non promissa fidemque
Perfida fallacis mutassent pectora plebis.
Tunc quoque *Sarracenus Azan* cognomine dictus,
Direxit Carolo *claves* cui præfuit urbis
Oscæ (sic illam vocitavit barbara lingua)
Magnaque dona simul mittens hanc tradere sese
Promisit, si tempus ad hoc contingeret aptum.
Tunc *Hierosolyma Monachus directus ab urbe,*
Immenso nimium spacio terræque marisque
Transcurso, Regi munus preciosius omni
Auro detulerat, mittente pio Patriarcha
Pignora sancta loci, Christus quo carne sepultus
Morte resurrexit victa, quo gaudia mundo
Angelus hæc cœli missus narravit ab arce.
Rex quoque natalem Domini celebravit in aula
Jam dicta, Monachumque dehinc remeare volentem
Absoluit, comitemque simul conjunxerat illi
Zachariam, regalis erat qui presbyter aulæ.
Per quem magna locis misit donaria sanctis,
Atque viris inopem vitam ducentibus illic,
Et mala perpessis mundi sub nomine Christi.

ANNO DCCC. INDICT. VII.

MArtia cum medios explessent tempora cursus,
Phœbus & initium mundi totius & anni
Arietis (1) ætherea gradiens in signa tonaret,
Florigerum rediit hyemis ver aspera pellens,
Frondibus exornans sylvas, & prata virenti
Gramine, dans avibus voces, augmenta diebus.
Tum decus egregium mundi, lux clara moderni
Temporis, *ex aula* Carolus progressus *Aquensi,*
Oceani littus, nomen cui Gallicus extat,
Lustrabat, classemque mari perfecit in ipso,
Infestum quod *Northmanni* fecere piratæ,
Jam tunc Francorum nimium gens noxia regno.
Inde monasterio, sancti quo membra quiescunt
Richarii, celebravit ovans solennia Paschæ.
Tramite tum cœpto properans pervenit ad urbem
Turonicam, Martine tuam sanctissime tumbam,
Qui confessor Apostolica virtute coruscus
Effulges, adiit quærens suffragia supplex.
Conjugis hic illum tristis valetudo morari
Compulit, extremas (2) dum vitæ (3) clauderet horas,
Moribus & vitæ merito laudabilis omni,
Cui nomen *Luidgardis* erat. Tum funere digne
Illic curato, tumulique decore peracto,
Ipse *Moguntiacum* rediit, primisque suorum
Undique collectis, ibi conventum generalem

Fecerat

(4) *quam*
(1) *ætherei*
(2) *ibi*
(3) *clauserat*

Fecerat Augusti circa primordia mensis.
Tunc & in Italiam multis iter aggrediendum
Condixit populis, illuc quos pergere secum
Decrevit, quod distulerat non tempore longo
Agmine delecto, sed eo comitante profectus,
Mœnia famosæ petiit præclara *Ravennæ.*
Cumque dies esset septem non amplius illic,
(4) *Pipinum Regem* gentis cum milite multo
In Beneventanæ direxerat oppida terræ,
Ipseque Romanas ibat devotus ad arces.
Obvius huic ad (5) *Numentum Leo Papa* sacratus
Venerat, & gaudens multum, veneransque, recepit,
Quem defensorem solum sibi senserat olim.
Dulcibus alloquiis ibi tunc epulisque peractis,
Antistes summus Regem præcessit ad urbem.
Postera cumque dies celebris, festivaque præbens
Gaudia Romanis, qua suscipiendus ab illis
Rex tantus fuerat, Solis fulgesceret ortu,
Pontifices Clerumque suum collegerat omnem
Papa. Quibus secum sumtis, ad limina magnæ
Basilicæ Petri, qui summus Apostolus extat,
Venit, & in gradibus templi stipante sacrato
Constitit ipse choro: Carolum sic advenientem
Suscepit, laudum modulamina dulcia cantans,
Atque Deo grates ex toto corde rependens,
Quod moderatorem defensoremque dedisset
Ecclesiæ talem, cui non ea noverat ætas
Mortalem similem, vel sic virtute valentem,
Omne bonum vel devota sic mente volentem.
Tantus honor, talis Francorum gloria, Regem
Magnaque Romanæ comitantur gaudia plebis,
Ecclesiam Petri puro cum pectore magni
Intraret, fusis lachrymis, humilique precatu
Implorans tanti suffragia sancta patroni.
Jam quoque Solstitii glacialis tempore crescens
Asperitas brumæ, tandem cogebat, ut illic
Militibus hyberna quies optata daretur.

(a) Annalium de Gestis Caroli Magni Imp.

Liber Tertius

EXPLICIT. INCIPIT

Qvartus.

(b) DCCC. I. INDICT. VIII.

FEsta dies cœlis, eadem celeberrima terris,
Virginei partus Christique refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat annos,
Tectus servilis Dominus velamine formæ.
Et jam natalis tanti cumulaverat omnem
Lætitiam Roma Caroli præsentia Regis.
Hic, cum Missarum sacro solennia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claves Christus dedit ipse polorum.
Ejus & ante sacros artus cum mente fideli,
Effusis precibus, sese Rex inde levaret,

Ipsius

(4) *Pippinum*
(5) *Nomentum*
(a) In Manuscripto Helmst. hic titulus: *Incipit libellus IV. annalium de gestis Caroli Magni Imperatoris.*
(b) Neq; hæc temporis nota in Manuscr. Helmst.

Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat ædes
Ingenti jubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, sic concordi simul ore canentis,
Augusto Carolo Magno, pacemq; ferenti,
Imperii merito Romani sceptra tenenti,
Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita, triumphus.
Post laudes igitur dictas, & summus eundem
Præsul ADORAVIT, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac *nomine demto*
Patricii, quo dictus erat prius, inde vocari
AUGUSTUS meruit pius, imperii quoque Princeps.
Tempore paucorum post hæc abeunte dierum,
Ipse suum Carolus præceperat ante tribunal
Duci, judiciumque viros legale subire,
Per quos præterito fuerat tot cladibus anno
Affectus sacer Antistes, legemque secundum
Romanam majestatis cogente reatu,
Damnavit pœna merito cunctos capitali.
Sed licet indignis, interveniente benigno
Præsule, concessit vitam, tamen esset inultum
Ne tantum scelus, exilio relegaverat omnes.
Festaque transegit postquam Paschalia Romæ,
Egressus *Spoletanam* perrexit in *urbem.*
Augustus vero quo tempore manserat illic,
Aprilis horam cum nox extrema secundam
Obscuram nimium tenebris involveret atris,
Ingenti subito tellus exterrita motu
Contremuit, sonitusque graves nimis & metuendos
Ediderat, stabilem cui sustulit ira quietem
Cœlestis, grandi sub mole latentia mundi
Intima concutiens impulsu viscera diro.
Cumque procellosus (1) turbo penetransque cavernas
Occultas, ac venarum loca tecta sub alto
Terrarum gremio, ne qua prorumperet inde
Vis venti, patulos usquam reperiret hiatus,
Quassatis fluctus quosdam generavit in arvis.
Jamque domi major, quam gurgite terror in ullo
Naufragii fuerat, tremulo sua culmine quisque
Dum fugeret subitam minitantia tecta ruinam.
Mœnia cuncta simul tetro sonuere tumultu,
Pendula crispanti stridunt ut lintea flatu,
Aut dum quæ tenui squallebant pulvere vela,
Exagitant famuli certatim discutientes.
Haud aliter muros omnes tremuisse videres.
Hic tamen *Italiam* terror specialiter omnem
Perculerat, cujus plures subverterat urbes,
Avulsosque ruit montes radicibus imis.
Tum Romæ cecidere trabes venerabilis ædis,
Pignoribus propriis quam Paulus Apostolus ornat.
Gallia nec tantæ fuit aut *Germania* cladis
Immunis, circa Rhenum loca denique motu
Plurima terrifico nimium concussa fuerunt.
Audiri quoque mugitus è montibus altis,
Et tetri sonitus reddi, variique boatus,
Morborumque lues fieri permaxima cœpit.
At *Spoletanis* Carolus regressus *ab oris,*
Ad *Ticinum* rediit, cui nunc est Papia nomen.

Italiæ

(1) *Penetrans & turbo.*

Italiæ linquens fines Auguſtus, *Aquenſem*
Expetiit *ſedem*, manſitque quietus hoc anno,
Perque ſui partes regni direxerat omnes
Legatos, æquo legum moderamine mandans
Juſticias facere, & varias componere lites,
Reddere jus civile bonis, terrere malignos.
Divinas mundique pias ex ordine leges
Tunc exerceri mandaverat, & renovari.

(1.) DCCC. II. INDICT. IX.

HOc de longinquis *Elephas* regionibus anno
Primitus adductus, mira ſpectacula; regno
Francorum dederat *Perſarum* denique *Princeps*
Hunc *Aaron*. Idem, fuerat cui ſubditus, Indis
Exceptis, Oriens totus, curaverat ultro
Ejus amicitiæ ſe fœdere jungere firmo.
Ac dignum duxit præ cunctis regibus ipſum
Temporis illius ſolum, cui munera larga
Præcipui cauſa tranſmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, veſtes & aromata crebro,
Ac reliquas Orientis opes direxerat illi.
Aſcribique *locum ſanctum Hieroſolymorum*
Conceſſit propriæ Caroli ſemper ditioni.

(1.) DCCC. III. INDICT. X.

NObilis hic annus longi certamina belli
Tandem, *Saxones inter Francosq; peracti,*
Firmo perpetua concluſit fœdere pacis.
Auguſtus pius ad ſedem (2.) *Saltz* nomine dictam
Venerat: huc omni Saxonum NOBILITATE
Collecta, ſimul *has pacis leges inierunt,*
Ut toto penitus cultu ritúq; relicto
Gentili, quem Dæmonica prius arte colebant
Decepti, poſt hæc fidei ſe ſubdere vellent
Catholicæ, Chriſtóq; Deo ſervire per ævum:
At vero cenſum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia (3.) *concors,*
Sed tantum decimas divina lege ſtatutas
Offerrent, ac Præſulibus parere ſtuderent,
Ipſorumq; ſimul Clero, qui dogmata ſacra,
Quiq; fidem Domino placitam vitamq; doceret.
Tum SUB JUDICIBUS, QUOS REX IMPONERET IPSIS,
LEGATISQUE *ſuis, permiſſi legibus uti*
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
AC SEMPER REGI PARENS ÆQUALITER UNI.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortaſſe videtur,
De vita ſcriptum Caroli legat ipſe *libellum*,
Quem Francos inter clarus veraxq; relator,
A ſummo prudens Einhardus nomine ſcripſit.
Hac igitur pacis ſub conditione fideles

V Se

(1.) *Abeſt hic titulus à Manuſcript.*
(1.) *Abeſt titulus*
(2.) *Salz*
(3.) *conſors*

Se Carolo, natisque suis, stirpique nepotum
Ipsius, juraverunt per secla futuros.
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
PLVS REGIS PIETAS ET MVNIFICENTIA FECIT,
QVAM TERROR. Nam se quisquis commiserat ejus
Egregiæ fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc opibus ditans ornabat honoribus amplis.
Copia pauperibus Saxonibus agnita primum
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta,
Prædia præstiterat cum Rex compluribus illic,
Ex quibus acciperent preciosæ tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcisque fluenta Lyæi.
His ubi primores donis illexerat, omnes
Subjectos sibimet reliquos obtriverat armis.
Et multis experta modis innotuit ejus
Tam dulcis pietas, quam formidabilis ira,
Præfatum statuere fide servare perenni
Fœdus, & ulterius non id mutasse probantur.

(1) DCCC. IIII. INDICT. XI.

PRæsul Apostolicus Roma perrexit ab urbe,
Augusti *Leo* flagranti deductus amore,
Ecclesiæ quoque pro causis, quibus imperiali
Esse videbat opus munimine, rursus adire
Françorum terras satagens per longa viarum.
Hic ubi terribiles primum transcenderat Alpes,
Adventasse virum tantum rumore volucri
Indice compererat statim prope Gallia tota,
Protinus hoc etiam lætus cognovit, & illi
Obvius Augustus *Remensem* venit *ad urbem*.
Susceptumque satis digno veneratus honore
Duxerat ad sedem, cui nomen *Carisiacus*.
Natalis Domini festis ibi rite peractis,
Sedis Aquensis abhinc petierunt *mœnia pulcra*,
Glorificeque simul celebrato tempore sancto,
Quo stella monstrante Magi cognoscere veri
In terris nati meruerunt luminis ortum,
Colloquioq; dehinc, pro quo Præsul venerandus
Venerat, expleto; Rex inclytus obtulit illi
Munera, digna simul danti seu suscipienti,
Hic cum Pontificum clarissimus, illeque Regum
Temporis illius, nullo dubitante, fuissent.
His gestis, propriam Præsul remeavit ad urbem,
Seque viri sejunxerunt ibi corpore solo,
Mentis amore pio juncti sine fine manentes.

DCCC. V. INDICT. XII.

NAtio *Sclavorum* studio satis aspera belli,
Quos Behemos vocitant, in se levitate procaci
Irritans Francos, Caroli commoverat iram.
Quos contra missus multis cum millibus ejus
Natus & æquivocus, bellum virtute sagaci
Commisit, celeri victor quod fine peregit.

DCCC.

(1) *Abest titulus è Manuscripto, ut etiam à sequentibus.*

DCCC. VI. INDICT. XIII.

CVm pius Augustus Domini munimine fultus,
Legitimo cunctos tanti moderamine fines
Imperii servans, placidam daret undique pacem,
Sollerti meditabatur depellere causas
Mente simultatum, populo quas posse fideli
Tempore dissidium vidit generare futuro.
Unde suos inter natos ne gignere posset
Post aliquam litem *patrii divisio regni*,
Certas ipse dedit partes ut cuique volebat.
Italico Regi Bajoariam simul *omnem*
(1) *Pipino addiderat: nec non Burgundia, quantum*
Parte sub extrema celsas interjacet Alpes,
Cum paucis Alamannorum quoq; finibus, illi
Traditur. At *Carolo reliquos donans Alamannos,*
Saxones ac Fresones subjecit eidem,
Cui simul ex magna fertur data Gallia parte,
Oceani donec vastis concluditur undis.
Hunc in Francorum sibimet succedere regnum
Disposuit, si non aliter Domino placuisset.
Subjicitur vero sceptris Burgundia pene
Tota pii Regis Ludovici, jure tenentis
Post hæc Imperium, nec non Aquitania cuncta,
Quæ commissa prius fuerat, nunc traditur illi
In regnum proprium, stabili ditione regendum.
Hinc omnes obtestatus, multumque precatus,
Admonuit servare fidem, nec spernere pacem,
Ne proprio quisquam transgresso limite, causas
Rixarum bellique daret, fusique cruoris
Christicolæ plebis meritò reus esset in ævum,
Sed facerent inter sese quo firma maneret
Debita fraternas socians concordia mentes.
Ipse dehinc Princeps *in sede* manebat *Aquensi,*
Nec post militiæ solitos exercuit usus,
Aut aliquos ivit bellum gesturus in hostes.
Nam nec opus fuerat, nec eum permiserat ætas,
Jam quibus exatiatus erat, renouare labores,
Cui gravis irrepens, & per momenta senectus
Singula succrescens, faceret decrescere vires.

DCCC. VII. INDICT. XIV.

R*Ex Sarracenæ gentis* nimium truculentæ,
Atque gravis late mundo terraque marique,
Muneribus tamen Augustum veneratur opimis.
Transmittens etiam quoddam mirabile donum
Denique tunc, inter tentoria, qualibet arte
Facta, dedit majus cunctis & pulcrius unum.
Fama solet veterum quicquam si dicere verum,
Mirandum, collecta forent ubi carbasa tanta,
Aut quibus orta seges lini tam fertilis agris,
Materies operi quæ posset idonea tanto
Affore. Non hominum tantam nisi millia molem
Erigerent. Spacium campi concluserat amplum
Textilis excelsis paries hærendo columnis.
Nec summi culmen tecti superare volatu
Viribus impulsæ magnis potuere sagittæ.

(1) *Pippino*

Intus erant multi generis habitacula pulchra,
Quilibet egrediens vt non hæc esse putaret
Vela mouenda loco, sed mœnia nobilis aulæ.
Interea *Nortmannorum Dux*, *Alfdeni* dictus,
Augusto, magna sese comitante caterua,
Subdidit, atque fidem studuit firmare perennem.

DCCC. VIII. INDICT. XV.

SVnt *Sclaui quidam Lini* cognomine dicti.
Hos contra genitore suo mittente profectus
Iunior est *Carolus*, cujus non *Albia* lata
Præpediebat iter, sed Francorum legiones,
Fluminis eiusdem traiecto gurgite, lætis
Auspiciis usus, memoratos duxit in hostes,
Signaque gaudenti retulit victricia patri.

DCCC. IX. INDICT. I.

UNdique præsentis pax lætificauerat anni
Cunctos Imperii fines, sed tristia quædam
Multis contigerant terris: nam sæuior omni
Hoste nefanda lues, pecudum genus omne peremit.
Nam cum pastores agerent armenta gregesque
Mane foras lætos in prata virentia, sero
Ægra domum rediit vix pars paucissima, diræ
Signa gerens pestis macie mortisque propinquæ.
At major numerus campi per plana jacebat,
Qua dulces animas virides efflauit ad herbas.
Jamque cadaueribus fœtebant pascua stratis.
Extractis etiam, præsepia quæque labore
Purgari multo poterant, tum qui moriturum
Cernentes animal, magis id prosternere ferro
Eligerent, statim stillans è vulnere tabo
Prodiderat toto concretum corpore virus.
Noricus ista sinus fertur specialiter esse
Perpessus, cum vicinis regionibus illi.
Præterea steriles hoc factæ tempore vites,
Impenso sibimet nulla mercede labori
Respondent, spes est auidi frustrata coloni,
(1) Dum vineta suo pubentia fœtu
Conspicit, & vane syluescit inutilis arbor,
Palmite diffuso nullas dum pampinus uvas
Contegit, & fructu vacua stat vinea lata.
Partibus in multis regni sic omine tristi
Bacchica non solito perierunt pocula damno.
Tempore nimirum tanto licet ante, per orbem,
Augusto, luctum, terris abeunte, futurum
Jam ostendebat casus tristissimus iste.

(1) ANNO DCCC. X. INDICT. II.

(2) P*Ipinus Rex Italiæ* * (3)
Francorum nitido lætum cum duceret æuum,
Flore vigens simul ætatis, mentisque decore,
Cui præclara fuit virtus, cui gloria summa,
Omnia fallacis pariter cui prospera mundi

Tunc

(1) *Eodem plane modo in Manuscripto.*

(1) *Hæc in Manuscripto.* (2) *Pippinus*
(3) [*Nec in Manuscripto reliqua.*]

Tunc aderant, morbo vitam finiuit acerbo.
Immaturus huic obitus, (4) jucundaque vita
Extitit, unde suo nimium de funere patri,
Omnibus & Francis gemitum luctumque reliquit.

ANNO DCCC. XI. (1) INDICT. III.

RVrsus ut omnipotens caros sibi sæpe flagellis
Erudit, æternæ det ut illis gaudia vitæ,
Augusto vis judicii veneranda superni
Omnem præteriti luctum geminauerat anni,
Ipsius assumens alium de corpore natum,
Mortalisque jubens vitæ finire tumultus.
Hic patris æquiuocus fuerat, nec nomine solo,
Indole sed mentis clara probitateque morum,
Omnimodaque patrem virtutum dote referret,
Si rectore frui meruisset *Francia* tali.
Hoc quoque *Bernhardo regnum* concesserat anno
Italicum pius Augustus: nam *filius idem*
(2) *Pipini* merito patri successerat hæres.

ANNO DCCC. XII. (1) INDICT. IV.

MAxima longinquis terrarum venit ab oris
Græcorum de Principibus legatio missa.
A quibus Augustus pacem donare rogatus,
Iure piis precibus, multum quas nouit utrique
Proficuas regno, consenserat ilico clemens,
Fœdus & inter se fidei pacisque tenendæ
Jurando partes firmârunt protinus ambæ.

ANNO DCCC. XIII. INDICT. V.

IAm grauis Augusto morbus simul atque senectus,
Corpore, sustulerant solitum, marcente, vigorem.
Curarumque, quibus Respublica tanta (1) gerenda
Ac seruanda fuit, non se sufferre valere
Immodicum pondus, placidæ sed sola quietis
Otia, supremo labentis tempore vitæ
Vidit amanda sibi, quo procurare migranti
Hinc animæ requiem propriæ veniamque studeret.
Unde Duces ac primores solenniter omnes,
Atque magistratus, ad (2) consilium generale
Undique collegit, natoque suo *Hludouico*
Cunctorum cum consilio *ius omne regendi*
Tradidit imperii, successoremque paterni,
Imposito designauit diademate, regni,
Consortemque sui factum totius honoris
Augustum pariter vocitari jusserat ipsum.
Quod cum magnifico satis accepere fauore
Consilium cuncti, cum prorsus id utile regno
Multimodis intelligerent. Hinc aucta refulsit
Maiestas Caroli, concordia facta futuris
Hinc est temporibus, cum tot caput extitit unum,
Unanimi populis monstratum mente sequendum.
Hinc metus externis incussus gentibus ingens,

(4) *Jocundaq.*
(1) *Hæc non in Manuscripto.*
(2) *Pippini*

(1) *Hæc absunt, ut & à sequentibus.*
(1) *regenda*
(2) *concilium*

Nil ſperare dedit Caroli de morte propinqua,
Quo minui poſſet ſtatus, & rectiſſimus ordo
Regni Francorum, cuius non ante reliquit
Tam clarus Princeps regimen, quam ſumſit id alter,
Quem merito patri ſimilem virtute putarent.
A quo non dubium, quin armis regna ſubacta
Cuncta ſimul miti regeret moderante Sophia.
Ut quondam magnus pariter Rex atque Propheta,
Qui lyrico modulante melo cœleſtia doctus
Carmina diuino completus pangere flatu,
Nunc cytharis Dauid digitos fidibusque canoris,
Nunc capulis aptare manus armisque ſolebat,
Innumeras poſtquam gentes hoſteſque triumphis
Subdiderat propriis, meritis maturus & annis,
Se viuente, ſuus iuſſit quo filius omni
Hebræi Salomon regni frueretur honore.
Sic Carolus noſter ſolitus tractare viciſſim
Prælia, Dæmonicos etiam ſubuertere cultus,
Catholicam firmare fidem, damnareque ſectas
Peruerſas, ut doctrinæ cœleſtis ubique
Chordæ concordes in Chriſti laude ſonarent.
Magnifice bellis regnum nimis amplificatum
Prudenti nato pacemque reliquit amanti,
Quique labore patris bona conquiſita quietus
Sumeret, exercens diuini dogmata cultus.
Hæc ita dum fierent, paſſim permixta videres
Gaudia triſtitiæ. Nam res ex ordine geſta,
Et ratione pia, multis cùm iure placeret,
Amplius angebant cunctos tamen intus amari
Mœſtitiæ ſtimuli, quod carni debitus omni
Ex oculis charum Carolum rapturus adeſſet
Terminus. Id valetudo ſimul cogebat & ætas.
Utque ſolet fieri, quoties amittitur ulla
Res bona, tunc melius cogit dolor ipſe videri,
Ipſius utilitas qualis preciumque fuiſſet:
Sic morum probitas, animi ſic maxima virtus,
Sic pietas Caroli cunctorum mentibus hærens,
Tunc perſpecta magis fuerat, cum principe tali
Seſe cernebant carituros eſſe per æuum.
Multorumque graues ſapientum pectora curæ
Mordebant, in deterius iam iamque timentum
Lapſuras res Francorum, multas quoque clades
Poſt obitum tanti venturas Principis eſſe.
Ut ſub fine cadit cum longior umbra diei,
Et Sol Oceani properans ſe tingere fluctu
Pergit in cubitum, tegit & ferrugine vultum
Lucigenum, mixto maculis pallore nigellis,
Signa procelloſæ dat noctis abinde ſequentis,
Quamuis ſuccedens, dum tramite fertur eodem,
Orbe valet pleno ſubluſtrem reddere Luna.
Haud aliter tum prudentes ſenſere futuras
Bellorum tempeſtates, meritoque gemendas
Regni Francorum Carolo moriente ruinas.
Soluitur interea populi conuentus, & inde
Qui fuerant proceres redituri tramite longo
Ad ſedes proprias, ſibimet iam conjicientes,
Cari conſpectum Domini hunc eſſe ſupremum,
Interni gemitus dederant, animique dolentis,
Pallenti ſignum facie, mœroreque preſſa.

Com-

Composito plures vultu, dum fingere lætos
Se cupiunt, quo suspectum reperiret in illis
Nil nouus Augustus, tamen & ridere volentum
Ora madent lachrymis falsa inter gaudia veris.
Non aulam tunc more suo complebat Aquensem
Læticiæ sonus, auditur vox Musica nusquam,
Alloquitur socium vix saltem murmure tristi
Quisque suum, prodens tacitus quid pectore gestet,
Cum dolor im ponit gemebunda silentia multis.

(1) Annalium de Gestis Caroli Magni Imperat.

Liber Quartus explicit. Incipit Quintus

De Vita & Obitu ejusdem.

(2) DCCC. XIV. INDICT. VI.

PAngite iam laceræ carmen lugubre Camœnæ,
 Dignus enim multis annus hic est lacrymis.
Ecce quater denis ternisque prioribus annis,
 Quid nisi prosperitas dicta fuit Caroli?
Annua cum variis ipsius gesta triumphis
 Tum placuit læto connumerare stylo.
At modo lugentes, obitum, nos admonet ordo,
 Et tempus tanti commemorare viri.
Hic veri plangunt Elegi, nil fingere mœstum
 Est opus, affectus res habet ipsa suos.
Quis recolens, qualis fuerit modo defore terris,
 Tale decus nimium non gemat & doleat?
Sed quia res consolatur hæc sola fideles,
 Carus forte suos mors quibus abstulerit,
Pro iustis vt eos feliciter actibus esse
 Confidant regni participes superi:
Idcirco meritum, pro quo modo credimus illum
 Viuere cum Christo, iure libet canere.
Materiam tantam nimis audax barbara lingua
 Ingenii tenuis viribus aggreditur.
Sed me magnus amor, præsentis carminis auctor,
 Ignarum fandi non reticere sinit.
Denique sum Carolo semper flagrantis amoris,
 Sum quoque perpetui debitor obsequii.
Is gentem nostram fidei cognoscere lucem
 Fecerat, abjectis perfidiæ tenebris.
Quam bellando diu, quam multa pericula passus,
 Quam sudore graui, quam studio vigili?
Pene recordantur populi hoc hactenus omnes
 Europæ, tanti participes operis,
Nempe sui vires regni collegerat omnes,
 Ut nos dæmonicis cultibus abstraheret.
Denique barbariem quisnam mollire ferocem
 Posset adhortantis dogmatis alloquio?
Ob hoc per Carolum clemens Deus est operatus,
 Id quod tunc aliter non potuit fieri.
Usus enim gemina, Saxonum saxea corda,
 Arte, suadebat subdere se Domino,

(1) *Hic titulus habetur in Manuscripto.* (2) *Hæc inscriptio abest.*

Nunc terrens bello, nunc donis alliciendo,
Illic magnanimus, hic quoque munificus.
Nec prius abstiterat, Saxonia quam simul omnis
Idola projiciens facta fidelis erat.
Quas igitur grates illi modo possumus omnes,
Vel quas quisque suo soluere pro modulo?
Si qua meam scripturarum scintillula mentem
Artis, & illustrat si qua scientiola,
Nonne dabit iuste Carolo præconia laudum,
Per quem nancisci tale bonum merui?
Nostri non solum fidei documenta parentes,
Sed penitus cunctos nescierant apices.
Per Carolum nuper nobis est huius honestas,
Ac pariter vitæ spes data perpetuæ.
Ergo tibi primum dignas nos dicere laudes
Da Deus, omnimodi fons & origo boni.
Muneris inde tui quamcunque retexere partem
Nos in eo, nostri dux animi, tribue,
Quem pie Christe tuo multorum more saluti
Prospiciens, talem præstiteras fieri.
Nam nostræ miserans naturæ conditionem,
Serpentis postquam fraus vitiauit eam,
Contuleras hominum generi solatia crebra
Per claros homines, atque tibi placitos,
Efficiens fortes, per quos fragiles regerentur,
Doctos, qui reliquos instruerent stolidos.
Vt lux illorum tenebras depelleret horum,
Errantes reuocans, restituensque viæ,
Stantes erigerent lapsos, miserisque piorum
Virtus exemplo esset & auxilio.
Et tales semper dederas ab origine mundi,
Apti saluandis qui fuerant aliis.
Inprimis Patriarcharum, sacer ordo deinde
Legifer, & vatum missus ad hoc chorus est.
Nec non in variis imitabile gentibus olim
Exemplar iusti, te quoque teste, dabant.
Sed quis per seruos seruis te consuluisse,
Miretur, donum sit licet eximium?
Cum per te mundi Dominus plus egeris, immò
Sis passus minimis maxima pro famulis.
Pro quibus iniustis iustus, pro sontibus insons,
In mortem propriam tradideras animam.
Tanta redemtor erat nostræ tibi cura salutis,
Perdita ne fieret prorsus imago tui.
Vnde tibi laudes modulentur cuncta creata,
Atque genu flectant inferus, arua, poli.
Nam neque dum compleuit opus, tua gratia, tantum
Cessauit, sine qua deperit omnis homo.
Sed post hæc eadem lucrandis omnibus extat
Cura per electos gentibus exhibita.
Oris Apostolici terram sonus iuit in omnem,
Verba per extremas intonuere plagas.
Cui dedit, ætherea cœli demissus ab arce,
Flammantes linguas, Spiritus omnipotens.
O quam multorum purgatas sorde reatus
Mentes ardentes fecit amore tuo!
Ordinis eiusdem nec non virtutis honore,
Et studio, plures post fuerant similes.
Qui simul exemplis animas, & dogmate sacro,
Multas cœlesti reddiderant patriæ.

Quid memorem, quanti pro te tormenta necemque
Passi, lucrati hinc alios fuerint?
Hos animus constans, illos miracula visa,
Credere hæc danti commonuere tibi.
Mille modis tua magna, Deus, clementia gentes
Saluat per sanctos egregiosque viros.
Nec Reges facis expertes fore muneris hujus,
Dum per eos animas corrigis atque doces.
Temporibus Carolus Rex, te donante, modernis
Quàm multis summæ causa salutis erat?
Credendi pulcrè moderandis moribus aptus,
Et mutare piè perfida corda potens.
Cujus nunc insigne genus si pandere coner,
Compellor Regum scribere catalogum.
Sed non est opus: excelsum quia non genus illi,
Sed summo generi addidit ipse decus.
De claris genitus fulsit præclarior, atque
Patribus inuictis fortior enituit.
Est quoque jam notum, vulgaria carmina magnis
Laudibus ejus auos & proauos celebrant,
(3) *Pipinos, Carolos, Hludouicos* & *Theodricos*,
Et *Carlomannos, Hlothariosq;* canunt.
Attamen hic quanto plus fecerit omnibus illis,
Dicet præsentis sermo sequens operis.
Unum commemorem, tanto de germine (4) parem
Quem sanctum Christi prædicat Ecclesia,
Scilicet *Arnulfum, Francorum qui fuit olim*
Princeps ac Præsul post satis egregius.
Ductus amore Dei qui spreuerat omnia mundi,
Quæ mulcent oculos, quæque trahunt animos,
Malens diuinas mundi quàm tradere leges,
Esse Dei famulus quàm populi dominus.
Nunc ouat in cœlis, præbens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui.
Indeque nostrorum totam seriem Dominorum,
Stirpem nempe suam, protegit atque fouet.
Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus una,
Quæsumus, *Arnulfus sit tuus homonymus.* *
Fac ut regnanti Christus sit præuius auctor,
Quo nimis ipsius indiget Ecclesia.
Qui modo justificus Rex est, defensor & unus
Inter tot clades, nunc quibus atteritur.
Ex illo nobis igitur tam Principe sancto
Hactenus est dominans inclyta progenies.
In quam descendit sancti benedictio Jacob,
Quam Judæ pandens ipse futura dedit.
Ut non deficeret de germine sceptriger ejus,
Sed foret inde manens longa Ducum series.
Sic electa Deo mansit jam tempore longo
Hæc stirps in regno, atque diu maneat.
De qua non quisquam fortem pietateque plenum
Miretur Regem progenitum Carolum.
Cujus ut exterior virtus roburque parentes,
Sic satis ornabat Relligionis amor.
Et quo major eis prouenit gloria mundi,
Mens humilis tanto plus fuit ante Deum.

X Sed

(3) *Pippinos*
(4) *In Manuscript. extiterat: partem, sed t deletum.*

* *En tibi Poëta nostri ætatem, qui se tempore Arnulphi vixisse, & hic & infra testatur.*

Sed huic naturæ quicquid bene præstitit ortus,
Hoc exercitio auxerat assiduo,
Intentus semper rebus constanter agendis,
Et disponendis consilio stabili.
Unde nec in bellis quisquam felicior illo
Tempore, nec pacis plus moderatus erat.
Et quod suscepit florens & nobile regnum,
Reddiderat duplo latius & melius.
Sicque suos, licet inuictos, vicisse parentes
Noscitur, hac multo re magis egregius.
Nam plures unus terras populosque subegit,
Quàm totus Regum vicerit ordo prior.
Regnabant inter Rhenum Ligerimque priores,
Ad Boream fuerat terminus Oceanus.
Australemque dabant Balearica littora finem,
Alpes & tectæ perpetuis niuibus,
Et Francos Orientales, nec non Alamannos,
Ac Bajoarios jam tenuere prius.
Fresones etiam, simul & rexere Thoringos.
Et regnum Caroli hoc habuere patres.
(5) Pipino patre defuncto, cum fratre regebat
Id Carolomanno, sorte fruente sua.
Atque simultates illum, rixasque mouentem,
Hic semper multum pertulerat patiens.
Ut mirum multis fuerit, quòd viderit ira
Commotum causis nemo licet grauibus.
Annis sic geminis decesserat ille peractis,
Et regnum soli jure datur Carolo.
Quod primo victis Aquitanis gentibus auxit,
Uvasconumque simul subjiciens populum.
Et juga cuncta Pyrenæi superauit, Hiberum
Donec ad fluuium tenderet imperium.
Italicasque dehinc regiones subdidit omnes,
Dicere quas certo quis valeat numero?
In longum decies centenis millibus, atque
Amplius, ut fertur, tenditur Italia.
Tum, quibus est ex non modica Germania parte
Subdita, Saxones addidit imperio. (6)
Pannonias etiam victor subjecit utrasque
Is, cum vicinis urbibus innumeris.
Arua Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Histro,
Nec non Dalmatiam subdidit & Daciam.
Sclauorum populos censum sibi soluere fecit
Plures, quàm quisquam dinumerare queat.
Gesserit ista quibus bellis, signando priores
Quattuor annales jam retulére libri.

Nunc studium, mores, ususque domesticus, ejus
Corporis & habitus, quæ fuerint, referam.
Quæ quicunque sciet, jam non mirabitur, illi
Cur sic contigerint omnia læta foris.
Nam quod scire decet homines, meminisseque cunctos,
Hic quoque lectorem commoneam breuiter.
Audiat hoc omnis rector, vel præmia gestis
Pro laudabilibus quisquis habere cupit.
Interius radix operum latet exteriorum,
Mens moresque viri facta palam generant.

Qui

(5) *Pippino*

(6) in Manuscripto insertum comparet distichon:
Ex hac in latum duplo plus deniq; Francis
In longam partem pene parem tenitent.

Qui solet esse domi constans prudensque decenter,
Perficit is crebrò facta decora foris.
Intra se vitiis dominans, rationeque pollens
Exteriora sibi nulla nocere sinit.
Fortiter in cunctis facienti seu patienti
Pro meritis animi gloria proueniet.
At cui mens torpet, mores neque corrigit in se,
Illum jure manet dedecus exterius.
Sic regnum terret cunctos extrinsecus hostes,
In se quod pacem justiciamque tenet.
At contra si quod scelus & discordia fœdat,
Raptores auidos clade sua faciet.
Ergo domi Carolum, rationis jura secutum,
Est comitata foris gloria magna satis.
Assuescens potuit virtutibus exuperare,
Ferreque consilio cuncta pericla sua.
Et quia justicia pacatum reddidit intus,
Externis regnum cladibus eripuit.
Artibus ipse quidem cunctis instructus honestis,
Harum doctores magnificè coluit.
A sene *Leuita* quodam cognomine *Petro*
Curauit primò discere *Grammaticam*.
Artis Rhetoricæ, seu cui *Dialectica* nomen,
Sumsit ab *Alquini dogmate* noticiam.
Hic etiam Leuita gradu, multumque peritus,
Ex Anglis veniens Saxo fuit genere.
A quo præcipuè studuit *totam rationem,*
Et legem cursus noscere syderei.
In causis judex justissimus, audiit ipsas
Sæpius, & finem litibus imposuit.
In sermone satis dulcis, facundus, abundans,
Nec patrio tantùm claruit eloquio,
Sed solitus lingua sæpe est orare *Latina*,
Nec Græcæ prorsus nescius extiterat.
Intellexit eam melius, quàm proprietates
Illius posset voce sonare sua.
Legerat assiduè scripturæ dicta sacratæ,
Quosque libros sancti composuere patres.
Quos *Augustinus cœli de ciuibus almis*
Scripsit, amanter eos crebrius audierat.
Scribere tentabat: nam circumferre solebat
Secum cum paruis codicibus tabulas,
Ac ponens ipsas ad ceruicalia lecti
Regalis, nunquam fecit abesse sibi.
Inter tot curas, tantique negocia regni,
Rex exercuerat his animum studiis.
Cujus ut ingenium multum resplenduit acre,
Sic omnis motus optima temperies.
Non unquam nimium lætus, non valde remissus,
Non multum tristis atque seuerus erat.
Non lenis hominum vitiis, non turbidus ira,
Plectebat justa cum ratione reos.
Quod terrore magis fieri, quàm morte volebat,
Ni cùm dira rei cogeret impietas.
O qualis probitas, quàm constantissimus ordo
In cunctis ejus moribus enituit!
Fortis in aduersis rebus, cautusque secundis,
Perpetuæ tenuit sobrietatis iter.

Tantùm cùm natos sibi, (7) *Pipinum Carolumque*,
Mors auferret ob hoc ipse nimis doluit.
Nec non *Rhuotrudis*, reliquis quæ filia natu
Major erat, fleuit valde gemens obitum.
Hanc & Græcorum luxerunt ditia regna,
Quod non hac tali digna forent domina.
Sponsa fuit *Constantini* nam, sceptra regentis
Illius semper nobilis imperii.
Inclyta Constantinopolis de germine nostri
Optabat Caroli nobilior fieri.
Tantùm contigerant hæc infortunia Regi,
In his quæ genuit pignora clara satis.
Tum concertabat constantia cum pietate,
In Carolo virtus utraque non modica.
Hæc casus omnes jussit tolerare decenter,
Illaque dilectæ commonuit sobolis.
Ista magnanimus fulsit virtute, sed illa
Non minus ardebat plenus amore pio.
Quocirca vicit pietas in morte suorum,
Et regem largas compulit ad lacrymas.
Nec non Romani mortem sibi fleuit amici
Pontificis, nomen huic *Adrianus* erat.
Nam velut in reliquis rebus, sic optimus ejus
Laudatur merito mos in amicitiis.
Admittebat eas caute, sed firmiter immo
Ex se seruauit fœdere perpetuo.
Unde decus regni factis & nomen amicis
Auxerat externis Regibus & populis.
Ex quibus unus erat *Hadefonsus* nomine dictus,
Qui *Rex Asturiæ Gallicieque* fuit.
Qui dum legatos & munera mitteret illi,
Mandabat dici se (8) *proprium Caroli*.
Scottorum reges ipsum *Dominum* vocitabant,
Ac se subjectos ipsius & famulos.
Hoc apices ab eis missi testantur ad illum,
Quorum claret amor maximus alloquio.
Persarum Princeps illi deuinctus amore
Præcipuo fuerat, nomen habens Aaron.
Gratia cui Caroli præ cunctis Regibus, atque
Illo principibus tempore cara fuit.
(9) *Augustus* cum *Græcorum*, poscentibus ultro,
Dignatus pactum pacis inire fuit.
Unde suos ad eum legatos mittere crebro
Curauere *Leo, Nicephorus, Michael*.
Transgredimur metas, dum designamus amicos,
Monstrandus magis est ipse stylo Carolus.
Hic se venatu nec non equitando frequenter,
Fecerat ignarum desidiæ penitus.
Vix illi glacialis hyems auferre valebat
Usus castrenses, gestaque militiæ.
Præterea solitus fuit exercere venatum,
Qua tunc arte magis nemo peritus erat.
Et naturali fontes feruore calentes
Illi præstabant grata lauacra nimis.
Unde locum sedis sibimet delegit Aquensis,
Plurima quo manat copia talis aquæ.

Bal-

(7) *Pippinum*
(8) *in Manuscripto huic voci recentiori manu imposita vox* socium
(9) *Augustis*

Balnea qua multo condens (10) jucunda decore,
Annis extremis mansit ibi jugiter.
Ac secum fecit natos proceresque lauari,
Quodque sui custos corporis agmen erat.
Ejusdem nam commoditas speciosa lauacri
Centenos homines plusque valet capere.
Corpore robusto fuit ipse decenter & amplo,
Incessu firmus, viuidus atque agilis.
Egregiè procerus, & hoc moderamine justo,
Septem namque suis longus erat pedibus.
Ipse rotundus apex capitis, & obesa
Naris plus paulo quam mediocris erat.
Late fulgentes oculi, facies quoque læta,
Et vox clara satis, pulcraque canicies.
Usus vestito patrio, semper peregrinum
Respuerat, quamuis pulcer & ipse foret.
Bis tantum Romæ, summis rogitantibus ipsum
Præsulibus, *longa usus erat tunica*.
Tunc etiam chlamydis speciosæ sumsit amictum,
Moreque Romano tegmina facta pedum.
Regalis habitus tantum gestabat honorem,
Cùm celebraretur valde sacrata dies.
Aut *quoties aderant missi mandata ferentes*
Ex longè positis gentibus & ducibus.
Tunc *auro textam nectebat fibula vestem,*
Aurea comebat gemma pedes varia.
Distinctum viridi gessit diadema smaragdo,
Stellatus radiis Jaspidis ensis erat.
Distabatque parum reliquis in veste diebus
A solito procerum, vel populi habitu.
Felici semper valetudine lætus ad annos
Supremos vitæ pene suæ fuerat.
Nam seruauit eam victu sumens moderato,
Solum quod sensit esse salubre sibi.
Si tamen aduersum leuiter quicquam pateretur,
Quod jam crescenti contigerat senio,
Non admittebat medicos, sibi nempe perosos,
Plus arbitratu cuncta suo faciens.
Cum reliquis (11) intus specialiter oderat illud,
Quo vertunt mentis pocula multa statum.
Hinc vinum parcè potum quoque sumserat omnem,
Atque cibis paulo ægrius abstinuit.
Nam vix ferre suum poterat jejunia corpus,
Quæ sibi nonnunquam noxia questus erat.
Cum numero solitus hominum conuiuia grandi,
Sed tantum festis præcipuis, agere.
Porro quaterna jugem præbebant fercula cœnam,
Præter venantum quæ labor attulerat,
Assam qui verubus longis inferre solebant,
Illi gratus erat plus aliis cibus hic,
Cœnanti lector recitans non defuit unquam,
Perque vices aliquod audiit acroama.
Res antiquorum gestas, Regumque piorum,
Ipse legi sibimet fecerat assiduè.
Indulgere parum somno permiserat illum
Mens semper magnis dedita consiliis.
Et res magnificas jugiter meditatio voluens,
Reddiderat curis multimodis vigilem.

(10) *jocunda* (11) *vitiis*

Ob hoc nocte quater fertur vel sæpius, omni
Somno depulso, membra leuasse thoro.
O quantum curis respublica creuerat illis,
Quam conseruatum floruit imperium?
Nam bene præuidit, ne qua ratione pateret
In regnum variis hostibus introitus.
Gallica præstruxit, nec non Germanica classe
Littora, qua fluuios suscipit Oceanus.
Atque quod Europam pelagus sejungit ab astris,
Et dirimit terras gurgitibus (12) medium,
Quà (13) ripidos ex Gallorum regionibus amnes
Aut capit ex magnæ partibus Italiæ,
Ostia seu portus, positis stationibus, omnes
Fecit inaccessos hostibus omnimodis.
Hinc nec eo *Mauri* quicquam viuente nocebant,
Nec *Northmannorum* tunc metus ullus erat.
Ni *Centumcellæ* (sic urbs Hetrusca vocatur)
Quod tunc à Mauris depopulata fuit.
Et quòd Northmannis vastantibus, *insula quædam*
Paruula Fresonum damna tulit grauia.
Væ tibi, væ tali modo defensore carenti
Francia, quàm variis cladibus opprimeris?
Gentibus ecce pates populantibus undique sæuis,
Et quondam felix nunc nimis es misera.
Quippe tuis hilares exultant fletibus hostes,
Ditanturque tuis assidue spoliis.
Millia cæsorum captiuaque turba tuorum
Amplior est numero, quàm sit (14) arena maris.
Nam Carolo moriente, tuum decus & honor omnis
Ex illo sensim fugit & interiit.
Nunc tamen Arnulfo merito sub Principe gaudes,
Qui similis tanto moribus est abauo.
Deniq; magnanimus, clemens, promtusq; labore
Peruigili lapsum corrigit Imperium.
Francorumq; mouet veteri virtute lacertos,
Atque vocat resides rursus in arma viros.
Sed moles immensa, diu quæ corruit ante,
Non restaurari se subito patitur.
Illi det vitam, qui virtutem dedit amplam,
Et magna nobis causa salutis erit.
Vos quæ de Carolo restant dicenda, Camenæ,
Strictim veloci carmine concinite.
Cùm fuerit regno tam clarus in amplificando,
Intentus bellis continuis animo,
Ornatus operum varios tamen, & decus ingens
Fecerat, & visu mœnia pulcra nimis.
Ex quibus inprimis meritò laudatur *Aquensis*
Sedis mirificè condita *Basilica*.
Quam pie Christe tibi, sanctæque tuæ Genetrici,
Ad laudem studuit perpetuam facere.
(15) *Ingelenhem* dictus locus est, *ubi condidit aulam*,
Ætas cui vidit nostra parem minimè.
Quorum multiplicem si quis describere laudem
Curabit, longum texet opus nimium.
Ad quæ marmoreas præstabat Roma columnas,
Quasdam præcipuas pulcra Rauenna dedit.

De

(12) *media*
(13) *rapidos*
(14) *harena*
(15) *Ingylemhem*

De tam longinqua potuit regione poteſtas
Illius ornatum Francia ferre tibi.
Præterea *Rheni conſtrauit ponte fluenta*,
Commoda dans *urbi* tanta *Mogontiacæ*.
Eſt ibidem latus quingentis paſſibus amnis,
Ut pondus tanti ſcire queas operis.
Quodque magis ſtupeas, *firmauerat ordine tecto*
Colles ingentes fluctibus in mediis.
Suppoſuit baſibus hæc fundamenta locandis,
Et ſupra celſam ſtruxerat inde viam.
Hoc opus extremis illius pene ſub annis
Conſumſit ſubitò flamma vorax penitus.
Quod reparare volens, fieret quo ſaxeus illic
Pons, ubi conſtructus ligneus ante fuit,
Prô dolor eſt obitu præuentus, opusque remanſit
Hoc imperfectum, ſic quoque ſemper erit.
Virtutis monumenta manent tamen ejus in æuum,
In vaſtis ſtantes gurgitibus tumuli.
Congeſtæ ſaxis etenim tellureque moles
(16) Patent elatis flumine verticibus.
Aggeribusque pari ſpatio diſtantibus ordo
Metitur lati terga decens pelagi.
Condidit & Domino perplurima templa dicanda,
Exornans eadem ſumtibus ex propriis.
Neglectu dilapſa prius, vel tempore longo,
In regno reparans cuncta ſuo nouiter.
Relligionis enim ſanctæ ſtudioſus amator,
Sectatorque fuit Catholicæ fidei.
Tempore namque ſuo hæreſes extinxerat ortas,
Quod jam præmiſſis diximus ante libris.
Eccleſiam certis intrauerat impiger horis,
Fundens deuotas nocte dieque preces.
Ejus & omne miniſterium cum veſtibus, atque
Vaſis, ornatu compoſuit nimio.
Verus quippe Dei cultor, præponere ſancto
Ejus nil unquam ſeruitio voluit.
Nam regnum terreſtre tenens, cœleſtis amore
Plus multo flagrans extitit & cupidus.
Quod ſibi, præ cunctis clemens, & largus egenis,
Curauit donis aſſiduis emere.
Nemo peregrinos illo plus fertur amaſſe,
Nemo pari cura ſuſcipiebat eos.
In quo penè modum pietas exceſſerat ejus,
Si quid in hoc nimium quisque poteſt facere.
Cum non regali ſolùm foret aduena turba
Aulæ, ſed toto jam grauis Imperio,
Ipſe pius compenſabat diſpendia rerum,
Mercedis læto perpetis intuitu.
Hac inuitati fama cum partibus orbis
De cunctis ad eum confluerent inopes,
Non tamen in proprio ſatis exercere putabat
Regno gratuitæ largitionis opus,
Sed per legatos mittebat ad extera regna
Chriſticolis crebrò munera pauperibus.
Quos Ægyptus, Alexandrique ex nomine dicta
Urbs, inopes habuit, iuuit eos opibus.
Africa munificum, Carthagoque ſenſerat illum,
Eſt experta ſatis largifluum Syria.

(16) *Parent.*

Ad Hierosolymam, seu cætera quæ loca Christi
Gestis corporeis sacrificata manent,
Sæpius indiguis donanda fidelibus auri
Misit & argenti pondera non modica.
Trans mare gentiles positos solùm sibi Reges
Ad hoc firmata junxit amicitia,
Quatenus illorum, qui sub ditione fideles
Essent, perciperent inde refrigerium.
Præque locis sanctis aliis, specialiter ejus
Menti Romanæ sedis inhæsit amor.
Nam sanctum venerans Petrum, qui clauiger extat
Cœli, quique chori primus Apostolici,
Ejus ad Ecclesiam donaria maxima sæpe
Mittens, thesauros contulit innumeros.
Atque sui magis in toto nil tempore regni
Curauit, majus non habuit studium,
Quàm sedes Romana suo munimine fulta,
Ut veteri pollens nobilitate foret.
Et tamen ipse quater tantùm peruenerat illò,
Vota precesque pia soluere mente volens.
Ultimus aduentus hac causa contigit ejus,
Quòd turbatus erat tunc status Ecclesiæ,
Scilicet ejecto, simul & tormenta Leone
Præsule perpesso ciuibus à propriis.
Hoc quasi naufragio suprema pericula passum,
Vexatumque loci seditione statum,
Ad portum placidæ statuit reuocare quietis,
Illic per totam penè manens hyemem.
Tunc ibidem culmen susceperat Imperiale,
Ordine quo quarto diximus ante libro.
Quod tamen inuitus, Papa cogente, recepit,
Et multis populi Romulei precibus.
Qui si consilium præscisset Præsulis ante,
Tunc se subtraheret prorsus ab Ecclesia.
Denique sic multis coram jurauerat ipse,
Quamuis illa dies valde foret celebris.
Videris hoc illi tantum cur displicuisset,
Quod mos est aliis Regibus appetere.
Ipse decem posthæc & ternos circiter annos
Augusto lætus vixit in Imperio.
In quibus *antiquas leges correxit*, in ipsis
Uniri mandans dissona quæ fuerant.
Addidit his etiam nouiter quæ congrua duxit,
Pauca quidem numero valde sed utilia.
Cunctorumq; sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.
Nec non *quæ veterum depromunt prælia Regum*,
Barbara mandauit carmina litterulis.
Cœpit & ingenii totis cum viribus acris
In linguam propriam vertere Grammaticam.
Ardua Philosophis etiam res hæc foret, artem
Ad hanc sermonem cogere barbaricum.
Talibus à studiis non regni maxima cura,
Non ætas grauior, tum reuocauit eum.
Computus annalis fuerat notissimus illi,
Quem rimabatur mente satis vigili.
Sydereos ortus, cursus, obitusq; notabat,
Nullus eum punctus Zodiaci latuit.
Et ventis bis sex, totidem quoq; mensibus ipse
Francorum lingua nomina composuit.

Illi

Illi namque prius menses dixere Latinis,
Et *partim lingua nominibus propria.*
Ventorum vero proferre vocabula tantum
Nôrant eloquio quattuor ante suo.
Nonne vides, quantum sudârit in artibus istis,
Prælia vix ab eo quæ libet acta putes?
Rursus si numeres ejusdem bella, triumphos,
Armis tot regna subdita; tot populos,
Otia mireris, quando vel parua legendi,
Vel (16) quod discendi contigerit spatium?
Cum operis differs hujus finire laborem,
Dum Caroli trepidas dicere, mens, obitum,
Sit licet hoc nobis mœstum, sit triste, sed ordo
Exigit, idque nihil nos reticere juuat.
Quin potius dulces lachrymæ lugentibus esse,
Atque sui gemitus ipsa querela solet.
Ipsius ut regni Hludouicus filius hæres,
Et consors factus, patre jubente, fuit,
(Namque hunc Augustum sumto diademate dici,
Ut regeret secum, jusserat Imperium)
Ipse dehinc morbo pariter defessus & æuo,
Alterius vitæ tendit ad introitum.
Venatum tamen ex aula perrexit Aquensi,
Autumni lapso tempore jam medio.
Hinc in prædictam rediens se contulit aulam,
Disponens in eo tunc hyemare loco.
At mensis veniens Jani de nomine dictus,
Acribus hunc subito febribus implicuit.
Abstinuitque cibis, statim sic pellere morbos,
Vel saltem leuius ferre suos solitus.
Sed dolor accedens lateris, jam tempus adesse
Ejus decessus fecerat haud dubium.
Cumque dies senos decumberet, inde secutus
Septimus huic vitæ ultimus extiterat.
In quo percepto venerando corpore Christi,
Adjungi meruit ciuibus æthereis.
In templo situs est ibidem, quod condidit ipse
Quali cum luctu nemo referre valet.
Post octingentos Christi nascentis ab ortu
Hic annus quartus extitit & decimus.
Ipse *die quinta* decesserat *ante Calendas*
Mensis, *quo Numa rex Februa constituit.*
Multa propinquantis fuerant præsagia finis,
Atque rei tantæ congrua prodigia.
Denique defectus Solis Lunæque frequenter
Annis continuis contigit ante tribus.
Septenis autem color est in Sole diebus
Visus, lucigenam commaculans faciem.
Porticus immensæ molis collapsa, repente
Aulæ jam dictæ omne decus minuit.
Quemque decem Rheni pontem construxerat annis,
Horis consumsit flamma tribus penitus.
Nam nisi quæ labens fluuius subtraxerat igni,
Hastula nec saltem parua superfuerat.
Ipseque Danorum contra Regem Godefridum
Ultima disponens bella senex agere,
Ibat per patriam multo cum milite nostram,
Exiit & castris exoriente die.

(16) *quid*

Nam tum pallenti spargebat luce serenum
 Aëra sol superis partibus appropians.
Cernitur à cunctis subito delapsa ruisse
 De cœlo species syderis igniuomi,
Vibratamque facem longo traxisse volatu,
 Donec in læuam decidit ipsa plagam.
Hoc admirantem sonipes, quo vectus abibat,
 Elisit casu præcipiti grauiter.
Denique regalis chlamydis hinc fibula rupta,
 Disruptusque simul baltheus est gladij,
Excussumque manu telum, quod forte gerebat,
 Inuitus longum jecerat in spatium.
Præterea tremor hoc aulæ prædixit Aquensis,
 Terrificans cunctos motibus insolitis.
Idque domus Regis crepitu laquearia crebro
 Tactaque signabat fulmine Basilica,
In qua per gyrum lucens epigramma canebat,
 Aedem quis tantam condiderit Domino.
Idcirco Carolus Princeps ibi commemoratus
 Extremi versus in serie fuerat.
Sed quibus est scriptum, Princeps, mirabile dictu,
 Sponte sua penitus dispereunt apices,
Deletique sui vestigia nulla relinquunt,
 Mensibus haud multis ipsius ante obitum.
Quod quia vis quædam cunctis incognita fecit,
 Tristitiam multis omen hoc intulerat.
Iure mori doluit signis exterritus orbis
 Hunc, cui post similem non habiturus erat.
Sed nec in antiquis ducibus, seu Regibus, illo
 Omnimodis quisquam clarior enituit.
Romani multis ducibus, multisque sub annis,
 Italiæ populos vix sibi subdiderant.
Vnus hic in spatio perpauci temporis omnem
 Subiecit victor, disposuit Dominus.
Adde tot Europæ populos, quos ipse subegit,
 Quorum Romani nomina nescierant.
Ob hoc mirificos Caroli qui legeris actus,
 Desine mirari historias veterum.
Non Decij, non Scipiadæ, non ipse Camillus,
 Non Cato, non Cæsar major eo fuerat.
Non Pompeius huic merito, vel gens Fabiorum
 Præfertur, pariter mortua pro patria.
Terrea forsan iis fuerit par gloria, sed nunc
 Cœlestis Carolus culmen honoris habet.
Illic Dauidicæ pollet virtutis honore,
 Cum Constantino atque Theodosio.
Illic antiquum gaudet, quod vicerit hostem
 Eripiens multos ipsius à laqueis.
Illic congaudent illi saluata per ipsum
 Munere Christe tuo millia spirituum.
Quis numeret, quantas animas, dum credere fecit
 Saxonum populos, reddiderit Domino?
Quot nunc Ecclesiæ fulgent, vbi fana colebant
 Antiqui, quot sunt structa monasteria?
Quot laudes in eis, vel quot tibi vota fideles
 Reddunt, tot Carolo præmia, Christe, dabis.
Iudiciique dies cum venerit vltima magni,
 Qua reddes omni quod meruit homini;
O quam lætus erit, sibimet commissa talenta
 Præsentans grandi multiplicata lucro?

Nullus Apostolicis tunc jure propinquior illo,
  Vt res ipsa docet, cœtibus esse valet.
Nam cum Iudaico præcesserit agmine Petrus
  Stipatus, cuius dogmate crediderat:
Paulus totius, (17) licet si dicere, mundi
  Gentes saluatas duxerit ore suo:
Andreas populos post se producet Achiuos,
  Ioannes Asiæ proferet Ecclesias:
Mattheus Aethiopes, niueos baptismate factos,
  Indorum Thomas ducet ad astra greges:
Tum Carolum gaudens Saxonum turma sequetur,
  Illi perpetuæ gloria lætitiæ.
O utinam vel cunctorum sequar ultimus horum,
  Qui nostri salui de populo fuerint!
O si Christe velis hædum transferre sinistrum,
  Me pius ut dextris consocies ouibus.
Quo non mortalis psallam tibi carminis odas,
  Sed laudem valeam dicere perpetuam. Amen.

(17) *Sic & in Manuscripto, forte,* liceat.

VIII.

Vita S. IDAE, conscripta ab Uffingo, Monacho Wertinensi.

Prologus Autoris.

PIUS humanæ salutis provisor Jesus Christus, qui operarios suos adhuc in vineam suam mittere non desinit, diversis ab initio Ecclesiam suam sublimavit honoribus: dum innumera quoque gentilium voluit sanctorum suorum florere patrocinia, nec ullam terrarum partem donorum cœlestium esse expertem; de quo scriptum est: Reipsa comperio, quòd non sit personarum respectus apud Deum, sed in quavis gente, qui timet ipsum, & operatur justitiam, is acceptus est illi. Quod utique iam vespere mundi in beatissima Dei famula *Jda* completum esse comperimus: Cujus (si Deus annuerit) sanctitatis indicia signorum stipulatione subnixa, prout possumus, enucleare gestimus. Quæ videlicet veneranda Christi ancilla, summo inter suos loco nata, tempore *magni regis Caroli* claruisse refertur. *Ex regali* scilicet *indole* sanctarum virginum *Odiliæ*, & *Gertrudis filiæ sancti Pipini* quarum, si quis sanitatis indigus, salutiferas lipsanas frequentat, testem se protinus recuperatæ sentiet sospitatis. Hæc itaque, ut in sequentibus dicemus, licet conjugali lege constricta, nihil tamen cœlestis sponsi prætulit amori, & ideo non solum nullum pudicitiæ & castitatis damnum pertulit: immo centesimum fructum supernæ mercedis, cum primæ horæ conductoribus, vitiorum victrix, percipere meruit. Hujus permulta miracula vel antiquitate temporum, vel scriptorum inopia obliterata, nobis manent incognita: illa vero quæ à personis idoneis divulgata didicimus, modernis temporibus visu simul & auditu propalata, quamvis obtuso ingenio & imperito sermone, veraci tamen & simplici relatione, beatæ Jdæ comite interventu, conabimur explicare. Illorum nanque in veteri testamento non refutatur oblatio, qui post aurea & argentea, quæ à divitibus in domo Dei offerebantur donaria, pelles etiam rubricatas & pilos caprarum devota mente in thesauros Dei ad usus legitimos transmiserunt. Ob hoc, summoperè hujus codicilli lectorem obsecramus, ne si quid in hoc opusculo incompositius indoctiusve grammatico incedit tramite, temeritatis notam nobis opponat, qui fortiora nobis aggressi, de ignaviæ nostræ nidulo saltem ad lucem respirare audeamus. Cæterum de genere stylus lineam historicæ prosequitur veritatis, cujus hinc felix sortiemur initium.

CAP. I.
Succincta de præfecti Egberti morbo narratio.

EO tempore quo victoriosissimus Imperator *Carolus Saxonum & Francorum* sceptra, multarumque gentium frena feliciter gubernabat, expeditio exercitus, propter Galliarum seditionem, in Occidentem dirigitur: vbi tunc inter alios Orientis proceres, *præfectus quidam Egbertus* nomine advenisse dicitur, qui gravissimam ibi incurrit ægritudinem. Cùm autem invalescente morbo penitùs se ab hac præfectura subtraheret, Imperator illum cuidam de suis summis ipsius loci primatibus procurandum diligentissime commendavit. Erat enim prædicto Augusto, præ invictæ constantiæ & prudentiæ præconiis, non mediocriter acceptus. Perlato ergo ad hospitium magna humanitate servitur, quia & hanc eius infirmitatem, non ad vitæ perniciem, sed ad rerum sequentium consummationem, ex divina (ut liquet) prædestinatione credimus evenisse. Erat præfato Comiti, apud quem hospitabatur, unica filia, unicè sibi dilecta, venusta fronte & egregia forma, quæ in tantum ægrotanti est compassa, ut per seipsam aliquoties illi obsequendo, quantum suam personam decuit, & eius hulcera oppalparet, & congrua doloribus exhiberet fomenta, cujus ipse solatio valde delectabatur.

CAP. II.
De recuperatione sanitatis Domini Egberti.

INterea Imperator rebus in tutum compositis, victor reversus, *præcellentissimi sui Comitis* haud immemor eandem, qua illum pridem reliquerat, civitatem visitandi adiit gratia. Eumque iam per Dei salvantis gratiam & clementiam valentiorem, auraque animatum aëria, reperit. Dumque mutuo aliquandiu colloquio fruerentur, inter sermocinandum *illustris vir Egbertus*, de præfatæ virginis nuptiis, principi suggessit: ut eius consilio, immo Dei auxilio, hujus consequeretur effectum. Princeps vero de ejus recuperatione, simul & postulatione multum gavisus, & suum ad hoc assensum & parentum adeptus est favorem, deditque illi in eisdem partibus multas possessiones de publico, quatenus viciniori potentia soceris acceptior factus, non minori apud illos quam in genitali solo præcelleret dignitate. Insuper etiam cunctis *Saxonibus, qui inter Rhenum & Vuisurgim maxima flumina inhabitant, ducem præfecit.* Post hæc sponsam suam Christianissimam, ipse admodum religiosus, cum Dei timore suscepit; & ab omni illa parentela honorificè dimissus, ad sua commigrare decrevit, semper ad mentem revocans, quantos cœlitus successus in illa peregrinatione sit adeptus, multasque Salvatori Deo gratiarum reddidit actiones.

CAP. III.
De hoc quod in somnis Angelum audivit de situ loci.

QVadam die dum adhuc itineri insisterent, venerunt ad locum quendam juxta *Lupiam* flumen, qui Saxonica lingua *Hirutfeld* nuncupatur, amœnis nemoribus consitum, ibique inventa non magna planitie, vespertino jam incumbente crepusculo, tentoria fixerunt, lassisque ex profectione somnos dabat herba salubres. Omnibus itaque alto sopore depressis, venerabili matronæ *Idæ* Angelum suum in somnis Dominus mittere dignatus est, qui post multa, quibus eam instruxit, monita, oratorium ibidem ex suis sumptibus construendum prædixit, ubi Domino quandoque liberius deserviret, postque hujus vitæ cursum consummatum illic ei Dominus remunerationis æternæ locum quietudinis unà cum viro suo præsaga voce promisit. Illa mox divina tacta compunctione, dum primum mane illuxit, domino suo, quæ angelico relatu didicerat, plenissimæ expoluit, à quo statim, qualiter ista animo ejus viderentur, gratulabunda sciscitatur. Qui dum verbis fidem ad omnia accommodaret, beata Ida solotenus inclinata Domino, ut felicia cœpta ad calcem usque perfecti operis perduceret, submissa voce rogabat. Non multo post in loco supradicto, ubi quondam densissima sylvarum obductione astra ipsa occulebantur, lapidea Basilica, opere polito construitur, ac in sanctæ Mariæ genitricis Dei honore, sanctique Germani Episcopi consecrata est.

CAP.

CAP. IV.

Quando in provinciam Dreni pervenit.

AD illum nanque dicatum locum, qui est in *pago Dreni* in *Lupiæ* fluminis ripa, nonnulla *illustris viri Egberti* prædia respiciebant, ubi Deo dilecta matrona *Ida* frequentius commorari & semper recentibus in Dei cultu laboribus intentissime consueverat insudare. Studebat nihilominus ex occasione copulæ carnalis Deo, quæ Dei erant, reddere, sic forinsecum amorem temperare, ut nullius levitatis nævus rigorem animi ejus potuisset obfuscare. Si enim, ut apostolicus sermo sonat, sanctificatur vir infidelis in muliere fideli: quanto magis vasa paria sanctitatis, alterutris emicant suffulta virtutum instructionibus? Quid super hoc convenientius profertur, quam duobus in carne una, unam inesse spiritus sancti indiscissam operationem, quæ illos deforis connubiali jure connexos, ardentiori cœlestium intus inflammavit amore.

CAP. V.

De obitu Domini Egberti.

NOn paucis post hæc annis elapsis, militiæ suæ penso expleto, Dominus *Egbertus* vir in Christo honorandus, humanis rebus excipitur, cujus spiritus mox cœlorum palatinas sedes beatus hospes promeruit obtinere. Post cujus migrationem beata *Ida* quam districte tenerum corpus arctaverit, difficile dictu est: Quippe quæ totum spatium, quod residuum fuit huic incolatui, incredibili & paucis imitabili duxit abstinentia, nunquam mentis propositum à Dei cultu relaxans. Secundum Apostoli dictum, mortificavit membra sua super terram ab omni illicito appetitu ventris & linguæ, omnemque eximiam pompam gloriæ, qua delicatissime fuerat educata, ad nanciscenda laborum suorum emolumenta feliciter immutavit. Quæque vero de redditibus in matrimonio ejus annuatim reservavit, ea ad pauperum usum in cælestes apothecas reposuit, metuens ne parce seminans, parce & meteret: propterea seminavit in benedictione, quod in posterum centenis manipulis in area universalis messionis lætabunda trituravit. Et ut supernorum meditatione arctius occuparetur, in præfatæ ecclesiæ plaga meridiana, contiguam ejus parieti porticum construxit, in qua remotius orare & à vulgari strepitu immunis conversari posset, ubi dominus Egbertus laudandæ memoriæ conditus pausat.

CAP. VI.

Quantis profectibus sancta Ida vitam suam ornaverit.

MArmoreum sibi sarcophagum longe ante obitum jussit præparari ob incerti temporis momentum, quem duabus quotidie vicibus, quandiu supervixit, diversis alimentorum aliarumve rerum impensis summotenus implevit, & victu carentibus hilariter distribuit. Vere beata, quæ intellexit super egenum & pauperem, & fregit ei panem suum, ut in die mala liberet eam Dominus. Excubiarum & orationum privata studia, quæ satis digne textus descriptio delineabit? Sufficiat tantum humanæ curiositati, de his quæ foris gessit mirari. Ea vero quæ sub obtentu exteriorum in solius Domini prospectu clandestinis sudoribus peregit, cujus urbana sufficiat enarrare facundia? Theoricæ quippe intenta disciplinæ, nunquam extra januam, quam incoluit cellæ, pedem fertur amovisse: salvo eo dum inopum stipendiis deserviret, semper factis imitans, quod scriptum est: Redemptio animæ, propriæ divitiæ. Talibus virtutum prærogativis sacrosanctum suum adornavit velamen. Nec non inter agendum cautissime studuit popularem vitare favorem, firmissimam in Cœlis spei anchoram figens, fragosa seculi obstacula fidei thorace, quasi tuta carina tranavit, ut ad plenam perfectionis (quæ Deus est) pertingeret charitatem.

CAP. VII.

Quomodo de hac vita transmigrarit.

HIs ad desiderabilem finem perductis, cum remunerator omnium Deus turturem suam ad altiora volare disponeret, ut post tristia lethi, in arduis Cœli excellentius nidificaret, molesta vitalium valetudine acriter pulsata, horam præsensit ultimam. Et accito presbytero suo nomine Bertgero, sibi justis ex causis fidissimo, pluribusque servis Dei, preces eorum ex-

expostulat, utque in ipso pausæ suæ articulo ducatum viæ ad Dominum illi impetrent, profusis lachrymis precatur. Factum est, oratum est, de cœlis auditum est, quod jam olim prædestinatum est. Hac reverenda orationis clausula carnali fasce laxata, spiritum amatori suo Christo transmisit, beata perennitate cum cœlicis agminibus in æthere fruiturum. O inexhausta salvatoris largitio, quam magna super omnia ejus miseratio, sine cujus nutu nec folium arboris incassum defluit, cujus immissione tam sublimium natalium propago, cunctis quæ illicita essent rejectis, veræ viti inhæsit, ut in regno Dei multorum palmitum vindemias carpere mereretur. Positum est autem sacrosanctum corpus cum piis laudibus in arcam saxeam, quam supra retulimus, & in ipsa porticu, qua se divino cultui mancipavit, honorifice tumulatur, ubi attestantibus medelis, qualiter apud Deum habeatur, lucidissime eatenus comprobatur.

CAP. VIII.
De Bertgero presbytero, & obitu ejus.

ERat autem præfatus *Bertgerus* ex illorum contubernio, quos beata *Ida* primum de Galliis secum aduexerat, vir religiosæ conversationis & probatæ castitatis: Quippe eorum disciplinis informatus, qui in lege Dei sui sine querela incesserant, qui etiam ipsam ecclesiam & sacra mausolea, aliquot annis strenuissime divinis humanisque obsequiis excoluit, honoravit, & venustavit. De quo & illud per fidelium ora diffamatum est, quia inter cætera gravitatis ejus insignia nunquam in suis tectis muliebrem personam aut commorari aut domesticis usibus inservire consensit: ideoque contra æmulum dimicans castitatis, omnem occasionis aditum non solum præcavere, sed & radicitus extirpare curavit. Cui etiam ob tantam cordis innocentiam à Deo collatum esse fertur, extremam vitæ horam præscire, quod eo magis liquet, quia ipso, quo obiturus erat, die, Missarum ex more sacramenta consummavit, ac mox Dominico consignatus viatico, in ipsis vestibus sacerdotalibus ante sanctum altare animam reddidit creatori, & prope sanctæ Idæ tumbam digne humatus est. Ut enim tam medicabilis glebæ consortium obtinuerit, magnum quoddam fortasse, quod eum commendaret, justitiæ meritum præcessit.

CAP. IX.
De effossione infantis.

POst hæc autem cum ipse locus ab aliis hæreditaria successione possideretur, &, ob præsidentium incuriam, vilitatibus obsolescere coepisset, continuo benignus Dominus sanctæ famulæ suæ merita Idæ, ad castigationem improborum, terribili patefecit eventu. Nam præclari *Comitis Ludolphi* amabilis soboles, dum adhuc in albis ab hac luce raperetur, ad eandem ecclesiam defertur. Et quia sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicuit, penes eam pusionem sepelierunt, qui die sequenti de tumulo extractus, ante januam vestibuli invenitur, in quo erat inclusus. Stupefacti, quibus res erat commissa, corpusculum denuo pristino loco abdiderunt, quod nihilominus invisibili iterum violentia eminus projectum repererunt. Obstinatis ergo animis incassum laborem præstigiis imputantes, tertiam vicem audenter auxerunt. Sed in vanum vires expenderunt: quia quod hesterno labore fuerat oppilatum, tunc in extremo atrii angulo viderunt evulsum. Quo demum pudore mulctati, ibidem terræ comiserunt. Hoc prorsus formidabili portento claruit, quanta provectione beata Ida in cœlis utatur, cujus sepulchrum Deus nullo carnalis corruptelæ fœtore in terris zelatus est maculari.

CAP. X.
Oratorium beatæ Idæ à paganis non potuit concremari.

EA tempestate, qua *Hungariorum gens* detestanda cuncta incendio absumpsit, præfatæ quoque sanctæ Idæ oratorium nefanda legio adiit; cruces, capsulas, & omnem ornatum ecclesiasticum deprædati sunt. Deinde in altiora scandentes, focos nonnullos in laquearibus construxerunt: sed virtute Dei carbo sopitus, nulla flammarum incrementa haurire valuit, excepto quod raras quasque tabulas insidendo peredit, per quas sine mora in inferiora dilapsus est. Huic operi frustra incumbentes pervicaci conatu nolarium aggressi sunt, campanas saltem depposituri: sed ad has invanum cucurrerunt, quia eas nullis argumentis enodare potuerunt. Hi nanque (ut legitur) ignorant justo, sed semper vivere rapto, omnia sub fraude deducunt tempora vitæ. Tandem victæ pertinaciæ & virium elumbes effecti, aliquid ibi esse divinitatis suspicati

cati sunt: ac mox solius fugæ cupidi, pedibus talaria nectunt. Quæ autem vi diripuerunt, post illorum fugam in castris reperta sunt, & suo loco incolis omnia restituta. Tunc omnium ora in laudes summi protectoris generaliter prorumpunt, dum tam evidenti indicio sanctæ Idæ præsidia præsentialiter cernunt.

CAP. XI.
De muliere quæ vestem clam surripuit.

DUm igitur radios sanctitatis ejus latius favorabilis fereret rumor, multique ob experiendæ salutis votum, ad sepulchrum illius confluxissent, forte accidit advenientibus viatoribus sarcinulas suas foris porticum deponere, ut quid quisque ex suo deferendum haberet, liquidius perspecto, post expeditior ad procedendum fieret. Quædam autem ex illis muliercula dum sua marsupia evacuare cœpisset, stimulis cupiditatis agitata, comiti suæ furata est camisiam: & aliter eam occultare nescia, sub propria obstruit veste, seque simulata religionis specie orantibus miscuit. Illa vero quæ damnum accepit, cuncta oculis pervagando, hostilem faciem citius deprehendit, ipsamque ream sceleris coram omnibus impetere cœpit. Tunc infelix fœmina amenti simillima, quo se verteret, æstuat anceps, fugæque confidere, tutissimum rata est esse consilium. Fit virorum constipatio, ubi talis auditur acclamatio. Jamque illa miserrima (spatio evadendi adempto) sepem, qua cœmeterium ecclesiæ ambiebatur, moribunda insiluit, quæ mox acutissima suda transjecta, intestinis omnibus eviscerata, ibidem patrati sacrilegii pœnas luit, cunctis hominibus horrendum præbens exemplum. Dispari quippe vice tale commissum expiari crederetur, si non scelus solummodo, sed & dehonorationem loci, cœlestis severitas zelaret. Sicut enim uberior ex hinc animis ratione junctis compunctio, ita e diverso inertibus & temerariis major confusio & horror incussus est.

CAP. XII.
Restitutio aridæ manus mulieris.

IN provincia *Dreni* mulier fuit, *Eggua* vocitata, cui dextera manus in volam plicata ac pene fuerat arefacta, & ob hujusmodi incommodum multos annos feriata, cui quadam nocte in somnis dictum est, ut instar semivivæ manum ceream formando exprimeret, & ad sanctæ Idæ tumulum deferret, ibique orationum continuaret instantiam. Quæ ilico intellecta veritatis serie, iter optatum maturare haud segniter cœpit, plantis agilitatem voti aviditas ministrat, æstuatque currendo longos breviare calles. Quo dum festinato veniens, luctuosis singultibus opem medicaminis flagitasset, & luminaria ob sanctorum reverentiam, propter quos, & ad quos venerat supplicatura, accendisset; salubriori usa consilio, ibidem pernoctandi permissum impetravit, ac mox solitum manus vigorem secundum præsagam sponsionem per Dei auxilium ex integro recepit. Sentiens vero postmodum sese majore quotidie inedia premi, eo quod pridem sub mendicitatis obtextu, non stipem tantum, sed & quæstum adipisci consuesceret: diabolicis tendiculis irretita, finitima rura deserit, & ubi facile dignosci nequiverat, nefaria simulatione manum mentitur uncam. Nec talis ultorem mali Dominum latuere doli, cujus justo examine ultronea fraus haud impune præteritur: nam mox recenti dono frustrata, in pristinum deformitatis statum, ut prius suapte, sic tunc redigitur coacte. Aequa utique vice tanta libratur pervicacia, ut quæ dono Dei pauperior fieri verebatur, geminum postea experiretur.

CAP. XIII.
De curatione hydropicæ.

ADducta est etiam ad eundem locum alia mulier hydropica valetudine horribiliter affecta, quæ tantum distento tumuit ventre, ut vix per ullum ostium præpediente mole corporis potuerit efferri. Magna ergo difficultate sacram ædem intrantes qui illam eo evexerant, nocturnas ibi excubias cum ipsa & pro ipsa celebrant, lachrymis sepulchrum precibusque æthera pulsant. Nec dum postera illuxit aurora, & totus lethalis humor de illa fœtidissima lacuna effluxit, & omne pavimentum, ac si de grandi tumba aqua everteretur, excussa pervudit alluvies. Quæ statim laxata cute & ventre vacuato ita levis est effecta, veluti nunquam tam enormis sarcinæ fastidia protulisset. Ad sua deinde plus solito gratulabunda rediit, quæ olim hanc exosa lucem jam in extrema pendebat margine lethi, nec ultra per sanctæ Idæ merita istiusmodi infestabatur passione.

CAP. XIV.

De sanitate, quam monialis quædam ibi consequuta est.

VIculus est non grandis in *Nordegoa Seudinon* vocatus, ubi quædam sanctimonialis *Vuerensuidis* nomine, honeste inter suos opinionis habebatur. Hæc articularium compaginum destitutione per quinquennium anxiè torquebatur, & quocunque necessitas viarum medendi causa appulit, aut *sago* vel alio gestatorio portari consueverat. Cui etiam Angelico oraculo in visione præcipitur, salutifera venerabilis Idæ limina petere, & nullam reformandæ sospitatis diffidentiam, fide comitante, habere. Hac revelatione multum exhilarata, fratrem ilicò suum, omnesque, quos poterat, consanguineos accersivit, quale sibi consilium, divinum contulerit vaticinium, alacriter explicat, & ut cupito itineri ocyus subvenirent, æstuanter precatur. Favent cuncti ejus suggestionibus, ad fertilem signorum deducta est locum, & diem illum ac noctem in orationis studio pervigiles expenderunt. Cum verò jam dies albescere videretur, cœpit pristina virtus sensim reviviscere per venas, fibrarum connexio dissociatos conglutinat artus, totaque compositio membrorum iteratò revertitur. Missarum deinde precibus inchoatis, tantum roboris accepit, ut per se ipsam oblationes presbytero reddere, & psalterium propriis potuisset manibus retinere. Prodiit mox in publicum tam stupendum miraculum: ab utroque sexu mixtim concentus attolitur, tantoque propensius, quanto magis sanctæ Idæ Dei ancillæ suffragia visibiliter agnoverunt. Remeat mulier insueto gressu ad currum suum, (erat enim de nobilibus) & parvo post momento perfectè recuperata convaluit.

CAP. XV.

De eo qui auditum perditum recepit.

IN pago *Pedargoa* homo quidam cephalargiæ concussione nimis vexabatur, ex cujus intolerabili infestatione per totum decennii spatium auditus privatus fuerat usu. Quem in somnis (ut ipsi videbatur) venustæ formæ & nivei amictus fœmina compellat, quæ eum Crucem ligneam moliri, in qua capitis sui imago figeretur, clementer edocuit, quam ad sæpe dictum oratorium cum amicissimis sibi fidelibus pro sui deferret restauratione. Expergefactus de somno, jussa perficere non distulit, & fido comitatu, quo fama sanitatum proditrix persuaserat, cursum flectere cœpit. Jam verò mediantis viæ terminum transgressi, sinistræ quidem auris obturatio reseratur, altera adhuc prisco stupore conclusa, & per hoc mirabile indicium meliora ausi sperare, residuum viæ, Kyrieeleison cantando, peregerunt. Ad atrium interim psallentium turba pervenit, dum eccè dextera auris subito crepuit, veluti sarmentum torridum subito frangeretur, ita ut è vicino adstantes stupore hebetati, hunc ibidem conjectarent supremo vitæ periculo citius occasurum: à quo crepitu mox tabifluus de aure humor cœpit emanare, totaque discessit sanies, donèc venenoso liquore penitus egesto, redivivo rursus auditu donatur, veris eventibus somnii assertionem in se ipso expertus. Hoc certe miraculum non rarus quilibet inspector, sed omnis pene plebecula, quæ ad ecclesiam solenniter cursitavit, ad declarationem meritorum beatæ Idæ cognovit ostensum.

CAP. XVI.

De cæca illuminata.

COngruit superioribus miraculis illud quoquè, quod sub præscripti oratori religioso presbytero Bilone ad nostram notitiam per multorum ora volitavit. Tempore quodam cùm plurimi ad easdem dicatas reliquias catervatim confluxissent, mulier capta oculis etiam interfuit, quæ eo magis præ cæteris intentiùs oravit, quo visibilium rerum majori affligebatur dispendio. Cùm verò missarum celebratio circa horam tertiam ageretur, cœpit illa magnis precibus circumstantes exposcere, ut presbyterum ad se facerent venire: quo præsentato, sic eum mulier percontatur: Est ne (ut reor, aut visus me fefellit) quòd alba & stola nunc sis indutus? Ille, ità ut dixerat, veraciter esse affirmavit. At illa, & ego, inquit, nec talem vestis candorem nec ullum omnino colorem per XX. annorum curricula merui videre, sed nunc per sanctorum istorum patrocinia clarè præsentem hîc populum cernere possum. Dum hæc illa retexeret, intenti omnes ora tenebant. Et eccè sanguineæ lachrymæ per genas guttatim effluentes, totam faciem cruentabant, novamque lucem degener

gener albugo oculi aufugit. Tali ergò ordine acutissimis luminibus potita, universos qui aderant, & beatæ Idæ sanctitatis, & propriæ sanitatis reddidit testes.

CAP. XVII.
De dæmoniaco curato.

CUm festum pentecostes celebratur, major frequentia hominum, quam aliis temporibus, ad locum hunc annuatim confluit. Quo tempore dum ad Missam sanctum recitaretur Evangelium, dæmon atrocissimus unum è turba ephebum infesto ausu violenter invasit, & in conspectu omnium horrendis agitationibus & grunitibus vexavit. Quem mox non parva juvenum constipatio, donèc Missæ preces finirentur, magna difficultate detinuit, eumque, licèt totis conatibus reluctantem, ad memoratum traxerunt medicabile sepulchrum. Tunc presbyter populum ad vota confugere, subsidia ac sanctæ Idæ fidele patrocinium admonuit implorare. Fit mox jugis instantia precum, ferit æthera clamor, nec antè ab incepto cessatum est opere, quàm spurcissimus prædo mancipium Christi deseruit, seque garriendo vacuas recepit in umbras. Quæ enim (ut scriptum est) societas luci cum tenebris? quæ verò familiaritas vasi iniquitatis cum loco sanctitatis? Hinc fidelium cordata sagacitas perpendat, quantæ dignitatis eminentia ejus spiritus apud superos sit præditus, cujus cineres diabolicam pervicaciam suis sedibus potenter eliminant.

CAP. XIIX.
Qualiter fœmina curva subitò sit erecta.

ALio quoque tempore, ad easdem reliquias mulier quædam, nomine *Vverinhild*, in carruca transvehitur, quæ ità nervis contractis & inclinis erat, ut pectus genibus videretur inhærere. Pedes quoquè deformi specie habebat in posteriora transversos, undè dolendum cernentibus præbuit spectaculum. Ubi dum æffetas corporis vires intentissimè supplicando fatigâsset, succedente aurora, cùm jam Phæbea lampade nemorum cacumina rutilare cœpissent; repentè in genua sursùm erigitur, & integerrimè restituta est sanitati. Miratur fœmina peregrina vestigia, novis incedens plantis: ibique nacta occasione mansitandi, non paruum tempus, in sanctæ Idæ famulatu resedit.

CAP. XIX.
De mulieris sospitate restituta.

CIvitas est in Saxonica quæ *Sosatium* appellatur, commanentium populorum frequentia nobilis, ubi etiam mulier de Sclavorum gente oriunda fertur commorari, quæ toto triennio tantam debilitatem à genibus usque deorsùm pertulit, ut steriles artus ob diuturnam infirmitatem jam frigescere viderentur. Trahebat misera per terram inutile pondus, ac propriis privata incessibus, duorum baculorum sustentatione pedum vice utebatur. Quæ dum beatissimæ Christi famulæ præconia ceu solis radios longè lateque dilatari & omnigenis necessitatibus profutura perdisceret, restitutionis suæ sanitatis ipsa etiam cupida, assumptis secum cereis, ad destinatum locum non sine maximo labore pervenit. Oblatis ergò suis munusculis, cœpit reptando manibus sacratam glebam appetere, crebris eiulatibus anhelum trahere & devotè tundere pectus. Cujus protinus votis divina medicina adfuit fecundandis, & quid ab electa sua vernula miserandæ fœminæ affectio extorqueret, propitia Deus aure suscepit. Surgens nanque ab oratione, solidatis substitit talis, & naturalis calor renascentem cutem revisit, ac prisco omnia lætantur robore membra. Hoc optativo modo desiderii sui compos effecta, dignas liberatori suo Christo retulit grates, cujus citissima ope, curationis suæ efficaciam, beatæ Idæ medentibus meritis, consequuta est. Baculos verò, quibus olim innitebatur, ob monimentum rei posteris diffamandæ, ad fores ecclesiæ suspendit, & ad sua gaudens recurrit.

CAP. XX.
De eo qui omnibus membris erat contractus.

NEc illud silentio tegendum esse miraculum suspicamur, quod ad nos usque, fama divulgante, rata fidelium assertio transmisit. Non multorum post hæc interjecto dierum spatio, homo miser & miserabilis ad supra memoratum absportatur capacem signorum tumulum, cujus facies ad genua usque, quadrupedum more, prona ad terram ver

vergebat, reliquis nullo usui habilibus membris. Hujus dedecoris damnum per nonnullos pertulit inglorius annos, mortalibus horrendum visu portentum ostentatus. Is etiam medicanti tumbæ appositus ore (quod solum potuit) & sensu, ibidem statûs sui orbitatem luctuosè conquestus est, & eos, quibus infractionis suæ angor propter Deum mentes permulserat, ut ita facerent, cohortatur. Movet intuentes ejus lugubris exoratio, & tam dira corporis enervati dehonestatio: fundit generatim preces eo quisque fructuosior, quo corde compunctior, sicque pro uno, unum omnis interpellat Deum. Istiusmodi autem oratiunculis prælibatis, non distulit fœcunda Domini clementia per sanctam suam tyrunculam destituto homini medelam impendere, quæ Dominicis jussis, quoàd viveret, sua nunquàm destitit colla mancipare. Explicito nanque deprecandi studio, dum singuli se subrigere cœpissent à pavimento, vitali quadam intrinsecùs perfusione corpus ejus, ut ipse asserebat, concaluit, & petita solus leviter per membra cucurrit. Hac incognita cunctis delibutione repentè cataplasmatis vires resumpsit insuetas, & humana effigie flexilis artuum compago decoratur, donèc Domino favente sensim se erigere cœlumque videre cœpit, simul & erectos ad sydera tendere vultus. Magnis ergò gratiarum laudibus Salvatori Deo persolutis, ad propria incolumis remeavit magalia.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Quòd signis S. Idæ nulla scripta sufficiant.

HUjus itaque benedictæ Dei matronæ diversa diversis temporibus enituere miracula, veridicorum testium annotatione suffulta, quæ tantò liquidiùs auditoribus seu etiam lectoribus credenda patent, quanto continuis vicibus visibiles sanitates, hæc attentiùs commendant. Nec enim pristinis temporibus ab afflictorum revelationibus eam feriatam esse confidimus; licèt plurima nostræ notitiæ sint subtracta, quæ illorum, ut suprà memoravimus, presbyterorum videlicet insolentia silendo præteriit, qui non locum, sed quid loco conferretur, avidissimè intendebant: Et quippè usque adeò quorundam ineptia inolevit, ut sacrati pulveris ædiculam flocci pendentes, suis potiùs instituerent repositorium usuris, ac omni penè honestatis cultu derogato, quisque rebus propriis consulens, animum ad alia vagari permisit. Alquorum tamen proteruiam detestandam digna audivimus talione mulctatam. Sed quia vicinis requiei suæ annis ista increverit negligentia, nullus qui virtutum ejus æmulus videtur, fidelis ambigere potest. Ex quo enim preciosus inibi thesarus recondebatur, usque ad venerandi nostri patris *Hogeri* tempora, *sub Rege Arnulpho locus ille juri fuit addictus excellentissimi ducis Ottonis, qui hujus serenissimi Augusti Ottonis extitit proavus*, à quo idem venerabilis Abbas ipsam regiam curtem, aliis repensis possessionibus juxta legalem cambiebat ritum, ac deinceps in nostri conventus proprietate, id est *S. Ludgeri* perpetuò usque in præsens cernitur perdurare. Exindè nostrorum solertia, sancta studiosiùs latibula incoluit, & prioris ignaviæ squalore defecato angustis curavit addere rebus honorem. Tum quoquè intercepta pridèm sanitatum exhibitio, optato plurimis rediit omine, & quotquot hujus muneris rumor adsciverat, Domino secundante reduci certatim abierunt indè meatu. Omnia autem ea velle disserere, quæ eò loci beatæ Idæ opitulamina patrata audivimus, non nostræ opis est, eloquii, sensus, aut sermonis aptè exarare, numerum enim excedunt. Pauca siquidem ex multis huic opusculo inseruimus, imperitiæ nostræ tantùm sufficientia, qui prorsùs Rethoricorum ornamentorum ignari sumus, insipidæ saltèm rusticitatis agresti edulio vix pasci meremur. Sed quantum in nobis est, illius utiquè datum est à quo inchoat esse omne, quod tendit ad non esse. Cujus gratia adjuti, residua adhuc miracula, prout quimus & in veritate sentimus, repetere studebimus.

CAP. II.

Qualiter ædituus pro negligentia sanctorum sit correptus.

RES, quam explicare conamur, illis diebus accidisse refertur, quandò prædictus *Bilo* nondum in presbyterum promotus est, sed apud *Hertzfeldienses* officium custodis administravit, quem in ejusdem gremio loci quandiù vixerat, devotis novimus insudâsse obsequiis. Magno enim illic à primæva ætate delectabatur amore, ac pro virium suarum modulo, si quid potuit, ibi honestatis impendit. Sabbatis quoque & cæterarum festivitatum præcipuis vigiliis ecclesiam verrere, altaria obvelare, cereos accendere, ac beneolentibus herbis

herbis spargere humum consueverat. Quem hujusmodi obedientiæ sedulò insistentem quadam nocte incognitæ personæ species in somno his verbis severiter affatur: Benè quidem te & utiliter hac in re egisse approbo, qua ecclesiasticis cultibus componendis magnopere deservis, sed valde in hoc tua redarguenda est stolida temeritas, quia egestos quisquiliarum & purgamentorum ab ecclesia acervos ad sanctorum tumulos effundis & salutiferam humum cœnosis sordibus profanare præsumis. Cave ergò, si saluti tuæ consulere velis, ne ulla ibi ulterius dehonoratio loci fiat. Hujus scilicet piaculi se notabilem & ipse publice professus est, & talibus elogiis reprehensum, cum juramento affirmavit. Ille postea caute interdicta vitavit, seque ad comminantis monita emendatiorem in posterum dedit. Hinc benevolus lector diligenter animadvertat, qui sacra monumenta destinato animo profanare præsumit, quanta severitatis censura sit plectendus, si & ipsi culpa impingitur, qui per ignaviam & non per malitiam (quantum nobis conjicere licet) contigua illis loca improvide attrectavit? Ideo perspicuum efficitur, quia Dominus custodit omnia ossa sanctorum, dum ea & in terris manent semper, & in Dei regno sine lethi pavore eorum nomina laudesque manebunt.

CAP. III.

Quomodo infantulus ad tumulum ejus perducitur, & quid de eo gestum sit.

Mulier quædam de Saxonia miserandæ prolis erat genitrix, cujus facies à primo nativitatis ortu ad scapulas reflexa inconvertibili stringebatur rigiditate, monstri cujusdam potius quam hominis prætendens effigiem. Hæc portentuosa deformitas anxiæ matri luctuosa admodum contulit suspiria, & tolerabilius arbitrabatur malum, si nunquam puerperium pertulisset, quam semper succrescentibus curis vixisset. Audita autem curationum gratia, quas per sanctam Idam languentibus Dominus clementer impertitur, dominam suam festinanter adiit, & illi infortunii sui eventum exposuit, atque ut ejus adminiculo cupitum perageret iter, gemebunda poposcit. Paruit illa quo postulantis & quo æstuantis optio compulit, secum mulierem cum transversa sobole adduxit, ac oratione præmissa, domina per se infantulum super altare locavit, hæc subito obortis lachrymis inquiens: Si tua apud Deum interventio, ô beata Ida, hujus pusioli reformationem obtinere dignatur, tuo illum famulatui mancipandum protinus perpetuo jure condono. Hanc ilico sponsionem oratio, & orationem exauditio comitabatur. Nam sub horulæ ipsius interstitio, cunctis intuentibus infantis cervicula repentina ratione reflectitur, vultusque in suum compactus statum decenter ornatur, nulla exhinc prioris damni stigmata monstrans. Minor mox in explendis votis non fuit acceleratio, quam in agendis Deo laudibus acclamatio, ac lætis successibus domum se conferentes, Dei circumquaque magnalia disseminare gaudebant.

CAP. IV.

De eo qui pedem cum tibia habebat ad posteriora retortum.

Accidit quoque tempore quodam adolescentulum alium huc adduci, cui dextrum crus cum pede ita ad posteriora erat resupinatum, ut illud nullatenus ad terram valuisset deponere. Ad hujus miseriæ cumulum sinistri lateris vexationem non modicam patiebatur, ac per hoc omni pene sanitatis spe destitutus, non solummodo debilitatem, sed etiam inutilis membri pondus pro subsidio gestabat. Iste etiam pia parentum solicitudine coram venerabili transpositus urna, generali omnium consilio, voto se obligavit, ut si ambulandi potestate beatæ Idæ intercessione utcumque donaretur, ejus famulitio semet ipsum perpetuo jure offerre non differret: erat enim ex libera progenie natus. His conditionibus prælibatis postquam diu fuit oratum, impressus alieno loco pes paulatim videbatur dilabi: Ossis quoque diutina ligatura laxatur, totaque lateralis compago vitali calore delibuta in pristinum vigorem animatur. Qui deinde processu temporis sanitate crescente, adeo convaluit, ut licet claudicante adhuc pede per se gressum figere potuisset, ac non multo post sine baculi sustentaculo ab eo, quem prius portabat, ipse coepit portari & portatorem suum benigno attrectavit intuitu. Promissi autem sui non immemor, pro resumpta sospitate in eodem loco sanctis serviturus libera colla submisit, ac totum vitæ ævum in beatæ Idæ obsequio expendere decrevit.

CAP. V.

Sanctæ Idæ gloriam, neminem perfectæ enumerare posse.

STupenda summi largitoris magnalia, quibus electos suos in terris mirificavit, ad digne conscribendum valde perplexa videntur, & quantum humana capacitas sensu apprehendit, ab omni indagationis calculo in prima admirationis fronte resiliunt. Si enim humana sapientia (etiamsi omnes suos nervos intendat) temporariam illam claritatem non sufficit de verbo ad verbum suis coloribus depingere, quanto minus ipsam æternam perfectionem delineare poterit? Humanam quippe refugit notitiam, quam magna multitudo dulcedinis cœlestis his præparatur, qui Deum diligunt & colunt in veritate. Interim innumera quoque sanctorum millia, quæ per orbem quadrifidum orthodoxa veneratur religio, multo numerosior eorum æstimatur frequentia, qui mortalium cognitioni subtrahuntur & solius remuneratoris sui obtutibus irradiantur, nec tamen minimus eorum capillus despectui habetur: quamvis enim alii ab aliis propter obscuritatem famæ impariter impari perfruantur honore; omnes tamen pariter pari æternitate sublimantur in astris. Hinc & vernulam suam beatam Idam Dominus sub telluris aggere non passus est ocultari, sed latitantem sub modio lucernam gratissimum multis spectaculum facere decrevit, ut eminentiori loco posita vastiores etiam sanitatis radios eminus dilataret: Saxea scilicet arca, in qua veneranda eximiæ mulieris ossa recondita, terræque fuerunt commendata, invisibili quadam mobilitate sursum cœpit emergere, & quasi violentiam terrenæ molis dedignata, contra prementem se intrinsecus luctabatur, sicque per nonnullos annos sensim erumpendo, sesesque liquido intuentibus ostendit, donec funditus ab humo sequestrata, in superficie pavimenti integra resedit. Tanto quippe deposito idoneum terra non invenit hospitium, unde & ejus non prævaluit sufferre consortium. Quod si quenquam hujus rei quasi fictæ (quod absit) æmulatio tacita angit, testem invitamus Deum, nos plurimos in hac luce vidisse, qui supremum non amplius operculi verticem in sua pueritia apparuisse, & postmodum in id quod nunc cernitur, exuberasse testantur. Si vero huic adstipulationi nec fidem accommodaverit, ecce in promptu habentur ex gratia Dei, quæ dicuntur: si aures illum refellunt, oculorum hæc indicio probet, & probando credulus fieri discat. Miremur ergo & indubitanter venneremur, non fortuitam sed semper essentialem misericordiam Domini, ex cujus præventione tam frugifera apud nos pullulavit oliva, aliorsum enim ista & his similia non interpretantur, nisi qui animæ suæ detrimenta sectatur.

CAP. VI.

Quomodo fama beatæ Idæ etiam Episcopum Dodonem non latuit.

ALiquanta ex parte commemoratis miraculis, per quæ beatæ Idæ sanctitas vicinis populis saluberrima innotuit: non incongruum suspicamur de translatione sanctarum reliquiarum aliquid huic nostræ historiæ strictim inserere: ut unde beati funeris promotio certior, inde auditoribus major religio accrescat. Nec enim scientiæ nostræ gracilima scintilla, laudum illius erit exors, quam ad multorum tuitionem de occiduis mundi partibus in has terras superna perduxit clementia. Cujus etiam inexhaustæ largitati jure imputatur, quod Saxonicis in arvis talis margarita reperta est, ac tam humilem situ planitiem preciosissimis dignatur ditare pignoribus. Hujusmodi miraculum, rumusculis dum plurimorum animos pemulsisset, ad Reverendissimum quoque *Mimigarfordensis Ecclesiæ præsulem Dodonem*, hujus rei notitia pervenit. Tantis ille congratulans bonis, quod vel suis temporibus aut in loco suæ provinciæ subjecto, hæc maxime evenire debuerant, opifici omnium Deo immensas referebat gratias. Unde cum famosior quotidie de his relatio increbresceret, visum est seniori nostro *Ludulpho* eundem præclarum Episcopum precibus convenire, quatenus beatæ Idæ ossa de tumulo in ecclesiam transferre, ac ejus basilicæ consecrationem peragere dignaretur. Hujus exhortationis efficaciam, fratris nihilominus nostri Hugii benevola juvit industria, cui id temporis illis in partibus nostrarum procuratio rerum fuerat injuncta, qui & eandem ecclesiam non modica restauratione nobiliter ampliavit. Cum vero hujus nuncii veritas primitus parochianis innotuisset, videlicet quod electa Dei tyruncula ad suum oratorium esset deportanda, acervatim illuc confluentes reverendis optabant interesse obsequiis.

CAP. VII.

CAP. VII.

Adventus Episcopi & translatio reliquiarum hic describitur.

TUnc memoratus præsul petitis benigne annuens, die statuto supervenit, & sacrosanctum revisit sepulchrum: ibique oratione fusa, quod initiandum proposuerat, intentissime summo delegavit consiliario Christo. Pontificalibus deinde ornatus infulis sacratam aggreditur tumbam, comitante secum inferioris ordinis agmine dealbato, ubi primum seniorem nostrum omnesque simul adstantes, admonuit, totius bonitatis originem generaliter inclamare Deum, ut suæ voluntatis effectum in hujus facti inchoatione monstrare dignaretur. Licet enim de sanctæ Dei meritis nullo modo hæsitaret; solita tamen prudentia usus, nil per se inconsulte aut inordinate agere voluit. Hac supplicatione præmissa, pari omnium consensu & voto operculum marmoris amoveri præcepit. Quibus jussa maturantibus, suavissima mox fragantia de monumento eructans, odorifera adstantes jucunditate respersit, ut liquido omnes sentirent ob innotificanda beatæ Idæ merita illam cœlitus esse destinatam. Quo facto, Episcopus sacris exuviis osculum præbet, & cum omni honore de sarcophago sublevat, necnon & in scrinio illorum receptui aptato diligenter reponit: monachis interim ac clericis psalmos & litaniam instanter psallentibus. Deinde precedentibus crucibus, vexillis, cereis atque thuribulis, cum dulci modulantium cantilena, benignus pontifex cum nostro seniore sanctum gestatorium portandum suscipit, & in ecclesia honorifice super altare collocat. Ibi quoque *aliqua gesta de beatæ Idæ sanctimonia populo succincte recitat*, ac mox ipso, *Te deum laudamus*, incipiente, cuncti laudis succentu omnia concrepant. Ut autem sacrorum pignorum veneratio celebrior alicubi haberetur, memoratus pontifex aliquas ex eis secum tulit particulas, quasdam dominus Abbas ad nostrum transvexit monasterium, quas etiam omnes sacris vestibus induti, ad *Calendas decembris* magno honore & apparatu officiosissime suscepimus.

CAP. VIII.

Beatæ Idæ & consecrationis ecclesiæ indicta festivitas.

HIs ita peractis, venerandus antistes australem ecclesiæ structuram, id est, turrim in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ ac sub beatæ Idæ nomine consecrat, cunctisque in vicino degentibus diem translationis & dedicationis annuali semper recursu solenniter feriandum & celebrandum jubet. Tanta rerum congruentia dum strenue cuncta perpetravit, populum benedictione Dei munitum ad propria ire permisit, ipse quoque cum suis inde discessit. Facta sunt hæc *anno Dominicæ incarnationis nongentesimo octuagesimo, 6. Calendarum Decembrium die, Feria 4. Indictione octava, Imperante Victoriosissimo Cæsare Ottone, Anno ex quo cum felicis memoriæ seniore Augusto genitore suo regnare cœpit vigesimo, ex quo augustalem Monarchiam solus obtinuit anno octavo:* super omnia regnante æterno principe Domino nostro JEsu Christo: Cujus imperii authoritas totius orbis frena solo moderatur arbitrio, & à cunctis creatis per omnia celebratur, laudatur, adoratur, & spes & omnis fiducia nostra in illum tanquam redemptorem, salvatorem, protectorem nostrum collocatur, ipsi soli honor & gloria in secula seculorum, Amen.

IX.

Translatio S. Pusinnæ ad Hervordiam Westfaliæ cura Abbatissæ Hadwidis, natæ ex filia Ecberti & Idæ.

I.

SAlvatoris & Domini nostri promissio est, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Hoc ita esse, tam manifestum est, ut nulli facultas ulla dubitandi sit. Operatur enim nunc per famulos & Ecclesiam, quam acquisitam sanguine suo, non modo regit, sed etiam veluti propagando dilatat. Sunt exempla plurima, sed nos ad institutum intendamus. *Nobilis & strenua, juxtaque dotem naturæ sagacissima gens Saxonum,* ab antiquis etiam scriptoribus, memorata summi & gloriosissimi, *nostra memoria* * Imperatoris Caroli

* Hinc vides autorem antiquissimum & translationi, de qua scribit, coætaneum.

Caroli auſpiciis varia ſorte bellorum vix per triginta annos Deo volente ſubdita, verbi Divini fœdera, & fidem in Deum & ſpem beatitudinis ſuſcepit æternæ. Hæc primo quidem duriuſcule ad divinam fidem acceſſit, quoniam antiquis ritibus tenebatur, & nefas videbatur majorum ceremoniis errorem aſcribere: quod videlicet fiebat novorum ſacrorum ſuſceptione, & veterum rituum abdicatione. Qui enim ceremoniis à majoribus ſibi traditis renuntiare contendit, erraſſe eos; ſe vero veritatem inveniſſe, tacite confitetur. Sed illa ſive duritia ſive pertinacia, ſive perverſitas dicenda eſt, ſive alio quolibet nomine convenientius appellanda, prudentia naturali & ingenio ad omnem ſubtilitatem nobiliſſimo & acutiſſimo, rationibus commodis & exemplis labefacta; Poſt etiam argumentis & approbationibus validis, quaſi quibusdam muralibus machinis, infracta & expugnata eſt. Neque temere dixerim nationem aliquam bono ſolertiæ & ingenita ſibi ſubtilitate magis illa callere. Itaque, ut ſolet fieri, quo magis efficacia naturali abducebatur prius à Religione Chriſtiana, ita ferventiſſime demum eidem ſeſe mancipavit. Denique pullulante devotione ſancta, rebus ſuis ad monaſteria conſtituenda collatis, divino ſuos filios cultui offerentes, ex integro cœleſti ſervitio ſeſe manciparunt.

2. Fundata igitur duo nobiliſſima cœnobia ſunt tempore Auguſtæ memoriæ *Ludovici Imperatoris:* quorum unum nominatur *Corbeia*, alterum *Heriford* vocatur; unum Domino militantibus monachis, alterum ſanctis virginibus Domino conſecratis. Quorum ædificatio à Reverendiſſimis Viris, & ſumma laude celebrandis, *Adalhardo* videlicet, ejusque fratre *Wala*, qui & merito ei & regimine ſucceſſit, inſtituta eſt. Nec alienum noſtro propoſito videtur perſtringere, propter ignorantium inſtitutionem, quod hi duo, tam morum honeſtate & vitæ pariter ſanctitate, quam etiam generoſitate præſtantiſſimi fuerunt: fuerunt enim *Conſobrini* ſua ætate maximi & celebrandæ memoriæ *Caroli Imperatoris Auguſti*; quod ideo prælibavi, ut ex conditorum dignitate locorum dignitas colligatur: hoc quippe non modo non poſtremæ laudis, ſed ſummæ gloriæ apud majores fuit. Et ut ſuperiora repetamus, quod ex *Corbeia Franciæ* hi duo Monachi & Abbates fuerunt, Corbeiam ad ejus ſimilitudinem nominari voluerunt. Quo in Monaſterio primus Abbas ab iisdem venerabilibus inſtitutus eſt *Warinus*, nobiliſſimo genere propagatus: Fuit enim genitus *Echberto clariſſimo Comite & Duce*; matre ſplendidiſſima nomine *Ida*, tam naturæ muneribus & generoſitatis, quam elegantia morum, cujus fratres adæque clariſſimi viri, magnis dignitatibus illuſtres & apud exteros, & apud domeſticos enituerunt.

3. Horum ergo *neptis*, utpote *ex eorum ſorore genita*: Patre viro ſpectabili & valde inclyto, ad regimen Herifrodenſis Monaſterii, venerabilis, *Haduini* * divino nutu, promota, & divino amore & majorum ſuorum exemplis, tamquam quibusdam ſtimulis æmulationis, incitata; cum deſideraret, tam ſanctæ Religionis devotione quam patrocinio ſanctorum monaſterium, quod ſuſceperat, illuſtrare, propoſuit pia intentione, quamquam difficile impetratu videretur, Excellentis Caroli Regis ſuper hoc auxilia flagitare: non enim aliter quolibet in loco regni ejus ſanctorum pignora forent, ea ſe conſequi poſſe videbat. Erat autem aditus ad ipſum, ſive conſanguinitatis gratia, cum *ei tertio quartoque cognationis gradu jungeretur*, ſive quod Majores ejus multa familiaritate ac liberalitate memorati Principis uſi eſſent, tum etiam quod *frater ejus Cobbo*, in Palatio quotidianis ejus adherebat obſequiis; & etiam quod pretioſiſſimis ſæpe donatus ab eodem fuerat muneribus, non minimum ejus animos accendebat, & ne titubaret in aliquo jus inolitæ familiaritatis effecerat.

4. Provocabatur vero exemplis multorum, qui ſummo ſtudio, etiam ab Romano ſolo, ſanctorum ſibi patrocinia cum diſcrimine ingenti ſubripuiſſent: Quorum *Einhardus* quondam *venerabilis Abbas* ſanctorum *Marcellini & Petri* pretioſiſſima corpora, ſumma difficultate & laborioſiſſimo conamine, etiam ipſis volentibus ſanctis & quibusdam ſignis dantibus intelligi, opitulatione divina & ipſorum ſanctorum Martyrum conſecutus eſt. Hildvinus etiam religioſus quondam & famoſus *Abbas Monaſterii S. Dionyſii Martyris & Sacri Palatii* ea tempeſtate *Archi-capellanus: B. Sebaſtiani* Martyris à memorata regione, & *S. Tiburtii*, ut ferunt, ſed & SS. Martyrum *Cucufatis & Innocentii*, qui fuerant *B. Mauritii* ſocii, ab Hiſpanis Burgundiaque cum honore ſummo transferre curavit. Qui poſtea divino nutu, exigentibus, quamquam non ſatis in Imperatorem Ludovicum manifeſtis culpis, in *Saxonicam regionem* exilio condemnatus eſt: & primo quidem ad *Paderbornam* aliquamdiu commoratus; poſtea deferveſcente furore Principis ad *Corbeiam novam* poſitus eſt. Ubi multa ſuæ humilitatis & benignitatis Documenta præbens, tam ipſi Abbati, quam omnibus factus eſt carus & venerandus. Unde proceſſit familiaritas magna, ut fere fieri ſolet, cum ingenti fiducia, qua non dubitarent ab eo expetere *S. Viti* Martyris pretioſiſſimi corpus; quod idem venerabilis *Abbas*, ut erat fama, ſub jure Monaſterii, quod regebat, quando vim expertus eſt Imperatoris, eſſe credebat; ſed profecto, quo in loco

* Potius *Haduuit*. ita enim ſæpe terminantur nomina fœminarum, ſed virorum in *Win*.

loco haberetur, ignorabat: concessit tamen revocatus in pristinam Dignitatem, Majestate Imperatoria annuente.

5. His igitur inflammata exemplis, extraneis videlicet atque Domesticis, dum fidei lumine contemplaretur, quanti sit apud Deum Sanctorum merita venerari, atque eorum facta clarissima imitari; quantique sit præsidii eorum intercessio veneranda; omni studio annisa est à memorato Regi sibi Sanctorum sacrosanctas reliquias impetrare, Reliquias dico; non particulam cujuslibet corporis sancti, sed totum, quod remanet, carne in pulverem resoluta. Directo itaque presbytero quodam è latere suo, jam multis antea precibus flagitatum, *S. Pusinnæ Virginis* meruit venerabile corpus. Ad quod accipiendum debita veneratione directi sunt Episcopi cùm Episcopo loci ejusdem; quamvis propemodum pressi & inviti, non tamen resultare valentes vel audentes regiæ dominationi. Cujus potestate coacti, licet ægre admodum, corpus sanctum summa cum veneratione levantes, ad palatium detulerunt.

6. Agebatur eo tempore *annus Incarnationis Dominicæ octingentesimus sexagesimus, indictione octava*, quando sacrum Virginis sanctissimæ corpus concessum est. Quod vix à loco, in quo conditum fuerat ab Episcopis levatum est, obstante populo, nunc precibus nunc etiam lacrymis, ne tanta amitterent ejusdem Virginis patrocinia, quæ se hactenus in ea habuisse non dubitabant, propter frequentiam signorum, quæ in loco eodem antea crebro fiebant. Erat enim illuc concursus populi, veluti ad fontem quemdam beneficiorum Dei festinantis. Denique non immerito fontem dixerim, cum Cantica canticorum nobis occurrant, ita dicentia; Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Iste enim fons signatus, pudoris signo fontem beneficiorum Dei aperuit petentibus, & emanavit. Aperuit enim hæc beata Virgo cor suum pulsanti Sponso & dicenti, aperi mihi Soror mea Sponsa: & ideo meruit aperire beneficia Dei. Itaque sub frequentia Episcoporum, ut incohoata prosequamur, & multorum procerum, qui tunc aulicis observationibus tenebantur, sacrosancta beatissimæ Virginis membra præcipua veneratione tradidit præfatus Princeps, per manus venerandorum Antistitum, Præsbytero ad hoc ipsum directo, sed etiam virum egregium, memoratæ *Abbatissæ fratrem*, cum eo direxit: qui rei gestæ cuncta, ut fuerant evoluta, intimaret.

7. Et Dei quidem omnipotentis favente clementia sacrum Corpus, quod susceperant, extulerunt; prosequentibus aliquantulum fere cunctis, quibus absentare vacabat. Hoc quoque omnibus in locis observatum est: ut multa plebis caterva undecunque confflueret. Sed illis succedentibus, vicissim qui prius sacras Reliquias prosecuti fuerant, oratione celebrata revertebantur: Sicque sanctissimum beatæ Virginis corpus usque ad loca delegata Divino munere perlatum est. Quis vero sufficiat expedire concursus, qui fuerit plebis, ut paulo superiora repetamus, omnia per loca utriusque Sexus, quo sacra Pignora ferebantur? Videres ita stipatas vias, ut crederes nullum substitisse, qui non prodiret, ita ruentes ad officia devotionis, quasi moræ nulla daretur venia. Quantus ergo incaluerit fervor in pectoribus plebis, nulla mens cogitare, nullus sermo explicare, nulla pagina potest continere. Putares cunctos speciali devotione flagrare, cum esset una in omnibus concordia mentis; & quod dirimebat causa, affectio copulabat. Vere beata concordia, quæ diversa suscipiens, unitatis intentione connectit. Nil felicius illa, qua unum corpus in Christo efficimur omnes.

8. Interea, ut ad id, de quo digressi sumus redeamus, quamvis summo desiderio teneretur venerabilis Abbatissa mereri pignora sancta; tamen quia non revera credebat (affore) occasionis commoditatem, qua sui voti compos efficeretur; nil super hoc absolute ad notitiam venerabilis Episcopi ipsius diœcesis retulerat. Et profecto nisi vicinitas Principis, & frequentia Episcoporum ac procerum affuisset, neque Episcopus parochiæ illius neque populi multitudo pateretur cælesti thesauro se spoliari. Ergo ut certissimo indicio declaratum est sancta pignora jamjamque propinquare; venerabilis, qui tunc erat, Antistitis voluntatis assensum, si res pateretur adventus, expetita fuit. Qui primo quidem vix animum induxit, ut assentiret, ne dicam, vellet, sed perpensa diligenter æquitate atque utilitate, non modo consensit, sed etiam auctor & adminifter factus est condendo pignora sacra.

9. Quibus condigno juxta temporis facultatem honore compositis, Divina favente clementia, signa postmodum declarata sunt, quæ minime claruerunt, quando Venerabile corpus portabatur: quod factum constat judicio Dei, nobis incognito quidem, sed omnino justissimo. Quod movet fortasse minus studiosos, quare beata Virgo *inter ferendum nullis effulserit miraculis*; quando in loco, quo memoria ejus fuerat, multis claruerit signis. Indigna prorsus hominis conquestio, in dispositionem sui creatoris. Manifestum quippe est, quod omnis vita Sanctorum, & in præsenti, & in futuro seculo Domino famulatur. Sed & illud luculentissimum est: quod virtus Sanctorum omnis ab ipso gratuita miseratione conceda-

cedatur: denique Propheta dicit, in Deo faciemus virtutem. Item alibi, Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur, quia gloria virtutis eorum tu es.

10. Sed si aliquis dicat, magis ista ad præsens tempus referenda, quando sicut Apostolus loquitur; Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate; tam ille id perpendat, quia si Deus est omnia in omnibus in beatitudine sempiterna; ergo operatur Deus omne in omnibus. Itaque in absoluto est, sicuti omne in Domino Sanctis esse, ita omne virtutis signum ab eo concedi. Denique non aliquid à se possunt, quandoquidem non à se, sed à Domino sunt: si autem à Domino sunt, à quo habent esse, ab eo accipiunt posse: Igitur quod possunt, à Domino possunt. Porro ab eo à quo accipiunt posse: ab eo habent etiam velle. Nam omnis beatitudo Sanctorum in eo consistit, ut voluntati Conditoris inhærescant: non ergo volunt aut velle possunt extra voluntatem sui conditoris. Præterea sapientia Deus est, à quo intelligentia rationabilibus infunditur cunctis: qui vero in claritate sui creatoris sunt, voluntatem ipsius intelligunt: intelligunt igitur, quibus signa exhibenda sunt.

11. Illud quoque sentiri potest, quod signa magis infidelibus quam fidelibus necessaria sunt. Nam eorum mentes, qui infidelitatis veluti somno sopiuntur, signa suscitant; & quasi quadam solicitudinis manu, ut evigilent, pulsant. Qui autem in soliditate fidei constant, illud fixum tenent, miracula sanctitatem plerumque ostendere, non etiam facere: vitam vero, sanctitatis operibus vernantem; quamvis sine signorum exhibitione, gloriosam fore. Plerumque ideo dixi, quoniam in Evangelio Salvator secundum Matthæum loquitur; Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in tuo nomine dæmonia ejecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Ecce liquido colligitur, quod signa virtute fidei etiam à non sanctis exhibeantur. Dicit quippe Apostolus, etsi habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.

12. Quosdam vero invenimus summæ auctoritatis viros utpote magistros & Doctores Ecclesiarum qui nullis memorantur splenduisse miraculis, ut omittam eos, quos fama obscura recondit, Beatum Augustinum dico & Hieronymum, quorum doctrina Ecclesiæ omnes illuminantur. Multi quidem etiam mortuos suscitaverunt, sed multo pluris est animas à perpetuæ mortis suscitasse nexibus, quam corpus paulo post in pulverem redigendum. Horum dogmatibus quanti quotidie à morte spiritali resurgant, solus ille novit, cui omnia patent. Hæc itaque perstrinxisse sufficiat, ne apud imperitos secus aliquid, quam dignum est, super merita beatissimæ virginis disputetur, quia majestas divina sanctorum merita prout expidire judicat, declarare dignatur. Amen.

X.

Legenda de Sanctis Martyribus interfectis in Hamburgh & in Ebbekestorp reconditis ex MSto.

CAP. I.

Alacrius solito regi gentium Christo jubilando concinnat mater ecclesia de sanctorum martyrum glorioso triumpho; in quibus inter cæteras humanæ felicitatis mansuetudines tanquam matutinum sidus irradiavit integræ fidei sinceritas; quorum gloriosa merita & exemplaris vitæ decor in arcanis membranarum receptaculis merito memoriis æternalibus conservatur. Hi sunt astrorum lumina & lucernæ tenebrarum, Christi martyres, de quibus in præsenti historia laude digna recolitur memoria, quos in Germania *circa flumen Albea* Christum confitentes strage gentilicii sceleris damnavit atrocitas. Horum fortitudinem, quis describere posset, qui nec mortis terrore, nec aliquibus, quæ ad istius scilicet seculi decus reputata, trahi potuerunt à fidei constantia. Quis enim talium martyrio non compateretur, qui propter Christum pauperem de divitibus pauperes & exules facti se omnibus periculis exposuerunt? Horum fama perenniter veniet vel vivet: ipsorumque multiplicium virtutum insignia & recolenda merita face siderea coruscant viatoribus in orbe terrarum. Horum etiam memoriam celeberrimam libris extendere, decorum est scriptoribus, honestum cælatoribus, ingeniosum effigiatoribus & pulchrum pictoribus, ex quo testamenta militaria sanguine proprio rutilantia, fideliter agonisantes, in acie fidei posteris reliquerunt.

CAP.

CAP. II.

HInc est, quod *tempore Lodevici imperatoris filii Karoli Magni*, dum in Germaniæ finibus ecclesia novello germine pullulavit, gravis invaluit Christianorum persecutio, & specialiter *ultra Albeam*, ubi gentiles natione *Slavi*, terrarum fuerunt inhabitatores. Erantque duo castra tunc temporis in *Hamborgh*, quod antea *Buchburi* dicebatur, magna & robusta; unum in parte australi, in loco illo, in quo nunc *Ecclesia S. Mariæ* est constructa: aliud vero in parte aquilonari circa stagnum, quod *Affalstria* nuncupatur. Fuerunt etiam plures civitates, villæ & fortalicia in convicinio circumjacentes, videlicet *Louenborgk*, *Ratzeborgk*, *antiqua Stargardia*, & *Stetin*, & complures aliæ civitates & castra, quorum inquilini data fide inter se, concordiæ fœdera juraverunt, statuentes se mutuis auxiliis in quibuscunque incumbentibus subvenire, ut isto modo, pacis gustata dulcedine, terras suas in quiete possiderent, & roboris eorum unita virtute alienas nationes, contra se insurgentes, potentius debellarent. In illis diebus illud insigne miraculum accidit in Hamborgh. Fuit quidam gentilis natione Slavus *dux* nomine *Baruth*, sanguine generosus, potentia sublimis & dominus castrorum in Hamborgh, qui uxorem habuit nomine *Hermam* tyrannicæ pravitatis alumnam, quæ hanc consultissimam & æternum valituram catholicæ fidei assertionem, videlicet Mariam virginem sine virili semine concepisse & peperisse & post partum virginem permansisse credidit temerandam; impossibile Deo esse & naturæ pertinaciter affirmans. Voluit igitur Deus gloriosus temerarium ausum & mentem sacrilegam hujus nefandæ tyrannæ, debitæ ultionis acrimonia cæteris esse catholicæ legis contemptoribus in exemplum; ut punitæ transgressionis exemplar consimiles sceleratos Dei retraheret ab offensa.

CAP. III.

ACcidit autem, quod ea nihil concepit & negante natura per duos annos conceptum in utero, gravi languore portavit. Postea dirupto utero amarissima morte terminos vitæ conclusit, & filium monstruosum, in cujus membrorum dispositione natura locum perdidit, loquentem & ambulantem profudit, qui biceps, manus quasi pedes vituli figuratæ, oculos habuit terribiles, & aures unius capitis, apparatus asinini repræsentaverunt effigiem. Pedes habuit ursinos & continuis motibus insistebat saltibusque gaudebat. Mulieres & obstetrices hoc monstrum intuentes stupefactæ sunt & patrem cum tota familia vocaverunt. Pater autem & omnes, qui aderant, anxii & luctuosi, de morte uxoris, & de hujusmodi defectu ingenito conquesti sunt, & singulorum sensus adeo mœror enecavit & oblivioni dati, apertis oculis, quasi loquelæ beneficio essent privati, se mutuo, viribus deficientes, inspexerunt; Tunc monstrum, quod apparuit voce terribili & insolita clamavit dicens: Caro mea morbosa est, & anima ejus faucibus diabolorum æternum lanianda in inferno sepulta & veneno perpetui cruciatus invenenata. Ad salutem hominis & ad angelorum gloriam Jesus Christus filius Dei singularem humanæ conditionis assumsit formulam. Maria, quæ, antè thorum nesciens, virginitatis lilium, virgo peperit, sicut sidus radium. Et quicunque hanc fidem negaverit æterni luminis privatione ferietur. Et his dictis cecidit in faciem suam super terram & exspiravit.

CAP. IV.

TUnc *Baruth dux* gentilium mortem uxoris ingenti fletu cepit deplangere, crediditque miraculum prædictum per Christianos esse magicis artibus introductum & humanitatis omissa providentia, victusque crudelitate, suis ministris dedit in mandatis, ut omnes Christianæ legis observatores in suo districtu diversis, ut vellent, necarent suppliciis. Qui carnifices antiquæ invidiæ in eis memores, nepharia & detestabili audacia omnes Christianos, quos habere potuerunt diversis & inauditis tormentis perdiderunt; unde quam valida tempestas cœlestis aulæ triumphalibus militibus incubuit; ubi non solum adulti mortem subierunt, sed etiam nescia lucis ætas tenera, & vagiens infantia circa matris ubera gladio periit occisionis. Hujus nefandissimi tyranni admiranda sunt ingenia, quod pro explenda libidine tam splendida justitiæ bona, videlicet has innocentissimas creaturas, auferre de hoc mundo, hac diabolica machinatione grassatus est, ita ut nullum Christianitatis vestigium in toto Albeæ convicinio relinqueretur. Inter alia sacrilegii scelera ecclesias destruxerunt, ornamenta & libros legum ignibus tradiderunt: prædia vero usibus cœlestium secretorum dedicata injustæ usurpationis contumelia sibi vendicarunt. Inter alia vero tormentorum genera horrenda humanitati in *Hamborgh* sexaginta presbyteros cum pluribus Christianis de carceribus eduxerunt, qui abrasis crinibus capitis per transversum in modum crucis ad ludibria Slavorum per tres dies positi sunt, & eorum gloriosa martyria supplicio tali con-

consummaverunt; videlicet, quod tortores in locis prædictarum rasurarum crineam decorticantes in quatuor angulis dictam excoriaturam, cum acutis instrumentis ferreis sanctorum capita perforaverunt. Erant autem hujusmodi instrumentis facta vulnera magna & circularia à fronte & occipite & utrisque temporibus incipientia & in centro cerebri concurrentia; ita ut cerebro extractis instrumentis liber relinqueretur effluxus. Et sic post tergum ligatis manibus eorum collis, equorum pedibus alligati sunt Christi martyres & professores, per singulos Slavorum civitates & plateas crudelissimè tracti super lapidibus, donec excerebrati Domino spiritum tradiderunt; & in *Hamborgh* sepulti in Domino requiescunt.

CAP. V.

TUnc multi Christiani timore mortis angustiati à fide Christiana recesserunt & gentilicio jugo diversissimo subacti sunt. Qvidam vero Christianorum capta fuga nocturnis temporibus persequentium manus evaserunt & per diversas provincias dispersi vitam in exilio peregerunt, & cæteris factum nunciaverunt. Qvidam autem Romam venientes summo Pontifici domino *Benedicto* hujusmodi martyria & persecutiones Christianorum qverulosis vocibus narraverunt dicentes: Pater sanctissime, doloris mole depressi & omni jocunditate exuti, exilium de remotis sacræ Christianitatis finibus usque ad gratiosum sanctitatis tuæ conspectum cum festinatione peregimus significantes tam infelices paganos, qvorum manus vix evasimus, in Germania ultra Albeam in catholicæ dignitatis opprobrium execrabile scelus homicidii in tuos Christianos furioso spiritu commisisse. Qvare sanctitatem tuam, pater sanctissime, humiliter suspiriosis vocibus pulsamus, qvatenus qvam merito propter hæc commoveri debes, ut justi doloris tui vindicta in eosdem iniquitatis filios taliter desæviat, ut tanta malitia, tum temerarios & sceleratos non inveniat successores. Ad quod vero cor tuum congruis considerationibus apposueris, omnes nostros conregionales Christianos in prædictorum circuitu senties exemplo simili humiliter gentiliciæ pravitatis jugo subactos. Et ideo tantis vulneribus sanctæ matris ecclesiæ quale remedium applicaturus fueris, necessario pensare debes.

CAP. VI.

QVæ cum audiret dominus Papa sauciis vulneratus mentibus, & omni solatio destitutus diversis suspiriis & gemitibus hujusmodi crudelem amarè deflevit in catholicæ fidei filios factam impressionem: & habito consilio à Christianissimo *Imperatore Lodewico* querulosis literis auxilium pro fidei recuperatione Christianæ in prædictis partibus postulavit & læsam innocentiam vindicari. Tunc imperator literas & nuntios sanctissimi patris cum honore magno & reverentia dinoscitur recepisse, juxta qvarum tenorem gentilitii sceleris atrocitate percepta desiderium & voluntatem domini Papæ imperialibus viribus adimplere conatus est. Et nuntios suos cum literis suis annulo regio sigillatis ad diversas provincias misit, quibus illustres viros, Duces, Barones, Comites, milites, vasallosque sub copiosis stipendiis convocavit, & famosum elegantissimorum militum & armigerorum exercitum in brevi tempore congregavit. Cum quo Papa in persona venit Româ pro defensione Christianæ fidei se qvibuscunque periculis exponere non recusans. Videns autem summus Pontifex in illis viris tantam constantiam fidei radicatam Dominum glorificavit omnipotentem & imperatorem osculo & cum paterna benedictione, ingenti solatio reverenter suscepit, & totum desiderium intentionis suæ sibi per ordinem explicavit.

CAP. VII.

NOcte autem seqventi angelus Domini de cœlo veniens & eis apparens consolantia verba eos in pia intentione eorum confortando protulit dicens: Ego datus sum vobis in custodem & in defensorem. Ite constanter & nolite timere, finitis negotiis vestris merebimini florentis patriæ gloriâ feliciter insigniri. Postea Papa Benedictus Imperatore Lodewico in suis partibus dimisso se personaliter cum illis & militibus electis exercitus antedicti de Roma transtulit. Et post tempus decursum ad *flumen Albeæ* venit, ubi per duas septimanas moram traxit, ultra Albeam non procedens, propter hoc ut exercitus tanti itineris labore fatigatus in unum conveniret. Habuitque Papa in isto exercitu *septem Episcopos, Duces septem*, *quindecim Comites*; aliorumque Baronum, militum & vasallorum numerosa fuit multitudo. Post duas ebdomedas ulterius Christiani procedentes *ultra Albeam versus Hamborgh* venerunt & bellum volentes inferre paganis, erexerunt tentoria, se viriliter ad pugnam præparantes: & oraverunt devotissimè ad Deum dicentes: Adjuva nos Deus salutaris noster & gratissimam lucem tuam de paradiso nobis irradia, qva circumfulti terreamus & timorem incutiamus iis, qui audaci spiritu nomen tuum blasphemant & te Dominum verum adorare

rare contemnunt, ut & ipsi timore tuo correpti, cognoscant te solum Deum & non alium, qvi cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in secula seculorum amen.

CAP. VII.

CErtificati vero pagani de Christianorum adventu, percipientesque eorum audaci facie bella vulnere doloroso percussi sunt, scientes si a Christianis manu forti expugnarentur, sibi mortis miseriam, templorum destructionem, deorum suorum subversionem & perpetuæ desolationis opprobrium imminere; consilium congregaverunt de incumbentibus tractaturi. Facto itaque gentilium conventu, inter se locuti dicentes: Angustiæ sunt nobis undique, & quod eligendum sit, ignoramus, cum tanta multitudine congressionem facere, minus tutum est nobis: & eis offerre bellum est periculosum: si etiam, quod absit, alieno jugo colla subdiderimus, evelli de jugo difficillimè possumus, & erimus postea præstiti juramenti violatores: Quis ergo in his inextricabilissimis perplexitatibus consilia præstabit? Tunc unus de senioribus silentium indicens alta voce perclamavit, dicens: O viri fortissimi utiqui animi vestri curarum tanto succumbunt conflictui. Breve consilium adest & sagacissimum, cui si dederitis consensum, præbebit vobis instantis tribulationis exitum gaudiosum. Utile est modo concedere, ex quo pugna non potest salvare. Inveniamus ergo modo humile pacis inductivum, & precum curemus insistere lenitati, ut quos armorum viribus non possumus, blanditiis vincamus; Non attemptemus cum eis ardua nostris viribus importabilia, sed utamur arte & ingenio, quibus sæpe perficitur, qvod viribus posse fieri non invenitur. Scitis enim, quod hujus populi conscientiæ deposcit teneritas sui Christi gratiam & fidem sitientibus, gremium fraternalis affectionis aperire, & pœnitentis delictum perpetuæ tradendum oblivioni. Possumus igitur eorum præceptum dissimulato dolore ac si fidem Christianam profiteri velimus nostris literis scribere, sub hac forma: Sancte pater, peccavimus & à via veritatis erravimus, & pseudo-falsis consiliariis seducti Christianorum sangvinem innocentem effudimus, propter quod tu justo dolore commotus non immerito nos perdere quæris. Sed sancte pater, ignosce nobis & fidei Christianæ decus & augmentum pia consideratione respice, quia tu es ille, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliqvit. Saluberrimas sanctissimæ catholicæ legis observantias assumere juxta sanctam tuam informationem paratos nos reddimus, & lavacri regenerationis cupimus omnes incipere sacramentum, Christianorum cœtibus admisceri. Cupimus etiam fideles tuos in castris nostris & in omnibus possessionibus nostris nobis donari. Erimus servi tui, nihilque de cætero penitus contra inviolanda statuta Christianæ religionis faciemus. Qvibus sic ordinatis procul dubio gaudebunt, & nobis parcent. Hujus consilii prudentia simplicium, quam se credunt habere, superabitur astutia: Et postea aliorum consiliorum sanctionibus fortunæ munera nobis arridebunt in victoria. Responderunt gentiles gaudio repleti, dicentes: Benedictus es tu in diis nostris & benedictum ac sanum consilium tuum, quod ore prophetico protulisti, juxta quod sine exorbitatione faciemus.

CAP. IIX.

MIserunt ergo pagani de castris suis ad Papam literas, pacem & gratiam, modo supra facto, dolo postulantes. Præsentantur autem literæ domino Benedicto Papæ, qvibus visis & lectis supra modum gavisus est, & qvamvis eos lædere proposuerat: tamen misericordia motus suspenso flagelli aculeo propitius consolator ipsis jocundissimo vultu surrexit, eos ad gratiam de consvetæ benignitatis officio in columbina simplicitate, eorum velatæ malitiæ nescius, cordialiter suscepit, dicens: Gaudia moventur omnibus Christi fidelibus, qvod sine mortis examine & sanguinis effusione, sed solum comminante gladio timoris Dei tot animæ, Deo luctante, nostræ subactæ sunt potestati.

CAP. IX.

FActa ergo pace venerunt Christiani in Hamborgh, ubi virgines & mulieres de castris gentilium eis dederunt occursum, exhibitione specialis reverentiæ venenatis lignis Christianos attulerunt: & magna paganorum multitudo occurrens domino Papæ colorato gaudio & fellitis cordibus clamavit dicens; advenisti lux pontificum cum glorioso exercitu tuo: tecum credimus Jesum Christum filium dei nobis animarum nostrarum venire redemptorem. Pater sanctissime, ne nox instans in turpitudinis prioris conditione nos inveniat, petimus qvantocius baptizari. Qvos statim Papa sacramento baptismatis insignivit, & hilarem faciem suis militibus ostendens, dixit: Qvot laudis cantica Deo cantabimus, qvi gentilitatis nationes ab earum perfidia transtulit ad veri luminis agnitionem? Gaudeat sancta mater ecclesia de salvatoris nostri tam miranda provisione, qva nos ex dono mirificæ largitatis suæ

suæ in tam brevi tempore in terris alienis cognoscimus exaltatos. Ergo post tanta beneficia, qvæ nobis contulit ipsa divinitas, hôc de Dei gratia postulamus, ut qvos diabolicæ servitutis jugo subjectos peregrina regimina hucusque seduxerunt, Deo reconciliari, ut in summo angulari lapide qvi Christus est, piis intentionibus solidati à noxiis præserventur, & virtutum perficiantur incrementis. Tunc Christiani sacrilegos idololatriæ ritus illarum terrarum destruxerunt & ecclesiam Hamborghensem & alias ecclesias in via adjacentes reædificare ceperunt.

CAP. X.

ET interim isti falsi neophiti nuntios cum literis versus *antiqvam Stargardiam* & *Stetin* ad eorum collegas destinarunt in hunc modum: Propter animosam fiduciam, qvam ad vos gerimus & totius nostræ religionis salutem, ne generalis nostræ congregationis dispersio (seqvatur), legitima timoris causa, viribus deficientibus nobis, dissimulata facie, baptismate recepto Christianorum nos subdidimus potestati, qvi ulterius terras nostras, multiphariè moliuntur subjicere servituti. Sed ut ars arte deludatur, & qvi alieno decore dominii nostri se induerunt, ignominiose cadant, & pro lucris, qvibus audaciam suam satiare venerunt, damna reportent; His ingeniosis usi sumus machinationibus: Nam in proximo eorum festo, qvod ad vincula Petri vocant, eorum Papa missam in Hamborgh personaliter celebrabit, & ad illam solennitatem omnes Christiani ibidem existentes inermes & in puritate devotionis eorum conveniunt. Ut tunc tremenda populi multitudine & manu, qva poteritis, fortiori in tantæ præsumtionis ultionem veniatis (rogamus); qvia ad Christianorum subversionem nobis in hac forma vester necessarius est adventus, & lucidum erit tunc, vires nostras ipsis inermibus prævalere, ut sicut eis dulcis fuit introitus, exitus fiat spinosus. Tunc paganorum visis hujusmodi literis barbaricæ libidinis & cupiditatis inqvinatissimæ Christiani sangvinis effundendi delicata subintravit insania. Qvi se festinanter congregaverunt & suscitato furore ad sæviendum in Christianos suis induuntur armaturis, versus Hamborgh iter aggredientes.

CAP. XI.

ADveniente ergo *die S. Petri ad vincula* omnes Christiani ad missarum sacra misteria devotè & humiliter congregati & qvieta conversatione ad ecclesiam Hamburgensem convenerunt. In qva summus Pontifex astantibus sibi Cardinalibus & Episcopis se ad missarum solennia præparavit. Et hora tertiarum pagani venerunt in Hamborgh, qvod aliqui Christianorum stantes ad fores ecclesiæ percipientes interrogaverunt alios noviter baptizatos, ad qvod tanta populi multitudo conveniret. Qvi blandis adulationibus respondentes, dixerunt: Hi sunt nostri corregionales, qvos sicoti nos huc usque tramite devio duxit ignorantia, qui etiam Christianam fidem sitientes, veniunt baptisari.

CAP. XII.

INterim Angelus Domini apparuit summo pontifici, dicens: Ecce Dominus vocat te & omnem populum tuum ad coronas perpetuas accipiendas. Et his dictis statim angelus disparuit. Qvibus auditis dominus Papa cecidit in faciem suam & oravit ad Dominum Deum dicens: Domine Jesu Christe, fili David, qvi verus es Deus & omnium invisibilium & visibilium creator; cujus desiderio exules facti sumus, & ad istas partes remotas venimus, & nunc pro fide tua parati sumus mori; exaudi preces nostras & præsta, ut quicunque nomen tuum & gloriosæ virginis Mariæ matris tuæ in isto loco sincera devotione cum contritione cordis invocaverint & memoriam passionis nostræ recordati fuerint, ab omnibus angustiis & tribulationibus mereantur liberari & in eorum justis petitionibus exaudiri. Et statim angelus iterum adstitit ei dicens. Crede mihi exaudita est oratio tua; in pace sit cor tuum, qvi hodie cum tuis cœlorum tabernacula conscendes.

CAP. XIII.

COnsiderans autem unus ex Christianis, qvi ad fores ecclesiæ sedebat, qvod pagani civitatem Hamborgensem intrantes sangvine sitirent Christianorum, intravit ecclesiam & valde clamavit: Sanctissime pater, veniunt multi pagani, & te tuosque armata manu qværunt interficere. Capias ergo fugam & salva te. Qvod cum audirent, Christiani omnes terrore concussi sunt, & eorum corda mortis præ timore maximis sunt ad spersa doloribus & graviter ingemuerunt. Et statim Papa benignus animos tristes pia consideratione respiciens stans ante altare, ad populum se contulit & salutifera confortationis & consolationis his verbis dixit medicamenta: Hodie est dies salutis, in quo Christus salvum faciet populum suum à peccatis, in cujus signum annuntio vobis nova gaudia, qvod misit Deus hodie angelum ad me suum & dixit mihi: Ecce Dominus vocat te & omnem populum tum ad coronas perpetuas recipiendas. Ergo estote jam fortes & finem mente revolvatis, ad qvem nos jam traxit defluens ordo dierum; stultum-

tumqve nunc timere, & propter periculum mortis instans evitandum, æternæ claritatis gloriam amittere, & tribunalis supremi damnosam expectare sententiam. Omnis ergo timor exulet in tempestate præsentialiter incumbente; omnisqve corruptæ opinionis procul pellatur improbitas. Excitamini regni cœlestis hæredes & corda vestra præparate Deo, ne qvid devium vel lubricum in nobis inveniatur; sed in patientia mortem ferte. Hodie permodica sangvinis effusione inundantem cœli thesaurum comparabitis & cœlestis eritis militiæ consortes. Et ipsis sic consolatis dedit omnibus benedictionem, dicens: Benedicat nos Dominus JEsus Christus, benedictione perperpetua, & angeli sui custodiant nos, & perducant animas nostras ante conspectum suum in cœlis, ubi regnat cum Deo Patre & Spiritu Sancto in æternum. Et respondit omnis populus, Amen.

CAP. XIV.

ET sic ipsis respondentibus, ecce neophiti dolose datæ fidei temerarii violatores ex præsumtuosa & fœdissima neqvitia eorum ad vomitum pristinæ turpitudinis reversi cum paganis, qvi advenerunt ad locum pacis, ecclesiam, armata manu currentes divinum officium perturbaverunt, & frementi spiritu terribilibusqve in Christianos insultant furoribus, clamantes: insurgat lex nostra à Christianis extraneorum tributorum abusione, letaliter vulnerata, & ultore gladio pereant omnes adulterinam & damnandam Christianorum fidem profitentes. Ac porro dixerunt Christianis: Vos hactenus nemine vobis adversante securè militastis, terras nostras potenter titulo vestro subscribentes. Nunc autem, qvales milites esse velitis considerare pulcrum etit intuentibus. Et his dictis solitæ tyrannidis innata feritate Christianos lanceis transfixerunt & aliis tormentis mirabilibus necaverunt. Ita qvod ab hora tertiarum usqve ad solis occasum fere omnes Christiani, qvi trans Albeam venerunt, paucis exceptis, qvos captivos, in signum victoriæ, ad partes unde venerant, ducere voluerunt pagani, prostrati sunt. Erant autem occisorum fere sex milia sexus utriusqve. Tempore autem passionis martyrum sanctorum audita est in aëre vox angelica, medicinati dulcedine confortans agonisantes, dicens: Impotentium tyrannorum crudelitatem cum patientia constanter exarmate, scelera vagantia tormentorum non pertimescite, qvia nomina vestra indelebiliter scripta sunt in libro vitæ & corona vos expectat cœlestis. Quod multi de paganis audientes ad Dominum nostrum JEsum Christum conversi sunt. Et eodem tempore martyrii coronam suscipientes in proprio sanguine à criminibus lavari meruerunt. Ecce quomodo virtuosorum potentiam malorum vicit astutia, cum in dolo baptismatis petierunt sacramentum, & quomodo crudelium tyrannidem sanctorum exarmavit pacientia. Christianos etiam nimis pios fuisse dum propter astutorum adulationes perfidiæ caliginibus involutas, justissimæ rationis imperium, qvod est malos male perdere, in misericordiam vertentes, perversis pepercerunt, tanti sanguinis testatur effusio, quod plateæ in Hamborgh, per torrentes sanguinem martyrum inundantes, roseis sunt decoratæ coloribus, ita ut per rubra fluminum diverticula in communi platearum transitu pagani eqvis suis usqve ad eorum genua eqvitaverunt, & vestes occisorum, clypei martyrum & fractarum lancearum hastulæ cum impetu ad commune flumen Albeæ defluxerunt.

CAP. XV.

PAgani vero peracta stragis hujusmodi damnosa libidine quosdam nobiles ex Christianis, quos captivos servaverunt cum multis capitibus de perforatorum corporibus abscisis secum de Hamborgh ad antiqvam *Stargardiam*, ut prætactum est, in signum victoriæ duxerunt. Et capita martyrum adducta in memoriam tantæ victoriæ super murorum frontispicia posuerunt, & innocentes captivos horrendis carcerum tenebris commiserunt, qvos ibidem geminata custodia & ferrearum manicarum acerbitate graviter cruciaverunt, usumqve cibariorum ipsis ministrari prohibuerunt, ut custodia diuturna & fame macerati spiritum exhalarent. Qvibus angelus Domini, præmemorati facinoris auctoribus nescitis, vitæ necessaria in affluentia ministravit. Hamburgenses itaque in sua perfidia permanserunt & ecclesias Deo per Christianos erectas funditus destruxerunt, & quoscunque Christianos habere potuerunt, distraxerunt, occiderunt.

CAP. XVI.

ADveniente igitur tempore nativitatis domini nostri JEsu Christi istud *in castro antiqvæ Stargardiæ* assertio vera tempore noctis Christi vult accidisse miraculum, quod capita sanctorum martyrum cristallina claritas splendore flammeo & scintillante jubare cœlestis pulcritudinis circumfulsit: & angeli Dei, decora symphonia, cum dulciflua diversarum melodiarum resonantia, consonis vocibus, intonuerunt: Gloria in excelsis Deo; clangore cœlum pulsantes. Qvod cum vigiles castrum custodientes perciperent, magno timore concussi sunt,

& dominos castri cum omni familia excitaverunt, dicentes: surgite velociter & inaudita videbitis miracula. Qui cum surrexissent, in medio castri steterunt, verum esse videntes, qvod eis vigiles nuntiaverunt, qvorũ mirantes oculorum radios suæ lucis ita terruit splendor angelicus, ut quasi amentes facti, timidi & trementes steterunt; non vanam tanti signi gloriam æstimantes. Tunc unus illorum dixit: Ex qvo natura ista fieri non postulat, supernaturale signum hujusmodi ex diis causari non ambigitur. Æstimat ergo mea consideratio, qvod si carceres aperirentur & educerentur, si qui vivi de captivis invenirentur; ex qvo decollatos sanctos dixerunt, circa qvorum capita hoc fieri oculata testatur experientia, nobis forte referrent; quænam essent hæc signa consvetis apparitionibus nostris peregrina, qvæ sensus nostros, tantorum sensibilium excellentia, perturbant. Sunt igitur viri Dei de carceribus emissi, & interrogati de causa tanti miraculi responderunt, dicentes: O vos luce devii & steriles virtutibus: Felices diceremini, si commissi sceleris essetis conscii & à cœlorum principe, à qvo tanta veniunt signorum mysteria, animi vestri regerentur. Consideretis talia vestræ salutis prænuncia, quæ fiunt ad Sanctorum solatia, qvos cruentatis gladiis jugulastis. Hæc sunt cœlestia miracula, qvæ in conspectum rationis faciunt vilescere transitoria in illa claritate, qvam mortalis oculus vix valet intueri; qvæ ut videtis, sanctorum capita circumdat, sunt angelorum turbæ cœlicæ, qvibus gaudia sunt innovata comparium ex adventu, qui per Martyrii palmas cœlestis palatii sedes adepti sunt, & jugiter in choris ecclesiarum Dei velut aurea sidera splendere meruerunt. Anxia igitur res status vestri conditio, cui inest, qvod ignoratis inexperti, & abhorretis inexperti. Qvæ vestræ felicitatis constantia, qvam, cum vos hora velox dissolvet, morientes amittetis? Convertimini ergo ad Dominum commissa deflendo; & salvi electis, consvetumqve angelis Dei, qvod habere solent de pœnitentiam agentibus, gaudium facietis. Qvibus pagani dixerunt: Satis de claritatis apparentia locutos vos cognoscimus, de cantico autem, qvod audivimus, qvid dicitis? Qvibus Christiani: Istud est hoc gaudiosum canticum, qvod angeli cecinerunt in ea nocte, qva Christus secundum carnem natus est de Maria virigine, de qvo nos hodie sumus mirabiliter consolati. His dictis claritas disparuit & angeli Dei cum gaudio psallentes recesserunt. Tunc pagani locuti sunt inter se, dicentes: ecce audivimus, qvomodo gravibus & acerbissimis vinclorum ligaturis & horrendis carcerum tenebris positi mirabiles supra modum ab angelis suis receperunt consolationes, nec tanto tempore ex defectu cibariorum macerati sunt, sed vivido & pulcherrimo colore facierum venustati, nullaqve tormenta formidantes nobiscum tanta, ut audivimus, loqvuntur audacia, qvi si scientiis magicorum maleficiorum, qvibus procul dubio hodiernas apparentias introduxerunt, præditi non essent, in tantorum virorum conspectibus, in qvorum manibus vita eorum consistit, tales correctiones non effunderent: sed potius omnis eloqventiæ perderent animositatem. Eos etiam viros justos non esse, nec Dei amatores, efficax doceat argumentum, ex eo qvod alienæ invident felicitati, qvod verborum, qvæ protulerunt, attestatur experientia. Tutum est ergo eos nece perdere, ne pellibus agninis, qvibus lupinos animos vestiunt, nos sicut Hamborghenses suis adinventionibus decipiant. Et respondit dux, includantur iterum, ut videamus, si angeli eorum, qvi carcerum conclavia noverunt ingredi pro eorum consolationibus, eos etiam de manibus nostris & ferreis ligaminibus eripiant, & postea, si angelorum defecerit potentia, specialibus gaudebunt prærogativis: qvia sanctificabuntur, sicut socios suos dicunt per mortem sanctificatos, qvibus in similibus tormentis erunt successores. Dixerunt Christiani: Utiqve diversas occasiones & mortis causas in nos quæritis, ex qvo juste seu injuste nos perdere proponitis. Magicas artes non novimus, sed in Dominum nostrum JEsum Christum credimus, à qvo, ut de manibus vestris liberemur, devoto spiritu postulamus. Tunc iterum Christiani in carcerem conclusi sunt. Et exauditis precibus sanctorum suorum, misit Deus decem plagas Pharaonis, quibus castigavit Egyptios, per universam Slavorum regionem. Slavi qvoqve in obstinata mentis elatione & spiritu malitiæ, Pharaonis imitantes duritiam, hujusmodi diversissimas monitiones minime curaverunt. Sed cum sine intermissione cœptarum plagarum invaluit acerbitas; dominus terræ antiqvæ Stargardiæ convocatis consiliariis & senioribus terræ dixit eis: Creditisne præsentem tribulationem super nos & populum nostrum propter detentos Christianos venisse, cum nunquam à longi temporis, hominum memoria, talia vel similia in terris istis sunt audita. Consilium meum est, ut occidantur hîc & plagæ cessabunt. Cui respondentes consiliarii: Domine hîc in potestate tua sunt, & secundum voluntatis tuæ judicium fac, qvodcunqve videbitur expedire. Eadem nocte venit angelus Domini, & aperuit januas carceris, dicens eis: surgite & ite constanter, & nolite timere: ego enim cœcabo inimicos & persecutores vestros, ne vos videant vel molestiis perturbent, & capita sanctorum in mœniis murorum posita vobiscum deferatis. Ego enim vobiscum ductus sum in custodem & defensorem, ut vobiscum ambulem, vos præcedam cunctis diebus vestris. Hoc audientes Christiani verbis angeli sine hæsitatione crediderunt, & ipsis surgentibus ceciderunt ferramenta de mani-

manibus eorum & exierunt liberi: ascendentes qvoqve muros castri sanctorum capita nemine contradicente collegerunt, qvæ secum angelo ductore prævio usqve in Hamborgh deportaverunt. Et insonuit fama per totam Slavorum regionem quod angelus Domini Christianum populum de carceribus clausis & de terrea membrorum custodia liberasset.

CAP. XVII.

PAgani vero in Hamborgh hoc videntes Christianum cultum cunctis idololatriis prætulerunt, & quos tanto tempore diabolicis laqveis innodatos duxit ignorantiæ & perfidiæ cœcitas, Christum cœperunt sincera devotione & sedulis vocibus implorare, sibi concorditer asseverantes, quod pro Christi nomine vellent seqvi vestigia Sanctorum, & anteqvam de cætero Christianam fidem negarent, vellent millenis mortibus quæcunque probra patienter sustinere. Etiam sanctos viros cum reliquiis gratissime susceperunt.

CAP. XVIII.

POst aliqva temporum intervalla Sancti, qvi de captivitate fuerunt liberati qvasi tertiam partem reliqviarum Sanctorum in Hamborgh sepultorum exhumaverunt, qvibus multos currus oneraverunt, volentes dictas reliqvias Romam & ad alia loca, de qvibus sancti martyres fuerunt, reportare. Accidit autem qvod ad qvandam villam *Ebbekestorpe* ab incolis ibidem nuncupatam venerunt, in qua tunc temporis religiosi viri morabantur in albo habitu domino Deo famulantes. Qvam qvidem villam cum exire proponerent, factum est, ut, qvos spiritualis amicitiæ nexus in vita confœderaverat, illibato fœdere & in morte servato per provincias non dispergerentur: ut etiam homines amoris prærogativa qvadam Sanctos in terra passionis diligerent, ab iisdemqve in futuris se spiritualia beneficia recepisse gauderent. Qvot sunt divinorum secretorum admiranda judicia! Continuo guttulæ sanguinis miraculose de terra contra rotas curricum salientes, motus impetum detinuerunt; ita ut si multa millia eqvorum prædictis curribus fuissent alligata, attamen reliqviæ sanctorum de prædicto loco moveri non potuissent. Sed ibidem corpora sanctorum sepulta, usqve in hodiernam diem debita veneratione reservantur, ad laudem & honorem Dei omnipotentis, qvi gloriosus & benedictus est in secula seculorum, Amen.




XI.

Fragmentum ex Martyrum in Ebbekestorp qviescentium Passione. Ex alio MSto Codice.

HInc est quod in Kronicis reperitur, *Karolus primus*, qui *Magnus* dictus est Vir Christianissimus verus Dei Cultor Christianæque fidei Zelator, Defensor ac totis Viribus propugnator. Inter cætera quæ commendabilia Dei gratia suffragante perfecit *Saxoniam*, *Turingiam*, *Westfaliam*, *Hassiam*, *Frisiam*, *Slavoniam*, *Holtsaciam* cum suis confiniis ad fidem catholicam doctrinis prædicationibus illuminatorum virorum pariter & armata manu convertit, ut relictis erroribus perpetuis temporibus ipsam catholicam fidem non desererent, sed inviolabiliter ipsam conservarent; post mortem vero prænominati Karoli Magni Serenissimi Imperatoris quidam non veri Christiani sed falsi præcipue *trans Albeam*, quia potenti manu ad fidei Christianæ susceptionem quodammodo compulsi sunt, suadente generis humani totiusque nostræ salutis hoste crudelissimo susceptam fidem Christi relinquentes idola sua projecta *Hammon* scilicet *Suentebueck*, *Vitelubbe*, *Radegast* cum ceteris erexerunt & in loca sua pristina statuerunt & ut ante susceptam fidem relicto Deo vero coluerunt. Hæc facta sunt post mortem Karoli, sicut profertur tempore *Ludowici primi*, qui Karoli filius fuit. Quam tamen Apostasiam religiosi plures & seculares Presbiteri Deum timentes annis pluribus redarguentes ac viribus totis corripientes, parum profecerunt. Quia multis annis hæc Apostasia vicinis terris & regionibus occulta permansit & Serenissimus Imperator Lodowicus primus Veri Dei Cultor Christianæque Religionis Amator in Italia, Francia, Gallia ceterisque superioribus partibus in hiisque pertinent ad sanctæ matris Ecclesiæ profectum sollicitus perseveranter erat. Quo feliciter in Domino defuncto filius ejus qui Lodowicus secundus dictus est in imperio successit. Hujus igitur temporibus apostatica malitia *Slavorum trans Albeam* lucidius apparuit, & cepit latius in vicinas partes ac provincias divulgari, quia tunc amplius correctiones & informationes Christi Sacerdotum contempserunt, & armatis in eos manibus violenter irruere ceperunt. Erant tunc temporis in illis partibus plures civitates *Levenborch* scilicet, *Razeborch*, *antiqua Stargardia*, *Stedtyn* cum ceteris


ris

ris opidis castris & villis: Quorum inquilini data fide pacis inter se concordiæque fœdera juraverunt; statuentes sibi mutuis auxiliis quibuscunque necessitatibus aut causis incumbentibus fortiter fideliterque subvenire; ut hoc modo pacis optata dulcedine retenta, suas terras pacifice quieteque possiderent. Et roboris eorum divulgata virtute nationes alienas insurgentes contra se potentius debellarent. Inter has autem Civitates prænominatas & plures alias *Hochburgh* nunc *Hamborch* de famosioribus fuit ----- duo magna & robusta castra, unum in parte Australi circa *Albeam*, in illo loco, in quo nunc beatæ *Mariæ Virginis* est fundata pariter & consecrata *Ecclesia*: Aliud vero in parte Aquilonari circa flumen quod *Alstria* nuncupatur. Eratque Dominus istorum castrorum totiusque Civitatis *Harucht*, contoralisque sua dicebatur *Herina*: Fueruntque pariter sanguine generosi, gentili tamen ritu viventes, potentia terrena sublimes ------ Imperatori Lodewico Karoli Regis Filio mittitur nuntius à populo Christiano, quem ipse cum ingenti sequitur militia in paganorum confinia; habens in Comitatu *Papam Benedictum*, Pontifices septem, *Theodiricum Myndensem Episcopum*, *Dudonem Paderbornensem Episcopum*, *Drogonem Osnaburgensem Episcopum*, *Dodonem Mimigardevordensem Episcopum*, *Ausfridum Trajectensem Episcopum*, *Reinbertum Hamburgensem Episcopum*, *Erlorsum Verdensem Episcopum*; Duces septem; Comites quindecim. Quorum vim Slavi non ferentes præmittunt nuncios pacem petentes, sed data pace irruunt & dilectum Deo populum variis mortibus interimunt. Christiani cadavera congerunt & in *Ebbckestorp* sepelienda convehunt. Pagani vero Deum nescientes quosdam captivos abduxerunt & incarceraverunt, & multa capita cæsorum martyrum hastis præfigentes in titulum victoriæ super pinnaculum defixerunt, & super murum urbis, quæ appellatur *Stargart*, altera vero *Danzeke* ------



XII.
Supplementum hiatus Annalium Fuldensium
ex eodem Codice.

NAm in prima congressione belli tanta Dei gratia Christianis occurrit, ut mille ducenti Gentilium inter occisos, & qui se in *Danubio* merserant peremti inveniuntur, vix tantum unum de Christianis occisum in apparatu belli inveniunt. In eodem loco post victoriam illis cælitus datam congressi clamore magno in cœlum inde Deo grates ferebant, qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate liberet sperantes in se. Tandem læti post tantam victoriam ad socios, unde venerant, regressi sunt & citissime in id ipsum tempus pro tuitione illorum regni *validissimam urbem in littore Anesi fluminis muro obposuerunt.* Quo peracto unusquisque redierunt in sua. *DCCCCI.* generale placitum *Ratisbona civitate* habitum est. Ibi inter alia *missi maravorum* pacem optantes pervenerunr; Quod mox, ut petierunt, complacuit, & juramento firmatum est. Inde ob hoc ipsum *Richarius Episcopus* & *Waldaricus Comes Marahaa* missi sunt, qui eodem tenore, ut in Bajoaria firmatum fuit, ipsum *Ducem* & omnes Primates ejus eandem pacem se servaturos juramento constrinxerunt. Interdum vero *Ungarii* australem partem Regni illorum, *Coruntanum* devastando, invaserunt. Rex vero per Alemanniam causas ibi disponendo, Pascha diu celebrandum Franciam petiit.



XIII.
Vita B. MATHILDIS, Reginæ Germaniæ,
Jussu
S.Henrici Imp. pronepotis scripta,
auctior ex Manuscripto.

PROLOGUS.

Henrico Regi summa venerationis dignissimo, explanator hujus operis, vobis exoptat incrementa spiritualium charismatum, augmenta virtutum, & prosperitatem temporalium rerum.

CUm multis sit notum, vos scientia disciplinaq; artium diversarum præditum, *plurima perlegisse volumina*, Sanctorum vitam Patrum in se continentia; quorum exemplis vestra venerabilis conversatio bene potest informari, & ad altiora transvehi; non minimæ est virtutis, vos pia vestrorum inquirere facta præcedentium propinquorum; & maxime *vestra*

vestræ proaviæ Mathildis, illustris Reginæ: cujus vita lucida merito est imitanda, & cujus virtus tanto est laudabilior, quanto sexus fragilior. Gratias agimus vestræ Almitati, vobis placuisse hoc opus à nobis recitari, nostræ imperitiæ nimis magnum & formidandum; cum vestro dominatui subjecti sint perplures ingenio & sapientia nobis excellentiores, qui radio linguæ profunda possunt penetrare. Vobis imperante hoc opus inchoari, difficillimum videbatur nostræ parvitati: sed præsumptionis esset maximæ vestro imperio nos resistere. Implevimus quidem vestrum præceptum ultra modum nostrarum virium: non autem dubitamus invidorum studia affore, qui quod fecimus cupiant reprehendere. Igitur obsecramus vos, Rex gloriose, &, si fas est dicere, dulcissime, non temeritatis audacia sed necessitatis causa; librum manualem ne feratis in publicum sapientibus deridendum, priusquam vestra peritia persenserit, quid vestræ pietati in eo displicuerit; & hæc clementer corrigantur, quæ vestræ sapientiæ non recta videantur. Dignum est enim, ut qui hujus dictatus est præceptor, sit etiam emendator & defensor: ne à vobis insipienter edita, invidorum perfodiantur lingua. Habetis quidem in hoc volumine perpauca vestrorum facta patrum, *ex quibus potestis discere, quid agere, quidve vobis expediat vitare.* Rector totius mundi, qui illorum corda visitando, justa concessit agnoscere & operibus implere, ipse vobis concedat, quæ recta sunt agere, & alios ad hæc admonere, & virili fortitudine vos injusta refugere, & aliis prohibere: tribuatq; vobis invictissima arma, quibus vestrorum inimicorum superetur sævitia. Ipsius etiam gratia vobis sit fautrix firma, & comes assidua, & faciat vos exemplum & formam justitiæ, ad gubernandam fideliterq; regendam Ecclesiam: ut speculator idoneus effectus, sitis magni consilii, industriæ & disciplinæ. Dominus omnipotens vias vestras ita disponat, ut in omnibus ejus mandatis sine reprehensione vivatis, & ad bravium supernæ vocationis perveniatis, ibiq; coronam justitiæ atq; cœlestium thesaurorum donativa percipiatis. Si cuiquam in hoc opusculo quid placuerit, laus præceptoris erit.

CAP. I.

B. Mathildis progenies, educatio, nuptiæ cum Henrico Aucupe.

2. TEmporibus *Conradi Regis Francorum* gloriosi, extitit in partibus Germaniæ *Dux quidam Otto* nomine, honestate morum perspicuus, & in decernendis rebus providus, clarus nobilitate generis, & famosus bellorum triumphis. Cui *Hathuwic* matrona venerabilis, conjugali copulabatur vinculo: quibus duo gignebantur filii, herili forma decorati: & ipsos summa nutriebant diligentia, uti exigebat nobilitatis honorificentia. Major natu vocabatur *Thancmarus*, & alter *Henricus*. Is quamvis esset junior, probitate morum tamen elucebat altior, & ab annis puerilibus intendebat bonis operibus: sequens humilitatis vestigia, quibus certissime pervenitur ad culmina virtutum. Omnes cum quibus erat, haud minus quam seipsum diligebat: nulli se prætulit, nec per vim aliquem oppressit. Puer verò miræ claritatis ac amandæ indolis, cum attigisset florentes annos juventutis, cœperunt inter se tractare parentes, ut illi desponsarent virginem, genere sibi non inferiorem, & cujus mos liberalis præclaro juveni esset persimilis. Interim illorum pervenit ad aures, in *cænobio Herivordinensi* egregiam hospitare puellam, nomine *Mathildam*, genere nobilem, specie exoptabilem, & moribus illustrem: ut cum avia sua Abbatissa disceret psalmodialem librum, & industrias operum.

3. Hæc etiam virgo *traxit egregium genus à venerabili viro Witikino*, qui *in occidentali regione Dux* fuerat gloriosus, opibus pollens, sed prô dolor! errore captus, adorabat idola manu artificum facta, Christumq; colentibus varios ingerebat cruciatus; quia deerant prædicatores, qui Christum prædicarent, & incredulos ad fidem converterent. Rex verò Carolus vir Christianissimus, & erga Dei cultores benevolus, tunc temporis tenebat arcem principatus. Cum autem præfati Ducis comperisset incredulitatem, nimium doluit, & congregans omnem suum exercitum, inivit bellum contra eundem *Witikinum*, caussâ defendendæ fidei, & errantem ad salutis viam convertendi ..... Tunc Deo donante *Witikinus* projecit arma perfidiæ, ac arripuit scutum fidei Christianæ, novo fervens studio, sacri fontis in mysterio veterem hominem deponere, & novum in Christo induere. Quem rex Christianissimus benigne suscipiens, eum baptizari præcepit, ipseq; illum de sacro fonte levavit; & per consanguinitatem fidei postea fuerunt concordes amici. *Witikinus* verò baptizatus, mox mirum in modum totus in Dei opere est conversus. Dehinc omnis exercitus sibi subjectus hanc eandem fidei credulitatem est confessus, & suum Principem devotè imitando, sacro baptismatis intingebatur fonte. His ita peractis & composito inter se fœdere pacis, Rex Carolus cum victoria revertebatur lætus: *Dux* autem *Witikinus* in propriam remeavit patriam, Sancti Spiritus gratiâ illustratus: & sicut prius persequebatur Christum invocantes, sic postmodum ad fidem Christi traxit quosque er-

rantes: & ut antea bonorum extitit persecutor, ita vigilantissimus tum apparuit sacræ fidei propugnator. Jam tum desiderabat ecclesias reædificare, quas prius destruxerat in infidelitate: & ubi constituerat idola, hic jam Sanctorum collocavit oratoria.

4. *A posteris ergo ejusdem Witikini egregii Ducis processit stirps* beatissimæ *Mathildis*: cujus pater nomine *Thietricus in occidentali regione Comes* fuerat gloriosus, & venerabilem *Reinhildam, Danorum Fresonumq; germine procreatam*, moribus probabilem sibimet adjunxerat conjugem: quæ meruit dono Dei gignere infantem hominibus amabilem. O felix partus hujus infantis, cui gratiâ Christi postmodum contigit dignitas regalis! Nam extitit gloria parentum, lætitia propinquorum, spes hæreditatis, & decus totius futuræ sobolis: amabilis dum nascitur, & amabilior dum nutritur. Quid plura? Tunc temporis raro videbatur infans talis. Cum ergo illustris parvula esset ablactata, desideravit *Abbatissa Mathild, mater Thietrici Comitis*, quæ in Herivordinensis sede præsedit Abbatiæ, præfatam puellam nutriendam suscipere. Parentes autem illius consentientes petitioni Abbatissæ, sibimet ad procurandum commendabant, ut illam doceret sacras lectiones & manuum operationes. Puella igitur insignis mirum in modum proficiebat in cunctis, ætate tenera, probitate grandæva; capax in studio disciplinæ literalis & operum industriis.

5. Cum autem ubiq; divulgaretur virtus illius laudabilis, etiam pervenit ad aures præclari *Ducis Ottonis*, qui statim misit suum *Comitem Thietmarum* ad hæc explorandum. Ille verò præcepto Ducis obediens, ad suprà memoratum cænobium iter acceleravit ardens, & statim adiens cubiculum matronarum, eidem puellæ jussu Abbatissæ servientium, ac adminiculo earum clam se inferens monasterio, diligenter perspexit formam Virginis herilem, & mire laudabilem. Igitur tacite investigatis & cautè consideratis omnibus, quæ desiderabat, Domino suo reportavit hilaris cuncta quæ viderat. Die verò sequenti *Dux Otto* disposuit ire suum filium *Henricum* (a) ad præfatum cænobium, una cum *Comite Thietmaro suo magistro*, ut cauta consideratione perspicerent, si forma moresq; puellæ sibimet convenirent. Elegit itaq; non paucos juvenes, genere & specie elegantes, qui comitarentur juvenem Henricum, quo se jactantiùs ferret ad prædestinatum locum. Appropinquantes autem monasterio, castra metati sunt in campo: pauci verò illorum, quasi causâ orationis, ingressi oratorium, viderunt virginem intus sedentem, & Psalterium manu tenentem, honestissimam habitu & admodum reverendo cultu. Henricus autem eximiæ virginis amore succensus, interdixit sociis, ne cuiquam indicarent, qua causa huc venissent: statimq; ad castrum revertebatur, ubi cetera pars juvenum commorabatur: & induens se herili ornatu, templum denuo intravit multo comitatu, postulans sibi copiam dari Abbatissam alloquendi: quæ etiam procedens ipsum cunctosque suos satellites suscepit gaudens. Postquam autem invicem dedissent verba salutationis; secum duxit juvenem Henricum una cum Comite Thietmaro in suum cubiculum, & familiare cum eis in longum produxit colloquium. Egregius vero juvenis interim sumens fiduciam animi, paulatim incepit sermonem de virgine, interrogans quantùm provecta esset ætate, aut qualis staturæ, postremò etiam desideravit sibi licentiam dari ipsam conspiciendi. Quâ evocatâ præcepto Abbatissæ, apparuit in ea virginalis incessus & pudicitiæ habitus, frons serena & speciosus ad intuendum vultus: in candore liliis extitit persimilis, in vivido autem colore assimulabatur rosarum foliis. Hanc tanti decoris, ut vidit egregius juvenis, minimè valens diutiùs celare amorem cordis, postulavit prece instanti ipsam virginem sibi desponderi. Contra hæc Abbatissa oculos dejecit, & nutanti animo in responsione diu hæsitavit. Cùm autem magis ac magis perseveraret adolescens in incepto petitionis; tandem Domina talibus respondebat verbis: Non est nostrum eam nuptui dare alicui absq; consilio & consensu parentum: dignum est enim, ut à nobis integra fide restituatur, à quibus nostræ procurationi commendata est. Quin etiam nobis versatur in dubio, si alterius viri eam decreverint thalamo: nam illam desiderabant perplures genere & forma illustres. Quamquam autem nobis sit incognitum, quem de his velint eligere generum, adimplebimus tamen vestrum votum, &, si Dei aderit voluntas, nostra de parte non tardamus nuptias: quia excellentia vestri generis crebrò insonuit auribus nostris, & hoc non est minima pars fœderis, quod ipsi ad nos iter direxistis. Haud mora, ornamentis honeste paratis, quæ congrua erant desponsationi virginis sequenti Die * Henricus secum duxit venerabilem virginem in partes Saxoniæ. Tunc circumducebatur civitas (b) egregii Ducis Ottonis à Comite Thietmaro & militibus ceteris: donec in *Walohusen*

(a) Ergo in vicinia erat Dux Otto, nam & Ludolphus ejus pater illic ditiones habebat, ut apparet ex vita S. Idæ.

* Itaq; & cognatos virginis, Widikindi posteros in vicinia habitasse oportet, ut statim consentire possent.

(b) Leg. *per civitates.*

busen ** præparabatur convivium nuptiale magno honore, uti decuit illos, qui postea imperabant gentibus plurimis: ibi perfruebatur connubiis & licito fœdere amoris. Henricus autem tradidit venerabili nuptæ in dotem omne, quod attinet ad eamdem civitatem, patre suo consentiente: *** & ipse venerabilis Dux Otto enutrivit eam in vice filiæ usque ad obitum suæ vitæ. Tribus autem annis post hæc transactis, vir venerandus mortem subiit temporalem, & Dei ordinatione Henricus Ducatus percepit honorem. Ascendens autem gradum dignitatis, tantam humilitatem exhibebat subditis, ut etiam si posset evenire, exoptarent ipsum regale solium jam possidere.

CAP. II.

Gesta in matrimonio & obitu mariti. Dignitas filiorum.

6. Interim dum hæc agerentur invasit *Regem Conradum* crudelis languor, & mors sequebatur crudelior. Tunc disponente Deo successit *Henricus* regali solio, bello seu pace fuerit, est incertum: sed absq; dispositione Dei accidisse non est dubitandum. His ita dispositis, Christo adjuvante, multa exercuit bona opera vigilanti diligentia, gratias agens Deo largitori de dignitate seculi, inopum & viduarum apparuit promtissimus consolator. Cum autem mirum in modum proficeret Princeps laudabilis, Christus illi plus auxit honorem dignitatis, per plurimas nationes suo subjugans dominatui *Danos, Sclavos, Boëmones, Bajowarios* ceteraq; quam plurima *regna*, quæ suis antecessoribus non fuerant subdita. Hic plurima prætermittuntur de laudibus Regis Henrici, quia properandum est ad vitam moresq; Reginæ illustris Mathildis, de die in diem Christi gratia in omni bono opere proficientis; ut nepotes ejus & posteri totius habeant gaudium animi, quoties tam sanctæ matris meritum invenerint legendum: cujus probitati computatur & meritis, quidquid futuræ soboli evenit dignitatis & honoris. Cum igitur Regalis solii ascendit gradum venerabilis Regina, illustris maritali potentiâ, & illustrior religione divina, in conjugii fœdere manebat pudica, & tamen nihilominus * caruit palmâ: virginitati proxima humilitate sic tendens ad gloriam, ut dono Dei postmodum mereretur fieri allecta in cœlesti patria. Nam quanto sibi accessit potestas sublimior, tanto se humiliavit devotior: & quod perraro evenit, dignitatem seculi sine superbia possedit. In publico processit ornata gemmis & serico, sed interiùs gerebat pretiosius ornamentum, cor acceptabile Deo: tantamq; subditis exhibebat humilitatem & in vice matris caritatem, ut omnibus esset amori pariter & honori. Noctis quoq; tempore sese à latere Regis furtive subtraxit, quasi ipso ignorante, relinquens regalem thalamum, orationi intendebat animum, ut sibi reconciliaret Deum, quem diligebat casto amore, & cui serviebat integra fide. Quis etiam dubitet, ut Rege nesciente electa Christi famula talia posset agere? Ipse etenim bene intelligebat, sed quasi se nescire simulabat, quia veraciter noverat, cuncta ejus opera bona existere & utrisq; prodesse. Igitur faciles illi consensus præbuit, ad omnia, quæ desideravit: nam sua voluntas à Deo incipiebat, & in Deo cœpta finiebat. Quidquid mundus delectabile habuit penè totum pro amore Christi contemsit: divitias non concupivit, paupertatem non timuit, ejus manus semper larga fuit pauperibus, & ab eleëmosyna eroganda raro inveniebatur vacua. Numquam quis ad illam accessit dolens, qui non abiret gaudens, & quisquis illam adivit, impetravit, quod voluit. Sin autem quempiam intellexit aliqua vi oppressum, aut pro scelere criminis carcere includi, seu populari examine deputari morti, nihil habuit hilaritatis, antequam reconciliaverit exacerbationem Regis. Si quando abscessit non exaudita, id provocante vulgari sententia, Rex secum tacitus ingemuit, quod petentis votum non implendo perturbavit, & sæpe egressus à judicio, quasi ipsam mulcendo, arbitris reliquit discutienda, quæq; fuerant legaliter punienda: & ecclesiam ingressus seu aliquo bono opere detentus, illud Evangelium solicita mente adimplevit, quod Christi famula suis auribus sedulo infudit: Nolite judicare & non judicabimini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

7. Deus autem omnipotens sibi servientes numquam derelinquens, clementer inspexit bona opera *Regis Henrici* & beatissimæ *Mathildis*, atq; illis multiplicavit excellentiam nobilissimæ prolis. Beatus etiam partus, qui in utroq; sexu enituit pulcherrimus, non particulatim comprehenditur, nec penitus reticetur. *Otto* præclarus ante regalem dignitatem procreatus, *natu* fuerat *maximus*, forma insignis & moribus illustris. *Henricus* autem *in Regali solio natus junior* fuit *annis*, sed haud inferior excellentia probitatis. Huic nimirum tanta inerat pulchritudo, ut tunc temporis vix posset alicui comparari viro. In fiducia armis patri fuerat con-

** *Walchusen* in Thuringia ad Helmum fluvium, non procul à montibus Harzicis, ubi sæpe data diplomata.

*** Itaq; monasterium Northusanum (qui locus vicinus est) fundasse videtur in fundo dotali.

* Forte: *non caruit*.

consimilis; in omni autem tolerantia adversitatis, cautè observabat vestigia inclytæ genitricis, & propter hæc specialiter dilectus fuit matri; quæ, quasi esset unicus illius, consovens eum omnibus deliciis, ceteris in amore præposuit filiis, atq; desideravit ipsum regno potiri post obitum inclyti *Regis Henrici*, si permissu Dei voluntas illius posset adimpleri. Hinc & venit puero prima labes mali, & ob hoc *Otto* egregius contra fratrem parumper est commotus, taliq; modo inter ipsos crescebat invidia & lis assidua. *Bruno* vero *ætate minimus*, sed honestate morum haud infimus, in annis puerilibus scholasticæ deditus censuræ, divino famulatui insudabat dietenùs. Sed enim insignis gloria parentum, de filiis jam prohibet prolixitatem sermonum, quia remeandum est ad vitam Henrici Regis & beatissimæ Reginæ Malthidis: quorum probitas enumerari non potest, sicut dignum est. Ambo fuerant fortunati, & merito laude sunt digni: nam illorum promeruerat virtus quidquid boni nunc resplendet in nepotibus. O beati, qui non solum fuerant in carne coadunati, sed in animo uno & spiritu ad omne opus bonum promti! Inerat illis unus amor in Christo, æqua coadunatio in bono, Deo placens voluntas, & recta peragendi facultas, par dilectio in proximos, æqualis compassio in subjectos. O beatum virum in cultu divini famulaminis studiosum, & egregiam mulierem, quæ totis visceribus diligebat Christum Regem! Non ergo est dubitandum, quin Dei gratiâ perceperint præmium virginitati proximum, quia in ipsis regnavit castitas conjugalis, nec tamen defuit continentia laudabilis. In cunctis eorum actibus, resplenduit modestiæ virtus: merito fuerunt rectores regni talibus à Deo virtutibus munerati. Beati existunt, & æternæ beatitudinis requiem possidebunt: pro quibus ipsæ eleëmosynæ exorant, quas larga manu indigentibus tribuebant, quam diu in mortali vita manebant. Quid plura? Quanto sublimiorem ascenderant dignitatis gradum, tanto devotiorem Christo impendebant famulatum.

8. Cum autem persisterent magna prosperitate pacis, omnipotentis Dei inspiratione desiderabant monasteria construere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenùs sui suorumq; patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmissima. Igitur tractantibus, tanti operis fundamentum, quonam ponerent loco, Principibus populi in unum convocatis, postulabant sibi consilium dari, in qua parte regionis hæc decenter possent adimpleri. Ad hæc Principes responderunt, dicentes: Intra *Winitebusum* existere sanctimoniales regulari disciplina carentes, quæ non possent illic diutius demorari, ni sustentarentur adjuvamine regali: & consilium dabant in *Quitilingeburc* transferri. Ergo ambobus hoc placuit consilium, & inter se conspirabant implendum. Posthæc *Rex Henricus* adiit *Bathfelthum*, quo sæpissime exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpositis languore correptus, vi febrium nimirum laboravit, sed parumper sedato infirmitatis dolore, inde ad *Erfordiam* iter direxit, ibiq; cunctos Principes regni convenire præcepit, ut se inuicem coadunarent, quem suorum filiorum regale solium possidere eligerent. Venit & *Dicmot Abbatissa Winestebusinensis*, evocata præcepto Regis, & prioris haud immemor desiderii, postulabat, ut sibi subditas sanctimoniales in *Quitilingeburc* consentiret transponi: quæ petitionem Regis gratanter accipiens, libenter id annuit.

9. His ita dispositis *Rex Henricus* perrexit ad *Memleben*, secum comitantibus paucis: illic iterata est ejus infirmitas, & non multo post sequebatur mortis asperitas. Cum autem sentiret sui corporis dissolutionem imminere, Reginam ad se vocans, multa cum ipsa disputavit secreta, & postremò sermonem talibus conclusit verbis: O nobis semper fidissima & merito dilectissima, Christo gratias agimus, quod te superstitem relinquimus. Nam nullus sibi adjunxit mulierem fide firmiorem, in omni bono probabiliorem. Itaq; gratiam habeas, quod nos sedulò mitigasti iratum, & in omni re utile nobis dedisti consilium: nos sæpius revocasti ab iniquitate ad justitiam, & sedulò monuisti vi oppresso facere misericordiam, nunc te & nostros filios omnipotenti Deo commendamus, & electorum Dei precibus simul cum anima, quæ de corpore jam est recessura. Hæc cum dixisset, & regina haud minus illi gratias egisset, mœrore plena, ecclesiam est ingressa, se suaq; omnia commendans Deo, sicut semper solebat. Interim discessit anima Regis de ergastulo carnis: sentiens autem sancta Dei plebis lamentatione inclytum virum rebus humanis excessisse: prostravit se in orationem, & ipsius animam commendavit in Christi fidem. Postea surgens, interrogavit, si adhuc aliquis *jejunaret*, qui animæ sui Domini Missam decantaret? Audiens hoc *Adeldac* Presbyter respondit festinus; Domina, nondum quidquam gustavimus. Venerabilis Regina olim duas induerat armillas mira arte celatas, quæ tanta firmitate brachiis fuerant circumdatæ, ut sine auxilio fabri nullatenus possent divelli: has tunc minimo tangens digito, citius dicto excussit, ita ad Presbyterum dicens: Accipe tibi hoc aurum, & canta Missam animarum. Quamdiu etiam venerabilis Domina postmodum vixit, eidem Presbytero magnam exhibuit gratiam, numquam tradens oblivioni, quod primam Missam decantaverat animæ Regis Henrici: & ob memo-

memorem causam hujus facti ipsi impetravit *Episcopalem dignitatem* * apud filium suum *Ottonem*.

10. Cum autem finita esset Missa animarum, Regina flens intravit cubiculum, ubi jacebat corpus mortuum, & intus invenit regales filios multum lacrymantes, simulq; cum eis omnes militum Principes. Hæc ut vidit inclyta Regina, decoras genas lacrymis est perfusa, & exanimi corporis pedibus pervoluta, amarissime flebat, sicut venerandus Rex erga se promeruerat. Sed tantam illi Deus contulerat gratiam, & tam laudabilem temperantiam, ut nec per impatientiam illum offenderet, & tamen dignè Regis obitum plangeret. Tunc filiis ad se vocatis, talibus eos verbis admonuit, dicens: O filii carissimi, hæc sedulo inducite vestræ menti, Deum timere, & ipsum in omnibus semper honorare, qui talia potens est facere. Hic meritò vocatur Rex & Dominus, qui tantam potestatem exhibet pauperibus & divitibus. Desistite jam contendere pro transitoria dignitate, talem finem capit omnis mundana gloria. Beatus est ille, qui sibi præparat æterna semper permanentia, nec inde vester animus contristetur, quis vestrum alteri præponatur: memoriter retinete, quod in Evangelio dicitur veritatis ore: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Posthæc rite paratis omnibus, quæ necessaria erant ad funus, maximo cum honore corpus *Quitilingeburc* transportabant, ubi ipse requiescere decreverat, ibique honorifice tradiderunt sepulturæ. Tunc Regina venerabilis supra memoratam Abbatissam monasterii Winithehusinensis ad se iterum vocavit, & congregationem sibi subditam illuc transferri admonuit. Quod Abbatissa primo renuit, sed postmodum imperante ejus filio Ottone consensit.

11. Post excessum inclyti Regis Henrici, ductores primi conveniebant & de statu regni consilium habebant. Perplures dijudicabant *Henricum* regno potiri, quia natus esset in aula regali: alii vero desiderabant *Ottonem* possidere Principatus honorem, quia ætate esset major, & consilio providentior. Quid plura? disponente providentia Dei sceptrum regiminis cessit *Ottoni*. Inde magis ac magis inter fratres convalescebat discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantia, assidue litigantes, nil pacificum mutuo loquebantur. Tunc regius juvenis *Henricus* multa sustinuit adversa, quæ inclyta materè contra salutaribus disciplinis lenivit, & sedulo admonuit Scripturæ dicentis: Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Hic multa angustiis ejus prætermittuntur, quia si per singula volverentur, narrantibus simul & legentibus prolixa viderentur. Tandem mediator Christus Jesus nolens fratres inter se diutius discordare, per sanctæ matris meritum illos concordavit in unum. Post hæc *Rex Otto* præfecit fratrem suum *Henricum Ducem super Bajowariorum gentem*. Sanctus vero *Bruno* ætate minimus adhuc degebat sub censura litteralis disciplinæ & læta indole de die in diem proficiebat in Christi servitute. Cum autem profecisset ætate & sapientia, Rex adjunxit eum sibi per amorem fraternitatis, in ministerium *Archicapellani*. Interim obiit *Wigfridus* vir venerandus, qui *Archiepiscopalem Coloniæ sedem* possedit, & munere superni Dispositoris *Brunoni* cessit Episcopalis honor dignitatis. Ascenso autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis, sed sancta mens Episcopi se potius inclinavit humilitati; illud in memoria recondens, quod Scriptura admonet, dicens; Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Pervigil fuit sapientià, placabilis lenitate nimia, serpentis astutiam cum lege custodivit, & columbæ simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, & per baculum disciplinæ multos ab errore eripuit: quosdam collationibus assiduæ disputationis ad meliora ducens, quosdam placidæ maturitate doctrinæ, desiderio sanctæ conversationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrina humilis, malorum acerrimus destructor, & veritatis studiosus assertor: humilibus blandus, superbis severus, quosdam intra septa gregis suscipiens ex lupis oves fecit, alios extra septa enutrivit: & quidquid alios docuit, ipse primum replevit; nec non in eadem civitate extruxit quam plurima monasteria. In omnibus etiam extitit fortis athleta Dei & propugnator Christianæ fidei. Quid mirum filios in bono proficere, quorum mater numquam cessabat Deo servire?

CAP. III.

Virtutes in viduitate exercitæ. Tribulatio à filiis illata: reconciliatio facta.

12. QUis scripto valebit comprehendere vel cujus lingua poterit explicare, quam gloriosus amor Christi flagrare cœpit in mente illustris *Reginæ Mathildis* post obitum Henrici Regis. Stabilis permansit in fide, humilis in Dei timore, cujusq; disciplinæ memor extitit, & justitiam cum religione retinuit: ad omnem tolerantiam fortis, & ad sustinendam injuriam mitis,

* Factus est Hammoburgensis Archiepiscopus.

mitis, facilis ad faciendam misericordiam, gerens parem fraternam. In omnibus ejus actibus & confabulationibus laudabilis apparuit gravitas & admiranda dignitas: tamq; se honestam exhibuit in pudore, ut perplures arbitrarentur illam esse virginem, ni vidissent egregiam prolis fœcunditatem. O quanta reverentia Dei timoris! Semper intendebat studio orationis, & perquam forti animo se præparavit ad resistendum diabolo, fiducialiter gerens scutum fortitudinis, ad expugnandum secularis pelagus tentationis. Transitoriis enim rebus non implicata, Christum solum secuta est. Noctis quoq; tempore, quando omnibus mos est requiescere, collocavit se in lecto, quasi causa dormiendi, ut sic celaret intentionem operis boni, & parumper est dedita somno, ut potius confortaretur ad serviendum. Postquam autem persensit dormire omnes, in cubiculo secum pernoctantes; spreto fulgenti stratu, clam surrexit atq; cubicularem puellam tacita excitavit: & ingressu suspenso exiens cubiculum, ecclesiam intravit sancta celebritate hymnorum, non stipata turbarum obsequiis, sed incedebat sine humano favore, gratia Christi secum comitante: pernox in oratione non cessabat Deo servire. Quotiescunq; ecclesiam intravit, numquam vacua manu ad altare accessit, nec Rege vivente nec in viduitate. O quam feliciter consummavit longitudinem noctis in omni studio boni operis, & quam familiari voce ad Deum clamavit, & veniam peccatorum postulavit, & qualem cum sanctis animabus meruit habere amicitiam, quibus à Christo imploravit requiem sempiternam. Ante galli cantum *totum* finiverat *psalterium*, nisi brevitate noctis impediretur. Sentiens autem tempus appropinquare, quo conveniebat nocturnales laudes celebrari, recessit ad cubiculum cum silentio, & nesciente aliquo collocavit se in lecto, quasi totam noctem illic dormiendo egisset, & nusquam inde pedem movisset. Dato autem signo ad nocturna, haud segnis surrexit, & properando iterum intravit ecclesiam, divinas laudes auscultans, & intento corde orationum instantia desudans. Post nocturnam vero omnibus egressis, intus mansit januis clausis, oculis ac manibus intendens in cœlum, invictum ab oratione non relaxavit spiritum, usq; dum aurora lucis umbram depulit noctis. Postea ingressa cubiculum reclinavit se paulisper ad requiescendum, ut lassa membra reficeret, ne in famulatu Christi deficeret.

13. Interim confluxit multitudo pauperum, de ejus manu acceptura victum & vestitum: quorum clamorem mox, ut persensit, impigre de somno surrexit, esurientes misericorditer pascens, & nudos vestimentis induens, non dubitavit se Christi membra tegere sub inopum veste. Quibus etiam refectis, & quæ necessaria erant abundanter impensis, vestimenta viduitati congrua induit, & ecclesiam cum reverentia intravit. Nullus prævalet dicere, quanta religione consueverat Missam audire: interim nullum protulit verbum, sed actu pariter & habitu intendebat in Deum. Quid plura? à matutina hora usq; ad vesperam, nemo illam conspexerat à bonis operibus otiosam. Non est etiam reticendum, beatissimæ Reginæ temperamentum, qnod in omnibus suis laudabiliter servavit: nam nec cibo aut somno amplius indulgebat, nisi quantum naturæ necessitas depoposcit. O beata, quæ dolo caruit, & in qua pietas apparuit! Mitis & pacifica & omnibus miseris promtissima: neminem judicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens, nihil arbitrio suo agebat, sed per omnia ad nutum, & voluntatem Dei tendebat. Omnes male agentes illam oderunt & recte viventes dilexerunt. Magnam adversus omnes injurias patientiam assumsit, & quæ excellens fuit Regina, propter Deum multa sustinuit adversa. Raro videbatur irata, vel etiam commota: nemo illam vidit ultra modum mærentem aut ridentem: miro caritatis splendore effulsit: modestiæ mirabilis amatrix, & humilitatis placida sectatrix: in se plerumq; severior, in ceteris autem clementior, omnibus fuit totius bonitatis exemplum, largiendo, miserando, errantes convertendo. Quoties sibi tributa solvebantur à vectigalibus, decimas inde dedit pauperibus & Christo famulantibus & quo ire pede non poterat, misso munere circuibat. Neq; enim sunt tam parva, quæ gessit, ut omnia literis comprehendi possint: quia si quis universa numerare voluisset, immensum legentibus volumen edidisset.

14. Tunc diabolicæ fraudis astutia, semper invidens operanti bona, studuit Deo dilectam Reginam à servitio Christi impedire sua callidissima tentatione: & contra venerandam Christi famulam quosdam excitavit perversos, ejus vitæ & virtutibus invidos: qui ad aures filiorum pervulgabant, quod innumerabiles pecunias congregasset, & regalis census opulentiam penitus consumsisset. Cum autem hæc & alia istiusmodi pervulgarentur *Regi Ottoni*, graviter commotus, totum imperialiter reposcebat, quod Sancta Dei pauperibus distribuebat; ubiq; mittens exploratores, qui ejus nuntios, indigentibus munera portantes, expoliarent & contumeliâ affectos remitterent. Hæc & his similia cum immerito sustineret Christi famula; quod illi videbatur molestius, haud minus gravem injuriam sibi intulit

Hen-

Henricus, quem miro affectu amoris cunctis præposuerat filiis. Ad extremum compellebant eam *dotales regiones relinquere & sacro velamine se consignare*. O beatam Dominam, quæ multis tentata, nec tamen tentationi succubuit evicta! Quid creditur illi inesse mœroris, dum undique angebatur tanta vi tribulationis? Minus moleste ferret, si Henricus, quem egregie amavit, fratri non concordasset. Impia ergo discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantia, illos tunc consociavit ad iniquitatem, quos prius prohibuerat fraternam gerere pacem. Contra hæc omnia venerabilis Regina miram in cunctis exhibuit patientiam, & fortem in adversis constantiam; custos oris sui, ne quid proferret incongrui, studiosa ad continuæ orationis studium, ut vinceret insidias adversantium, imo illata sibi injuria constantior, Psalmistæ versiculi non immemor: Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo; leve existimans, quid ferret, tantum ne Christo vilesceret. Nulli maledixit, sed propriis deputavit meritis, quidquid angustiæ pertulit ab adversantibus filiis; semper retinens in memoria, quod in Sacra didicerat Scriptura: Quia per multos tribulationes & angustias oportet nos introire regnum Dei. Si quis autem ob calumniam quam patiebatur, ingemuit ipsa præsente, quasi cupiens mœrorem ipsius lenire; talibus verbis è contra fertur respondisse: Rex *Otto* calumniatur nobis, id nostris exigentibus meritis: Deus autem sciat illum, qui contra nos excitaverit nostrum amabilem filium *Henricum*, cujus solamine speravimus enatare, quidquid nobis accidisset triste: nunc iste adversatur nobis qui debuit esse consolator. Nequaquam tamen pati possumus, ut quid de eo inclementius dici audiamur: quia nunc à nobis præcordialiter diligitur, quamvis inimicus putetur. Illud autem nos graviter compungit recolentes, illum nobis dulcissimum, erga nos esse tam amarum, sed nil ageret, si Regis juvamen sibi deesset; Deus autem illi parcat, ne ab ipso ultionem recipiat. Utinam donante Deo sine amborum fieri posset periculo, ut propter nos inter eos tanta firmaretur pacis unitas, ne ulterius inirent inimicitias! Cum autem Sancta Dei vidisset molestias filiorum sibi non minui, sed de die in diem plus augeri, relinquens quidquid Rex Henricus sibi dederat in dotem, in occidentali regione adiit *Angerinensem ditionem*, cupiens adversantibus parcere filiis, ne incurrerent iram divinæ ultionis: illic Deo cooperante haud minus, quam consueverat, quodq; bonum exercebat. Post hoc divina dispositione, Regi innumerabilia supervenêre mala, * retroversis victoriæ triumphis, aliisque rerum nihilominus secundis. Henricum autem invasit morbi gravedo, quæ & illum purgavit à delicto, & tamen superna miseratio illi pepercit feriendo, quasi Christus satisfaceret voto matris, quæ sedula prece ei exoravit veniam remissionis.

15. Videns autem Rex Otto, quia nihil proficeret in prosperis, ut prius, timuit usque ad mortem contristatus. Tunc Sacerdotes & ceteri Principes, quorum corda Deus illustraverat, ingressi ad venerabilem *Reginam Edith*, cohortantur illam, ut admoneret Regem, quatenus cum honore suam in regnum revocaret matrem: quæ statim ingressa ad Regem, sic ait: Ne contristetur noster Dominus, divinis flagellis correptus: revocetur vestra mater sanctissima, regnumque ut convenit, prima possideat: &, ut speramus, vestra omnia prosperabuntur & in pristinum restituentur gradum. Rex autem pœnitentia compunctus, & commissi haud immemor reatus, Deo inspirante, in sancta matre se deliquisse cognovit. Haud mora missis Episcopis, Ducibus ac Comitibus, & omnibus Sapientissimis militum, ad matrem cum honore revocandam, præcepit Christi famulæ hujusmodi scripta deferri: O venerabilis Domina, Dei iracundiam jam satis nimiumque exacerbavimus in nos persecutione vestra, fatemur quod peccavimus & injuste contra vos egimus: propter Deum nobis dimittite, & à Christo veniam remissionis implorate. Quodlibet supplicium libenter patimur, tantum ut vestra gratia fruamur. Ad hæc ut ad nos iter dirigatis, petimus; nos & omnia nostra ditioni vestræ subdimus, insuper & restituemus, quidquid vobis injuste abstraximus, nil nobis jucundum erit, antequam vos videre contigerit. Beatissima vero Regina petitionem filii hilari mente percipiens, quidquid pertulerat adversi penitus tradidit oblivioni, nec diutius distulit, sed iter accelerans in *Grona* ** venit. Cum autem adventus venerabilis Reginæ Mathildis pervulgaretur ad aures Regis Ottonis; multo comitatu obviam tendit, secum Comitante *Regina Edith*. Ut vero primum vidit Deo dilectam appropinquare, ab equo desiliit, & propius accessit, & genu flexo in tramite veniam postulavit, dicens: O omne decus nostri decoris, & solatium cujus-

* Hæc editores Antverpienses de Ludolfi filii & Conradi generi rebellione accipiunt: sed reconciliationem Regis cum matre obtinuit conjux Edith, Ludolfi mater, qua vivente Ludolfus patri obediens fuit.

** Videtur esse castrum *Grone* hodie dirutum, ubi nunc Gottinga urbs.

cujusque laboris, cujus solius meritis deputabimus regnum, quod possidemus, sumite de nobis quodcunque supplicium vultis, ut nobis tantum liceat redire in gratiam reconciliationis. Jam satis luimus, quidquid contra vos deliquimus: nam ex illo tempore, quo abscesistis à vestra dotali regione, retroversa est omnis prosperitas belli, nec non fractæ sunt nostræ vires, & crebro contra nos prævaluerunt hostes. Contra hoc mater venerabilis, decoros oculos perfusa lacrymis, filio statim præbuit osculum pacis, quasi ab eo nihil pertulisset adversitatis, & animum supplicantis talibus consolabatur verbis: Fili mi, nolite contristari, speramus enim vos veniam à Domino consequi: nam si nostrorum non exigissent peccaminum merita, vestra ex parte nulla nobis obviassent adversa; Deus autem vobis tribuat indulgentiam per ineffabilem suam misericordiam, qui paratus est misereri cuique pœnitenti, si commissa perfecte defleverit & postmodum non admiserit.

16. Comperiens autem *Henricus*, vir decorus & egregiæ matris nimium dilectus, Regem Ottonem suum fratrem tanta satisfactione inclytam sibi matrem reconciliasse, haud minus pœnitentia compunctus, iter intendit, & ubi Sanctam Dei invenit, talibus verbis eam est aggressus: O venerabilis Domina & si fas est dicere, mater carissima, nos graviter contra maternam vestram dulcedinem deliquisse confitemur: sed nunc veniam postulamus, quam non meremur: ac nunc obsecramus vos per animam & nomen nostri patris, ut in pristinum vestræ gratiæ gradum nos redire concedatis. Non dubitamus quin à Christo consequamur veniam remissionis, si vos ex toto corde ignoscitis: quia, ex quo vestram pietatem in iram provocavimus, morbi gravedine nimium periclitati sumus. Quem venerabilis Domina, ut vidit, lacrymantem, & pro indulgentia humiliter supplicantem, diutius pati non potuit, sed in hanc vocem celeriter prorupit: Fili mi Henrice, noli flere, desiste fili, desiste: mater enim tua ex te audire non prævalet hæc precantia verba: propius accede, & matri tuæ osculum præbe: Deus fidelis sit tibi placabilis, nos te diligimus, sicut prius: nam non ignoramus quod te adversum nos excitavit persuasio inimicorum. Haud mora, satisfactione tali percepta, Rex Otto & Dux Henricus Sanctam Dei introduxerunt in dotales regiones, & sicut dignum erat primam constituebant. Posthæc mira inter matrem & filios erat pacis tranquillitas, & ad omne bonum unita voluntas: in consolatione pauperum fuerunt unanimes, in constructionibus ecclesiarum & monasteriorum concordes. In matre erga filios mira fuit caritas, in filiis obedivit sancta humilitas, & ut breviter concludatur, perseverabant pacis stabilitate usque ad obitum vitæ, conculcantes per caritatem diabolum, qui nuper inter ipsos seminaverat litis fomitem.

CAPUT IV.

Opera pia & eleëmosynæ. Luctus in obitu Henrici filii. Iter Ottonis in Italian.

17. INterim contigit piam *Edith Reginam*, perpetuo victuram, præsentem amittere vitam. *Rex* autem *Otto* jam provectæ ætatis, simul cum matre ecclesias & monasteria construxit, portans pacem & recte judicans; paternam in cunctis imitatus pietatem. Post obitum Edith illustris Reginæ tres annos egit in viduitate, cunctis bonis operibus diligenter instabat, & sacras lectiones studiose legebat. Jam dum multis comprobarat castitatem viduitatis & assiduitatem orationis, (indicavit) sibi animam esse à conjugali consortio postmodum abstinere. Tunc construxit beatissima *Regina Mathild* monasterium in *Palidi*, illic congregans *tria millia* * *Clericorum*, quibus larga manu impendebat quæque necessaria.

18. Interim vero obiit *Lotharius*, Latinorum Princeps egregius, cui *Regina Adelheit* in matrimonium copulata fuerat, excellens morum probitate. Hanc quidam perversus, nomine *Berngarius*, multis infestabat injuriis, ut ea potita conjuge, dominium pariter sibi usurparet in regno Latinorum. Quod cum pervenisset ad aures inclyti Regis Ottonis, Fratrem suum *Henricum* & omnes Principes militum convocavit, & ad bellum arma præparari jussit, dicens sibi esse animum regionem visitare Romanorum, superbienti Berngario ut resisteret, & viduæ oppressæ subveniret. Quid plura? rite paratis rebus, prospero cursu in Italiam pervenerunt, & gratia Dei, sors victoriæ contigit Regi Ottoni, in expugnatione Berngarii Regis, & in ereptione Adelheidis. His ita peractis, Rex cum exercitu suo Christo offerebat sacrificium laudis, qui in omnibus suum adimpleverat votum, & contra inimicos confortaverat manum. Postea Rex com-

* Nimia multitudo facit ut vitium in numero esse credam. Cæterum locus Polda hodie dicitur, situs in Ducatu Grubenhagio ditionis Hanoveranæ. Adde numerum consimilem sororum infra §. 25.

commendavit Berengarium fratri suo Duci Henrico custodiendum, ** præcipiens illum in regionem Bajowariorum mitti, & illic sub arcta custodia constringi, ubi etiam præsentem vitam finivit. Præfatam vero Dominam *Adelheidam*, gaudens secum duxit per civitates Latinorum. Videns autem, quod miræ esset prudentiæ & probabilis vitæ, suum animum illius amori indulsit, & in conjugium sibi copulavit. Aliquantum temporis in Italia commorabantur, & non multo post in regionem Saxonum proficiscebantur. Illi autem per longum tempus regni solium possidentes, gratia Dei fœcundabantur sobole regali, primo procreabant puellam, inclytæ Reginæ *Mathildis* vocabulo dictam, quam Rex Otto conjunxit *Quitilingeburc* contubernio sanctimonialium juxta matris votum. Exin gignebant puerulum, patris nomine vocatum: huic post obitum patris Dei ordinatione provenit dignitas regalis. Quotiescunque beatissima Domina Mathild suæ sobolis partum comperit, Christo gratias retulit, cujus meritis deputavit quidquid sibi boni & hilaritatis contigit.

19. Igitur venerabilis Regina multum hilaris effecta, quia filii de finibus Italiæ venerant incolumes, & in utroque sexu clara suæ sobolis multiplicabatur progenies: sed insperate dolor ingens accidit, qui hoc gaudium in mœrore penitus consumsit, & quem oblivioni non tradidit, quamdiu mortalis vitæ spiritum traxit. Henricus Dux Bajowariorum præclarus, nimia infirmitate correptus est: qui cum sentiret morbi gravedinem non minui, sed magis magisque augeri; iter festinavit in Palidi, causâ piam matrem videndi illic, & Sanctam Dei postremo vidit, atque in propriam regionem proficiscendi veniam postulavit. Regina vero ægrotantem filium secum paucos dies retinuit, ejusque infirmitati omnem curam & medicinam adhibuit. Appropinquante autem die, quo abire decreverat, sancta mater illi plurima prædixit, ac postremo his salutaribus verbis admonuit: Fili mi carissime, matris tuæ verba diligenter attende, & pœnitentiam tuorum age peccatorum, ut a Deo consequaris veniam. Nam versatur in dubio, quorsum hæc spectet ægritudo: ut enim timemus, tuam desiderabilem faciem ultra non videbimus. Præter hæc per spiritum Prophetiæ multa illi prædixit, quæ eventus rei postmodum comprobavit. Postea sese invicem amplectentes, oscula dederunt, multum lacrymantes. Quid plura? Henricus in regionem Bajowariorum perrexit, & ibi quamplurimos dies ægrotando laboravit, usque dum Deo jubente anima de corpore exivit, & ut speratur, Paradisi januam introivit. His ita peractis in urbe *Ratis-bona* sepelierunt corpus inclyti Ducis. Tunc venerabilis Domina *Judith*, illustri viro legali vinculo conjuncta, misit nuntios, grave nuntium piæ matri indicaturos: qui cum recto cursu in Quitilingeburc venissent, & tristem Ducis obitum Principibus indicassent, per totum diem omnes in dubio versabantur, à quo Sanctæ Dei hæc placide nuntiarentur. Altera vero die postquam Missam audierat, cum dialogum accepisset in manum & studiose intendisset legendum, *Richburg* sua fidelis pedissequa intravit, & nuntios de regione Bajowariorum venisse indicavit. Quæ statim mœrore concussa, quasi mali, quod acciderat, præscia; jube illos, inquit, accersiri, ut comperiamus, quomodo se habeat infirmitas filii nostri. Qui cum ingressi & coram data esset copia fandi, Reginam salutaverunt, & adhuc nil triste dixerunt. Illa autem multa interrogavit super filio corde solicito, si se lenius haberet infirmitas, vel quomodo apud ipsum ageretur rerum prosperitas. Legati vero de his pauca respondentes, epistolas præsentabant pertristes, quæ caussam continebant, quam ipsi indicaturi venerant. Ut ergo cognovit gloriosa Regina dilectum filium suum ex hac vita migrasse; pallor in facie apparuit, & gelidus tremor per omnia membra cucurrit, & liber, quem in manibus tenebat, cadentem vultum suscepit. Cum autem paululum refrigesceret mœroris asperitas, statim prorupit in lacrymas, & totum diem flendo peregit, nec præ doloris amaritudine quidquam cibi eo die gustavit. Convocans autem sanctimoniales ad Ecclesiam, illas exhortabatur pro defuncto misericordiam Domini implorare, & ipsa primum flectens genua, hanc orationem effudit pro cari filii anima: O Domine Deus omnipotens, miserere animæ famuli tui, quam de hoc seculo migrare jussisti: memento quæso, quod perraro jucunde vixit, & omne tempus mortalis vitæ pene in angustia peregit. Posthac ab oratione surrexit, & ad sepulcrum Regis Henrici gressum mediocriter tendit: super quod caput inclinans, sic illacrymans ait: O noster Domine, quam felicior nobis extitisti, qui hanc amaritudinem doloris non exspectasti in stadio vitæ mortalis. Nunc, ut speramus, gaudes in requie, nec quidquam curas de nostra perturbatione. Quoties acerbum diem tuæ mortis menti induximus, hac sola consolatione respiravimus, quod dilectissimi filii nostri vita superstes erat, qui ore, nomine & habitu te maxime referebat. In hac etiam die herilia deposuit vestimenta, quæ in viduitate pro ornamento

 habuit.

** Berengarius prima expeditione victus quidem, sed in regno relictus est, & cum deinde caperetur, jam obierat Henricus.

habuit. Post obitum enim memorandi Regis Henrici, assidue induit coccinum unius coloris, non in publico, sed sub lineo vestimento, & pro decore ornamenti ante se gessit parum auri. Hoc totum tunc deposuit, & postmodum lugubri veste induta processit.

20. Posthac neminem voluit audire *carmina secularia cantantem*; nec quemquam videre *ludum exercentem*: Sed tantum audivit sancta carmina de Evangeliis vel aliis sacris Scripturis scripta. Nec non in hoc sedulo delectabatur, ut de vita vel passione Sanctorum sibi cantaretur; cetera mundi delectamenta respuit, & tota intentione divino famulatui tantum intendit; Deum in omnibus superque omnia diligens, & nil amori ejus praeponens. Resplenduit in ea aurum justitiae, gemma misericordiae, gravitas amabilis, honestas admirabilis, sermo modestus, & in suo tempore congrue proferendus. Numquam reticuit, quidquid loqui idoneum fuit. Peregrinis viduis & pupillis praeerat, sicut mater filiis. In omnibus quae fecit, temperantia justitiae sibi non defuit. Difficile est enumerari quantum intendebat venerabilis Regina eleëmosynarum largitati. Bis in die omnigenis ciborum deliciis inopes recreavit: insuper cum accederet mensae regali, praecepit pereginos & indigentes convocari, illis devote distribuens alimenta, quae sibi apponebantur lautissima, credens se pascere Christum sub specie pauperum. Si aderat monasterium, ter superposita mensae, Christo famulantibus & in aegritudine decumbentibus, sin autem abfuit monasterium, ceteris indigentibus haec eadem porrexit. Quid autem mirum quod hominibus larga fuit & benevola, quae *gallo* quotidie ministravit, qui lucem diei nuntiat, & quosque fideles ad Christi servitium excitat. Nec etiam oblita est *volucrum* aestivo tempore in arboribus resonantium, praecipiens ministris, sub arbores projicere micas panis, ut si quis de volucribus supra sedisset, in nomine Creatoris illic alimoniam inveniret. Ubicunque iter egit, juxta currum candelas portari jussit, quas singulis divideret oratoriis; & simul cibos, quibus in itinere obviantes reficeret egenos. Sin autem ita intenderet lectioni, vel psalmorum decantationi, ut ipsa praetereuntes videre non posset, aut si caput somno inclinaverat, quia in bonis actibus noctem perducere solebat; Rechburgam sibi ministrantem sanctimonialem praecepit diligenter observare, ut nullus praeteriret pauperum insalutatus vel de suis largitionibus non recreatus. Si vero illa negligente aliquis pertransiit egentium, non percipiens alimentum, statim caput elevans de somno, quasi spiritu prophetiae plena, praecepit currum stare, & egenum qui transierat revocare, praebens illi victum seu aliud necessarium. Posthaec paulisper commota, sanctimonialem salutaribus verbis admonuit, ut deinceps diligentius observaret, quidquid suae fidei commendasset. Vox egeni apud illam numquam inaniter sonuit, nec ipsa surda praeteriit. Non minor erat misericordiae usus, quam de plebe concursus: nec deerant qui peterent, nec deficiebat, quod daretur.

21. In quacunque civitate commorabatur hieme, per totam noctem ignis ardebat in singulis tectis, quae ibi fuerant, & insuper sub aëre nudo, ut quisquis indigeret, illic sese calefaceret, aut quisquis in caligine noctis erraret, viso lumine non offenderet. Praeter quotidianam largitatem eleëmosynarum singulari honore celebravit Sabbatum; à prima quippe hora, imo ab ipsa aurora lucis, numquam vacavit ab operibus bonis. Mane balneum praeparari jussit, & pauperes peregrinosque lavari fecit. Aliquando vero cum se à populi frequentia abripere potuit, ipsa occulte ingrediens, manibus propriis sordes diluebat singulis, & quae multis imperabat Regina, pauperibus serviebat quasi ancilla. Si vero ipsa impedita est ingredi, circumfusa multitudine populi, suas intromisit pedissequas, quas in fide apud se noverat probatissimas, ut necessaria egenis ministrarent, & in vice ejus ipsis humiliter deservirent. Egredientibus autem illis de balneo, omnes in cubiculum introduxit, esurientibus dans alimenta, & nudis vestimenta; quia non dubitavit membra Christi tegi sub largita veste inopi. Laborantibus autem infirmitate, qui ad se non poterant venire, misit poma & quae inter regales cibos videbantur optima: & saepe accidit gratia Dei, ut qui infra decem dies nil gustaverat cibi, per ejus merita perciperet refectionem pariter & salutem. Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reverentia custodiret Sabbatum, primo quidem propter vigiliam Dominicae resurrectionis, quae in hac die celebratur per circulum orbis: dehinc quia venerandi *Regis Henrici* anima in eadem die de corpore soluta est, &, ut speratur, Paradisi januam est ingressa. Quamdiu ergo Sancta Dei vixit, studiose observavit inclyti Regis octavum, tricesimum & diem anniversarium. Nullus etiam dubitet, quin ejus bona opera placuissent Deo, quae tanta devotione operabatur in sabbato; nam ipsa quoque eadem die de hoc seculo migravit, & de labore ad requiem pervenit. Festis diebus, quibus non licitum est insistere manuum operibus, ipsa legit vel legentibus aurem accommodavit, & quidquid Sacra Scriptura praecepit, memoriter tenuit: quotidianis vero diebus psalmodiae & divinae lectioni inhaerebat, nec minus manuum operationi instabat. Si quando autem impediebatur diverso populorum ser-

sermone, solito more divini operis studium celebrare, hora saltem refectionis stans ante mensam, nihil cibi gustavit, priusquam aliquid operis faceret, illud non oblivifcens quod dicit Apostolus: Qui non operatur, nec manducet.

CAP. V.

Miracula: Spiritus propheticus: Ultima verba cum Ottone in Imperatorem coronato.

22. CLementia vero Dei omnipotentis meritum venerabilis Reginæ nolens diutius latere, per illam operabatur miracula, ut liquido cunctis innotesceret, quantum sibi obsequentis vita placeret. Nam dum quodam tempore in *Quitilingeburc* anniversarium diem Regis Henrici magno apparatu celebraret, ut semper consueverat, tanta confluxit multitudo pauperum, ut nullo possent comprehendi numero. Regina vero illorum adventu hilaris effecta, præcepit quosdam collocari in cacumine montis, & ceteros in imo vallis, ipsa ministrans in monte vescentibus, alios vero commendans dispensatoribus. Cum autem omnes regales cibos impendisset, & larga manu quæque necessaria abundanter ministrasset; adhuc tortum panem non perceperant, qui in valle sedebant. Stans ergo illa supra montis verticem subito arripuit panem, super quem signum Crucis imponens, invocato Christi nomine projecit ab alto cacumine: qui volutus de loco in locum, inter densitates saxorum & sepium integer pervenit in cujusdam pauperis sinum, cui illum decreverat dandum, coram astante plurima multitudine populi, qui ejusdem testes fuerant miraculi. Adhæc beatissima Regina Christo gratias humiliter egit, cujus munere & virtute id noverat evenisse. Sed & alio nihilominus in eadem civitate est declarata miraculo.

23. Mos quippe fuerat sanctæ Dominæ, quotidie Sacerdoti ad Missam præsentare oblationem panis & vini pro salute & utilitate totius sanctæ Ecclesiæ. Quadam ergo die finita Missa, una aurea ampulla incaute est perdita; in qua Sancta Dei ad Sacrificium vinum obtulerat. *Richburg* autem pedissequa ejus, & aliæ sibi ministrantes nimio timore coangustatæ, ubique requirebant, & invenire non poterant. Sequenti vero die cum cantaretur Missa, Christi famula solitam reposcebat ampullam a Sanctimoniali prædicta, quæ perfusa rubore dixit, furto esse sublatam. Post Missam Regina ecclesiam egressa est, paullulum commota, statimque obviam habuit quamdam cervulam infra claustra monasterii edomitam: quam ut vidit, blando nutu ad se vocavit, adjurans per nomen Christi, ut sibi vas redderet, quod devorasset. Bestia autem virtuti imperantis obediens, dicto citius ampullam evomuit, haud immerito illius præcepto parens, quæ Deo semper fuit obediens. Omnes qui aderant Deo gratias agebant, quia Regina de bruto animali vas illæsum recepit, quod nec ipsa devoratum viderat, nec ab aliquo audierat.

24. Non etiam prophetiæ dono caruit, quæ signorum efficacia enituit. Regalis progenies quodam tempore in *Frosa* (a) conveniens, pariter venerunt regales pueri, filiorum scilicet filii, *Otto puer, filius Ottonis Imperatoris*, & *Henricus natus Henrici Ducis Bajowariorum*, & sicut venerabilis Regina hunc præ ceteris suis natis dilexerat, ita filium ejus *Henricum*, suum parvulum nepotem, aliis nepotibus in amore præposuit. Sedente igitur Mathilda venerabili ad epulas regalis mensæ, & secum *Adilheida Regina*, coram astabant pueri jocantes ludo infantili. Tunc Henricus mensæ accessit propior, qui Sanctæ Dei fuit carior, egregiam aviam diligenter intuens, ac familiariter se reclinavit in ejus gremium, tanquam ab ea desiderans osculum: quem venerabilis Regina gratanter suscepit, & amplectens illum brachiis, sic ait: O Domine Deus omnipotens, gratias tuæ pietati referimus & laudes, qui hunc parvum nepotem nobis reservasti incolumem, cujus patrem atra dies mortis abstulit. Sed gratias tibi, qui hoc nomen de nostra generatione delere noluisti, hunc nobis quæso salvum reserva, quamdiu velis mortali nos tenere in vita, ut nostrum amabilem filium Henricum per nomen saltem imitetur & vocem. Tunc & venerabilis Regina *Adelheit* sic ait: Quam exoptabilis est hujus pueri aspectus, & quam decorus ad intuendum vultus. Ubi ergo invenietur virgo, quæ ei conveniat forma & ingenio. Nos natam habemus parvulam, nomine *Hemmam*: hanc illi reservamus, si Deo placet & vobis, ut nobis copuletur hic gener exoptabilis. E contra Christi famula reticuit, & diu in responsione hæsitavit: Posthæc longa trahens suspiria, hæc reddidit verba: Absit, ut de nostra parte vobis eveniat tantum triste: *expedit* enim *filiæ vestræ feliciori se viro adjungere*. Hoc nomen tunc solummodo decus habuit, quam diu Dominus noster Henricus vixit. Postquam autem in posteros venit, numquam infortunio caruit. Quid dicimus de angustiis & tribulationibus, quas sustinuit pater ipsius? Sed enim adhuc in divina dispositione est, quid huic debeat accidere.

(a) In Saxonia ad Albim.

Speramus autem non excidere hoc nomen de genere nostro, priusquam *aliquis parvulus nepos oriatur de ejusdem pueri semine, qui sublimetur regali dignitate.* Quis autem dubitet, electæ Christi famulæ prophetiam *in Christianissimo Rege Henrico nunc esse impletam:* qui sine vi & armis suscepit culmen regiminis, & tranquillitate pacis nunc tenet honorem dignitatis? O Rex Henrice, merito laudande, induc etiam atque etiam menti tuæ prophetiam insignis Reginæ, & cognosce te tantæ dignitatis ascendisse solium per ipsius interventum & meritum. Dominus Deus omnipotens, qui te elegit, & sine vi culmen honoris concessit, tribuat tibi copiam benedictionis suæ, coronetque te corona justitiæ: faciat te blandum justis & terribilem impiis, quatenus justitiam sectantes per lenitatis mansuetudinem corrobores, & errantes per justitiæ districtionem terrifices. Angelus Domini te semper præcedat, comitetur & subsequatur, qui omnes actus tuos dirigat, & cunctos inimicos sub tuis pedibus conterat, ut ad profectum sanctæ Ecclesiæ diuturno vivas tempore, & postmodum vitam percipias sine fine. Auctor hujus dictatus non omitteret, quin tibi, Rex gloriose, perpetuæ felicitatis & mundanæ prosperitatis plus exoptaret, si non ab invidis magis deputaretur vituperationi adulationis, quam caritati veritatis. Supersunt plurima de te laudabiliter dicenda: sed hæc prætermittenda sunt, ut ora invidorum obstruantur.

25. Revertendum est ad priora, ut ad finem perducantur incepta. Cum igitur longe lateque divulgarentur innumerabiles virtutes Reginæ Mathildis, mira opinione, *vocatus est filius ejus Rex Otto in regnum Romæ à Præsule Apostolicæ sedis, ut gloriam Imperialis coronæ perciperet, & Romanis præesset.* Tunc commendans regnum & *Ottonem parvum filium* suum piæ *matri & Archiepiscopo Wilhelmo*, secum tulit fortia virorum pectora, & Christo Duce Romam properabat, sicut Papa mandaverat, secum comitante *Regina Adelheida.* Cum autem pervenisset ad cathedram S. Petri, simul *cum uxore Imperialem coronam* accepit munere Christi, & totus populus Romanorum se sponte subjugavit ipsius dominatui, & sibi solvebant tributa, & post illum ceteris suis posteris. Interim venerabilis Regina inter spem & metum angebatur dubia, utrum filio suo evenissent prospera, an adversa, & pro incolumitate ejus vitæ Deo semper obtulit sacrificium continuatione precum & largitate eleëmosynarum. Tunc etiam *construxit monasterium in civitate Northusanensi consensu sui parvuli nepotis Ottonis, pro Anima Regis Henrici & sui carissimi filii, cui patris nomen imposuerat, & quem in præfata civitate procreaverat:* illic congregaverat *tria millia* sororum * Deo & B. Mariæ Virgini famulantium.

26. Interea pervulgabatur Ottoni Imperatori in Roma, suam optimam matrem nimium contristari de ejus absentia; qui miro accensus amore Christo dilectam videre, statim reliquit Romam & pervenit in civitatem *Coloniam*, ubi frater ejus *Bruno* venerandus Archi-præsulatus tenebat infulam. Illic sancta venerabilis Regina filio obviam venit, cum *nepote parvulo,* quem Romam petens sibi commendaverat, secum etiam comitante *herili puero Henrico,* quem in loco filii dilexit, postquam idem *Dux Bajowariæ, filius* scilicet *ejus*, ex hac vita discessit. Venit & *Regina Gerbirc Sancta Dei filia.* Illic *Regalis conventus,* postremos dedit alterutri amplexus, & illic sortiti sunt extrema collocutionis verba, id ita disponente divina clementia. Postea enim se non viderunt in hoc mortali corpore, sed ut speramus in æterna nunc congaudent requie. Ergo inclyta Regina primum à Cæsare filio suo, Archi-episcopo Brunone ceterisque illic confluentibus honorifice suscepta, suos gavisa est se vidisse filios & nepotes, nec non Christo referebat laudes & gratias pro incolumitate omnium. Postea vero quam se mutuo salutarunt, ingressi sunt cubiculum, inter se producentes familiare colloquium. Interim introivit *Episcopus Baldericus*, qui fuit *Magister Archiepiscopi Brunonis temporibus Regis Henrici,* omnibus caput inclinans, regalem conventum benedixit. Posthæc ad sanctam Dominam *Mathildam* specialiter infit: Lætare venerabilis Regina, talibus muneribus à Deo honorata: nunc vides filios tuos & illorum filios: vere adimpletus est in te versiculus Psalmistæ, qui ait: Et videas filios filiorum tuorum. E contra Regina Deo gratias egit, sicut semper solita fuit. Tunc disseruit filiis & nepotibus suis de *constructione monasterii Northusanensis,* & quasi augeretur timore, ut inceptum opus non posset perficere; tandem sic ait lacrymis perfusa: Istud monasterium nostræ ædificationis extremum est opus, ut æstimamus, ætas nostra ad laborandum est fragilis. Insuper ceteris distribuimus monasteriis possessiones & rerum facultates: quapropter commendamus vobis omnibus, ut inceptum opus perficiatis; quia inchoavimus pro anima nostri Domini, & carissimi filii Henrici, nec non pro regni stabilitate, & virorum omnium incolumitate. Ad hæc Imperator Otto coram omnibus respondit: Deus secundet vestra cœpta: nostra non deerunt auxilia: quin etiam cohortamur filium nostrum *Ottonem*, & ceteros nostros nepotes, ut illis subsidium præbeant, quamdiu vivent. Postea pariter *perrexerunt in civitatem Northusanensem*, ad videndum ipsam congregationem. Tunc Deo dilecta Regina sanctimoniales convocari præcepit, & omnes Impe-

* Supra totidem Clerici in monasterio Palidi. Sed numerus utrobique suspectus.

Imperatori commendavit. Ille autem omnes placido animo & hilari vultu suscipiens, Deo commendavit, dicens: Sancta Dei genitrix virgo Maria cœlestis Regina illas clementer suscipiat, ut Deum solum præ omnibus diligant, & illi tota mente deserviant, non pro appetitu humanæ laudis, sed solo desiderio æternæ remunerationis. Ad hæc precamur, ut filii nostri ac nepotes tali misericordia commoveantur erga has sanctimoniales, ut quamdiu remaneat una scintillula nostræ sobolis, illis numquam desit adminiculum consolationis. Tunc pro se suorumque salute parentum vel nepotum hæc omnia iterando firmabat, insuper & illa addidit, quæ mater desideravit.

27. Postea septem dies in eadem civitate commorabantur, & Sancta Regina filio commendavit quam plurima, quasi in hoc mortali corpore ulterius eum non esset visura. Ut autem dies illuxit, quo Rex abire decreverat, mane surgentes in longum produxere sermonem, multum lacrymantes. Post ingressi sunt ecclesiam, pariter audituri Missam, & venerabilis Regina hilaritatem vultu simulabat, sed magnum dolorem corde premebat. Finita autem Missa, filium talibus verbis iterum est aggressa: Fili mi carissime, sedulo inducite vestræ memoriæ omnia, quæ in hoc loco commendavimus fidei vestræ: sæpe hic jucunde viximus, & de periclitatione partus nos eripuit Deus. In *hac civitate fratrem vestrum Henricum procreavimus*, quem *propter paternum nomen* nimium dileximus, *nec non & hic nata est soror vestra Gerbirg.* Ergo quia per intercessionem S. Mariæ Virginis in hoc loco bis enavigavimus angustias partus, hujus monasterii fundamentum posuimus, & maxime pro anima vestri genitoris & fratris & pro incolumitate vestra, sicut supra memoravimus. Quapropter convenit, ut quoties horum memineritis, propter nos majorem compassionem in hoc loco commorantibus exhibeatis. Ad hæc, ut opinamur, extrema collocutionis verba hic inter nos sortimur. Quid plura? hæc ultima vestræ matris visio, hujus monasterii sit admonitio. Tunc Imperator compunctus corde, promisit se omnia impleturum, quæ postulaverat. Deinde pariter egressi ecclesiam substiterunt ante januam, & amplectentes se invicem, fletus utrorumque humectavit faciem. Postquam autem oscula mutuo dederunt, omnes qui aderant lacrymas fundebant. Regina vero in ipsis foribus sistens gradum, euntem filium deducebat ad equum, claro intuitu oculorum. Exin ecclesiam ingressa, proprie ad locum contendit, in quo Imperator, dum Missa cantabatur, steterat, & flectens genua, abeuntis filii lacrymando deosculabatur vestigia. Hæc ut vidit *Witigo Comes* & ceteri, qui adhuc substiterant, milites, gemitu perculsi exierunt, & hæc Imperatori dixerunt. Qui statim ab equo desiliens ad ecclesiam revertebatur ingemiscens, & ingressus invenit illam adhuc in eodem loco orantem & multum lacrymantem, statimque pronus in terram cadens, ita locutus est: O venerabilis Domina, quali servitute has lacrymas vobis possumus rependere, iterumque aggressi perpauca dixerunt voce lacrymabili. Postremo venerabilis Regina sic ait: Quid vobis prodest diutius morari, quamvis nolentes, cogimur tamen ab invicem divelli, & vos intuendo dolorem non minuemus, sed potius augmentabimus. Ite jam in pace Christi: nostram faciem ultra non videbitis in carne mortali, ut æstimamus. Nil prætermisimus, sed vestræ fidei commendavimus omnia, quæ mente gerebamus. Tantum animæ nostræ hæc munera remittite, ut hunc locum sedulo inducatis vestræ memoriæ. Imperator vero inde pergens, *peragravit alias urbes Thuringiæ regionis*, postea iterum *Romam perrexit filio suo secum comitante.*

CAP. VI.

Mors prævisa: morbus, obitus, sepultura.

28. Jamjam appropinquavit hora multis luctuosa, in qua Deus animam inclytæ Reginæ de carnis ergastulo voluit dissolvi, ut perciperet præmium laboris, & gloriam æternæ remunerationis. Per circulum totius anni laborabat ægrotatione gravi, sed tamen circuibat *loca regalia*, quamvis deficerent corporis vires. Cum autem *peragrasset civitates Saxoniæ regionis*, & quæque necessaria singulis impendisset monasteriis, iterum *Northusanensem civitatem* adiit, quam nimium dilexit, ut videret *Richburgam*, quam nuper constituerat *Abbatissam.* Statim autem ut venit, hanc ad se vocari præcepit, multa interrogans de congregatione sibi commissa. Posthæc ipsa monasterium ingressa, diligenter investigavit, quali studio disciplinæ unaquæque fuisset exercitata. Nam ex quo primum monasterium construxit, hanc consuetudinem semper habuit, ut ipsa Scholam intraret, & singulorum studia intente pernosceret: quia sibi fuerat hoc munus gratissimum, videre vel audire cujusque hominis profectum. Tunc commorabatur in eadem civitate, à tempore autumni, usque ad festivitatem Nativitatis Christi. Post solennitatem vero Sancti Apostoli Thomæ iterum Abbatissam ad se vocavit, & hunc sermonem cum ipsa habuit: O nobis semper fida, & nostrorum laborum maxime conscia, jam cognoscimus frequentia infirmitatis, nostræ dissolutionis diem nobis appropinquare; & ideo expedit

 nobis

nobis hinc iter accelerare, ne hic præveniat nos ultimus dies præsentis vitæ. E contra Abbatissa præ singultu & lacrymis primo reticuit, & paullo post sic ait: O amabilis Domina, quid sibi vult prophetia? Cur nobis tam triste malum prædicitis, aut cui nos desolatas relinquitis? Speramus enim, ut Deo propitiante nondum tale quid eveniat. Verum quia versatur in dubio, quorsum protendat hæc vestra ægritudo, humiliter vos petimus, ut hic maneatis per aliquod tempus, usque dum videamus, si Deo donante leniatur vester morbus, ut, si grave infortunium eveniat, quod mors nostræ saluti invida, nos vestra vita destituat, saltem hac consolatione respiremus, ut in hoc loco nobiscum requiescat vestrum amabile corpus. Tum Deo dilecta Regina, hæc responsa dedit: Hæc jam pridem à nobis fuerant præcogitata, & quantum nobis placuisset nostrum corpus in hoc sepeliri loco, si prædestinatum esset à Deo, ut filii nostri Ottonis & aliorum nostrorum nepotum erga vos major esset procuratio. Sed hoc haud consentiri pertimescimus, *quia Dominus noster Henricus in Quitilingeburc requiescit, juxta quem oportet, nos commendari sepulturæ*, & diem ultimum exspectare. Nunc autem si in hoc loco eveniret obitus noster, gravius coangustabitur vester animus, & inferetur vobis calumnia despectionis, si mortuum corpus vobis auferetur invitis. Hæ igitur causæ admonent nos hinc iter accelerare. Quid plura? Deum semper diligite, nec alium præter eum amatorem admittite, sed semper tota mente ipsius famulatui intendite. Estote in oratione pervigiles, & in sancto proposito permanentes. Memores estote animarum, pro quibus hoc posuimus monasterium, insuper & nepotum nostrorum, adhuc mortali in vita degentium, nec non mentionem nostri facite: nam neminem ultra videbitis vobis placabiliorem. Commendamus vos Deo orphanorum Patri & S. Mariæ virgini & Sanctorum intercessionibus, quorum reliquias hic collocavimus, non turbetur cor vestrum, sed spe tendite in Deum, quamvis enim corpore simus absentes, amore tamen semper vobis præsentes erimus.

29. Igitur discessit Deo dilecta Regina de civitate Northusanense in *XI. Kalendas Januarii*, & maximum moerorem reliquit illic commorantibus sanctimonialibus; quas semper materno dilexit amore: quia illam in hoc mortali corpore, pro dolor! ulterius non erant visuræ, quæ illarum fuit honor, lætitia, decus, & gloria. Tunc in *Quitilingeburc* properabat, ubi Deus sanctam animam de carnis ergastulo dissolvi præordinaverat: ibique nimia ægritudine correpta, usque ad obitus diem infirmabatur. Appropinquante autem dissolutionis die ad se vocari præcepit supra memoratam *Abbatissam Richburgam*, cui omnia ejus secreta tunc fuerant notissima, ut diem obitus sui illic exspectaret, & in extremis, sicut antea, fideliter ministraret. Sentiens autem Sancta Domina diem ultimum sibi advenire, Episcopis & Presbyteris omnem censum erogabat, quem utilitati pauperum nondum accommodaverat, & munifica manu inter monasteria dividebat; illud recondens in memoria, quod Evangelica præcepit Scriptura: Vende omnia, quæ habes & da pauperibus. Cum igitur innumera conflueret multitudo, ægrotantem Reginam visitare; venit & *Wilhelmus, Moguntinæ Sedis Archiepiscopus*, & quamvis Deo jubente prior mortem esset subiturus, tamen aggreditur Sanctam Dei, verba consolationis ministraturus; obiturus visitavit obituram, & suæ mortis nescius, consolabatur modicum post se victuram. Beata vero Regina, Episcopum ut vidit, hilari cum vultu & perquam familiari suscepit affatu: Non dubitamus, inquit, vos nunc ad nos dirigi; nam nemo nobis familiarior, & ad hoc opus poterit esse acceptior; quandoquidem nobis hæc assumta est spes, ut dilectus *filius noster Bruno* maneret superstes, usque dum nostra extrema videret, & corpus terræ commendaret. Nunc autem primum audite nostram confessionem, & date nobis remissionem, per potestatem quæ vobis tradita est à Deo & S. Petro Principe Apostolorum, & tunc intrate Ecclesiam, & cantate Missam pro peccatis & negligentiis nostris, insuper pro anima Domini nostri Regis Henrici, & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis & defunctis. Completa autem confessione, Episcopus intravit ecclesiam, omnia implens quæ Regina desideraverat. Finita Missa, rursum intravit cubiculum, & iterando dedit illi remissionem peccatorum. Postmodum perunxit eam sacrato Oleo, & recreavit sacro sancto Corporis & Sanguinis Christi mysterio. Tunc inibi commorabatur per triduum, quia credebat jam imminere ejus obitum. Quarto autem die cum intelligeret, diem dissolutionis nondum instare, ad ægrotantem Reginam accessit, & eundi licentiam postulavit, plangens fletu inconsolabili, quia sentiebat ejus infirmitatem minime leniri; sed, si mœroris asperitas animo ullas remitteret inducias, non dolere, quin potius deberet gaudere; quia Sanctæ Dei anima recessura de corpore, de labore ad requiem creditur pervenire. Sancta autem Domina & Episcopus colloquebantur inter se plurima, quæ enumerare sunt perlonga.

30. Interim Regina ad se vocavit *Abbatissam Richburgam*, interrogans si quid sibi superesset, quod Episcopo dare posset. Illa vero respondens ait: Quid vobis dilectissima Deo potest

potest supereſſe, omnia veſtra in neceſſitates pauperum diſtributa ſunt. At illa, ubi ſunt, inquit, pallia, quæ noſtræ ſepulturæ juſſimus abſcondenda, illa nobis præſententur, ut noſtro nepoti in pignus amoris donentur: nam ipſe prior nobis his indiget, ut putamus, quia iter difficillimum eſt incepturus: ſemper enim verſatur in dubio, quo ſe vertat inſtabilis fortunæ conditio, vel ad quos labores miſeros pertrahat homines. Cum autem noſter obitus evenerit, hoc proverbium in nobis poteſt adimpleri, quod ore vulgi dici ſolet, propinqui ſæpe invenient nuptialem veſtem & lugubrem. Interim dum hæc loqueretur Regina, venit Abbatiſſa afferens pallia: at illa hæc accipiens dedit Epiſcopo, & ait: hæc munera noſtri ſint monumenta. Et cum hæc accepiſſet Epiſcopus, gratias egit, & eam benedicens receſſit. Converſus autem ad circumſtantes, cum ſilentio ſic locutus eſt: Hinc in *Radulverotb* tendimus, & unum ex Clericis noſtris hic relinquimus, ut ſi Dominæ noſtræ obitus eveniat, cito ad nos redeat, & nobis annuntiet, ut iterum veniamus, & decenti honore corpus terræ commendemus. Regina vero caput erigens, quaſi Epiſcopus hæc ad ſe dixiſſet: Non eſt opus, inquit, ut hic relinquatur, ſed vobiſcum potius proficiſcatur: vos illo plus indigetis in comitatu veſtri itineris. Ite in pace Chriſti, quocumque voluntas ipſius decreverit. Epiſcopus autem inde in *Radulverotb* pergens, ibique medicinalem accipiens potionem, ſubitanea morte defungitur. Euntes autem nuntii hæc in *Quitilingeburc* indicabant. Cum autem omnes dubitarent, qualiter hæc Reginæ indicarentur, ne infirmitatis ejus aſperitas adaugeretur, venerabilis Chriſti famula quaſi ſpiritu prophetiæ illuſtrata lacrymabiliter ſubridens, ait: Quid intra vos murmuratis? & cur triſte malum nos celare deſideratis? Novimus enim *Wilhelmum Epiſcopum* de hoc mundo migraſſe, & hoc eſt magnus cumulus infirmitatis noſtræ: præcipite ſigna eccleſiæ pulſari, & pauperes congregari, ut eleëmoſynas accipiant, quæ pro anima ejus ad Deum intercedant. Poſthæc duodecim dies mortalis vitæ ſpiritum duxit.

31. Sancto autem Sabbatho, in quo Chriſti famula receſſura erat à ſeculo, ut primum perſenſit luceſcere, omnes in cubiculo ſecum commorantes admonuit de ſomno ſurgere, ut Presbyteros & ſanctimoniales convocarent, & quæ agenda eſſent, agerent. Cum ergo innumera utriusque ſexus multitudo conveniret, præcepit Sancta Dei nulli introitum prohiberi. Igitur omnibus introgreſſis, ſalutaribus monitis illos inſtruxit, dicens: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta, declinate à malo & facite bonum, ut extrema hora veſtræ animæ ab inſidiis diaboli eripiantur, & æterna vobis præmia à Deo donentur. Poſthæc præcepit, ut omnes exirent in pace Chriſti, niſi qui neceſſaria ſibi eſſent miniſtraturi. Tunc ad ſe vocavit *ſuam neptulam Abbatiſſam Mathildam, filiam Ottonis Imperatoris*, ſalutaria illi dans monita, ut eſſet pia & humilis, prudens & cauta, ac ſibi commiſſum gregem cuſtodiret, & ut monaſterium raro egrederetur, ne ſecularibus dedita, à Chriſti ſervitio impediretur. Dedit etiam ei in manum *Computarium*, in quo nomina *defunctorum Procerum* ſcripti erant. Commendavit illi Domini ſui *Regis Henrici* animam, commendavit & ſuam, & omnium fidelium, quorum memoriam recolebat. Noviſſime autem *Richburg Abbatiſſa* mœſta proceſſit, & genu flexo in terram pedes Reginæ lacrymando amplectitur, ita inquiens; Domina mihi cariſſima, cui relinquitis congregationem deſolatam: ſuper quam me indignam conſtituiſtis Abbatiſſam: difficile enim eſt ſervare gregem commiſſum, quia veſtrum aberit ſubſidium. Sancta vero Regina ſuper hæc verba commota, dixit: Summo vos commendamus Defenſori: non relinquimus vos alienis ſed filio noſtro Ottoni, aliiſque noſtris nepotibus. At illa ait: Verſatur nobis Domina in dubio, quo ſe vertat animus illorum. Cum ergo Abbatiſſa amarè fleret, & conſolationis verba expeteret, Regina mœrorem ejus lenire cupiens ait: Quo ſpes noſtra tendenda, quo animus noſter dirigendus, niſi ad Deum? Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Credimus filium noſtrum Ottonem prioris promiſſi haud immemorem, vobis impendere ſolamen. Quicumque autem poſſeſſionem eccleſiaſticam ex noſtra parte veſtræ neceſſitati traditam injuſta deſpoliatione ſcindit vel comminuit, provideat, quid reſpondeat: contra vero quiſquis munit vel auget, à Deo fideli remuneratione dignam mercedem recipiat.

32. Poſthæc verba præcepit Presbyteros & ſanctimoniales propius accedere, ut ejus confeſſionem audirent, & ſibi à Deo remiſſionem poſtularent. Quo facto, juſſit Miſſam celebrari, & corpus Chriſti ſibi afferri, ut per ſacri myſterii communionem ſecurius evaderet callidi hoſtis læſionem. His omnibus rite peractis, ſibi aſtantes admonuit: ut Pſalmos vigilanter decantarent, & Evangelium legerent, uſque dum anima juſſu Dei de corpore diſcederet. Poſthæc nullum verbum protulit, ſed oculis elevatis, & manibus expanſis animo & ſpiritu in cœlum intendit. Appropinquante autem hora nona juſſit cilicium humi poni, & corpus moribundum ſupra collocari, propriis manibus imponens cinerem capiti: Non decet, inquit,

inquit, Christianum nisi in cilicio & cinere mori. Dein sanctæ crucis se muniens signaculo, cum pace & requie obdormivit in Domino *II. Idus Martii.* Ut rectissime potuit investigari, anima Sanctæ Dei egressa est de corpore in ipsa hora diei, qua semper consuetudinem habuit pauperes recreare in nomine Domini diebus Quadragesimæ. Cum autem corpus lavissent, & ad ecclesiam detulissent, venerunt nuntii *Reginæ Gerbergis*, *filiæ venerabilis Dominæ Mathildis*, afferentes pallium auro intertextum, aptum cooperturæ loculi. Tunc electæ Christi famulæ prophetia in omnibus fuit adimpleta, & de transmigratione Archiepiscopi Wilhelmi, & veste lugubri.

33. Igitur sepelierunt corpus *in basilica S. Servatii, juxta sepulcrum Regis Henrici*, cum magno honore, ubi ipsa decreverat requiescere, & diem judicii expectare. Ergo discessit e corpore nobilis genere, nobilior moribus & sanctitate, senex & plena dierum, omnibus suis posteris bonum relinquens exemplum. Cum honore enim præsentem vitam duxerat, & cum honore de mundo migrabat, & quidquid temporaliter vixerat, in bonis operibus consummabat. Non est enim mortua credenda, cui, ut speratur, reddita est justitiæ corona; quia temporaliter vivens, omnes desideravit salvos esse, & neminem de grege Christi perire. In profectu cujusque hilaris, in adversitate autem per tristis: erga omnes pia & compassibilis, exceptis vitiis, quibus non compassio sed rectitudo debetur. Multorum festivitates Sanctorum in ecclesia celebrantur, quorum meritis non impar est, ut speramus, & a quorum societate non separabitur in æterna beatitudine. Vere fuerat dignum templum, in quo Dominus habitaverat, jejuniis castigatum, orationibus refectum, puritate mundatum. Sed quid de ejus laude digne potest dici? Dominus in illa laudetur, & ipsa in Domino: ipse enim est laus ipsius, cujus laus ab ejus ore numquam recessit: cui est honor & gloria, decus & imperium in secula seculorum, Amen.

XIV.

Summa Capitum, ex qvibus constant Tres Libri Widukindi Corbeiensis Monachi, qvales leguntur in Codice antiqvo Bibliothecæ Casinensis.

Præfatio VVidukind. [*Nota, quod in ea, loco:* Corbejus V. *extet non abbreviato verbo:* Corbejus Widukind.]

Incipiunt capitula libri primi.

1 Qvia alios libellos scripserit præter istum.
2 De origine gentis Saxonicæ variam opinionem multorum narrat.
3 Qvod navibus advecti sint in locum, qui dicitur Hathalaon.
4 Qvod graviter adventum eorum Thuringi ferant, & cum eis pugnent.
5 Qvomodo adolescens terram auro comparavit.
6 Thuringi accusant Saxones de rupto fœdere; Saxones autem victores existunt.
7 Unde Saxonis dicantur.
8 Nomen Saxonum celebre fit, & a Brectis in auxilium sumuntur.
9 Thiadricus in regem eligitur, & Saxones vocat in auxilium contra Hyrminfridum.
10 Irring Thiadricum contra Saxones instigat.
11 Hathagath Saxones ad bellandum provocat.
12 Saxones capta urbe deponunt Aqvilam.
13 Thiadricus Saxonibus terram tradit, & Hyrminfrid occiditur.
14 Qvaliter Saxones agros dividunt, & qvia triformi genere ac lege vivunt.
15 Qvaliter eos magnus Carolus Christianos fecit.
16 De Luthuvico & Brunone, & Oddone, & Conrado Rege.
17 De rege Henrico.
18 De Ungariis, qvi & Avares dicuntur.
19 Ungarii a magno Carolo clausi, sed ab Arnulfo demissi.
20 Qvaliter Ungarii Saxoniam vastabant.
21 Henricus fit Dux Saxoniæ.
22 De Hinrico, Episcopo Hathone & Comite Adalbertho.
23 De Conrado & ejus fratre Everhardo.
24 Conradus obsedit Henricum.

25 Con-

Expliciunt capitula libri primi.

Incipiunt capitula libri secundi.

Expliciunt capitula libri secundi.

Incipiunt capitula libri tertii.

* In Witichindi edit. Meibom. est *Swithleiscranne.*

Expliciunt capitula libri tertii.

XV.

Variæ Lectiones ex WIDVKINDI Codice
Archivi Electoralis Dresdensis.

Codice hoc manuscripto usus est G. Fabritius: eoq; defuncto is cum aliis in archivum devenit.

Præfatio sine ulla epigraphe incipit: *Flore Virginali* &c.

Mathildæ] *Mathilde:* ad nominis originem convenientius propiusque.

Paternæ potentia] *paterne sapientie:* melius: quia potentia sacris virginibus non accommodari potest; & præclarior est laus ex paterna propriaqve sapientia dimanans.

Dominus primus] *Dominus Heinricus primus.*

& pulcro] Manuscript. omittit: *&*.

tua charitas] *tua claritas*, melius: & sic infra etiam. Meibom. legit pag. 635. L. XVIII.

Libri primi rubrica est:

Incipit liber primus gestarum Saxonicarum.

Pag. 629. lin. 12. 13. *in Josepho oratio contexitur*] in Manuscript. deest *oratio*.

l. 18. *ictumque est fœdus*] *initumque est fœdus.*

l. 24. qvid sibi vult inquit] *Quid sibi inqvit vult.*

l. 26. 27. Nullum inqvit mihi Saxo est discrimen] *N. i. m. e. d. s.*

l. 29. accepit humum] *accipit humum.*

l. 34. alii eam irridere cœperunt amicorum alii arguere] *alii eum irridere cœperunt amicorum alii arguere.*

l. 35. seqvimini me, inqvit] *seqvimini inqvit me.*

l. 38. videre Thuringi] *viderunt Thuringi.*

l. ult. Saxones semper] in Manuscript. deest *semper.*

Pag. 630. lin. 7. Inde Saxones] in Manuscript. deest *Inde.*

l. 8. terrorem vicinis] Manuscript. addit *gentibus.*

l. 9. inditum tradant] Manuscript. omittit *tradant*.
l. 11. Britannia] *Brittannia*.
l. 21. miseri Bretti, alias Braeti] *miseri Britti*. Reliquæ duæ voces apud Meib. indubie sunt Glossema.
l. 33. tum modo] *dum modo*.
l. 34. & Pehiti] *& Pehtti*: quod vernacule diceremus die Pechten oder Pichten: *Pictos*: ut supra *Sabs* i.e. Sachs.
l. 38. ad evocandum] *ad revocandum*.
l. 39. & Pehitis] *& Pehttis*.
l. 45. moritur Huga. Clodoveus Rex Francorum] *moritur Hugo*, *R. Fr.*
l. 47. Erminfrido] *Irminfrido*: & sic semper in seqventibus scribitur hic nomen, littera initiali I. non E. ut apud Meibomium.
l. 49. Thiadericum] *Theodericum*: & sic semper in seqventibus.
Ibid. *ungunt in regem*] *ungunt sibi in regem*.
Pag. 631. l. 5. Hiringo] *Iringo*: & sic in seqq.
l. 8. manus dare] *manus daret*.
Ibid. Erat autem Hiringus vir audax] *Erat autem vir Irinus audax*.
l. 13. Hiringus] *Iring*: & sic in seqq.
l. 16. sibi à Theodorico] *sibi at Theoderico*.
l. 18. mirari tamen non satis posse] *mirari tamen non posse*.
l. 27. Runibergum] *Runibergun*.
l. 29. in urbem qvæ di] *in urbe qva*.
l. 32. Waldericus] *Waldricus*.
l. 36. vinces] *vincis*.
l. 41. superavere] *superaverunt*.
l. 44. Castrorum iste labor] *Castrorum esto labor*.
l. 46. Hostes non omnes evasere] *Hostesne omnes evaserunt?*
l. 51. Sed eas omnes] *& eas omnes*.
l. 52. 53. gloriæ victoriæ] *gloria victoria*.
l. 54. essent auxilio] *essent in auxilio*.
Pag. 632. l. 3. qvodcunqve voluntas tibi] *qvodcunqve tibi voluntas*.
l. 7. nisi vincere] *ni vincere*.
l. 10. & novum habitum] *mirati sunt & novum habitum*.
Ibid. & diffusos scapulas cæsarie] *& diffusos scapulis cesarie*.
l. 19. ex adverso portæ orientalis] *ex adversa parte orientalis*.
l. 26 Cumqve fierent cædes] *cumqve ubiqve fierent cades*.
Ibid. & neutrum agmen] *& neuter agmen*.
l. 36. tamqve contritum] *tamqvam contritum*.
l. 38. In peracto] *Imperacto*.
l. 51. serione hæc] *serio hac*.
l. penult. qvidam jam senior] *qvidam de veteranis militibus jam senior*.
l. ult: Hathagast] *Hathagat*.
Pag. 633. l. 3. & motu corporis] in Manuscript. deest *&*.
l. 5. qvomodo nunc cogor] in Manuscript. deest *nunc*.
l. 7. 8. Exemplo mihi paternæ virtutes sunt, amicorum corpora] *Exempli mihi paterna virtutis sunt amicorum corpora*.
l. 8. qvi maluere mori] *qvi maluerunt mori*.
l. 10. ad secures ibimus] *ad securos ibimus*.
l. 13. Irruere igitur] *Irruamus igitur*.
l. 20. erraverunt] *erravere*.
l. 21. Incidere] *Inciderunt*.
l. 22. Servavere] *Servaverunt*.
l. 24. summa victoriæ] *summa victoria*
l. 27. 28. nomine Martem effigie columnarum innitentes, Herculem loco solis] *nomine Martem effigie columnarum imitantes Herculem. loco solem*.
l. 28. 29. Ex hoc æstimationem illorum apparet] *Ex hoc apparet æstimationem illorum*.
l. 34. 35. Acta sunt hæc autem omnia] *Acta sunt autem hac omnia*.
l. 35. Kal. Octobris] *die Kal. Octobr.*
l. 38. & in terra] *& terra*, melius.

l. 41. finis

l. 41. finis regis secutus sit, qvi memorabilis] *finis regis secutus sit, quia memorabilis.* utrumq; scil. regem.
l. 42. Hiringus ad Thiadericum] *Iring ad Theodericum.*
l. 47. corruptus cessit] *corruptus tandem cessit.*
l. 50. ait rex] in Manuscript. deest *ait.*
l. 55. corpus domini super cadaver] *corpus domini posuit super cadaver.*
Pag. 634. l. 2. Hiringi] *Iringis.*
l. 9. Westvalos] *Westfalos.*
l. 10. forte eligitur, cui omnes obedire oporteat] *sorte eligitur cui omnes obedire oportuit.* V. Meibom. Notæ: unde patet, in textum irrepsisse vitium typogr. *forte* pro *sorte.*
l. 13. 14. Suevi vero Transalbini] *Suavi vero transbadani.* NB.
l. 15. adiere] *adierunt.*
l. 23. trigesimo] *tricesimo*
l. 26. Lothowicus] *Ludewicus.*
l. 32. Natu qvidem minori] *natu qvoqve minori.*
l. 36. Cunradus] *Chunradus.*
l. 37. vigebat imperium] *fiebat imperium*
l. 39. prima ætate] *primæva ætate.*
l. 40. bonorum actuum gloria] *bonarum artium gloria.*
l. 45. Vngaros] *Vngarios.*
l. 46. bello asperrimam] *belli asperrimam.*
l. 48. Iordanus] *Iordanis.*
l. 49. Nomine Gotho] *nomine Gotha.*
l. 53. mari cingerentur] *mari cingeretur.*
l. 55. 56. ferarum more] *ferarumq; more.*
Pag. 635. lin. 9. proinde] *provide.*
l. 11. supellectile] *supellectili.*
l. 13. & trans] in Manuscript. deest *&.*
Ibid. circumfusi] *circumclusi*, melius.
l. 15. Regi Moravorum] *Regi Marorum.*
l. 20. Ungarorum] *Ungariorum.*
l. 21. In Dalamantiam] in Manuscript. deest *in.*
l. 22. Ungarorum] *Vngariorum:* & sic in seqq.
l. 28. ipse reliqvit] in Manuscript. deest *ipse.*
l. 29. Thanemarus & Luitolfus] *Thangmarus & Ludolfus.*
l. 37. suppetente] *suppeditante.*
l. 38. seqq. *interficeretur dolo.*]

Quæcunque post hæc verba in edit. Meibom. seqvuntur, de Adelberto, Hattonis fraude necato, in Manuscripto plane desunt: & qvæ p. 635. leguntur de torque aureo ad Henricum necandum Hattonis jussu confecto, in quamplurimis etiam variant (*in*) Manuscript. h. m.

Denique ab amicis regiis ei insidiare machinantur. Que tamen ab aurifice torquem auream ad usus doli fabricante deteguntur. Quidam enim insidias tendentium ingressus ad aurificem opus considerandi gratia. eoqve inspecto. altius ingemuisse fertur. Tanti gemitus causam dum faber interrogat. hoc responsi accepit. qvia optimi viri Heinrici post modicum deberet illa torqves sanguine infundi. Audita faber tanquam parvipendens silentio texit. Opere perfecto traditoqve missionem petit & accepit. occurrensqve duci juxta locum qui dicitur cassala. secreto interrogat qvo iturus esset. Ille se ad convivium munusqve honorificum invitatum. & ad hoc ire velle respondit. Aurifex ilico audita prodit. & ducem ab itinere prohibuit. Vocat autem Legatum qui ea hora invitandi eum gratia aderat. imperatqve suis dominis gratias agere pro fideli invitatione. non posse vero in præsenti eos visitare propter repentinas barbarorum incursiones. ceterum in sui seruitio incunctanter permansurum. Ad orientem autem versus cum suo comitatu collecta manu omnia que erant Pontificis qui eo tempore Maguntiæ preerat Hathonis in omni Saxonia vel Thuringorum terra occupavit. Burchardum qvoqve & Bardonem, qvorum alter gener regis erat, in tantum afflixit & bellis frequentibus contrivit, ut terra cederent, eorumq; omnem possessionem suis militibus divideret. Hattho autem videns suis artibus finem impositum. Saxonumq; res florescere. nimia tristitia ac morbo pariter confectus. non post multos dies deficiens. diem extremum obiit. vir magnæ prudentiæ, & qui tempore Ludewici adolescentis super imperio Francorum acri cura vigilabat.

gilabat. multas discordias in regno reconciliabat. Templum Maguntiæ nobili structura illustrabat. Rex autem &c.

Pag. 636. l.18. ad eam devastandam] Manuscript. omittit *ad*
l.19. Heresburg] *Heresburch.*
l.20. majori curæ] *majoris cura*
l.24. absentiæ Saxonum] *absentium Saxonum.*
l.25. nam eos præsentes vidit] in Manuscript. non ponuntur in parenthesi.
Ibid. male pugnatum] *turpiter pugnatum.*
l.29. futurum] *affuturum.*
l.30. Thiatmarus] *Diethmarus.*
l.31. Ingenii] *Ingenita.*
l.38. in Bajoariam] *in Bawariam.*
l.40. cum defectione primæ fortunæ vocat fratrem] *cum defectione prima fortuna, vocat fratrem.*
l.41. qvem ita] *qvemqve ita*
l.44. attendendo] *mei attendendo.*
l.46. decus reginum] *decus regium.*
l.51. Ipse enim vero] *ipse enim vere.*
l.53. Post hæc vero] *Post hæc autem.*
l. ead. militiæqve] *militiaqve.*
l. ult. Everhardus] *Eberhardus.*
Pag. 637. l.5. Herigerus] *Hirigerus.*
l.6. majoribus meis] *majoribus mei.*
l.11. Burckhardum Alemanniæ ducem] *Burchardum ducem Alamanniæ.*
l.14. Bajoariam] *Bawariam.*
l.18. & clarior] *ac clarior.*
l.19. contusum] *confusum.*
l.22. Wascanorum] *Wasconorum.*
l.23. Barcinonam Hispaniæ urbem] *Barcilonam Spaniæ vrbem.*
l.24. Britannicum] *Brittannicum.*
l.25. Mosam, bis] *Masam* utrobiqve.
l.26. 27. ad Oram, alii oderam qvoqve fluvium] Manuscript. *Odoram qvoqve fluvium.*
l.28. in Zontinith.] *in Phontinith.*
l.29. hujus Lothowici] *hujus Lotharij.*
l.30. nomine Odo.] *nomine Oda:* & in seqq.
l.45. Rodbertus] *Robertus.*
l.47. communem] *communemqve.*
l.49. superaturum] *superaturos.*
l.52. ex simulata] in Manuscript. deest *&.*
l.53. Giselbertum] *Iselbertum.*
Pag. 638. l.5. Mathilda] *Mahtilda.*
l.6. Oddonem] *Ottonem.*
l.11. 12. filia Thiaderici, cujus fratres erant Witekind, Immet, Reginbern. Reginbern autem] *filia theoderici, cuius fratres erant Widikind immed ex Reinbern. Reimbern autem* &c.
l.14. in hodiernum] *in hodiernum diem.*
l. ead. Widekindi] *Widikindi*
l.16. Vngari] *Vngarii*
l.17. egere] *egerunt*
l.18. comminarentur] *comminarent.*
l.19. 20. Quantam autem stragem fecerint] *Quantam autem fecerint stragem.*
l.21. judicamus] *iudicavimus.*
l.22. Vngarorum] *Vngariorum.*
l.25. confirmaretur. Quando vero] *firmaretur. Quoniam vero*
l.36. corpus] *corpus ejus.*
l.41. præses ipse] *ipse præses.*
l.44. inclusit] *reclusit*
l.46. confessus] *contessus*
Pag. 639. l.7. curavi, qvo eius amore ardeas] *curavi. ut inde sumas qvo ejus amore ardeas.*

l.10. per

l.10. per me] *pro me*
l.12. Fulradus] *folradus*
l.14. collocavitqve] *& collocavit.*
l.19. Colito itaqve tantum patronum] *Colito itaqve patronum*
l.ead. ex serviente] *ex serva*
l.22. advocatam] *advocatum*
l.24. Vngaris] *Vngariis.*
l.32. Vilia autem nulla] *Vilia aut ollā*
l.33. Sclavos] *Slavos.*
l.33. 34. potitus & omni regione] *potitus omnem regionem.*
l.34. Dalmatiam] *Dalmantiam*
l.35. Grona] *Kietni*: intelligit Widikindus sine dubio urbem Anhaltinam, quam hodie Köthen appellamus; & frustra est Meibomius cum sua *Grona*. conf. Eulenburg. Chron.
l.37. Bohemorum] *Boemiorum.*
l.40. Bohemias tributarias] *Boemios tributarios*
l.41. 42. Abotriti, Vulzi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi] *Apotriti. Wilti. Hevelli. Dalamanci. Boemi.*
l.43. Wallislevi] *Wallisleu.*
l.48. Thiatmarus] *Diethmarus.*
l.49. barbarorum] *barbarum.*
l.52. legatus] *legati.*
l.ult. multitudo in castris, variavere] *multitudo. in castris variavere.*
Pag.640. l.7. procedebant] *procedebant castris*
l.10. ut ab eqvitibus] *ut vix ab eqvitibus.*
l.26. fieri solet] *solet fieri.*
l 28.29. & omni supellectile barbarorum regis captivitatem subibant] *& omni supellectili barbarorum regis. captivitatem subibant.*
l.36. Oddoni] *Ottoni.*
l.37. Luidulfum] *Ludolfum*
l.38. Luidgardam] *Ludgardam*
l.40. Vngaros] *Vngarios*
l.42. toties] *totiens.*
l.43. Vestraqve] *Vestra*
l.45. pariter simul] in Manuscript. deest *simul*, qvippe superfluum.
l. ult. Vngarorum] *Vngariorum*
Pag. 641. l.1. nihil morati cum gravi] *nihil morati sunt. cum gravi.*
l.4. pinguissimum pro munere eis] *pinguissimum eis pro munere*
l.11. alii frigore] in Manuscript. deest *alii.*
l.17. Riaede] *Riede*
l.21. Vngaros] *Vngarios.*
l.22. Hostes cito] *Hostes vero.*
l.23. erecti milites] *certi milites.*
l.29. peracto miliario] *per octo miliaria.* differentia summe notabilis.
l.32. tributumqve] *tributum*
l.37. Hiribertus] *Heribertus.*
l.39. Præsidio esset] *pro presidio esset.*
l.49. se dissolvendos] *se dissolvendum.*
l.51. Nubam] *Chnubam.*
l.54. 55. Oddonem] *Ottonem.*
Pag.642. l.2. relinqvens sibi ipsi majori filio qvo magnum] *relinqvens filium sibi ipsi majorem. filioqve magnum.*
l.5. Quedelingeburg] *Qvidilingeburg.*
l.7. Explicit liber primus] Manuscript. addit: *Prologus in librum secundum.*
l.13. Jam potestas] in Manuscripto deest *jam.*
l.15. Explicit prologus] Manuscript. addit: *Incipit liber secundus.*
l.19. Oddonem] *Ottonem*: & sic semper in seqq.
l.23. in Sistorio] *in Sixto*
l.29. linea indutus stola, plantaqve infulatus] *linea indutus. stola planetaqve infulatus.*
l.35. in excelsum levans] *in cælum levans.*

l.38.

l.38. ac diademate] *ac diadema.*
l.39. Hildibertus] *Hildeberbtus.*
l.41. Mogonciacæ] *Maguntiacæ.*
l.47. Hildiberti] *Hildeberbti.*
Pag.643. l.1. debeas] *debere.*
l.5. perfusus itaqve oleo] *perfususqve ilico oleo sancto.*
l.6. Hildiberto & Wichfrido] *Hildeberbto & Wicfrido.*
l.7. per cochleas] *per cocleas.*
l.12. Giselbertus] *Isilbertus.*
l.20. Bolizlaf.] *Bolizlau.*
l.23. Mersaburiorum] *Mesaburiorum.*
l.26. Quemcunqve videbat furem aut latronem] *Quemcunqve videbat furum aut latronum.*
l.28. Mersaburiorum] *Mesaburiorum.*
l.30. Bolizlaf] *Bolizlau:* & sic l.37.
l.44. hujusmodi] *hujuscemodi.*
l.45. corroboratus] *roboratus.*
l.49. Herimannum] *Hermannum.* & sic in seqq.
l.penult. Ekkehardus] *Eckardus.*
Pag.644. l.4. occiderant] *ceciderant.*
l.6. Ungari] *Ungarij*
l.11. qvas habuere ullius alius, nisi solius regis] *qvas habuerunt, ullius alii nisi solius regis.*
l.12. Bruningum] *Bruningnum.*
l.13. Elveri] *Elmeri*
l.17. Magadaburg] *Magedeburg*
l.20 honorant] *honorans.*
l.21. affabilis, mediocris in rebus] *affabilis mediocribus: optimo*
l.23. Bajoariorum] *Bawariorum.*
l.25. Propinqvus ei] *propinqvus ejus.*
l.25, 26. filia materteræ erat Sifridi] *filia erat matertera Sifridis.*
l.27. Bajoariam] *Bawariam.*
l.40. Vindicassent] *Vindicasse*
l.45. pariter procedebant] *parum procedebant.*
l.48. Vile qvoddam mancipium] *vile mancipium qvoddam.*
l.49. Gevehardus] *Gebehardus.*
l.54. Larum] *Larun.*
l.53. Deudi] *Dedi*

Summe dolendum est, ex Manuscripto nostro periisse duo integra folia, qvæ proinde conferri non potuerunt.

Pag.648. l.5. licet coram milite constiparetur] *licet raro milite constiparetur.* optime.
l.8. Historiæ satis faciendum, arbitramur qvicqvid hac in parte peccamus] *hystorie satisfaciendum arbitramur. qvicqvid in hac parte peccemus.*
l.11. Deficere] *Desipere*
l.14. Hommaburgensem] *Hammaburgensem.*
l.15. Ruodhardum] *Ruthardum.*
l.16. suscepit] *suscipit.*
l.20. Giselbertus] *Isilbertus:* & l.25.
l.27. in regionem] *in regnum.*
l.28. hyemeqve] *hyememqve*
Ibid: vere nescio] *re vera nescio*
l.29. cum urbe] *cum orbe*
l.30. Giselberti] *Isilberti*
l.31. Anfredo] *Ansfrido*
l.34. dubium est] Manuscript. non habet *est*
l.35. Et tunc] *Et nunc.*
l.39. Saxoniæ] *Saxoni me.* optime.
l.41. factus sum] in Manuscript. deest *sum.*
l.42. Anfrid] *Ansfrid*
l.43. mutui colloqvii] *mutuo colloqvio.*
l.50. ac rebus res] *& res rebus.*

l.penult. in terra regionem] *inter regionem*
Pag.649. l.5. 6. & ut solet amaris animis dum dulce aliquid affertur, persuadebat facile] *& ut solet armis. dum amaris animis dulce aliquid offertur. facile persvadebat.*
l.15.16. qvi eo tempore maxime sibi] *qvi eo tempore sibi:* deest *maxime*, qvo nec opus est.
l.16. Herimanni] *Hermanni*
l.19. Erik.] *Erich.*
l.21. damnationi] *dominationi.*
l.28. Quomodo qvidem] *Quo qvidem.*
l.31. quod multis] *qvia multis*
l.34. Inundationem qvoqve] *inundationemq.*
l.35. Vdone] *Ottone*
l.36. Chuonrado] *Conrado*
l.37. militiæqve] *militiaqve.*
l.38. Bajoariam] *Bawariam* & l.45.
l.59. Vngaros] *Vngarios.*
l.46. pacem & concordiam] *pacem atqve concordiam*
l.47. permansit] *perduravit*
l.49. fit jam celebris] in Manuscripto deest *fit.*
l.51. Bajoariorum] *Bawariorum.*
l.51. 52. abiens Aquilegiam cepit, Vngaros duabus vicibus armis superavit] *abiens aqvileiam. cepit Ungarios duabus vicibus armis superavit.*
l.53. in patriam reduxit] in Manuscript. deest *in.*
l.55. nostrum non est omni modis exponere] *nostre non est omnimodis virtutis exponere.*
Pag.650. l.1. natu maximus, optimus inprimis, pietate erat clarus] *natu maximus. optimus. in primis pietate erat clarus.*
l.6. ab eo post habitos] *ab eo post habitas.*
l.9. Sclavonicaq;] *Slavanicaqve*
l.9.10. qvod earum uti dignaretur] *qvo earum uti dignetur.*
l.14. pectus leoninum, qvibusdam sparsum jubis] *pectus leoninis qvibusdam sparsum jubis.*
l.16. ut qvi nunqvam] *& qvi nunqvam.*
l.22. Dominus Bruno] *Domnus Bruno.*
l.24. ita purgavit] in Manuscripto deest *ita*
l.30. zizania] *& zizania*
l.33. ficte fecisse arbitrati sunt] *ficte arbitrati sunt fecisse*
l.34. posset] *possit*
Ibid. vir magnæ] in Manuscript. deest *vir*
l.36. perfectum est] in Manuscript. deest *est*
l.38. deprehendisset] *reprehendisset.*
l.46. Rothum, ibi &] *Rothum ubi &*
l.48. moraretur] Manuscript. addit *Rex*
l.49. Bolizlavi] *Bolizlai.*
l.ult. Liudgardam nomine] *Ludgardam*, omisso *nomine*
Pag.651. l.1. Magathaburg] *Magdeburg*
Ibid. Aqvilonari] Manuscript. *Aqviloni*
l.2. Explicit liber secundus] Manuscript. addit: *Prologus in Librum tertium.*
l.12. nec in ea] *nec in eo*
l.13. Explicit Prologus:] Manuscript. addit: *Incipit liber tertius.*
l.15. Post excessum] *Post discessum*
l.16. Liudulfum] *Ludolfum*
l.18. non amplius habens] *non habens amplius.*
l.21. copia armatorum] *copia armorum.*
l.24. absorbere] *obsorbere*
Ead. reddidit] *reddit*
Ibid. sibi vero esse] *sibi vero fore*
l.26. videret] *viderit*
l.27. fere non est] Manuscript. omittit *fere*
l.28. usqve ad 35. *nisi Corbeius abbas .... martyris Viti:* desunt omnia in Manuscripto. Quod dissimulavit Reineccius, pag. 25. t.
l.42. Rothun Danorum] *Rothundanorum.*

Pag.652. l.3. Berngarius] *Bernharius*
l.5. tanti decus splendoris] *tanti Ducis splendorem.*
l.6. Bolizlavum regem Boemorum] *Bolizlaum regem Boemiorum.*
l.12 regressus est] *regreditur.*
l.17 Salaveldum] *Salaveldun.*
l.19. acturusqve] in Manuscripto bene deest *qve.*
l.20 Berngarius] *Bernharius*
l.25 præparato] *parato.*
l.31. Augustam] *Augustanam.*
l.32 Berengarius] *Bernharius*
Ibid. Adelberti] *Adalberti.*
l.38 tertius Otto] in Manuscripto deest *Otto.*
l.41. Valeamus] *Valemus.*
l.49. Quare cum in Saxoniam perrexisset] hæc verba desunt in Manuscripto.
l.penult. necessarium arbitramur] *nostrum arbitramur.*
Pag.653 l.4. Fridisleri] *Fridislar.*
Ibid. discutiendis] *discutiendum.*
l.6.7. ex illis dictis] *ex illius dictis.*
l.7. Propterea Rex sæviorem animum] *Præterea Rex severiorem animum*
l.8. traditos] *fratri traditos*
l.9. ex se purgare non sufficerent] *nec se purgare sufficerent*
l.11. perterriti] *satis perterriti*
l.14. exercens] *exerens*
l.17. suppetente] *suppeditante*
l.20. Cal. Iulias] *Cal. Iulij.*
l.22. miserabile] *miserabilius.*
l.34. egressuros] *egressos.*
l.35. cum obedirent] *cum non obedirent.*
l.46.47. incepti certaminis] *incauti cert.*
l.47. Bajoarii] *Bawarii.*
l.48. conjuncti] *juncti*
l.49. Reinesburg] *Regnesburg.*
l.penult. in Bajoariam] *in Bawariam*
Pag. 654. l.3 Moguntiam] *Maguntiam.*
Ibid. Herimannus] *Hermannus.*
l.4.5. Thiadericus juniorqve Wicmannus] *Theodericus iuniorqve Wigmannus.*
l.16. Bajoarii] *Bawarij.*
l.18. à manibus exercitus] *absq; animabus exercitus.*
l.21. in Bajoaria] *in Bawaria*
l.22. nunc alias partes] *nunc alienas partes*
l.23. sine detrimento] *sine sui detrimento*
l.24. à Mogontia] *à Maguntia*
l.25. ac Mainwerco] *& Meinwerco*
l.26. Mogontiæ] *Maguntiæ*
Ibid. Bajoariam] *Bawariam*
l.33. divertunt] *diverterunt*
l.48.49. habeo adversum me] *habeo aversum à me*
l.49. hoc totum] *hoc utcunqve*
l.49.50. si non Dei hominumqve inimicis his causis introducerentur] *si Dei b. i. b. c. non introducerentur.*
Pag.655. l.1. in fidem susciperet] *in fide susciperet.*
l.4. Postremo Pontifex summus rationem intravit promittens] *Postremum Pontifex summus rationem redditurus intravit. promittens.*
l.7.8. Iuramentorum omnibus iuramentis] *Iuramentorum omnibus argumentis.*
l.12. se jungentes] *sese jungentes.*
l.13. Reinesburg] *Regensburg.* & in seqq.
l.15. vnqvam viderat] *vnqvam vidit.*
l.16.17. ducitur exercitus inde] *ducitur inde exercitus.*
l.21. belli negotii] *belli negotiis.*

l.33. Inter Rein & Danubium] *inter rain & donov.*
l.43. Locusqve consilii] in Manuscript. deest *consilii.*
l.44. Fridisleri] *Fridislar*
l.ead. Rex redit inde in patriam] *Rex inde in patriam reversus.*
l.45. arsa] *est arsa.*
l.46. filius patri nudatis] *si filius patris nudatis*
l.52. conventus populi] *conventus est populi.*
l.52. Mogontia] *Maguntia*
l.54. Sclavi, qvi dicuntur Uchri] *slavi qvi dicuntur uchri.*
Pag. 656. l.7. aliqvot diebus] *aliqvantis diebus.*
l.9.10. qvasi laboris oblitus, qvem præterito bello toleravisset] *qvasi nihil laboris prat. b. tol.*
l.10. sumtis secum] *sumptisqve secum.*
l.11. eo qvod jam bellum Sclavonicum vigeret] *& qvod jam bellum Slavonicum vigeret.*
l.15. bono consilio] *bonus consilii.*
l.16. militiæqve] *militiaqve*
l.17. Ieiunio in castro indicto] *jeiunio in castris prædicato.*
l.18. in crastinum] *in crastino.*
l.19. procedunt castris] *procedunt e castris*
l.24. procurator & rector] *rector & procurator.*
l.29 & impedimenta] *ac impedimenta.*
l.35.36. bellum ex adverso esse, & post tergum novissima agmina periclitari] *bellum ex adverso & post tergum. novissima periclitari.*
l.39. gloriæ victoriæ] *gloria victoria.*
l.40. Bajoaria] *Bawaria*
l.41. Thiaderico] *Theoderico.*
l.42.43. cogens illos intra murum. Oppido potitus, eoq; incenso] *cogens illos intra murum oppido potito & incenso.*
l.45. Sclavi - in arcto] *slavi - in arto.*
l.47. ad qvinqvaginta] in Manuscripto deest *ad*
l.51. videntibus] *visentibus.*
l.55. socios suos] in Manuscripto deest *suos.*
Ibid. Opus esse bonis operibus] *Opus esse nobis bonorum animorum.*
Pag. 657. l.1. armis vestris] in Manuscripto deest *vestris.*
l.5. sola pro muro audacia] *sola audacia pro muro.*
l.10. arrepto gladio & clypeo] *accepto clypeo:* optime.
l.11. audaciores] *auditores.*
l.14. ripa ulterior] *ripa altior.*
l.16. evaderet] *discederet.*
l.27. & summa lætitia] *ac summa latitia.*
Ibid. à populo] in Manuscripto *suo* additur.
l.29. Sclavonico] *Sclavanico*
l.36. Intrare liceret] *Ire liceret.*
l.37. ibiqve] in Manuscripto deest *qve.*
l.38. occupatis ibi] in Manuscripto deest *ibi.*
l.42. Suithleiscranne] *Suttheleiscrannae.*
l.42.43. ut caperentur cum urbe] *ut cum urbe caperentur.*
l.44. cæsorumque] in Manuscripto deest *qve*
l.45. Sigifrido] *Sifrido*
l.46. militiæqve] *militiaqve*
l.50. belli copias adesse. Civili bello urgente arbitratus est] *belli copias affore civili bello urgente arbitratus est.*
l.54. Sigfridus] *Sifridus*
Ibid. Cocarescemiorum] *Cocarescemiorum.* NB. forte Kochersheimer.
Pag. 658. l.2. ictum pugni] *iectum pugna.*
l.6. de Vngaris parta] *de Vngariis patrata*
l.7. cum Sclavis conspiraverant] *cum slavis conspirant.*
l.11. non negare] *neqvaqvam negare.*
l.17. Sclavus] *slavus.*
l.21. multæ artes bonæ] *multa bona artes.*

l.32. fortes viribus] *fortis viribus.*
l.34. gestis insignibus] *gestis insigniis.*
l.45. lucoqve qvodam] *locoqve qvodam*
l.51. postera die] *postera luce*
Pag.659. l.1. Saracenorumqve, per eosqve dies diversi generis munera] *Saracenorumqve, per eosqve diversi generis munera.*
l.2. ærea qvoqve, & mira varietate operis distincta vitrea, vasa eburnea etiam] *area qvoq; & mira varietate operis distincta. Vitrea vasa eburnea etiam.*
l.7. toti Francorum imperio] *toto Francorum imperio.*
l.8. Mogontiam] *Maguntia.*
l.24. lepras vestium] in Manuscript. deest *vestium.*
l.33. Bernengarium] *Bernharium.*
l.34. Romam expugnaverit] *Romamqve expugnaverit.*
l.36. in terra Saxonia] Manuscript. omittit *in.*
l.37. in initio] in Manuscripto deest *in.*
l.38. laborasse] *elaborasse.*
l.43. Haraldo] *Alardo.*
l.45. sociare vellet] *sociare velle*
l.51. eo fore majores] *fore eo majores.*
l.53. nomine Poppa] *nomine Poppo.*
l.56. Haraldus] *Alardus*
Ibid. fuisse] *fore.*
Pag.660. l.2. ingentis ponderis ferrum portare jussit] *ingentis ponderis ferrum igne succendi jubet. clericumqve ob fidem catholicam candens ferrum portare jussit.*
l.4. reddit] *reddidit.*
l.11. Miscam regem] *Misacam regem.*
Ibid. erant Sclavi] *erant flavi.*
l.17. Mistaw] *Mistau.*
l.17. *Waaris - - Abotritis*] *Waris-Abtritis.*
l.21. Inferre] *inferre posset.*
Ibid. Sclavo] *flavo.*
l.27. Sclavum qvidem speciem belli gessisse] *flavum speciem qvidem belli gessisse.*
l.30. Vt saltem in patria salutem recuperaret] *ut salutem in patria recuperaret.*
l.32. Sclavum] *flavum.*
l.33.34. hoc qvoqve] *hocqve.*
l.36. 37. filio ipsius qvem antea ob fidem accepit, omni ipsius potestate tradita] *filio ipsius potestate tradita.*
l.40. sociosq; afflictos] *sociosq; circumventos.*
l.41. cum Sclavis qvi dicuntur Vuloini] *cum flavis dicuntur Wlonu.*
l.42. Misicam] *Misacam.*
l.43. ad Boluzlaum regem Bohemorum] *ad Bolizlaum regem boemiorum.*
l.46. & signo] in Manuscript. deest *&*
l.47. revocantur] *monet.*
Ibid. premeretur] *premerentur.*
l.50. via qva] *via qvam.*
l.51. fessus] *iam fessus.*
l.53. se esse] *se fore*
l.ult. & virtutis] *ac virtutis*
Pag.661. l.1. Misacæ] *Misaco.*
l.9. Contra Imperatorem arma sumserunt] Manuscript. addit: *patrem tuum.*

Hisqve verbis finitur totus liber omissis omnibus, qvæ in Meibomiana editione ad finem usq; p.661. 662. 663. seqvuntur.

XVI. Hi-

XVI.

Historia Witichindi edita Basileæ apud Ioannem Heruagium Anno 1532. collata cum eodem M.S. Bibliothecæ Casinensis.

Edita.	*M. S.*
Ad Matildam Reginam Witichindi Præfatio.	*Ad D. Mathildam Imperatoris filiam libri primi incipit præfatio.*
Vale	desideratur hoc verbum: *vale.*

Liber I.

Edita	M. S.
fol. 1	
Hadolaum	*Hadolam*
Ictumque est fœdus	*Actumque* est fœdus
Statique illud fædus	*Statitque* fedus
arbitrantur	*arbitrabantur*
Quo auro *delecter*	*delector*
Ille *vero* subridens	Ille subridens
Aperit sinum & *accepit* humum	*Accipit*
Tradidit aurum	*Tradit*
fol. 2 Ut autem *videre*	autem *viderunt*
Perditionis suæque regionis	Perditionis *sua* suæque regionis
erat illis diebus	erat *autem* illis diebus
fol. 3	
Miseri Bracti	Miseri *Bretti* & sic semper scribitur in M. S. hoc verbum: Bretti & non: Bratti.
Scoti, *Pebiti*	Scoti, *& Pecti*
& pace cum Scotis, & *Pebitis* firmata	*Pebtis*
& inveniet qvomodo	& *ibi* inveniet quomodo
ermenfrido	*Irminfrido*
Thiadericus	*Thiadricus*
erminfridum	*Irminfridum.* & sic semper hoc nomen legitur in M. S. Irminfridus, & non Erminfridus semper legitur etiam: Thiadricus.
Dominus meus *Thiadericus*	Desiderantur in M. S. hæc verba: Ipsum namque sibi in regem seqvuntur constitutum.
fol. 4 *erminfridus*	*Irminfridus*
Thiadericum vero servum	Thiadricum vero *suum* servum.
erat aut Hiringus	semper in M. S. legitur Irringh.
erminfridi *connexuerat*	Irminfridi *connexerat*
Ad *servitium* erminfridi festinare	Ad *servitutem* Irminfridi festinare.
Qvi dicitur *Rumbergum*	*Runibergun.*
Scithinge	*Scithingi.*
Qvi dicitur Unstruod.	Qvi dicitur Unstrede
In nos *consurgant*	in nos *consurgunt*
fol. 5	
Gentium copias *superavere*	Gentium copias *superaverint*
evasere	*evaserunt*
Certe *rarissimus*	Certè *rari sumus*
Qvæ tamen *omnia*	Illud: *omnia* deficit.
administranda *sufficimus*	administranda *sufficeremus.*
& mittere ad *Saxones*	& mittere ad Saxonem.
qvatenus ei essent auxilio	*quatinus* ei essent *in* auxilio
Ad omne, qvodcunqve tibi voluntas suggesserit	Ad omne, qvod tibi voluntas suggesserit.
Pro eis mortem *contemnamus*	Pro eis mortem *contempnamus*

Edita	M. S.
& Animo viros, & novum habitum	& animo viros *mirati sunt*, & novum habitum,
& *diffusos* scapulas	& *diffusas* scapulas
& supra omnia	& *ut* supra omnia
oppugnandam urbem	*obpugnandam* Urbem
Ad meridianam Urbis	Ad meridianam *plagam* Urbis
Acies *ordinatas*, ac se in *ultimis* necessitatibus	Acies *ordinatos* ac se *multitudinis* necessitatibus fortè legendum *multimodis*
Acqvirenda	*Adqvirenda*
Attollitur virorum invicem	Attollitur *clamor* virorum invicem
& *neutrum* agmen	& *neuter* agmen
numerata sunt	*numerati* sunt
Dum hæc *lacrimans*	Dum hec *lacrimis*
Utiliusque *esse eum*	Utiliusque *eum esset*
In peracto qvoqve bello	*Imperato* qvoque bello
Mansitqve in castris ipse	Mansitque ipse in castris
emissa vero volucre	*emisso* vero volucre
Da *inqvit*	Da *inqvid*
fol. 7	
exemplo mihi	*exempli* mihi
Irruere igitur	*Irruamus* igitur
sine vigiliis *ac* custodiis	sine vigiliis à custodiis
qvesiere	*qvesierunt*
erravere	*erraverunt*
incidere	*inciderunt*
tradidere	*tradiderunt*
servavere	*servaverunt*
Herculem loco *Solis*	Herculem loco *Solem*
ex hoc estimationem illorum apparet	ex hoc apparet estimationem illorum
Hirmin, vel *Chermis*	Hirmin, vel Hermis.
Cal. Octob.	Kal. Octobr.
His itaqve omnibus *peractis*	His itaque omnibus *patratis*
& *in* terra præsenti	& terra presenti
non negligo	non neglego
fol. 8	
Ab ipso donandus	*Ap* ipso donandus
statimqve ad eum *ait* Rex	statimque ad eum Rex
a nobis *discedendi*	a nobis *discendendi*
Inqvit	In M.S. semper legitur: *inqvid.*
sumensqve corpus Domini super cadaver	sumensqve corpus Domini *posuit* super cadaver
in *tantum* famam	in *tantam* famam.
Hiringi	Hiringis
Angarios, atqve *Vuestvalos*	Angarios atque Vuestfalos
nostrum non *est*	nostrum non *inest*
Svevi vero *transalbini*	*Svavi* vero *transbadani*
quo *Saxones*	qvo *Saxonis*
adiere	*adierunt*
Ad tempora Caroli magni *perdurabant*	Ad tempora Caroli magni perdurarunt.
fol. 9	
Lothouuicus ex Arnulfo	Hluthovicus ex Arnulfo.
Ottonis	*Oddonis*. & sic semper scribitur in M. S.
Liodolphus	*Liudulfus*
Ducatum *administraret*	Ducatum *administrasset*
Cunradus	*Conradus*
Ungitur in Regem	*Unguitur* in Regem
ubique *vigebat* imperium	ubiqve *fiebat* imperium
Toti mundo	*Toto* mundo
Optimus *Henricus*	optimus *Heinricus*
Dalmati vero	*Dalanci* vero
Ungaros vocamus	*Ungarios* vocamus

Reli-

Edita	M. S.
Reliqviæ erant *Hunorum*	Reliqviæ erant *Hunonum*
Ut *Iordanus* narrat	Ut *Iordanis* narrat
nomine *Gotho*	nomine *Gotha*
cingerentur	*cingeretur*
Pregnantes *autem* jam qvædam.	Prægnantes jam qvædam.
ingenti vallo circumfusi	Ingenti vallo circumclusi
fol. 10	
Centupulchro Moravorum	*Centupulcho Regi Marorum*
Tota jam *fere* Europa	Tota jam Europa
Ungarorum à *Sclauis*	*Ungariorum* a Slauis
Capta preda *in Dalmatiam* reversi	Capta preda *Dalamantiam* reversi In M. S. semper scribitur: *Ungariorum.*
Vastaretur Saxonia ab *Ungaris*	*Vastarent* Saxonia ab *Ungariis*
In *Dalmatia*	in M. S. semper legere est: *in Dalamantia*
Saxoniæ *ipse reliqvit* Ducatum	Saxoniæ *reliqvid* Ducatum.
& *Luitolfus*	& *Liudulfus.*
Rex autem *Cunradus*	Rex autem *Conradus*
	In M. S. desiderantur illa verba: *& honore magno glorificaturum*
Non attendebant, *sed svadebant*, Duci suo	Deficiunt: *sed svadebant.*
Rege invito	*Regi* invito
suppetente illi	subpeditante illi
Ad hocqve negotium &c. habens, ut fertur, maxime idoneum. &c.	Sic autem habetur in M. S. *erat autem ea tempestate Magontiacæ sedis Antistes nomine Hatto, acutus consilio, acer ingenio, & qui varietate sibi consveta multos mortales precederet. Hic volens placere Regi Conrado, Francorumque simul populo, arte solita virum nobis proprie &c.* & quod seqvitur cum edito concordat.
fol. 11	
Qvia ottimi *viri* & sibi carissimi	defuit illud: viri.
Missionem petit	Missionem *petiit.*
Qvia *durius* collum	Qvia *duriorem* collum
Modo eum gravare &c. & statim omnia &c.	*Modo eum gravare; Is, ut ferunt, Adelberhtus ab ipso qvondam Pontifice in fide susceptus, ejus est consilio deceptus, qvod qvia non probamus, nunqvam adfirmamus, sed vulgi rumore magis fictum credimus; & statim omnia &c.*
Post tertium diem defecisset	*Postremum* diem defecisset.
euerbardus	*euurbardus*
fol. 12.	
Non hostem expertum	*Ne* hostem expertum
& qvi calliditate *ingenii*	& qvi calliditate *ingenita*
exercitum castra metari	*exercitus* castra metari
Cum qvinqve enim tantummodò viris venerat.	Deficiunt illa verba: *Cum qvinqve* &c.
In *Bajoariam*	*In Bojoariam*
Adierat, qvem ita alloqvitur	*aderat qvemqve* ita alloquitur
Toti Regno *consulito* attendendo	*Toto* regno *consulto mei* attendendo &c.
Ito ad Henricum	*&* ito ad Heinricum
Qvidelingaburg	*Wilinaburg*
Herigerus	*Hirigerus*
fol. 13	
Bajoariam	*Bojoariam*
Reginesburg	*Raegenisburg*
colligeret, *&* pacificaret	deficit: *&*
Aqvitaniæ	*Aeqvitania*
Barcinonam	*Barcillonam*
Mosam	semper scribitur *M: asan*

&

Edita	*M. S.*
& *terminum*	& *terminos*
Fontinith	Phontinith
Hujus *Ludovici* proavo	Hujus *Lotharii* proavo
expulit	*expulsit*
post mortem ejus	Deficiunt verba: Post *mortem* ejus
Odonis	*Odoni*
Rodbertus	*Robberhtus*
fol. 14	
Judicavitqve	*Judicabitqve*
Giselbertum	*Isberhtum*
Giselbertus	*Hisberhtus*
Junxit sibi sublegato omni ei &c.	*junxit eum sibi legato* omni ei &c.
Domina *Regina* filia *Thiaderici*	Ipsa Domina filia *Thiadrici*
Widekin, *Immet*, *Reginbern.*	Widukin, Inmed, & Raeginberth
Reginbern autem	*Raeinbern* autem
Usqve in hodiernum	Usque in hodiernum *diem*
Widekindi	*Widukindi*
Ungari	*Ungarii*
egere	egerunt
fol. 15	
comminarentur	*comminarent*
pax *confirmaretur*	pax *firmaretur*
Imperium suum	*Impetum* suum
salutato *eo* verbis	Deficit: *eo*
Translatum est corpus a nobis	Translatum est corpus *ejus* a nobis.
Hilas	*Ylas*
navigat	*navigavit*
Populis *eum* visitantibus	Populis *enim* visitantibus
Per orationem Viti	Per orationem *Beati* Viti.
Illo verò	*Illi* verò
repertus est *in loco* ubi &c.	deficit: *in loco*
fol. 16	
Habeamus te *advocatam*	*Habeat* te *advocatum*
Licet omnimodis	*Liceat* omnimodis
Sclavos qvi dicuntur *Heuelli*	*Slavos* qvi dicuntur *Heueldi*
potitus, *& omni regione*	potitus, & *omnem regionem*
Dalmatiam, *adversus* qvam	*Dalamantiam adversis* qvam &c.
Grona	*Gana*
servatqve	*reservatqve*
Pragam *adito*	Pragam *adiit*
Bohemorum	*Bohemiorum*
Bolizlavi	*Boritlavi*
Abotriti, *Vulzi*, Heuelli, *Dalmati*, Bohemi	Abotriti, Heuelli, Dalamanci, Boemi
fol. 17	
Conventus esset	*Ventus* esset
Legatus	*Legati*
versabantur bellatores	*versantur* deficit: *bellatores*
Impediretur	*Impeditur*
dato *signo* sacramentoqve	Deficit: *signo*
erectis signis procedebant	erectis signis procedebant *castris*
equites	*eqvitates*
ut ab eqvitibus cohacti	ut *vix* ab eqvitibus cohacti.
Dextra lævaqve ferro erumpentes, qvoscumqve à sociis se sternebant, neci dabant. Qvumque jam bellum gravaretur &c.	in M.S. deficiunt.
& recenti victoria	*ex crescenti* victoria
predicat *evangelium*	Deficit: *evangelium*
Urbe *egredi*	Urbe *degressi*

Prelio

Edita	M. S.
Prelio *Duo* Liutharii	Deficit: *duo*
fol. 18	
celebrantur	*celebrabantur*
& *convocato*	& *vocato*
A qvantis periculis *imperium* vestrum	deficit: *imperium*
Promittens *regi*	deficit: *Regi*
Dalmatiam	In M. S. semper scribitur: *Dalamantiam.*
erat namqve *illa*	deficit: *illa*
qvia vicinam *urbem*	deficit: *urbem*
ei *esset* auri	ei *essent* auri
fol. 19	
expugnare ceperant	*oppugnare* ceperant
Riaede	*Riade*
& usque ad exercitum protraherentur	deficiunt in M. S.
Ut *peracto miliario*	Ut *per octo* miliaria
gentibus, & *regibus*	Deficit: *Regibus*
Adversaretur Ruodolfus	*Adverse sunt Rotholfus*
Dominum suum præsidio esset	Dominum suum *pro* presidio esset.
qvoqve *ludi*	deficit: *ludi*
In *venatione*	In *veneratione*
fervorem pariter	*favorem* pariter
se *dissolvendos*	se *dissolvendum*
nomine *nubam*	nomine *chonpam*
gravari	*gravi.*
fol. 20	
Relinqvens sibi ipsi *majori*	Relinqvens *filium* sibi ipsi *majorem*
Qvidilingeburg	*Qvidilingaburg*

Lib. II.

Edita	M. S.
Ac prefectorum	*& Actorum*
In Sisterio	In Sixto
manus *ei* dantes	manus *&* dantes
contra omnes inimicos	deficit: *contra*
Plantaqve infulatus	*Planetoqve* infulatus
circumstabat: nam erant	*circumstabant*: erant
Novo Duci	*movoqve* Duci
Procedit Pontifex	*Processit* Pontifex
fol. 21	
Ponè	*Penes*
ac *Diademate*	ac *Diadema*
Hildibertus	*Hilberhtus*
Magonciace	*Mogantiace*
hunc gladium	*hoc* gladium
Deinde sumptis	Desumtis
humetenus dimissis inqvit	inqvid humetenus demissis
perducere usqve in finem	*perdurare* usque in finem.
Hildiberto	*Hilberhto*
Giselberthus	*Isberhtus*
everbardus	*Enuthardus*
Sifridus	*Sigfridus*
Bolizlaf	*Bolizlan*
fol. 22	
Aesic - Mersaburiorum	*Asic - Mesaburiorum*

 furem

Edita	*M. S.*
furem aut *latronem*	*furum*, aut *latronum*
in *ſuburbano Merſaburiorum*	in *ſuburbio Meſaburiorum*
Bolizlaſ	ſemper ſcribitur: Bolizlau
ſeorſum, & ſeorſum	ſeorſum & *à* ſeorſum
ſicuti *erant*	ſicuti *erat*
utriqve exercitui	*utroqve exercitu*
improviſe *ſibi* occurſitare	deſideratur illud: *ſibi*
Aeſic	*Aſic*
Victoria *ſecuros*	deficit: *ſecuros*
cum omni *noſtro* exercitu	non adeſt: *noſtro*
Regis *imperii* annum	deeſt: *imperii*
fidelis *ſervus*, & utilis	deficit: *ſervus*
corroboratus	Roboratus
in ſeqventibus plenius dicturos	in ſeqventibus *nos* plenius dicturos
in *hoſtium* pugnam	in *oſtium in* pugnam
ekkebardus	*ekkardus*
cum eo *occiderant*	cum eo *ceciderant*
fol. 23	
ullius *alius*	ullius *alii*
euerbardus	*euurhardus*
elueri	elmeri.
everbardum	ſemper ſcribitur: *euurhardum*
Reliqvias Innocenti	Reliqvias *Sancti* Innocentii.
mediocris in rebus	*mediocribus* deficit: *in Rebus*
Bajoariorum	*Bojoariorum*
Sisfridus --- ditionem	*Sigifridus ---- legationem*
vindicaſſet	*vendicaſſet*
Sisfridi	ſemper ſcribitur: *Sigifridi*
ceſſiſſet	*conceſſit*
& rebus *ibi rite compoſitis*	& rebus poſitis
cum *patruis*	*cum patribus*
turbatores *facti ſunt*	deficiunt verba: *facti ſunt*
fol. 24	
Badilici	*Badiliki*
Geuebardus, Udunis filius	*Genuthardus Udonis* filius
inter ſe *ſunt* diviſi	inter ſe diviſi
fidelis in finem	fidelis *usque* in finem.
aliis pluribus ſit ditatus	*alia plura* ſit ditatus.
arma *ſumpſit*	arma *ſumit*
Thancmarus autem	*Tunc* Thancmarus autem
Maincia	*Mancia*
in Cares	in Caras
fol. 25	
non *negatur*	Non negavit
& pugna Dammo Pincerna	*&* pugna *tamma pincerna*
Henricus autem *erat* eo tempore nimis adoleſcens animo &c.	*Heinricus* autem eo tempore nimis adoleſcens *fervens* animo &c.
ſupplex depoſcit	ſupplex *veniam* depoſcit
Hildenenſem Urbem	*Hildinenſem* Urbem
in *Saxones*	in *Saxoniam*
Stediereburg	*Stedieraburg*
Seniores audacter erumpunt *portas*	*Segniores* audacter erumpunt *portis*
Alterae autem *partis*	*Altera* autem *pars*
Caſtra hoſtium *omnia* turbata	deſideratur: *omnia*
qvi rem celare	*qve* rem celare

ne

Edita	*M.S.*
ne *Regi*	ne *Rei*
inferret *Lotharius*	inferret *Lothariis*
fol. 26	
Commilitonum itaqve consulto Saxoniæ in Thuringorum	Commilitonum itaqve consulto Saxonia, ut diximus, relicta, & urbibus Saxoniæ, vel in Turingorum
præsidio militari *tradito*	præsidio militari *traditis*
Ignorabant	*Ignorabat*
& *ut* appropiat urbi	Deficit: *ut*
ad *Giselberthum*	ad *Isberhtum*
palam *declinaret*	palam *declinaretur*
Imperium tibi, inqvit, regale facio præsente populo	Imperio inqvid tibi regali denuncio teste Populo
Bernhardum	*Berthardum*
Post hæc *vero* verba	Post hæc verba
melius cepit habere	*meliuscule* cepit habere
Giselbertus	Hisberhtus
demandat *se* qvantocius	deficit: *se*
non *prebebat*	non preberet
cadere *deberet*	cadere *debere*
vitam *defenderet*	vitam *defendere*
Dominus *inqvit*	Dominus *inqvid*
fol. 27	
santum	*Xantum*
Hostes *expectant*	hostes *expectarent*
Pars una ex adverso ruit in hostes, altera pars a tergo inseqvitur in mediis hostes opprimens	pars uno ex adverso ruit in hostes opprimens.
Qvi Gallica lingva ex parte loqui sciebant	Qvi Gallicam lingvam ex parte sciebant.
Albertus	*Ailbertus*
Hostium *suppellex*	Hostium *supplex*
Regiam autem	*Regi* autem
jussum est	*visum* &
cum *novis* tantum	cum *novem* tantum
secederet à Saxonia	*secederent* à Saxonia
Tempore *Abotriti*	Tempore *& Apodriti*
Haicam extinxerunt	*Haincam* extinxerunt.
fol. 28	
Gravi oneri esse solet	*Gravioris* esse solet.
Slcavos ab oriente, Francos a meridie, Lotharios ab occidente, ab aqvilone Danos	Slavos ab oriente, ab Aqvilone Danos.
Fuit qvidam autem	Fuit autem qvidam.
Professus est *se* prodere regionem	Desideratur illud: *se*
Brandenburg	*Brennaburg*
ex omnibus Principibus gentis	ex omnibus principibus gentibus.
Dolo captum *interfecit*	Dolo captum *interficit*
Urbemqve cum Regione	Urbemqve cum *omni* regione
in *Odoram*	in *Oderam*
cum *genero* suo	cum *genere* suo
Comitem *Giselbertum*	Comitem *Isberhti*
contra *porcos* Urbis	contra *portas* Urbis
minatus est	*minitavit*
fol. 29.	
Nam ea *potestate*	Nam ea tempestate
se castris eruebant	se *à* castris eruebant

Edita	*M.S.*
Rex vero *in* ea	Rex vero ea
Licet coram milite	Licet *raro* milite
Euerhardum	semper in M. S. scribitur euurthardum
desideratissimus	*desiderantissimus*
non posse *deficere*	non posse *desipere*
Ruodbardum episcopum vero	*Rotbardum* vero Episcopum
in sui gratiam *suscepit*	In sui gratiam *suscipit*
Giselberthus	semper scribitur: Isberhtus
Gratias *egit*	Gratias *agit*
In *Regionem* Caroli	In *Regnum* Caroli
Post hec immo vera	Post hæc immo *re* vera.
se *subjiciebant*	se *subjacebant*
An *Anfredo*, & *Arnoldo*	Ab Anffrido & Arnaldo
fol.30	
& *Saxonia* periculo capitis	& *Saxonibus me* periculo capitis
locum *mutui* colloqvii	in M. S. desideratur: *mutui*
minis pandit	*Minus* pandit
Ac rebus *res* ita	& rebus ita
Graves fratris miseratus	*Gravis* fratris miseratus
in terra regionem Lothariorum	*intra* regionem Lothariorum
Qvi eo tempore *maxime* sibi astabant	desideratur: *maxime*
Herimanni scilicet	*Herimannus* scilicet
& secundum *leges*	& secundum *legis*
apparuere	*apparens*
Kal. *Novembres*	Kal. *Novembris*
pene nullus *appareret*	pene nullus *appareat*
Udone	*Oddone*
militieque optimus	*militiaqve* optimus
Bertholdus *frater* Arnulfi	Deficit: *frater*
Regni dono	*Regi* dono
fol.32	
Fatigati fratris prefecitqve eum	Fatigati fratris *recordatus est* præfecitqve eum
pacem, & concordiam	pacem *atqve* concordiam
fideliter *permansit*	fideliter *perduravit*
potestate *presumit*	potestate *presunt*
in patriam	deest: *in*
nostrum non est omnimodis exponere	nostrum non est omnimodis *virtutibus* exponere
Disciplinæ *terrorem*	Disciplinæ *terrore*
loqvi *sciebat*	loqvi *scit*
uti *dignaretur*	uti *dignetur*
capite cano sparsus capillo	non adest: *capite*
fol. 33.	
socium *sibi*, amicumqve faceret	Desideratur: *sibi*
Dominus Bruno	*Domnus Brun*
Latronibus *ita* purgavit	deficit: *ita*
Fidericum	*Fithericum*
perfectum *est*	deest illud: *est*
Ipse *autem Lothouicus*	Ipse *enim Luthunicus*
Carolum Nortmandi	*Carolomannum Northmanni*
Rotbum	*Rotbun*
super fortuna *amici*	super fortuna *amicis*
Desideratur illud: *Rex*	eo tempore cum moraretur *Rex*
Bolizlaui vidimus	Bolizlai *ibi* vidimus

Edita	*M.S.*
fol.34	
Nullo Mortali	*Nulli* Mortali
Latere *Aqviloni*	Latere *Aqvilonali*
Epistola Vuitichindi ad Reginam Mathildim Ottonis Imperatoris filiam	*Ad Dominam Mathildam Imperatoris filiam libri tertii incipit præfatio.*
concordi discordia	*concordia*
sed *ad* unius	sed unius
Vuitichindi Monachi &c.	explicit præphatio.

Lib. III.

fol.34	
In unicum suum Liudulfum	In unicum *filium* suum Liudulfum
Addiditqve contemptum	*Additqve* contemptum
sibi vero *esse*	sibi vero *fore*
Pileorum feninorum, qvos ei præsentari	*Pilleorum ex culmis contextorum*, qvos præsentari.
unqvam *videret*	unqvam *viderit*.
Qvi fenino non uteretur pileo, nisi Corbejus Abbas	Qvi hujuscemodi non uteretur tegumento, nisi rarissimus qvisqve.
	Deficiunt in M.S. verba ista: Corbejus Abbas nomine Bouo; usqve ad illa verba inclusive: Reliqvias videlicet pretiosi martyris Viti. & loco eorum verborum adsunt infra scripta
	Certus autem factus de Adventu Regis Huga timore qvoqve perterritus dimisit Luthuuicum
exercitui illius	*exercitus* illius
qvoqve Dionysii Martyris	qvoqve *Sancti* Dionysii Martyris
Hugo autem	*Huga* autem
Qvi dicitur *Car*	*qvod* dicitur *Char*
Tranqvillum *qvem*	Tranqvillum *qvam*
Homo *fortis*	Homo *ferus*
Berngarius	*Bernharius*
Bohemorum	*Bohemiorum*
Bolizlaf	*Bolizlau*
Regem *audiens*	Regem *adiens*
Regressus est	*Regreditur*
fol.36	
ea Urbem Papiam	*eam* Urbem Papiam
Rex *Berngarius* a *Cunrado* Duce	Rex *Bernharius* à *Conrado* Duce
sibi *præparato*	sibi parato
Fœderis spontanei diem apud Urbem Augustam designans	Fœderisqve spontanei Diem, locumqve apud Urbem Augustanam designans
Berngarius	semper in M.S. legitur: *Bernharius*.
Tonitrui ac tempestate	*Tonitru*, ac tempestate
Secundus *Bruno* tertius *Otto* Paterni nominis &c.	Secundus *Brun* tertius paterni nominis &c.
scribere *valeamus*	scribere *valemus*
petierant, & impetrant	*petunt*, & impetrant
sententiis *in omnibus* locorum	Desideratur: *in omnibus*

Edita	*M. S.*
fol. 37	
Irritum fecit pactum	*Initium* fecit pactum.
Necessarium arbitramur	*nostrum* arbitramur
erat oratione	erat *in* oratione
causis *discutiendis*	causis *discutiendum*
ex *illis* dictis censerent: *propterea* Rex *sevio-rem* animum	ex *illius* dictis censerent. *Preterea* Rex *fverio-rem* animum.
fideles traditos exilio	fideles *fratri* traditos exilio.
& se purgare non sufficerent	*nec* se purgare sufficerent.
Hi erant	*Hic erat*
conscii perterriti	conscii *satis* perterriti
contra eum *sumunt*	contra eum *sumit*
everhardi	*euuthardi*
fortissima *suppetente*	fortissima *suppeditante*
Patremqve miserabilius	Patremqve *dicto* miserabilius
stationes fusæ	*stationis* fusæ
Filius cum *genero*	Filius cum *Serone*
fautores *insidiarum*	fautores *insidiatorum*
fol. 38	
nunqvam urbe *egressuros*	Nunqvam Urbe *egressos*
cum obedirent edictis	cum *non* obedirent edictis
furorem tuum *evome*.	furorem tuum *evove*
averfus	*Adversus*
incepti certaminis	*incauti* certaminis
Boidarii comites *fratris* Regis	*Boioarii* comites *fratres* Regis
Relicto *eo*	Relicto *ei*
fol. 39.	
Bojarii	semper in M. S. legitur: *Bojoarii*
Ad pacem *vertuntur*	Ad pacem *Revertuntur*
A manibus exercitus	*Absqve animabus* exercitus
interea *ut* ipse *ajebat*	interea ipse *agebat*
nunc *alias* partes	nunc *alienos* partes
qvia nec	*qvi* nec
nec sine detrimento	nec sine *sui* detrimento
Illi autem *diverterunt*	Illi autem *divertunt*
ut cuidam *ernesto*	Ut cuidam *Ernusto*
Tolerabile hoc *totum* foret	Tolerabile hoc *utcumqve* foret.
fol. 40	
omnibus *juramentis* fidem	omnibus *argumentis* fidem
Deo Regiqve *se* jungentes	Deo Regiqve *sese* jungentes
Horsedal	*Horsadal*
ibi non *morari*	ibi non *majori*
Trium dierum *itur*	Trium dierum *itiner*
eqvitibus *clausis* ab urbe longius *elabuntur*	eqvitibus *classis* ab Urbe longius *elabitur*
fol. 41	
Rein	Raim
Pugnatum *est* ante portam	desideratur: *est*
Rex redit inde Patriam	Rex inde in Patriam reversus
Nocte *arsa*	Nocte *concremata*
Patria primum	*Patri* primum
modice est *dilatatum*	modice est *dilatum*
Proximum agens Pascha Rex cum Fratre	Proximum agens Rex in Pascha cum fratre
aliqvot diebus	*aliqvantis* diebus
Qvasi laboris oblitus, qvem preterito bello	Qvasi nihil laboris preterito bello
Bellum *Sclavonicum*	Bellum Slavanicum

fol. 42

Edita	*M.S.*
fol.42	
Audacibus *bono consilio*	Audacibus *boni consilii*
in castris *indicto*	in castris *predicato*
nam *ipso* bello	nam *ipse* bello
qvartam *vero* ordinavere	deficit: *vero*
ex *multis* militum	ex *omnibus* militum
ex omnibus, *qva* foras	ex omnibus *pra* foras
qve erat adjacens	qvæ erat *Urbi* adjacens
adversam invasit	*Adverso* invasit
fol.43	
Bonis operibus.	*bonorum animorum*
arrepto *gladio, &* clypeo	Arrepto clypeo
primum *restitere*	primum resistere
cum meniis *pariter*	cum meniis *qvoqve*
Ripa *ulterior*	Ripa *alterior*
sed non *adeo* incruenta	deficit: *adeo*
Vormaciam	*Vurmeciam*
Henrico presentati mala morte ut digni erant mulctati, suspendio namqve crepuerunt.	Heinrico præsentati sunt, suspendio namqve crepuerunt.
A populo libentissime	A populo *suo* libentissime
fol.44	
Sylvam intrare liceret; ibiqve trans Albimqve coegit.	Sylvam ire liceret, ibi Albiamqve coegit
Illi *quum se* sensissent	Illi *secum* sensissent
excitarentur	*citarentur*
Qvadragesimalis jenunii	*Qvadragesima vel* jejunii
dum cæteris *diffiderent qvoqvo*	Dum ceteris *different* qvo
eo pacto *optinent*	eo pacto *optinerent*
Matresqve adnatis captivos ducerent	hoc desideratur in M.S.
De *Ungaris parta*	De *Ungariis patrata*
eis non negare	*neqvaqvam* negare
fol.45	
erat qvippe in Gerone satis eloqventiæ, *multum scientiæ*	Deficit: *multum scientiæ*
sciens eum *multis* molestiis aggravatum	deest: *multis*
Gestis insignibus clarus	Gesti is insigniis clarus
cum amicis *suis*	cum amicis *Ruanis*
à castris *discedens*	a castris *descendens*
Stoinesgero autem	Stoines autem
septuaginta captivorum	*septingenti* captivorum.
fol.46	
Diversi generis *munera*	Non adest: *Munera*
In Basilica Albani Martyris	In Basilica *sancti* Albani Martyris
Adesset in *militia*	Adesset in *Italia*
qvi satis plurimum	*Qvapropter* satis plurimum
Injussus sacramentum	*Jussus* sacramentum
fol.47	
Qvum sibi sociare *vellet*	*Cum* sibi sociare *velle*
Ingentis ponderis ferrum portare jussit.	*Ingens ponderis ferrum igne succendi jubet, clericumqve ob fidem catholicam candens ferrum portare jussit.*
Cæterorum qvoqve	*Cæterum* qvoqve
fol.48	
Inferre Patruo	Inferre *posset* Patruo
in ea perfidia inermes *assistunt*	*mea* perfidia inermes *existunt*

Socios-

Edita	M. S.
Sociosqve *afflictos* ad orientem *verſus*	ſociosqve *oppreſſos* ad orientem *reverſis*
Reverſionem hoſtium *movet*	Reverſionem hoſtium *monet*
eoqve die viriliter pugnans armis defenditur:	Hoc in M. S. deſideratur.
Cujusdam feſſus	Cujusdam *jam* feſſus
Non immemor priſtinæ nobilitatis, ac virtutis.	Hæc verba non ſunt in M. S.
fol. 49	
Ut *Miſaca*	Ut *Miſiconi*
& defer Domino *ſuo*	& defer Domino *tuo*
& Thiederico ducibus cæteris qvæ	& Thiadrico cæteris
& ſic ad vos diſponemus	diſponimus
Græci vero ad artes *paternas*	Greci vero ad artes *primas*
Arte ſuperabant	*Artibus* ſuperabant
fol. 50	
de cujus *laude*	deficit: *laude*
Tanqvam *Regio* circumſtante	Tanqvam *Regina* circumſtante
mihi ſi adeſſet.	*nihil* ſi adeſſet
fol. 51	
Infinitam multitudinem	Infinita multitudine
Defunctus *erat*	Defunctus *eſt*
Fraxineti abſtinere	*Fraxinetis* abſtinere
nec *relatione* dignum	nec *ratione* dignum
Gaudio *celebrant*	Gaudio *celebrabant*
Illa loca *perambulabat*	Illa loca *perambulat*
fol. 52	
vocabulo *Magdaburg*	vocabulo *Magadbaburg*
Ac religioſa ſeculis relinqvens monumenta.	*Acglorioſa ſeclis relinqvens monimenta.* (In his verbis deſinit M. S. & poſtea ſeqvuntur infra ſcripta:) *Explicit liber tertius rerum geſtarum Saxonicarum.*



XVII.

LITANIÆ BINÆ ANTIQVÆ

apud

Corbejam Germanicam usurpata.

Incipit LÆTANIA.

Pater de Caelis Deus miserere nobis.
Filius Redemptor Deus miserere nobis.
Spiritus Sanctus Deus miserere nobis.
Qui es Trinus & unus miserere nobis.
Ipse idemque benignus miserere nobis.
Sancta Dei Genitrix miserere nobis.
Sancta Virgo virginum ora pro nobis.

Sancte Petre ora pro nobis.
Sancte Paule ora pro nobis.
Sancte Andrea ora pro nobis.
Sancte Jacobe ora pro nobis.
Sancte Philippe ora pro nobis.
Sancte Matthee ora pro nobis.
Sancte Simon ora pro nobis.
Sancte Dyonisi ora pro nobis.
Sancte Quintine ora pro nobis.
Sancte Firmine ora pro nobis.
Sancte Luciane ora pro nobis.
Sancte Victorine ora pro nobis.
Sancte Landberte ora pro nobis.
Sancte Gereon ora pro nobis.
Sancte Vedaste ora pro nobis.
Sancte Salvi ora pro nobis.
Sancte Plato ora pro nobis.
Sancte Medarde ora pro nobis.
Sancte Supplex ora pro nobis.
Sancte Martialis ora pro nobis.
Sancte Aniane ora pro nobis.
Sancta Columba ora pro nobis.
Sancta Gertrudis ora pro nobis.
Sancta Adelgundis ora pro nobis.
Sancta Eufemia ora pro nobis
Sancta Juliana ora pro nobis.
Sancta Justina ora pro nobis.
Sancta Genovefa ora pro nobis.
Omnes Sancti orate pro nobis.

Gratiam tuam concede nobis Domine.
Salutem & sanitatem concede nobis Domine.
Aëris temperiem bonam concede nobis Domine.
Gaudium & pacem concede nobis Domine.
Fili Dei miserere nobis.
Tunc & in perpetuum miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris.
Agnus Dei qui tollis &c.
Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.
Agnus Dei &c.

Sequitur Altera.

EXaudi Deus voces noſtras, Exaudi Chriſte.
Miſerere nobis, Exaudi Deus voces noſtras.
Sancte Sanctorum Deus miſerere nobis.
Sancta Dei Genitrix intercede pro nobis.

Sancte Michahel intercede pro nobis.
Sancte Gabriel intercede pro nobis.
Sancte Raphahel intercede pro nobis.
Sancte Petre intercede pro nobis.
Sancte Paule intercede pro nobis.
Sancte Andrea intercede pro nobis.
Sancte Johannes intercede pro nobis.
Sancte Jacobe intercede pro nobis.
Sancte Taddee intercede pro nobis.
Sancte Laurenti intercede pro nobis.
Sancte Gervaſi intercede pro nobis.
Sancte Protaſi intercede pro nobis.
Sancte Nazari intercede pro nobis.
Sancte Celſſe intercede pro nobis.
Sancte Coſme intercede pro nobis.
Sancte Damiane intercede pro nobis.
Sancte Domnine intercede pro nobis.
Sancte Pancrate intercede pro nobis.
Sancte Valeriane intercede pro nobis.
Sancte Martine intercede pro nobis.
Sancte Auguſtine intercede pro nobis.
Sancte Columbane intercede pro nobis.
Sancte Audoine intercede pro nobis.
Sancte Aper intercede pro nobis.
Sancte Severine intercede pro nobis.
Sancte Chuniberte intercede pro nobis.
Sancta Columba intercede pro nobis.
Sancta Cecilia intercede pro nobis.
Sancta Anaſtaſia intercede pro nobis.
Sancta Petronilla intercede pro nobis.
Sancta Afra intercede pro nobis.
Sancta Saula intercede pro nobis.

Omnes Sancti intercedite pro nobis.

Exaudi Deus. *Gregorio Papæ* vita.
Exaudi Chriſte. *HLudouuico Imperatori* vita.
Exaudi Deus. *Proli Regali* vita.
Exaudi Chriſte. *Exercitui Francorum* vita.
Exaudi Deus. Peccata nobis indulge.
Exaudi Chriſte orationem populi tui.
Kyrieleyſon. Chriſte eleyſon, Kyrieleyſon.

COLL.

FAc nos, quæſumus Domine, Sanctæ Mariæ ſemper Virginis ſubſidiis attolli, & glorioſa beatorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum atque Virginum, omniumq; ſimul Sanctorum protectione defendi, ut dum eorum pariter cotidie patrocinia imploramus, eorum pariter cotidie ab omnibus adverſis protegamur auxilio, per &c.

XVIII. In-

XVIII.

Incerti Avtoris Carmen Panegyricum *in laudem* BERENGARII AVGVSTI;

praefixa Hadr. Valesii perioche panegyrici hujus, & adjuncta Chronologia.

PANEGYRICI DE LAVDIBVS BERENGARII Invicti Caesaris

PERIOCHE

auctore Hadr. Valesio.

Panegyrici libri I. Epitome.

HÆc libro I. *insunt. Berengarius Francus, à Carolo Magno genus ducens, supremo iudicio & hortationi Caroli Aug. accedentibus Optimatium studiis, Regnum Italiæ, quod vulgò Langobardorum dicitur, obtinet ac Ticini coronatur. Wido Lamberti filius, Spoletinorum Dux & ipse natione Francus, indignatus ab Odone, Berengario & Rodulfo sodalibus suis sui similibus Regna maxima esse occupata, ex Gallia in Italiam contendit cum copiis, adiunctisque sibi præter ceteros Camertibus ac Spoletinis, Berengario intulit bellum: à quo prœlio victus, impetrauit per Legatos, sibi vt suorum cadauera liceret sepelire.*

Panegyrici libri II. Breuiarium.

L*IBRO II. continetur Widonis aduersus Berengarium Langobardorum Regem altera pugna, & vt magna vtrimque cæde facta, nox prœlium diremerit. Vtrarumque partium adiutores præcipui nominatim referuntur.*

Panegyrici libri III. Prologus.

A*RNVLFVS Rex Francorum Orientalium cùm comperisset quotidie crescere Widonis copias confluentibus ex Gallia militibus, Zwentibaldum mittit in Italiam cum armatorum manu, & auxilium ferre Berengario iubet. Ita represso Widone, Zwentibaldus monitu Berengarij ad Arnulfum patrem suum reuertitur. Post tres menses quàm iuuenis redierat, Wido iterum renouat bellum, & Arnulfus ipse cum maximo exercitu Italiam ingressus, Bergomum aliasque vrbes capit: vsque ad vrbem Romam via vi facta accedit, in vrbem Leonianam à Romanis recipitur, & suasore Berengario domum redit. Mox Wido bellum meditabundus moritur, & Lambertus eius filius, supremorum parentis mandatorum memor, Legatum de compositione ad Berengarium mittit: per quem inuitatus ad colloquium, Ticinum petit, & cum Berengario pacem facit. Eo pacto iuuenis quietus Regnum paternum tribus annis obtinuit, ac equo præcipitatus periit. Tum Berengarius tota fere potitur Italia.*

Panegyrici libri IV. Elenchus.

P*OST quadriennium accitus ab Langobardici Regni Proceribus Ludouicus Prouinciæ Rex, Ludouici iunioris Aug. ex filia nepos, finibus Italiæ Berengarium expellit, quartana laborantem. Berengarius simul ac conualuit, cogit copias, & à Veronensibus nocte recipitur oppido. Ibi Ludouicus in Ecclesia subito oppressus, ac sub ortum Solis luminibus orbatus: Prouinciales qui eum secuti erant in Italiam, pulsi vndique ac transalpinas sedes suas fuga repetere coacti. Berengarius iam iterum totius Langobardorum regni potens, à Iohanne Papa inuitatur vt Romam veniat: qua in vrbe diademate ab ipso cingitur, & vnguitur appellaturque Imperator. Hæc summa Panegyrici.*

ΑΡΧΕΤΑΙ ΠΡΟΛΟΓΟΣ.

NOn ederam ſperare vales laurumve libelle:
Quæ largita ſuis tempora priſca viris.
Contulit hæc magno labyrinthia fabula Homero,
Æneiſque tibi, docte Poëta Maro.
Atria tunc diuum reſonabant carmine vatum.
Reſpuet en Muſam quæque proſeucha tuam.

Pierio flagrabat eis sed munere sanguis:
Prosequitur gressum nulla Thalia tuum.
Hinc metuo rapidas ex te nigrescere flammas,
Auribus vt nitidis vilia verba dabis.
Quid vanis totiens agitas hæc tempora dictis,
Carmina, quæ profers, si igne voranda times?
Desine: nunc etenim nullus tua carmina curat.
Hæc faciunt vrbi, hæc quoque rure viri.
Quid tibi præterea duros tolerasse labores
Profuit, ac longas accelerasse vias?
Endromidos te cura magis victusque fatigat.
Hinc fugito nugas, quas memorare paras.
Irrita sæpe mihi cumulas quæ murmura codex,
Non poterunt votis addere claustra meis.
Seria cuncta cadant opto, & labor omnis abesto,
Dum capiti summo xenia parua dabo.
Nonne vides, tacitis abeant vt sæcla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?
Tu licet exustus vacuas soluaris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.
Supplice sed voto Christum rogitemus ouantes,
Quò faueat cœptis Patris ab arce meis.
Haud moueor plausu populi, vel munere circi.
Sat mihi pauca viri ponere facta pij.
Christe, poli conuexa pio qui numine torques,
Da queat vt famulus farier apta tuus.

ΑΡΧΕΤΑΙ ΤΟ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ

ΒΕΡΕΝΓΑΡΙΟΥ

ΤΟΥ ΑΝΙΚΗΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

GRÆCIA quæsitis cecinit si regna loquelis,
Moribus insulsos, & relligione tyrannos
Tolleret vt quosdam immeritò super astra beandos,
Quos Lachesis nigro satius damnauit auerno.
Roma suos vario vexit si figmine post hæc
Augustos ad tecta poli radiata perenni
Vibratu, simul hos stygio sorbente barathro:
Induperatorem pigeat laudare nitentem
Christicolas quidenim, cælum reserantibus odis,
Quodque replet Domini mundum spiramine totum?
Ergo *Berengarium* genesi factisque legendum
Rite canam, frenare dedit cui celsa potestas
Italiæ populos bello glæbaque superbos.
Stirpe recensita generis, quo stemmate pollet
Scire vacat. Nam cuncta nequit mea ferre Thalia.
Francigenam fateor *Karolum prænomine Magnum*
Quem tellus axi tremuit subiecta rigenti,
Quamque petens linquensque ruit Sol aureus vndis,
Et quam torret equis totiens inuectus anhelis,
Prodit auis atauisque illo de sanguine (a) *rector*
Ausoniæ. Karoli sed enim nutritus alumni
Rite sub imperio: *simili* qui *nomine* Romam
Postremus Francis regnando coëgit habenis.
Ille virum cernens belli sub imagine lætum,
Et ratione pium regnique beamine dignum,
Egre-

(a) *Origine non utiq; paterna. Nam pater fuit* Everhardus *Dux Forojulii: sed an per matrem aut aviam, aut deniq; proaviam, non constat.*

Egregij fidum lateris delegit amicum,
Fascibus imperiique aptum, si bella ministrum
Forte ruunt. Italus Princeps exercitus armis
Præduros martis didicit sic ferre labóres.
Venerat ecce dies, primi cùm fata parentis
Posceret atra lues Regem, totosque per artus
Febris iit. Moriens primos compellat amicos.
Vltima *Berengario* referunt dixisse *propinquo*.
Subdere colla tibi meritò deberet Eous,
Et licèt Occiduas cernit quos mersus in vndas
Phœbus, vterque etiam mundi quos despicit axis:
Attamen Hesperiæ proceres pro viribus ardent
Ritè subesse tibi, tanto quia digna labore
Cuncta geris: penes imperij te gloria nostri,
Atque tuis stabit Romana potentia fatis.
Hæc fans ætherias ductor concessit in auras,
Supremumque gemens regnorum liquit habenas.
Ille quidem sic astra subit: miseranda cupido
Sed populos persuasit agens, qui limite lato
Vnius imperio soliti concurrere, plures
Vt mirentur abhinc diuersa per arua tyrannos,
Et sibi quæque legat proprium gens, omnibus idem
Dum perstaret amor, raperet ne gaudia Rhenus
Aut Araris spectata diu, glomerantur in vnum
Ausonij proceres, ac talia nuntia Regi
Ire iubent. Hæc terra satis, terræque coloni,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros
Nota tibi. Nec te reuocet fera Gallia, digno
Quin potiare solo; trux aut Germania, quando
Sceptrigeri hoc potiùs dudum coluere propinqui,
Et genitor cunctis dilexit cariùs aruis.
His motus gressum precibus contendit ad vrbem
Irriguam cursim *Ticini* abeuntibus vndis,
Sustulit hic postquam *regale insigne coronam*,
Non alias raptim cupidus peruadere terras,
(Quod multos iuuenum leto demersit acerbo.)
Lætitia resonant, plausu & fora cuncta resultant,
Templa sacrata virûm trepidant matrumq; choreis,
Orgia & innuptæ concinnant clara puellæ,
Dantq; choros molles: & tympana dextera pulsat,
Atque lyræ graciles extenso pollice chordas
Percurrit, septemque modos modulatur auenis.
Rura colunt alii, sulcant grauia arua iuuenci,
Tondent prata greges, pendentque in rupe capellæ.
Omnibus vna quies, & pax erat omnibus vna.
Non secus ac longa ventorum pace solutum
Æquor, & imbelli recubant vbi littora somno,
Siluarumque comas, & abacto flamine nubes
Mulcet iners æstas: tunc stagna lacusque sonori
Detumuère, tacent exhausti solibus amnes.
Inuidia tumidus nec passus talia *Vuido*
Persurit, (b) ac nimios profundit pectore questus,
Otia quæ Latium foueant, piget vsque fateri.
Nam video florere viros rebusque supinos
Fertilibus, solioque Ducem considere celso,

 Quem

(b) *Wido Dux Spoletinorum & Camertinorum defuncto Carolo crasso non minus sibi juris ad regnum putabat, quam Rodulfi, Conradi filio in superiore Burgundia, aut Odoni filio Roberti in Francia occidentali, aut Berengario filio Everhardi in regno Longobardorum. Ipse Wido vel filius vel frater Lamberti creditur, qui patri Widoni Spoletinorum rectori successerat.*

Quem legere sibi. Montes superare profundos
Vis foret vlla mihi! forsan perfringere fœdus
Et faciles iuuenum possem subuertere mentes.
Præcipuum Tyrrhena colunt qui rura, volentes
Subiicient mihi colla, reor. Minus aptus in armis?
Quid? Potuit Paris egregias turbare Mycenas,
Excire atque nefanda feros in prœlia Atridas.
Quid referam, quantus sedeat *Rodulfus* in aula?
An qualis referam Francis dominetur in aruis
Oddo, mei similes dudum notique sodales?
Solus egon' donis sæcli priuabor opimi,
Et taciti metam solus deuoluar ad æui?
Non, donec puras animus depascitur auras,
Vel si me rapidus Mauors perstrinxerit armis,
Prouoluens iuuenum fusos in sanguine patres.
Talibus irarum dictis fundebat habenas
Mente coquens bilem: iacto velut aspera saxo
Cominus erigitur serpens, cui subter inanes
Longa sitis latebras totosque agitata per artus
Conuocat in fauces & squamea colla venenum.
Iamque legit socios aptos furialibus ausis.
Fama volans Regis nitidas cùm perculit aures,
Conatus agitare satis *Vuidonem* iniquos
Fortuna feruante modum. Quatit ille tremendum
Regali de more caput, cælique tuetur
Conuexa, atque sacris ita fatibus ora resoluit.
Tu cæli terræque sator, qui fulmina torques,
Annorumque vices dimensaque tempora noctis,
Quatuor & mundi partes, quantum arctus ab austro
Et quantum occasus roseo consistit ab ortu,
Metiris, subeat geminos vt phosphorus ortus
Præcedens nunc Solis equos pellensque tenebras
Noctis agat præ se gelidos aliquando iugales:
Testis adesto piis, noxamque remitte cruoris.
Si manus hæc mortis tulerit dispendia *Gallis*, (c)
Debita iure mihi raptum ire volentibus arua
Infandùm. Cui tanta viro concessa potestas
Me regnis priuare? Sedet si, conditor orbis,
Pro culpis abolere viros, nil vota retardent,
Sed per cuncta ruant fati discrimina, quando
Ferrea iam scindit morituris stamina Clotho,
Ac miseros diri capitis discriminat angues
Alecto, crudele nefas, Acheronte sub imo.
Nox subit interea variis distincta figuris,
Cùm pater egregius tecto sese intulit alto
Post epulas, vbi membra toro laxauit honoro.
Annua vix toto rutilarunt sidera mundo
Pace sub hac. En fraudis agit tentamina prædo
Qua secuit quondam aërias Rex Pœnus aceto
Imperij cupidus cautes. Vbi constitit oris
Italiæ, nunc ille minis, aliquando rogatu,
Sollicitat iuuenum hoc fluxas sermone cateruas.
Quisquis auet solidis protendere legibus æuum,
Et fasces mutare Ducis, quæ tradimus vltrò
Ritè fruens donis, nostros glomerare maniplos

Ne

(c) *Deum testem innocentiæ vocat Berengarius, si Gallos occidat, regnum suum inuadentes. Scilicet quod Wido Gallicis auxiliis niteretur. Itaq.* Gallicus heros *infra vocatur &* Rhodanicus ductor. *Contra Berengarius* heros Athesinus; *etsi ambo essent stirpis Francicæ, ambo ex regni Italici ducibus progeniti.*

Ne cunctetur ouans. Cuiquam si fortè videtur
Futile quod ferimus, robur quia ponit in armis
Brengarii, stimulis olim quia motus iniquis
Finibus absentes Gallos quæsiuit Etruscis:
Quantus in arma feror, patriis vel quantus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre tyranno,
Atque vnà caris veniat fundendus in aruis.
Quîs placuere vices, ac dulce mouere potentes,
Colla iugo posuere truci: malè fida recessit,
Sed penitus, Tyrrhena manus, hostesque proteruos
Exultans in regna tulit. Proh sæua nocentum
Consilia! Princeps aberat, pacemque parabat
Imperio, *Veronæ Atesis* quà culta salubris
Irrigat: ecce gradu celeri petit alta minister
Tecta Ducis sudore madens. Fortissime rector
(Inquit) adesto tuis. Saltu super ardua montis
Sese injecit ouans cœtus sat in arma superbus,
Cui nisi præduros gladiis inferre maniplos
Institeris, quid opus Latio quæ dicere victo
Damna ferent? Infensus ad hæc ita reddidit olli
Rex. Jubeo, juuenis, tantùm desiste moueri.
Non caput hoc dum vita regit diffusa per artus,
Hæc tellus cedet superata, pudetque fateri
Res Latii victas: ait, accirique sodales
Imperat. Excurrunt vastos excita per agros
Agmina, amor quibus est pacis, quîs gloria curæ
Natorum dulcisque domus, vitamque perosi
Adueniunt placido glomerati pectora Regi.
Exacuunt iustas subitis rumoribus iras.
Vndique collecti postquam venere manipli,
Ingenti fremitu pariter Ducis ante tribunal
Bella cient. Liquidas tandem se reddit ad auras
Terribilis ductor, quando latus omne sub armis
Ferrea suta terunt, humeros & pectora latè
Flammeus orbis habet, capiti tremit ærea cassis,
Et gemino dextrâ rutilant hastilia ferro.
Ensis in ore etiam præclara refulget iaspis.
Pulcher honos regumque decus, fortissima pubes,
In mediis orsus, rabidi commercia Martis
Præsto. Manus capulo sit parta animusque labori,
Vt decet egregios: Regnum quia tollere pessum
Vuido velit, certum est sociis atque arua vocatis
Partiri, & gremiis juuenum subducere pactas.
Si foret huic animus mecum confligere solo,
Et pactis differre nefas, quod fluctuat armis
Mersurum populos: ait, & spumantis habenas
Implet equi, præcepsque petit confinia belli,
Quà manus hostilis Latium pessumdabat armis.
Hic cælo vt pepulit gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas multumque sequenti
Sole rubens, galeaque viri clusere minaci
Ora, tubæque sonant, vocisque resultat imago,
Partitæque vices tolluntur in æquora gentes.
Qualis vbi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes,
Bella cupit, laxatque genas, & temperat vngues,
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum. Sic excitus irâ
Ductor in aduersos inigit ferus arma maniplos.

Vndique

Vndique consurgunt acies, & puluere cælum
Conditur, horrendisque sonat clamoribus æther.
Hic alius rapido dejectus in æquore cursu
Proteritur, pedibusque simul calcatur equorum.
Atque alius volucri trajectus tempora telo
Cornipedis tergo pronus ruit: illius ense
Desectum longè caput à ceruice cucurrit.
Hic jacet exanimis fuso super arma cerebro.
Ille manu caret, hic gressu, nec visibus iste
Integer obruitur: campi sudore madescunt:
Sanguine manat humus: crudescens vndique campo
Mars turmale furit, *Vuido* si fulminis instar
Labitur in turmas. Libycus velut agmina campis
Læta boum cùm fortè leo procul aggere cernit,
Attollens ceruice jubas, sitiensque cruoris,
In mediam erecto contendit pectore turbam.
Hinc fremit Ausoniæ ductor, furit inde minister
Vuido necis, propria nimiùm virtute superbus.
Inuicti valeat verùm quis ferre tyranni
Pondera virtutis? Demum dare terga coacti
Illius effugiunt comites. Clamoribus vltro
Palantes sequitur. Quæ vos dementia cepit,
Montibus vt sæpti, gladios vitare velitis?
O socii. Haud quondam hæc patriis promissa dabatis
Ædibus. Hesperiæ quæuis prædulcia natis
Spondentes. Reuocate gradum, quid dextera possit
Hæc, hodie cernetis, io: ne fidite cursu
Lecta manus. Frustra sedenim compellat abactos
Fulminei virtute Ducis. Desertus amicis,
Sat rationis inops, vtrumne inglorius armis
Abscedat rediuiuo animam seruare duello,
Redditus an pulcram properet per vulnera mortem
Hostibus. Hæc secum subitò dum mente retractat,
Vnus adest comitum, ac rapidis calcaribus vrgens
Iam torpentis equi latera: Hospes inclite Gallis,
Inquit, abi: penitus nostri cessere manipli.
Nec miserum credas hominem sæuire per agmen,
Puluereos Libyes potiùs quàm monstra per agros.
Vidi equidem, geminos vno cùm sterneret ictu
Ille viros. Pudet heu fari quæ funera victis
Intulerit. Discede, precor, melioribus ausis
Seruandus. Tandem sociûm perculsus amore
Discedit, seseque suis mærentibus addit.
Nox ruit interea, curas hominumque labores
Composuit, nigroque polos inuoluit amictu,
Omnibus illa quidem mitis, sed turbida pulso.
Voluitur irarum furiis actique laboris,
Non tamen absque via mentisque vigore profundæ.
Namque sub occiduas versæ iam noctis habenas
Astrorumque abitus, vbi primùm maxima Thetis
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto,
Doctiloquos agit ille viros ad limen ouantis
Hesterna nece victoris, ne luce carentes
Prohibeat mandare solo. Jam calle peracto
Postquam introgressi, & coram data copia fandi,
Incipiunt. Suprema dedit superare potestas
Cui, Ductor, fera bella, animum submitte rogatu.
Nam petimus, liceat socios mandare sepulcris
Æthere priuatos; malis ne membra ferinis

Facta

Facta Deo pereant, campove relicta fatiscant.
Hoc fortis *Vuido*, hoc populus miseratus amicos.
Nec adeò fractæ vires, animique labascunt,
Prœlia quin superent ac spes in nostra adigendi
Iura solum. Iuuenes *vitio tabescitis omnes*
Gentis (Ad hæc victor) fandi quia copia vobis
Semper, & ore magis robur quàm pectore: verùm
Plus dixisse, egisse minùs, taxatur honestum.
Tollite membra tamen, vitæ quia lumine cassis
Quid restat potius? Miseret tot mille iacentum
Vnius ob noxam, luteo quis corpore mundi
Arcana tribuit flatum ratione creator.
Illa quidem videat Deus. At vos, æthera testor,
Aut Italis Galli celeres abscedite terris:
Aut bello fractas iterum densate cateruas.
Hæc vbi dicta, viri gressum vertere frequentes
Ad socios: tolluntque citi sua funera campo
Sandapilis, reditura tubis vt cuncta ciebit
Nuntius ætheria præcurrens arce Tonantem.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER II.

FLVCTVAT interea *Vuido* crebroque retractat
Milite quo bellum moueat, quæ pectora sollers
Prætendat ferro. Placuit sententia demum,
Sollicitet patria populos tellure quietos,
Vnanimes quò bella ferant viresque reducant
Effætas, paribusque solum potiantur habenis.
Summe Deus, qui cuncta foues, qui cuncta creasti,
Qui regis imperio cælum, mare, sidera, terras,
Qui facis astra micent, & signa micantia currant,
Te precor, intende, & mihimet succurre roganti,
Ac sensus infunde meos, commercia belli
Illectosque duces vili subnectere chartæ
Quò valeam. Prior arma rapit iam *Gallicus heros* (d)
Aërios ducibus montes superantibus auctus,
Anscherio cum *fratre* simul, qui iure proteruo
Quingentos acuunt propria de gente ministros
Instructos animo, & gladiis, nec viribus infrà.
Gauslinus tercentum equites fera bella volentes
Præcelerare iubet, pariter contendit *Vbertus*
Bis centum pro laude viros: eadem omnibus arma,
Et cultus similis, patriæque in pectore vires.
Arma legens inimica iterum *Tyrrhena* iuuentus,
Inclyta gens dudum, terræque marisque duello
Apta satis, modò sed malefida, & degener vltro,
Bella cupit, pariterque cohors *Camerina* superbit
Munere natorum, subigitque in bella sodales
Mille. Sua virtute, magis sed prole supinus,
(Post monstrata fides) centeno milite lætus
Pauper adhuc *Albricus* abit, *iam iamque resultat*
Spe Camerina. (e) Vtinam diues sine morte sodalis.
Quid furibunde ruis sociis ad crimina lectis
Ragineri? Non consilio nec viribus vllis
Vincitur, æthereo causas qui pensat olympo,
Quique *Berengario* Latium concessit auitum.

(d) *Ipse Wido.*

(e) *Jam spe præcipiens Camerinorum principatum à Widone sibi conferendum.*

Collectos etiam ducit *Vilelmus* amicos
Tercentum lorica habiles galeaque minaces,
Nec iaculo segnes. Totidem propellit *Vbaldus.* (f)
Consimili feruore. Vacat non denique vulgus,
Instabili motum studio modicisque magistris,
Profari. Quandoque manent hi forte labores
Doctiloquos, mihimet summam tetigisse duelli
Sufficiat, veniunt etiam, discrimina campo
Qui nuper tulerant, numero ter mille, magistris
Conferti pariter stupido restantibus, aruo
Infandùm. Foret his satius cecidisse duello,
Quam miseros vidisse dies. Nam dispare fato
Disperiere. Iubet tandem *Lambertîcus horror* (g)
Præcipuum truncare: *fiti perit alter* in aruis:
Vngrorum cupit infaustas differre sagittas
Tertius, alta poli scandit supremaque ponti
Tristis, vt almificis sese sustollere sceptris
Fortè queat. Hominum prò mens ignara futuri.
Nunc acies glomerant, bellum numeroq; minantur.
Lætantes, timidisque etiam breuis addita virtus.
Per medios *Vuido* incedens gratatur amicis,
Exsultatque animis, & spe iam præcipit hostem.
Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit ceruicibus altè
Luxurians, luduntque iubæ per colla, per armos.
Senserat horrisonos tandem sæuire furores
Armipotens Latij decus, & spes inclyta belli
Arma ciet, primisque virûm regnique ministris
Ociùs accitas cogant in prœlia turmas
Imperat, ac latas vacuent habitantibus vrbes.
Iussio torua means Italo iam persurit aruo,
Conueniant nocuo rursus decernere ferro,
Quîs pia iura placent. Notas exinde per vrbes
Læta nouare nefas ardet: sic præpete motu
Comit equos artusque terit thorace iuuentus.
Nec mora, *Vualfredus* (h) ter mille resumit amicos,
His manus in capulo, primis ac feruor ab annis
Hostilem turbare globum. Nec fortior alter,
Hostica quem pubes bello vereatur euntem,
Ausona cui faueat. Pariter tria fulmina belli
Supponidæ (i) coëunt, Regi sociabat amato
Quos tunc fida satis *coniunx: peritura venenis*,
Sed postquam haustura est inimica hortamina Circes.
Hos mille & quingenti equites comitantur euntes,
Obtecti Chalybum pectus de more metallo

Gen-

(f) *De Hubaldo, qui pro Widone contra Berengarium stetit, Luitprandus l.1.c.7.*

(g) *Lambertus Widonis filius Maginfredum Comitem Mediolanensium ob rebellionem (id est quod ad Arnulphum defecisset) capitis supplicio punivit. An hunc intelligit Auctor? Minus adhuc constat, qui reliqui duo fuerint, quave eorum tristia fata.*

(h) *Valesius eum esse credit, cujus meminére Annales Fuldenses ad an. 896. & non immerito. Walfredo & Maginfredo Comitibus Italiam cis Padum distribuit Arnulphus an. 895. Herm. Contract. Canisii.*

(i) *Ex his merito colligit Valesius Bertillam Berengarii vel Regis conjugem fuisse filiam Supponis Comitis. Is in Monasterii Casauriensis Chronico vocatur* Piceni Comes, qui & Dux, *& Guilelmo Biblioth. in vita Hadriani II. Papæ* Suppo Archiminister, *nempe Ludovico juniori Augusto* Comes Palatii, *& cui ac de quo scribit Joannes VIII. Papa, passim de eo diplomata. Ceterum tres filios ejus Berengario tunc assuisse, sed sororem eorum Reginam à marito postea ob violatam fidem veneno fuisse sublatam, ex hoc autoris nostri loco discimus.*

Gentis, & vmbrati nitidis à vertice cristis.
Teutonico ritu sexcentos vrguet ouantes
Leuto viros: etiam simili strepit agmine frater
Bernardus. Stimulant longis calcaribus armos
Alipedum cuncti, & cludunt latera ardua parmis;
Germanus sic bella gerit. Nec segnis abibat
Albricus, *Tiberine* tuas (k) non sanguine lymphas
Qui fraude infecit, quingentaque robora belli
Educit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita ludis.
Iamque moræ impatiens glomerat *Bonifacus* amicos;
Alter ab aduerso, ac paribus circumdatus armis
Berardus numero tercentum. Maxima vulgi
Pars Italo vibrant omnes de more sarissas,
Orbe latusque tegunt clypei pro Marte sinistrum.
Aduolat *Azo* ferox subigens in bella sodales,
*Vicino*que suas cogens ab *limite* turmas
Olricus, *Latium Hadriacis* quà clauditur vndis. (l)
Ac labor est sæuis gladios prætendere *Abaris*
Farier illectos studio Mauortis vtrimque
Pontifices vereor. Strictis ingentia dictis
Prætereo: *Rheni licitum nec fœdera paucis*
Effari (m). Hinc alio libitum transmittere cursus,
Vt tandem collecta bonus videt agmina ductor,
Assilit in medium nitidis cernendus in armis,
Talia dicta ferens. Nostri munimina regni,
O proceres, prohibere minas *Vuidonis* iniquas
Sitne pium sapitis, dudum qui funera campo
Experti. Mauult igitur quia tendere fastus
Nunc etiam, rebus finem quam ponere fessis,
Arma referte citi, & caram defendite terram
Me duce, quem dudum precibus sustollere fasces
Hortati: dixitque. Diu cessare duellum
Turba fremens queritur, subito concussa tumultu,
Vix labara opperiens. Ferus omni in pectore sæuit
Mortis amor cædisque. Nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant redimuntque moras. Sic litora vento
Incipiente fremunt, fugitur cùm portus: vbique
Vela fluunt: laxi iactantur vbique rudentes.
Iamque natant remi, natat omnis in æquore summo
Anchora. Iam dulcis medij de gurgite Ponti
Respicitur tellus, comitesque à puppe relicti.
Campus erat dudum studio damnatus iniquo.
Huc ambæ tendunt acies squalentibus armis.
Sed iam bella vocant. Alias nunc suggere vires,
Qui pensas tacita mundum ratione Creator.
Fatalem populis vltro poscentibus horam
Admouet atra dies, stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cælo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros inuitat hiatu

(k) *Apparet ex Comitibus Tusculanis, etsi iis anterior, quos alii memorant autores.*

(l) *Quinam Bonifacius & Berardus hic memorati non constat, sed nec qui Azo, etsi non procul Hadriatico mari habitasse ex eo colligas, quod Ulricus* vicino à limite *turmas cogit, Latium Hadriacis qua clauditur undis. Itaq; Valesius suspicatur Azonem fuisse de* Estensi *stirpe. Olricum vero, qui tunc (ex Poëta verbis) Italici limitis defensor contra* Abaros, *id est, Ungaros fuit, Luitprandus postea à Berengario descivisse narrat l.2. c.15.16.*

(m) *Cum Arnulpho scilicet Germaniæ Rege; quem Regno etiam Italiæ imminentem anno 888. Berengarius Tridentum veniens nonnullis concessis sibi conciliaverat. Unde nunc (id est sequente anno) auxilia contra Widonem expectavit.*

Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur & patriæ, & qui mente nouissimus exit,
Lucis amor, animusque vltra thoracas anhelus
Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? Flammantur in hostem
Cornipedes, niueoque rigant sola pinguia nimbo.
Iamque ruunt, primusque virum concurrere puluis
Incipit, ac spatiis vtrimque æqualibus acti
Aduentant, mediumque vident decrescere campum.
Pulcher adhuc belli vultus, stant vertice coni:
Plena armenta viris, nullus sine præside vector.
At postquam rabies, & vitæ prodiga virtus
Emisere animos, sternuntque ruuntque vicissim
Ictibus innumeris. Haud tanta cadentibus hædis
Aëriam Rhodopen solida niue verberat Arctos.
Interea *Vuidonen* adit *Vualfredus* ouantem
Cædibus, haud regem; sed enim qui nuper ab aruis
Sequanicis illectus erat. Capit eminùs ipsum
Hasta viri valido nimiùm contorta lacerto,
Extremo galeæ primoque in margine parmæ
Semita quà lucet: clauso spiraminis haustu
Ilicet oppetiit. Moriens telluris alumnæ
Infelix caræque domus reminiscitur, atque
Damna modò Latiis quia venit adeptus in aruis.
Hinc acies sequitur cæso ductore, furitque.
Ascherium sternens *heros Atesinus*, & *Othum*,
Comminùs instantem metit, hunc à poplite sectum
Cuspide transmissa. His socios demitteret vmbris
Innumeros: ni *Rhodanicus* succurrere *ductor*
Admonitus, fessis subitò adforet vltor amicis.
Vt lupus in campis pecudes cùm vidit apertis,
Non ductor gregis ipse comes, non horrida terret
Turba canum. Ruit, ac toto desæuit in aruo.
Haud aliter dirum *Vuido* se tollit in æquor.
Hic celsum quòd cernit equo turbare sodales
Erardum indignans, vno duo corpora ferro
Cornipedemque equitemque fodit. Ruit ille ruentem
In dominum, lapsisque manu quærentis habenis
In vultu galeam clypeumque in corpore calcat:
Saucius extremo donec cum sanguine frenos
Respuit, & iuncta domino ceruice recumbit.
Otgarij, comites rabido clamore vocantis
Ora ferit frameà: pereunt conamina vocis
Intercepta cruore. *Milo* verùm arma cadenti
Dum rapit, infelix Italà deprenditur hasta,
Ac moriens linquit clypeum hostilemque suumque.
Auxilio collecta subit tandem Ausona pubes:
Bellum ingens oritur. Multum hinc illincq; cruoris
Funditur, & totis sternuntur corpora campis.
Nam varium virtutis opus. Nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit & aufert.
Vt ventis nimbisque minax cùm soluit habenas
Aër, & alterno profligens turbine mundum
Stat cæli diuersa acies. Nunc fortior austri,
Nunc aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Hic videt *Anscherius fratrem* quia vulnere labi
Albrici, ingemit, ac rapido conamine telum
Contorquens, clamore graui Sator ætheris, inquit,

Sic

Sic genus omne tuum propriis discriminet aruis,
Vt fratres Italo toruus discernis in agro.
His dictis, volat ingenti stridore per auras
Cuspis in aduersum: clypeo sed pulsa rigenti
Alipedi vadit mortem latura superbo.
Hic mortem *Albricus* caperet, nisi proxima virtus
Tolleret hunc iuuenum, sociis & redderet armis.
Millibus in mediis vadens, Quid inertia bello
Pectora, *Vbertus* ait, duris prætenditis armis
O Itali? Potiùs vobis sacra pocula cordi,
Sæpiùs & stomachum nitidis laxare saginis,
Elatasque domos rutilo farcire metallo.
Non eadem Gallos, similis vel cura remordet,
Vicinas quibus est studium deuincere terras,
Depressumque larem spoliis hinc inde coactis
Sustentare. Miser voces dum tollit inertes,
Hasta subit latebras animi scrutata superbi,
Vuifredi librata manu super horrida fantis.
Infelix Galle, Ausonios ne dicere pigros
Fas tibi, ni fallor, digitis impacta monebit
Hasta meis. Visu ille truci dum prospicit hostem,
Labitur, & carpit moribundus dentibus herbas.
Hæ diuersa in parte vices vtrûmque cadebant.
Sæuior at miseris instat regnator Etruscis
Hesperiæ, timidumque vocat *Vuidona* per agmen,
Nil vulgare legens, sed quæ dignissima vita
Funera, præcipuos annis animisque cruento
Fert gladio. Innumeris veluti leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos mollesque iuuencas
Transmittit. Magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis ceruice recumbere tauri.
Vuifredum sedenim sonipes malè fidus in armis
Rumpentem frenos diuersa per agmina raptat
Iam liber: sic fessa manus. Venit hasta per armos
Principis, & læuum iuueni transuerberat inguen,
Labentemque affigit equo. Fugit ille perempto
Confertus domino, nec iam arma aut frena tenentem
Portat adhuc equitem. Fratris iam membra regebat
Arduinus equo: læuâ marcentia colla
Sustentans dextraque latus. Singultibus artum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coërcent
Vndantem fletu galeam: cùm multa gementi
Valde grauis curuas perfringit lancea costas,
Exit & in fratrem, cognataque pectora telo
Conserit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, & adspecta germani morte resoluit.
Procubuere pares fatis (Miserabile votum
Mortis) & alterna clauserunt lumina dextra.
Ac velut Edoni boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad littora fluctus:
Quà venti incubuere, fugam dant nubila cælo.
Sic Regi quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conuersæque ruunt acies, cadit obuia pubes.
Vt vidit socios Regi dare terga sequaci
Ildeprandus, abit clamans: Perstate sodales,
Quid fugitis? Spectate, virum si pellere ferro
Fortè queam. Similes artus natura creatrix
Huic dedit, ac similis sustentat viscera sanguis.
Num sacra riguit styge? Num penetrabile plantis

Hunc modò tergus obit? Mortali vrgemur ab hoste,
Haud legione, pium Domino quæ seruit ad vsum.
Sic ait, & toto connixus corpore telum
Effundens, femur ingenti ferit eminùs ictu
Ductoris Latij: satis hoc. Et tollere gressum
Ponè citus facti cogente timore parabat.
Protinus intorquens iaculum sed ductor in hostis
Os, terebrat faciem quartis sine lege labellis
Increpitans. Secreta tibi committere nullus
Audebit Tyrrhene dehinc quòd apertus abunde
Hac illacque flues. Sint hæc monumenta, minorem
Te frustra voluisse meis illudere telis.
Ille quidem euasit sociûm circumdatus armis.
Sed victor animi tota succensus in ira
Innumeram ferro plebem ceu letifer annus
Aut iubar aduersi graue sideris immolat: Ite
Vociferans, vestroque Duci narrate, Latinos
Diuidat an rectè vobis mea lancea campos.
Tyrrheni proceres iterum hinc atque inde pudore
Collecti statuunt gressum, firmantque vicissim
Vndique sese armis, oriturque miserrima cædes
Amborum, & ferrum ferro sonat: vndique mistis
Inter se stridunt mucronibus. Instat vtrimque
Densa acies, rursusque nouo respersa cruore
Arua madent, ruit Hesperias dum Phœbus in vndas.
Quis modus vlterior, vel quæ discretio belli?
Ni finem daret ætherea sator orbis ab aula.
Nocte instante solo tandem spissisque tenebris
Concedunt mæsti & trucibus dirimuntur ab armis.
Tanta per Ausonios deferuere prœlia campos,
Non modò finitimis, longè sed fama remotis
Dum canit: *Arnulfi* Germanica rura prementis,
Brengario sed enim *regum per stemmata iuncti*
Tendit ad Imperium solito magis hispida plumis
Amplectens vnà populum sæuumque tyrannum
Gutture profuso. Coquit ille in pectore curas,
Moxq; vocans genitum, Duros, *Sinbalde*, maniplos
(Inquit) age, & rapidis Italos pete cursibus agros,
Rex vbi *Brengarius* audentes ardua Gallos
Insequitur bellis: tamen hos per vulnera dicas
Aut montis subito, mirum, succrescere partu.
Tot veniunt. Tantumne potis perferre dolorem,
Nostra vt progenies *propria* (n) *vexetur in Aula?*
Nec tibi bella dari vereor, si iunctus amico
Iueris. At muris dicas seruare superbos
Fortè animam, neque velle tuis famularier armis.
Esto: vices mutabo dehinc, & mœnia scindam
Ausoniæ, *rutilam donec veniatur ad aulam*
Clauigeri (o), & totos Araris vacuabo furores.
Paret ouans patri simili succensus amore
Mox *Sinbaldus*, & electo comitante ministro
Ingrediens Latium, quosdam præmittit, amico
Pacificum referant sese qui tollere gressum.
Consimili feruore subit pater obuius olli
Brengarius, celsas nimium quà tollit in arces
Se regnum, ac subitis Rhenos discriminat oris.

Hic

(n) *Res Berengarii difficili loco fuisse, ipsumq; Veronæ (ubi* propria ejus aula *erat) non satis tutum fuisse, hac indicant verba Arnulfi,* Zventibaldum *filium auxilio mittentis, quem Poëta vocat* Sinbaldum.

(o) *Credibile est, Widonem tunc jam tum Romanos in partibus habuisse & imperii coronam accepisse.*

Hic vbi congressu dextras iunxere decoro,
Rex inquit prior: O iuuenum fortissime, nostros
Cur velis penetrare locos cunctatio nulla est.
Nuntia vera satis. Solùm rogitare necesse,
(Incolumem quia te nostris conspectibus offers)
Si fruitur pater optatis tuus optime rebus.
Inquit at ille. Valet genitor, commune leuamen,
Teque valere cupit, pacatis fœdere campis
Mansuro Latij. Celeres idcirco subegit
Nos petere Ausonias collecto milite terras.
Interea loca tuta petit *Dux Gallicus*: atqui
Non geminis obstare sua virtute tyrannis
Posse videns. Illi fremitu (miserabile) clusos
Irritant, hinc inde solum peragrando Latinum.
Verùm vbi cuncta silere vident hostilibus ausis,
It monitu Regis patrias *Sinbaldus* ad oras,
Quod solus queat hostilem superare furorem.
Tertia vix Lunæ se cornua luce replerant,
Hic lætus patriam postquam concessit ad aulam:
En *Vuido* agmen agens, iterum renouare furores
Accelerat; contra ductor depellere pestem
Instruit arma pius, tantosque recidere fastus.
Nec latet *Arnulfum* rursus succrescere bellum
Hesperia. *Vuidonem* etiamnum milite fretum
Affore, ceruicesque procaci adtollere fastu
Audiit, ac solio quo fortè sedebat eburno
Exsilit, ingentique domum clamore repleuit.
Fortia iussa citò scribæ sulcate papyris,
Actutum populos cogant quæ adstare iubenti,
Quam varios linguis, tam duros pectore & armis.
Namque iuuat Latio clarum me visere amicum;
Quem totiens Rhodanus vexat properante *Lemano*
Milite. Quò fugient ergo? Cælumne subibunt?
An latebras terræ quærent, liquidive profundi?
Oderit Hesperiæ, faxo, Dux nomen amatæ
Improbus, extremis terræ vel postus in oris.
Talibus infestas metuenda mole cateruas
Præstruit, irarumque graues emittit habenas.
Eridanus veluti niuibus feruore solutis,
Præruptum exit in arua fluens, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta ruit, radicitùs alnos
Litoreas fluctu vndarum labente resorbens.
Iamque solum tenet Ausonium *Dux ille verendus* (p):
Cùm *Vuidonis* abit rancore soluta superbo
Fama in castra rei. Sociis extemplò vocatis
Tunc ait: O proceres, quid opus depromere verbis,
Quò res imperij vergantur pondere belli?
Collectis quando Hister adest hinc inde fluentis
Excidio nostri. Moneo, seruate secundis
Rebus eò vosmet, tantis ac parcite bellis,
Abscedat donec proprios Arnulfus ad agros.
Pingue solum interea regum dum lustrat vterque,
Pergami adueniunt vrbem (q), quam detinet vltro
Munitam iaculis nimium sudibusque præustis,
Natura tribuente locum satis arcibus aptum,
Ambrosius (r) pesti miser heu deuotus iniquæ.

Qui

(p) *Arnulphus.*
(q) *Hanc anno 894. ab Arnulpho expugnatam constat.*

(r) *Ambrosius Comes capta urbe jussu Arnulfi suspensus est.*

Qui regum infelix postquam defertur ad aures,
Obsidione iubent densa circumdare muros,
Ne capiat sociûm quemquam, exteriusve remittat,
Dispersi donec populi tot luce sequenti
Conueniant, captumque locis emittere firmis
Vi certent, ausit rursus ne talia quisquam.
Postera cum primum stellas aurora fugarat,
Vrbis ad excidium properat *Germana* iuuentus
Vndique luctifico sonitu compulsa tubarum.
Hîc fossas implent alij, muroque propinquant:
Pars scalis etiam tendunt conscendere turres.
Vrget enim vtrorumque nimis præsentia Regum,
Mœnia quod retinent carum pro munere dantum.
Omne genus contra telorum effundere ciues
Prædurisque parant hostes detrudere contis,
Nec possunt obstare tamen, tot millibus acti
Deficiunt verùm. Cadit hic cum fragmine muri:
Ille ruit fossus iaculo: sine viribus alter
Stat rationis inops. Reclusis vndique portis
Vrbs patet, hostili iam iam confusa tumultu.
Ecce verenda priùs nullo sub honore tenentur
Atria. Nam scissis pereunt velamina vittis
Virginis: impulsusque sacer fugit ipse minister,
Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quæ solitæ sacris sentire litatis.
Ambrosius auctor sceleris fomesque malorum,
Vt tandem videt immites dominarier hostes
Arcibus, adscensu celeri petit ardua turris,
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.
Ædibus ingeniis quorumdam marte refertis,
Pellitur inde tamen, victis accinctus & armis
Arnulfo manibus trahitur post terga reuinctis.
Ille calens irâ, testatur cuncta creantem,
Arboris hunc ramis subitò demittier altæ:
Proh genus inuisum leti, suspendere ventis
Debita membra solo: mortalibus altera rerum
Pars datur, ac membris prohibetur glæba caducis.
Hinc igitur iuuenum soluuntur frigore mentes.
Vrbibus excedunt, laxisque repagula portis
Disscindunt, hostesque feros in mœnia linquunt.
Sed quia non illis Prædo tutacula terris
Obtinuit, subitò Etruscas procinctus ad oras
Vertit iter, Regum imperio *Romana petentum*
Atria (s): ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere, postquam
Fluctiuagas Rheni *Arnulfus* remearit ad vndas.
Fugerat hic *Romana* vafer sed *culmina* tandem,
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos.
Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis, vexilla iubentque educere castris,
Viribus ac totis clausas insistere portas:
Vi saltem *reserantis* adire vt limina *cælum*
Principis Ecclesiæ (t) liceat, ne friuola tantos

Pro-

(s) *Dissimulat Panegyristes Arnulfum Romam petiisse ad coronam imperii sumendam, quam ei imposuit Formosus Papa; & alias causas comminiscitur, ne scilicet Wido summa (id est Romana) manens in aula, post discessum Arnulfi, se ipso præsente latuisse neget.*

(t) *Clausas portas (urbis scilicet Leonianæ) vi apertas indicatur, ut adire Arnulfus posset* limina *Ecclesiæ Principis, seu Basilica cælum reserantis, id est S. Petri. Cæterum & urbem Romam in potestate habuit.*

Propellant figmenta viros, & vota retardent
Præſenti promiſſa loco templisque dicatis.
Talibus imperiis talique hortamine Regum
Induuias rapiunt cuncti Mauortis anheli,
Commiſſas auidi ferro proſcindere portas.
Iam quia parta ſibi ſpeculantur nigra Quirites,
Vndique diffutis reſerant penetralibus Vrbem,
Admittuntque Duces veneranda ad delubra mites.
Hic vbi perfectis nituere altaria votis,
Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos ſic ira fatigat.
Quid faciat, quo ſe vertat, quæ mœnia viſat,
Ignorat rationis inops. Nam ſumma tenebat,
Spes vbi peſtiferis reſtabat poſtera Gallis.
At ductor Latii ſocium ſine more tyrannum
Vt videt ingruere, placido ſic pectore cœpit.
Deſine Rex venerande: ſatis virtute peractum:
Nec decet vlterius ſocios deducere Rhenos.
Nam ſi itidem *Vuido* victis ſpem ponit in armis,
Adueniat tumidus, dextra hac, ſine, poſco domandus,
Te dominante viris antiquo fœdere iunctis.
Mitior his dictis, patitur repedare volentes
Barbaricos proceres diuerſo ab limite lectos
Germanæ princeps metuendus & arbiter aulæ.
Vix proprios tetigit fines Rex ille verendus:
Legirupis en *Vuido* tubis rediuiua reſumit
Agmina, item vetitos cupiens peruadere campos.
Sæuior ipſe etiam Regni pater hoſtibus arma
Molitur, tantos auidus finire labores.
Interea ſors lecta Dei, circumdata ſaccis,
Vota facit, vultum lacrimis altaria circum
Suffuſa, has imo referebat pectore voces.
O rerum genitor, cunctis metuenda poteſtas,
Imperio qui bella regis pacemque perenni,
Da tantos ceſſare dolos; da criminis auctor
Veloci pereat leto: da tempora noſtro
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, & generis, quod ſtemmate pollet.
Audiit iſta ſator, totum qui curuat Olympum:
Mortis adeſſe diem (u) cogit fera bella mouenti,
Sic tamen ut proprio componat lumina lecto.
Ultima lux inſtat, nec jam ſpes vlla diei,
Cùm vocat hic natum tanto pro funere mæſtum,
Hæc monita fractis promens memoranda loquelis.
Nate vides, quàm dura premant diſpendia vitam,
Quæ Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi
Intulit, & rupto maculavit fœdere maſſam.
Nec patriis vltra poteris tutarier armis.
Namque rapit natura diem, ſomnumque reducit.
Percipe verba tamen poſiti ſub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adſciſcere forti
Brengario. Hunc etenim fato meliore ſequetur
Heſperia, & noſtris etiam dominabitur aruis.

(u) Widoni. Autor noſter omnia perturbat. Arnulphus bis in Italia fuit, primum anno 894. Mediolano & Ticino occupatis per Burgundiam in Germaniam rediit, qvo tempore & Wido Imperatorem ſe ferens obiit ſuccedente Lamberto filio. Arnulphus anni ſequentis autumno Italiam petens Romam pervenit & coronam imperii accepit. At noſter duas expeditiones Arnulphi Italicas confundit, & qvantum poteſt, extenuat, Widonisqve mortem poſt Romanam collocat, qvæ facta eſt anno 896. cum Wido obierit circa finem anni 894.

Nec plura effatus, medio sermone resistit,
Et vitam pariter moriens & famina linquit.
Lætantur populi mortis cecidisse ministrum,
Et curis soluunt animos ac marte lacertos.
Vt cum Sole malo tristique rosaria pallent
Vsta noto: si clara dies Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, & informes ornat sua gloria virgas.
Pars quoque magna virum properant, *Vuidone* sepulto,
Orantes veniam Latii ductoris ad aulam,
Dum Vuidone satum invalido comitante ministro
Deficiunt, duplici nimium discrimine mæstum,
Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.
Ac recolens præcepta patris, iubet ire sodalem
Qui pacem petat, ac Regem summissus adoret.
Ne memor esse velit genitoris bella gerentis,
Sed legat in regnum sociali fœdere amictum,
Militiæque etiam, Mauors si quando ministrum
Bella ciet. Dux interea venerabilis æuo
Fert pietatis opem venientibus vltro maniplis,
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis:
Prætendit solitò verùm pia viscera cunctis.
Nuntius in medio demum vt *Lamberticus* adstat,
Et quæ sit fortuna viro pacisque voluntas
Edocet. Ipse Pater miti sic pectore reddit.
Æqua referre malis nimium sacra iura recusant.
Namque poli sensum demissum traximus arce,
Cuius egent prona & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animam, nobis animum quoque mutuus vt nos
Affectus petere auxilium & præstare iuberet.
Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam,
Veridico cecinit quondam velut ore Propheta.
Quapropter veniat, noster dicendus amicus
Hac ratione, fide violet ne iura proteruus,
In leui cumulans genitoris pectore technam.
Sin tenet ille dolum iuuenili mente resumtum,
Colligat arma citò, patrique simillimus vltro
Exercens studium, faxit per bella periclum.
Percipit hæc hilaris postquam iuuenilis alumnus,
Procidit, & supplex Regi, veneratur amorem
Quo tellus, pelagus seruant atque astra tenorem,
Ne pontus liquidis aruum subuertat habenis,
Aut ignita poli mergantur sidera lymphis.
Hinc remeans iuueni defert sua nuntia voti,
Ordine cuncta monens. Tandem *Rex optimus* atque
Lambertus properant, vbi fertilis vnda *Ticini*
Alluit egregiam fluuii cognomine dictam
Vrbem, in qua soliti Regem spectare Latini.
Mutua verba ferunt, postquam *promittit vterque*
Mansurum fœdus, roseis dum vecta quadrigis
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phœbi,
Aut tellus immota manet, nec pondere cedit,
Vndique pulcra tuens vertentem sidera mundum,
Si tot vita virum posset durare per annos.
O iuuenale decus, si mens non læua fuisset!
Sæpe datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus inventis. Sed enim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.

Tertia

Tertia (w) *mox tamen hunc Latio produxerat æstas*
Vbere telluris potientem pace sequestra.
Ecce dies instat iuuenilibus æmula factis,
Mortis acerba ferens. Studio iam vadit in altos
Venandi lucos, cupiens sibi mittier aprum,
Informem aut rapidis occurrere motibus vrsum.
Avia sed postquam nimio clamore fatigant
Præcipites socii, ipse vno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,
Abrumpens teneram colliso gutture vitam.
Bucina tristè canens disiunctos vsque sodales
Conuocat, ac domini letum crudele resignat.
Hoc sonitu nemus omne tremit, fugiuntque volucres
Elapsæ pennis, possessaque lustra relinquit
Omne pecus. Tanto sonitu glomeratur vtrimque
Lecta manus comitum, disrupto & gutture mutum
Flebilibus iuuenem vocitat clamoribus: ille
Nititur infelix fractas proferre loquelas.
Succidit in mediis equidem conatibus æger,
Vlterius nec lingua valet, nec verba sequuntur.
Haud segnes socii crates & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis ac vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuuenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,
Non iam mater alit tellus viresque ministrat.
Talibus expostum studiis ad templa reportant,
Vt condant digno iuuenilia membra sepulcro.
Hic ubi ductoris repleuit nuntius aureis
Brengarii, *Vuidone* satum cecidisse coactum
Cornipedis tergo: trahit has de pectore voces.
Heu mortis metuenda lues, quæ dulcibus annis
Inseritur, tristesque negat componere soles.
Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit ac Latium quamuis turbauerit annis.
Vndique tota cohors Regni concurrit in vnum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse tyrannis:
Cum solus placeas rebus superesse Latinis.
Vt Phœbo roseis aruum laxante quadrigis
Vere nouo, gaudent pecudes fœtuque grauantur,
Humor adest herbis, ac vastis semina sulcis,
Gratus aër pennis, æquorque meabile nautis:
Cuncta nitent. Succedit enim natura creatrix,
Et rebus proprias certo dat tempore formas.
Haud secus Italiæ gestit sub principe tellus,
Impacatus vbi ab superis cum prole recessit
Guido ferus, fastusque odii moriendo resoluit.

EXPLICIT LIBER III.

(w) Obierit ergo anno 898. cujus æstas tertia intelligi debet regni Lamberti ab obitu patris; quæ & Sigonii sententia est, quanquam Regino anno 896. expirasse scribat, cujus auctoritate Valesius Sigonium falsi diplomatis subscriptione deceptum putat.

INCIPIT LIBER IV.

QVARTA (x) igitur *Latio vixdum deferbuit æstas*,
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, *Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris*
Sollicitat Rhodani gentem: cui moribus auctor
Temnendus *Ludouicus* erat, sed stirpe legendus,
Brengario genesi conjunctus quippe superba.
Hic dudum Ausonium cupidus regnasse per aruum;
Sed vetuit fortuna. Modo quia nuntia votis
Accipit, extemplo sociis ad tecta vocatis
Regia, Quæ totiens (inquit) voluistis amici,
En voluenda dies ultro attulit: este parati,
Prædulcesque petamus agros. Nam rure vocamur
Vicino Italiæ. Vires huc forte superbas
Dum tulero, propriis discedet ductor ab oris.
O miser, inque dies miser, inuictumne lacessas?
Num te fama ducis totum vulgata per orbem
Præterit? O Genitor, rerum compesce furores:
Nescio namque mali quid mens præsagat eunti.
Iamque valens modicum inualidos *Prouincia* alumnos
Legat in Ausonios inimico nomine campos.
Nec victor, decus & Latii spes vnica regni
Tunc *Veneti* seruare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus, immodicas animo sed decoquit iras.
Ut caueis cum forte leo vinclisque tenetur,
Non artes agitare valet, non promere vires,
At duro premitur tantum sub lege magistro.
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos,
Atque diu desueta cruor madefecerit ora,
Ipse lacer custos iras prior imbuet: inde
Obuia turba virum morsus satiabit amaros.
Interea *Ludouicus* ouat, regnumque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut necto (nexo) spoliis potiatur opimis.
Infaustus *Veronæ* etiam contendit ad arcem.
More pii Regis tamen, ut subsedit apertis
Mœnibus, antiquos sociis disterminat agros,
Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium leti dispendia passum.
Ah! Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum seruato magistrum,
Ne pereant vno Latialia gaudia leto.
Conualuit quia regnator tamen, vndique lecti
Conueniunt proceres læti, vexillaque castris
Proripiunt, celeresque Atesis ad mœnia tendunt,
Hæc obiter comi referantes famina Regi.
Te petimus, pietatis honor, nec parua precatu
Credimus hæc: vrbem propriis si ceperis armis,

(x) Autumno igitur, cum Berengarius in agro Veneto ex qvartana decumberet, Ludovicus Rex provinciæ, filius Bosonis ex Ermengarde filia Ludovici junioris imperatoris, evocatus ab Adelberto Marchione Tusciæ (qvi dicitur nostro: *bellua Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris*, nisi uxorem ejus Bertam, Lotharii Regis Austrasiæ filiam intelligere malimus) Italiæ regnum occupat. Si Lambertus anno 898. obiit, oportet hoc factum sub exitum anni 902. Sigonius ex diplomatibus vult Octobri anni 900. Italiam ingressum, seqvente Romæ coronatum, anno 902. oculis orbatum. Noster perinde loqvitur, ac si ingressum in Italiam orbatio mox sit secuta.

Men-

Membra viros sine curtari, qui fœdera Regni
Proturbant totiens, damnum pietatis iniquæ
Ne patiamur. Ad hæc, Animis aduertite ductor
O proceres inquit monitus, & crimina capto
Ne conferte viro, generis quia sanguine pollet,
Et forsan facinus maturis deseret annis.
Testetur pia jura poli, & dimissus abito:
Hoc satis. Hi contra celeres cum murmure gressus
Intendunt, rabidas acuentes pectoris iras:
Nil moti dictis, potius fera murmura rodunt
Non se posse malum posthac dimittere inultum.
Talibus adveniunt vrbem, muroque propinquant:
Ilicet admissi penetrant miserabile templum,
Quo *Ludouicus* erat: subito rapiuntque ligantque,
Et *pulcros adimunt oculos*. Securus in aula
Forte sedebat enim, idcirco pia munera lucis
Perdidit, obsessus tenebris quoque Solis in ortu.
Tu ponens etiam curtum femorale Iohannes,
Alta tenes turris, si forte resumere vitam
Sis potis: hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris arena.
Nuntius at postquam sociorum allabitur aures,
Prælatum iuuenem communi lumine cassum:
Consilii fugiunt inopes, passimque recedunt.
Flante velut Zephyro liquescunt aëros auræ
Vere novo, gremium soluunt cum rura coactum
Frigore brumali crebris Boreæque pruinis
Nec remouere viros cessat de parte superbos
Fortis *Adalbertus* (y) iuuenilibus obsitus annis,
Apennicolas *fausto* qui *nomine* turmas
Elicit, egregio cupidus seruire magistro.
Emicuit subito in mediis lux alma tenebris,
Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exempto, patriæque duce ac genitore recepto.
Qui licet effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat Imperii necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilus nec vestibus aula,
Induperatorum solito de more parentum.
Cur? Nisi quod vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum, nisi sæpe vocatum?
Summus erat pastor tunc temporis Vrbe *Iohannes*,
Officio affatim clarus sophiaque repletus,
Atque diu talem merito seruatus ad vsum.
Quatenus huic prohibebat opes *vicina Charybdis*, (z)
Purpura quas dederat maiorum sponte Beato,
Limina qui reserat castis rutilantia Petro.
Dona duci mittit sacris aduecta ministris,
Quo memor extremi tribuat sua iura diei
Romanis, fouet Ausonias quo numine terras,
Imperii sumpturus eo pro munere sertum,
Solus & occiduo Cæsar vocitandus in orbe.
Talibus euictus precibus, iubet agmina Regni
Quiscum bella tulit, quiscum sacra munera pacis,
Affore, quæ tanti gressum comitentur honoris.
Iamque iter emensus postquam confinia *Romæ*

(y) Marchio Eporediæ, gener Berengarii I. pater secundi.
(z) Saraceni tunc montem Garelianum ad ostium Liris insidentes munera Romam ferri prohibebant. In hos à Joanne X. Papa vocatum Berengarium promisso imperii honore, innuit noster, quod apertius indicat Luitprandus.

Attigit, ire iubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant. Sonat ecce Subura
Vocibus elatis populi. Properate fauentes,
Rex venit, Ausoniis dudum exspectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores.
Feruere tunc videas Vrbem, & procedere portis
Quot Roma gremio gentes circumdat auito.
Intereà princeps collem qui prominet urbi
Præteriens, vbi se prato committit amœno,
Singula quæque modis incendunt æthera miris
Agmina. Namque priùs patrio canit ore Senatus,
Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum:
Indicio, deuicta cadent tentamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.
Dædaleis Graius sequitur laudare loquelis.
Stoicus hic noster, *cluibus* (a) quia pòllet Athenis,
Et sollers iter in Samia bene callet arena.
Cetera turba pium nativa voce tyrannum
Prosequitur, totaque docet tellure magistrum.
Hic etiam juvenes nitida respergine creti,
(Alter *Apostolici* nam *frater*, *Consulis* alter
Natus erat) pedibus defigunt oscula Regis.
Hinc ubi Præsul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, graduum quà peruius vsus
Aduehit ornatam cupidos intrare per aulam.
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ouans hinc inde minister.
Quid referam populos istinc illincque coactos,
Undantesque gradus, cùm Rex ad templa subiret,
Evectus *Pastoris equo* (b) ? Mox quippe sacerdos
Ipse futurus erat, titulo res digna perenni.
Advenit ut tandem, lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis:
Vndique turba premit, cui vix obstare satelles
Voce valet nutuque minans. Erat omnibus ardor
Cernere præsentem, cupiunt quem sæcula Regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,
Majestate manus cogens cessare tumultus
Vndantis populi. Postquam conscenderat omnem
Adscensum, aureolo præsul surgens *eliothedro* (c)
Oscula figit ovans, dextramque receptat amicam.
Hinc adeunt aulam pariter tibi Petre dicatam,
Ianitor ætherei pandis qui limina templi.
Ante fores stant ambo domus, dùm vota facessit
Rex: etenim se cuncta loco vovet ultro daturum,
Quæ prius almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet *his verbis* voluuntur cardine postes,
Extollitque sacer laudes per templa minister.
Utpotè *Siluestrum* videat properare magistrum,
Constantinum etiam typico Baptismate lautum.
Nec minùs his decus orbis inest rerumque potestas,

Tem-

(a) Id est nobilibus. Inter Glossas poemati nostro passim adspersas à nescio qvo vetere, una hoc loco adscripta ita habet: *cluo* (κλύω) *Gracum est idem qvod ausculto. Est autem polysemus sermo. Nam cluis nobilis & pugnax, & auscultans dicitur & defensor.*

(b) Glossa: *Talis est mos Romanus, ut qui debet promoveri ad dignitatem Imperii, Præsulis equo devehatur in urbem.*

(c) Glossa nostra: *Cliothedrum dicitur sella plexilis, qva vulgò Valdestolum vocatur.* Hinc posteà Faldistorium Italis, qvod Gallis *Fauteil*, qvanqvam paulo alio hodie sensu. *Plica* Germanis *falte*; unde & *faldblat*, ex qvo nuper *falbalam* fecere Galli.

Tempora nì peiora forent impulsaque cessim.
Jam *tumulo Piscatoris* sacra purpura Regis
Sternitur, & Christus lacrimis pulsatur obortis.
Templa petit ductor posthæc, ubi fercula dono
Pastoris digesta nitent. *Setina* (d) propinant,
Ac (decet ut Regem) variant *tuceta* (e) ministri.
Mox croceis mundum lampas Phœbea quadrigis,
Luce Deus qua factus homo *processit ab antro*
Tumbali, (f) perflat. Populus concurrit ab Urbe,
Cernere vestitum trabeà Imperiique coronâ
Augustum. Replicata calent spectacula totis
Ædibus, auratis splendent altaria pannis:
Cùm princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo:
Quale decus terræ soliti gestare magistri.
Advenit & Domini pastor præpostus ovili,
Officio lætus, quamvis resonaret utrimque
Clamor: Ades Præsul, totiens quid gaudia differs
Innumeris optata modis? Per vincla Magistri
Te petimus, depone moras, & suffice votis.
Talibus aræ adeunt gestis apsida sacratæ
Lumina terrarum. Modicùm posthæc *diadema*
Cæsar habet capiti gemmis auroque levatum:
Unguine nectarei simul est respersus *olivi*:
Cælicolis qui mos olim succrevit Hebræis,
Lege sacra solitis Reges atque vnguere vates:
Venturus quòd Christus erat dux atque sacerdos,
Omnia quem propter cælo reparentur & arvo.
Jam sacræ resonant ædes, fremituque resultant
Clamantis populi. Valeat tuus aurea princeps
Roma diu, imperiumque gravi sub pondere pressum
Erigat, & superà sternat virtute rebelles.
Perstrepuere nimis. Sed facta silentia tandem.
Lectitat Augusti concessos munere pagos
Præsulis obsequio gradibus stans lector in altis,
Cæsare quò norint omnes data munera, prædo
Vlteriùs paveat sacras sibi sumere terras.
Dona tulit perpulcra pius tunc denique templo,
Baltea lata ducum, gestamina cara parentum,
Gemmis ac rutilo nimiùm pretiosa metallo:
Ac vestes etiam signis auroque rigentes,
Distinctum variis simul ac diadema figuris.
Quid referam, quantis replerit mœnia donis?
Nonne maris paucas videor contingere guttas,
Syrtibus atque manu sumptas includere arenas,
Quando brevi tantos cludo sermone triumphos?
Doctiloquum, credo, labor iste gravaret Homerum,
Officio & genuit tali quem Mantua dignum.
Nec tentabo meis ultrà fastidia dictis
O juvenes inferre, calet quis pectore sanguis,

Et

(d) *Setten*, *Satten* ingentia vasa lignea hodieque vocant Germani, qvalia sunt in qvibus lac atque etiam aqva servatur. An *Seidel* mensura minor & *Situla* ab eadem origine, disqvirere non est hujus loci.

(e) Glossator noster interpretatur *regales epulas*. Sed notat Valesius Persio *Tuceta crassa* dici, & in Glossis Isidori *tucetum* esse bubulam conditam apud Gallos Alpinos, ita significatio à re plebeja ad regalem transivit.

(f) Festo resurrectionis Domini coronationis solennitas peracta est.

Et plectro meliore movet præcordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores.
Mævius atque licèt videar, vos este Marones,
Et post Imperii diadema resumite laudes.

Chronologia

Panegyrici in Berengarium Aug.

DCCCLXXXVII. *Berengarius jam Rex Italiæ mense Majo illius anni, uti ex diplomatibus patet.*

DCCCLXXXVIII. *Arnulfo Italiam aggredi complacuit, sed Berengarius parumper antea cum VVidone dimicans, ne Italicum regnum nova damna pateretur, opido Tridentino Regi se præsentavit. Ob id ergo a Rege est clementer susceptus, nihilque ei regni abstrahitur.* Annal. Fuldens.

DCCCLXXXIX. *Berengarius à VVidone victus videtur. Ab hoc anno vel fine prioris annos regni computavit VVido ex alterutro seqventium diplomatum datorum :* 7. Kal. Junii 890. anno dom. Widone in Italia regnante primo. *Et*: 9. Kal. Martii ann. incarn. 891. anno regni tertio.

DCCCXCI. *9. Kal. Mart. VVido Imperator coronatus est, qvod ex diplomatibus patet. Hoc anno vel potius proximi initio Zuentiboldum filium ad opem Berengario ferendam videtur misisse Arnulphus, commotus fortasse ipsa coronatione VVidonis. Qvod, apud poëtam nostrum, filium ad iter exhortans indicare videtur verbis*: rutilam donec veniatur ad aulam Clavigeri. *Berengarii autem res ita fractæ erant, ut sub anni hujus exitum etiam Verona in potestate VVidonis fuisse videatur, cum mense Novembri Ferrariæ agens Ecclesiæ Veronensis privilegia confirmarit. Et huc pertinet, qvod Arnulphus filio ait Berengarium* propria in aula vexari.

DCCCXCII. *Initio hujus anni vel fine præcedentis VVido filium qvoqve Lambertum Augustum renuntiari, coronamqve imperii ei imponi curavit. Nam annus 896. in diplomatibus, dicitur* annus imperii ejus qvintus, *& 898.* septimus.

DCCCXCIV. *Arnulfus, cum Berengarius se Italiam ei subjicere, id est regnum ipsius beneficio tenere promisisset, Alpibus superatis Bergomum expugnavit.* Ottonem Saxonum ducem *(Henrici Aucupis patrem) Mediolanum tueri jussit, ipse Ticinum ivit; atqve inde per Burgundiam Rudolpho Rege victo in Germaniam rediit. Regni Italici coronam sumsisse apparet. Nam diploma extat* 4. Kal. Mart. anno domini 896. regni Arnulphi regis in *Francia nono, in Italia tertio. Eodem anno obiit VVido. Nam diploma extat fine decembris hujus anni,* anno ab obitu Widonis primo. *Lamberto favit Formosus, eumque Imperatorem agnovit, ut ex Epistolis cum Fulcone Remensi Episcopo VVidonis consanguineo (apud Flodoardum) commutatis apparet.*

DCCCXCVI. *Arnulphus in Italiam rediens (invito, ut apparet, Berengario, qvi cum Lamberto fœdus percusserat) Romæ coronatur.*

DCCCXCVIII. *Lambertus obit; ut patet ex literis Benedicti papæ IV. ad Galliarum Episcopos* anno II. post obitum Landeberti Imperatoris Augusti, indictione III. *id est anno 900. datis. Hoc anno 898.* Bertildam *conjugem Berengarii, (cui postea venenum propinavit) ad huc vixisse ex diplomate elucet, qvod Rex iste* 8. id. Nov. 898. anni regni XI. Papiæ *(recepta post obitum, ut videtur, Lamberti) Regiensi Ecclesiæ dederat.*

DCCCXCIX. *Prima Ludovici Bosonis filii expeditio in Italiam, qvam tamen mox ejuravit, in angustias à Berengario redactus. Arnulfus obit. 3. Kal. Decembris.*

DCCCCI. *Ludovicus Bosonis filius Imperator coronatus est. Extat diploma 10. Kal. Junii 901. anno imperii ejus primo. Berengarius regno pellitur.*

DCCCCII. *Ludovicus Veronæ capitur & excæcatur. Berengarius Papiæ dat diploma 7. Id. Aug.*

DCCCCIV. *Vixit adhuc Berthilda ejus uxor.*

DCCCCXVI. *Berengarius ipsa die Paschatis, ut noster Poëta habet, Imperator est coronatus, teste diplomate* mense Martio *hujus anni dato. Die autem XXIV. Martii Pascha hoc anno est celebratum.*

XIX.

Translatio Reliqviarum corporis S. Epiphanii Ticinensis & Confessoris ex Italia in Hildesheim cura Otwini Episcopi.

Qualiter Reliqviæ corporis S. Epiphanii Episcopi Ticinensis & Confessoris translatæ sunt in Hildenesheim.

DIvinæ gratiæ sapientem, atqve in sua dispositione clementem providentiam, caro humana, nec dignè admirari, vel lucidè satis intueri suppetit, quæ sic suæ Ecclesiæ ab ipso principio electorum prævidit auxilia, ut dum hostis concitaret pugnam, hæc piorum meritis fulta victrix palmam obtineret & gloriam. Hinc est, qvod tota Saxonia spirituali plaudens lætitia, plurima sanctorum pignora majoribus qvoqve nescita, devoto includens sinu fovet & excolit, præsentis vitæ tramitem ac futuræ spem, certa credulitate illorum omnimodis committens. Inter qvos præcellit, velut Lucifer, Epiphanius venerabilis pater, mirificus qvondam Papiæ Doctor, nostræ nunc patriæ magnificus defensor, vir sui temporis omnibus virtute imitabilis. Hujus itaque tam præclari patrociniis viri, quia nostram Dominus illustrare atqve munire dignatus est patriam, qvo ordine illius sacrosanctæ reliqviæ, studio Domini Otwini venerabilissimi nostræ ecclesiæ Episcopi aspirante, sint primum repertæ atqve ad nos usqve deductæ, uti isdem, qvi huic felicissimo intererat officio, & maxime Thangwardone venerabili presbytero, cujus opera præcipue in hoc enituit, attestante didici, nihil ingenio elatus sed devotionis studio debito incitatus stylo diligentissimè traditum posteris usitandum humiliter transmitto.

Cum Beringarius una cum filio suo Adelberto sceptra Italici Regni invaderet; atqve unius gentis diadema utriqve sibi usurparent, in tantum ipse *Beringarius* avaritiæ exarsit æstu, ut pecunia captus jus fasqve qvaqve confundens, aliqvantum etiam de terminis sancti Petri, prædatoria vi sibi arripere præsumpsisset. Ad cujus rabiem reprimendam Legatus Domini *Apostoli Octaviani*, qvi & *Johannes invitatur Romam Otto Major, Cis Alpinus scilicet Rex, ut aut patriciatu Romanæ urbis, qvæ sibi à majoribus suis competebat, desisceret, vel fessis eorum rebus succurreret.* Accingitur itaqve communi suorum consensu & consilio bellicosus Ecclesiarum miles, ac egregius Princeps contra Apostolicum hostem, valida suorum semper & invicta septus manu. Episcoporum qvoqve comitatus grege, inter qvos Dominus *Otwinus* nostræ Ecclesiæ Præsul enituit, ipsi Principi tantum commendatus, qvantum fide probatus. *Capto vero in Castello sancti Leonis Beringario, atqve in Bavariam cum uxore custodiæ destinato*, Alberto nihilominus fugato, reddita pace Ecclesiis, Romæ jam Patricius & Imperator Apostolica benedictione creatus Otto Cæsar, *Papiam* repedavit; Ecclesiasqve per Italiam & Tusciam, priorum Principum sævitia ac insolentia neglectas ac desolatas canonicè reformavit, inque antiqvum statum restituit. Per id temporis pervigil Dominici ovilis provisor Othwinus Episcopus, licet corpore suis semotus, tamen studio charitatis illis conjunctus & benevolentia, qva mirificè respersus eos percoluit, qvæqve ad suæ ecclesiæ utilitatem & fratrum commoditatem profutura præsensit, colligere studuit; præcipuè tamen, ut fida sibi suisque conciliaret patrocinia, reliqvias Sanctorum, qvos apprime ibi celebrari comperit, ab Episcopis petiit, facileqve obtinuit; simulqve, ne ejus opera in accipiendo alicujus versutiâ eluderetur, vir prudens prospexit. Librorum nihilominus tam divinæ lectionis, qvam philosophicæ fictionis tantam convexit copiam, ut qvi illorum penuria inerti ante torpebant otio freqventi, nunc studii caleant negotio. Et qvia se in hujusmodi profectu ab omni jactantiæ temperavit fastu, beati Epiphanii Papiæ qvondam Episcopi divina gratia, admodum mirifice sanctissima illa contulit pignora. Nam cum ille venerabilis Pater, respectu divini honoris, qvo semper animo sollicitus extiterat, ossa sanctorum furtim surripere, vel absqve oraculi præmonitu transferre, qvasi præsumptionis duceret, ita tamen mentis suæ judicium libravit, ut nec ipse non audendum qvid aggrederetur, nec qvod esset agendum, sua auctoritate, dehortaretur. Unde factum est, ut venerabilis presbyter frater noster, cujus superius mentionem fecimus, in hujusmodi studio omnimodis deflagrans, cum nil tale attentare ne dum patrare præsumeret; erat enim ævo provectior, ingenio simplicior, crebris se inter orandum iejuniis vigiliisqve commacerans, sui votum animi divino dispensandum commisit arbitrio. Non tamen in hoc cœpto usqveqvaqve Antistitis destitutus auxilio, qvi tanto se acrius in singulis affligebat, qvanto ambo-

ambobus subtilius consulebat. Solemnibus itaque jejuniorum festivè expletis, divinitus, ut credo, ecce affuit *Landwardi Mindensis Episcopi* presbyter, nostro fratri contubernii gratia familiarissimus, qvi illum adhuc titubantem, cum animum ejus aperiret sollicitè de omnibus, ac si idem qvod ille sentiret, perqvisivit, sanctissimi patris *Epiphanii reliqvias*, sanctæqve virginis Speciosæ uno ambitu templi inclusas auferre suasit supervenientis noctis tempus, nec in aliud protelandum illis competere. Nec mora, complacitum est; collecto per diem huic officio apparatu necessario, nocturno suffragante silentio Ecclesiam intrant, se tanto opere terra tenus strati, impares accusabant; audacis nihilominus cœpti veniam exorabant, illorum se patrocinio attentius commendantes, ut vel eorum reliqviis remunerari mererentur, vel si id non dignarentur, sine damno saltem sui ab illis protecti, cœpto pie removerentur. Surgentes itaqve, beati Epiphanii sepulchrum recludere diu multoqve sudore certabant, nulloqve ingenio, cum omne studium impendendo consumerent, proficientes, beatæ Speciosæ virginis tumbam in promptu aperuerunt. In pavimentum itaqve ante sacras reliqvias provoluti, orationiqve aliqvantulum intenti, surgentes eas deosculando, hymnis & laudibus sustulerunt; qvarum partem, qvi fratris nostri studio illi suffragabatur, piæ memoriæ Dominus noster *Ottwinus* huc postea una cum beati Epiphanii reliqviis transtulit; commendata, qvæ sibi competebat, parte, *Landwardo venerabili Episcopo*. Sed cum postea omnis spes nostri fratris, qva in adipiscendo sanctum Epiphanium animo sudavit, pæne defriguisset, tentandiqve nullum ultra haberet solatium, ad orationum iterum jejuniorumqve confugit præsidia; qvod de se non præsumebat, hujus sancti meritis attentius commendabat. Evolutis itaqve aliqvot diebus, non sine magna sui contritione; quippe qvi se pro hujusmodi studio Deo totum abstinentia & supplicatione effudit, divinitùs in somnis admonitus, ut ipse mihi (satis qvippe verecundè; jactantiam namqve omnimodis refutaverat) exposuit, animosior factus, jejuniis fisus, simul & oraculo nocturno aspirante, tempore assumptis personis tali negotio probatis, Ecclesiam beati Epiphanii adiit. Cumqve januæ, qvasi prioris successus gratia, sibi commendatæ appropiaret, pulsus custodibus, qvi inseqvebantur, cessit; ostiolumqve, fenestræ instar, bipedalis non amplius mensuræ, ante sibi nunqvam cognitum casu impegit, ingressusqve imminentium declinavit impetum delusitqve studium. Fiducia ergo insueta fultus; erat enim simplicioris animi, sociis inductis, tentanda qvoqve primus aggreditur, illos & adhortatur. Primo sancti Patris sepulchrum solerti diligentia usqve qvaqve perlustrantes vident, qvod hypogeo specu ad qvinqve pedes sarcophagus, ut post claruit, infossus, desuper marmore fulciebatur, qvadrato insuper adhuc muro extructo. Columna qvoqve nihilominus marmorea, altaris vice ejus honori dicata simul & nomini, caput versus stabat erecta, basis parte sarcophagum occupans, ut geminam præstaret gratiam, decorem scilicet & munimen. His igitur, qvantum dabatur perfectis, consultius tempori & labori cedendum dicentibus, prædictus frater noster, primus officio accingitur, alios adhortatur; sicqve gratia Dei, animositate freti facilimè muro partim rescisso, marmore immensi ponderis mirificè admodum à paucissimis remoto, purgantes locum sanctum, tandem invenere sepulcrum. Illud igitur aperire certantibus, maxima difficultas occurrit de statua, qvæ licet parte pedis, ut dixi, supposita esset, ita tamen sibi vendicavit sarcophagum, ut in aperiendo omne studium eluderetur & ingenium. Desperantibus jam omnibus, actu consilioqve diu suspensis, clarum divinæ pietatis effulsit miraculum. Nam repente columna, quæ tumulum occupabat parte, stupentibus qvi aderant frangitur, alia incolume altare firmiter sustentante, ipsoqve impetu currendo longius ab ambitu sepulchri revoluta, facultatemqve illis cœptum opus implendi celeritatemqve præstabat. Rebus deinde ad votum cedentibus nil operis eludebatur, apertoqve sine vi sarcophago, tantus odor exuberavit, ut aromata æqve similitudine excelleret ac dulcedine. Deo itaqve in commune laudato, exsurgens à terra sæpe dictus frater, ante tumbam bis vel ter prostratus, cum fide ac summa devotione cœlestem thesaurum pretiosissimum, sancti Patris Epiphanii corpus integre colligens, puro atqve ad hos usus parato linteo involvens, venerabili nostro Otwino Episcopo desiderabile munus apportavit, nimium jam ejus absentia suspecto; qvem & lectulo ut alios deluderet cubando, pervigil circa tertiam vigiliam præstolabatur. Qvod ille ita, ut erat involutum, in Capella sancti Michaelis, juxta qvam hospitabatur, devotissimè susceptum alteri imposuit, deinde prostratus diuturnis hymnorum melodiis grates Domino magna animi compunctione litavit, surgensqve scrinio ad hoc proviso, religiosissimè reconditum, annuli sui impressione diligentissimè signans, Augiam Insulam, in qva ipse qvondam Monachus regulariter enutritus & conversatus est, Abbati, qvi tunc Monasterio præsidebat, servandum præmisit. Facta autem de hoc postea inqvisitione, Imperatore graviter contra hoc commoto, unanimiter Clero cum populo conclamante, sublatum urbis provisorem, patriæ defensorem; Nam post sanctum Syrum, cujus præcipue eo loci pullulant merita, hujus

hujus sancti patrocinio innitebantur; omnium Episcoporum Clerici jubentur examinari. Sed hoc terrore divinitus, ut credo, cunctorum pace sedato, Religiosus Pater Otwinus, cura sibi commissæ plebis suspectus, qvam biennio fere aulico, qvamvis invitus, servitio detentus reliqverat, suam Ecclesiam revisere disponit; acceptaqve Imperiali licentia, dum familiarius Imperatori colloqvitur, secretum de Reliqviis sancti Epiphanii in fidei pignus Præsul confitetur, sicqve ejus auctoritate fretus, Alpes versus properans, sospes his transcensis, *Augiam Insulam* conscendit; ibiqve aliqvantulum consistens, haud minus obedientiam fratribus impertivit, qvam dudum juvenis consuevit; acceptaqve benedictione, atqve suo summo ditatus Patrono, Monachis reliqvias deducentibus profectus, adstipulante itineris proventu, aliqvot diebus evolutis incorruptum thesaurum sanctissimi Patris Epiphanii, pignora aliorumqve complurium, *ad nostram perduxit Ecclesiam.*

Qvanta tunc populi lætitia, qvanta tunc fuerit matrum exultatio, vel qvanta in occursum tanti Patris properantium Clericorum esset devotio, qvis valet evoluere? Qvis ibi præ gaudio à lacrymis temperaret, cum decus Italiæ nostræ affulsit Patriæ; cum novum sidus illuxit nostratibus. Translatum est autem corpus beati ejusdem Patris à fratre nostro *decima Kalendarum Decembrium die;* ad nos verò Dei gratia comitante, à Domino nostro sanctæ memoriæ *Otwino Episcopo, octava Kalendarum Martiarum die* perductum, atqve cum maxima populi freqventia universiqve Cleri tripudio in Ecclesia collocatum est.

Illud etiam diligenti devotione inserendum reor, qvaliter in ipso principio sacrosancti introitus, tanti Patris signis effulserit virtus. Nam die, qvo sanctæ reliqviæ ad nostram Ecclesiam perducebantur, ad tanti patris obseqvium freqvens in via utriusqve sexus occurrit concursus; qvos qvidam longa podagræ tabens molestia, lento subsecutus est gradu, fluentibusqve jam nervis, plus gressum baculo, qvam naturali egit modo. Appropinqvantibus itaqve reliqviis, cum currendo qvisqve alium, ut in talibus moris est, prævertere niteretur, repente ab omnibus, qvibus comes ierat, derelictus, studio, qvo poterat, innixus baculo, doloris, ut ita dicam, immemor, à tergo multitudinem, ne premeretur, effugeret, suos inseqvitur, sancti Patris merita, non qvippe rusticum latebat, implorans assiduè: cum ecce leniter podagricus humor restringitur, fluentes arteriæ solidantur, ad cursum plantæ paulatim informantur. Nec tamen qvanqvam fide salutem deprecaturus occurrit, hanc in promptu sibi adstipulari credidit, verum cautius se sustentans, dum omni corpore acrius nititur, baculus frangitur, ipseqve toto pondere terræ illiditur. Ulnis itaqve surgere nitens, dum pedum auxilium pertentat, & hos diligenter contrectat, integerrimæ saluti condonatos, qvi ante tumore induruerant, reperit; exiliensqve sanctas reliqvias comitando proseqvitur. Et qvia villa Upstede hospitabatur, qvam domum incolebat Macco nostræ Ecclesiæ advocatus, ab illo agnitus, cujus sedulitate qvoqve sæpe fruebatur, dum curationis suæ ordinem illi contexuit, Deum in tam perspicua virtute collaudans, Venerabili *Antistiti nostro Otwino* hæc, testis infirmitatis vel sanitatis, exposuit; hoc mirificum perspicuumqve opus revelare palamqve prædicare suasit.

Nec minus qvoqve illud memorabile & meritorium illius insigne prætereundum arbitror, qvod admodum mirifice Dominus in *Vulferio* nostræ Ecclesiæ Diacono, ad declaranda tam eximii Patris merita, spem qvoqve simul totius congregationis erigendam, illius patrociniis operari dignatus est; cujus sanitatis tot testes existunt, qvot supersunt fratres, qvi illum in Monasterio tunc noverunt. Renum namqve vehementi dolore graviter laborabat, nec medicorum qvoqve ingenio poterat mederi, licet multi gratia succurrendi accederent, pluraqve impertirentur. Jamqve jugis passio in augmentum progressa, acrius crudescere atqve per dies violentius crescere cœpit, ambulando usum vix baculo innixus egit; interdum qvoqve pedes, reptando manibus adimit; aliter enim non potuit. Ecce autem in vigiliis hujus sancti Patris, primæ horæ diei psalmodiis canonicè finitis, fratribus ad collationem properantibus, obseratis adhuc juxta normam Monasterialis vitæ januis Ecclesiæ, ille venerabilis vir hoc tempus, qvo se tanto patrono attentius liberiusqve lacrymis supplicationibusqve mactaret, nactus, nec aliud per diem, populis hæc festa freqventantibus, competere sciens, suspirio gravi, anhelitu difficili, durius, ut ante nunqvam, dolore agitatus, baculo nitens, vix qvam dictu satis sit, per gradus brachiis manibusqve reptando ascendit; nam genua tibiasqve sævius jam per venas nervosqve discurrens invaserat dolor, veniensqve ante sanctissimum corpus se in terram cum multo labore & ingenti doloris cruciatu projecit, diutissimeqve orationi immoratus, magna contritione cordis se totum Domino profudit. Lacrymarum itaqve uberius imbre profusus, ulnis nitens paulatim surgere parat; deinde leniter notum bacilli admodum caute auxilium pertentat; erectusqve tandem sine dolore miratur, stupet, nec tamen, qvamvis salutem optet, credere audet; manum admovit, locum, ubi sævius doluit, per-

pertractat, nec signum doloris sentiens ullum pavimento sternitur, Deum parentemqve gratificat patronum, fortiterqve surgens viso venerabili fratre *VVirindago* Presbytero baculum salutis indicium, qvo ante sustentabatur, levat, valenter descendit, qvi reptando prius ascendit. Stupefactus itaqve frater repentina salute, occurrit descendenti, authoremqve tanti miraculi cognoscens laudat; & qvia ipsa die fratres lavandi negotio studebant, ad balneum illis in occursum properat, qvibus suæ sanitatis ordinem pleniter exposuit. Qvanto namqve ab ipso sacro-sancto reliqviarum introitu meritorum illius insignia qvotidianis virtutum effulserunt incrementis, clarius facta qvam verba loqvuntur. Qvotiens enim aëris intemperiem vel pestis obortæ illuviem illius reliquiis nostram urbem lustrando sedavimus? Sæpe qvoq; jugi siccitate arva torrente, easdem circumferentes, qvasi imperando pluvias elicuimus? Qvis enim unqvam hujus Sancti provolutus feretro, & qvanqvam fractus molestia, non mox erectus, animo inter orandum ejus vicina præsensit auxilia? Sed hæc fortassis qvibusdam videntur superflua; sunt tamen clara meritorum ejus indicia, firmaqve posteritatis solatia. Hæc tantum de beneficiis per beatum atqve magnificum Antistitem Epiphanium divinitus nobis collatis pro ingenii mediocritate perstrinxi, qvod audax inceptum ac viribus impar gemina, devotionis scilicet ac debita gratia subii, ut & fratrum diligentiæ seqventi ævo opera Dei, quæ, sicut scriptum est, revelare & confiteri honorificum est, legenda devotissimè subministrarem; nostro qvoqve tempori, tam egregia Dei facta posteritati stylo transmittere negligere, incuriæ & inertiæ notam meo studio abstergerem.



XX.

De fundatione qvarundam Saxoniæ Ecclesiarum aliisqve originibus a temporibus Caroli M. ad Ottonem M. autoris incerti.

ANno Domini DCCLXXII. *Karolus Magnus*, anno regni sui sexto, Episcopatum *Osnabruggensem*, quæ est prima Ecclesia Saxoniæ & Westphaliæ, fundavit in honorem S. Petri Apostoli. Anno Domini DCCLXXVII. & anno regni sui XIII. erexit Ecclesiam in *Salingestede*, qui locus nunc Osterwieck dicitur, quæ postea anno XL. in *Halberstad* translata est, in honorem B. Stephani. Anno DCCLXXX. Episcopatum *Mindensem* fundavit in honorem B. Petri, in loco ubi Rex Angarorum *Wedekindus* castrum habuit, quam multis & diversis privilegiis ac dignitatibus præ aliis Episcopatibus decoravit. Versus:

En septingentis octoginta simul annis
Ecclesiæ Mindæ locus aptus conditur inde.

Anno Domini DCCLXXXI. quartum in *Brema* in honorem B. Petri Apostoli fundavit: ubi *S. Wilhadum* primum Episcopum præfecit.

Anno Domini DCCLXXXII. sextum in *Bardewik*, quæ nunc *Verdensis*, in honorem Mariæ & Ceciliæ, cui *S. Gwibertus* præfuit.

Anno Domini DCCLXXXIII. septimum in *Schidere*, quæ est villa in Dominio de *Swalenberge*, quæ postea per *Brunonem & Tancwardum* Saxonicos in *Ballersleve* transponitur, & inde per *Hinricum primum* in *Vrose*, oppido *Northturingiæ*, & tandem per *Ottonem Magnum* in *Partinopolin*, quæ est Magdeborg/ transfertur. Versus:

Dum nongentenus terdenus ducitur annus,
Extitit à Christo, tunc rex Magnus fuit Otto,
Magdeborch anno fuit hujus structura secundo.

Anno Domini DCCLXXXIV. octavum Episcopatum fundavit in *Mimisgafforde*, quod est Monasterium *Westfaliæ*, paci & quieti gentis Christicolæ, quam in terras ilias duxerat, satagens providere, in honorem S. Pauli Apostoli.

Anno DCCLXXXXVI. nonum in *Aulica* Elze/ in honorem S. Petri fundavit, quæ post in *Hildensem* translata est, eo quod reliquiæ Mariæ de *Hildensem* in *Aulicam* asportari non poterant, per *Ludewicum* filium suum, anno DCCCXVIII.

Eodem anno idem *Karolus*, scilicet DCCXCVI. solemnem Basilicam *Aquisgrani* in honorem Mariæ fundavit, ad ejus ædificationem à *Roma & Ravenna* solempnas marmoreas devehi mandavit gravibus expensis & laboribus.

Anno Domini DCCCXI. decimum in *Hammonis*, quod est Jovis castrum, quod olim *Hocburch*, nunc vero *Hamburch* dicitur fundavit, in honorem Virginis gloriosæ. Qui postea tempore *Anscharii* Episcopi *Bremensi* conjunctus, Archiepiscopatus factus est, anno Domini DCCCXXXVI.

DCCCXXXVI. & sic *B. Anschariu*s primus fuit Archiepiscopus *Bremensis*, & ultimus *Hamburgensis*.

Anno Domini DCCCXIV. obiit prædictus *Karolus* anno vitæ suæ LXXII. regni XLII. Kalendis vero Februarii obiit, & est sepultus in Basilica rotunda B. Mariæ *Aquisgrani*, quam ipse fundavit, & postea translatus est. Etiam invenitur, quod prædictus Karolus Magnus fundaverat *quatuor Archiepiscopatus*, videlicet *Treverensem*, *Coloniensem*, *Maguntinum* & *Salsaburgensem*. Hic habuit tres filios, scilicet *Ludewicum*, *Pippinum & Karolum*. Iste *Ludewicus* post patrem imperavit XXIII annis & anno DCCCXV coronatus est.

Anno Domini DCCCXVIII. hic *Lodewicus* primus Ecclesiam *Hildesemensem* de Aulica Elße transtulit Episcopatum, & *Guntarium* primum Episcopum præfecit: qui obiit anno Domini DCCCXXXVI. & sepultus est in cripta, ubi nunc est cellarium in curia Episcopi.

Anno Domini DCCCL. Cœnobium *Gandersem* inchoatur per *Ludolffum* quartum Ducum *Saxoniæ*, de progenie *Wedekindi* regis Angarorum, quem *Carolus* Magnus convertit, & à *Wilhado* episcopo Bremensi baptizatus *Wormatiæ*. Et *Wickbartum* Ducem Christianum, qui genuit *Walbertum*, qui fundavit *Wildeshusen*, & genuit *Ludolphum* prædictum, qui habuit filiam *Achamoda*, quæ prima Abbatissa facta est ibi. Iste *Ludolphus* genuit *Ottonem*, *Brunonem & Tanqwardum*. Bruno Dux urbem *Brunswick* fundavit, quæ ante *Tanqwardevorde* vocabatur anno Domini DCCCXC.

Item, anno Domini DCCXCII. Comes *VVolterus* in *Hervorde*, hortante *Karolo* Magno, & auxilio *VVedekindi* regis Angarorum, Cœnobium *Hervorde* fundavit, & cum toto Comitatu dotavit.

Anno Domini DCCXCIII. *Alkqwinus* instructor *Karoli* Magni, Anglicus genere, Studium de *Roma Parisios* in Franciam transtulit auctoritate *Caroli*: & illius fundatores erant quatuor monachi, discipuli venerabilis *Bedæ*, videlicet *Rabanus*, *Alkqwinus*, *Claudius & Johannes Schotus*.

Anno Domini DCCCXXV. Primo incipit Comitatus *Flandriæ* per *Ludewicum* primum Comitem, qui videlicet Flandriam vacuam, incultam, & nemorosam occupat, etiam primus Comes existens.

Anno Domini DCCCLXV. *Hollandriæ* comitatus primo incepit. Nam *Carolus Calvus* Rex Franciæ *Thidericum* primum Comitem fecit, qui postea *Eghmun* fundavit.

Anno Domini DCCCCVI. Monasterium in monte *Luneborch* fundatum est ab *Ottone* Duce Saxonum, hortante eum ad hoc *VVickberto* Episcopo Verdensi.

[Anno Domini CIↃ CCIII. Incepit dominium de *Hoya*. Versus:

Mille post annis duo CC. Domini celebrantes,
Sicut asseritur, cum tribus associatur,
Hoya dominium sumsit initium.]

Anno Domini DCCCXIV. Ecclesia *Verdensis*, quæ prius fundata erat in *Bardewick* per unum de LXXII. discipulis Christi, nomine *Egistium*, qui de *Treveris* venerat, & est ibidem martyrisatus. Et dicitur, quod hæc civitas *Bardewick* erat ante Romam CCXXXVI. annis. Et in monte proximo Cæsar *Julius* auream statuam erexerat in honorem Deæ *Lunæ*, quæ ab incolis colebatur, & adorabatur usque ad adventum *Egistii*, vel secundum aliquos, usque Episcopus Verdensis *Rupertus* tale idolum fregisse dicitur, & ibidem monasterium in honorem *Mariæ & Michaelis* construxit. Hæc Ecclesia *Bardewick* isto anno translata est in *Verden*. Fuerunt autem hæ duæ civitates primæ in tota *Almania*, quæ ædificatæ fuisse dicuntur VII. anno Abrahæ, ante *Romam* CIↃ CC. annis.

Anno Domini DCCCXLVI. Sanctus *Anscharius* Episcopus Hamburgensis Ecclesiam *Ramasslaw* fundavit.

Anno Domini DCCCL. Cœnobium *Gandersem* inchoatur per *Ludolphum*, quartum Ducem Saxoniæ de progenie *VViddekindi*, ut dictum est.

Anno Domini DCCCCXXV. *Henricus* primus Rex Romanorum, Dux *Saxoniæ* natus, qui solvit *Saxones* à tributo *Vngarorum*, & misit ipsis pro tributo canem præscisum auribus & cauda, propter quod *Vngari* miserunt contra eum CXX. milia virorum usque *Lichen* in Thuringiam, quos idem Rex, & Saxones à tributo liberat, anno DCCCCXXX.

Idem Rex Henricus castrum *Misnæ* ædificavit & Goslar: & mineralia in monte invenit, qui dicitur de *Ramesberch*. Item *Qwedelingborch* urbem, & ibidem monasterium gloriosum construxit, & fecit Abbatissam primam suam filiam.

Anno Domini DCCCCXXXVIII. *Otto* primus, filius hujus *Hinrici*, urbem *Magdeborch* ædificavit.

Nota, *octo* sunt *ætates mundi: Prima* ab Adam usque ad Noë, a Noë usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysen, à Moyse usque ad David, à David usque ad Christum. *Sexta* usque ad finem mundi, *Septima* morientium, & *octava* resurgentium.

XXI.
Vita S. Adelheidis Imperatricis autore Odilone Abbate Cluniacensi.

Incipit Prologus in vitam Sanctæ Adalheidis Imperatricis.

IN hujus igitur ætatis nostræ temporibus, cuncta disponens, totius honoris & honestatis largitor Dominus; primo OTTONE in sceptris feliciter agente Romanæ Reipublicæ, in fœmineo sexu præstitit venerabile Decus. Multorum etenim bonorum tunc accidentium, atque virtutum post DEUM auctrix, divæ, celebrisque memoriæ, *Adalheida* extitit *imperatrix*. Quam cum memoriæ succedentium scriptis commendare satagimus, timeo ne digne reprehendamur, ideo, quia, tantæ nobilitatis atque virtutis materiem, minus idonei paupere stylo explicare conamur. Quisquis nos reprehenderit, utpote reprehensione dignos, sive propter incultum sermonem, seu propter rem noviter inceptam, & propter naturalis eloquii simplicitatem; sciat procul dubio, quia non invitavit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, sed veræ & sincerissimæ charitatis affectus. Si abhorrere vis, ut quippe merito debes, lector, nostri ingenioli rusticitatem; attende ipsius, quam commendare cœpimus, mentis & corporis nobilitatem. Si enim expectare vis virum tanta eloquentia vel sapientia præditum, qui hujus fœminæ possit convenienter describere vitam; necesse est aut CICERO Rhetor revocetur ab inferis, aut HIERONIMUS presbyter transmittatur ex superis. Si enim ille sanctus & incomparabilis in divina & humana, sacer HIERONIMUS fuisset istius Augustæ temporibus, si Paulum, & Eustochium, Marcellam quoque & Melanium, Fabiolam quoque & Blesillam Lætam & Demetriadem, (*) septies percussam commendare curavit libris & epistolis; commendaret utique istam haud voluminibus paucis. Si enim deest talis, ut HIERONIMUS, aut aliquis alius, liberalibus disciplinis adeo eruditus, qui possit digne tantæ fœminæ mores & vitam describere, adgrediamur nos indocti DEO juvante pro posse.

Explicit Prologus.

Incipit vita

I.

HÆc regio ac religioso stemmate orta, cum adhuc iuvencula esset, & sextum ætatis suæ ageret annum, DEO donante adepta Regale matrimonium, iuncta scilicet REGI (a) LOTHARIO, HUGONIS ditissimi regis ITALICI filio, ex cuius contubernio (b) filiam habuit, ex qua LOTHARIUS Rex Francorum LUDOWIGUM Regem genuit, qui sine liberis (c) mortuus, regio more Compendio dinoscitur fuisse sepultus. Supra dicto vero LOTHARIO, (d) ante annum circiter tertium, postquam dominam ADALHEIDAM duxerat, defuncto, remansit ipsa viduata viro, destituta maritali consilio. Affuit ei persecutio mordax, quæ solet purgare electos velut aurum fornax. Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus meritis, sed, ut credimus, potius ex accidentibus divinæ providentiæ donis. Affuit ei, ut vere fatear, nutu divino exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, utpote iuvenculam, incentiva carnis libido. Voluit enim eam Dominus tot verberibus atteri, ne secundum sententiam Apostoli PAULI, *vivens esset vidua in deliciis mortua.* Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne

(*) Forte *& septies.* De muliere Vercellensi septies icta S. Hieron, Epist. 49. ad Innocentium.

(a) De Lothario & Hugone parente Frodoardus, & Luitprandus lib. 5. c. 13. Baron. tom. 10. an. 945. &c.

(b) Puto hanc fuisse Emmam; licet Baron. an. 986. putet Emmam filiam Adelaidis ex Ottone I.

(c) An. 987. *obiit* (inquit Odorannus) *Ludovicus Rex juvenis, qui nihil fecit.*

(d) Frodoardus ait veneno sublatum an. 950. Leo Ostiensis lib. 1. c. 64. *Post annos*, inquit, *ferme quatuor in phrenesim subitam incidens, diem clausit extremum &c.*

la, ne esset indigna illa filiatione divina, de qua loquitur scriptura: Castigat Dominus omnem filium, quem recipit. Sæpe etenim inde Deo gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta & qualia tunc temporis passa fuerat, & quam misericorditer eam Dominus de manibus inimicorum suorum liberaverat. Judicabat enim oportunius sibi fuisse, ut ad tempus temporalibus fuisset occupata anxietatibus, quam vivens in deliciis perpetuæ mortis esset subdita legibus.

II.

POstquam enim mortuus esset (e) LOTHARIUS vir ejus, *honorem Italici regni* adeptus est *quidam vir nomine Berengarius*, qui habebat uxorem nomine (f) WILLAM; à quibus innocens capta diversis angustiata cruciatibus, capillis cæsariei distractis, frequenter pugnis exagitata & calcibus, una tantum comite famula. Ad ultimum tetris inclusa carceribus, liberata divinitus postmodum, ordinante Deo, imperialibus est sublimata culminibus. In ipsa nocte qua educebatur de carcere, incidit in cujusdam harundineti paludem, ubi per dies & noctes sine cibo & potu mansit perseverans, auxilium à Deo sibi subvenire deposcens. Tali cum esset detenta periculo, venit quidam subito piscator cum limbo, deferens in navicula piscem, qui vocatur STVRIO. Quæ cum vidisset, interrogavit, quæ essent, aut quid agerent ibi. Dederunt sibi responsum, secundum instantem necessitatem satis congruum; videsne quod hic humano consilio destitutæ, & quod durius est, solitudine periclitamur & fame? si potes, aliquid victus nobis impende; sin autem, solatium nobis prebe. Qui misericordia motus, super eas, sicut ipse, à quo mittebatur, fuerat quondam super pauperes in deserto fame periclitantes Christus, dixit eis; Nihil nobis adest ad victus necessaria, nisi tantum piscis & aqua. Habebat ignem secum, sicut solent illi, qui piscationis exercent negotium: Accensus est ignis, præparatus est piscis, sumpsit cibum Regina, servivit piscator & famula. Dum hæc ita agerentur, supervenit quidam CLERICUS, qui eius fuerat captivitatis & fugæ socius, nuncians adesse exercitum militum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt secum in quoddam inexpugnabile (g) castrum.

III.

POstea enim consultu ITALICORUM principum, præveniente Dei gratia, de solio regni ad arcem pervenit imperii. Hæc enim Augustarum omnium (h) AUGUSTISSIMA nominari & venerari est digna. Nemo ante illam ita auxit Rempublicam. Cervicosam GERMANIAM, ac fæcundam ITALIAM, has cum suis principibus, ROMANIS subdidit arcibus. OTTONEM regem nobilem ROMÆ præfecit Cæsarem, ex quo genuit filium imperio dignissimum. De nobilitate carnis satis dicta sufficiant. Nobilitatem vero mentis quomodo vel qualiter exercuit, nemo mortalium dicere sufficit. Sed ut pro modulo compendiose loquar:

Speque, fide certa, gemina charitate referta,
Justa satis, fortis, prudens nimiumque modesta
Extitit, & vixit felix, dum secula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata cosmi.

Prolata tamen Salomonis sapientius famina, huic sanctissimæ conveniunt fœminæ. *Manus suas*, inquit, *aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Fortitudo & decor indumentum ejus & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Considerat semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir eius & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hæc enim, quæ de ea dicimus, non modo auditu, sed & *visu, & experimento* (*) cognovimus. Multa *ab ea* salutis verba *audivimus, plurima dona suscepimus*. Sæpe enim indigentes nummo, fecit esse divites auro; carentes enim aliquando cottidianis sumptibus fecit esse claros honoribus. Hæc enim ad decorem mundi, primi & maximi Otto-

(e) Berengarius Lotharium veneno sustulit & regnum Italiæ invasit, & Adelaidem in vincula conjecit.

(f) Quam una cum Berengario Otto I. in Baioariam exulatum misit anno 964. Baron. num.30. & anno 951. num. 1.

(g) Vide Baron. an. 950. *Adelais ad Attonem*, inquit Leo Ost. l. 1. c. 64. *propinquum suum sese in Canusinam munitissimam arcem contulit, ubi mansit quousque Otto Rex veniens, Berengarium ab Italia fugavit.*

(h) Duxit illam Otto an. 951. Patet hinc figmentum, quod de Adalheida refert Damianus, quod recte refutat Baron. an. 973.

(*) En autorem Adelheidi coætaneum, ab eaque donis affectum & honoribus.

Ottonis, toto orbe famosissima conjunx, & ad provectum multorum, IMPERATORUM genitrix, illa meruit benedictione potiri, quam meruisse legimus TOBIAM in ejusdem patris volumine, perfrui videlicet, ut videret filios filiorum usque in tertiam generationem.

IV.

POstquam enim Augustissimus (a) Otto universæ carnis ingressus est viam, AUGUSTA cum filio ROMANI IMPERII feliciter diu gubernavit Monarchiam. Sed postquam divino nutu, ipsius AUGUSTÆ meritis & industria solidatum fuerat Romani principatus imperium, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos nisi sunt disseminare discordiam. Quorum deceptus adulatione *recessit corde CÆSAR à matre*. Si commendaremus literis, quanta & qualia passa sit tunc temporis, derogare videremur speciem tanti generis. Non enim debemus perstringere stylo, quod cito sedavit humilis satisfactio. Filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundum APOSTOLI Præceptum; dans ad modicum iræ locum, *Paternum decrevit expetere regnum;* ubi à *Fratre* scil. *Rege* CHUONRADO & nobilissima MATHILDE ejus conjuge benigne & honorabiliter est suscepta. Tristabatur de absentia ejus GERMANIA, lætabatur in adventu ejus tota BURGUNDIA, exultabat LUGDUNUM quondam Philosophiæ mater & nutrix, necnon & Vienna nobilis sedes Regia. Postmodum verò Cæsar Otto, ductus pœnitentia, direxit Regi avunculo legationem, & sanctæ recordationis patri MAJOLO sub celerrima festinatione; obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis, perdiderat, eorum interventionibus promereri posset; orans iterum, & obsecrans, ut quantocius possent, una cum AUGUSTA Matre PAPIAM ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa consilio, apud PAPIAM tempore constituto occurrit mater filio. Quo cum mutuo se cernerent, flendo & lachrymando, toto corpore solo postrati, humiliter se salutare cœperunt. Affuit in filio humilis pœnitudo; erat in matre liberalis remissio; permansit in utrisque de cœtero perpetuæ pacis connexio.

V.

NOn post multum vero temporis unico (b) orbata est filio, cui successit tertius ex (c) GRÆCA genitus OTTO. Igitur recidivis diu afflicta verberibus, non possumus enarrare per singula, quot qualiaque post mortem filii sibi successerunt incommoda. Licet illa IMPERATRIX GRÆCA, (d) sibi & aliis fuisset satis utilis & optima, socrui tamen AUGUSTÆ fuit ex parte contraria. Ad postremum vero cujusdam GRÆCI aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens, Si annum integrum supervixero, non dominabitur ADALHEIDA in toto mundo, quin possit circumdari palmo uno. Quam sententiam inconsultè prolatam divina censura fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas GRÆCA IMPERATRIX ab luce discessit, (e) AUGUSTA ADALHEIDA superstes felixque remansit. Perseverabat autem discrimina mundi lugens & deflens, curam tamen ROMANI IMPERII necessario gerens. *Otto* vero *tertius* unici sui filius à primatibus regni fœlicissime & honestissime educatus, nihil erga illam egit, nisi quod illum & illam decuit. Idcirco meritis Aviæ & industria Primatum Romani imperii adeptus est principatum. (f)

VI.

AB ipsa enim ætate primæva jam dicta IMPERATRIX multa ab extraneis, sive à domesticis fuerat perpessa, ut possit dicere cum Propheta: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*, & cetera. Dicebat enim sæpe illud Apostolicum: *Existimo enim, quod non sint condigna passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et alio loco: *Si compatimur & conregnabimus.* Et iterum: *Si fuerimus socii passionum, erimus & consolationis.* Multis bonum pro malo reddidit, & secundum APOSTOLI præceptum peccantibus in se ante solis occasum dimisit. Nihil ex objectis injuriis sibi reservabat, sed totum Domino committebat, sciens esse a Domino dictum per Profetam: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Parcite, quæso, quibus pepercit: & dicamus pro tempore quibus in adversitatibus, quibusve studiis in prosperitatibus servire contendit. Quot enim in primis cum CÆSARE, inde cum filio, & filii filio OTTONUM videlicet & AUGUSTORUM & CÆSARUM, DEO annuente possederat regna, tot ex propriis sumptibus ad honorem Regis Regum condidit monasteria. In patris vero RUDOLPHI videlicet & nobilissimi regis & Domini CHONRADI fratris, regni loco,

(a) Obiit an. 973. de quo Witichind. lib. 3. in fine.
(b) Obiit anno 983.
(c) Theophania sive Anna, quam Otto I. filio petierat per Luitprandum in legatione ad Nicephorum Imp. quam edidimus. Vide Baron. tom. 10. an. 968. & 969.
(d) Quippe pia. Vide Baron an. 983. nu. 19. & an. 984. num. 6.
(e) Mortua anno 989.
(f) Imp. creatus an. 996.

loco, videlicet PATERNIACO, ubi matrem reginam, vocabulo BERTHAM, DEO in omni humilitate devotam sepulturæ tradidit, in honorem DEI GENITRICIS monasterium condidit, & sanctissimo patri MAJOLO, suisque successoribus, sua munificentia & fratris sui CHONRADI regis præcepto ordinandum perpetuo commisit. Postmodum in Italia juxta TYCINENSEM urbem MONASTERIUM à fundamentis incepit, & ad honorem SALVATORIS mundi honorifice imperiali auctoritate & sua largissima donatione perfecit; ac jam dicto MAJOLO ordinandum regulariter tradidit. In SAXONIA vero post discessum jam dicti Reipublicæ Principis, cooperante unica & sapientissima & prudentissima filia, sanctimonialium coenobiis plurima contulit dona.

VII.

ANte duodecimum circiter annum obitus sui, in loco qui dicitur SALSA, urbem decrevit fieri sub libertate ROMANA, quem affectum postea ad perfectum perduxit effectum. In ipso etiam loco MONASTERIUM à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem Dei & Apostolorum principis, tertio Imperante OTTONE videlicet nepote suo, in præsentiarum secum astante quarto decimo Kalendas decembris augustissimè & devotissimè à (g) WIDERALDO ARGENTINÆ CIVITATIS EPISCOPO consecrare jussit. Et ut majori auctoritate per succedentium temporum curricula, esset ille sacer locus subnixus, cum præfato CÆSARE est etiam Episcoporum conventus à sæpe dicta & sæpe dicenda ADALHEIDA AUGUSTA ipsius CÆSARIS avia convocatus. In ipso etiam MONASTERIO claustrum monachis satis aptum præparavit, & secundum regulam Sancti BENEDICTI ordinare decrevit. Abbatem ibi præfecit nomine EZZEMANNUM, boni testimonii virum, humana scientia & divina sapientia doctum, quem in divinis literis habere voluit assiduè præceptorem. Ipsum verò locum adeo ditavit & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro, & gemmis, vestibus pretiosissimis, aliisque variis ornatum supellectilibus, ut nihil deesset illo in loco Deo famulantibus. Quatuor quos supervixerat annos Creatori suo sua seque dando, pauperes Christi, & servos sibi acquisivit amicos, ut cum temporalia deficerent, in æterna tabernacula eam susciperent.

VIII.

CUm igitur summis Reipublicæ fascibus implicata teneretur, variis miserorum & inopum anxietatibus subsidia præbere non dedignabatur. Cumque mirificis, ut imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & preciosissimis caput redimire gemmis, talibus nolebat se gravari implicamentis; sed aut pauperibus largienda decernebat, aut DOMINICÆ CRUCIS VEXILLA & CHRISTI EVANGELIA exinde adornari præparabat; sedula existens imitatrix sui redemptoris, qui cum esset omnium altissimus, humanitatis abjecta non est dedignatus. Innumeris præterea tam CANONICORUM quam etiam MONACHORUM & SANCTIMONIALIUM COENOBIIS circumquaque per diversas orbis partes, constitutis, plurima largiebatur beneficia, quatenus Deo famulantium agmina eius munifica dapsilitate recreata, liberius sibi, Reipublicæ divinitus conferenda implorarent suffragia. In cunctis enim quæ gessit, Justitiæ formam tenuit; communem liberalitatem servavit; credens procul dubio eum Judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Quapropter justitia videbatur excelsa, liberalitate gratissima, beneficentiæ opera locans super CHRISTUM, quem beatus APOSTOLUS ponit fundamentum, intelligens prudenter fidem esse fundamentum omnium virtutum. Usa est ergo perfecta liberalitate, ut silentio, quantum valeret, opus suum tegere, & necessitatibus singulorum cuperet subvenire; quatenus eam non labia sua, sed Christi pauperum laudarent ora, ut & jam in ea impletum videretur, quod beati Job voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud consideratione perpendere studebat juxta ipsius vatis assertionem, ut ab ejus tecto nunquam vacuo sinu pauper exiret; ut talibus intenta commerciis adquirere valeret in terra viventium hæreditatem supernæ sortis.

IX.

JAm jamque ultimo ætatis suæ anno, cum non lateret eam, ut credo, exituram de seculo, pacis, ut semper, amica, charitatisque causa paternum adiit solum, fidelibus nepotis sui

(g) De quo Bruschius in Argent. Ep. *Wilderolfus, aliquibus Vilderoldus dictus subrogatur Episcopo Baldo, præfuit annis 17. Etsi sint, qui duobus tantum præfuisse scribant. Errant autem isti; nam præfuit iste Episcopus verè cum otto II. Anno 980. in Italiam proficisceretur, qui tum isti Episcopo commendavit Alsatiam gubernandam. Postea anno 985. consecravit monasterium Seltziense ad Rhenum devoratus est à muribus, arcano, sed tamen justo Dei judicio Anno 997. 12. Julii. Sepelitur in Ebersheimmunster, cœnobio plurimum à se adamato, ac liberalissime dotato.*

RUODOLPHI Regis inter se litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit; quibus non potuit, more solito sibi, Deo totum commisit. De cœtero quam studiose, quàm devotissime loca SANCTORUM curavit visitare, non est nostræ facultatis evolvere. In ipso namque tempore MONASTERIUM PATERNIACUM adiit, quod ab ipsa ad honorem DEI GENITRICIS, pro remedio animæ suæ matris ibi requiescentis, tam ex suis, quàm maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in temporali necessitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut semper erat solita, manu largissima subministravit.

X.

ACcidit tunc aliquid novum, quod huic operi judicavimus inserendum. Fatigata ex itinere non potuit manu propria solito more eleemosynam dare pauperibus, & vocavit unum de fratribus, qui vice sua nummos daret pauperibus. Ex ejus jussu ventum est ad pauperes. Excedit numerus pauperum numerum denariorum. Timuit minister minus habere, quam indigentibus posset sufficere. Quid multa? affuit AUGUSTÆ meritis virtus illius, qui

Panibus ex quinis saciavit millia plebis.
Multiplicatis denariis recesserunt pauperes cum munere læti.

XI.

EGressa inde locum AUCAUNENSIUM petiit, ubi rupes felicissima martyrum millia retinet corpora. Quanta cum devotione, cum reverentia magni martyris *Mauritii*, sociorumque ejus expostulavit suffragia! Quot ejus ibi fuerunt suspiria! quot luctus! quot lachrymarum flumina! Nunquam fuerunt, ut reor, ulla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia. Si enim respiceres Augustæ faciem, excedere crederes humanam effigiem; quam, si aliud aliquid labiis promeret, nihil aliud crederes, quàm propheticum illud evolveret: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quæ fuit ejus maxima tribulatio pro cunctis à lege Dei declinantibus charitativa compassio, ut posset dicere cum Propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Et cum Paulo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* & cætera. Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non possunt propria deplorare discrimina. Lætabatur in gravitate & profectibus præteritorum; tristabatur cottidie, in defectibus præsentium, maximeque futurorum. Cum enim de futuris dico, profetiæ spiritum procul dubio eam habuisse denuntio. Id esset enim in sermone defectus, nisi essem publico documento expertus.

XII.

CUm enim esset ab illo sacro loco egressura, & secum staret in angulo ECCLESIÆ, orationis gratia, quidam nuntius venit ad eam de ITALIA FRANCONEM WANGIONENSEM EPISCOPUM nunciavit ROMÆ fuisse defunctum. Et quia vir boni testimonii erat, domina AUGUSTA valde illum diligebat, sicut & omnes bonos diligere solita erat. Et statim, ut ejus obitum audivit, ex familiaribus, qui aderant, unum vocavit, & ut pro eo Domino preces effunderet, humiliter rogavit, & quasi in excessu mentis ita exorsa est dicens: Quid faciam Domine, vel quid dicam de illo seniore nostro & nepote meo? Peribunt, ut credo, in Italia multi cum eo, peribit post ipsos, ut timeo, heu misera, Augustæ indolis *Otto*: remanebo omni humano destituta solatio. Absit ô Domine Rex seculorum, ut videam superstes tam lugubre dispendium. Tunc videres AUGUSTAM toto corpore solo prostratam; non minus videres eam toto mentis adnisu cœlo intentam, & quasi jam Martyris MAURITII vestigia invenisse, ac lymphatico ore perlingere. Post paululum vero ab oratione surrexit; munera martyribus, eleemosynam dedit pauperibus.

XIII.

DEhinc GENEVENSIUM adiit urbem, desiderans videre victoriosissimi VICTORIS MARTYRIS AULAM. Inde LAUSONIAM venit, ibique memoriam Dei GENITRICIS devotissime adoravit. Quibus in locis à REGE & ab EPISCOPIS, suis videlicet nepotibus honorabiliter suscepta, devenit in vicum, qui vocatur URBA. In ipso enim vico aliquandiu demorata, egenis supervenientibus & miseris, quotquot potuit necessaria cum Rege & Principibus patriæ pacis & honestatis conferens negotia; inde etiam sacris locis diversa & varia direxit donaria. Quæ enim Ecclesia, quæ Monachorum cœnobia, sibi affinitate vel vicinitate conjuncta, quæ non mererentur habere ejus dona vel xenia? Et ut parva de multis dicam; ipso tempore, quo instabat sibi dies supremus, beatissimum Patrem BENEDICTUM, (h) licet exiguis, tamen *propriis* visitavit *muneribus*. Nec non & beatæ recordationis, Patrem MA-

(h) Casinati monasterio impetravit ab Ottone privilegia anno 964. Vide Baron.

MAJOLUM, cœlesti gloria jam coronatum, quem dum in hac vita subsisteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat. Non enim oblita CLUNIACUM adeo sibi familiare cœnobium. Ad restaurandum igitur beatissimi Confessoris CHRISTI MARTINI monasterium, quod non multo ante fuerat igne combustum, destinavit transmittere non modicum argentum; & ad honorem altaris partem unici filii sui OTTONIS AUGUSTI CHLAMYDIS. Ut enim ad memoriam reducamus ejus dulcissima verba, ad eum cujus officio mittebantur, ait inter cætera: Obsecro charissime, obsecro, ut ita alloquaris sanctissimum Confessorem meo obsequio: Accipe sacerdos Dei parva munuscula, quæ tibi delegavit ADALHEIDA, servorum Dei ancilla, ex se peccatrix, dono Dei imperatrix. Accipe unici mei OTTONIS AUGUSTI CHLAMYDIS partem, & ora pro eo ad ipsum, quem veste divisa vestisti in paupere Christum.

XIV.

IN illo die, in quo de supra dicto loco erat exitura, una eademque *hora nobis peccatoribus astantibus*, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ spiritum non arroganter, sed humiliter se habere ostendit. Erat quidam ibi in præsentia ipsius monachus, qui licet esset indignus, ABBAS vocari, ab ea tamen putabatur alicujus momenti. Quem cum inspiceret, & ipse eam esse intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam tunc plus fecisse, quàm si dicam, multos sanasse infirmos. Vestem enim satis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & sanctissimis oculis & serenissimæ suæ faciei obsculando impressit, eique familiariter & cum silentio dixit: Memento mei fili, in contemplativis, & scias me non amplius te visuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus excessero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter, quo venerat, pervenit ad locum, ubi Deo ordinante decreverat sibi parari sepulchrum.

XV.

IN ipso igitur ultimo sui temporalis cursus itinere, erigebat se in quantum valuit, super se, ut divinæ contemplacioni spreto secularium turbine, liberè posset insistere. Familiarius rei negotium erat sibi etiam importunum. Transegerat jam strenue LIÆ ET MARTHÆ satis laudabilem actum. optabat appetere RACHELIS & MARIÆ desiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, assidua orationibus, respuebat terrena, inhians tota mente cœlestibus. Et si aliquis eam de secularibus negotiis interpellaret, non ad hoc responsum dabat, sed Apostolicum illud lugens in corde voluebat: Misera ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et secura de spe divinæ retributionis ajebat: Gratia DEI per JESUM Christum. Deinde cœlesti edocta magisterio devenit ad locum, ubi ultimum spiritum erat redditura Deo.

XVI.

INstabat enim dies in qua devotio annua agebatur pro filii sui OTTONIS AUGUSTI memoria. Confluxerant ad eam ex adiacentibus locis, ut semper faciebant, pauperum plebes. Erat ei consuetudo talis, ut in amicorum, & familiarium suorum anniversariis spirituale donativum suis spiritalibus erogaret militibus, eleemosynam dico Christi pauperibus. Erat autem indigentium multitudo ordinatim constituta in loco, ad quos ipsa venit, & exemplo ABRAHÆ PATRIARCHÆ Deum inter illos esse non dubitans, humiliter adoravit; & oblita infirmitatis suæ, super vires suas tentavit aggredi; singulis manu propria tribuit, & quos miserabiliores vidit, vestimenta vel alia munuscula dedit. Finito isto spiritali negotio, à quodam venerabili ARCHIEPISCOPO MISSAS petit celebrari pro filio. In ipsa enim nocte à febre corripitur, & per aliquot dies ingravescente mole infirmitatis ad extremum usque deducitur. Adhuc autem pro posse erat intenta in oratione, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Resumptis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogavit attentius mysteriis Ecclesiasticis. Tum SACRI OLEI unctione peruncta, SACRAMENTUM DOMINICI CORPORIS humiliter & devotissime adorando percepit, in quem semper speravit & credidit. Talibus fulta præsidiis, talique pasta convivio, dixit senioribus qui astabant, & Clero, ut Psalmos pœnitentiales cantarent & nomina Sanctorum more Ecclesiastico recitarent. Quo facto cum psallentibus psallebat, cum orantibus orabat, usque ad illum locum, ubi Deum sibi adesse precabatur propitium. Erat enim sciens cum sorore MOYSI tenere tympanum & chorum; cum DAVID chordas & organum. Sed assumptis cymbalis bene sonantibus sequentibus agnum tota jam versabatur in jubilum.

XVII.

ANno igitur instante ab Incarnatione domini millesimo desiderans videre diem unum nescientem occasum in atriis Domini super millia dicebat sæpe cum Apostolo: Cupio dis-

dissolvi & esse cum Christo. Præstolans etiam in præsentiarum cum spiritali lætitia ejusdem domini nostri JESU CHRISTI NATIVITATIS festum, cum *sextum decimum diem* solveret *December* felix, & ipsa feliciter deposito carnis onere evolavit ad purum purissimi ætheris fulgorem. Erat enim ei cum domesticis gravis jucunditas, cum extraneis honestissima gravitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Ecclesiis Dei affluentissima largitas, erga bonos perseverans benignitas, contra impios liberalis severitas, in appetendis timor, in prosperitatibus vera humilitas, in adversitatibus patiens longanimitas, in victu cottidiano sobrietas, in vestitu etiam mediocritas, in lectionibus & orationibus, & vigiliis & jejuniis assiduitas, in dandis eleemosynis una eademque voluntas. Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla de potestate sibi à Deo concessa ad se trahere poterat humanæ laudis cupido, nulla de virtutibus sibi à Deo concessis præsumptio, nulla de excessibus propriis malesuada ei dominabatur desperatio, nulla de honoribus, deliciis, & divitiis mundi in eam principatus ambitio; sed comitabatur eam omnibus omnium virtutum mater discretio. Eratque ei in fide secura firmitas, in spe firma securitas. Sed, ut vere fatear, quæ & quanta & qualis fuerit ejus vita, clarescentibus ad sepulchrum ejus miraculorum prodigiis, virtus patefecit divina.

LIBER II.

Prologus in librum secundum.

QUia superiori stylo evidenter patet, quanta sedulitate beatam MARTHAM hæc Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua supernæ speculationis indicia proferre, quibus sororem eius MARIAM perfectius assecutam possimus conicere. Insuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipsa corpus suum juxta Apostoli præceptum castum & pudicum servando templum Dei promeruerit pleniter effici. Nam cum per omne vitæ tempus regalibus divitiis & dignis suo generi facultatibus abundaret, carnem a primævo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis despectu conculcans, Christo soli videlicet & justitiæ per cœlestis contemplationis desiderium in tantum astare cognoscitur, ut cum suavi voce psalmistæ concordaret, qui bonum suum non regni deliciis frui, sed Deo inhærere conclusit.

Explicit Prologus.

Incipit liber de miraculis.

QUadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum quam Laicorum consideret, tamque purissimæ epulæ necessitati omnium satisfacerent, uti mos est sanctarum mentium, pro declinando favore alia foris ostendere, & alia intus agere; ipsa simulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; sicque non ad suam voluptatem, sed aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc subito faciei colore, cum mentis habitu permutato, ferrum de manu super mensam decidit; atque in hoc non insolentiæ notam accidisse, sed mira quædam per divinam revelationem sensisse cum suspirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc portenderet admirante, nec quærere præsumente, illa ad Evangelicæ perfectionis decorem celavit multitudini secreti dignitatem, solumque AUGUSTENSEM EPISCOPUM nomine (a) DUDONEM sibi pro vitæ meritis familiarem iugique obsequio inhærentem, tali dignata est præfatione. Nunc pater venerabilis multa opus est vobis consolatione, quia paries vestræ occidentalis matrinæ Ecclesiæ lapsus est divina dispositione. Tanta vero jactura non magis vestræ prudentiæ sollicitudinem ad restaurationem sui ingerit, quam pro vestra vexatione sive communi damno Ecclesiæ vestræ menti mœroris nebulam intulit. Sed simul consolari vos in divinitatis tranquillitate iubeo & persuadeo, quæ sine mutabilitatis vicissitudine solus inaccessibile lumen inhabitans omnia quodammodo moveri pro nostro reatu permittit; sed plura ad integritatis statum ineffabili sua clementia reducet. Præsul vero tam præsagio, quam rerum damno perturbatus, tempus præfatæ ruinæ diligenter notavit, nunciumque pro experienda ratione reique veritate AUGUSTAM festinanter direxit, cujus relatione casum contigisse & horam convenisse juxta Dei famulæ præfationem cognovit.

Alio

(a) fort. leg. *Luidonem*. alii *Luitholdum*: *Luitolfum* vero appellat Bulla Canonizationis S. Udalrici edit. nobilissimi M. Velseri. *Sub huius antistitu*, inquit, Bruschius in 24. Ep. Aug. *gubernatione concidit Augustæ anno incarnati filii Dei 994. summa D. Virg. Basilica. Eam auxiliis Adelheidis &c. magnifice iterum restaurans fortiorem ac illustriorem reddidit.*

Alio quoque tempore huic præſagio ſimile prodigium ab ipſa patuit, quod tanto magis admiratione extitit dignum, quanto & loco & tempore rei eventu fuerat diverſum. Filius namque illius ROMANÆ REIPUBLICÆ PRINCEPS electus, dum illam GRÆCAM in thalami conſortium ſuſcepiſſet, ejus pravo ingenio, deteriori conſilio, deceptus regnum GRÆCORUM conatus eſt adipiſci. Igitur exercitu ex omni copia collecto fines ITALIÆ exceſſit, atque ita Regi GRÆCORUM patrandi belli occaſionem dedit, ſibi vero ſuiſque famæ ac vitæ contulit amiſſionem. Interim pia mater ejus die noctεque divinis cultibus inſiſtens felicis ANNÆ viduæ devotionem procul dubio implevit, & juxta canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obſequia. Quadam vero die orationis ſtudio pro unici filii ſalute totiusque regni ſtatu obnixius intenta, dum ſe vivam hoſtiam, more ſolito ſtans ante CRUCIFIXUM, Deo mactaret; rapta in extaſi humanis viſibus æſtimabatur præmortua. Ad ſe autem poſt horam reverſa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfate pugnæ in ſpiritali ſibi viſu præmonſtratum, non rem dicendo, ſed bonorum cædem condolendo innotuit.

Ex his quidem ſignis patenter poteſt colligi, quali puritate animi fulgeret, imo quanta libertate ſpiritus Chriſto ſerviret occultius, cui cum Prophetis futura dominus revelavit, cum Patriarchis fidem roboravit, cum Apoſtolis Evangelii perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum ſacerdotibus Eccleſiæ curam indidit, cum virginibus ſacris ſanctiſſimæ mentis ſinceritatem auxit, familiarem ſui præſentiam cum Monachis oſtendit, & cum Apoſtolicis diſcipulabus, dico viduis, à PETRO & PAULO electis, & religionis officio deputatis in terris devotione præditavit, in æterna gloria ſublimavit. Curationum vero in tantam gratiam per benevolentiæ meruit opera, ut ſicut egenorum inopiam eleemoſynarum largitate ſublevavit, ita etiam infirmorum & debilium ſoſpitatem potenti munere reſtauraret.

Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ inſolentiæ cauſa fugiens, tantique muneris largitori ſecreto mentis placere geſtiens, aut omni modo furtiva celeritate ſignorum efficaciam rapuit, aut ſi qua ſuorum ſcientiam præterire non potuit, ne usquam levi ſermocinatione dilatarent, illam nimirum ſententiam gentium Doctoris vigili ſub corde revolvens: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et quod ipſe Dominus dextræ opus à ſiniſtra celari præcepit, ſimplici prudentia in omni converſatione adimplevit. Tamen urbs ſuper montem poſita haud potuit eſſe in omnibus occultata. Unius namque ſigni flagrantia ad noſtram pervenit notitiam, cujus patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur exiſtere cauſam.

Quodam vero tempore cum cœleſti meditatione occupata in conclavi ſederet omnisque arbiter, excepto claudo abeſſet, villicus nomine HUOZEMANNUS fide & taciturnitate illi acceptus, pulchrorum malorum attulit munus. Quod ſereniſſimo vultu, ut hilaritatis amica erat, accipiens, unum ex multis excepit, cæteros ſervatori hujusmodi rerum præſentari præcepit. Sed caſu accidente pomum à manu longius prolapſum eſt; quod ſtatim claudus reportare juſſus, obſequium renuebat, quia ſcabella, quibus ingreſſum ſimulabat, domina retinebat. Illo vero reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddente; tandem ſanctorum domeſtica ante venerabiles RELIQUIAS in conſpectu ſuo jugiter poſitas adorare ſolebat, caput reverenter inclinavit, ſuosque dominos ſecum velle, ut claudus ambularet, affirmavit.

Mox citius dicto ſurrexit claudus ab imo,
Parens obſequio, fit ſanus corpore toto,
Et juſſus tanti retinere ſilentia ſigni,
Gaudia prodebat nec gratia tanta latebat,

Igitur eo tempore, quo beata migravit à ſeculo HERIMANNUS *dux* SUEVIÆ, qui fratis illius CHUONRADI filiam in conjugium acceperat, hæreditario jure res ancillæ DEI ad monaſterium pertinentes occupare volebat. Sed ipſa illi & cunctis in circuitu degentibus manifeſtis indiciis comprobat, quod nullum hæredem præter Apoſtolos & eis ſervientes monachos relinquebat.

Erat tunc temporis forte apud eundem ducem, quidam recenter viſu privatus, qui olim arte FLEBOTOMANDI edoctus, & ea cauſa beatæ reginæ gratia largius eſt uſus. Quia vero illius beneficentiæ nimietatem ſanctitatisque claritatem experimento didicerat, orandi ſtudio ad ſepulchrum ejus veniens in adiutorium ſuum precibus & fletibus eam invitaverat. Cumque per omnem ſeptimanam ſacri corporis locum obſecrationis inſtantia frequentaret, una vice feſſus, & triſtis ſuper pavimentum reſidens, præ tædio languentis animæ perfuſus eſt ſomni humore. Tum illi ſancta ADALHEIDIS per ſomnium admodum reverendo vultu ultra humanam ſpeciem decora, manifeſta apparuit. Quare dominus eius HERIMANNUS privatas res APOSTOLORUM ſuæ injuſtæ ditione uſurparet, terribili voce quæſivit. Illo autem ignorantiam confitente, vel potius tyrannidem DUCIS adnectente; Vide, inquit, ut, ſi noſtris meritis ſanitatem oculorum recipias, noſtræ etiam legationis fidus interpres PRINCIPEM adeas, planoque

 ſermo-

sermone hujusmodi pravitatem omnino deponere cum signo edoceas. Sin aliter, me meosque dominos bissenos APOSTOLOS, totius scilicet judices orbis, proprium jus persequi sciat, ultionisque inevitabili ictu sese cum suis flagellandum prædiscat. Cum his dictis statim homo euigilans visionis & allocutionis memoria lætificatus; pedes recedentis usque ad sepulchrum est prosecutus, ubi toto corpore prostratus, tamdiu orationi deditus jacuit, quousque chorus monachorum MISSÆ OFFICIA celebravit. Ut vero primum cantor introitum inchoavit, cœcus lumen recepit, atque gaudia sua cantantibus commiscuit. Confestim miraculo per sonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, DEI famula veneratur, lucisque repertor immo facturæ reformator ab omni sexu & conditione conlaudatur. Post hæc Luminis adeptor testimonii legationisque injunctæ non immemor, Dominum suum gratulanti cursu revisit, quid in somno præmonitus foret, explicuit, suique inluminationem testabatur divini examinis esse argumentum; si ipse aut aliquis potentum, sive quælibet persona ulterius in Ecclesiastica beneficia gloriosæ in Domino fœminæ præsumeret damnum inferre. Ita dux timore perculsus quidquid injusto incepto contra DEI voluntatem in DEI famulæ rebus desipuit, emendare curavit, addiditque prædicto monasterio prædium ad conficiendum sal utile, situm videlicet ad oppidum MARSILE.

Dignum vero relatione nobis videtur, quomodo HENRICUS *Rex*, GEORGII Martyris singularis cultor, hujus sanctissimæ etiam viduæ supplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locum adepto imperio venisset, forte contigit, ut ibi posito lecto pausaret, ubi sanctissima anima carnis ergastulo soluta est. Itaque imperator tantæ infirmitatis mole perculsus est, ut lecto surgere non valens suorum diversa ingenia conquireret, quid de tanti tamque subiti doloris casu sentirent. Omnes quidem una voce dicebant, illius sacri loci reverentiam talis incommodi causam. Hæc ipse secum diu volutans, &, si quo alio modo venerandam AUGUSTAM offenderet, retractans; & pœnitentia ductus ad sepulchri sacellum se portari jussit. Et quia illius merita sine APOSTOLICI decreto Clerique consensu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ MARIÆ oratorium se constructurum promisit, atque Abbatem illius cœnobii sicut ipsa constituit, ab imperatoria servitute absolvit.

Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cuiusdam bene receptus hospitio esset, parvam eius suppellectilem diaboli instinctu male tractare aggressus est; inter alias quidem iniurias, quas hospiti suo ingessit, aves occidit, alienaque substantia fecit sibi parari cibaria. Magister vero domus in preces fletusque cum uxore profusus rogavit in primis hominem parcere sibi per abbatem Dominum suum, postremo per sanctæ ADALHEIDIS reverentiam imploravit deponere tantam proteruiam. Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans; Ego, inquit, vivus in hac nocte tui tuorumque dominor; ADALHEIDA vero mortua impotens est tibi præstare tutamina. Nec mora, pro tanta calumnia superne flagellatus, dum male partum cibum festinaret sumere, cœpit etiam manus & cœtera membra mandere: Statim pro sui impotentia & furoris noxa ligatus per ejusdem noctis spatium mentis & corporis durum pertulit vinculum. Sed cum prima luce manibus trahentium ad sepulchrum Christi famulæ invite adductus sanitatem sensuum in fratrum præsentia recepit, quia illa piissima offensionem, quam vindicabat potenter, postmodum pœnituro indulsit liberaliter.

Quædam sanctimonialis fœmina vocabulo *ERUUWELA*, (a) cum à prima ætate claudicaret utroque pede, in proximo anno memorabilis transitus AUGUSTÆ sera lætificata est salute. Et quia hujus virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conventus effectus est admodum lætus, ac usque illius manibus CRUCEM & CEREUM imponens per diversas discurrendo Ecclesias laudes celebravit deificas.

Nec hoc taciturnitate prætereundum esse videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigisse dinoscitur. Qui dum per sylvam iter haberet, quæ rustico vocabulo nuncupatur BIWALT, forte ab equo juxta pascente usque ad oppidum SALSENSE comitatus est. Quam ob rem apud quendam potentem nomine HEIMONEM furti accusatus est, qui eodem tempore cum prædicto imperatore HEINRICO illuc venerat. Ille de incertis certam sententiam proferens, jussit hominem miseris modis flagellari, spoliari, excœcari. Mox advena cœcatus, levans ad cœlum mentem & manus; Si ego, ait, furti dolique innocens immerito tanta mala perpessus sum, tu sancta ADALHEIDA redde mihi tuis precibus & meritis visum. Post hæc cujusdam viri nomine BENNONIS domo & cura receptus, post paucos dies lenito dolore ad pretiosi thesauri thecam accessit, testificansque sui innocentiam, oculorum sanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ divisa, veræ cæcitatis postmodum ostendit vestigia. Inter

(a) al. *Eruovveza*.

Inter cætera vero donaria, quæ sancto PETRO contulit hæc sanctorum domestica, existebat quædam familia, pagi NORTHGOWE nuncupati accola. Quam dum quidam proterva præsumptione sibi suisque posteris mancipare tentaret, nulloque pacto repugnantem edomare sufficeret, unum istiusmodi generis PENZONEM dictum incautius excæcavit apprehensum. Quem post aliquantos dies quiddam videre rescissens, denuo captivans tandem altius omnem eruit visum. Nec mora cœcus cruento miserandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, Dominæ suæ venerabile sepulchrum petiit, rituque rusticæ simplicitatis exprobrare cœpit illi causam tantæ calamitatis. Ergo non ante à fletu & planctu eam incusando cessavit, quam integritatem pupillarum cum lucidissimo oculorum officio, quod non inusitatum, sed potius rarum à sanctis scimus, recepit.

Venit etiam de territorio METTENSI aliqua fœmina, cui divino nutu cœcitatis increvit calumnia. Hæc cum per diversa loca adipiscendæ salutis appetitu discurreret, istius Sanctæ quærere subsidia, per somnia admonita est ab ipsa. Dum autem solam oculorum appeteret salutem, gratiam adepta est duplicem. Nam eodem tempore contigit CHVONRADUM ROMANI IMPERII *gloriosum principem cum thori regnique consorte* GISILA advenisse. Cumque venerabilis regina mulierem illuminatam in præsentiarum cerneret; DEUM bonorum auctorem dignis laudibus magnificans, sibique consanguineæ AUGUSTÆ sanctitati congratulans, personam à beatitudine ejus lumine visitatam in suæ liberalitatis suscepit curam.

Fuit etiam in partibus GALLIÆ *potens Comitissa* muti filii mater tristis effecta. Pro hac ergo causa, dum plura circuiret devote monasteria; tanta virtutum opinione audita, sacrum locum desiderabiliter petiit, trium dierum spatio inibi orationibus operam dedit. Post hæc à dono curationis, prolixitate temporis desperata, cum ad propria redire disponeret, semet ipsam cum puero ante altare prostravit, quod ad caput vivifici corporis consecratum est. Mater vero lachrimabili prece intenta se solam indignam & expertem fatetur, spe lætam venisse, sed tristem redire narrat. Puer autem interim subita soporis quiete solutus est. Qui transacta hora sponte sua evigilans lætus surrexit, matrem veste apprehendit, si hoc sepulchrum sanctæ ADALHEIDÆ esset, prima voce quæsivit, quæ sibi in somno apparens linguæ vinculum resolverit. Eo modo matrona præ desperatione discessura reliquum diei duxit illic in lætitia, & pro sospitate filii devota & grata fratribus in sanctis suis Deum collaudantibus obtulit munuscula.

Quidam homo de Burgundia progenitus, ab utero matris ita extitit claudus & curvus, ut plantæ pedum ad nates, manus vero ad genua conglutinatæ viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per sancti SULPITII meritum liberaretur, idem alia calumnia divino nutu vexari permissus est, ut dum hujus piissimæ atque sanctissimæ fœminæ precibus curaretur, virtus præclarissimi confessoris æquaretur.

Contigit ergo hujusmodi hominem apud præfati loci *Abbatem Gerbertum* piæ memoriæ virum cum reliquorum egenorum turba degere, matutinisque laudibus in festivitate B. PETRI APOSTOLI vano auditu interesse. Namque malorum & bonorum immemor, etiam temporis & loci venerandi contemptor, cœpit cum viris & fœminis miscere verba turpitudinis, sicque cum stultorum conventiculis fecit impedimenta divinæ laudis. Tum subito mira celeritate utraque brachia strictim in terga resilierunt, ambæque manus ejus tanta vi in se reflexæ sunt, ut disruptis digitorum nodulis, astantes maderent aspergine sanguinis. Nec tamen minori intus percussus est supplicio, utpote arreptus dæmone pessimo, sicque duplici pœna devinctus, miserabili spectaculo totius populi movit fletum & planctus. Sed dum chorus Monachorum Dei laudes per MISSAM celebraret, omnisque plebs mœstis modis S. ADALHEIDÆ merita precibus provocaret, tandem nodis brachiorum solutis, adeptus est integritatem mentis & corporis. Ipse tamen post aliquantos dies mutus effectus, ad sepulchrum ejusdem beatissimæ matris, linguæ recepit usus.

Temporibus vero III. HENRICI Imperatoris unius signi mirificus claruit eventus, per quem in sanctorum numero spiritalem potentiam illam verissima argumentatione agnovimus. Quidam vir nomine BURCHARDUS in ministerio LVIDPOLDI MOGONCIENSIS ARCHIEPISCOPI fideliter degens parentelæ suæ servili conditione cedit dominio venerabilis AUGUSTÆ. Cujus uberrima benignitate donatum majoribus suis prædium hæreditario jure absque ambigua lite possidebat, ideoque summa devotione donatricem dominam omnimodis venerari solebat. Accidit autem, ut Dux ALAMANNORUM OTTO *de* SWINVORTH, licet Justitiæ, aliarumque virtutum quam plurima exempla sectaretur, tamen insaciatæ cupiditatis facibus accensus, prædictum prædiolum suæ latissimæ possessioni contiguum forte more ACHAB, vel potius JEZABELIS propriæ ditioni injuste vendicare est aggressus. Ergo homo talem jacturam agrorum violenter, non legaliter perpessus, dum humanum præsidium contra tantæ potentiæ culmen desperaret, recolens animo,

mo liberalis doni privilegium, ad donantis dominæ fideliter accessit patrocinium, cartulam quoque in præfatam possessionem conscriptam, miserabili cultu afferens, sacratæ tumbæ imposuit; commodo sonitu campanarum, querelosaque adclamatione dominam suam sibi dormientem excitare se rustico more asseruit, fratrumque congregationem suum casum misereri, & solatium piæ patronæ incitavit. Igitur fraternæ consolationis promissis delibutus, anchora spei in tantæ adversitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Post hæc vero prædicto duci gravissimæ infirmitatis plaga percusso, beata ADALHEIDA, tam severo quam honesto vultu, nocturno silentio apparens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, nisi famulo suo injustè ablatum citius restitueret prædium. Princeps vero tam sensatus, quàm venerabilis personæ invectiva comminatione tremefactus, injuriam patientem, calumniamque intolerabilem sustinentem festina legatione adduxit, eique amissæ possessionis ius, exposita prius miranda visione, & admodum tremenda minitatione subitæ mortis, & perennis supplicij, prompto animo redonavit. Exemplo homo tanta damna expertus, & talia commoda consecutus, Domino Deo, & S. ADALHEIDÆ condignas grates referens, ad ejus Monasterium gratulabundus festinavit, complura donativa Ecclesiasticis ornamentis vel necessitatibus fratrum accommoda contulit, & relata caussa vel modo restitutæ rei, nunquam cessavit à laude S. ADALHEIDÆ & omnipotentis Dei.

Explicit vita sanctæ Adalheidæ Imperatricis Augustæ.

Hymnus ad vesperam.

ANni voluto tempore, festiva Lux Adalheidæ nobis beatæ claruit, qua seculum jam respuit.

Apostolici dogmatis instructa didascalicis, sic utitur regalibus, ut usa non sit fascibus.

Fudit opes largissimas, donis replens Ecclesias, regni facultas maxima dispersa pavit agmina.

MARTHAM sequi decreverat, opus manu compleverat, amat MARIAM pectore, secura Christum cernere.

Summo tonanti gloria æterna sit per secula, qui nos sacris solenniis jungat polorum gaudiis, Amen.

Oratio ad MISSAM.

DEus, qui nobis beatæ ADALHEIDÆ diem concedis venerari solennem, fac nos ejus suffragantibus meritis tuis semper obedire mandatis, per Dominum.

Secreta.

DEus, cujus Filius unigenitus pro peccatis nostris sacrificium immaculatum in arca crucis seipsum obtulit, da nobis cottidianis intercessionibus B. ADALHEIDÆ tales existere, ut tibi hostia viva, sancta & immaculata effici valeamus, per eundem.

Ad Completorium.

DIvina libantes mysteria, quæ pro S. ADALHEIDÆ tuæ obtulimus majestati, præsta quæsumus omnipotens Deus, ut per ea veniam mereamur peccatorum, & cœlestis gratiæ donis reficiamur, per Dominum.

Alia.

OMnigena benedictione quæsumus Domine, benedic nos, & protege, ut qui carnem & sanguinem Filij tui indigni sumpsimus, precibus & meritis B. ADALHEIDÆ S. Spiritu incessanter repleamur, per Dominum nostrum Jesum.

Alia.

COncede quæsumus omnipotens Deus, ut qui pondere aggravamur facinorum, B. ADALHEIDÆ sentiamus suffragium, per Dominum.

XXII. Vita

XXII.

Vita D. BRVNONIS COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI, ad Folcmarum ejus successorem à Ruotgero scripta; ex Manuscripto.

Incipit Prologus in vitam Domni Brunonis Coloniensis Archi-Episcopi.

DOmno in Christi gratia beatissimo atque in omni splendore gratiæ & sapientiæ perfectissimo *Folcmaro Archi-Episcopo Ruotgerus* Servorum suorum ultimus, veræ claritatis gloriam sempiternam. Imposuit sanctitatis vestræ reverentia super caput meum gravem qvidem sarcinam, sed pro captu parvitatis meæ dulcem admodum & jucundam; videlicet, ut vitam mirabilis & magnifici Archi-Episcopi Brunonis, qva potuerim sermonis facultate, describerem. Cui virtus laudem contulit, qvam, ut ipse meruit, stili mei officium implere non potuit. De ipso tamen qvomodocunq; loqvi, qvia Vos jussistis, delectabile fuit, qvi ab initio sic fuit animatus, ut non magis sua causa se putaret natum, qvam nostrâ, reiq; publicæ procreatum. Fecit omnino plurima & prope infinita, qvæ digna fuerunt sempiterna memoria: sed non expectet auditor aut à me, aut à qvolibet hæc omnia explicanda. Qvod si qvis fideliter & verè agendum promitteret singulos, qvos pueritiam prætergressus vixit annos propriis & his utiq; spatiosis codicibus insigniret. Æstimo igitur multos longè lateq; hac occupatos industria, ut gesta ejus his etiam, qvi post futuri sunt, partim scribendo, partim commemorando transmittant. Non enim in una provincia aut in uno negotiabatur regno: Omnium, qvos adire poterat, salutem benevolentiæ atq; laboris studiiq; sui qværebat commercio. Non desunt plurimi, qvi hoc laute & prudenter exeqvi possint; cum, etsi nulli alii tales valeant repperiri, in solis ejus discipulis omne studiorum & eloqventiæ genus *adhuc recenti ejus memoria* ita per multa terrarum loca floreat, ut maxima rerum gestarum insignia non enarrare modo, verum & exornare sufficiat. Qvot qvantosq; de alumnis tanti viri Episcopos, qvantos in qvacunq; Ecclesiasticæ professionis disciplina probatissimos novimus, qvi eum & familiarius noverunt & perfectius illustribus monumentis vitam ejus declarare potuerunt. Sed qvi sum ego, qvod potui, qvomodo potui, non præsumens de scientia, sed fiduciam qvalemcunq; retinens in obedientia. In qvo, etsi minus possibile mihi visum est, id explere, qvod aggressus sum; præcepti tamen vestri dignitatem ita venerari semper & amplecti animum induxi, ut impossibilitatis meæ oblitus in manibus vestris sim oculis & animo totus. Hinc ego largifluæ pietati vestræ supplico, ut qvod huic operi meo deest in pompa ornatuq; sermonis, suppleat in auribus vestris ejus commendatio, qvem pro merito virtutis tam svaviter amastis. Beatitudinem vestram Deus omnipotens ad salutem nostram diutissime incolumem & benevalentem conservare dignetur.

Incipit vita Domni Brunonis Archi-Episcopi.

I. Sapientiæ nimirum est, scire unde sit donum, qvod qvis accepit, ne à se sibi hoc esse, aut à Deo qvidem, sed sibi debitum putet. Si enim quærimus, qvid nobis debeatur, nihil invenimus nisi supplicium. Misericordia autem Dei prærogavit nobis gratiam, ut haberet, qvibus redderet gratiam pro gratia; & hoc jam esset debitum, qvia Deus voluit, non qvia homo meruit. Qvid enim habes, ait Apostolus, qvod non accepisti? Si autem accepisti, qvid gloriaris, qvasi non acceperis? Ineffabili igitur providentia bonitatis Dei collatum est electis ejus, ut & gratis copiosis gratiæ muneribus ditentur, & tamen hoc ipsum, qvo munerantur, qvodammodo per gratiam mereantur: alius sic, alius vero sic; unusqvisq; secundum qvod in eo operatur unus atq; idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Soli unigenito non ad mensuram dat Deus Spiritum. In ipso namqve, ut ait Apostolus, habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, membris ejus pro sua cuiq; voluntate partitur: qvibus habundanter omnia dat ad fruendum videlicet seipsum, ut sit Deus omnia in omnibus. Dispar hæc claritas & diversa donorum largitas, nunc est admirabilis qvæstio: qvandoq; erit honorabilis pulcritudo & ornatus domus Domni, de qva dicitur Deo: Sanctum est templum tuum, mirabile in æqvitate.

II. Compertum est nuper à plurimis in venerabili *Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopo Brunone*, piæ memoriæ, & satis à prudentioribus intellectum, homo homini qvid præstet, vel excellat.

cellat. Cujus pleriq; dicta & opera, qvi familiarius eum noverant, satis admirari neqvibant. Erant enim in uno illo homine res valde dissimiles; natalium nobilitas, honorum dignitas, scientiæ, qvæ inflare solet, tanta sublimitas, ut nihil supra; animi vero & habitus humilitas, qvantum à sagacioribus discerni potuit, ut nihil infra putares: media, caritate constrata sunt. Arridebant ei omnia, qvæ ad fastum suppeterent, qvæ à se semper studiosissime vigilantis manu discretionis abegerat. Ita aliud ad oculos hominum, aliud ad testem cordium exhibebat. Cujus conversationis exemplo plurimos salubriter institui posse credimus, si eandem strictim à pueritia repetamus. Habent enim in illa mediocres & humiles, unde convalescant; elati contra & divites, unde obstupescant. Attavorum ejus attavi usq; ad hominum memoriam omnes nobilissimi; nullus in eorum stirpe innotus, nullus degener facile reperitur. Hic tamen omnis salva Augustorum & Regum excellentia omnino perspicacissime liniamentorum gratia, artium gloria & omnigena animi superabat industria. Natus eo tempore, qvo pater ejus *Henricus Rex* gloriosus *perdomita barbarorum sævitia*, represso etiam intestinæ cladis periculo; *diruta* magno studio *reædificabat*, & volentem populum justitiæ frenis in tutissima & optatissima demum pace regebat. Ita nativitatis ejus tempus jam qvasi futura bonæ voluntatis ejus insignia præferebat. Nam cum omne, qvod bonum esset, vivacissime semper appeteret, pacis donum qvasi nutrimentum & ornamentum qvoddam cæterarum virtutum sollicitius expetivit, qvod bonis omnibus profuturum præscivit. Tranquillitatis enim tempore nutriri debent & solidari virtutes, ut perturbatione qvalibet ingruente à statu sui vigore hominem emolliri non desinant.

III. Nimis longum est proseqvi, qvomodo memoratus Rex, pater hujus magni viri, de qvo agimus, ad illam tam gratæ pacis serenitatem pervenerit, cum ipse omnia Regni spatia & continuis finitimorum incursionibus & gravissimis inter cives etiam & cognatos dissensionibus concussa & atrociter vexata repererit. Hinc etenim sæva *Danorum* gens, terra marique potens; inde centifida *Sclavorum* rabies barbarorum frendens inhorruit: *Ungrorum* nihilominus insecuta crudelitas transgressa terminos *Marabensium*, qvos sibi non longe ante impia usurpavit licentia, plerasq; provincias Regni ejus ferro & igne longe lateq; vastavit. Dies ante, qvam hujus mali materies, narranti deficeret. Trans *Hrenum*, occidentem versus, nobis omnia rebellabant. Ipsi certe Regni adhuc augusti Principes in sua viscera pene irremediabiliter sæviebant; qvæ omnia vel resecare vel sanare nemo nisi præcipua virtute & singulari præditus industria posset. Sed post aliqvantulum temporis tantus timor per gratiam divinam invasit extraneos, ut nihil unqvam eis esset formidabilius: tantus amor colligavit domesticos, ut nihil unqvam in qvolibet potentissimo regno conjunctius videretur.

IV. Eo tempore generosa regum proles, annos circiter qvatuor habens, liberalibus literarum studiis imbuenda *Baldrico* venerabili *Episcopo, qvi adhuc superest, Trajectum* missa est. Ubi cum ipse disciplinabiliter, utpote bonæ indolis puer, ingenio sagaci, proficeret, invisa Nordmannorum tyrannis, qvasi per hujusmodi obsidem aliqvantum refriguit, & Ecclesiæ demum cæteraq; ædificia, qvorum ruinæ vix extiterant, hac occasione restauratæ sunt. Ita nulla ætatis suæ spatia absqve utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ transigebat. Per ipsum enim, licet adhuc inscium, jam Christianus populus ab hostibus liber in Dei laudibus exultabat. Deinde ubi prima grammaticæ artis rudimenta percepit; *sicut ab ipso* in Dei omnipotentis gloriam hoc sæpius ruminante *didicimus*. *Prudentium* poëtam, tradente Magistro, legere cepit. Qvi sicuti est & fide intentioneqve catholicus, & eloqventia veritateqve præcipuus, & metrorum librorumqve varietate elegantissimus, tanta mox dulcedine palato cordis ejus complacuit, ut jam non tantum exteriorum verborum scientiam, veram intimi medullam sensus & nectar, ut ita dicam, liqvidissimum majori, qvam dici possit, aviditate hauriret. Postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni *Græca* vel *Latina* eloqventia, qvod ingenii sui vivacitatem auffugeret.

V. Nec vero, ut solet, aut divitiarum affluentia, aut turbarum circumstrepentium assiduitas, aut ullum aliunde surrepens fastidium ab hoc nobili otio animum ejus unqvam avertit; ita ut mundiciam cordis ejus attestaretur jugis meditatio, & indefessum continuæ exercitationis studium, cùm jam penitus omnis hujusmodi affectio transiret in habitum, sicuti scriptum est: Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & si recta sint opera ejus. Huc accedit, qvod sicuti fervorem animi sui non passus est aliorum desidia & levitate extingui, aut superfluis vanisqve corrumpi colloqviis; ita libros, in qvibus studuit, aut qvoscunqve præ oculis habuit, incaute refringi aut corrugari, vel qvomodolibet minus diligenter tractari omnino ægerrime tulit. Nihil sane in his, qvæ ad se pertinebant, negligendum ducens; qvandoqvidem ut Salomon ait: qvi minora negligit, paulatim decidit.

VI. Sic, postqvam pater ejus, fundato, & ad unguem pacato imperio, rebus humanis con-

concessit; *Otto* filius ejus major natu, benedictione Domni auctus, & oleo lætitiæ unctus, magna voluntate & consensu Principum regnare cœpit CLXXXVIII. lustro, * LXIII. indictionum circulo, ab incarnatione Domni nostri Jhesu Christi, vir, in qvem Spiritus Dei donum contulit singulare veritatis & fidei. Cujus virtutes si me narraturum promiserim, nimium mihi sumpserim, & ferendus minime fuerim. Excedit enim laus ejus & gloria qvicqvid vel ipse Cicero sibi promitteret in facundia. Hic Germanum suum *Brunonem* Deo dicatum adhuc adolescentulum honorabiliter, ut par fuit, è scolis in palatium evocavit; locum videlicet tam lucidissimo aptum speculo, ubi, qvicqvid deforme per totum pene mundum esset in studiis, liqvidius appareret. Huc enim ex omnibus finibus ejus confluebat, qvod sibi aliqvid esse videbatur. Nihilominus ab omnibus calumpnia qvalibet oppressis hic asilum unicum petebatur. Exemplar ibi sapientiæ, pietatis & justitiæ supra hominum memoriam eminebant. Inde reversi, qvi sibi paulo ante domi videbantur doctissimi, rubore notati rudimenta artium, qvasi, *nunc cæpi* dicentes, agressi sunt. Cui in læva parte mamillæ nil salit, sese ab hoc qvasi celso tribunali exinde verecundus abstinuit. Vas illud suum implevit Domnus Spiritu sapientiæ & intellectus. Nec suffecit ei in gazophylatium cordis sui colligere, qvod in promptu habebat; peregrina insuper conduxit ænigmata; & qvicqvid philosophicum, terrenisq; sensibus remotissimum sensit, hoc undecunqve contraxit. Oblitteratas diu septem liberales artes ipse retexit. Qvicqvid Historici, Oratores, Poëtæ & Philosophi novum & grande perstrepunt, diligentissime cum Doctoribus cujuscunq; linguæ perscrutatus est, & ubi magister excelluit ingenii velocitate, ibi se discipulum præbuit humilitate. Sæpe inter Græcorum & Latinorum doctissimos, de philosophiæ sublimitate, ac de cujuslibet in illa florentis disciplinæ subtilitate disputantes, doctus interpres medius ipse consedit, & disputantibus ad plausum omnium, qvo nihil minus amaverat, satisfecit. Non enim examen improbum in illa castigavit trutina, nec se qvæsivit extra; gloriam sibi æstimabat testimonium conscientiæ suæ. Spectavit hoc freqventius judex in talibus falli nescius, Rex orbis terrarum maximus, & qvi regnum suum exterius fortitudinis & consilii vigore firmavit, interius illud tali splendore vestivit. Horum spectator & ipse Deus creditur, cujus misericordiâ donum, qvodcunq; tribuit, custoditur. Qvis enim à tanta & tam incomparabili altitudine prohibet arrogantiam, nisi pius ipse suam adhiberet custodiam? *Israel Episcopus Scotigena*, sub cujus magisterio illustrissimus hic, de qvo loqvimur, plurimum se profecisse testatus est, de moribus ejus reqvisitus à qvibusdam, qvos ipsi audivimus, hoc idem solicitius ruminantes, & qvasi pro oraculo habentes, sanctum eum adprime virum esse respondit. Satis laudabile scitumq; Doctoris de discipulo testimonium. Græci, qvibus æqve magistris usus est, ad tantam gratiam stupebant, digna nimirum de illo problemata domum suis civibus reportabant, qvorum studium qvondam fuisse dicitur, aut audire semper aliqvid novi, aut invenire.

VII. Millies interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis, opem ferre miseris. Qvæ omnia sic administrabat, ut refugium factus egenis omnibus videretur. Ita cum esset in otio, nemo fere magis videbatur in negotio. Nec cum esset in negotio, unqvam cessabat ab otio. Lucubrationibus intentissimus inveniendis, in dictatu, qvæcunq; sunt honestissima, acutissimus fuit. Latialem eloqventiam non in se solum, ubi excelluit, sed & in multis aliis politam reddidit & illustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, sed cum domestico lepore, tum urbana gravitate. Post epulas cum alii & majores etiam, ut accepimus, paulo agunt remissius; ipse lectioni & meditationi vacabat attentius. Matutinum crepusculum nullo pretio vendidit, nec tunc se somno sollicitanti nullo modo credidit. Scurilia & mimica, qvæ in comœdiis & tragœdiis à personis variis edita, qvidam concrepantes risu se infinito concutiunt, ipse semper serio lectitabat: Materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compositionibus pro maximo reputabat. Translatitiis usus est scholis non corpore qvidem, sed mente qvietus. Qvocunq; enim circumagebantur tabernacula aut castra, regalia bibliothecam suam, sicuti aqvam dominicam, circumduxit, ferens secum & causam studii sui & instrumentum: causam in divinis, instrumentum in gentilibus libris: utputa doctus paterfamilias, qvi novit de thesauro suo proferre nova & vetera. Nec in ipso itinere desidiæ locus erat. In turba, qvod paucorum est, qvasi solus erat. Confabulabatur namq; utillimum aliqvid cum qvovis, aut meditabatur id ipsum in qvovis. Cum ad divinum ventum

* Hæc, si ad annorum Christi numerum reducas, faciunt annum Christi 940. cum autem lustrum qvinqve annis constet, & Otto M. anno 936. patri Henrico successerit, patet hoc ultimo lustro ineunte contigisse.

esset officium, animum agebat intentum, brevi qvidem, sed pura se oratione Domno commendans. His, qvibus convixerat, habitu & gestu aliqvando, mente aliud actitans, satisfecit. Non enim aliter tam vere popularis esset, neq; tam multis meliora persvasisset.

VIII. Qvicqvid Sacerdotum Domni, aut perfectorum virorum qvispiam illo in tempore magnum in religione moliebatur; hoc qvasi solo qvodam comite nitebatur; nec rebatur autoritatem suam satis per se vehementem, nisi hunc qvasi succenturiatum nosset, se in divina acie sustentantem. Servus autem Dei non mediocriter in incepto profecit. Rumores vulgi pro nihilo duxit, nec qvod ante pedes fuit solùm, sed multa qvoq; in posterum prævidit. Hinc est qvod de fratre suo, cognomento patris sui, & de *Cunone* in affinitatem Regiam assumpto, dum nimiam inter eos colloqvii familiaritatem & hoc maxime missarum tempore cerneret, præsago spiritu fertur dixisse: O in qvantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo male parta contubernia resolventur. Eventus rei non multo post dictis fidem fecit.

IX. Prima dispensatio credita est illi adhuc adolescenti in qvibusdam monasteriis, in qvibus degentes cum idoneo Ecclesiæ testimonio partim voluntate, partim vi ad regularem vitam constrinxit, sciens qvod & invitis bona præstantur. Ipsaq; post paululum Deo sacrata loca, annuente Regia liberalitate, privilegiis & immunitatibus pristinis reformavit; nihil sibi suisve exinde beneficii jure reservans, nisi qvantum cœnobiorum patres sponte causa caritatis obtulerant. In his extat *Loresham*, locus Regum munificentia nobilis, adhuc in memoriam tanti viri retinens & prærogativam libertatis & monumenta religionis.

X. Deinde cum de virtute in virtutem giganteis, ut ita dicam, passibus iret, & qvocunq; pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret; orta est subita tempestas dissensionis in Ecclesia, dormiente credo Jhesu in pectoribus vigilum ante fores domus Domni excubantium, ita ut qvidam Satanæ socii, invidiæ spiritu distenti, Imperatorem ipsum, per qvem salus erat in populo, videlicet lumen orbis terræ, conarentur extinguere. Qvare hoc, nisi ut non arguerentur eorum mala opera? Nam teste Evangelica veritate, omnis qvi male agit, odit lucem. Cassato igitur per Dei miserationem hoc per serpentinum sibilum concepto consilio, neqvitiæ suæ virus per totius Regni ejus viscera diffuderunt. Qvod licet ubiqve & legum minaretur silentium, & plebis per cedes & rapinas interitum; nusqvam tamen ferocius qvam in occidentis partibus æstuabat. Ibi Principes vi & rapto assveti, populi rerum novarum cupidi, civilibus omnes cladibus intenti, aliorum ditescere miseriis præoptabant. Tunc sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Pastor *Wicfridus* diu admodum imbecillis, Regiæ tamen Majestati & patriæ satis fidus, fessis tandem relictis terræ artubus, supernis Spiritibus sociatus est.

XI. Plebs autem destituta Pastore, in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita, unicum unice optatum in Domno *Brunone* magnifico viro & probatissimo sibi delegit solatium, secuta magnatum & totius Cleri consilium. Qvi in juvenili corpore moribus maturus, in maximo nobilitatis fastu humilis & mansvetus erat. In sublimitate sapientiæ, qvam percepit, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapére ad sobrietatem animum induxit: In Regali affluentia, parcus sibi, dives amicis fuit. In ea primum electione præter cæteros *Godefridus* floruit *Episcopus*. Sed si qvis alium voto præiret, difficile quispiam expediret. Hoc uno inter spem metumque dubii ferebantur, quod honoris dignitatem & viri gloriam metientes, indignum fore tantæ sublimitati metuebant, quod ei cum tanto ambitu præparabant. Et revera si quis in toto hoc regno locus esset augustior, aut certe clero, populo, Ecclesiis, omnique apparatu elegantior, hic tanti pastoris receptui ab omnibus, qui eum noverant, dignior putaretur. Conspirantibus itaque omnibus & idem in Christo sentientibus cum adhuc inhumatum & ad oculos positum secundum consuetudinem loci corpus bonæ memoriæ decessoris ejus aspicerent; electi sunt à senatu sanctissimo quatuor summi viri & eodem numero laici, omnes adprime eruditi, qui omnia hæc præferrent ad palatium, & patefacta post defletam destitutionem electionis unanimitate, memoratum desolatis flagitarent solatium. Quid multa? complacuit (Deo gratias) Imperatoriæ auctoritati, sic & tempori & loco consulere, ut petitum tanta constantia visitatorem festinanter ad destituti gregis custodiam mitteret.

XII. Missus tandem è castris terreni imperii in cœlestis Regis tabernacula cum spiritalibus nequitiis pugnaturus intravit, artes secum, exercitationesq; virtutum, arma fidei præ se ferens. In illo mox novi ejus comites viderant, & quod blandiebatur & quod terrebat. Affabilem namq; se valde & mitem præbuit, & cum ejus industriam in agendis nihil effugeret, requisivit tamen undecunque sollicitius, quid agendum sibi esset, quibus consuetudinibus inniti debuisset. Erat ei comitate condita gravitas: ita confluenti turbæ modicum hilaris, & per omnia mirabilis apparebat. Ventum est ad sacratissimam sedem huic

pio

pio provisori ab omnipotente Domno ante tempora præparatam, in ipso tempore præsentatam. Factus est concursus ingens populi, infinita trepidatio vulgi; novis gaudiis exultavit civitas. Clerus è monasteriis convenit, sanctimonialium multitudo concurrit, conditio quælibet, & sexus uterque plus solito ad gaudia pervenerunt. Ecclesia læta prolem suam maternis eatenus lactatam uberibus, jam in Christi gratia adultam, in die tantæ solempnitatis ablactavit, & spiritualiter matrem esse constituit, quæ sibi postmodum filiolos, in quibus Christus formaretur, affectu dulcissimo parturiret. Episcopi autem, qui frequentes aderant, & hujus sancti cleri senatus, acclamantibus cunctis in voce exultationis & salutis, Electum à Deo & hominibus virum super cathedram Pontificialem sedere fecerunt; & laudem Deo simul universi clamore, quo quisque poterat, in organis, nihilominus & cymbalis, & quocunque signo læticiæ, personuerunt. Exinde omnis ejus intentio, omne studium sanctæ matri Ecclesiæ aut munimento fuit aut ornamento. Munienda scilicet erat exterius, ornanda interius; munienda in secularibus, ornanda in spiritualibus. Dilexit ante omnia decorem Domus Domni & locum habitationis gloriæ ejus; hoc se ardere desiderio multis modis perspicaciter ostendit, quod hic scripto perstringere necesse non est, quandoquidem quidem illustrium ejus factorum memoria recens est, nec in ejus populo de eo loqui cessabit omnis, qui fidem & veritatem amabit. Quædam tamen de his, ut proposuimus, propter exemplum, & instructionem plurimorum scriptorum, silentio tegenda non sunt. Impossibile namque est, tanti viri gesta per cotidianos virtutum profectus evolvere, dignisque factorum laudibus magna ejus merita congruenter attollere, quæ longe lateque more prudentissimæ apis, ut Christi bonus odor esse posset, benefaciendo & oppressorum inopiam sustentando collegerat. Hoc nimirum aliis ad vitam, aliis ad mortem erat. Nam qui amaritudinis zelo succensi, bonarum artium ignari dissimillima suis factis studia, quæ nec imitare poterant, nec venerari noverant, detrahendo & maledicendo pervertere conabantur, mortem sibi & væ perpetuum comparabant, secundum Prophetæ criminationem dicentis: væ qui dicunt malum bonum & bonum malum; ponentes tenebras lucem, lucem tenebras. Qui vero sequitur me, dicit Domnus, non ambulat in tenebris. Hic profecto ante tempus non judicat, nec quemlibet facile ex sua sententia dampnat. Bonis igitur positum est, pessimis displicere, unde vitam suam non popularium vanitate sermonum, sed conscientiæ veritate metiuntur.

XIII. Antequam in suggestum pontificalem vir iste in lege Domni eruditus ascenderet, seditiosis nostræ Reipublicæ ovibus, quas inflammavit spiritus Satanæ, insurgere in Christum Domni, erat spes quædam *Colonia* potiundi. Ita magnanimum *Regni Lotharici* populum aut pacis sibi fœdere devinciri, aut crebro belli impetu, propter oportunitatem loci terreri posse arbitrabantur. Sed postquam illam hic filius pacis, custos Ecclesiarum Dei pervigil introivit, dici non potest, quanto mœrore sint afflicti, quanta desperatione incepti sui perficiendi, obducti sunt, quicunque erant in hoc regno pacis inimici. Hinc blasphemiæ, maledicta, probra & multimoda impietatis commenta. Sane inimica est iniquitas sibi, ut quia pastorem nec corrumpi nec ullo modo seduci posse sciebant; gregem saltem ab ejus amore, si quis daretur hujusmodi fraudis processus, his mendatiorum ostentis averterent. Docti namque & magni viri invidiam promereri norunt, habere nolunt. Ea tempestate ab Imperatore & exercitu ejus obsessa est *Magontia*, urbs nobilis & opulenta. Erat enim referta hostibus & insidiatoribus regni; & ubi vigere solebat sinceritas religionis, illuc maxima confluxit sentina dissensionis. De Archi-Episcopo loci varius Principum, æque & vulgi, sermo fuit; alii innocentiam ejus in cœlum ferre, virtutes prædicare, ea quæ passim, & in illis præsertim partibus, per civile malum perperam agebantur, ipsi præ omnibus odiosa dicere; quippe partes eum execrari testabantur; idcirco è medio se cedere, minimum curare, cui urbs pateret, cui milites obedirent. Hæc fere illorum erat sententia, qui conjuratione impia fœderati, ejus jugi auxilio & consilio in omnibus se fretos esse jactabant; hoc solo causam suam defendentes, quod nequaquam reproba esse posset, cui talis vir communicare vellet. Alii vero & pene omnes, quorum cordibus divina gratia inspiravit, potestatem à Deo ordinatam venerari, Imperatorem omni devotione sequi, tutorem opum, vindicem scelerum, largitorem honorum: Ipsi etiam, quibus domi sua res familiaris, conjuges & liberi curæ erant, aut pax & salus sua quomodocunque dulcis extiterat; longe aliter hujus viri merita æstimabant. Nos interim hæc Dei judicio relinquamus & à diverticulo ad propositum redeamus.

XIV. Novum itaque Agrippinæ civitatis custodem & designatum antistitem Imperator ad novum invitavit consilium, expertus quid ante hanc injunctam ei curam mente linguaque posset. Ibi varius altrinsecus assentantium favor, & prope cui merito crederetur, incer-

incertum. Audire hoc erat frequentius, etiam ab his, qui in castris regalibus militabant, laudare adversæ partis fortitudinem, præferre in eisdem innocentiam causæ, quod coacti & nimis inviti hunc sibi laborem assumerent; & quandoquidem nec inter hostes quisquam tam demens inventus est, qui majestatem Regiam blasphemaret, in *Heinricum fratrem ejus Bauwariorum Ducem & Marchionem* inclitum, barbaris & omnibus id locorum gentibus, ipsis etiam Græcis, formidabilem, crudelitatis inchoatæ culpam omnem & malitiam retorquebant. Re vera autem quo quis melior & ad conservandam Imperatori & regno ejus fidem promptior erat; hunc magis exosum habebant. In hoc impiè latrocinantis & perjuræ partis odium *Bruno* gloriosus, & populo Dei optatus præsul, semetipsum sponte libensque conjecit; nec duplici corde nec labiis dolosis cuiquam occasionem præbens, aut dissimulare quid vellet, aut simulare quid nollet. Ita neque alium fallere animum induxit, neque ab alio falli ipse consensit. Prius tamen dura temptavit corda rebellium, si quo modo ullis salutiferæ suasionis ejus & doctrinæ possent curari fomentis, ultimam cauterii differens medicinam, donec pia sollicitudine diligentius experiretur, quid sibi hæc infrenis audacia polliceretur.

XV. Erat in ea conjuratione Princeps *Imperatoris filius Liodulfus* unicè clarus & spectabilis adolescens, qui non solum ad conservanda, verum etiam ad exornanda patriæ monimenta victoriæ sufficeret, si seductoribus minime credidisset, & hæres esse, non proditor, voluisset. Sed quia festinans ditari, paterno non meruit obedire consilio, contigit illi secundum veridicam Salomonis sententiam, ut hæreditas, ad quam festinavit in principio, in novissimo benedictione careret. Egregius ergo & plenus consilii futurus, etiam designatus, ut diximus, Sacerdos Domini, dolens de contemptu fratris, de interitu nepotis, eundem accepta fide per obsides in castra belluino animo venientem, eductum, ut fertur, de turba, seorsum ita allocutus est: Nescis juvenum omnium, quos terra tulit, clarissime, quantum tibi tuisque profueris, si ammonitionis meæ verba in pectoris tui secreta demiseris. Tu namque maxima gloriosissimi patris tui & nostra gloria, quid nobis sperandum relinquis, si te ipsum nostris votis ademeris? Non respicis honorandam pii genitoris tui canitiem, quem te contristari, cui te injuriam inferre non expedit? Non recordaris ejus paternam erga te semper à puero pietatem? Deum, mihi crede, offendis, cùm patrem contemnis. Non est quod te excuses. Ad injuriam ejus respicit, quicquid novum contra hoc regnum absque ejus voluntate moliris. Causam tuam tractas cum inimicis tuis, quod etiam decuit cum amicis. Illi enim non te, sed quæ sua sunt, quærunt in te. Salutem tuam parvi pendunt, verbis omnia non rerum veritate metiuntur. Vide, quæso, quo te ducant, ne forte seducant. Qui eras gaudium & corona patris tui, spes & oblectatio totius regni, quomodo conversus es in amaritudinem? Desine tandem esse Absalon, ut possis esse Salomon. Cogita quis te tantum exaltaverit, quis *omnis Regni hujus Principes tibi, Sacramentorum fide firmaverit*. Quare hoc fecisti? Numquid ut ingratus existas? Numquid ut proditor esse discas? Vere insaniunt, qui te sic decipere volunt. Time cotidianos singultus, expavesce frequentes gemitus, horresce lacrymas patris tui. Minus ægre ferret totum sibi ab hostibus præripi regnum, quam te, cui servat regnum. Innocens cor tuum venenosis heu blanditiis seductum est. Paternæ pietatis patet sinus, in quo nullus est dolus. Dolet pius pater filium sibi corruptorum impietate præreptum; gaudebit ad reditum. Si paulo iratior est seductoribus tuis, cito mitescet, cum te suas delitias receperit. Nec scelere, sed errore hoc actum judicabit, cum te sibi restitutum senserit, quem etiam plus quam seipsum amavit.

XVI. Hæc & his similia Domnus Bruno vir bonus, dicendi peritus, de salute pulcherrimi juvenis valde sollicitus perorabat. Ille vero quasi cujus mentem Erynnis ad cœptum nefas instigasset, aurem cordis sui neutiquam passus est hujusmodi monitis admoveri, vix auditu exteriore, ne videretur nimis insolens, propinquavit. Innocens enim ab hujus dissensionis miseria videri, quam esse, honestius duxit. Movit ejus juvenilem animum anxietas, & metus elegantissimorum comitum, qui nisi illius impiæ conjurationis tabe essent infecti, ornatus & jocunditas esse possent imperatoriæ dignitati. Tunc utique tam desiderabilem, tam manu fortem, tam egregiam ejus prolem deceret hoc agmine stipari, de hac delecta juvenum excellentia gloriari. Erat præ omnibus in ejus animo quasi quidam stimulus, *dux* paulo ante fortissimus, tunc autem prædo audacissimus *Cuno*, etiam parta, ut ipsi jactabant, divitiarum & regni gloria; sed revera labor sterilis pro tranquillitate, sollicitudo semper anxia pro securitate. Nam is, cui, ut ita dicam, omnia erant in manibus, agendo, ut plus haberet, ut nihil haberet, omnimodis effecerunt. Interea tamen modis omnibus, nec dolis minus, quam viribus certare, neque dies neque noctes requiescere, adversarios inter se suspectos facere, nihil intemptatum relinquere, neque quicquam pensi habere, dummodo id efficerent, ut maximis intra regnum urbibus, & his opulentissimis, quocunque ingenio potiren-

potirentur, etiam cunctis regni finibus facile se imperaturos arbitrantes. Ac ne quid penitus sine fraude fieret cum *Arnoldo* strenuo imprimis viro, cui *summa rerum* * per idem tempus *in Bauwariorum terra* commissa fuit, secretiùs pollicitationibus infinitis, commemorando insuper odium vetus, egerunt, ut se primum, deinde urbem præclaram **, postremo totum illud regnum *Henrico Duci* perjurus abdicaret: tantum sibi roboris inter eos invidia & odium vendicavit. Simul *Ungros*, antiquam pestem patriæ, sollicitabant, ut Regnum in se ipsum divisum invaderent, arbitrantes hoc modo sibi sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi aut aliquatenus minui posse.

XVII. Hac de re, utputà tam subita & improvisa, commotus Imperator, & magis illorum miseriæ, quam suo dampno dolens, obsidionem *Magontiæ*, accepto tandem, quod petebatur pacto, dimisit; è castris Orientem versus, cum his, quos fidos habuit, consultum partibus illis festine proficisci disposuit, fratrem suum *Brunonem* occidenti tutorem & provisorem, &, ut ita dicam, *Archiducem* in tam periculoso tempore misit, cui talia mandata dedit: Unum nos semper idemque sensisse, nec unquam vota nostra in quocunque negotio discrepasse, dici non potest, frater dilectissime, quantum delector: & hoc est, quod in acerbis meis me maxime consolatur, cum video per Dei omnipotentis gratiam nostro Imperio Regale sacerdotium accessisse. In te namque & sacerdotalis religio & regia pollet fortitudo, ut & scias sua cuique tribuere, quod est justitiæ; & possis adversariorum sive terrori, sive fraudi resistere, quod est fortitudinis & justitiæ *** Nec abesse tibi jam dudum perpendi ipsam ingenuarum artium matrem & veræ virtutem philosophiæ, quæ te ad hanc modestiam magnitudinemque animi erudivit. Scio itaque frater mi, scio, quod nemo prudentiæ tuæ persuadebit, id tua non interesse, quantum perversi de bonorum pernitie glorientur. Quacunque id, quod intenderint, honestate verborum velent; dicent fortasse bellis hæc sedanda esse, quæ ad te non pertineant, quæ tui ministerii dignitatem non deceant. Hujusmodi fraudulenta verborum jactantia, istius Metropolis Præsul, vides, quantos seduxit, quantos ad civilis cladis rabiem illexit, qui si subducere se vellet à dissensione, quemadmodum fingit, & bellorum periculo, ut religioso degere posset in otio, nobis profecto & nostræ Reipublicæ melius id, quod ei regali munificentia contulimus, reddidisset, quam hostibus. Hostes dico, ut fere omnes sentiunt, nefarios civium prædones, patriæ proditores, regni vastatores, militiæ desertores, qui me ipsum utique sacrilega audacia suis, credo, manibus necatum, aut quovis quam acerbissimo mortis genere perisse vellent; cui filium sustulerunt, fratrem regno, liberis, ipsaque dulci *conjuge*, vita denique ipsa privare contendunt. Tu solus mihi demum es solidum, fidum, firmumque solatium, qui tantum ab ineunte ætate in bonis actibus profecisti, ut benefacere summaque diligentia omnia circumspicere tibi tam ex consuetudine in naturam venerit. Te plane sospite, si jucunde & ex integro fruitus fuero, ut mens mea semper flagitat, desiderium postulat, animus implorat; tum dignitas, tum gloria, tum decus aderit. Præsidii satis habundeque nobis est, ne **** nobis nos desimus. Hoc vero summopere curandum est. Tu mihi, tu, inquam, testis, quanta cura, quantaque benevolentia foverem, tuerer, amplecterer hos, quos modo tam crudeles patior, quibus tamen adhuc quam libentissime mederi vellem, si sibi ipsi parcere vellent. Aliquanta importunitate præcipites perire festinant, secumque prolem meam innocenter educatam in omnia scelera versant. Ita in potestatibus temperare illis adeo difficile est, qui per ambitionem probos se non esse, sed videri præoptant. Nosti, dilectissime, quod quidem cum dolore recolo, eos mihi frequenter duriores & magis infidos fuisse, quos amplius fovi, quos in multis necessitudinibus fœderatissimos amavi, quos deniq; mihi conjunctissimos æstimavi. Grave hoc perpessu fuit: duplex miseria. Quod autem me urget, mala superiora omnia præponderat, cum ille, quem genui, præreptus mihi, paternæ pietati didicit insidiari. Enitere igitur, vir Deo dedite, non quomodo ***** primum, sed modo potissimum enitere, quæso, consilio illo tuo, quo calles plurimum, ut pro loco & tempore, aut arma desuadeas, aut quoquo pacto compescas. Absens tibi corpore, ubicunque ero gaudeam tibi, gratuler providentiæ, & moderationi tuæ. Id mihi reputare libet, quod feceris, id itidem libeat tibi, quod fecero. Opto, & cumulate desidero, ut ea nobis sit votorum & oblectamenti summa, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus provideri bona alterutrum ea quæ sunt, & si fieri potest, cum omnibus habere pacem. Deinde, postquam ruerunt in oscula non sine lacrymis ab invicem digredientes, Imperator Orientem, frater ejus Occidentem petivit.

XVIII. Mox-

* An Palatinus Comes Bavariæ fuit, atque ita proximus à Duce?

** Ratisbonensem.

*** Surius etiam *justitiæ* habet, sed putat legendum: *prudentiæ*; ego malim *constantiæ*.

**** Forte: *ni*.

***** Fortè: non à modo primum.

XVIII. Moxque ad *Aquisgrani Pallatii* properavit; ibi Principes Regni, quorum id intererat, convenit, eos variis multisque modis instruxit, atque hoc cum eis potissimum egit, ne seductoribus aut vanis eorum promissis crederent, ne minas timerent, regiæ majestati & suæ ipsorum fidei pollicitationes nullas præponerent; spondens se ante tempus & in tempore semper paraturum fore, ut pacem Ecclesiæ violatam, si sic necesse esset, vitæ etiam suæ periculo reformaret. Hoc facto Coloniam lætus adiit: expectabatur ordinationis tempus, & unctionis læticia salutaris. Hoc facto innovatum est gaudium plebis, & refulxit in conspectu omnium, qui convenerant, ornatus, stola jucunditatis, Sacerdos Domni Salvatoris. Postea nardus pretiosa dedit odorem suum in medio Ecclesiæ, aperuit os suum, audiebatur secundum legale institutum sonitus intrantis in domum Domni Dei: exemplum & documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quid autem fecerit, quomodo docuerit, qualiter pro pace Ecclesiarum Dei se ipsum impenderit, actu est mirabile, dictu difficile. Tantum enim superiorum insignia hujus cotidiana opera præcedebant, ut totum, quod in Ecclesiis sive ampliandis, sive restaurandis, quod in reliquiis & corporibus sanctorum in suam parrochiam transferendis, quod in privatis vel publicis ædificiis componendis, quod in ordinandis domibus familiæque sanctæ Dei Ecclesiæ rebus fecerit, ad aliorum opera pene incomparabile videretur. Nam sicut superos docentes se intellexit, ita cordis sui aciem, ingenii acumen, animi vigorem ad majora sapientiæ & virtutis opera direxit.

XIX. De religione primo & cultu Dei, quod Græci Theosebiam dicunt, secundum datam sibi sapientiam canonicam & apostolicam auctoritatem secutus instituit, ut multitudinis quæ in diversis congregationibus ad ejus honorabilem sedem pertinentibus erat, unum cor esset & una anima; ut vestium superfluitas, morum inæqualitas, & quicquid hoc modo effœminatum & indecens in ejus Ecclesia videretur, vera & spirituali circumcisione, quod est initium sapientiæ, diligentissime abscideretur: ut divinis ministeriis omnes, quorum id intererat, diligentissime secundum præfixam sibi regulam viverent, nec aliam sibi suæ salutis causam ullatenus æstimarent. Hæc & his similia cum venerandis patribus & Cleri sui senioribus frequens egit, eosque in custodia Dominici gregis secum pariter invigilare sollicitus admonuit: & quia culpa temporum urguebatur, ut rarius hæc cum illis ageret, quam volebat; sollicitius absens non minus quam præsens, spiritu fruens, Domino serviens, æstuabat. Erant ei foras pugnæ, intus timores. Pugnabat contra luporum, Ecclesiam Dei devastare cupientium, rabiem: timebat Domini ovium simplicitati, sicut Apostolus: timeo, inquit, ne serpens, sicut Evam seduxit astutia sua, ita sensus vestri corrumpantur à simplicitate, quæ est in Christo Jhesu. Ita exercitato pectore, contra adversa omnia robustissimus erat, in prosperis quoque talis animus minime vacillabat, rebus æque & crebris exercitationibus docens omnes sibi subditos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Visus est singulari mentis suæ agilitate pene excessisse generale illud, quod dicitur: Mentem, cum dividitur ad multa, fieri minorem ad singula.

XX. Cogente igitur Imperiali autoritate suscepit, ut jam dictum est, tractare negotia Regni apud *Lotharios*, & cum unicuique de principibus & magistratibus suum partiretur onus, unicuique sibi congruum imperaret opus; nihil tamen erat, quod non ipse obiret. Hoc maxima consilii vivacitate providens, quod omnibus expediret. Causantur forte aliqui divinæ dispensationis ignari, quare Episcopus rem populi & præclara belli tractaverit, cum animarum tantummodo curam susceperit. Quibus res ipsa facile, si quid sanum sapiunt, satisfacit, cum tantum & tam insuetum illis præsertim partibus pacis bonum per hunc tutorem & doctorem fidelis populi longe lateque propagatum aspiciunt, ne pro hac re quasi in tenebras amplius, ubi non est præsentia lucis, offendant. Nec vero nova fuit hujusmodi gubernatio, aut sanctæ Dei Ecclesiæ Rectoribus antea inusitata, cujus exempla, si quis requisierit, in promptu sunt. Nos vero ad alia festinantes, quid quisque de pio hoc viro loquatur, suo ipsius judicio relinquimus; scientes, sani capitis esse neminem, qui bonum evidentissimum ullo maledicti opprobrio fuscare nitatur. Honestum enim & utile nostræ Reipubl. fuit omne, quod fecit; factis vero suis hunc finem nequaquam constituit, ut non nisi per hominum ora, favorem captando, volarent, sed ita vixit, ita opera sua coram hominibus temperavit, ut pessimis horrori, bonis esset honori. His aperte cunctis innotuit, quod in Episcopatu bonum opus desideravit, in quo nec ab invidis & æmulis suis facile potuit reprehendi, nisi hoc ipsum in laude ejus magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac igitur mirifica operatione detentus, pervigil summi patris familias operator, & summus præsul, lucernam ardentem, boni videlicet operis exemplar, in manibus ferens, ad ea, quæ Dei sunt, alios volentes duxit, alios nolentes traxit.

XXI. Sed inter hæc, humani generis antiqua pestis non cessavit invidiæ suæ virus per opera

pera pii doctoris, jam in bona ſpe germinantia, longe lateque diſpergere. Nam cum primum *Regni Lotharici* populus multimoda magni hujus viri exercitatione vix tandem inductus, blandimenta pacis valde ſibi inſueta temptaret, & his qui ſola civili diſſenſione tutum ſibi aliquid pollicebantur, aſſenſum in ſui pernitiem ex parte plurima præbere reſpueret; ſæva *Ungrorum* gens, & qualem nunquam terra noſtra ſenſit barbariem, à perverſis illecta civibus, tranſitis Germaniæ plerisque provinciis, *Galliæ, cui jam olim nobilis Francorum populus inſedit*, omnia ferro & ignibus vaſtatura ſe totam infudit. In hac acie *Cuno*, qui prius *Dux* erat egregius, cum ſuis ſequacibus militavit; utrum ad hoc, ut odio ſuo, quod in virum Dei *Brunonem*, bonis certe manſuetiſſimum, conceperat, hac fœda crudelitate ſatisfaceret; an, ut quibus poſſet, in tanto periculo ſubveniret, incertum: ſed illud prius latius opinione diſſeminatum eſt. Nam & ante contra eum dura quæque fraudulenter, quia vires deficiebant, temptavit, ita ut *Metim*, urbem opulentisſimam dolo invaderet, ipſi Coloniæ & cæteris Regni munitionibus ſuſpectum ſe faceret, probra jactaret, minas effunderet. Et poſtea aliquantulum temporis in hac eadem, quæ dudum erat, immanitate permanſit. Nihil reliquit intemptatum, quo fœdus in populo noſtro per ſapientiam Doctoris ſui pactum diſſolvere ſe poſſe putaret. Homo namque erat paulo ante ſumma potentia, ſummaque fortuna, ſed ignarus quomodo ſecundis rebus uti conveniret. Has quoniam, poſtquam abuſus eſt, perdidit, in bonos ultra modum impatiens ſæviit: ſed à nefariis ſuis conatibus ſemper ita Deo diſpenſante repulſus eſt, ut hoc eum non leviter pœniteret, quod magnum facinus tanta levitate aggreſſus eſt.

XXII. Pepercit autem in omnibus ſacerdoti ſuo & pio proviſori populi ſui miſericors & miſerator Domnus, & ita omnia ordinavit, ut abſque bello & humana pernicie maxima ſemper pericula ſedarentur. Inter quæ frequenter ipſe interritus aut ſecum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus, quaſi curarum inſtantium neſcius, diſputavit. Hoc apud *Treverim*, hoc in *Aliſatio*, gentibus & populis innotuit, quanta conſtantia & ſecuritate animi ſui inconſtantes & temerarios adverſariorum motus redarguit, cum eos, qui in alienis ſe fortisſimos jactabant, in propriis tam imbecilles eſſe monſtrabat. Et revera quos nulla unquam acies, nulla inflexit aſperitas, hos hujus viri pietas imbelles & timidos faciebat. Conſilio namque & bonorum hominum multitudine non ſævitia timidus * fuit, & quod nemo hoſtium tam acriter vigilabat ad pernitiem, quam ipſe ad ſalutem. Fama autem & multitudinis judicio minimum motus eſt; ſuo ſibi judicio uſus eſt, & in quo recta probavit, non ut ſibi, ſed Deo placeret, optavit. Itaque ut paucis multa comprehendam, plura omittam: Intus & foris, domi, militiæque indefeſſus *Domni* præliator, animi plus quam corporis viribus tam diu contra peſtilentes & inquietos cumq; vitæ etiam ſuæ periculo decertavit, ut nominis quoque ejus fama, quouſque pervenit, bella ſedaret, pacem formaret, ſtudium in omnibus bonis artibus firmaret, ſanctæ religionis & ſalutiferæ quietis gratiam ampliaret.

XXIII. Qvum igitur humilis iſte phylo-Chriſtus & meliorum ardens æmulator cariſmatum, Servus *Domni Bruno* ſecundum dignitatem ſedis ſuæ, Romanæ quoque ſedis & Apoſtolicæ benedictionis privilegio debuit inſigniri, & cum eis pariter, qui traditam à beato Petro Apoſtolo ſanam ſervare doctrinam, Catholicæ fidei integritate in vera confesſione & inviolabili veritate prædicationis uniri: ſynodicam ſuam Epiſtolam, per *Hadamarum*, venerabilem *monaſterii Fuldenſis Abbatem*, Romam ad *Agapitum*, miræ ſanctitatis *Papam* direxit; in qua cujus ſpiritus eſſet, & quia paſtor à Domno miſſus eſſet, innotuit. Appellatusque eſt ibi concors & concivis Apoſtolorum, Princeps, ac propagator Domni præceptorum. Legatus inde cum magna mentis alacritate reverſus pio paſtori, cui antehac, gratiâ Dei, collatum eſt ſecundum Prophetam, oleum gaudii pro luctu, tunc attulit *pallium* laudis pro ſpiritu mœroris. Spiritus namque Dei cordato homini & ſacræ menti, hujus magnificæ virtuti magis, quam his, quæ viſibiliter gerebantur intento, divinitus inſpiravit, ut erigeret cor ſuum in ſpem per gaudium ſpirituale, ne triſtaretur in eo, quem ſenſit imminere laborem. Cor enim, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus. Sapientiæ hæc verba ſunt. Legatus ergo, ut loqui cœpimus, Roma rediens bonum nuntium Coloniam ferre acceleravit, portans ſacrum habitum ab univerſali Pontifice miſſum, prætendentem jugum Domni ſuave & onus ejus leve, & ipſum, quod ſub eo diſpenſatur, humile miniſterium, quod verba Domni teſtantur, dicentis: qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter: ferens ſimul reliquias de proprio corpore ſancti *Panthaleonis* martyris & privilegium apoſtolicæ ſublimitatis auctoritate traditum; quo & eodem pallio præter conſuetudinem Sacerdos Domni, quoties vellet, indui permiſſus, ut conceſſis omnibus, quæ petebantur ipſe præ magnitudine virtutis & ſapientiæ in participatum ejus operis, & prope in conſeſſum tantæ

* Fortè: *timendus*.

dignitatis admissus est. Properavit in occursum ejus læta civitas, undique jubilans multitudo accurrit, convenerunt *in suburbio prope antiquum locum, ubi Ecclesia ejusdem pretiosi martyris erat*, inculta adhuc, & ruinæ proxima. Ibi deposita sunt grata onera, deinde suo quæque loco reposita.

XXIIII. Monet me hic aliquantulum immorari festivus ille, & qui postea in brevi, proh dolor! factus est funerosus ejusdem loci occursus. Ibi venerabilis iste amictus primo, ibi postremo; semel læto, semel lugubri carmine susceptus est. Corpus enim religiosi & Deo digni sacerdotis ibidem sepeliendum officii sui insignia non amisit, quæ tamen spiritualiter & in Deo feliciter, ut credimus, anima secum vexit. Archano itaque Dei omnipotentis consilio provisum est, ut idem locus ad declaranda sancti sui martyris merita, prima hac occasione, illustraretur & talis fieret, ubi vir iste Domni pacificus & mirabiliter humilis potissimum eligeret, sub ejusdem pii Martyris patrocinio, tremendi judicii diem & futuræ resurrectionis gloriam, exanimis præstolari. Non multo post ibidem, utputa in loco secretiori, & ab urbanæ inquietudinis molestia remotiori fratres in laude divina pervigiles & sollicitos sub monasticæ regula disciplinæ Domno servire instituit; quibus Abbatem præposuit nomine *Christianum*, suæ videlicet professionis *foronomum*, & in lege Domni, sicut hunc decuit, ordinem, adprime eruditum. Cui ordinato hoc breve admonitorium de occidentis partibus scripsit: Ut sis, quod vocaris, cura gentilitati ne degeneres. Id serio triumpha, ut non, sicut prius antiquetur, sed, de virtute in virtutem ut eatur, nava.

XXV. Nunquam ita civilium negotiorum occupatione detentus est, ad quam eum non sua libido, sed populi necessitudo attraxit, ut animo illo ad omnia vivacissimo non vigeret intentus religioni præcipue & lectioni, in cujus studio mori videbatur. Ad id agendum exemplo suo & crebro monitu accendit omnes pene, quos præ oculis habuit. His vero, qui hæc ita non amabant, vehementer indoluit, eosque licet alias familiares essent, à secreto tamen & amico mœroris loco, ubi se sibi licentius, & ideo diligentius solebat explicare, removit. Pectus cordati viri pertæsum fuit regifici luxus & consuetæ hoc præsertim tempore potentibus jocorum & voluptatum illecebræ. Unde si quando suis coactus quodammodo reddidit, quod non debuit, excessum hunc modicum fletu largiore detrusit. Vitam præsentem & dulcem metuit, & amaram expertus est. De vita vero omnis sollicitudinis & languoris ignara, haud dubium, quin ante omnia plurimum cogitaverit, quid de ea tam luculenter multoties & cum familiaribus & coram plebe sibi commissa disseruit. Juvenis ut erat omnique pompa circumfluus, audeo dicere, dissolvi vellet, tantum ut cum Christo esset. Hinc lacrymæ assiduæ & suspiria ferme continua, furtivæ orationes & singultus in ipso etiam lecto clarius perstrepentes, ut testantur, quos id minus celare poterat, etiam dum latere volebat. Quotiens diem mortis posuit ante conspectum cordis? quotiens adhoc vocis quoque officio prorupit? quid corde molitus est? quotiens *audivimus* eum vehementi gemitu præoptasse id, quod futurum, non tamen sine gravi trepidatione speravit, ut æstuosum mundi hujus naufragium in Dei sola misericordia tutus evasisset, & in littore tandem securitatis intimæ constitisset? Elapsurus quodammodo putabatur, ut quasi mortem auffugeret totum, quod ei in hujus mundi deliciis blandiebatur. Testes supersunt conversationis ejus quam plurimi; quotiens eum in secreto, corde contrito & spiritu humiliato, persenserant, mirari plus poterant, quam imitari. Nam ille popularis plerumque, quasi solitarius, vixit. Mirum dictu inter convivas lætissimos lætior ipse frequentior abstinuit. Molles & delicatas vestes, in quibus nutritus & ad hominem usque perductus est, etiam in domibus Regum multoties declinavit. Inter purpuratos ministros & milites suos auroque nitidos vilem ipse tunicam & rusticanas ovium pelles induxit. Lectuli delicias vehementer aspernatus est. In balneis cum lavantibus cutisque nitorem quærentibus, vix aliquando lotus est. Ex eo magis mirum est, quia ab ipsis cunabulis ejusmodi munditiis & pompa regia educatus est. Hæc autem pro tempore & loco, modo palam, modo secretius, egit, ut & laudem humanam subterfugeret, & tamen subditis exemplum hoc agendo præberet. Multi enim verbis, plus exemplis proficiunt plerique. Apud mites & humiles nemo humilior, contra improbos & elatos nemo vehementior fuit. Hunc terrorem, qui beneficio obligari non potuit, indigena æque & alienigena formidavit, & recto convenientissimoque ordine omnis, ad quem magnitudinis ejus fama pervenit, primum eum timere, postea consuevit amare.

XXVI. Sanctorum corpora atque reliquias, & quælibet monimenta, ut suis patrocinia cumularet & per multos populos ultra citraque hac celebritate gloriam Domni propagaret, undecunque collegit. His loca & ministeria omni sumptu & apparatu copiosius præparavit. De quibus singulis plura essent dicenda, si paterentur promissa compendia.

Indi-

Indicia sunt hæc invictæ fidei, quæ non ea quæ sua, sed quæ sunt Jhesu Christi quæsivit. *Baculum* & *cathenam sancti Petri* qua diligentia, quo fervore, quo gaudio *Coloniam*, alterum *Metti*, alteram *Roma* adduxerit, omnes noverunt, in cujus honore domum ejus honoratissimam mirabiliter ampliatam, quam de pulchra pulcherrimam fecit. Inclitos & præcellentis famæ Martyres *Patroclum*, *Elifium*, *Privatum* & *Gregorium*, quorum gesta sunt permagnifica, merita gloriosa, patrocinia tuta; *Christophori*, sanctique *Panthaleonis*, ut jam dictum est, pretiosas reliquias, quibus se patronis specialius delegavit, utputa gemmmas gratissimas & dulcissima pignora ad sanctissimam suæ Ecclesiæ sedem miro ambitu variis de locis adtraxit. De translatione beati *Evergisili tertii ejusdem sedis Archiepiscopi* quid factum sit hujus pii provisoris dispensatione, * plurimis notum est: qvem in Ecclesia beatæ Ceciliæ virginis cum hymnis & divinæ laudis celebratione repositum plebs religiosa ita veneratur & colit, ut præsentem crederes benificiis largioribus cotidiana obsequia mutuari.

XXVII. Cætera quæ tam brevi tempore suæ Ecclesiæ filiis oblectamenta contulit, & dona salutis, pensari nequeunt, æstimari non possunt, quæ ex omnibus pene mundi plagis & terminis religioso affectu & animo congregavit, quasi conjiciens quid futurum erat, ut pro brevitate dierum suorum gregi sibi commisso dona perennia confirmaret. Quo tamen studio id curavit potissimum, ut & illis, unde abducta sunt, desiderium, & his, qvo adducta sunt, amplificaretur gaudium, quatenus utrique bono odore Christi, qui est in Martyribus, immo quod ipsi sunt, licet diversis affectibus provocati, & illi vivacius appeterent, quod negligebant: & isti perpetuo venerarentur, quod ad se translatum esse gaudebant. Nam qui nescit bonum amare, quod habet; si ablatum ab illo fuerit, discet fortasse bonum amare, quod caret; & habebit illud, dum aberit, fructuosius in memoria, quod sibi inutiliter habuit in præsentia. Impletum est hoc modo Evangelicum illud elogium, qvod dicitur omni habenti dabitur & habundabit; ei autem, qui non habet, & quod habet, aufferetur ab eo.

XXVIII. Interea certatim multis in locis per parrochias Episcopii sui, fidelis hic Domni servus & prudens Ecclesias, monasteria & cætera ædificia servitio Domni Dei sui & honori sanctorum ejus apta, quædam à fundamentis erexit, quædam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit. In his singulis, qui Deo omnipotenti sub regula vitæ canonicæ deservirent, provida ingenii sui arte disposuit, ac ne quid eis pro modo conversationis suæ deesset liberaliter disponendo providit. Cujus operis & saluberrimi studii monimenta perhennius in his ubi acta sunt locis firmata perdurant, ita ut in laudem & gloriam Jhesu Christi memoriam tanti viri nulla ætate obscuratum iri in perpetuum patiantur. Idem ad exteras nationes transfudit, & in regno suæ providentiæ delegato partim exemplo, partim opere proprio, partim varia personarum qualitate & crebra ammonitione diffudit. Non enim passus est suorum quemlibet aut incassum occupari, aut otio torpere inerti, diffiniens, ut solebat loqvi, ignavum pecus arcendum à præsepibus; & secundum Apostolum: ut qui non laborat nec manducet. Non possunt singillatim perscribi bona omnia quæ fecit, quæ docuit, quæ amavit. Tantum semper materiei supererit id curantibus, ut ipsi profecto ante lassi cessaverint, quam id quod moliuntur, expleverint. Iam vero in prædicatione verbi Dei & in subtilitate disputationum & de sinceritate scripturarum, qualis quantusque fuerit, admirari possumus, diffinire non possumus, quæ tam copiose sanis sermonibus Domni nostri Jhesu Christi, & ea, qvæ secundum pietatem est doctrina, profudit, ut plenum eum esse sapientia Dei, per quam omnia facta sunt, nemo hoc audiens & recte intelligens, dubitaverit. Et ut nihil, quod divini cultus usui competeret, sagax eorum qvæ sunt Jhesu Christi scrutator, intemptatum relinqueret, si quos aut in suorum ovilium septis aut extra repperit, qui singulari acie contra diabolum dimicaturi, solitariam vitam appeterent hos cum omni veneratione susceptos, suæ qvoqve exortationis caritativa consolatione munitos, per diversas monasteriorum & Ecclesiarum cellulas cum idoneo Ecclesiæ testimonio & religioso, ut decebat, officio alibi singulos, alibi binos inclusit; *quibus tamen ad invicem, nisi sermone tantum & aspectu nullus pateret accessus*. His sumptus & quæcunque humanæ fragilitati necessaria videbantur per fidelissimos suæ administrationis vicarios sollicite ministravit, & præcipue per Apostolorum festa, qvotqvot in anno occurrerant, singillatim eos donis congruentibus visitavit. Ita secundum apostolicæ normam doctri-

(*) Quæ post verbum *dispensatione*, in Capite hoc sequuntur, non extant in Surii editione; habentur autem eorum loco sequentia: *hujus pii provisoris dispensatione silentio non duximus supprimendum. centesimo octogesimo*, & cætera, qvæ de *translatione S. Evergisli* longo ordine sequuntur. Cum autem appareat clarè, illa non ab autore vitæ S. Brunonis scripta, sed separatum a vita S. Brunonis opus esse; ideo rejecimus post ea, quæ de Brunone in MSto invenimus.

doctrinæ bona provide curavit, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ut cujuscunque affectus sive conditionis homines, si Deum quærerent, inter ejus discipulos aut probari posset aut erudiri.

XXIX. De *ancillis Dei* qvæ in *monasterio sanctæ Mariæ* divinæ religioni fuerant deditæ, deque *Canonicis ad sancti Andreæ Apostoli* Ecclesiam translatis, & si quæ erant hujusmodi scrupulum quidem relinquunt non modicum. Sed his, quibus mentis acies ita non viget, ut sinceram ejus intentionem in diversis operibus valeant perspicaciter intueri; qui utique si adverterent, non homines propter locum, sed locum à Deo eligi propter homines, & quia obedientia Deo placet super sacrificium; scirent fortasse oves vocem pastoris audire debere & magis id ratum acceptumque Deo fore quod per obedientiam quam quod per propriam voluntatem seqvuntur. Ubi autem zelus & contentio, ait Iacobus Apostolus, ibi inconstantia & omne opus pravum. Similiter in eo quod nefarios quosdam patriæ civiumque prædones de regno, ubi quieti & pacifici esse noluerunt, quasi pestem bonorum expulit & exulari coegit, ipsis licet nescientibus profecto consuluit. Quo enim diuturnior nequam, eo graviorem & prolixiorem sibi comparabat poenam. Quando autem boni quiescerent, si malorum furori nemo resisteret? Nimirum pepercit Deus illis, quibus hoc magna sua patientia & bonitate permisit, ut de pace & statu patriæ suæ absentes audirent, quæ præsentes nunquam videre vellent; felices, si bona sua saltem in peregrinatione cognoverint & patriam cupierint, de qua expelli non possint: ubi beati omnes pacifici, quoniam filii Dei sunt vocati. Talis itaque per Dei omnipotentis gratiam vir iste fuit, ut nec odio nec invidia ad persequendum eos, qui tales erant, ullo modo excitaretur; nec à miserendo & parcendo miseris duritia aut crudelitate aliqua restringeretur, sed ut pastor sollicitus & vere Dux populi Dei salutem omnium & utilitatem in omni quæsivit negotio; & quos ipse in via Dei duxit & docuit, ne à perversis seducerentur, & in errorem mitterentur, strenue decertavit. Tantum autem aberat à sævitia, ut pro his etiam, quibus amarum aliquid pro qualitate factorum necessario inferebat, ipse frequenter amarè fleret; ita gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus consuevit. Nam & qui hoc dixit, quendam satanæ in interitum carnis tradere jussit, ut spiritus in die Domni salvus esse possit.

XXX. Igitur cum jam prope esset summa dies & ineluctabile tempus, quo Deus omnipotens propitius terræ populi sui ultus sanguinem servorum suorum vindictam retribueret in hostes eorum: aggravata est ultra modum & omnino intolerabiter superbia ferocissima gentis *Ungrorum*, seducta, credo, *superioris anni successu*. Siquidem, ut veracissime dictum est: ante ruinam exaltatur cor: ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Prævenit hanc pressuram imminentem Ecclesiæ *pax in palatio regali*, quod in *Arnestad* habitum fuit, ex integro condita, & ex magna jam parte per Imperatoris nostri fratrumque ejus sapientiam confirmata. Erevera tribubus & linguis innotuit quia Deus dissensionis non est, sed pacis: tantam hujus initio operatus est salutem populo suo. Imprimis quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei tempus exercitum congregandi, sed fiduciam habuit per Christum ad Deum, qui potens est salvare in paucis, sicut in multis. Aderat ibi *Cuno*, non jam *Dux*, sed miles, toto, ut putabatur, animo *conversus ad pacem*, quam paulo ante atrociter impugnabat, cilitio membra domans, Deum gemitibus, ut fertur, exorans, ut si sic ejus sancta voluntas existeret, permissa Regi nostro & exercitui ejus victoria, eum ab impiis, quibus se prius male conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit jejunium, ipsaque tunc erat in vigilia sancti Laurentii martyris, per cujus interventum sibi populoque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum suscepti operis negat expedire bellum, *primo* sanctæ festivitatis *diluculo* susceptum, *vix dum vespertino crepusculo* Deo misericorditer dispensante, & pro suis pugnante satis feliciter *peractum*, miserendum post victoriam *Cunonis* interitum, gloriosissimum Imperatoris triumphum, *Regem ipsum Barbarorum*, Duces & principes captivos, trophæa per totam regni ipsius latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima: quæ omnia proprii industriam operis ad gloriam & laudem Dei omnipotentis expectant.

XXXI. Nos ut à quo paululum deflexímus, ad propositum redeamus, quid interea pius Archiepiscopus, *Bruno* totius semper perosus malitiæ, & indefatigatus justitiæ executor fecerit, disseramus. Cum videret se ad præstitutum diem seniori & fratri suo magno Imperatori cum auxiliaribus copiis non posse occurrere; simulque esset sollicitus, ne barbari bellum vitantes in *Galliam suo juri commissam provinciam* declinarent, arbitratus sic se regno consulere votisque Imperatoris sic amplius deservire *Luidolfum prolem Regiam*, nepotem suum convenit ægrum, ejus animum blanditiis melle dulcioribus delinivit, statum pristinum, si quæ sua erant, accuratius vel-

vellet attendere, repromisit. Aquo postquam medicinalia sermonum & exortationum suarum antidota, non ut prius obliquis ambagibus declinari, sed solito avidius prægustari & ad interiora pectoris recipi sensit; eum mox in Episcopii sui locum venerabilem, *Bonnam* videlicet, jucunde satis invitavit; jucundius suscepit, omni voluntate utrisque digna & commoda, cunctisque, qui aderant, gratissima, non immemor Regiæ dignitatis, affecit. Qui dum adhuc simul essent, de his quæ in expeditione bellica, immo divina virtute facta sunt, nuntios acceperunt. Institit nepotem patruus amplius consolari. Factum est in brevi instinctu hujus consiliarii, ut *filio* suo, qui perierat, & inventus est, Imperator *totam Italiam delegaret*, & quod majus fuit, paternam firmissime pietatem impenderet. Ubi dum maxime placuit populo, vitamque affectavit olympo, repente flos ille integerrimus & robur Regni tutissimum è medio excessit.

XXXII. Pater autem ejus Imperator, ac semper magnificus triumphator, post luctum consolatione recepta cum fratre suo veterem necessitudinem nova consuetudine vinxit; *Coloniam* venit, ibi non tam se fraternis deliciis, quam mutuis cum illo aspectibus, affatibus, & cunctis omnino jucundissimis usibus oblectavit; nec defuit ibidem severa in improbos & importunos cives Regni censura judicii; blanda item in bonos & mites piæ dominationis liberalitas. De statu Regni rebusque ejus tutandis & dilatandis sedulo & strennue in commune consultum, ut de sanciendis quibuslibet aliis resecandis cautissime ageretur, summo consilio provisum est. Quæsivit interea summa diligentia pius pastor *Bruno*, pietatis assertor, Evangelii propagator navos & industrios viros, qui rem publicam suo quisque loco fide & viribus tuerentur. His ut neque consilium neque copiæ deessent, sedulo curavit. Quotquot etiam de principibus & regionariis prioribus, cæterisque, quorum dispositio regni intererat, saluberrimis suis admonitionibus ad communis bonorum omnium utilitatis fœdus fide plena consenserant; hos ipse inter summos & familiares habebat, iisdem Imperatorem Germanum suum adprimè conciliabat; pensans, non temere à quodam sapiente dictum; bonus ubi negligas, segnior, aut malus fit improbior. *Archiepiscopum Treveris Heinricum* magni meriti & summæ probitatis virum, qui *Rutberto* magnifico *Præsuli Coloniæ* in gravi pestilentia, cum & Imperator ibidem esset, defuncto, successit, *Wilhelmum* qvoqve præcluis & gratissimæ excellentiæ Archimandritam *nepotem suum, Fritberici Mogontiani Antistitis* successorem, ambos egregios, ambos in divina lege perfecte instructos, Imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrumque familiaritate conjunctissimos, ipse quoque summa veneratione colebat. Hos igitur tales tam illustres, tam certe sapientes & religiosos, in omnibus bonis artibus eruditos viros, ad consilium, ne forte ipse per se, ut sunt humana, à tramite veritatis uspiam exorbitaret, frequenter adhibuit; hos cum ipso simul non solum in lectione, consilio & disputatione, sed etiam in acie vidimus, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

XXXIII. Erat namque in occidentalibus Regni Lotharici finibus, velut indomita barbaries, ea quæ videbatur Ecclesiæ proles, felicitati invidens alienæ, nec minus saluti suæ; despiciens paternæ blandimenta exortationis, terrorem vix sentiens potestatis. Qui si juri suo permitterentur, suis perversi, sibimetipsis pessimi viderentur. Ille vero ante omnia provido usus est moderamine discretionis, ut pro qvalitate locorum & temporum in prælatione pastorum ad sapientissimi Imperatoris nostri imperium dominici gregis paci & tranquillitati consuleret, illos nimirum cæteris præferens, quibus nequaquam esset incognitum, quid pastoris esset officium, quid mercenarii vitium, quid in ministerio susceptio, quid in angaria aut angendum esset, aut sperandum: alios, ut quasi cortinæ hyacinthinæ interiora domus Domni ornarent: alios, ut quasi saga cilicina deforis violentiam tempestatum arcerent. Libet meminisse qvoddam hujus pii patris pium & laudabile factum, quod in ipsis sacerdotii sui primordiis, ut pro luctu spirituque mœroris in oppressorum cordibus excitaret spem salutis, effecisse cognoscitur, quamvis hoc ipsum ob inopiam recte dividentium, linguæ calumpnianti fuit obnoxium. Quid enim non pervertit invidentia, qva nulla major esse videtur amentia?

XXXIV. Siquidem *Ratherus Veronæ*, quæ civitas est Italiæ, ordinatus *Præsul*, cum ex quadam levi suspitione, ut mos est gentis illius, ab honore primæ sedis esset expulsus, *Leodicensis Cathedræ* vacanti magna ejus industria, secundum statuta canonum, incardinatus est. Quod quidem propter abundantem doctrinam & eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eidem solum Ecclesiæ, cui præfuit, sed & multis aliis circumqvaqve valde proficuum fore putatum est simul, quia in illis partibus per zelum & contentionem, unde fieri solet inconstantia, omne opus pravum. Quidam etiam sacer-

sacerdotes Domini plerumque, quod dictu nefas est, terrenæ plus justo confisi potentiæ populum imperitum scandalizabant: sæpe dictus, sæpeque dicendus Domnus Bruno, cum jam totius Regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hunc ejectum antehac & neglectum, hoc tanto beneficio ad illud fidei & veritatis fœdus adduci, ut à nemine posset seduci, ita demum os loquentium inimica obstruere posse credidit, si nulla occasio scandali posset in eorum Episcopo reperiri. Sed ad sui pernitiem pars sinistra prævaluit, quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum æstimabant. Qvid multa? Erratum est, sævitum est, nec cessatum est, donec expulsione ejus crudelitati suæ & neqvitiæ satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis ejus. Conspiratio enim gravissima facta est; qvæ nisi & hic penitus amoveretur, & in eundem locum *Baldricus*, qui erat de magnatum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari non posse visa est. Ad hanc sentinam tempestates undique innumeræ confluxerunt; navis Ecclesiæ laborante remige fluctuavit. Gubernator ipse procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit. Cessit igitur, cessit, ne vinceretur à malo, sed vinceret in bono malum, cessit adversantium voluntati, ut suo eos gladio jugularet sibi. Obstricti sunt sacramentorum fide spontanei, ut si accipere mererentur Episcopum, quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem Ecclesiæ & jus imperatorium tuerentur. At ne quid in ejusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum investigationibus scrupulum commoveret, cum Imperatore germano suo id effecit, ut *Ratbero Episcopo* bis jam destituto, antiqva *sedes Veronensis Ecclesiæ* redderetur.

XXXV. Multa sunt alia & prope infinita, quæ in brevi non in Lothariorum tantummodo populo, quem ipse ex integro susceperat gubernandum, quem etiam, sicut in præsentiarum cernitur, ex inculto & fero pacatum reddidit & mansuetum; sed etiam per totum Regnum gloriosissimi Imperatoris sui in Dei rebus & salute totius populi strenuissime operatus est. Erat enim eidem omnino communis cura cum seniore & germano suo, quorum uterque de altero merito gloriabatur in Domno. Præterea *Lotharium sororis suæ filium*, de antiqua Regum prosapia ortum, cum à sobrinis suis vehementer esset oppressus, mirifice eruit & exaltavit; nec cessavit donec in locum patris sui *Regem* constituit, ac majores ipso potentioresque *Hugonis* filios, omnesque illius Regni Principes sub jugum ejus stravit; ita prospiciens universis, ut, sub unius moderamine imperii, omnes pariter & ab hostibus tuti, & inter se invicem possent esse pacati. Imminet regno illi, quod reticendum non est sæva clades, *Nordmannorum* gens, quibus in piratico latrocinio non sunt alii exercitatiores; His ex magna jam parte prædo erat populus dissensione & civili pernitie assuetus. Quod illis superfuerat, inter se domestica seditione consumpserant. Egit autem provida dispensatio Rectoris nostri, qui, quum hominem se esse intellexit, humani nihil alienum à se putavit; egit, inquam, ut ad se quasi ad tutissimum portum confugerent omnes, qui quietem & pacem amarent; ipsorum etiam barbarorum immanitatem & intolerandam dudum ferociam mitigavit. Siquidem eo tempore & Rex eorum *Haroldus* cum magna suæ multitudine gentis Regi Regum Christo colla submittens, vanitatem respuit idolorum.

XXXVI. Erat Imperatori filius adhuc tenellus delicatissimæ indolis, & integerrimæ voluntatis, obses pacis & gloria plebis, hunc Archiepiscopis patruo fratriqve commendatum ad custodiam *Regni Cisalpini* reliquerat Imperator, profecturus Romam, & res totius Italiæ ordinaturus, Cæsar ipse futurus, electum summo consensu ab omni populo Regem esse constituit, unxeruntque *Ottonem æquivocum patris, Bruno* Archiepiscopus, *Wilhelmus* & *Heinricus* cæterique sacerdotes Domini *Regem* in *Aquisgrani palatio*, & exultavit maxima gratulatione populus dicens: *Vivat Rex in æternum.* Divisi sunt deinde ab alterutrum Germani, par semper invictum, & Imperatore *Alpes Penninas* transeunte remansit citrà spectatus, atque incredibili pietate utrobique desideratus pius pastor & Archiepiscopus *Bruno.* Non longe post Domno & fratri suo, quia ipsum per se ire non licuit, auxiliares copias, non levem armaturam de Lothariorum populo misit. His præfuit *Godefridus Dux*, quem ipse nutrivit, vir sapiens & religiosus, amantissimus pacis, observantissimus æqvitatis, Imperatori per id tempus ad votum serviens, omnibus placens. Hic eodem tempore febre correptus in magnam spem futuræ quietis exspiravit. De cujus innocentia quodammodo securus quasi testis & conscius vitæ ejus pius pater *Bruno,* cum de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animæ illius, non valde eum talibus indigere asseruit. Imperatoris præterea reditum fratre ejus nocte dieqve sollicitus exspectavit; redeunti in omni gloria lætus occurrit. Ejus enim eximia virtus, dignitas, & in eo negotio, quod gessit, fides & continentia: simulque cum ipso spem otii & tranquillitatem animorum, judicia, leges cum concordia populi, Regis & principum auctoritatem reductam æstimavit. Cujus consiliis omnibus, cum ipse nihil aliud dies

dies ac noctes, nisi de salute populi cogitaret, interfuit, & inter primos excelluit. Hic eidem gravissimus auctor ad constituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem publicam perficiendam fuit.

XXXVII. Igitur cum in hoc sanctissimo studio Imperator trigesimum Regni sui, germanus ejus duodecimum Pontificatus sui ageret annum, nondum nisi vix prælapsus ætatis quadragesimum, sanctam pentecosten simul *Coloniæ* celebrantes, qua major mortalibus gloria concessa non est, sese invicem inter sancta solempnium dierum officia, unà cum *diva matre*, sorore Regina, nepotibus filiisque Regibus, totaque illa Deo dilecta familia & cunctis Regni senatoribus affuerunt. Constat enim nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum, floruisse. Hanc itaque gloriosissimi Cæsaris Augusti, & germani ejus summi & incomparabilis viri Brunonis Archiepiscopi fidam Deoque placitam in omni voluntate & opere conjunctionem; hanc conspirationem in omni utilitate & honestate administranda & bene gerenda; hanc jucundissimam vitæ officiorumque omnium societatem, mors sæva, mors horrenda, mors, inquam, sola diremit: & revera qvamvis nihil atrocius videretur, nihil tamen esse potuit, quod eam innocentius diremisset. Ergo cum summus antistes *Bruno* senioris & fratris sui; orientem versus euntis, contubernia, ruens prius in oscula, & flens largiter, reliquisset; pacataque omnia & quieta inter metas Regni sibi creditas, agens Deo gratias, aspexisset; iterum iterumque suos omnes Clerum, populum, quæ agenda fuissent, admonuit, & mox in occidente *Compendium* adiit, ut ibidem nepotes suos abinvicem dissidentes ad concordiam revocaret; in fide & gratia stabiliret Ecclesiæ religionem, Regi honorem, & quæ sua essent, dictante æquitatis ratione, annuente Domno, singulis confirmaret.

XXXVIII. Eo intentus negotio infirmari cepit, & sic Remensium civitate gravi corporis molestia detentus V. demum die, postquam invasit, ægritudo eum prævenit. Quibus diebus in itinere non minus, quam in hospitio, lectione assidua, nullo pene alio cibo refocillatus est. Interrogatus autem familiariter ab *Episcopo Wicfrido*, ut ipse testis est, cujus morbi gravedine urgeretur, non morbum, sed dissolutionem sui corporis esse, respondit. Episcopus itaque supra dictæ Metropolis dignissime eum recepit, humanissime tractavit, & in festivitate quidem, qua tunc inerat sancti Remigii levius aliquantulum habuit, ita ut clientulis ejus & sociis spes esset recuperandæ salutis ejus. Ipse autem vocatis Episcopis, qui simul cum eo venerant *Theoderico* & *VVicfrido*, postulavit ut testamenti sui faciendi copiam ei facerent, & adjutorium exiberent. Qvod cum perdolenter & lacrymabiliter valde excusarent, valetudinem optatam in brevi pollicentes futuram; ille animi industria, qva semper viguit, è contra renisus, dum tempus est, inquit, hoc fiat, multa nobis alia post hæc restant agenda. Ingravata est dinde infirmitas & invaluit; jamqve anhelitus interclusu faucium meatu vitalium lassitudinem præmonstravit. Tunc vocato Notario coram memoratis testibus testamentum suum ipse dictavit; res omnes quas habuit, à se, dum adhuc in bona spe viveret, abalienavit, dispersit, dedit pauperibus, quodque ordinandis exterioribus Ecclesiarum Dei ædificiis congessit, in brevi secundum collatam sibi sapientiam, facta & corroborata cautione sua, congrue & professione sua dignè, divisit. Hoc qvi legere ipse qværit, *inferius scriptum* in promptu habebit. Ingenium, quod, mundo corde, & jugi exercitatione, politum dono Dei reddidit & illustre, illum, ut liquido apparet in ejus verbis, non defecerat in extremis.

XXXVIIII. Post hæc pauper Christi collecta animi virtute iterum semotim Episcopos advocavit. Quibus assidentibus, & interioribus factis, hæc verba gemitu exuberante & fletu inundante profudit: Tria mihi videntur genera esse conversionis, quibus se cor hominis Domno Deo suo, renum testi, & scrutatori cordium patefacit; non ut ipsi, qvi nihil non novit, lucidius innotescat: sed ut ille, qui se parum novit, veracius semetipsum agnoscat, & aut Deum in benefactis laudet, aut se in malefactis accuset. Hoc cum semper fieri debeat (sic enim vigilare præcipimur, ne fur veniat, quando nobis incautis damnum illaturus irrepat) tum pulsante Domno domus per infirmitatis molestiam, necesse est, ut mens se, quibus possit, viribus erigat; qua valeat intentione, judici suo appropinquanti assurgat, sopitis terrenis desideriis, spe ad superna flagret, bona perennia, & si non meruit, minime tamen desperet: sibi *desidat*, *in Domno confidat*. Ecce fratres dilecti, sicut cernitis, pulsatur janua pectoris mei, vocor ad reddendam rationem operis mei, si quid potestis, rogo ferte præsidium, orationis vestræ porrigite manum. Incertus inter spem metumque feror, ut in neutram partem pronior inflectar, id vero enitendum est. Sed quæ sunt vires meæ? Misericordiæ remedium præstolor, in manu Creatoris mei sum: de me, quod ipsi placet, ut fiat, expecto. Bonum est confiteri Domno. Confessio & magnificentia

tia opus ejus. Non enim aliquid boni, nisi ipso operante fieri potest. Est autem quædam confessio non peccata deplorans, misericordiam tamen implorans. De qua per psalmistam ex persona Domni dicitur; sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare meum. Hoc salutare, id est Domnum Ihesum ore confiteor, & corde credo; quod Deus illum suscitavit à mortuis, hic omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos agnosco. Hunc Domnum Ihesum nemo potest dicere, nisi in Spiritu sancto. Ante illum est omne desiderium meum, & gemitus meus ab eo non est absconditus. Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domno, quod est secundum genus confessionis lamentabile in peccatis. Tertium, quod commendat beatus Iacobus Apostolus: *Confitemini*, inquiens, *alterutrum peccata vestra*, & orate pro invicem, ut salvemini. Hoc vobiscum Domni & fratres mei agere volo; hoc anxie quæro. Spero autem, quod Advocatum habemus apud Patrem Ihesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

XL. Deinde postquam his se coram Domno totum effudit, corporis & sanguinis dominici sacramentum, virtutis ejusdem sacramenti non inscius, expetivit. Quod cum fuisset allatum, vir ille Domni quid animo senserit, toto corpore prostratus ostendit. Refectus autem hac vitali alimonia, spe validior, lectulo restitutus est, dies postquam non minus quam quinque in eodem corporis languore & spiritus fervore permansit. Solempni vero die beatorum martyrum Gereonis & sociorum ejus jam vergente, subito mentis excessu raptus, Episcopis, Ducibus, Comitibus & cunctis, qui aderant, luctum movit ingentem, quia dissolutionem optatissimi corporis instare putabant præsentem. Ille, ut solebat, paululum convalescens, tumultum manu sedabat, fletus & rugitus astantium mitigabat, majores & hoc affatu ultimo, digniores ex nomine vocabat; Nolite, inquiens, nolite, fratres, hac mea sorte tristari. Divinæ animadversionis judicio cunctis mortalibus imposita est conditio; non licet nolle, quod omnipotens sanxit inevitabile, tristibus istis in brevi læta succedunt. Illuc non absumpta vita, sed mutata in melius, pergo, ubi viros longe plures & clariores, quam hic unquam viderim, cito videbo. Nec plura his locutus, lectulo fessa mox membra reposuit. Consvetum paulo post luce adhuc integra, vespertinæ laudis officium, nocte jam profunda completorium ipse cum fratribus consummavit, Domno Deo suo sanctorumque ejus precibus sese quasi mox iturum attentius commendavit, iter suum magno illo viatico, sancto videlicet & unico redemptionis nostræ pignore munivit, Episcopos, seipsumque & eos, qui præsto erant, benedictione consignavit. Ita tremendam dissolutionis suæ horam animo intento ad Creatoris sui imperium expectavit, & in media nocte transacta, conversus nisu, quo poterat, ad *Episcopum* * *Theodericum nepotem suum*, Domne, inquit, ora, & mox inter psallentes Domno, & orantes, nimiumque flentes spiritum exhalavit. Quod in illo non potuit mori, redditum est Creatori. Corpus autem ejus exanime, sicut ipse vivus præceperat eodem die id est *V. Iduum Octobris*, indefessi ejus comites levatum in feretro transferentes octavo postea die ad augustam sedis ipsius Metropolim *Coloniam* pervenerunt. Quorum adhuc nonnulli jurejurando & mirum in modum affirmando testantur, in longo illo itinere nullam pene lassitudinem, aut laboris molestiam se sub tanto onere pertulisse. Unde autem ibant, quocunque ibant, quascunque & gentes, quascunque terras attigerant, omnes mirabiliter hujus, ut eorum verbis utar, digni Deo viri merita in rem publicam, in Imperatorem, in Reges, in Principes, in omnem populum eximia qua quisque facultate poterat, æstimabant.

XLI. Jam vero cum ejusmodi exequiæ Coloniam adventarent & hoc per omnem regni *Lotharici* populum fama nimis odiosa dispergeret, ita dissoluti sunt omnes, præsertim sanctissimæ sedis illius & Ecclesiæ alumni, qvasi discessus tanti pastoris & obitus ejusdem esset Ecclesiæ funus. Nam secundum amplitudinem prioris consolationis tunc invaluit vis & magnitudo doloris. Flebant igitur omnes, plerique donec exsiccarentur in eis lacrymæ. Multi congelatis membris attoniti in tanta orbitatis hujus miseria semetipsos vivere obliti sunt. Ante omnes luctu se lacrymisque, magis autem interno dolore cordis affecit, qvi hunc patrem patriæ præ cæteris amavit *Folcmarus* memorabilis probitatis & industriæ diaconus ac prudens fidelisqve hujus sanctæ Ecclesiæ protus & œconomus, qvo nomine eum ipse pater, ut puta vicarium suum, & sibi in omni negotio conjunctissimum honorare consuevit. In qvo solo tunc omnium desolatorum ora, oculi & animi versabantur, quorum certe omnium voluntate atque desiderio jam electus licet nondum designatus fuerat præsul. Huic pius pater absenti, quod eum nosset ex nomine res suas omnes egenis & Ecclesiis Episcopii sui distribuendas, præscius, credo, futuræ successionis, summo studio delegavit.

XLII.

(*) Metensem, cujus vitam nunc edimus.

XLII. Est prope muros civitatis Ecclesia, structura quidem & opere humilis, sed Apostolorum nomine, in quorum veneratione consecrata perhibetur, insignis; in ea depositum pastoris sui corpus exanime, sacerdotii velabant insignibus, quo paucis nisi Episcopis quibusdam, secundi ordinis sacerdotibus, patebat accessus. Inde mox elevatum, clerus & populus cantum planctumque permixtum ingeminantes, in Ecclesiam beatissimi Petri, Apostolorum principis, ubi sedes erat venerabilis, detulerunt. Noctem illam celeberrime in vigiliis & psalmodiis, vix refocillatis corporibus, insomnem duxerunt. Mane autem facto, convenit universa civitas, & eorum, qui de diversis provinciis & Regnis subita fama exterriti advenerunt, innumerabilis multitudo. Affuit *Treverensis Archiepiscopus* & *Leodicensis* Antistes. Processerunt in medium Episcopi *Theodericus* & *Wicfridus*, testes ultimæ sanctionis ejus & legationis, quam filiis suis ibidem Deo militantibus misit. Lectum est testamentum ejus in presbyterio venerabili ante altare sanctissimi Petri, recensita sunt & ea, quæ pio quidem & sollicito in Dei rebus animo rogavit & jussit; sed scribenda non censuit, ut videlicet anno illo toto per singulos dies nunquam minus quam libra denariorum integra in usus pauperum erogari deberet. Deinde secundum postulationem & desiderium cordis ejus, quo flagrabat in extremis suis, suasum est clero sanctissimo, ut volenti animo corpus ejus transferri permitterent ad monasterium Monachorum, quod in honore sanctorum martyrum Pantaleonis, Cosmi & Damiani atqve Quirini extra urbis muros non solum tunc construxit, sed adhuc usque consilio & prudentia sua construit, & ordinare non cessat gubernante Deo insignia bonæ voluntatis ejus per sanctorum merita, quorum illuc & reliquias advexit, & patrocinia sibi religiosa & sedula supplicatione providit. Assenserunt promptissima voluntate omnes ad omnia, quæ imperavit; solum illud difficillime persuasum est, ut de summo sacratissimæ sedis ejus loco corpus abduceretur exanime. Lugebant quasi iterum destituti; non audentes post longam deliberationem vel in hoc resistere ejus religiosissimæ voluntati.

XLIII. Deductus est pastor ab ovibus: dici non potest quibus lamentis & quæstibus sepultus est in Ecclesia beatorum martyrum *XIV. Kalendarum Novembris*, ubi usque hodie perspicue monstratur, qvantus fuerit in oculis bonorum omnium qvem postea amiserunt, qvalis fuerit & boni & mali lucidius agnoverunt; freqventant locum sepulturæ ejus; certatim memorant, quid fecerit, quid docuerit, qualis vixerit, qualis obierit. *Modo pro illo orant, modo ut ipse pro se orare dignetur, rogant:* signa enim quærunt, vitam attendunt, doctrinam recolunt, futurum in eo aut sibi aut posteris suis magnum aliquid pollicentur. Denique omnes ejus monimentis, sicut olim per vivum, ita nunc per mortuum ad Dei laudem & gloriam excitantur.

XXIII.

Testamentum ejusdem Brunonis Archiepiscopi
cum
Ejusdem Epitaphio.
Ex eodem MSto.

*Testamentum * Domni & in Christo venerandi Brunonis Archiepiscopi, feliciter.*

Bruno servus Christi filiis suis Coloniæ Deo militantibus. Quæ in animum induxi de rebus, quas divina mihi commisit munificentia, dispensandis, vestro roborari judicio, juxta & testimonio: (ea) si ipsum me præsentem hæc Deus vobiscum communicare non siverit, dignissimum statui scripto ad vos perlato (f. stabiliri). Eapropter ex sententia fratrum nostrorum *Theoderici* (&) *Wicfridi*, qvi & ipsi alumni nostri sunt, cuncta conscientiâ rectâ, Deo volente, transfigite, & quicquid thesauri nostris opibus illati Ecclesiæ (quicquid enim est, clavibus hujus *Evizonis viri illustris*, *Kimiliarchi sancti Petri* custoditur, præter si quid a ministris nondum relatum sit, ne quid ab Ecclesia divisum esse videretur;) sub testimonio Christi & Ecclesiæ, ante altare sancti Petri, palam Domno *Popone*, Proto & Iconomo Ecclesiæ nostræ congesta, diligentique ratione inspecta, vasa aurea & pretiosiora, quæque in ministerio

(*) Hoc Testamentum non extat in vita à Surio edita. Cum tamen in ea tanqvam *infra scriptum* promittatur: adjecimus ex Codice Guelferbytano.

rio sanctæ Dei genitricis Mariæ, & beati Petri Apostoli in ipsa, Ecclesiæ in perpetuo usu perpetuo consecrentur. Cuppam auream, sigillum & scutellam Græcam, quæ penes nos sunt, beato *Pantaleoni*; candelabra præterea, quæ in ministerio nostro sunt cottidiana, equitem argenteum, à Mogonciaco Archiepiscopo datum, pallia decem optima, vasa decem argentea ex melioribus; libras centum ad claustrum perficiendum, trecentas ad Ecclesiam ampliandam, cortinam latiorem, mensalia tria, tapecia tria, scannalia totidem, mappas triginta; Insuper equorum, quicquid nobis fuerit, ipsisqve Ecclesiæ repertæ sunt exceptis villas quas Ecclesiæ nostræ acquisivi, *Langalon* juxta Renum, *Werebetti*, *Heingelon*, *Lidron*, *Wisbem*, quam Mosa alluit, Domum quoque *sobrini nostri Mettensis Episcopi* & villam *Havingan*; insuper quicquid de rebus Ecclesiæ nostræ tenet, trado. Detur etiam usui Monachorum tertia pars hujus anni fructuum, ad usus nostros elaboratorum. *Ierichomium* loco competenti ad nutum Abbatis non longe à cœnobio constituatur, cui quicquid prædii nobis tuitum est, & quicquid *Gevebardus* qvondam *Bonnensis præpositus* juxta Mosellam scitur habuisse, confero; & ut hoc bona venia nostri Senioris & successoris fieri queat, pro utriusque nostrum remedio, *Ruotbinge* quod Ecclesiæ rebus opera nostra augmentatum est, ut libet, utatur. Instar oratorii, quod beato Privato construimus juxta altare sancti Martini in occidente Ecclesia, Beato Gregorio magno Martyri, qui recens adductus est, fiat, ubi sacratissimum corpus ejus recondatur; huic fundando centum libræ legentur. Cuppas aureas fratribus nostris; ad sanctum Petrum libras viginti, cortinam, mensalia II, scannalia totidem: Ad sancti Gereonis altare urcei magni, pallia II, tapete ex majoribus, fratribus naves & libræ XIII. mensale & scannalia II. Ad altare sancti Severini consummandum IV. libræ auri, fratribus libræ VIII, vasa II, mensale, scannalia II. Sancto Cuniberto scutulæ II. Sanctis Evvaldis duobus pallia III, fratribus vasa II, libræ VIII, mensale, scannalia II, tapete I. Sancto Andreæ libræ XXX, pallia IV, totidem vasa, candelabra II, fratribus libræ VI: Beato Elifio Martyri, sancto Martino conferatur tantundem, prædium præterea *Solagon* per precariam nostræ Ecclesiæ acqvisitum: Ad sanctæ Mariæ altare vasa II. ex melioribus: Manasterio & claustro perficiendo libræ centum, cortina, scannalia II, mappæ totidem: Ad altare sanctæ Ceciliæ auri libræ tres, cortina, candelabra II, vasa II, tapete I, scannalica II: In consummando monasterio libræ L. Collegio illius monasterii libræ X, mensale: Ad sanctas virgines vasa II, candelabra II, pallia II, cortina, tapete I, scannalia II. Sanctis Monialibus libræ X, mensale: Altari sanctorum martyrum Cassii & Florentii auri libræ II, baccina, quæ penes nos sunt, cappæ duæ, pallia totidem: fratribus libræ X. Sancto Victori & collegio tantundem: Monasterio & claustro *Sosacio* fundando libræ C. altari VI, vasa, pallia totidem, tapete I, ex majoribus, scannalia II, cappa & casula ex nostris, Prædium præterea, quod *Wodilo* deprecario nostro dedit, illud etiam, quod Domnus Popo *Richildinchuso* & *Arnite* nobis satis naviter adquisivit.

EPITAPHIUM
BRUNONIS ARCHIEPISCOPI.

FUndite corda preces, lacrymosas mittite voces;
Ecce pater Patriæ conditus in silice.
Regia progenies, terras memoranda per omnes,
Bruno pacificus vir bonus atque pius.
Archos Antistes, cui data Colonia sedes,
Visus erat cunctis carus ubique bonis.
Offendit tenebras lux vivacissima tetras,
Invida lingua tacet, laus modo vera placet.
Non fuit hic mundus tam raro munere dignus,
Raptus ab hoc nævo * jam fruitur Domino.
Idus octobris quinto Præsul duodennis
Vitæ concessit, spes comes alma fuit.

XXIV.
Testimonium de Domno
BRVNONE COLON. ARCHIEP.
sumtum de Vita Gerhardi Abbatis Broniensis Ecclesiæ
Ex eodem MSto.

FUit *Ottoni frater Henricus*, patri quidem æquivocus, sed longe distans moribus. Instinctu enim reproborum fratri rebellavit infidus. Et ut mentio fiat quantulacunque de *altero fra-*

* f. ævo.

fratre ac duce atq; Archi-Episcopo Brunone, cujus nimirum memoria est in benedictione, quisnam queat condigna relatione virtutes ejus æquiparare? Sub ejus procuratione sagacissima, radicitus amputante improborum spuria vitulamina, tanquam arbor fructifera refloruit *Lotharingia* pacis & justitiæ habundantiâ, asseverans ejus tutamine revexisse aurea quondam tempuscula. Cujus rei indicio est *Raginerus Comes Havinoënsium* haut ignotus, cognomento *Longicollus*, qui, quia tyrannicè suis importunabatur provincialibus, & noluit resipiscere semel & sedulo commonitus, *nunc usq; exulat* in ignotis regionibus, procurante industria ambidextri Archipræsulis hujus.

XXV.

Narratio de Translatione S. EVERGISLI COLONIENSIS *olim Episcopi* ex Tungrensi urbe ad Metropolin cura Brunonis Archi-Episcopi.

C*Entesimo octogesimo Dominicæ incarnationis octavo lustro* (id est, nongentesimo tricesimo septimo anno) *sexagesimo tertio indictionum circulo*, regnare cœpit Ottho, unctus lætitiæ oleo: qui Coloniensis gregis custodem se natu minorem constituit fratrem suum *Brunonem*, atque Occidenti præfecit tutorem & Archi-Ducem: Ipse vero pacare regnum versus est in Orientem. Sanctus Bruno piissimus vicesimus secundus sancti Evergisli successor, omnium factus est morum speculum bonorum: nardus preciosa dedit odorem suum. Vere dux populi, & solicitus pastor gregis Dominici. Cum causa colloquii habendi de statu regni apud principes regionis illius, iter haberet in Occidentem, forte in reversione, pacato regno, ad oppidum *Tungrensium* devenit, quod venerandos reliquiarum cineres *sancti Evergisli* conservavit. Nam peccatis exigentibus, civitatem totam longa vetustas & bellorum tempestas cum nomine penitùs delevit, ac novitas aliò sedem Episcopalem transmutavit. Cumq; ibi summus præsul pernoctaret, illudque animum ejus multum moveret, quod tam sacer locus ad nihilum jam quasi deveniret, in ipsa nocte apparuit ei S. Evergislus quasi palliatus casula conscissa, qui ei dabat talia verba: Vidésne, ut vestimenta mea sunt neglecta & tinea consumta? Quoniam tu illuminabis lucernam meam: illumina tenebras meas. Nam hinc eripiar, & in Deo murum transgrediar. Nec mora, Episcopus somno solutus, rem volvebat tacitus. Facto autem manè, bonæ memoriæ ad se jussit venire Folcmarum œconomum, quem in omni negocio consuevit habere conjunctissimum, remque illi ex ordine nunciavit, &, ut ille in medium consuleret, postulavit. Qui mox dicebat ad primam responsionem, S. Evergislum propriam debere revisere sedem. Lætatus Episcopus, tam sacri corporis reliquias sua imperiali potentia propriæ sedi se velle restituere suis nunciavit omnibus. Hoc verò illi audientes illud eis optabile fore prædicabant, & pene omnes præ gaudio flebant. Nec mora, cum omni devotione perrexit cum suis Episcopus ad locum, ubi jacebat sanctum corpus, & post quoddam altare de quadam fabrica jam seniò consumpta, cum omni veneratione elevavit, ac multum flentibus incolis, cum suis Coloniæ reportavit. Ubi ad sanctissimam sedem ventum est, ingens concursus populi factus est, clerus cum sanctimonialibus convenit, uterque sexus concurrit, tota civitas novis gaudiis exultavit, sicque cum omni celebratione divinæ laudis quinto Calendas Aprilis honorabiliter repositum est in ecclesia S. Cæciliæ virginis. Ibi vero tot Dominus quotidiana dignatus est per sanctum suum conferre dona salutis, suæ sacræ ecclesiæ filiis, ut præsentem credat unusquisque adesse largioribus beneficiis. *Sanctus* etiam *Patroclus* quomodo ad nos venerit, reticendum non est. Nam sicut per Salomonem dicitur, fama bona impinguat ossa. Hujusmodi adipe & pinguedine repleatur anima nostra. Anno ab exordio salutis nostræ, id est, ab incarnatione Domini nostri IESU Christi ducentesimo septuagesimo quinto, Aurelianus principatum Romani Imperii adeptus est, quinque tantum annis & sex mensibus regnaturus, sub quo gloriosus & sanctus Domini martyr Patroclus, victoriosi certaminis sui cursum feliciter consummavit, & in curru Dei, decem millibus multiplici, hoc est, in millibus lætantium evectus in urbem cœlestis reipublicæ triumphavit, statuens in Trecassina urbe trophæum gloriæ suæ, corpus posteris honorandum, exteris etiam gentibus prædicandum. Exinde circiter sexcentos octoginta quinque annos, *S. Bruno*, reverendissimus Colo-

Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, ab Otthone Imperatore Augusto, fratre suo, *in Lugdunensem Galliam missus est*, nobis in tempore ipso, populo illius provinciæ penè serò: ubi diversæ voluntates civium, distractæque fuerunt sententiæ, velle suum cuique: nec consiliis solum & studiis, sed armis etiam diffidebant, & castris illic ergo duarum sororum ejus filii summa rerum potiebantur. Hi propinqui inter se fœdere sanguinis, discordes animis, ludibrium avaris suis militibus erant: qui lucris tantum divitiarum intenti, neq; in hac neq; in illa parte fidem habebant. Ubi enim regionis principes avaritiæ æstibus anhelant, pacis gaudia miseri quique frustrà expectant. Sed gloriosus Archi-Episcopus, pacis nuncius, citiùs quam credi posset, calidæ fecit silentia turbæ majestate manus: deinde, quid utile omnibus esset, quid singulis expediret, edocuit: & reconciliatis invicem civibus, bonitate in suos usus, justitia in omnes, pacem integerrimam reformavit. His ita gestis cum jam redire disponeret, multis precibus obtinuit ab *Ansgiso Trecassinæ Ecclesiæ* venerabili *Episcopo*, quem & paulo ante expulsum, inter alia insignia legationis suæ, cum ingenti plausu populi restituit propriæ sedi: ut donaret sibi secum pariter absportandum corpus beati Patrocli martyris, cujus passionem legere, meritumque perpendere qui quærit, in promptu habet. Episcopus autem, qui plurima debuit, hac, ut ita dicam, occasione oppressus, coactus insuper infinitis precibus, postulanti tandem paruit, ne videretur ingratus: maximè quia exigentis animus huic muneri tantum intentus, alia penitus recusabat. Religionis enim amore captus, sicut exteriùs habuit per virtutem, quod superborum insolentiam nequitiamque retunderet: sic per pietatem interiùs decorem domus Domini diligenter administrare curabat. Cumque se hoc gratum munus ab Episcopo consensu cleri totiusque populi promeruisse gauderet, ipse ne quid infectum relinqueret, adhuc in plurimis occupatus, misit acceptum reliquias virum omni laude dignum, *Euercharum Leodiensem Episcopum*, & cum eo clericos ac monachos religiosos. Inter quos fidelis populi multitudo non minima, causa laudabilis spectaculi confluebat. Cumque ad locum destinatum venissent, videntes ibi pavimentum marmoreum perstratum, nullum vero certum recognoscentes reconditi signum thesauri, alii quidem adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Tunc admonente Episcopo & exhortante eos, qui convenerant, præmissa tandem solenniter oratione, opus propter quod venerant, aggressi sunt cum fiducia. Confestim autem ut aperuerunt sarculis terram, mirabile dictu, repleti sunt omnes odore vehementissimo, quo nihil unquam suavius sentiebant: & quo quis magis proximus fuit sepulcro, eo magis se odoris dulcedine affectum esse testatus est. Unde factum est, ut omnes tunc religiosi, fossores esse cuperent, quatenus divinæ fragrantiæ vim mirificam abundantiùs caperent. Nullus tamen, qui intra parietes ejusdem ecclesiæ fuisset, expers hujus suavitatis inventus est: nec erat quisquam, qui vel tam dulce, vel huic simile aliquid se unquam olfecisse fateretur. Augebatur itaque magis & magis aura delectabilis, donec veniretur ad corpus sancti martyris. Tunc vero mirum in modum ita afflati sunt omnes, ut sibi ipsis eo, quod senserant, pleni omnimodis viderentur, & tamen adhuc velut sitibundi, haurire ampliùs niterentur. Verè mirabilis vir iste fuit, qui Christi bonus odor Deo in omni loco, secundùm Apostolum, mortuus æque ut vivus, apparuit. Elevatæ sunt igitur à sarcophago lapideo sancti martyris reliquiæ, indeque prospero cursu cum frequentia exultantis populi Coloniam translatæ sunt. Urbs ista metropolis & mater ecclesiarum fidelis populi, principatum authoritatis suæ hinc longè in Gallias, inde usq; ad Oceanum extendebat. Dignus profecto locus, qui custodiret in gremio suo perlatum ad se sancti martyris corpus: in quo non modo magnus sanctorum corporum & reliquiarum numerus, verum etiam numerosa millia martyrum expectant venturum in die judicii Dominum suum. Sed solicitudo summi Pontificis nihil negligendum ducens, ut perfecta quæque de magnis maxima faceret, imperfecta suppleret, neglecta magnificè illustraret, modis omnibus invigilabat. Quocircà ratum duxit, ut locum quendam Saxoniæ, *Susatium* nomine, *rebus seculi opulentum, populo plenum* *, longe lateque circumpositis Saxonum gentibus, nihilominus provinciarum populis notissimum, sed religionis adhuc pene ignarum, his *S. Patrocli pignoribus decorare*, & quodammodo ad sacramenta futuræ salutis initiari debuisset: fiducialiter agens in illo, & credens quod aromatizans fumus ille, qui in manifestatione sancti ejus corporis, sicut supra diximus, invisibiliter aspersus, & sensibiliter cognitus est, per famam meritorum ejus, multis foret profuturus. Unde factum est, ut corpus beati Martyris à venerabili Brunone Archi-Episcopo Colonia deductum, cum honore magno & gaudio, occurren-

* Floruisse etiam legibus oportet, cum Henricus Leo Lubecensibus dederit jura Sosatiæ, Arnold. Chron. Slav. lib. 2. cap. 35. (40) quem locum frustra quosdam corrigere voluisse (substituendo *Holsatia*) vel hinc apparet.

rentibus cum clero populis, *Susato* inferretur: ubi repositum est in ecclesia cum divinis laudibus, quam idem pius antistes fundaverat, & donis competentibus ditaverat: ubi etiam à civibus & incolis terræ in magna veneratione habetur & colitur usque in præsentem diem. Nam & domus, in qua uncti sunt à Maria pedes Domini, repleta est ex odore unguenti. Cujus rei mysterium quasi explanari videtur, cum sponsa ad sponsum loquitur: unguentum effusum nomen tuum. Nam quod tunc uni domui contigit, nunc totus mundus in se completum novit.

XXVI.

Vita THEODERICI I. METENSIS EPISCOPI, scripta à Sigeberto Levita S. Vincentii.

Ex Manuscripto.

VIta *Deodrici* meritis & tempore primi
Hoc descripta libro, memori recitabitur ævo.
Hanc vix compegi, vilique caractere scripsi,
Christi pupillus *Sigibertus* mente pusillus.
Hic tua *Vincenti* levita trophea relegi,
Hic, *Lucia*, tui, reliquorum suntque triumphi,
Quorum sunt tituli seriatim pretitulati;
Quicquid peccavi, vobis debet reputari,
O *Ulrice*, tuoque simul fratri *Ruodulfo*,
Quos divinus amor, quos urit præsulis ardor;
Perpulit invitum me cogere satque renisum,
Hoc onus invalidis ut vellem tollere membris,
Ut vobis laudem, mihi det mea culpa ruborem.
Quisnam ad mercedem vobis neget addere laudem,
Qui talem librum divinis usibus aptum
Sanctis donastis propriis, propriumque dicastis?
Res minor affectu, major devotio censu.
Semina plura metes; in spe qui semina mittes.
Nil recipit gratis, cui dat Deus omnia gratis.
Laus danti, pax servanti, crux diripienti.

Domno reverendo, Patri venerando domno Abbati & Abbatum speculo, F.... servorum Dei, utinam ultimus servulus S.... quæ promisit Deus se diligentibus.

DE gestis domni & patroni nostri *Deoderici*, quæ veraci relatione agnoscere potui, fideliter, pro captu meo, annotare studui, ausu quidem temerario, affectu tamen voluntario. Non enim reor displicere animo fidelis echonomi, quicquid accedit laudibus sui domni. Monebat me animus hoc vestro nomini asscribere, sed non fuit consilium, culpa mei tardi ingenii laudem vestram deterere, quem dignitate literalis scientiæ constat cunctis præcellere. Vos ergo qui lectionis divinæ assidua dulcedine consuestis delectari, patiamini quæso, gustu inculti sermonis os vestrum amaricari, ut magis repetitus placeat dulcor, quem ad horam insuetus torserit amaror; Dum delitiosus plerumq; stomachus rapula atque acidas mavult jurulas, nec dum omnis abacta est pauperies epulis regum, nam vilibus ovis nigrisque est holeis * hodie locus. Non attendatis quis vel quali scripserim stilo; sed qvid & de quo; & adhibita paternæ censuræ ferula, si placet, acuto veru confodite superflua; si displicet, mortiferum præfigite theta. Loquatur muta pagina rerum seriem, nec perfundat rubore scriptoris faciem. Bene valete.

Explicit epistola, [incipit] item præfatio sequentis operis.

LAudemus, inquit Jhesus filius Sirac, viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua, qui & in generationibus suis gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur cum laudibus.

* F. *Acribus*.

bus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et sunt quorum non est memoria; perierunt quasi non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filii ipsorum cum illis. Sed hi sunt viri memoriæ, quorum justiciæ oblivionem non acceperunt. Ecce amator sapientiæ piam patrum suorum amplexatus gloriam, merito illorum detestatur socordiam, qui oblivione vel incuria patiuntur oblitterari majorum suorum memoriam. Cum enim in memoria æterna sit justus & memoria justi semper sit cum laudibus. Profecto sicut bonis operibus paratur animæ justi beata immortalitas; ita etiam per bonorum operum memoriam paranda est nomini ejus gloriæ longævitas. Si ergo his, qui dederint calicem aquæ frigidæ tantum in nomine justi, mercedem suam non perdent; & ille, credo, mercedem justi accipiet, qui, laudes justi vetustate senescere, vel oblivione sepeliri, prohibet. Quia procul dubio ad laudem Dei spectat, & mercedem justi accumulat, quod integritas vitæ eorum alios, suo exemplo, ad bonum invitat. Quocirca solent multum multi conqueri; alii, quod vitam prædecessorum suorum; alii, specialium patronorum suorum ita penitus aboleverit oblivio, ut præterquam nomen, & præterquam quod eos in diebus suis constat placuisse Deo, nulla rerum gestarum fiat mentio, ut per eos nomen Dei benedicatur, qui omnia in omnibus operatur. Hæc eadem conquestio nos super Domno & patrono nostro Deoderico magis magisque sollicitabat indies; *quia opera ejus multa & magna sic pene consumserat oblivionis caries*, ut lignum vermes, vel sicut tinea vestes. Quam sollicitudinem, à majoribus relictam nobis, transmittere posteris nostris non debemus; sed ea curiosis oculis inquirentes, præstante illo, qui linguas infantium facit disertas, stilo certitudinis enucleare temptabimus. Probemus ergo devotionem erga patronum nostrum; offeramus oblationem nostram ei, qui vere erat Dei templum. Et si non habemus puritatis aurum, eloquii argentum, munditiæ byssum, gemmæ dilectionis coccum bis tinctum; saltem de pilis caprarum texamus sagum cilicinum, vel ad operiendum corporis ejus tabernaculum, vel saltem ad tumuli ejus pulverem extergendum.

Invocatio.

INgressuri ergo viam, ut veniamus ad narrandam veraciter justi viri vitam, ejus, qui via, veritas, & vita est, invocemus gratiam, ut qui lacte pascit edentulos, nos doctrinæ suæ pascat edulio, & sapientiæ suæ erudiat alloquio.

KYrrie Christe theos, pantocraton archos anarchos,
Sis mihi principium, dux, via, præsidium,
Ut valeam per te, condigne scribere de te.
Pendet mens à te: quis quid erit sine te?
Laudatis sanctis, laudatus sanctificaris;
Et justi quid honor? justificantis amor.
Prædico sanctorum sanctum, cum prædico sanctum:
Pulcri laus operis, laus erit artificis.
Ecce repono tuum tibi justum *Deodericum;*
Adsis una Trias, * animæ trina monas.
Vix muttire queo, mutum precor os aperito:
Ipse doces asinam, quæ doceat Balaam.
Naturæ tibi lex non obstat legifer exlex;
Nempe sequens nutum nescit habere statum.
Tu linguans mutos, elinguans atque disertos:
Cordis tange petram, petra refundet aquam.

Incipit vita Domini Deoderici Episcopi majoris.

CAP. I.

De nobilitate generis ipsius.

IGitur virum vitæ memorabilis, memoriæ venerabilis, *Deodericum, ex pago Saxoniæ Hamalant* oriundum, *Comite Everardo patre*, & *Amalrada matre* accepimus progenitum, *orbis ad ornatum, quem vere credimus ortum.* Alius fretus ingenio ab ipsis ordiretur cunabulis narrationis telam; laudaret docilem pueritiam, magnificaret mactæ indolis adolescentiam; ubi ventum esset ad Pytagoricæ literæ bivium, mundum cum blanditiis suis abigeret

* Forte: *trina animaq; monas.*

abigeret sinistrorsum; animum vero justi, tendentem ad propositum immortalitatis bravium, ageret angusto calle dextrorsum. Quid plura? per singulos gradus ætatum disponeret in corde ipsius ascensiones virtutum. Nos, cum viribus diffidimus, quum ad propria dicenda vix sufficimus, communia prætermittimus, & quum brevitati studemus, solam morum honestatem, & natalium nobilitatem in eo prædicare, contenti sumus. Et illam quidem nobilem morositatem multiplicabat indies divinæ cooperationis præsentia; religiosam vero generositatem attollebat *cognatorum & affinium ejus, primatum* scilicet *Galliæ* & *Germaniæ eminentia*, & insuper *imperialis consanguinitatis* cumulabat magnificentia. Matrem nempe ejus scimus *Mathildis Reginæ* fuisse *sororem*, quæ ex *Heinrico Rege* genuit *Ottonem majorem*, & *Heinricum Ducem* eorumque fratrem multa laude dignum *Brunonem*, qui ita inter omnes temporis illius emicabat mortales, velut inter ignes luna minores. *Hæ* vero erant *filiæ Thiadrici Ducis*, quarum fratres erant *Windukin*, *Immed* & *Reinbern*. *Reinbern* autem ipse erat, qui pugnavit contra *Danos*, multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incursionibus: & *hi erant stirpis magni* Ducis *Windukindi*, qui bellum potens gessit contra magnum Carolum per XXX. ferme annos. Porro Brunonem, quem supra nominavimus tanta meritorum prærogativa, divinitatis commendabat pietas, ut, quem *Coloniensis Archiepiscopatus* illustrabat dignitas, etiam *dominatus totius Lotharingiæ* insigniret sublimitas.

CAP. II.

Qualiter sub disciplina Domni Brunonis profecerit.

Hujus ergo *consobrinus*, cui hoc opus cuditur, *Deodericus* in sanctæ *Halberstedensis Ecclesiæ* gremio à primis annis maternæ pietatis ubere ablactatus, & sublimiter, ut competebat educatus; naturæ & morum dulces & uberes repromittebat fructus. Verum ubi gemma Episcoporum Bruno pontificiale ascendit solium; hic assumta forma discipuli se ejus individuum agebat socium. Et quia erat quondam in castris cœlestis militiæ civiliter militaturus; sub eo in sanctæ Coloniensis Ecclesiæ gymnasio per diuttina diludia liberali tyrocinio est exercitatus, & per diuturna proludia laudabiliter probatus. Discebat ibi humiliter subesse, qui debebat multis aliquando utiliter præesse; & subjectis humili & discreta prælatione utillime prodesse. Erat in utroque, quod uterque in alterutro amplecteretur: & sicut ferrum ferro acuitur; sic alter alterius bona æmulatione ædificabatur. Primo quidem inter eos propinquitatis naturalis necessitudo pepererat amicitiam; deinde familiaritatis consuetudo aluerat benevolentiam; quæ etsi ex propinquitate tolli potest; ex amicitia tamen non potest; quia propinquitas sive benevolentia inane nomen retinet; amicitia benevolentiæ indiscissa cohæret. Sic in consobrinis istis propinquitati respondebat amicitia; amicitiam mutua solidabat benevolentia. Nec in vanum cedere poterat, quod vir, qui in Christo & in Ecclesia talis tantusque futurus erat; quem mater Ecclesia ad ornamentum & firmamentum sui nutrierat; quem natura, immo ipsius auctor naturæ, nativo ingenii bono ditabat; talis tantique magistri studio & doctrina institui & expoliri meruerat: ut enim ait quidam; doctrina vires promovet insitas, rectique cultus pectora roborat, utcunque defecere mores, dedecorant bene nata culpæ.

CAP. III.

De promotione ejus ad Episcopatum.

Ne ergo viro, ad utilitatem multorum nato, deesset materia virtutum; ne deesset tali opifici officina exercendorum operum bonorum, providit etiam super hoc superna dispensatio non solum ei, sed & profectui plurimorum, ut cultor justitiæ plantatus in domo Domni in atriis Dei nostri, ut palma altitudine meritorum floreret; ut cedrus Lybani multiplicatus incorruptibili exemplorum odore redoleret; sicut oliva pinguedinem lætitiæ & benedictionis fructificaret. *Anno* siquidem *nongentesimo sexagesimo secundo à* Dominici hominis incarnatione, viam universæ carnis ingresso reparatore sanctæ religionis primo *Adelberone*, vacabat cathedra sanctæ Metensis Ecclesiæ, proprio viduatæ pastore. Non defuit sibi sacrarium spiritus sancti *Bruno*; non defuit, inquam, sibi vel totius regni commodo; sed sicut in cæteris facere consueverat, sic & in hac re non, quæ sua erant, sed quæ Iesu Christi, quærebat. Nam cæteris, quibus pollebat, artibus, etiam hoc addiderat, quod principibus cujusque ordinis, in quibus columbæ innocentiam, serpentis astuciam, & præcipuè tutæ fidei simplicitatem vigere videbat, his adprime amicitiam suam accommodabat, his gratiam regis cumulatius conciliabat. Si quos talium privata adhuc vita oscurabat; hos oportune in loco defunctorum illustrium virorum, sua opera suffectos, ad bene agendum accendebat. Omnia quippe omnibus factus erat, quia omnes lucrifacere volebat. Is denique videns oportunum locum, & tempus occurrisse sibi, ut ad firmamen-

mentum spiritualis fabricæ columnam solidam, & sua manu politam, stabiliret in Ecclesia Dei; utile duxit, *consobrinum suum Deodericum*, spectabilem genere & religione, illic *incardinari.* Æqua namque trutina consilii, locum, tempus, personam moderabatur, dignum scilicet judicans eum, qui urbi nobilissimæ principaretur, nec indignum fore urbi tantæ potentiæ, quod viro tantæ nobilitatis ancillaretur, præsertim cum tempus illud egeret, ut prudentis fortisque rectoris auxilio defensaretur. Nimis enim superioribus annis in eam incubuerant reipublicæ incommoda, cum ab incentore omnium malorum *Conone* invasa, pene direpta est & exterminata. Concordante itaque cleri totiusque plebis unanimi consensu, annitente etiam cuncto Palatinorum senatu, intronizari eum fecit in augusta Mettensium sede; læto omnium concentu, non sine magno celestium virtutum applausu. Pontificiali itaque petalo decoratus, & officinante magni meriti *Heinrico Trevirorum Metropolita, benedictionis oleo III. Nonas Martii* consecratus, satagebat nomen suscepti officii, bonis implere operibus; malens scilicet haberi, quam videri episcopus. Et primo à prædecessoris sui vestigiis non exorbitabat, sed quem sibi nobilitatis excellentia æquiparabat, etiam morum probitate & religionis fervore imitari in voto habebat. Accendebatur enim ad bonum bono animi sui proposito. Informabatur, ut diximus, prædecessoris sui recenti exemplo, nec excidebat animo sana boni institutoris eruditio; & quod omni præminet magisterio, celesti insuper animatus est oraculo.

CAP. IV.

De primis Literis nominum per angelum datis.

DIcamus ergo rem relatu & scripto majorem, compertam, pro sui novitate merito in thesauro memoriæ recondendam. Sanctus Clemens principis Apostolorum Petri auditor, Mediomatricorum autem primus apostolus & prædicator, inter cetera, quæ ei ad roboranda nascentis Ecclesiæ rudimenta contulit pius salutis nostræ amator, hoc speciale cœlitus emeruit donum, ut nomina futurorum in Ecclesia Metensi Pontificum acciperet, missa sibi per angelum, annotatis tantum primis literis nominis. Adeptus vir beatus, de quo agimus, Ecclesiæ suggestum cum quadam die delectaretur jocunda & seria affabilitate familiarium ac sapientium, (nam etiam in hoc fideli Dei consuluerat dispositio, ut ei sapientium & bonorum consiliariorum non deesset collatio:) illa angelicæ scripturæ monumenta jussit deferri in conspectu suo. Quæ cum diligenter inspexisset, & alia quidem aurei, alia argentei, alia alius cujuslibet coloris varietate formata stuperet, & altiori intellectu per colorum varietatem variam meritorum cujusque qualitatem signari perpenderet; inter alia sui nominis literam, argenteo colore albentem, videt. Qui conversus ad semetipsum; & hinc profundum & immutabile divinæ præscientiæ demirans consilium, inde bonæ voluntatis suæ considerans propositum: si, inquit, cooperator omnium bonorum Deus bono affectui meo optatum ministraverit effectum; tanta bona in Episcopatu me confido facturum, ut argentea ista litera quandoque transformetur in aurum. Hæc quidem vir bonus, de bono thesauro proferens, bonum, ex habundantia cordis locutus est: nec segnior fuit in exequendis bonis operibus, quam pollicitus est. Quæ licet nobis ex parte inviderit majorum nostrorum incuria, & somno socordiæ suæ consopiti eum secum putarint consepeliendum; adhuc tamen ejus multa & mirifica opera extant, quæ eum quodammodo nobis viventem repræsentant; ut liquido testificari possimus, quod in Evangelio dicit Dominus: si hi tacuerint, lapides clamabunt. Quis enim nesciat, vivacitate ingenii ejus, & sagacitate consilii, vel prudentiæ singularitate, qua apud regni primores magni pendebatur, melioratum Reipublicæ statum, & in melius augmentatum sanctæ Mettensis Ecclesiæ, cui autore Deo præsidebat, pontificatum?

CAP. V.

De veteris ecclesiæ dejectione & novæ edificatione.

UT interim de *monasterio* gloriosi martyris Christi *Vincentii* sileamus, in quo construendo totos animi sui expendit affectus; primo ex subcisivis ejus operibus industriam ejus comprobemus. Inprimis major *ecclesia* pretiosi protomartyris *Stephani*, magnificentiæ ejus testis occurrit, quam vetustate sui ruinam periculosam minitantem decenter à fundamento reparavit. Stabat illo adhuc tempore illud antiquæ reverentiæ oratorium, servans thesaurum, quod gemmas vincit & aurum, scilicet sanguinis protomartyris pignus pretiosum. Quia non omnia nota sunt omnibus, de hoc oratorio paucis docebimus. Olim clamore *Galliarum* ante Deum multiplicato, & peccato malitiæ earum nimis aggravato; purpuratæ meretricis civitatibus propinavit calicem iræ & indignationis justi judicis commotio: ad ultimum earum exterminium *Hunis* laxatis, velut rabidis canibus ad devorationem ferarum & bestiarum agri instigatis, Pastores quique pro ereptione ovium suarum justa solicitudine omnimodis ambiebant. Sed adeo pec-

peccata populi invalescebant, ut, quamvis sacerdotes digni auribus Domini judicarentur; illi tamen, pro quibus orabant, indigni essent, ut exaudirentur. De hoc porro oratorio aliquibus insinuatum est ex divina revelatione, & maxime sancto *Servatio Tungrensi Episcopo*, Auctoris tunc temporis Mettensium præsulis familiarissimo, promissum est ex apostolica consolatione, hoc solum oratorium in *Gallia Belgica*, interventu protomartyris, immune futurum à barbarica depopulatione. Iam urbem populosam & opulentam in favillas redactam doleres, cum tamen undique lambentibus flammis ab oratorio faces longius removeri gauderes, & barbaros percussos ea cœcitate, quæ græce dicitur ἀκρασία, ab aditu aditi arceri stuperes; ut patesceret, quid posset fructuosa martyris fides. Stabat adhuc, ut dixi, quamvis longæva vetustate convulsum, simile jam cadenti, imo pene jam lapsurum. Sed quamvis ruina videbatur intentare periculum; tamen præsentia sui antiquum credebatur repræsentare præsidium. Cæterum præsul, qui ad restaurationem templi, & ad omnia, quæ usus vel decus ecclesiæ exigebat, induxerat animum, credens, quod non solum in manufactis habitaculis constet divinæ venerationis cultus, quodque locus nullum commendet, sed magis nos illum commendamus, bene vivere si satagamus; non timuit illud evertere funditus, quamvis animos & oculos offenderit plurium, quasi qui tulisset de medio evidens divinæ propitiationis inditium, & præsens meritorum protomartyris testimonium. Exædificatam igitur ecclesiam liberaliter ecclesiasticis ornamentis honoravit, donariis insuper pretiosis locupletavit, partim à se ipso collatis, partim sui amoris gratia ab optimatibus Regni ecclesiæ Dei oblatis, & præcpiue à munificentia gloriosi *Cæsaris Ottonis, ejusque conjugis Adheleidis*, cujus vita nil aliud fuit, nisi exemplar pietatis & castitatis. Sed & gloria posteritatis eorum *Otto junior* in hac largitate non fuit inferior. Quia enim fidelis paterfamilias thesaurizabat non sibi, sed dominicæ familiæ commodo ut daret illis tritici mensuram in tempore oportuno; collaborabat bonæ ejus intentioni multa fidelium Christi devotio.

CAP. VI.

De constructione Waltiodorensis cænobii.

UT de multis unum inseramus, fuit ea tempestate *comes quidam* nobilitatis gloria clarissimus, sanctitatis reverentia nominatissimus, *eidem patri nostro genere propinquus* nomen erat ei *Elbertus*. Is tactus instinctu cœlestis desiderii, posthabere cepit omnia, quæ ei habundanter arridebant pellacis gaudia mundi; indignum ducens, pro ejus lucro animæ suæ detrimentum pati. Qui legationem salutis suæ mittens ad regem cum duplo exercitu contra simplum numerum venientem, idoneam inter se & dominum elegit mediatricem piissimam videlicet Mariam, ejus virginem genitricem, & cupiens non tantum suas, sed ipsam vitam pro amore vitæ æternæ pacisci felici commercio sua omnia Deo dedidit ejusque genitrici & in honore ejus monasterium construxit in *villa Walciodoro*, quam Mosa alluit in *diocesi Leodicensi*, ibique sub monasticæ religionis habitu adunavit divino idoneos famulatui, qui sibi seminarent spiritualia, & illi sua meterent carnalia. Qui quia prædicti *Antistitis nostri* gloriabatur *Consanguinitate*, præsertim, quia eum apud animum Regis non parum valere videbat intima familiaritate, Regisque Regum gratiam promeruisse eum intellexerat & ex mundi cordis sinceritate, nullum post Dominum ejusque matrem, quam eum, sibi heredem subrogare maluit, idemque monasterium pro ejus amore puri sanctæ Mettensis Ecclesiæ testamento delegavit, & imperiali decreto in perpetuum confirmavit. Ille vero utpote vir non mediocris prudentiæ, quia non ingratus erat, tanto gratis ecclesiæ suæ præstito beneficio, ne ei præter æternam remunerationem etiam in terrenis deesset digna vicissitudo; villam suæ ditionis eidem contiguam loco, *Hasteriam* vocabulo, cum apenditiis suis eidem conjunxit cænobio.

CAP. VII.

Qui viri ea tempestate claruerunt.

IUre felicia dixerim *Ottonis tempora* cum claris præsulibus & sapientibus viris Respublica sit reformata, pax Ecclesiarum restaurata, honestas religionis redintegrata. Erat videre & reipsa probare, verum esse illud philosophi: fortunatam esse Rempublicam, si vel Reges saperent, vel regnarent sapientes. Præerant enim populo regni non mercenarii, sed pastores clarissimi. Inter quos merito sui lucidis comparandos syderibus, nominatus & sæpe nominandus ille magnatum maximus, *Bruno Archidux & Archiepiscopus*, velut Lucifer matutinus micabat rutilus. Post eum *Deodericus noster*, Ecclesiæ regimen, regni columna, virtutis specimen, passim nominis sui spargebat lumen. *Treviris* aurigabat currum Dei, *Heinricus*; post eum *Egbertus*, qui cujus sanctitatis fuerint, si quis ignorat, facile inveniet, à quibus discat. *Leucis* præerat *Gerardus*; *Virduni* antistabat *Wicfridus*, qui quales fuerint, vel hinc potest sciri, quia collegæ fuerunt hujus nostri Deoderici, ex disciplina scilicet Brunonis incliti; cujus etiam judicio ad gradum pontificatus

catus meruerunt provehi. Porro *Wicfridus* usus est in omnibus prompta opera præsulis Deoderici & maxime in construendo *coenobio sancti Pauli confessoris in suburbio Virdunensi*, à quo etiam pretiosiora auro & topatio ossa sancti martyris Gregorii Spoletini impetravit, quæ decenter, ut hodie est cernere, in Ecclesiâ eadem reposuit. Possem recensere plures cujusque ordinis ea tempestate insignes, sed nolo, extædientur aliorum mentes vel aures. Isti, præter eos, quos fama obscura recondit, hujus patris nostri contemporales; aliqui etiam contubernales; aliqui contribules: hi inquam ejus in bonum cooperatores; hi in castris Domini Sabaoth hujus egregii antesignani fuere commilitones; hi omnes succenturiati, in otio & in negotio causis Regis aderant; ejusque nepotem Deodericum alii patris honore, alii fratris amore mirifice excolebant.

CAP. VIII.

De morte Domini Brunonis.

POstquam igitur venerabilis *Archiepiscopus Bruno* totam composuerat *Lotharingiam*, *Compendium* perrexit, compositurus etiam *Franciam*, secum habens consobrinum suum *Deodericum*, in cunctis operibus bonis fidelissimum adjutorem; eum quippe ab exordio *incardinationis* ejus in omnibus negotiis exhibebat sibi cooperatorem; præsagiens eum operum suorum fore imitatorem, & gratiæ virtutisque sibi cælitus concessæ non longe post hæredem. Vir ergo pacificus volens vocari Dei filius, dum operum suorum bonæ consummationi esset intentus, decidit in lectum corporis gravedine detentus; & *Remis* usque regressus, ibidem invalescente ægritudine est retentus sentiens namque finem suum à Deo sibi notificari, numerumque dierum suorum consummari; sciensque quid deesset sibi, deliberavit secum elemosinis peccata sua redimere, & thesauros suos in gazophylazio coeli recondere, scilicet in usus pauperum & Ecclesiarum Christi expendere; & vocans ad se refrigerium doloris sui & vitæ mortisque solatium *Deodericum* & *Virdunensem* (nam & hic præsto erat) *Wicfridum*; coram eis dictavit & signavit testamentum suum, eosque sanctionis suæ testes & testamenti sui statuit dissignatores. Iamque impendente tremebunda dissolutionis suæ hora, nisu quo poterat ad nepotem suum *Deodericum* se convertens eique ex præcordiali affectu ultimum valedicens: domine, inquit, ora. Mox devote & confuse cantu & planctu personante omnium, *anno Domini nongentesimo sexagesimo quinto*, *V. Iduum Octobris*, solvit naturæ debitum, coelo mittens gaudium, mundo relinquens justitium. *Deodericus* cum Coëpiscopo corpus amici *Coloniam* reportavit, *testamentum* clero & civibus resignavit, fidem devotionemque, quam vivo demonstravit, defuncto non negavit. Dolens imprimis se unico solatio viduatum, affectum quem habebat in fratrem transfudit in consobrinum. Dolens antistes se superstitem esse animæ suæ dimidio, ne impar aut indignus esset Regis animo, fratrem ei repræsentabat fidelitate & obsequio, & sicut scriptum est, requievit spiritus Helyæ super Helysæum ad facienda signa & prodigia. Sic omne spiritualis gratiæ donum, quo *Brunonem* Dei insigniverat gratia, mireris in *Deodericum* transfusum ad disponenda regni negotia.

CAP. IX.

De unanimi fraternitate Cleri Mettensis & Halberstedensis.

ERat huic imperialis nobilitatis & Episcopalis dignitatis viro jugis vigilantia super excubias sibi commissi gregis, erat propensior cura pro honore & profectu clericalis ordinis; ideo quicquid eorum saluti conducere videbat, diligenter procurabat. Unde inter cætera *clerum Mettensem* & *Halberstedensem*, qui utrique uno innituntur patrono, victorioso scilicet protomartyre Stephano, ita mutuæ caritatis univit glutino, ut cor unum & animam unam eis infunderet in Domino; id est, ut in corporalibus perpetua eis esset dilectionis communio, & in spiritualibus indivisa esset caritatis connexio. Quod sua initiatum diligentia, successoris & nepotis sui bonæ memoriæ *Adelberonis* supplevit industria. Quia enim *Halberstedensis antistes* in celebratione missarum solempnibus diebus utebatur logio id est rationali, quod est indicium doctrinæ & veritatis prærogatum Ecclesiæ suæ ex decreto *Papæ Agapiti* suggessit per epistolam prædictus, *Adelbero*, *Hilduardo Episcopo Halberstedensi*; ut quia erant in omnibus unum, communicaret etiam sibi illud unum, quod erat sibi solum. Respondit illi ille: Unum individuum esse, sed quia unitatis caritas nihil patiebatur negare, misso simili illud se ei communicare; ea proposita conditione, ut neutri liceret ulterius jam ulli Ecclesiæ illud transfundere, sed hæ duæ solæ sorores uno patre, una matre, una germanitate, uno gaudentes protectore, oculis sponsi se aptarent pudicè & honorifice, & si qua alteri inesset macula aut ruga, alterius tergeretur vel corrigeretur dextra. Expostulabat tamen pro hoc vicem laudandæ remunerationis dari, scilicet ecclesiæ suæ partem vel minimam sanguinis protomartyris (qui sanguis vera fide creditur pullulare

lare in Ecclesia urbis Mettensis) & reliquias gloriosæ Christi virginis *Glodesindis*; unde (sicut per Salomonem dicitur: funiculus triplex difficile rumpitur) hæc ipsa fraternitatis unanimitas usque in præsens inconvulsa utrimque firmissime servatur.

CAP. X.

De privato honore Mettensium Pontificum.

FElicem matrem Ecclesiam tam dulci affectu filiorum! felicem, inquam, Mettensem urbem tam jugi profectu Episcoporum! Vix enim huic se præferre audebunt aliquæ Galliarum civitates, quod potiores à deo acceperint sacerdotes, vel nobilitate clariores, vel sanctitate illustriores; unde & quidam Mettensium Pontificum honorati ultra privatum præsulum modum, plerumque à sede apostolica tale consecuti sunt privilegium, sive ob sanctitatis gratiam, sive ob nobilitatis gloriam, *ut salva Metropolitani subjectione Archiepiscopi fungerentur officio & honore.* Ex quibus primus fuit antiquus ille *Urbicius*, & multo post, tempore Pipini Regis, *ex sorore nepos Crodegandus*, & post eum *Angelramnus*, & alter ab illo *Drogo Caroli Magni* imprimis *filius*; *Wallo* etiam vir magnæ in Christo reverentiæ *Pallii usum meruit* decreto *Johannis Papæ*; sed & *Rotbertus* post eum *Archiepiscopi* accepit *insigne.* Sed omnes hi singulari suæ dignitati non in commune matri suæ Ecclesiæ consulentes honori, in diebus tantum vitæ suæ singuli hoc privilegio potuerunt decorari. Hi vero nostri i. e. *Deoderius* & *Adelbero* hanc honoris prærogativam thesaurizaverunt non sibi duntaxat in præsentiarum, sed posteris & filiis matris suæ in perpetuum; scilicet non temporaliter vel fastuosæ eminentiæ illius ambitum accipientes, sed per hoc se suosque successores admoneri volentes, ut quanto ceteris apparerent eminentiores, tanto ardentius instantes doctrinæ & veritati, attenderent sibi & gregi. Nullus interpretetur sinistre, quod confirmatum est ab *Adelberone*, hoc nos nostro *Deoderico* asscribere: sed attendat in isto exordium causæ, in illo effectum causæ, his ex parte per prolepsin dictis, cœpto accingamur operi.

CAP. XI.

De immunitate Ecclesiasticarum familiarum.

PAstor noster nuncupative bonus, imitatus vestigia illius pastoris, qui essentialiter est bonus, non incubabat ovili, ut mercenarius, qui fugiens, dat locum invadendi oves insidiatoribus, sed utrobique assistens suis propugnator indefessus, ab hostium visibilium & invisibilium eos tutabatur incursibus; ut cum princeps pastorum appareret, immarcessibilem gloriæ coronam acciperet. Timebat enim non surdus auditor vocem summi Pastoris, iram, judiciumque per Hiezechielem pastoribus intentantis his, qui semetipsos, non Domini gregem pascunt, qui cum austeritate & potentia eis dominantur, qui fortunæ pinguium abutuntur, imbecillitatem exilium aspernantur; qui gregem in dispersionem vel devorationem bestiarum agri negligentia sua abire patiuntur. Quocirca incessabilis eum cura remordebat, etiam pro laicalibus familiis matris suæ sanctæ Ecclesiæ & contra superborum insolentiam vel pravorum injusticiam juste & potenter satagebat eas jugiter defensare, ne notaretur à prophetica voce; canes muti, non valentes latrare. Nec sufficiebat bonæ ejus voluntati suffragari eis tantum in præsentiarum, nisi etiam ipsis & posteris eorum consuleret in posterum. Siquidem ne deesset eis contra iniquitatem judicum auctorale ecclesiasticæ libertatis suffragium, leges constitutas illis à prioribus regibus vel pontificibus diligenter exquisivit; exquisitas in præsentia Imperatoris recitavit; recitatas edicto imperiali confirmari, scripto insuper & sigilli regalis impressione fecit corroborari.

CAP. XII.

De Spinal Castelli vel Monasterii constructione.

HIc Dominicus agricola non otiose sollicitus pro vinea, quam paterfamilias sibi locaverat; sedulo eam putabat, ligone excolebat, lætamine verbi impinguebat; postremo quicquid usus culturæ exigebat, in tempore exibebat; expectans denarium, ex quo cum Domino convenerat. Et quia secundum apostolum laborantem agricolam de fructibus primum percipere oportebat; & quia suppetunt multa sedulitatis ejus indicia: non videtur nobis numerandum esse inter postrema, quod in *pago Calvomontense, Dioecesi Tullensi*, in villa, quæ ex accidenti, rusticorum lingua *Spinal* vocatur, castellum exstruxit, quod ædificiis & rebus necessariis opime honestavit, propugnaculis satis munivit, armis & armatis sufficienter replevit. Quia enim eadem regio infestabatur improvisis & continuis incursionibus prædonum, & intolerabilibus insidiis latronum, & præcique calamitosa erat eis vicinitas *Burgundionum*; hoc eis opposuit quasi firmissi-

missimum repagulum & patriæ inexpugnabile firmamentum. Sed curam animarum non in secundis habuit. Nam videns locum usibus divini satellitii aptum, ad honorem summi Dei construxit etiam monasterium, delegatis ad sufficientiam prædiis, & quæ expetebat necessitas inibi Deo famulantium. Inspirante etiam magni consilii angelo, corpus sanctissimi *Goerici*, confessoris Christi & *Mettensis Episcopi* levatum de Ecclesia sancti Symphoriani, quæ sita est in suburbio Mettensi, transtulit illuc cum maximo psallentio, cum digno cleri plebisque tripudio, ut advenæ & indigenæ fidelem protectorem haberent, cujus interventu vota precesque suas auribus omnipotentis suggererent; & ut locus celebrior haberetur, & ut oppidanis vel indigenis commeatus undecunque suppeditarentur, *percussuram monetæ* ibi fieri, & mercatum publicum constituit celebrari. Etiam hoc decreto & sigillo imperiali sancire non prætermisit. Sic locum illum, ut hodie est cernere, insignivit solenniter. Unde usque in præsens patriotæ illi, præsentia sancti confessoris suffragia experti, in oportunitatibus, nomen Dei per eum benedictum venerantius, & piam provisoris sui Deoderici industriam laudibus attollunt instantius.

CAP. XIII.

De jactis fundamentis Basilicæ sancti Vincentii.

SUccedentibus ergo bonis, & gratia Dei cumulante gaudia gaudiis, *Otto Imperator* Italicam sedulo repetens regionem, filium suum sibi cognominem bona indole adolescentiæ, patriis virtutibus respondentem, jam dudum *Aquisgrani* unctum in Regem, fecit sibi concreari Imperatorem; ut delegatis ei secundis imperii partibus, ipse indulgens senectuti, quod supererat ævi ageret tranquillius. Quod gestum *anno Domini DCCCCLXVIII* conjicimus: Quo etiam anno jacta fundamenta *Ecclesiæ sancti Vincentii*, ex majorum scripto comperimus. Et ne quis verbis meis deroget, ipsa majorum quamvis paucissima verba hic inserere libet: Anno incarnationis Dominicæ DCCCCLXVIII Domno Deoderico Pontifice „sanctam hanc sedem, qua *augustalis amplitudine sanguinis*, qua animi virtute atque indu„stria singulari in omni genere studiorum egregieque factorum divinè atque humane, pu„blice ac privatim, summa ope ac magnificentia feliciter exornante; eo interim Italico „delectui * sanctissimorum individuo comitatu augustorum *Ottonis ejusque* gloriosissimi *æ„quivoci* patriis digne virtutibus respondentis, ad hoc pulcherrimo decore imperii Domi„næ *Adelheidæ augustæ*, fere per triennium militante; ** sumptibus se dignis & copiis to„tius hujus sanctæ fabricæ ex novo jacta sunt fundamenta.

CAP. XIV.

De Immunitate loci ab Apostolico impetrata.

PRovidens etiam Augustus propagandæ sanguinis sui successioni desponsavit filio suo *Theophanu* filiam Imperatoris Constantinopolitani, eique Romæ nuptias celebravit magnificentia Imperiali. Huic delectui & his disponendis rerum gerendarum negotiis venerabilis præsul *Deodericus*, ut præscripsimus, inter primos præcipuus intererat, qui sic generis dignitate & gratia nulli cedebat, perinde quia consiliis non futilis auctor erat, ita apud Imperatores & Domnum Apostolicum nulli inferiorem gradum tenebat. Qui quamvis negotiis imperialibus & ecclesiasticis præ omnibus occupatus erat, tamen nocte dieque ad singulare suum desiderium i. e. ad constructionem ecclesiæ sancti Vincentii animo recurrebat. Cujus construendæ curam commiserat *Abbati Gorziensi Odilberto*, viro sibi amicissimo & divina atque humana scientia in omnibus nominatissimo. Ipse interim, ut apis prudentissima, pio exercitus labore, undeunde congerebat, unde alvearia sua repleret, unde liquentia mella stiparet, unde cellas liquido nectare distenderet, in quibus in spem sanctæ gentis adultos foetus educaret, & ut ignavum pecus à præsepibus arceret, primo immunitatem ipsius loci à *sedis Apostolicæ præsule Iohanne* impetravit; & locum illum & omnia, quæ ei contulerat sub apostolicæ tuitionis sera commendavit & clavi insolubilis anathematis ita signavit, ut si cujus callosum pectus obturaret obstinationis immanitas, & eum à violentia vel injusticia sanctæ Ecclesiæ nec ista apostolica refrenaret immunitas; *omnis ei in reliquum negaretur impunitas.* Ita vir Deo amabilis dum vult esse de suis securior, dum vult videri propositi sui victor, *aliquantulum*, quod pace ejus dixerim, *visus est esse severior.* Ponamus ergo præ oculis illud Apostolicæ auctoritatis privilegium, quod sicut est rerum nostrarum munimentum, ita sit etiam verborum nostrorum probamentum.

Pri-

* Forte: *delectu &*

** Sensus est: Deoderico hanc sedem ornante, & in italica expeditione & Comitatu Augustorum & Augustæ militante.

PRIVILEGIUM.

JOhannes Episcopus servus servorum Dei, dilectissimo *Deoderico* filio nostro *sanctæ Metten-* „ *sis Ecclesiæ præsuli.* Cum in exarandis Dei laudibus debita pastoralis compulit sollicitu- „ dinis cura, quæque ad stabilitatem piorum dinoscuntur pertinere locorum, ubertim pro- „ mulgare, & Apostolicæ institutionis in privilegiis atque decretis censura confirmare; con- „ venit nempe nos, apostolico moderamine, sancta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in „ ruinis, magnaque inopia ac paupertate degentia, oportune ordinare, seu ad meliorem si- „ ne dubio statum perducere, præsertim ubi illa petuntur, quæ non ad commodum tempora- „ le, sed ad perpetuam providentiam pertinent Domino servientium animarum, scilicet ut „ venerabilis locus, qui à *Deoderico* dilectissimo filio nostro in uno conglobatus atque anne- „ xus est, cum propriis congregationibus, quæ regulariter in psalmis, ymnis & orationibus Deo „ salvatori nostro Jhesu Christo pervigiles excubias exibet, ab insolentiis exterioribus circum „ munitæ jugiter valeant pii famulatus officia in monasterio sancti Vincentii exibere; & „ quum constat tuam religiositatem hujus privilegii Apostolicam confirmationem postulare „ à nobis, propter immutationes temperalium rerum, variosque hominum casus, munitio- „ nem sancti Vincentii Christi martyris, cum omnibus ad idem monasterium pertinentibus „ atque corroborationem tui tuæque congregationis & successorum tuorum in perpetuum fie- „ ri censuimus; quatenus nunc, sicut à te disponuntur, ita in posterum usque in finem con- „ serventur, & ut illa congregatio inconcussa in unum perseverans sedulas laudes Deo persol- „ vere valeat, & sicuti à Deo eorum studia imbuta sunt, jugiter perseverare liceat; atque sub „ uno Abbate jam prædictus locus constitutus in honore sancti Vincentii indivisus sit & indivi- „ sa congregatio. Nec cuiquam licentia præbeatur, ut refugiens vigorem studiosæ sibi re- „ gulæ, huc illucque vagetur vel aliis reconferre conetur monasteriis, quod à nobis contra re- „ gulam sub anathematis vinculo prohibetur. Quapropter statuentes atque promulgantes „ coram Deo & terribili ejus futuro examine per hujus nostri privilegii Apostolici atque con- „ stituti paginam sancimus, & beati Petri Apostolorum principis auctoritate decernimus atque „ obtestamur, tam apostolicæ sedis futuros Pontifices, quamque qui Episcopalem administra- „ verint actionem; vel etiam magna parvaque persona aut quispiam cujuscunque sit dignita- „ tis, præditus potestate ea, quæ à prædicto Deoderico dilecto filio nostro pie venerabili loco „ tradita atque concessa fuerint, quoquo modo à quoquam licentiam habeant, sæpius nomi- „ natum locum sancti Vincentii in unum adunatum atque spiritaliter Apostolicæ exarationis „ stilo conjuncta, disjungere vel aliquid exinde alienare. Et illud monasterium sancti Vincen- „ tii respiciens sit ad sedem Episcopalem protomartyris Christi Stephani, jubemusque ut Ab- „ bas in potestate illius loci eligendus sit. Si vero Episcopus defuerit, liceat Abbati in festivis „ diebus ad sedem Episcopalem accedere, ibique cum dalmatica & sandaliis, quas illi mittimus, „ missas celebrare. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quæ ab hac „ nostra autoritate pie & firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt, contra ire „ temptaverit, vel hæc, quæ à dicto Deoderico dilecto filio nostro Mettensium præsule, ad „ laudem Dei, pro stabilitate jam dicti monasterii, videlicet sancti Vincentii, statuta sunt, re- „ fragare, auferre vel alienare præsumserit: sciat se autoritate beati Petri Apostolorum prin- „ cipis anathematis vinculo innodatum atque cum Juda traditore Domini nostri Jhesu Christi, „ æterni incendii supplicio concremandum. Sic deputatus nec unquam à præfati anathema- „ tis nexibus sit absolutus. At vero qui pio intuitu observator in omnibus extiterit, gratiam „ benedictionis à misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & vitæ æ- „ ternæ particeps efficiatur, & hæc cathena beati Petri aperiat ei januam paradysi: si vero ali- „ quis Episcopus inde aliquid minuere voluerit, hæc, ut diximus, cathena ei claudat polorum „ regna. Scriptum per manum Stephani notarii & regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in „ mense Septembri, & indictione quarta decima. Bene valete.

Data 3. die Kalend. Octobris, per manum Widonis Episcopi & bibliothecarii sanctæ se- „ dis Apostolicæ, anno Pontificatus Domini Johannis summi Pontificis & universalis tertii de- „ cimi, præsidentis in sacratissima sede beati Petri Apostoli quinto; Imperii Domini Ottonis „ majoris nono; minoris vero tertio; anno denique ab incarnatione Domini nostri Jhesu „ Christi DCCCCLXX.

Epiſtola ejusdem Antiſtitis
D.... de dandis decimis ad Eccleſiam ejusdem ſancti Martyris.

„SErvorum Chriſti famulus *Deodericus Epiſcopus* officio ac nomine, quamvis indignus,cum „univerſa familia ſancti Vincentii, Chriſticolis Eccleſiarum noſtrarum gaudia vitæ præſen„tis & manſura præmia æternitatis. Pauperibus ac ditioribus vel mediocribus, qui conſtitu„tas Deo rerum ſuarum decimas ſine aliqua retractatione reddere ſecundum ſuum cujusque „poſſe ſatagunt, ſcilicet de primitiis ovium, de lino & lana, de vino atque annona, ſive de qui„buscunque rebus hic non prætextis; his innoteſcimus, eſſe gaudendum atque illud ſe divi„næ gratiæ muneris adepturos, quod Paulus Apoſtolus ſpontaneos bonorum ſuorum diſpen„ſatores diligendos prædicat, dicens: hilarem enim datorem diligit Deus. Noveruntque ſe „in præſenti vita pro hoc ipſo benedictionem copiamque bonorum temporalium adepturos, „ſi tantum in hac benigna perſtiterint voluntate, pacisque bono replebuntur, quam angeli,na„tum Dominum gregum paſtoribus nuntiantes, ſolùm bonæ voluntatis hominibus aſſigna„runt. Illi verò qui decimas debitas Deo exſolvere retardantes, maligna obſtinationis perfi„dia defraudare moliuntur; pertimeſcant judicium horrendæ dampnationis, quod idem A„poſtolus terribiliter his eorumque ſequacibus, comminatur, neque fures neque rapaces, re„gnum Dei poſſeſſuros affirmans.

CAP. XV.
De nonis & decimis Eccleſiæ ſancti Vincentii Levitæ & martyris.

INſpecta hac rerum conſequentia & ſcriptorum convenientia intueatur quilibet diligentius & attendat, qualiter vir iſte in ſe totus teres atque rotundus, quaquaverſum ſedulitatis ſuæ reliquerit monimenta laudanda in omnibus, & ex veteri & ex novella lege Deo Deique miniſtris deberi decimas rerum, easque ſynodali ſanctione nuncupari Dei cenſum, nec ſimplicibus vel idiotis extat incognitum. Hic ergo, cui erat in votis, ut funes interminabilis hæreditatis caderent ſibi in præclaris, in nullo volebat defraudari partes Dominicæ hereditatis. Quocirca decimas Eccleſiarum ſuæ dyocœſeos à prædeceſſoribus ſuis ſtipendii vel beneficii loco deputatas perſonis laicalibus, ſynodali auctoritate & Epiſcopali cenſura ſubtraxit, illis quamvis invitis, & reclamantibus, & (ſecundum quod ſcriptum eſt; qui altario ſerviunt, de altario vivant) Eccleſiarum res Eccleſiarum delegavit officialibus, quæ Dei Deo, & quæ Cæſaris erant Cæſari reddere catus. Hinc hodie ſanctæ Dei gaudent Eccleſiæ, illæ maxime, quibus inſtaurandis animum induxerat; ſcilicet *ſancti Vincentii*, martyris, *ſanctiq; Goerici* confeſſoris. Et quia hoc illi videbatur commune cum cæteris, cupiebat etiam aliquid ſupererogare, ut cum verus ille Samaritanus veniret, ſuper duos geminæ dilectionis denarios immarceſſibilem gloriæ coronam perciperet. Nonas omnium redituum Epiſcopii, quæ ad proprietatem dominici juris pertinebant, & in ſingulis cortibus manſum unum uſibus ſuis ſubtraxit, atque Eccleſiæ pii patroni ſui Vincentii ſuperaddidit. Et callens à ſucceſſoribus plerumque alienum fundamentum aut ſubrui aut negligi, ne quis ſucceſſorum ſuorum hoc liberalitatis ſuæ decretum irritum faceret, introduxit inſolubili anathemate, addita imperiali ſanctione & apoſtolicæ inſuper excommunicationis maledictione.

CAP. XVI.
De aviditate ejus in perquirendis reliquiis Sanctorum.

ISte ſcriba doctus in regno cœlorum, in ſancta videlicet Eccleſia, ſimilis homini patrifamilias proferenti de theſauro ſuo nova & vetera, perpendens dominum non multum delectari manufactis habitaculis; ſed potius his, quæ ſpiritualiter geruntur in illis; ſicut ait egregius prædicator veritatis: ſcitis, fratres, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis; ſi quis autem violaverit templum hoc, diſperdet illum Dominus: quia templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Quid enim decor parietum, fulgor metallorum, ſplendor gemmarum, nitor pretioſarum ſignificat veſtium, niſi diverſarum allegorica ornamenta virtutum; intelligens, inquam, vir Dei, magis expetendam interioris hominis puritatem, quam perfunctoriam exterioris pulchritudinis venuſtatem, etiam in hoc ſategit opus ſuum perducere ad unguem. Quod facile quivis vel in hoc ſolo animadvertere poterit, ſi conſideret, quantum ei de coadunandis ſanctorum pignoribus in iſto loco ſtudium fuerit; quorum inibi habitantes,

& ad

& ad bene agendum accenderentur, exemplis; si quibus attererentur malis vel periculis, eorum præsentibus defensarentur patrociniis. In hac etiam re vix quisquam dignè possit demirari ejus prædicabilem vitam: quia cum tantam cœlitus meruerit gratiæ prærogativam, ut si qui aliquo modo offenderant majestatem Imperatoriam; cum solum expeterent interventorem, eum solum quærerent mediatorem ad placandam regiæ censuræ indignationem; Ipse tamen nulla ab eis, pro hoc, temporalis emolumenti exspectaret vicissitudinem, eas solas undeunde avidissime expetebat divitias, undecunque posset, Sanctorum contraheret corpora vel reliquias: ea sola, non vituperabilis animum ejus exedebat cupiditas. Jam jam ergo *pagina illa proferatur in medium ab his, qui interfuerunt, plenissime digesta de translatione Sanctorum:*

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXX. magno & gloriosissimo Cæsare *Augusto*, „ *Ottone* cum æquivoco suo admirabilis indolis adolescente filio æque Augusto, simulque ma-„ gnarum virtutum *conjuge Adeleide*, qua nihil unquam justius, mansuetius, prudentius, nec ma-„ gis piè quicquam potuit esse, Italiæ sceptra pio justoque moderamine pacificè ac solide usq; „ in fines Calabriæ gubernantibus; domnus & venerabilis sanctæ Mettensis *Episcopus Deoderi-„ cus* ipsi magnifico imperii sanguine ac mira dilectione ac consanguinitate conjunctus, cujus-„ que consultu pro mira sapientiæ prærogativa cuncta Palatina agebantur negotia, in eadem „ Italica expeditione constitutus, *in qua triennium fere militavit;* dum divino præcipue cul-„ tui deditus quæque ad honorem, decorem seu munimentum suæ sanctæ sedis certatim ex-„ quireret atque efficaciter votis ejus cuncta suppeterent, corporum sanctorum maximam co-„ piam ex diversis Italiæ locis divina se gratia adjuvante collectam digno se cultu atque ho-„ nore, alibi præstantius veneranda, eidem suæ sedi sanctæ Mettensi invehere studuit.

De sancto Elpidio.

Horum primum, sanctum & venerabilem Christi confessorem *Elpidium* ex Marsorum „ provincia sumpsit concedente *Alberico* ipsius *Marsiæ Episcopo*, ex quadam Ecclesia sedi Episco-„ pali proxima. Quæ sedes super lacum *Sticinum* sita quid olim fuerit, ruinæ urbis & plurima-„ rum circa Ecclesiarum ac monasteriorum frequentia attestatur. Hæc nobis ipse Episcopus „ cæterique incolæ retulerunt: Fuisse ex cœtu quorundam servorum Dei, qui tempore „ antiquiore ex partibus Græciæ, numero LXX. in eandem Marsorum provinciam adventan-„ tes, ac diversis circumquaque locis vel civitatibus venerabilium signorum lumine refulgen-„ tes, ubicunque in sancta conversatione finis vitæ advenerat, venerabili sepultura reconditi „ multa vicinorum longe lateque reverentia pro assidua miraculorum jocunditate coluntur. „ Horum tres, quorum hic tertius fuit, in eodem cimiterio quiescebant, Calistratus, Euticius „ & hic Elpidius. Porro Euticium Imperator Otto sustulerat, & ne qua in accipiendo posset „ adhiberi fallacia, sepulcro intacto satisque munito, nec à die repositionis ulla violatio-„ nis signa monstrante, priusquam ab aliquo incolentium præsciretur, Episcopo tantum Albe-„ rico & paucis ejus clericis assistentibus, præsbyter noster Leudo cum præsbytero imprimis „ Heriwardo archam sancti, quod nisi altari desuper effracto nequiverant, aperiunt, ipsique per „ se sacra ossa miri candoris nec minus fragrantis odoris, omnia numero ac quantitate in-„ tegra excipiunt scrinioque recondunt. Hujus diem XVI. Kal. Octobris celebrem habemus. „

De sanctis Eutice, Victorino & Marone.

Venientes proxime abhinc in territorium Amiterninæ urbis, quæ & ipsa ruinas tantum „ ostendit, ab eodem *Alberico Episcopo* de monasterio suæ ditioni subjecto *Reate*, prætiosum „ martyrem *Euticen*, accepit; cujus beati socii *Victorini* jam anno superiore reliquias eme-„ ruerat, simul & partem sancti *Maronis* pariter passi; quorum & loca passionis aspeximus, & „ aquas *Cotilas* fœdo odore spirantes; in quibus verso capite suspensus fuerat martyr. Pas-„ sionem denique eorum scripta retinent sanctorum *Nerei* & *Achillei*. Hunc ipse Domnus „ venerabilis Deodericus ibidem assistens ex ipsa archa fortiter munita, mira cum excubatione „ ac veneratione excepit, octavo Kal. Octobr. Hos duos *Adelardus filius Gerardi* in patriam „ asportavit.

De sancto Feliciano Episcopo Martyre.

Fulinias castrum non procul à Spoleto *Felicianus* magno undecunque concursu ho-„ minum affluente corpore sacro tuebatur, cum *Benedictus* ejusdem Fuliginiensis Episcopatus „ multo cum fletu largitus, per *Bertraum* diaconum & *Heriwardum* præsbyterum IV. Nonarum „ Octobris ex ipso intimo antro sustollitur. Passio ejus descripta est.

De

De sancto Asclepiotato Martyre.

„ In sancto saltu, qui Collis dicitur, qui Perusio adjacet civitati, ubi tempore imprimis „autumnali exercebatur venatus, monasterium erat antiquissimum super fluvium Tyberim, „qui ibi mediocri vado præterfluens, sui exinde usque ad urbem Romam pelagi profundita„te augetur, hoc pulchro quondam opere, marmoreoque ornatu, ut videri dabatur, exstru„ctum, sed temporis vetustate collapsum martyris egregii Asclepiotati membra venerabi„liter humata tenebat. Cujus tumbam, forti nimis saxorum ac terræ congerie obclusam, „dum cum magna tandem difficultate *Teudo*, *Bertrau* & *Rotardus* & *Heriwardus* penetratam „marmore, sancto corpore proximiore, nudassent; inveniunt monumentum imo usque pro„fundum dimissum, & per medium à capite usque ad pedes quodam limite ex ipso natura„liter saxo quasi divisum, quod tamen diligentius inspectum unum continuumque consta„bat: Beati vero corporis medium hinc, medium illinc, membris altrinsecus, unum contra „alterum, oppositis, excepto capite solo, quod in unam integrum partem jacebat diligentissime „collocatum. Hoc æditu͏us & reliqui dixerunt, inditio voluisse antiquitatem signare, quod & „ipsi vere asseverabant, eundem martyrem crudeli genere passionis medio corpore vivum „exsectum atque, attestante ita in monumento, dividuo positum. Hoc pariter digno ut par „fuerat honore sublatum VII. Iduum Octobris venerabilis Pontifex suscepit. Diem natalis „ejus IX. Kal. Novembris didicimus. Nam gesta ejus minime ab Episcopo de Sisa, ad quem „locus pertinebat, quivimus extorquere.

De sancta Serena & Gregorio Spoletino.

„ Sanctissima virgo *Serena* apud Spoletum in monasterio sancti Savini Martyris, foris „muros urbis, ubi & pluribus miraculis choruscabat, quieverat; ad quam pene cotidie ma„gnus populorum veniebat concursus, ita ut noctes quoque pervigiles turbæ cum lucernis „cæterisque donariis ibi peragerent. Hanc quoque cum integris toto corpore ossibus, misso „illuc Rothardo diacono cum aliis sibi fidelibus viris, venerabilis Pontifex est adeptus. Reli„quias quoque beati martyris *Gregorii Spoletini*, ibidem obtinuit, cujus passio scripta est. Bea„tæ *Serenæ*, præter quod in passione sancti Savini reperimus eam ipsum beatum martyrem tu„mulasse, nihil plus gestorum perquirere potuimus. Quæ tamen tam assiduis se virtutum com„mendat insignibus, ut viva harum lectione oculis objecta, gestorum attestatione quid fuerit „in vita, non egeat. Dies ejus X. Kal. Decembris, quo eodem & sancti Savini martyris cele„bratur.

De catena sancti Petri Apostoli.

„ Inter hæc Romam misso prædicto diacono Rothardo dono Domno *Papæ Johannis*, qui „tertius decimus in eo nomine erat, partem non modicam *Catenæ beati Petri*, in basilica, „quæ dicitur ad vincula, eandem portionem execante promeruit. Cum ea quoque privile„gium monasterii sancti Vincentii, cum dalmatica & sandaliis abbati ejusdem loci apostolica „prærogativa concessis, idem Domnus Papa direxit. Hæc omnia Adelbertus clericus cum „*Conone comite* transtulit. Qualiter autem occasio tam memorabilis donationis contigit, „inserere lectioni non piguit. Quadam namque die, dum *Otto Imperator* Romæ esset, acci„dit, ut quendam Comitem ejus valde familiarem diabolus invaderet & ante cunctorum ocu„los seipsum miserabiliter, qui tenebatur, decerperet. Quod Rex ut audivit, admodum mœ„stus huic solo remedio incubuit, quatenus Domno Johanni Papæ eo tempore apostolatu in„signito duceretur. Nam tunc forte Imperator civili cura paulisper remotior tenebatur. „Factum est autem, ut præsens adfuit demoniacus, Romani clerici, sicut semper mos illis est, „simplices quosque deludere de requisitione catenæ, quandam ferri catenæ partem offerunt, „furenti circumligandam, non minus prohibente Apostolico, ne luderetur Domnus Impera„tor. Præbent aliam, donec tertia illusione Domnus Papa motus animo, veram sancti Petri „jussit deferri cathenam. Ad hoc autem spectaculum à Rege missi inter cæteros venerabiles „viros, *Mettensis præsul Deodericus* & prædictus Rothardus erant præsentes, exitum rei præsto„lantes. Quæ ubi contigit collum dæmoniaci, mox invasor spumans & multum clamans „abcessit. Quod ut vidit Domnus Deodericus Mettensis, arripuit cathenam, manuque in„volvit, dicens: nullo modo nisi manu abscissa dimittendam. Huic litigio accurrit Domnus „Imperator, & quis tantus tumultus esset inhianter investigare cepit. Cui cum indicatum „esset, & prioribus verbis Episcopus responderet; conversus Rex etiam ipse cepit petitor exi„stere, & ut id fieret vehementer exposcere. Quod & Papa libentissime annuit; licet plurimus „ordo Ecclesiæ Romanæ graviter reluctaverit, & serra deportata custos abscidit. Quam partem, inter-

interveniente cauſa alius negotii, Papæ, quoniam cariſſimus amor erat inter utroſque, re-,, commendavit. Sed poſtea miſſo Rothardo diacono, eam ab Eccleſia, quæ dicitur ad vin-,, cula, ubi hoc factum fuerat, Domno Papa concedente, aſportavit. Præterea infirmantibus,, ſalubris provenit, ſi quis cum fide apud ſanctum Vincentium, ubi repoſita veneratur à po-,, pulis, eam tangere meruerit.

De ſancto Vincentio Levita.

Beatum martyrem & Levitam Vincentium in civitate quadam antiquiſſima, quæ ad ſo-,, lum uſque jam longo tempore diruta fuerat, *Corduno* nomine, quæ ab *Arethio* XII. millibus di-,, ſtat, ex monaſterio proximo ſatis pulchro ornatu, quod multa itidem frequentia veneraba-,, tur; Bertraus diaconus, comitante ſecum quodam clerico Epiſcopi Arietini, cui nomen Eri-,, ſulfus, indice loci, cum magna licet difficultate, vitæ quoque non minimo periculo tranſtulit.,, Hunc ex Hiſpania in Italiam deportatum firmiter aſſeruerunt. Cujus modum tranſlationis,, poſtea, *Domno præſule Beneventum veniente*, dum *Nurui Imperatoris* à Græcia venienti ob-,, viam miſſus eſſet, plenius cognovimus. Juxta *Capuam* ſiquidem monaſterium jam pene,, dirutum, nomine ſancti Vincentii reperimus: quod grandi & miro opere quondam à fra-,, tribus tribus nobilibus conſtructum veterani, qui ibi tunc pauci viſebantur, monachi dixe-,, runt; & corpus ſancti Vincentii poſtea à duobus monachis ex Hiſpania ibi clam deporta-,, tum, atque deinceps multis temporibus maxima veneratione habitum, donec à paganis, eo-,, dem monaſterio vaſtato, corpus ſanctum inde ſublatum & ad prædictam Cordunenſem ci-,, vitatem eſſe tranſlatum. Tunc etiam Epiſcopus Ariethinus non modicam portionem,, ſanguinis beatiſſimi prothomartyris Stephani in vaſe cryſtallino optimo, auro gemmiſque,, compoſito & de ſanguine Innocentum in alia pyxide & de capillis ſancti Petri, breviculis per,, ſingula appoſitis, quamvis invitus, & ſummo in diſcrimine apud Imperatorem ſui ſuarumque,, rerum poſitus dedit; & quia redemptionis ſuæ facultas eum anguſtabat, precatorem ſuum,, noſtrum venerabilem Præſulem per hoc & per corpus ſancti Vincentii paravit atque ſic in,, gratiam Imperatoris, eo interveniente, vix rediit. De hoc ipſo beato martyre plures Italo-,, rum Epiſcopi jam ante ſæpe temptaverant, ut id adquirere poſſent, in quibus *Ambroſius Ber-*,, *gamenſis*, pro eo quod ſedes Epiſcopatus ſui in honore ſancti Vincentii eſſet; & ante bre-,, ve tempus, cum quibus potuerat, diem, cum eum excepturus eſſet, ſtatuerat. Sed Domno,, ordinante, ut in craſtinum ille condixerat, nocte præcedente à nobis præoccupatum eſt. Hoc,, Clerici de monte Romarici tulerunt.

De ſanctis Proto & Jacinto.

In Sabinis regione non procul ab urbe Roma miliario fere XI. ſancti martyres Pro-,, tus & Jacintus erant reconditi, aliquanto negligentiori cuſtodia. Hos Abbas quidam de,, monaſterio ſanctæ Mariæ, quod dicitur *Farfara* venerabili Pontifici noſtro, dum, de cauſa,, ſua, eum apud Imperatorem ſibi fieri interceſſorem rogaret; quia nullo tantum munere,, eum cognoverat delectari, partem primo obtulit; ſed poſtea mira inſtantia Domni præ-,, ſulis, quicquid inde reperire potuit, adjecit; ipſe cum ſuis monachis dans ſuper ſancta Ev-,, angelia ſacramentum, vere ea oſſa ſanctorum Proti & Jacinti exiſtere. Hoc poſt natale Do-,, mni, dum Roma reverteremur, in vicinio *Hortæ* civitatis eſt actum.

De ſanctis Digna & Emerita.

Sed Romæ nobis tunc conſtitutis munere Domni *Papæ Johannis* pignora ſanctarum,, *Dignæ* & *Emeritæ*, quarum corpora in porticu eccleſiæ beati Marcelli martyris ſunt recon-,, dita, quæ eſt ante ſanctos Apoſtolos, ſimul & alias ſigillatim repoſitas, cum propriis annota-,, tionibus, diverſorum ſanctorum reliquias accepit; in quibus & ſandalium ſancti Stephani.,, Hæc omnia per Willardum monachum Mauri monaſterii miſſa ſunt.

De ſancto Vincentio Epiſcopo.

Alterum ſanctum Vincentium Epiſcopum ex monaſterio quodam in comitatu Urbini,, à Ravenna miliario fere quinquageſimo juxta Petram pertuſam, ab Abbate rebus neceſſariis,, nimis attrito, quia aliud, quod daret pro revelatione loci, non habuerat, partem primo offe-,, rente, ſed Bertrao illuc miſſo, multaque arte ſtrenue agente [totum] percepit. Hujus,, paſſionem deſcripſimus. Hic per *Immonem Comitem* miſſus eſt.

De sanctis Leontio & Carpoforo.

Civitas Vincentia est non longe à Venetia, ad quam olim Longobardi, dum Italiam in„vaderent, primam urbium venisse dicuntur. In ea martyr Leontius monasterio celebri ve„nerabatur. Hujus Episcopatus loci reliquias nostro reverentissimo præsuli si pro causa sua „Imperatoriam interpellasset majestatem, repromisit. Mox misso illuc Rothardo diacono; „cum Episcopus nimium se fecisset difficilem in dando, præter quod duntaxat promiserat, tan„dem contigua exigentis victus instantia, præter pauca sibi pignora retenta, reliqvum corporis „totum largitus est. Hunc beatum [Leontium &] Carpoforum Romæ passos, ab eadem ci„vitate non longa ante tempora translatos, incolæ asseverabant; ubi & nobile quondam mo„nasterium sancti Felicis visebatur, ubi & primi reconditi ferebantur. Sed eo ab *Ungris*, qui „pene locorum ipsorum vicini sunt exusto atque assidua incursione eorum, reparationem pro„hibente ad sedem Episcopalem infra urbem sub altare depositi sunt. Unde & præfatus Ro„thardus diaconus sanctum quidem Leontium totum, sancti vero Carpofori reliquias non „modicas ab ipso, quo claudebantur, sumpsit altari, effracto sepulchro. Passionem eorum „incendio deperisse dixerunt. Natalis eorum XIII. Kal. Augusti celebratur. Teudo detulit „eos.

De sanctâ Lucia virgine & Martyre.

Magna & universalis Ecclesiæ celebritate memorabilis virgo & martyr *Lucia* Syracusana, „quo ordine ad nostri religiosissimi præsulis avidissimam devotionem pervenerit, Wigericus „præsbyter noster tunc Cantoris, nunc custodis beati Stephani officium gerens, qui ea sacra os„sa manibus, ab ipsa, qua non levi munimine artabantur, extulit urna; quem satis tutæ fidei „constat, quibit exponere. Ea in Corfinio, quæ vetus olim civitas fuerat, nec tota diruta, „quiescebat. Ad quem locum eam de Sicilia fuisse translatum à *Faroaldo* quondam *Duce* „*Spoletino* vere nobis assertum est. Hanc ipsam Syracusanam esse de qua responsoria & an„tiphone generaliter cum missa ubique canuntur. Ipse Episcopus loci manu sua sancto „Evangelio apposita confirmavit.

De craticula sancti Laurentii.

Cum jam Roma regiis nuptiis ibi ingenti gloria peractis reditum in patriam dispone„remus, ultimo beneficio eoque pluribus copiosiore venerabilem præsulem Domnus Papa „de quatuor portionibus craticulæ sancti Laurentii locupletissime cumulavit. Eas Wigericus „cum Johanne monacho ab ipsa sacra crate extuderunt. Hæc vero fuerunt capita virgarum, „quæ per transversum jacuerant costis exterioribus infixa. Nam virgæ omnes, quæ sex in ea „fuerant, jam inde à diversis apostolicis à vetusto tempore quibusque regibus erant dono colla„tæ, ex quibus una, quæ adhuc ante paucos annos supererat magno *Imperatori Ottoni* ab *Octa*„*viano* concessa est. Hæ dum extunderentur, costas propius, intrinsecus capita, quæ infra „fortiter tenebantur, remanserant. Quæ tamen ferro apposito manu percusso, licet laborioso „conamine, sunt discussa.

Hanc quidem *de translatione sanctorum à majoribus accepimus relationem:* cur vero sancti *Fortunati Tudertinæ urbis Episcopi*, de quo Gregorius in dialogo suo memorabilem indidit narrationem nec non & *Miniatis martyris* nullam fecerunt mentionem, non parvam animis nostris ingerunt commotionem. Horum quippe corpora ab Italia ad nos ab eo translata, fide vera credimus. *Miniatem* vero cum *Proto* & *Jacinto*, & *Vincentio* Episcopo, ad nos delatum VI. Nonas Julii legimus. *Fidentii* etiam & *Terentii* reliquias cum *Vincentio* martyre & levita, *Feliciano, Eutice, Elpidio, Asclepiotate* & *catena sancti Petri* VIII. Kal. Maji nobis ab eo missas, ipsa rei indicat veritas. Horum & passiones descripsit & diem passionis vel depositionis annotavit; *Fortunati* scilicet 3. Kal. Julii; *Miniatis* VIII. Kal. Novembris; Illorum verò V. Kalendas Octobris. Pignora quoque *Quintiani* præsbyteri & martyris de *Altro* Campaniæ civitate & *Florentii* martyris de Tile castro sedulus sanctorum amator transtulit. Gesta tamen passionis non attulit, diem tantum passionis retulit; *Quintiani* III. Nonas Julii, alterius VI. Kal. Novembris.

CAP. XVII.

De laude urbis Mettensis.

Gratias tibi sancta & individua Trinitas, quæ inæstimabiles pietatis tuæ ubique terrarum diffundens divitias, incomparabiles huic urbi copiosissime præparasti delicias. Singulæ civita-

civitates gaudent singulariter de collatis sibi divinitus salutis suæ provisoribus; & quorum gloriosis se meminerunt illustratos confessionibus, eorum piis se credunt adjuvandos intercessionibus. Aliquas etiam, martyrum gloriosa victoria exornat, sed vox sanguinis eorum ibi pro testimonio veritatis effusi adhuc de terra ad Deum clamat, vindictam expostulat, & divini responsi promissione suspensi, fratrum suorum impleri numerum exspectat. Excepit & hæc civitas missos ad se Prophetas, Sapientes & Scribas, & cito cognoscens tempus suæ visitationis, & avide amplexa lumen novi splendoris, depulit à se tenebras inveterati erroris, & cum nullus justus sanguis super eam venturus sit, quippe quæ nullius sanguini aliquando se, vel filios suos devoverit: gloriosos tamen martyres præsentes habet, quibus se vel filios suos commendet. Cum nullius inquam sanguis à generatione ista requiratur, sanctorum martyrum corpora vel reliquias se reverenter servare gloriatur. Idcirco sanctam Mettensem Ecclesiam dixerim vere felicem, quæ sortita à Deo fidei arrabonem gaudet sibi per fideles dispensatores centuplicari spiritualis dotis suæ quantitatem. Proinde lætare fausta Mediomatricorum civitas, etiam atque etiam meditare, quid tali viro, Deodericum dico, debeas; cujus pio studio tot Sanctorum, præter indigenarum patrocinia, suscepisti reliquias, & præter nativæ ubertatis, qua singulariter affluis, copias, ab eo augmentata, caput extulisti inter urbes alias. Ipsa quoque nominis tui i.e. *Mediomatricis* Etymologia, non diffidet à tuæ felicitatis gratia. Sicut enim matrix puerum amplectitur & fovet in matris utero, sic tu sita in meditullio, circumpositas regiones sustentans, mercimonio nativo vel advectitio, eas quodammodo foves sinu materno. Porro quod *Mettis* vocaris, vulgo fertur te dominatam à Romanorum Duce Metio Suffecto. Unde quidam ait:

Alter at in sceptris austrum Sigibertus agebat,
Suffectus dederat nomen cui Metius urbe.

Tradunt alii hoc distichon repertum in effossis terra lapidibus sic insculptum:

Tempore quo Cæsar sua Gallis intulit arma,
Tunc Mediomatricam superavit Metius urbem.

Nec sine quodam præsagio tibi accidisse credas, quod præter hæc usitata vocabula te *Dividunum* tradit vocitatam antiquitas. Gallica enim lingua montem vocari *Dunum*, studiosis non est incognitum. Quidam de neutericis interpretatur cur *Hedua urbs* vocetur *Augustidunum*, inter cætera sic ait:

Celtica Roma dehinc voluit cepitq; vocari,
Augustidunum demum concepta vocari,
Augusti montem, quod transfert Celtica lingua.

Sic ergo Augustidunum Augusti mons, sicut *Viridunum*, virorum dunum nominatum est. Ita *Dividunum* quasi divorum dunum vocabulum aucupata es; non solum propter emeritam incolarum gratiam, quos hoc nomine dignabatur gentilium superstitio; sed etiam quia, ut diximus, tot Sanctorum hospes futura quodam præsagiebaris oraculo. Nec abhorret à rectitudine fidei divorum nomine Sanctos signari, cum multa scriptura & imprimis Deus deorum in Evangelio protestetur eos, ad quos sermo Dei factus est, Deos vocari. Nos controversiam de nomine aliis relinquamus; verum, quia sæpe medium urbis iter terimus, ingrati esse poterimus, si eam insalutatam relinquimus, ideoque parumper in ejus libeat immorari laudibus.

Præcluis urbs salve, tellus prænobilis ave,
Urbs populosa nimis, tellus præfertilis agris.
Mel & lac manans, cum vino panis habundans,
Mercibus exundans, auro gemmisque redundans,
Cedit Pactolus fulvus, prædulcis Hymetus,
Et latialis humus, triquetra vel Africa tellus.
Si circumspiciam, nil non laudabile cernam.
Laudo minas muri quadris exædificati,
Non facilis solvi, non expugnabilis hosti.
Nam clivus murum, tutantur flumina clivum:
Tutum sic extra, munit vis aggeris intra:
Qua natura labat, vires manus arsq; ministrat.
Mensurans latum, stupeas succrescere longum.
Suspiciens turres, Babylonis suspicor arces.

Has *aries, testudo, palarica, vinea, falces,*
Nunquam vel frustra quatient, nec edet mala flamma.
Cumque domos cerno, Romana palatia credo.
Cumque peto theatrum, puto Dedaleum labyrinthum.
Sique situs formam spectes, quid pulchrius usquam?
Juxta naturam metata suam posituram
Pulchra placet visu, naturæ pulchrior usu.
Colle sedens modico, gemino munita fluento
Flumina dant murmur, dant propugnacula robur.
Quatuor, ecce, plagas per quatuor aspice portas;
Scilicet anatolen, disin, mesenbrian, arcton,
Qui videt Ecclesias, cœlestes æstimat aulas.
Cum peto primatem Stephani prothomartyris ædem,
Et video clerum, videor mihi scandere cœlum,
Cœlestesque choros modulari dulciter ymnos,
Et tibi Salvator nova mœnia surgere grator.
Quam patriæ columen, vitæ spectabile culmen
Struxit *Adelbero* pius, omne suo decus ævo,
Virginis agnus, ovis, & sponsus virginitatis:
Virgineos thalamos in trino nomine trinos
Collocat in mediis hujus sibi mœnibus urbis:
Mater virgo Dei fit sedula pronuba nati,
Claviger æthereus fit & ipse Dei paranymphus,
Virgineo sponsi thalamo dignata superni
Virgo *Glodesindis* canit epithalamia regis,
Agna *minans* * agnas ad ovile salutis agendas.
Vrbis præterea magnæ pomœria longa
Tutatur *Felix* actis & nomine felix
Cum *Clemente* pio, *Mettensi presule prima.*
Cum quibus, alme, vices partiris, *Symporiane,*
Johannis alis sublatus virginitatis,
Arnulfum gremio sanctum complexus amico.
Inter eos medius stat clarus ab urbe videri,
Atque volans alto post se trahit agmen ab imo
Insula Vincenti, tibi cessit munere, Christe:
Eminet alta tibi domus hic studio Deoderici.
Sed nec *Martini* custodia defuit urbi
Longius astantis, sed de prope cuncta tuentis.
Dedecet hic breviter te dicere, *Garzya* mater;
Miror *aquæductus* sex milibus isse per arcus:
Invisit matrem, cum filia, Gorzia, Mettin;
Non alti montes, non imæ denique valles,
Inter currentis non impetus ipse Mosellæ
Præpediêre viam, quid vidi operosius unquam?
Ars mittebat aquas, quas tu natura negabas,
Donec sola *vias rupit longæva* vetustas;
Laudem structuræ retinent hodieque *ruinæ.*
Plurima prætereo, quia sunt longinqua, relinquo.
Quis describat aquas? quis fontes? quisve salinas?
Num sileam *Saliam*? moneor memorare *Mosellam*;
Fontibus à variis regionibus atque remotis,
Longos per tractus tibi currunt edere fructus,
Amplexæque tuos alterno littore muros,
Et tandem junctis miscentes oscula labris,
Dant decus & fructum, præstant munimen & usum.
Vsus alit ventrem, species mentem, sonus aurem.
Quænam tam suavem modulentur *hydraulia* vocem?

Circum-

* ducens

Circumfer visum, quantum concedit orizon;
Nil non jocundum, nil aspicies nisi gratum.
Quis quit mirari montem, qui pluribus urbi
Imminet? Est oculis gratissimus, ubere pinguis.
Hunc natura suo lactavit ab ubere pleno:
Montibus est raris naturæ gratia talis,
Assurgunt omnes acclivi vertice montes.
Vite vides colles redimitos, mergite valles.
Prata virent, sylvæ frondescunt, fluctuat * ager.
Pascua si quæres, campos spatiare per omnes.
Quam variè recinunt volucres; examina ludunt.
Cœli temperiem rarus sentit meliorem.
Quem non tantarum delectet gratia rerum?
Ipsos ruricolas pascit tam grata voluptas;
Dumque fides ruris votis respondet avaris,
Exosi requiem solantur amore laborem.
Vites iste putat, alter fodit, ille maritat,
Vmbrat & hic fontes, hic conserit arbore montes,
Deviat hic rivos, hic ditat semine campos:
Hamis piscor ego, tu vimine, retibus ille.
Quisnam tantarum replicet spectacula rerum?
Esset ad hæc mutus & Homerus, & alter Homerus.
Multæ sunt urbes fortunæ munere dites,
Te pleno cornu naturæ copia ditat.
Præter fortunæ merces, quas præstat abunde,
Vrbes vicinæ tibi cedunt matris honore,
Vangiones, Leuci, Virdunum, Leggia, Remi,
Treveris & Mater, assurgere gaudet amanter,
Te salvet semper, regnans super omnia semper.

CAP. XVIII.

De dedicatione duarum ararum.

FErvente igitur studio cœptæ fabricæ, &, à longo postliminio, sanctæ memoriæ præsule, Christo propitio, reduce, aræ duæ in eadem ecclesia sibi contiguæ dedicatæ sunt; præsentibus & cooperantibus reverentissimis *Wigfrido Virdunensi, Gerhardo Tullensi* Pontificibus *anno DCCCCLXXII;* hæc quidem in magnæ & toti orbi vulgatæ martyris sanctæ Luciæ Syracusanæ; illa autem in Sanctorum æque mundo pervagatorum Proti & Jacincti martyrum præsentia & honore. Quorum corpora sacrosancta vera, utut fides Christi est, & non alia, ope ipsorum Augustorum & Domnorum tunc temporis, Papæ Johannis auctoritate, in ipsis partibus Italiæ, adeptus, cum aliis pluribus sanctorum martyrum corporibus, huc felici omine Domno transtulit auspicante. Et sunt ipsæ dedicationis Kalendæ ** VIII. Iduum Augusti, anno pontificatus ejus nono.

CAP. XIX.

De morte Everardi fratruelis sui.

SEd quia varia rerum mutatio non patitur esse diutinam lætitiam umbratilis prosperitatis, ei tam dedolenti non multo post renovatum est vulnus acerbi doloris. Erat nempe ei *fratruelis*, dulcedo sui animi & imago pietatis; *Everardus* erat nomen illi, quem ipso paterno affectu educandum ab ipsis susceperat cunabulis, ad propagandam spem suæ posteritatis, ad dilatandam gloriam suæ nobilitatis. Heu incerta spes futurorum! Heu male fida sors rerum humanarum! vix de infantia in pueritiam repserat; vix avitam bonæ indolis gratiam ostentare incipiebat; vix quantum instar in illo futurum esse apparebat, &, ecce, ceu primo vere tenellus flosculus subito venti turbine dilapsus, sic iste, ô dolor, immatura morte mundo præreptus, non mediocrem luctum infudit omnibus. Cui *patruus*, ad miseri solatia luctus, exequi as

* Ager spicis vento agitatis fluctuare videtur. ** id est solennes dies.

quias non tam funebres, quam celebres edidit, & corpus cum honore decenti ad monasterium sancti Vincentii deferri fecit, & ante altare Christi virginis Luciæ tumulavit. Utque pro innocentis vitæ puritate perciperet aurea præmia perhennitatis, contulit eidem loco pro salute animæ ejus calicem aureum maximi ponderis & mirifici operis, suam ipsiusque memoriam in eodem opere his intexens litterulis: *Deodericus hujus divæ ædis constructor ac curator Everardi, vita juxta cari, pro anima.* Et cujus nomen in albo vitæ credebat aureis insertum literis, hujus tumulo Epitaphium superaddidit aureis, sed in hunc modum exaratum, titulis:

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXVIII. Deodericus humilis præsul pio ab ipsis parietinis hujus loci constructor, pio studio Everardum fratruelem sibi, quoad vivere datum est, unicum amorem, orthodoxis regiique sanguinis parentibus clarum, ipsosque egregia indole puerilis gratiæ (fructus) repromittentem ac semet genti patriæque suæ in spem maximam ab ipsis cunis dulci affectu educatum, inmatura falce mortis, vix dum decennem abscisum, luctu plebis patrumque inmodico carum pignus silici sub humana sorte, IV. Nonarum septembris, mandavit.

Item Epitaphium.

Non est damnosa mors justi, sed pretiosa,
Ante Dei faciem, semper habendo diem.
Ipse dies plenus, lucenti sole serenus
Est sine nocte dies, & sine fine quies.
Hac requie lætus, lucisque levamine fretus
Evrardus maneat, cernere quo valeat
Regem regnantem, regnantum regna regentem
Christum, quem coluit, vivere dum potuit.
Is puer insignis viventum flore decennis
Ornans munditiâ quæque sui studia.
Transiit è mundo, septembris sole secundo.
Lector dic tandem; pace quiescat; amen.

Item Epitaphium ejusdem Comitis Everardi.

Clauditur hac tumba pridem sine felle columba
Infans Evrardus nobilis atque pius.
Sanguine magnifici generosus Deoderici
Præsulis, ex cujus fratre fuit genitus.
Crastina septembris lux bis fuit ultima membris.
Christe tuam requiem da sibi teque diem.

CAP. XIX.

De iterata immunitate sancti Vincentii.

Otto *Imperator* sedatis cunctis motibus per Galliam, *Italiam* versus arripuit viam. Nec aberat à latere ipsius conscius omnium consiliorum, & particeps omnium negotiorum, Episcoporum honor *Deodericus Episcopus*, quem utriusque dignitatis reverentia majorem aut æqualem reddebat omnibus. Sed nulla terrarum longinquitas eum tam longe disparabat; nulla viarum prolixitas adeo gravabat; nulla occupationum multiplicitas eum in tantum angebat; quin jugiter bene & honeste consummando cœnobio sancti Vincentii animum suum præsentaret, ita ut nulla alia cura acrior hac ipsum sollicitaret. Quapropter ei ad bonum semper intento non sufficiebat, quod locum illum & omnia illi delegata autoritate & benedictione *Johannis Papæ* olim firmiter & legaliter munierat, sed adhuc obviam ire injustitiæ pravorum, bona aliorum perperam usurpantium, omnimodis insistebat. Unde modo adductus loci & temporis oportunitate, illud ipsum privilegium olim scriptum & signatum à Papa Johanne operæ pretium duxit iterandum, *Benedicti* eo tempore apostolicas vices agentis auctoritate scriptum *per manum Bonigenis Notarii atque Regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili Indictione VIII.*

CAP. XX.

De roborata immunitate actorum ejus.

Ita Domni servus fidelis & prudens ante & retro oculatus, ne aliquo tempore fascinatio nugacitatis obscuraret bona illius, præsago futurorum spiritu ducebatur, ut quamdiu vita & opor-

oportunitas patiebatur, Apostolico & Imperiali suffragio domesticos fidei tutaretur, ad quos maxime bonum pro remedio animæ suæ operabatur. Nec solam quæsivit immunitatem hujus loci; sed & alia acta sua volens in perpetuum rata fieri, non distulit ea legali scripto confirmare, edicto imperiali corroborare & anuli ejus impressione consignare. Non pigeat ergo ipsam hinc insere[illegible] cartam, operum Pontificis nostri & verborum nostrorum testem idoneam.

Decretum Ottonis II.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. *Otto* divina favente clementia *Imperator Augu-*,,
stus. Omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet atque futurorum pateat indu-,,
striæ, quomodo fidelis noster *Deodericus Mettensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus* à nostra celsi-,,
tudine suppliciter petiit, ut *monasterium sancti Vincentii* foras muros civitatis suæ, Metis vo-,,
cata, constructum; quod ipse, cum licentia & consensu beatæ memoriæ *genitoris nostri Otto-*,,
nis, videlicet *Augustissimi Imperatoris*, primum ædificare cepit, & mercatum, quem nostro,,
licitu, in loco, qui *Spinal* dicitur, primus elevavit; imperiali nostræ præceptionis donatione,,
& potentia confirmaremus, & ut familiis *Ecclesiæ sancti Stephani* prothomartyris Christi, cui,,
ipse præsidet, legem à prædecessoribus nostris Regibus scilicet & Imperatoribus illis conces-,,
sam, auctoritate nostræ donationis *noviter eis concederemus* atque *confortaremus.* Cujus,,
petitionem pro divino amore benigne suscipientes præfatum monasterium in honore sancti,,
Vincentii martyris consecratum sub nostræ tuitionis emunitatem suscepimus, & omnia illuc,,
ab eo vel ab illis tradita, & adhuc ab aliquibus tradenda, Regia & Imperiali munificentia ac,,
magnificentia confirmamus: & mercatus in prædicto loco elevatus, ut deinceps absque ho-,,
minum omnium controversia firmiter stet atque maneat, imperiali potestate præcipimus;,,
familiarumque præfatæ Ecclesiæ legem, quam præscriptus *Deodericus Episcopus* eis conce-,,
dendam à nobis petivit, imperiali dono & munimine illis dehinc tenendam concedimus at-,,
que confortamus. Et ut hæc nostræ donationis concessio per futura temporum curricula à,,
cunctis fidelibus firmior habeatur, hoc nostræ celsitudinis præceptum inde con-,,
scriptum sigilli nostri impressione signare jussimus manuque propria corroboravimus.,,
Signum Domni Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti. Hildeboldus Epi-,,
scopus Cancellarius, vice Willigisi Archicapellani recognovi. Data XII.,,
Kalendarum Julii. Anno Domnicæ incarnationis DCCCC LXXXII. Indi-,,
ctione XI. Anno regni invictissimi Ottonis XXV. Imperii autem XV. Actum,,
Mantuæ, feliciter, amen. ,,

CAP. XXI.

De bona consummatione operum Domni Deoderici & obitu ejus.

VIr itaque Domni Deodericus bonorum operum studiis adprime intentus & de talento sibi credito pervigili cura sollicitus, coram Domno suo multiplicata pietatis opera reportare studebat, & familiæ sibi commissæ cybum salutarem, ut fidelis servus, suppeditare procurabat. *Præsul enim factus suppeditavit Præsulis actus, profuit ac ovibus præfuit ipse quibus.* Dilegebat namque eos, quos in ecclesiasticis actionibus ferventes esse cernebat, & ut studium perseverandi non postponerent, fructificanti doctrina admonebat. Neglegentiores autem, qui minus, quam debebant evangelicæ actioni inherebant, juxta præceptum doctoris gentium, arguebat, obsecrabat, increpabat, ac ne morsibus invisibilium luporum læderentur, muro spiritualis defensionis munire non desistebat. In hoc vero perfectio actuum ejus laudabilis extitit, quia, quod sagacitate & affluentia doctrinæ edocuit, exemplis & honestate morum demonstravit. Egentibus & orphanis miseriæ viscera aperuit; tribulatis consolationis dulcedinem exibuit; hospitibus piæ humanitatis beneficia non denegavit. Nunquam eum ab jure ad injustitiam quisquam detraxit, sed provincialium substantias aliquando privatis rapinis, aliquando publicis vectigalibus pessundari, non aliter, quam qui patiebantur, indoluit. Principibus veritatis verba non tacuit; pupillo & viduæ justitiæ censuram non abscondidit. In corde illius humilitas; in ore perfecta sagacitas; in vultu morigerata hylaritas; in opere præcipua erat caritas. Portus & ara suis, totus incumbebat Ecclesiasticis incrementis. Denique ut memoria ejus æterna esset, & studium vitæ ejus in Domo Domni, ut palma florescens, sicut cedrus de Lybano multiplicaretur: ecclesiarum sedulus constructor extitit, & ut superioris styli narrat historia, temporalibus bonis & sancto-

sanctorum reliquiis, sicut hodie est cernere, peroronator earum indefessus enituit. O virum merito memorabilem, qui humanum favorem, velut umbram prætereuntem floccipendens, postposuit amicitias filiorum hominum & sibi vendicavit gratiam supernorum civium. Revera cum *inter aulicos & imperii consiliarios primus* haberetur, & negotia regni sapientiæ ac dispositioni ejus crederentur; nolebat tamen secularibus se implicare negotiis, sicut fecerat, eatenus ut posset Deo militare liberius; sed solus habitans secum exercebatur, & abscondebat spiritum suum. Evomens ergo ab animo omnem curialis anxietatis nauseam, in qua multiplex molestia omnem aliquando excludit modestiam, in qua quisque potest illam volubilem fortunæ inspicere rotam; totum se ab activa ad vitam transtulit contemplativam. *Et monitus divina inspiratione, imminere sibi diem obitus, agebat pro omnibus vitæ excessibus dignos pœnitentiæ fructus, festinans asscribi cœlestis curiæ dignitatibus. Ponebat siquidem ante oculos mentis id, quod in exordio inthronizationis ejus descripsimus, literam videlicet sui nominis inter nomina Mettensium Pontificum, argenteo colore cœlitus prætitulatam, pro qua promiserat, se tanta bona in Episcopatu facturum, quod ipsa argentea litera, Deo favente, transformaretur in aurum. Nec fefellit eum animus. Nam bonæ voluntati bonorum operum addens incrementum, memorabili justoque fine bonæ vitæ confirmavit initium. Sic bonus athleta Domni super atria læta florens, perfecte dum curat vivere, recte cursum complevit, post hæc in pace quievit. Qui subtractus ab hac instabili vita, &, ut credimus, susceptus in cœlesti curia, quam carus fuerit civitati inæstimabili mœrore funeris potuit æstimari. Delatus ergo ad sancti *Vincentii cœnobium*, scilicet ad præclarum devotionis suæ testimonium, sepultus est ibi cum honore, qualis decebat tanti nominis Pontificem. Opus autem ipsum imperfectum reliquit, sumtus tamen & impensas ad ejus consummationem sufficienter delegare non prætermisit. Transiit autem *anno Domni DCCCCLXXXIII. Indictione XI. Epacta XV. concurrente VII. VII. Idus septembris, VI. feria; anno I. Regni Ottonis tertii*; quo etiam mensis die recolebatur Anniversarius depositionis matris ipsius *Amalradæ*. Pater vero ipsius *Everardus* Kal. Maji à seculo excessit.

EPITAPHIUM.

Hic Deodericus generoso sanguine natus
Regum progenie, nomen habens celebre
Cæsaris Ottonis tetigit quem linea carnis,
Cujus consiliis jura dedit populis.
Luxit enim mundo ceu sydus lumine pleno
Actibus eximiis moribus egregiis.
Unde Mettensem meruit conscendere sedem,
Qui rexit digno præsulis officio.
Aulam hanc cœlesti struxit pro munere regi,
Rebus quam miris compsit & innumeris.
Idibus epdenis septembris jam revolutis
Decessus sorte, clauditur hac scilice.

CAP. XXII.

De dedicatione Ecclesiæ sancti Vincentii.

JAm vero, quia de vita excellentissimi præsulis relationem explevimus, operam dare curamus, ut diem dedicationis ecclesiæ sancti Vincentii ante posterum oculos relinquamus. Post decessum denique ipsius Pontificis, per successiones plurimorum Abbatum eidem loco præsidentium, opus, quod remanserat imperfectum, tandem tempore Domni *Heriberti* venerabilis vitæ *Abbatis* est consummatum. Qui inter cætera quam studiose & religiose effecit ecclesiam ipsam à Domno *Deoderico juniore* dedicari constituit. Quam liberali omnium rerum apparatu, quam pio devotionis affectu, quam frequenti omnium concursu, quanto studio celebrata sit hujus dedicationis lætitia; adhuc quasi recenti eorum, qui interfuerunt, heret in memoria.* Consecratum est igitur *primum* & principale *altare* in honore sancti Vincentii martyris & levitæ; *secundum* in honore sancti Benedicti Abbatis, Fortunati & Elpidii Episcoporum & confessorum, Gregorii papæ & confessoris; *tertium* in honore gloriosissimæ & victoriosissimæ crucis Domni nostri Ihesu Christi, & Johannis Babtistæ, Quintiani præsbyteri & martyris, Remigii Episcopi & confessoris. Celebrata est hæc dedicatio *II. Idus Maji, anno millesimo trigesimo dominicæ incarnationis, Indictione decima tertia, Epacta XIV. Anno VII. Imperii Conradi; Pontificatus vero Domni Deoderici junioris XXV.* Porro *altare*

* Inde ætatem autoris exsculpas.

re sancti Petri, ut traditum est nobis à majoribus, dedicatum est *Egeberto Episcopo Treverensi* in honore ejusdem sancti Petri Apostoli, & Feliciani Episcopi & martyris *III. Nonarum Februarii.* Hæc de dedicatione ista dixisse sufficiant. Verum fidelis lector finem lectionis hac prece concludat; ut Domnus Deus istum locum visitet & benedicat, fratres in eo commorantes ab omni malo defendat, ac preces omnium fidelium semper axaudiat, qvi per secula cuncta vivit & regnat, Amen.

XXVII.

De Venerabilibus Comitibus Palatinis *Rheni* ERENFRIDO SEV EZONE ET MATHILDE *eorumque filia* B. RICHEZA REGINA POLONIÆ *Narratio*,

à Monacho Brunwillerensi conscripta.

PROLOGVS.

De Loci ac monasterii Brauvvillariensis origine.

OPeræ pretium est, sicut à maioribus nobis traditum est, commemorare, unde idem sacer locus jam olim nominatus fuit *Brunwilre*, qualiterque ibidem vera rerum investigatione repertum sit, quod S. Medardi sacrum eidem loco inesset memoriale. Erat in diebus *Hermanni Comitis Palatini*, * (*patris*, memorabilis scilicet *Herenfridi*, qui, velut Abraham Patriarcha, nomine mutato, *Ezo* appellatus est) vir quidam in vico, qui *Manestede* dicitur, copiosum habens in sua possessione peculium. Casu contigit, ut die quadam scrofa prægnans à silva, cujus minabatur ad pascua, cum reliquo grege porcorum non esset domum reversa, quia ad ejiciendos fœtus secretiora sibi nemoris elegerat loca. Nihil ergo ipse aliud, quam quod evenerat, arbitratus; accepta secum bipenne, lucum abscissis remotisque vepribus, quasi viam faciens, secretius quam soleret, intrat; & ecce ædiculam, ex ligno satis curiose constructam, lateribusque studiose ab infusione imbrium defensam, aspectat. Explorat itaque aditum, tectum non sine admiratione novitatis ingreditur, altare (utpote in ecclesia) more consueto aspicit, suemque simul domesticam sibi à crepidine altaris cum decem porcorum capitibus occursantem, lætus suscepit. Post hoc submoto lapide superiori, S. Medardi & aliorum venerandas Sanctorum Dei reliquias, cum charta in fasciculum compositas, à fossa altaris ejicit; & secum illas auferendo præposito *Indensis Monasterii*, qui ex more eas in partes sæpius venire consueverat, ostendit. Qui inspecta charta, & cognita admiranda rei novitate (erat enim *cognatus Comitis Palatini*, ipsique ob hoc familiaris & notus) ad eum velociter properat, & quam inspexerat, ex ordine boni eventus, salutem illi lætanter annuntiat. Ille insperatum lætique ominis nuntium gratanter audiens, rusticum eundem, cui nomen erat *Brun* ocius accersiit, chartam cum reliquiis inquisitam & exhibitam reverenter excepit, & hanc illi causam inesse subscriptam cognoscit. Hujus sacræ fundator ædiculæ & auctor *Bruno* nomine, germanum habens vocabulo *Berechonem*, vir potens & nobilis, non procul hinc in *silva, quæ ex sui magnitudine Vale* dicitur, constructa tutissima degebat in munitione. Quam quidem tyrannus, *Heymo* nomine, subita invadens incursione, interfecto ejusdem fratre *Berechone* cum reliquis fere omnibus, hunc cum paucis præsidio fugæ vitam servantibus, suis à finibus extorrem fecit, & in Franciam ire coegit. Qui *Suessionis* civitatem adiens, & flebilem suæ calamitatis historiam coram omnibus pietatis affectum

* De eo Historiam sic orditur interpolator hujus narrationis in MSto Brauvvilerensi: *Generosissimus Heros Hermannus Comes Palatinus cognomento pusillus, non medioris reputationis inter magnates illustrissimi imperatoris primi Ottonis, cui in negotiis regni ac præliorum periculis tam auxilio, quam consilio fidelissime adstitit: & præsertim in prælio contra efferam Ungarorum gentem commisso, ubi hostilem pugnando aciem fortissimè attrivit. Hic & diversis in locis plura dominia cum amplis possessionibus habuit, & Brunvveilerensem locum primum hominibus habitabilem fieri procuravit, duos autem filios ex Helyvviga uxore genuit, videlicet Erenfridum & Ezelinum.*

affectum habentibus edicens, S. Medardi reliquias ad constituendam in eius honore ecclesiam petiit & impetravit: cujus indubium ad revincendum hostem meritum & patrocinium adesse sibi speravit. Ad votum omnia, suffragante illi pio salutis suæ protectore, prosperantur: ecclesiola fundatur & dedicatur. Verum hujus dedicationis auctor quis esset, incertum adhuc usque manet; quoniam aviditate rustici, qui maxime pecuniam esse sperabat, quod invenerat, fragile ceræ signum confractum est, sicque auctoris persona & nomen absconditum est. Verum tamen supradictus, ut fertur *Acephala*(a), à multis eatenus timore periculi devitatus, postmodum à præfato *Brunone* impetitus occiditur: & quamvis eius munitio triumphato hoste destruitur, idem locus tamen usque hodie *Heymenburg* dicitur. Fuerunt propere *Metropolitano Episcopo Warino*(b) comperta, quæ fuerant *Comiti Palatino* jam cognita: altare reparatur: ecclesia instructis ex lapide parietibus innovata ab eodem Archipontifice dedicatur, sacroque illi loco, congruentibus sibi veteris ecclesiæ & antiqui auctoris & novi ejusdem inventoris nominibus, *Brunwilre* nomen aptatur. Fundator monasterii S. Nicolai in Bruwilre erat præclarissimus Dominus *Herenfridus*, *Comes Palatinus*, qui post *Ezo* nominatus est, cum gloriosissima *conjuge Mathilde, filia potentissimi Magni Ottonis*, (c) *nati de Saxonia*. Quod autem *Herenfridus* primum, sed *Ezo* postmodum est appellatus, hocque nomine insignior habeatur, præcedentium gratia patrum imbutus est (d): quibus mutatis semper nominibus virtus major, meritumque divinitus est insitum. Cujus cum sacri Deoque frequenti miraculorum illustratione dicati loci memoriam litteris, & per eas posteris mandare curassemus, placuit nobis eisdem prius inserere, quæ viro à pueritia vitæ institutio, quanta in militari virtute strenua actionis perfectio, quamque perfecta ad ultimum in Christiana religione fuisset devotio. His etenim & ceteris perpaucis, hoc eodem in codice commemoratis, ordo signorum congruum acceptat locum, ut veritatem historiæ habens fundamentum, spirituale & præcellens ædificium sui latius fulgoris prætexat ornamentum.

CAP. I.

Ezonis adolescentia, conjugium cum Mathilde, liberi ex ea decem.

MUlti cum legunt vel audiunt fortium facta virorum, ad eorum imitationem accenduntur; sed si vitam moresque Religiosorum, Deo scilicet devotorum hominum inspexerint, multo in his salubrius, quid agere, quid vitare, qua discretione mentis cuncta perpendere debeant, instruuntur. Ut enim se res habet, pleraque illorum tantum in viribus suis confidentium facta, cum vita depereunt; quia dum domum suam, quæ est suæ opus fortitudinis, super arenam labentis humanæ laudis construunt, semet ipsos (ut ita dicam) ad impulsum miseri & mortalis lapsus destruunt. Sed enim hi fortes in Deo facti, suæ considerantes cursum naturæ, quod scilicet vita hominis, qui vapor est ad modicum parens, demum exterminabitur, eo proficere deliberant, ubi pro mortalibus æterni fiunt: ideoque in his profectuum conatibus, ut ipsius verbis Domini loquar, domum suam supra petram ædificant, quam nec ventorum, id est demonum illusiones; nec fluctuum, nequam videlicet hominum, inundationes diruant. Nam etsi quid reipublicæ vel curæ domesticæ inservientes fortiter gesserunt; non hoc ad suam, sed ad illius virtutem & laudem referunt, cui illud Davidicum concinunt: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Fuit itaque præclarissimi generis *Ezo Comes Palatinus* (e); qui tum propria virtutum actione, tum etiam gloriosissimæ conjugis suæ *Mathildis* pia ac Deo devota religione, venerandus semperque prædicandus, manifesta suorum reliquit indicia gestorum, in quibus nulli sit ambiguum, eum consortium tantorum, de quibus paucis prælibatum est, adeptum esse virorum. Denique totius *Galliæ* (f) Principum, cum esset corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnanimitate fortissimus, ad disponenda negotia tam privata quam publica discretissimus, regalis Palatii apicem *jure paterni sanguinis* strenuissime gubernando, eo profecit honoris, ut suam semper gloriam pluris quam accepisset, efficeret decoris. Nam ut altius rerum primordia inchoantes, in similitudinem amnis à fonte decur-

(a) Heimo, qui erat prædo, caput vel magistratum non agnoscens.
(b) Coloniensi.
(c) Ottonis II.
(d) Contractio est tantum, ut ex Adelberto fit Azo, ex Cunrado Cunz, & Friderico Friz.
(e) Brovverus ad vitam S. Bervvardi (ut hîc Antverpienses notant) Palatinos Saxonicos à Rhenanis distinguens, hos nunc ait Bavaricos vocari. Sed vocantur hodiè Bavariæ Duces, & Palatini Comites ad Rhenum; & ante utramque hanc dignitatem acquisitam fuere in Bavaria Palatini Comites. Nam Regna Bavariæ, Lotharingiæ, Burgundiæ, Neustriæ & (ut aliquando loquuntur veteres) Saxoniæ suos habuere Palatii Regii Comites.
(f) Franciæ.

currentis, usque ad certum narrationis limitem derivemus; mox ubi primum adolevit, nullis se corrumpendum puerilis ineptiæ lusibus dedit; sed ut esset tam validus corpore, quam erat animi virtute: etsi præ nobilitate, qua summe præditus fuerat; vestium aureo fulgebat nitore, plus tamen equitatu, venatu, atque quolibet militari corporis motu desidiosa proterens otia, valitudine armorum delectabatur & fulgore; quatenus inimicis terrori, & amicis esset amori. Nullum est virtutis exercitium, quod per invidiam ignaviæ non execretur vitium. Et quidem ignavia se virtuti per livoris æmulationem inimicam ostendit; & ejus tamen timore percussa tabescit. Quoniam omnis virtus ad alta se subrigens, in suis se indificienter augescit; ideoque memorabilem hunc virum quanto secum altius sustulit, tanto fama clariorem universis Romani Regni Principibus extulit. Nec mirum, si multis sui temporis potentibus viris, tametsi divitiis præclare pollentibus, potentior esse poterat atque præstantior, qui omnibus procul dubio clarius uxoris generositate liberorumque honestate fortunatur. Quod enim ingenium, quæ lingua, quæ facundia tantam explicabit gloriam Romanorum, quanta excrevit terra marique *Ottonum* temporibus Augustorum? Quorum prædicta *Mathildis*, clarissima scilicet femina, *primum* habuit *avum*, *alterum patrem*, *germanum alterum*. Verum quales successus superna disponente clementia sortiretur ille Vir illustrissimus, ad conducendum sibi ejusdem feminæ tam excellentis venerabile matrimonium, hinc sumatur exordium, quo nullum lætius hac dumtaxat in serie audiri poterit eulogium. Siquidem Imperatrix, in disponendis Galliæ Germaniæque negotiis viri prudentissimi Domini *Ezonis* semper intenta consilio, cujus numquam adhæc decenter perficienda vacabat auxilio, in Aquisgrani Palatio interim moratur cum filio: qui, inter reliqua admirandæ in eo sagacitatis indicia, satis effulsit peritus in construendo sive dissolvendo flexuoso alearum schemate (g) ut neminem crederet fore, qui in hac arte prævaleret adversum se. Quadam ergo die Dominum *Comitem Palatinum* compellat quatenus secum ad tabulam alearum è regione sedeat, ordinemque disponat, pariterque jocosam congressionis stropham promoveat. Ea vero altrinsecus proposita conditio est, ut cui per tres continuas vices victoria proveniret, alterius potiretur rebus optimis, etiam quibus vellet. Pariter igitur consident, ludo confligunt, Dominus Ezo, invocato sanctæ Trinitatis auxilio, ter victor extat. Deinde, tametsi impetrare desperaret, quod divinitate procul dubio inspirante diu optaverat, sororem eius sibi ab ipso dari in conjugem postulat. Cernens ille ludum ad seria processisse, simulque ex consulto eorum, qui interfuerant, tractans eam rem ex Dei nutu provenisse; non esse regii honoris, si mendax fieret suæ sponsionis; ipsum etiam apud avum, apud patrem, postremo apud semetipsum plurimum potuisse, propositæ conditionis fidem manus in manum confirmat impositione (h): quatenus juxta Apostolum castum connubium & thorum immaculatum cum sua servaret sorore. Palatinus Comes collectis suorū copiis Asnide (i) properat, venerabilem puellam edicto Regis ad præsentiam vocat: fratre jubente, matre volente, eam suam fore sponsam enuntiat. Amita (k) vero ejus pertinaciter obsistit; sed sive ejus potestate, sive regia majestate territa cedit. *Mathildis* sponsalium more annulo subarrhatur: in *Brunwilre* prædio Comitis Palatini nuptiæ parantur, atque in ambobus à Sacerdotibus Christi Patriarcharum benedictionibus completis, eundem ad locum, non tam velociter, quam lætanter festinatur. Nam lætitia, quæ tunc secularium more agebatur, Christi Ecclesiæque ibi fore copulam in spirituali conversatione protestabatur; juxta illud Apostoli, quia non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale: & alio in loco, ad construendum sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ cælestem thalamum, trahens à veteri Testamento viri & mulieris exemplum; Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, adhærens uxori suæ: & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Præterea ubi ad supradictum locum ventum est, fertur quod memorabilis Ezo ramusculum arboris ejusdem terræ involutum cespite acceperit, & cum eodem Brunwilrense prædium & alia proprii juris plura eidem suæ venerabili sponsæ in dotem tradiderit. Ubi mox illa, nullam retractionis morulam perpessa, sed ecclesiolam S. Medardi, quæ inibi antiquitus constructa fuerat, ingressa, Christo Deo Salvatori nostro simulque Sanctis ejus, & quorum in suis præsentia Reliquiis aderat, & his etiam quos specialiter honorificare devoverat, eamdem dotem suam solenni traditione condonavit: idemque ramusculus, in boni testimonium facti, longa viroris gratia jucundus permansit. Nuptialis interim abparatus festiva procuratur celebratio, Proceres togatos splendidioris ambit amictus accuratio; pauperes victus recreat, indumentum consolatur: & quo semetipsam libe-

(g) Scaccorum ludo.

(h) Ex Ditmaro apparet, Mathildem Ezoni nupsisse, & quia id non valuit emendari legaliter, fratrem Ottonem III. tulisse patienter.

(i) Essendia, Essen hodie, illustrium Canonissarum Collegium, quarum Caput est Princeps imperii.

(k) Mathildis Abbatissa Quedlinburgensis.

ralitas excedens plus singulis suffragatur, eo laudabilior ab omnibus prædicatur. Apud omnes ergo gaudium ingens exortum est, quia felicissimi illius proventu connubii multis postmodum gaudere & lætari divinitus provisum est. Siquidem legitimo humanæ procreationis tempore exacto, nati sunt eis filij tres, *Hermannus, Otto, Ludolphus*: *filiæ septem, Richza, Adelheid, Ida, Mathild, Theophanu, Heyleweig, Sophia*: quibus talem tantamque gloriam gratia divina contulit, ut memoriam eorum & apud Deum & apud homines immortalem esse nulli dubium sit. Nam & ipse numerus (septem enim & tria decem sunt) cum pro eo, quod ceterorum infra se omnium summam concludat, perfectissimus atque ex decalogo legis idem sit sacratissimus, indicio est, venerabiles eorum parentes non solum in dilectione Dei & proximi sacratos; sed &, quantum cura secularis eos non impedierat, in omni observantiæ mandatorum Dei fuisse perfectos. Alio etiam modo & ipsa VII. & III. quæ X. constituunt, magnorum in se sacramentorum plenitudinem exprimunt, sive propter vitæ præsentis tempus, quod septem diebus volvitur, sive propter septiformem sancti Spiritus gratiam, quæ Prophetica lectione septempliciter distinguitur; seu etiam propter sanctissimam Trinitatem, qua ad fidem imbuimur: nam ambo in hac vita constituti, & eâdem gratia Sancti Spiritus adjuti, fidem suam bonis in se vixisse operibus luce clarius præmonstraverunt, non solum sese videntibus, verum etiam post se futuris cunctis fidelibus. *Ludolphus*, major natu, quod erat animo acerrimus, & corpore robustissimus, militarique prorsus virtuti aptissimus, præter parentum glorias & devitias, *Comitatum* seu *Præfecturam* adeptus est; scilicet ut ingruente bellicosi discriminis articulo, *Coloniensis Archiepiscopi legionis Signifer*, id est, *Primipilarius* esset. Hic filiam *Ottonis Comitis de Sudveno* (l) nomine *Mathildem* in conjugem accipiens, duos æque per omnia sibi simillimos ex ea generavit filios, *Henricum* videlicet & *Cunonem*; quorum alter suam post mortem *ejus Comitatum*, alter vero *Bavariæ* (m) meruit *Ducatum*; verum à vita excessit uterque sine stirpis successione. Sed Cunonis interitus hæc causa extitit, quod contempta *Imperatoris Henrici* filia, quam uxorem accipere debuerat, & ob hoc sui Ducatus honore depulsus, sed propere Ungaris amicitia conjunctus est. Horum etenim auxilio moliebatur eum, non solum bello pulsare, sed & regno privare si posset. Quod tale tantumque facinus frustra conatus est; nam veneno, quod coquus suus per immissionem Imperatoris, pro pactione pecuniæ, prandio eius immiscuerat, extinctus est: cui Imperator non solum pecuniam non dedit; sed & pro magno munere, ne se deinceps videre præsumeret, concessit. Dux autem ibidem est tumulatus: sed per Coloniensem Archiepiscopum *Annonem* post aliquot annos Coloniam translatus, atque in Ecclesia S. Mariæ ad Gradus est humatus. Porro *Adelheit* in Nivella monasterio, *Theophanu* in Asinde, *Heyleweig* in Nussia, *Mathild* in Didinckirica atque Vylica, *Ida in monasterio S. Mariæ Moguntiæ atque Gandersheim* Sanctimonialibus feminis sunt prælatæ loco regiminis. Quarum fere singulæ, & pro cælestis vitæ conversatione, & pro Christi amore, in semetipsis habita corporis ac Spiritus sanctificatione, ac si viventes in carne, suis in locis, pro virtutum etiam operatione summo frequentantur honore. E quibus *Theophanu*, virum se moribus agens, *Asindense* monasterium cum universis ejus officiis, jam partim vetustate collapsis, ab ipsis fundamentis novo erigens opere, mirabiliter amplificavit: Unde & ibidem ejus memoria semper in benedictione erit.

CAP.

(l) Zutphania hodie.

(m) Ex hoc loco discimus ignotam hactenus Conradi vel Cunonis Ducis Bavariæ stirpem. Brünnerus (ad ann. 1049) à Colnero Bavaro scriptore neque antiquo neque satis certo Schirensi familiæ inseri ait, quæ hodie in Bavaria & Palatinatu regnat. Sed argumentum nullum afferri, probabilitate tamen aliqua adjuvari sententiam, quod pulso postea Schirenses opem tulere. Adelzreuterus addit à Colnero filium fieri Eccardi Schirensis, sed hoc à Gevvoldo ex variorum scriptorum autoritate oppugnari. Ex nostro autore Brauvvilerensi apparet, fuisse filium Ludolphi Comitis Palatini ex Ezone & Mathilda Ottonis III. Aug. sorore nati, cui haud dubiè originis nobilitas ad tantam dignitatem profuit. Bavariæ enim Ducatus à multo tempore non nisi regum filiis, Reginarum fratribus, Regiæ stirpis principibus fuerat datus. Sed Cuno ob malam administrationem (si aliis potius historicis, quam nostro Monacho credimus) depositus est. Filiam Cæsaris, cujus matrimonium ei destinatum fuisse dicitur, eam esse credibile est, quam postea Agnes Imperatrix Rudolpho Rhinfeldensi cum ducatu Alemanniæ dedit. Brunnerus suspicatur Conradum in gratiam receptum & Carantanorum Ducatum ei commissum (ad ann. 1057.) sed annales nostri MSti habent in Pannonia exulem *male* mortuum, Marianus Scotus veneno sublatum (1057.) sed quod noster addit, coquum ejus promissa ab Imperatore pecunia ad facinus corruptum, ex incerto rumore profectum credi par est.

CAP. II.

Monasterii fundatio, mors utriusque fundatoris & miracula.

POst hoc gloriosissimus heros, pari nobilissimæ suæ conjugis voto, tractat quonam in loco Oratorium, Servis Dei divinas excubias agentibus congrua habitacula construat. Cujus voti propositum, sibi divinitus insitum, ut ratum inveniat consilium, Sanctissimi viri *Romani pontificis Ioannis* (n) præsentiam, ambo Romam profecti, expetunt: commissa, quæ vel domesticis occupati curis, vel publicis Regni negotiis obnoxij nullatenus vitare prævaluerant, per confessionem aperiunt. Quibus idem Papa post absolutionem, cum pretiosissimis Sanctorum Dei reliquiis, cruciculam donat auream propter consummandam in eis Apostolicam benedictionem: simul sua eis injungens auctoritate, quatenus ut voverant Deo, in propria hereditate, Monachorum instituant Collegium: quorum & arctioris vitæ conversatio, & jugis die ac nocte profusa oratio ad Deum, sibi plenum etiam cælestis vitæ conferre posset remedium. Reversis autem ad patriam, quantum reverentiæ, quantum honoris & gloriæ ubique adventantibus impenderetur, postremo quam lætis suorum animis, quamque festivis occursibus susciperentur, satius est tacita opinione id æstimari, quam quibus non valeas verbis juxta modum æstimationis effari. Igitur ille sedulus explorat, ubinam locorum, quæ propriæ possessionis essent, placitum Deo in fundando sanctæ religionis cœnobio suum expleat votum. *Duysburg* præcipue, seu *insulam S. Swiberti*, dijudicans ad hoc aptissimam esse, seu propter Rheni fluenta, seu propter maximæ amœnitatis, locis in ipsis, jucunda quædam oblectamenta. Nam bene ad collocanda inDuysb[illegible] fundamenta desideriū ejus proveniret, si uxor tenacioris animi ipsi non obstitisset, *Brunwilre* omnibus anteponens locis, propter revelatam sibi quamdam visionem gloriæ cælestis. Erat enim solennis ei consuetudo, numquam è vicino loci illius iter facere, quin secedens de via in ecclesiolam S. Medardi, orationi solito prolixius insisteret aut psalmodiæ. Unde contigit, ut quadam die, & itineris labore & solis ardore æstuans, expletis in sacri ambitus ædicula consuetæ devotionis suæ precibus, refrigerandi se gratia, sub umbra arboris Sicomori, quam Teutonici *Mulbom* appellant, quæ è regione stabat, supra cespitis amœni thorum accumberet, & parum dormitans somni caperet. Cum ecce (ut sibi visum est) aperto desuper coelo globus lucis, ipso sole splendidior, super eumdem Deo placitum locum descendit; tanta eum claritate perfundens, ut omnem circum adjacentem regionem jucundam atque coruscam in magna sui admiratione efficeret. Hac visione venerabilis Heros cognita, moxque omni ambiguitate postposita, unum idemque simul cum ipsa animo volvebat: nullo scilicet in loco consultius divinæ mansionis habitaculum fundari, quam in eodem: quem & paterni laboris instantia jam dudum densissimo arboribus nemore, cum tribulis & vepribus radicitus extirpato, pro bestiis, quarum prius tuta ibi lustra fuerant incolis hominibus habitabilem fecerat; & religiosissimæ suæ conjugis visione, cœlestibus ad hoc esse notatum indiciis noverat. Et quoniam per semetipsum, qualiter id foret inchoandum, minus discernebat; *Abbatis Popponis*, apud quem tunc temporis maxime religio monachica cum regulari discretione vigebat, Patris scilicet Monasteriorum sanctorum confessorum Christi, Maximini & Remacli, consilium atque solatium per allegationem *Archipontificis Domini Piligrini* expetebat. Qui, ut semper paratus erat piis obedire precatibus, septem Fratres vita religiosos, doctrina simul & actione probos, ad hoc opus, non secus ac ab ipso didicerant, instituendum ei mittebat. *Annus Dominicæ Incarnationis millesimus vicesimus quartus* jam hinc instabat, & defuncto apud *Babenberg* Episcopium suum *Imperatore Henrico*, Imperium *Conradus* agebat. Cum illi, accepta paterna benedictione atque fraterna, venerunt ad prædictum locum *XVIII. Kal. Maji*, feria simul & hora diei tertia, ut annunciarent in Sion nomen Domini, in conveniendo populos in unum, ut servirent Domino: quibus ipse in suo nomine diceret congregatis, bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto in sempiternum. Igitur omnia, quorum gratia eo venerant, certatim accelerant. Fundamenta Monasterii, non in eo tamen loco, quo ecclesiola supra dicta erat, sed ad ejus Aquilonarem partem - - - fere passibus longius ab ea locantur ea: de causa præsertim, quod cujusdam infantis defuncti corpus, dum terræ ibi fuisset humatum, toties egesta humo, tumuli sit quiete privatum. Dum ergo remotiori loco fundantes Monasterium, pro sepultura mortuorum soliciti sunt; inter ipsa læta sanctæ operationis exordia, ipsius opinatissimæ virtutum operatricis *Mathildis*, Deoque devotissimæ Matronæ, tristi morte turbati sunt. Quæ quidem quamdiu sano & incolumi corpore valuit, præter solicitam intentissimamque secretæ

n) XIX. qui sedit à 1024. ad 1033.

cretæ orationis atque eleemosynarum operam; præter hoc etiam, quod in servis Dei Monachis cum Martha Iesum excepit in Domum suam Brunwilrensem gaudens, circa quorum frequens erat ministerium; nec minus præter hoc, quod cum Maria sedulo lectionibus sacris, velut ipsius Domini, verbis intendens, integrum quotidie decantabat Psalterium; nullius unquam septimanæ Sabbathum, quo tantum balneo uti liceret, (o) præteriit, quin aliquem de turba inopum, sibi secretius adductum, calidis per se ipsam aquis perfundens sordes ablueret, crines comeret, indutúmque vestibus seu novis, seu non multum vetustis, consolatum abire permitteret. Qua de re contigit etiam, ut mundissimarum ex hujusmodi operibus manuum ejus facta in aqua ablutione, aliqui cæcitate prædamnati, ægris orbibus suis remedium videndi inferrent, qui hoc ejus merita posse indubia fide crederent. Ad quarum testimonia virtutum quædam *Adelburg* ad nostra usque duraverat tempora, jam veterana, quæ solebat nobis referre; (p) quia cum cæca fuisset ab infantia, in adolescentiæ perveniens ætatulam, eo quo prædiximus modo diu optatam commeruit lucis videre gloriam. Eamdem etiam sanitatis gratiam in *Tonaburg castro*, ab ipsa quædam cæca coram S. Cruce, ipsius nimirum (ut indubitanter credi potest) crucifixi Domini medicabili dextra adjuvante, consecuta est: propter quod eadem Crux sancta ad venerationem sui majorem, per seipsam Brunvvilre honorifice translata est. Quid plura? omnem curam omnibus subinferens ministravit in fide sua virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, amorem fraternum atque caritatem; ut per bona opera certam suam vocationem faciens, introitum sibi pararet in æternum regnum gloriæ Christi Jesu. Instabat jam annus, post eum quem superius commemoravimus proximus, *incarnationis* scilicet *Domini millesimus vicesimus quintus*, cum *Hezelinus Comes*, *cognationis*, (q) imo impendendæ venerationis atque munificentiæ gratia, illam *Aicheze* ad suum accersitam convivium, omni, quo potest, honorificat obsequio. Quam non minus, ut credi fas est, Christus interim cœleste vocatam ad convivium lætificare disponit in gaudio perenniter cum vultu suo, simulque consortium Sanctarum, Saræ, Sephoræ atque Elizabeth honorificare contubernio. Nam expleto convivii gaudio, levi mox in primis corripitur febricula; cujus per singulos dies acrius ingravescente molestia, septimo tandem post eum diem, quo ægra decubuit accepto salutis Viatico, reliquit suos lugentes & flentes; quia de hac convalle lacrymarum transivit ad contubernales suas, in vera perpetuæ beatitudinis vita sine fine gaudentes. Cujus transitum in *Aquis-grani palatio* propere cognito (nam ibi tunc *Comes Palatinus* erat, occupatus cum totius *Lotharingie* Majorum colloquio) assumptis eis secum (quorum alii se Dominam, non nulli decus & Imperii gloriam amisisse dolerent, gemerent, & plangerent) velocius pervenit ad conthoralis suæ corporis exanimi pignus venerabile. Quibus cervices suas feretro subjicientibus, aliis ex sacro ordine psallentibus, aliis lampades & cereos præferentibus, ad *Brunvvilrense* transfertur oppidulum; ponitusque extenso desuper tentorio infra monasterialis ambitus medium. Tota Coloniensium turba, ultimum ejus funeri officium redditura, cum venerabili suo *Archiepiscopo Piligrino* eo convenit: tribusque diebus ac noctibus continuis, ad ejus exequias, quæ tantæ dolor fœminæ atque amissio exigebat, cum Psalmis & vigiliis Missarum Sacramenta explevit. Donec demum quarto die ab Archiepiscopo, infra ipsum tentorium, altare in honore S. Mariæ consecratum est, ante quod eius corpus venerabiliter humatum est, & epitaphium supra eam hujusmodi scriptum est:

OTto avus, Otto pater fuerant huic, Ottoque frater,
Sub queis Roma potens sudidit omne nocens.
Hæc hujus tecti structrix, dux femina facti,
Mathildt nobilius suscipit inde genus.
Arcitenens (r) *ipsam, quarto sub lumine, fixam,*
Transtulit ad vitam, lucis in arce sitam.
Cui quod debemus, quia non implere valemus,
Tu fer solamen, Christe Redemptor, Amen.

Decubuerat autem in eadem præfata *Aicbeze* villa, qua & ipsa, eademque febris molestia quidam Miles eius, nomine *Harnic*: qui post ipsam quidem die sequenti defunctus est, sed ante ipsam primus sepulturæ quietem, ante fores adhuc rudis ædificij, sortitus est. Attamen venera-

(o) Hic notant Antverpienses Editores: Balnei usum aliquibus diebus ab Ecclesia prohibitum, nusquam legi, & videri hic talem aliquam in Ecclesia Coloniensi consuetudinem indicari.

(p) Hinc apparet ætas scriptoris, cui vetula adolescentem se Mathildis nostræ beneficium sensisse narravit.

(q) Hunc Ezonis fratrem faciunt.

(r) Sagittarius, id est, November die quarto.

rabilis Heros tanto instabat inchoato operi studio, ut quinto anno perfecto eodem monasterio, dedicationem ejus supradictus Antistes *VI. Idus Novembris* consummaret; atque juxta morem prædia, quæ liberorum suorum permissione pius ipse sacrati loci fundator & auctor præcipuis Christi Confessoribus, Sancto videlicet Nicolao atque Medardo, delegaverat, quæque liberis relicta, ab eis postmodum absque heredum posteritate libera fore speraverat, banno suo rata in perpetuum confirmaret. His ita, non secus ac *Abba Poppo* Reverendissimus voluit, patratis; ipse, aliorum cura monasteriorum occupatus, providit à suis electum Fratribus proprium eidem loco Abbatem, moribus religiosum, verbo vero & opere divino atque humano per omnia insignem & probum, nomine *Ellonem*: cui Evangelica quidem villicatio ab ipso Domino *Ezone* commissa est, & sic ad curam accepti regiminis agendam, *Anno Domini Incarnationis millesimo tricesimo* benedictione præfati Archipræsulis ordinatus est. Hujus igitur Abbatis & Fratrum, (quorum, exceptis minoribus, qui ad eorum disciplinæ formam instituebantur, erant - - -) religiosam conversationem atque ferventissimam omnimodis in divinis cultibus devotionem adeo amplectebatur & diligebat, ut sub serica veste atque aureo baltheo conversatus, moribus ipse potius quam habitu Monachus esse putaretur. Unde etiam contigit ut quadam vice, sui Militis cujusdam, qui Monachis libenter detrahebat, oblocutione satis procaci offenderetur. Nocte ergo sequenti, quæ solennis erat, ubi signum ad explendas laudes divinas sonat, jubet eumdem, quod ante non solebat, accensa lampade ad ecclesiam secum lumine sequentem præcedere; atque ibidem donec perageretur, subsistere. Jussa facit: & ut ventum est ad hoc, ut Dominica oratio sub silentio diceretur, æstimans omnia esse finita, volebat accensa, ut advenerat, lampade; sed, sine nutu imperantis, non audebat quoquam recedere: arctabatur etenim, sola subsistens in camisia, nimio gelidissimæ noctis frigore. Fecit ergo secunda vice & tertia similiter; cujus angustias ad correctionem eius pius & prudens Heros se scire dissimulans, nusquam declinavit; sed semper solennibus, usque quo integrum decantaretur, hymnis & suis (ut solebat) placitis nimium Deo precationibus intentus, fixus eodem loco permansit. Ita ille correctus artificiosa potius quam aspera increpantis invectione, cœpit Dominum suum assidue & vehementer compellere, nihil sibi reliqui dimittere, se suaque omnia simul Dei servis Monachis dedere; solos illos sua etiam sententia esse contestans, quamvis Evangelicæ nescius Doctrinæ, qui eum hic deficientem in æterna deberent tabernacula recipere. Neque hoc prætereundum est, quod ex ejus fidei virtute miraculum factum est; opera enim quæ ego facio, dicit Dominus, qui credit in me & ipse faciet: à cujus verbis neuter sexus, nulla conditio aut professio, & (ut pace virginum viduarumque dixerim) nec etiam conjugatus aliquis excludi potest. Contigit enim, ut villicus eius, Rudolphus nomine, in ejusdem Brunwilrensis prædii agro non nisi parum tritici semen seminaret; messis vero tempore perparum quidem tritici, per totum autem siliginis sementem, atque in execrabile lolium versum, id ipsum, ad eius præceptum in horrea recondendum, admissa falce meteret; quod à suis excussum paleis, exaratis eisdem iterum sulcis recommendaret. Factum est ergo, ut præcepit: & in cujus nomine omnia credenti prosperantur, sequentis anni messe, non siliginem aut lolium, sed purissimi tritici sementem recepit. Non hoc solummodo ipsius Rudolphi, sed omnium senum illius regionis accolarum certa narratione nobis relatum est. Nec mirum si ante suæ finem vitæ alienus in se ipso non fuit à fidei virtute, qui florens ad huc primæva juvenilis ætatis lanugine, *S. Vdalrici Episcopi*, propterea quod ejus erat *consanguineus*, familiari miraculorum ipsius frequenter est jucundatus dulcedine. Cum sancto, inquit Psalmista, sanctus eris, & cum electo electus eris. Contigit enim quadam vice beatum virum instante Christi Nativitate, *Ottonis Magni Imperatoris*, cum reliquo Episcoporum conventu (iter ad) curiam in ipsa hyemis asperitate fecisse, cui per quamdam silvam ire fuit necesse. Verum illi, ut evenire solet, equitanti, ramusculus arboris objectus impedimentum itineris intulit, quem avulsum dextra, Psalmorum & orationum sacro semper frequens murmure, secum in via tulit; qui mox sanctæ suæ manus calore, velut æstivo solis adanimatus fervore, gemmis turgentibus expansisque foliis virentibus effloruit. Quod cum, egregio juvene secum familiarius commeante, stupefactus ipse cerneret, volens latere, quod evenit, ramusculum abjecit; quem ipse protinus equo desiliens collegit. Sed ut ei vanum favorem vulgi nullum excitaret ex virtute miraculi, à sancto Pontifice mandatum accepit; quod & omni, quoad vixit tempore observavit; semperque pignus amabile, conspicuo virore jucundum ac desiderabile secretius apud se servatum habuit. Nam postea hujus præcipue miraculi gratia, *Hermannus Archiepiscopus*, *Venerandi Patris ejusdem filius*, in sancta Coloniensi Ecclesia sancti Confessoris Christi solennizare instituit festa. Ut vero ad maturiores ejus actus stylum reflectamus: post obitum religiosissimæ conjugis suæ, cum jam decimus annus instaret, maximo suorum (ut semper) comitatu stipatus, *ad suam provinciam Salaveldt* profectus, & prolixiore ibidem tempore commoratus est & infirmatus, LXXX. prope

annos

annos ætatis suæ habens congruo suæ fidei, spei & operationi fine defunctus, & vere beatus, qui in Domino moriuntur, in illa, qua nemo moritur, vita, spiritu conjunctus est. Corpus vero ejus ad dilectum sibi locum, quem, ut verus Abraham Patriarcha, non ab indigenis terræ, sed à Christo & Sanctis ejus datis rebus suis in sepulturam emerat, delatum; & ab Archiepiscopo supradicto, juxta corpus consortis suæ devotissimæ Deo *Mathildis* sepultum est: Et hoc Epitaphium super ipsum descriptum est:

Nomen Erenfridi tribuat super æthera scribi,
Nomine pro cujus structa stat ista domus.
Ad quod eum factum conjux clarissima tractum
Flexit, & hæc obiit: liquit, & hic subiit.
Cujus fœcundi dederint cum pignora lumbi,
Subtraxit natis, quod daret hic Monachis.
Quem sub bis senis Gemini misere Calendis (s),
Qua fovet ille domo, qui Deus est & Homo.

CAP. III.

De Hermanno Archiepiscopo, Ottone Sueviæ Duce, & Richeza Poloniæ Regina, Fundatorum filiis.

LVDOLPHUS solus filiorum ejus, tribus ante transitum ejus annis, in ipso Brauwilrensi oppido (cujus advocationem primus post patrem habuit, relinquens eam filio suo *Cunoni*) defunctus, & ibidem est conditus: juxta quem & *Henricus* filius ejus situs est. *Otto* igitur filius ejus, qui erat aspectu venustus, statura procerus, affatu jucundus, patriis rebus & honore dignus hæres substitutus est. Et non multo post etiam frater ejus *Hermannus, Pilgrino Archiepiscopo* transmigrante, *Conrado* adhuc *imperante*, Sanctæ Coloniæ Archipontificatum gratia Dei, & electione totius Cleri, atque favore universi populi adeptus est. Eodem tempore *Richeza Regina*, facto inter se & Regem conjugem suum divortio, per odium & instigationem cujusdam suæ pellicis, cum ei jam peperisset *Chatimerum*, cujus generosa posteritas divitiis & potestate nobiliter insignis permanet usque hodie, veste mutata, paucis se fugam clanculo agentem adjuvantibus, utpote fastus ejus intolerabiles, simul & barbaros Slavorum pertæsa ritus, venit ad *Imperatorem Conradum* in *Saxoniam*: à quo venerabiliter & ipsa suscepta est, & ipse nihilominus gloriosis ipsius xeniis magnifice honorificatus est. Accepit namque ab ipsa *duarum*, ipsius Regisque sui conjugis *Coronarum insignia*: concessitque ei eamdem gloriam, congrua plane sibi reddita vicissitudine, cujus totum venit ex munere, quidquid, suum extra limitem, Romanum Imperium magnificentiæ ejus ad sese contraxit in tempore. Nam patrata mox super *Polonos* expeditione, triumphatoque sub tributo *Misechone* cum tota Slavorum gente, victoriæ trophæum duplici quoque sub corona sortitus est. Sed hic in brevi functus sicque defunctus est, & *Henrico* filio ejus summam rerum agere concessum est. Qui cum regnare cœpisset, exorta contra eum *Godefridi Ducis* atque *Baldewini Comitis* invidia, ad excitandum plurimis perniciosissimum mortalibus tumultum, multa quidem passus est adversa: quæ quamvis cum difficultate, supradicto tamen *Archiprasule Hermanno* & fratre ejus *Ottone Comite Palatino*, quos præ omnibus sui semper laboris & gloriæ consortes habuit, laboriosissime secum decertantibus, simul & eum gloriosissime in omnibus adjuvantibus, superavit universa. Siquidem Imperatori Comitis Palatini non solum fidem, sed & virtutem sibi summopere appetendam fore, ea res maxime suadebat, quæ & tunc recens erat, & magnam ubique viro laudem circumferebat. Fuit *in saltu Slavorum* (qui, ob densitatem nemoris umbrosam, juxta linguam eorum, *Lovia* dicitur, quique ob immensæ latitudinis & longitudinis vastam solitudinem infinitam ursorum nutrit multitudinem) ursus quidam, naturali rabie ceteris sævior & crudelior, & ipsa etiam enormi corporis mole major (ultra quam credi possit) & immanior. Hujus tanta rabies erat, ut non solum venatus cervorum, raptusque damularum, atque aliarum conculcatio bestiolarum, ad mitigandam inanem sui ventris ingluviem, non sufficeret: quin etiam sub clara luce diei, ferali ausu, ad nullorum pavidus occursus venatorum, horrida rictibus ora trahens, in patentes è vicinitate regiones è cubili suo pollenter emergeret, & valida jumentorum & fortia boum corpora, sive adjuncta carpento, sive subjugata aratro invaderet, suffocaret, voraret. Compulsa ergo tota gens illa est à tali suarum rerum,

(s) 21. Maji.

ram, immo vitæ suæ execrabili vastatore, aut illum, si prævalerent, omnes quoquo modo pariter insequentes suis à finibus exturbare sive necare; aut, si id agere non possent, alio sub cœlo quieta suisque commoda usibus habitacula quærere. Afflictis suis rabida peste rebus, tandem, quamvis sero remedium, id solum fore explorant, si Dominum Palatinum Comitem ad hoc humili precatu flectere queant, quo se communi hosti, victoriam à Domini procul dubio dextera & virtute precepturus propria, opponat; nam *suimet ipsius provinciam Salavelt* maxime devastaverat. Quod imploraverant, ocius actu consequuntur: ascenso equo, atque emissario comitante lycisca, quod est genus canum jubis inflexis villosum atque fortissimum, venatum aggreditur: ceterisque venatoribus cum tubis raucisonis circa spissioria saltus loca occupatis, bestia immanis, quidnam circa se agatur exploratura, egreditur; & solum è vicino cernens adesse, emisso horrendo satis micatu, simulque erectis in altum brachiis, cum plantis minacibus eum aggreditur; cujus mox primus impetus, lycisca gravi aurem ejus morsu lacerante, impeditur. Nam ut est injuriæ natura impatiens, dum ad eum versa planta cum asperis unguibus se ulcisci nititur, abscissa protinus eadem, venabulum in medio occipitis excipiens, ad terram eliditur. Paratis post hoc, ut par erat, carnibus ejus in escam, lætum convivium instauratum est; corium vero ejus quindecim pedum longitudinis spatium habuisse probatum est. Sunt qui dicant, quod non provectioris, sed recentioris ætatis tempore, has theatrico dignas spectaculo, monomachiæ patraverat palæstras; quod eo vicinius laudi est, quo constat, quod tenuis ætas tale quid agendi suam virtutem non habet. Imperator autem majoris volens dignitatis gloria virum extollere, accepta ab eo *Insula S. Switberti* atque *Duysburg*, munificentiæ gratia *Suevorum* ei committit *Ducatum (Henrico ejus patrui filio ad Palatii officium substituto)* qui traditum, omnium fere mortalium favorabili erga eum habita dilectione, gloriose gubernans, tertio (proh dolor!) ejusdem Ducatus anno *VII. Idus Septembris*, immatura morte in *Conabs* (t) Castro diem clausit extremum. Ea tempestate Imperator expeditionem supra *Flandrenses* acturus, S. Mariæ festum celebravit apud *Xanctum* (u): ubi ejus [frater] *Hermannus Archipræsul* exhortationem instanti periculo congruam ad plebem faciens, universosque admonens, quatenus à superna clementia pro concinnanda Regni pace Imperatori filium dari secum implorarent, cognita per nuntium morte fratris, flebili voce finem allocutionis fecit, & omnes ad lamenta perturbatos incitavit. Expletis autem Missarum solennis, juxta frequentem omnium & ipsius Imperatoris petitionem, qui nec ad momentum quidem ejus solatio carere poterant, retentus est, & *Episcopus Tullensis Bruno*, qui ex virtute animi vel fidei *Leo* appellatus, *Papa Romanus* postea factus est, ad tumulandum fratrem ejus *Brunwilre* missus. Qui devote, quæ vel jussus vel postulatus fuerat, expleturus adveniens (erat enim iste vir ipso corporis statu vultuque terribilis simul, & amabilis; verbo etiam & opere ad ædificationem corporis Christi mirabiliter insignis) omnia, quæ tristibus exequiis usus Ecclesiasticus sancivit, pro requie ipsius reverenter & competenter explevit: sicque eum venerabiliter juxta suorum ossa parentum sepelivit. Qua die *soror ejus Richza Regina* ita etiam deplanxit eum, ut ipsa prope moreretur. Omnem ornatum suum, lunulas & torques, & monilia & inaures, & gemmas, & vittas, omnia aut auro textilia aut penitus aurea, in divinos convertenda cultus principali altari imponit; acceptoque à sancto Pontifice sacro velamine caput obnubit, sibique sepulturam juxta fratrem fore disponit: suorumque fidem super hoc, quod id ipsum superstites ipsi fideliter compleant, exposcit. Qua de re *Abbas Ello*, ipsius permagno confisus auxilio, vetus monasterium funditus destruxit, & aliud validioribus fundamentis ambitiosius construendum, novo opere inchoans, imperfectum reliquit. Jam antea ecclesiola S. Medardi destructa, ejus altare submotum, sine læsione infra ambitum prioris monasterii transferre voluit; sed non valuit, nam penitus confractum est. Et quia locus sacratus, cui prius inerat, quadam immunditia contaminatus est; divino verbere, putredine scilicet unius cruris, graviter tactus est: alias autem præter hanc causam, in omnibus felix & prospere agens, ex hac luce subtractus est, & à successore suo *Tegenone*, qui jam pridem ordinatus fuerat, honorifice sepultus est. Verum quid Pius *Hermannus Archi-Episcopus* pietatis aut potius tutelæ eidem loco providerit, si quis scire desiderat, *Apostolici Papæ Leonis epistolam* legat, & contra eam agentes, neque divinas neque humanas leges justitiæ cultui commendantes, sed contemnentes expavescat, nostrique temporis miserias, totis visceribus ad Deum conversus, defleat. Exemplar vero hujus hoc est: *Leo Episcopus Servus servorum Dei Hermanno S. Coloniensis Ecclesiæ Venerabili Archi-Episcopo, ac per eum suis successoribus illuc canonice intrantibus in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini pia pollentibus religione assensum præbere pietatis, ut & nobis proficiat ad æternam beatitudinem, & ecclesiis ad perpetuam defensionem. Quia*

 nuntius

(t) In Thonaburg castro. (u) Hodie Santhen in Cliviensi Ducatu

nuntius tuus Romam veniens, Fili carissime, sollicitavit nos precum suarum nimietate, ut per Apostolicæ defensionis paginam confirmaremus Ecclesiæ tuæ Abbatiam sitam in Brunwilre, sicut præceptum Carissimi filii nostri Imperatoris Henrici videtur continere. Inclinati igitur tuis justis precibus confirmamus & corroboramus tuæ Ecclesiæ prædictum monasterium nostra Apostolica auctoritate, ut habeat & possideat, cum omni sua integritate, & quod habet modo & quidquid acquirere poterit in futuro, secundum definitionem, qua definitum est ante præsentiam filii nostri Serenissimi Imperatoris, statuens Apostolica censura, ut nullus Imperator, Rex, Archi-Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel quilibet cujuscumque potestatis exactor molestare vel infringere audeat; sed sicut à te est constitutum, permaneat. Si quis autem contra hanc defensatricem paginam venire tentaverit, nostri anathematis jaculo perfossus ad vitam numquam assurgere mereatur; qui vero custodierit, immaculatam nostram benedictionem habeat cumulatam. Siquidem *Henricus Imperator,* sicut hæc charta testatur, juxta prædicti Pontificis votum eumdem jam sua auctoritate & privilegio confirmaverat locum. Vbi cognita prioris & nostræ ætatis distantia, facile discernitur, in quam periculosa devenimus tempora, cum à statu suo, Deo placito & hominibus commodo, immutata sunt omnia. Nam sicut ait veritas: quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. *Anno* etiam *Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo sexto* defuncto pio *Archipræsule Hermanno*, successit ei in Episcopatum Vir venerabilis *Anno:* qui quamvis sanctæ religionis approbatus cultor fuisset, interdum tamen proprii plus arbitratus quam justitiæ cultus tenax, eidem loco nihil pietatis impendebat aut affectus. Quod sentiens *Richeza Regina*, habito prudentum apud se consilio, ratum duxit esse, Pontificem beneficiis placare: veniensque ad eum in *insulam S. Swiberti*, commorantem cum Imperatore, S. Petro *Saleveld* & *Coburg:* S. Nicolao vero *Clottenum*, per manum Mundibordis *Henrici Comitis Palatini*, de *placito sibi* (x) *ad vitam usu fructuario, sub solenni dedit traditione.* Vbi mox Archiantistes eodem animi voto eademq; sententia, qua S. Petro & sibi *Saleveld* & *Coburg; Clottenum* (y), S. Nicolao & Abbati Tegenoni, (ut ipse Imperator, qui præsens erat, hoc agi divo, hoc agi, justum fore dicebat) banno suo, terribili sub anathemate damnatis invasoribus earumdem rerum, pepetuo possidenda confirmabat. Super quo etiam piæ actionis negotio ipsius Reginæ Privilegii charta descripta est (z); quæ in redargutionem impiorum, quibus justitia pœna est, ad hunc usq; diem legere volentibus, apud sacri cultores loci servata est. *Anno* autem post hoc *millesimo sexagesimo primo*, cum jam perfectum esset in *Brunwilre monasterium*, idem Reverendissimus *Archipræsul Anno*, quod sui erat officii expleturus, cum *Egilberto Mindensi Episcopo* eo veniens, & sub veneratione Sanctorum Confessorum Christi pariterque Pontificum Nicolai atque Medardi, ejusdem Monasterii Dedicationem III. *Kal. Novembris* consummavit: & ita ut erat Sacerdotalibus indumentis infulatus (Jesum testor) *Clottenum* specialiter prædia sacro illi collata loco, banno suo secunda jam vice confirmavit. Constructum est & aliud & ejusdem gloriosissimæ feminæ atque Reginæ sumptibus monasterium per *Adelberonem Wirtzenburgensem Episcopum*, in loco ubi S. Kiliani Sociorumque ejus sacrum exstat Martyrium, utpote cujus Episcopium ex ejus numerosa familiarum clientela, cum omnibus quæ ad oppidum *Saltzo* pertinent, regia prorsus munificentia adauctum est. Verum non multo post, *anno* scilicet *Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo tertio* XII. *Kalend. Aprilis*, apud *Saleveldt* ipsa defuncta est. Corpus vero ejus religioso tantæque feminæ exequiarum congruo apparatu Coloniam delatum, & Archipontifice insistente, ibidem in Ecclesia S. Mariæ, quæ est ad Gradus, humatum est. Hacque ex occasione, contra fas jusque divinum, excepto quinque librarum censu, sacer Brunwilrensis locus, non solum confundatricis suæ corpore, sed & *Clotteno* privatus est.

XXVIII. DIT-

(x) id est assignato sibi. (y) Ad M sellam.
(z) Hæc charta & Annonis acceptatio apud Gelenium extat.

XXVIII.

DITMARVS RESTITVTVS

Seu

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSBVRGENSIS LIBRI IIX.

Toto pene ejus contextu ex Manuscripto emendato & lacunis ingentibus expletis redintegrato.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPVRGII LIBER I.

Prologus venerabilis Domini DITMARI Episcopi Mersburgensis in Gesta Saxonum.

Conjunctum dulci *fraterni* juris amore
Et mihi dilectum supplex rogo te *Sigefridum* *
Nunc ego Ditmarus: videas mea scripta benignè.
Quæ placeant addas, & quæque superflua tollens.
Hæc non ornatu splendent dictaminis ullo,
Sed tantùm plano percurrunt ordine campo
Saxoniæ Regum vitam moresque piorum.
Quorum temporibus regnum velut ardua cedrus
Enituit nostrum, longe lateq; timendum.
Dicunt Ecclesiæ structuram damnaq; nostræ,
Ejus lætificos in quîs reparatur, & annos
At provisores ejusdem tum simul omnes.
Non ascribatur mihi, si quid in hoc variatur
Libro, vel desit testis cum parvulus assit.
Ne vas in scitia ** natas carissime muta,
Credens quod nunquam cepissem scribere quicquam,
Ni quod præfatus tibi sum, foret. Ergo benignus
Tales funde preces mecum de corde gementi:
Christe decus Regum moderator & Imperiorum
Propiciare tuo cum commissis sibi regno
Ut tibi, non nobis, solvatur gloria laudis,
Et non externis tuus unquam subStet ovilis.
O Vos Christicolæ cordis nunc voce rogate,
Majestas Domini quo dignetur misereri,
Ne mala nos stringant quæ multa meremur & angant
Certa futurorum quæ vox ventura bonorum
Prædixit nostris in temporibus manifestis,
Proh dolor! in multis, manifestandisq; profecto.
Et quicunque meam debes curare cathedram,
Hanc lege scripturam, studiosus amato pusillam,
Quæ strictim pandit quæ plurima mens tua poscit.
Vincit mortales florens dictatus & omnes.
Quod nunc est passim dispersum, collige sensim.
Non servi famæ sed vitæ dona supernè
Vt capias vigila, merearis ut hancque labora.
Sis memor oro mei, qui crimina multa peregi,

 Præde-

* [Sigefridus frater autoris, Abbas Monasterii S. Johannis juxta Magdeburg.]
** [Puto: *nævos inscitia natos.*]

Prædecessorum deterrimus ecce meorum.
Me tibi committo, veniam petito mihi quæso.
Chronica DITHMARI se poscunt lector amari.
Vsibus assiduis excludunt tristia mentis.
Ludis & variis eadem præponito vanis.
Sis justos laudans, pro peccatoribus orans.

MEns est omnibus aliqua proficuitate cluentibus in præsenti & in futuro sibi proficere, commissasq; sibi res, ut potis est vel solers fiducia sinit, propagare, viventiq; semper memoriæ commendare. Quocirca ego *Ditmarus* non solum honoris, verum etiam nominis indignus Episcopalis, *Merseburgensis* seriem *civitatis* olim longe lateq; cluentem, nunc autem oblivionis senio caligantem fervens retegere, admodum vereor fumum ex fulgore inscitia producere, & ut imus faber infelici summa operis deficere. Sed suppetente cuiquam bona voluntate, & ut beatus fatetur Gregorius, Christo ad hoc aspirante, incipio, ac ignotæ ejusdem clementiæ qualiter vel scriptura hæc vel etiam omnis præfatæ urbis summa concludatur supplex committo. Hujus à primo fundamentum & cum terra super ædificationem Romulea ex gente, quæ Julium Cæsarem Pompeji generum est huc olim secuta, in omnibus potentem & utrisque * viribus præcluum ** incepisse lector diligens accipe. Et quia tunc fuit hæc apta bellis & in omnibus semper triumphalis antiquo more, Martis signata est nomine. Posteri autem *Mese*, id est, mediam regionis nuncupabant eam, vel à quadam virgine sic dicta est. Qui verò ejusdem Principes vel quæ eorum virtutes fuerint, ante Christi incarnationem vel post, quia antiquorum sagaci memoria certum indagare nequeo nec per scripta invenio, ne mendax inveniar, prorsus omitto. Ab Henrico sumatur exordium, qui prædictæ civitatis adpertinentia multorum jus tunc respicientia, univit, majoraq; his multum sua virtute & industria subegit. Hic nobilissimo *Ottonis* & *Hathui* stemmate (a) editus, ut arbor occulta excrevit à puero, & ut bonæ indolis gradatim enituit tiro, sicut flos in vere novo. (b) Isque à patre suo in provinciam, quam nos Teuthonicè *Delemenci* vocamus, *Slavi* autem *Glomaci* appellant, cum magno exercitu missus devastata eadem multum, atque incensa, victor rediit. Sed qualiter pagus iste nomine hoc (c) signetur, edicam. (d) *Glomazi* est fons non plus ab (e) Albi quam duo milliaria positus, qui unam de se paludem generans, mira, ut incolæ pro vero asserunt, oculisque approbatum à multis sæpe, operatur. Cum bona pax indigenis (f) per futura hæc terra non mentitur fructum; id est tritico & avena & glandine refertus, lætos vicinorum ad se crebro confluentium efficit animos. Quando autem sæva belli tempestas ingruerit, sanguine & cinere certum futuri exitus indicium præmonstrat. Hunc omnis incola plusquam Ecclesias, spe quamvis dubia, veneratur & timet. Et hæc provincia ab Albi usque in *Caminizi* fluvium porrecta, vocabulum ab eo trahit derivatum. Sed non longè à prædicto amne in pago *Chutizi* dicto, *Arnus*, Episcopus sanctæ Witzeburgensis Ecclesiæ IX. cum ab expeditione Boiemorum reversus (g) juxta plateam in parte septentrionali, fixo super unum collem (h) suimet tentorio, missam caneret, hostili circumvallatus agmine, præmissisq; omnibus per martyrium (i) suimet cum sociis semetipsum obtulit Deo patri, DCCC XCII. dominicæ incarnationis anno, temporibus *Arnolphi* Imperatoris, cum oblationibus consecratis in sacrificium laudis. Ubi hodie sæpe accensa videntur luminaria: & sanctos domini martyres hos esse nec Slavi dubitant. Prædictus Antistes in diebus officii suimet in urbe Wirzeburgensi unum domino templum, & in Episcopatu suo ad instar ejusdem Ecclesias novem (k) fecit. Et cum maximam harum (l) benediceret, & reliquiæ Christi martyris, *Kiliani*, qui de Scotis huc veniens, Christum *Gosberto* Duci & *Geilæ*, uxori ejus, cæterisque conprovincialibus primò prædicavit, & instinctu secundæ Herodiadis cum sociis suimet, *Colomanno* & (m) *Gotmanno* ibi martyrizatus est, circumferrentur, dominus per eum LXX. (n) operatur miracula, & magister (o) eorum hoc videns suos sic hortatur discipulos: *Nolite*, inquiens, *tardare, sed quæ vobis credita, diligenter & sine mora operamini. Dominus enim noster Chilianus inclyta ex se nunc agit signa absq; omni mora.* Quantæ autem virtutis suprà memoratus præsul fuisset, stylo comprehendere, nequaquam sufficio, sed hunc apud (p) dominum magni esse meriti, ex corde credo. Interim cujusdam matronæ famam, quæ *Hatheburch* dicebatur, *Henricus* comperiens, qualiter eam sibi sociaret, juvenili exarsit amore. Hæc erat filia (q) *Eruini* senioris, qui in urbe (r) quam *antiquam civitatem* nominamus, maximam

* [Utriusq;] ** [Ita lege; vide & infra in suppl.] (a) ortus. (b) is à patre. (c) signaretur. (d) Glomuzi. (e) Albia. (f) profutura, suumq;. (g) & juxta. (h) suo tentorio. (i) suis cum sociis. (k) in decem annis. (l) is benediceret. (m) *Totmanno*. (n) operatus est. (o) Manuscript. Dresd. *magister coquorum*. (p) deum. (q) Erwini. (r) prædicta.

ximam tenuit partem, & quia is filium non habuit, geminis filiabus suis è medio decedens (s) reliquit. Ob hujus pulchritudinem, & hæreditatis divitiarumque utilitatem, internuncios Henricus quàm propere misit, & quamvis hanc esse viduam sciret (t) velatam, suæ tamen ut satisfaceret voluntati, eam fide promissa petivit. Tunc illa multorum precibus & (u) consilio devicta, comitatur, honorificè suscepta, ac charitativè à suis ut decuit, est habita. Nuptiis ex more peractis, sponsus cum (vv) conthorali ad Mersepurg venit, omnesque convocans vicinos, quia vir fuit illustris, tanta familiaritate adjunxit, ut quasi amicum diligerent, & ut dominum honorarent. Ea tempestate *Conradus* Francorum quondam Dux egregius, & tunc *Ludovici* successor pueri, arcem tenebat regni quem ob meritum sui *Otto* prædictus ab omnibus regni principibus in regem electus, sibi quasi ad hoc indigno præposuit, seque cum filiis fidei suæ ac potestati subdiderat. Spiritualis autem pater & pastor Orientalium tunc fuit *Sigismundus*, sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ præsul egregius, vir ingeniosus, omnigenarumque quæ (x) spiritualia vel etiam carnalia respicit artium scientia, omnes (y) suimet contemporales præcellens. Hic pietate maxima, &, quod summum est perfectionis culmen, Christi Zelo fervens, ut perpetrati facinus connubii primo audivit, ovium culpam suarum ingemuit, & aliquam inter se fieri amplius commixtionem per internuncium, & per epistolam banno Apostolicæ autoritatis interdicens, ad condictam ambos Synodum vocavit. Henricus tali rumore turbatus, ad Imperatorem properavit, omnemque indicans ei (z) rem ordine, auxilium ejus petivit, & quia familiaris ei fuit, (a) & patris commisso, ac fideli servitio, impetravit. Nam legato ad antistitem concitè directo ut (b) vinctos solveret, & ad suimet præsentiam differret, postulavit. Post hæc *Ottone* (c) secund. Calend. Decemb. carnis universæ viam intrante, sæpè memoratus juvenis in vacuum succedens, (d) hæreditatem jure & maximam beneficii partem gratuito regis suscepit ex munere, & quod ei defuit, cum suis omnibus ægrè tulit, ac postea sicut cum tritico lolium, sic ex eo latentis (e) odii filix excrevit. Quod rex cautè considerans, ut ignotum dissimulat, & quem vi aliqua superare non præsumsit, nota *Hattbonis* versutia Archipræsulis, qua & antecessor suus *Adelbertum* Comitem (f) Tereti capitis abscissione devicit, & hunc decipere tentavit. Hoc consilium (g) dominus sapiens, infatuavit. Nam faber ille, qui jussu præsulis torquem (h) aureum, in quo Henricus occidi deberet, mira arte præparabat, cum ingemiscenti senioris relatu, quo pacto hæc fieri deberent, perquireret, opere ad unguem perducto & præsentato, clam postea evadens, (i) obviam Ducem prædictum habuit, & cuncta (k) ex ordine pandit. Qui rediens nuncium remisit ad antistitem qui occulta patesceret, seque in sui detrimentum celeriter invigilare pronunciaret. Quidquid enim ad Episcopum in *Saxonia* vel *Turingia* pertinuit totum sibi præcepit occupari: amicos regis (l) partibus ex his omnino deprædatos expellens. Moxque morte repentina Archipræsul expirat (m) hominem, & fortuna, quæ hactenus regi feliciter aspiravit, Henrico quam propere cessit. Sed mihi ad alia properanti, longum est enarrare, quoties congressi mutuo (n) cederent, vel (o) vincerent: & (p) quod postremo bonorum instinctu in amicitiam convenirent. Interea *Conradus* longa infirmitate detentus, & quia post inimicitias (q) iræ meminisse malorum est, totius contrarietatis, quæ sibi ex parte Henrici provenerat, oblitus, (r) fratri suo *Eberhardo*, populoque primario in unum collecto, (s) consilium hoc dedit, si quando naturæ communi (t) concederet, ut Henricum regni gubernaculo (u) undique secus aptum, eligerent, animamque suam cum residua consanguineorum ac familiarium caterva firmæ (vv) suimet fidei committerent, & ad hoc sine aliqua dilatione consentirent. Hanc petitionem extremam cum magno luctu & gemitu suscipientes, & impleturos se vita comite promittentes, festino ejus obitu in VIII. ordinationis suæ anno 14. Calend. Novemb. pro dolor completo, ac exequijs in (x) *Limburg* peractis (y) discessere, & concione in (z) Friteslari celeriter posita, Henricum coronaverunt, & sibi credita sub Christi & totius Ecclesiæ testimonio fideli, non sine lacrymis, regi tunc & domino commendaverunt. Qui primò, ut decuit, divinæ pietatis munus post universalem tantæ charitatis affectum, humili suscipiens devotione, Deo gratias egit, seque ad hæc, & ad omnia quæ communi consilio expetivissent, assensurum (a) promisit. Episcopalis unctionem benedictionis (b) à *Herigero* Archiepiscopo exhibitam antecessorum more priorum, non desideravit, nec suscipere voluit, sed prorsus ad hoc indignum se affirmavit. Attamen in hoc eum

(s) hereditatem magnam reliquit. (t) &. (u) concilio. (vv) contectali. (x) spiritualium vel etiam carnalium. (y) suos. (z) rei ordinem. (a) ex patris. (b) vinctum. (c) pridie. (d) hereditatis jura. (e) filex. (f) *Teresi.* (g) Deus sapiens. (h) auream. (i) obvium. (k) et ex ordine. (l) ex his omnibus partibus. (m) omen & fortuna quæ hactenus Regem feliciter aspiraverunt, Henrico quam propere cesserunt. (n) secederent. (o) vicerint. (p) quomodo (q) iram. (r) fratre. (s) concilium. (t) se concederet. (u) undique aptum. (vv) suæ. (x) *Wilinihurg.* (y) iterarant. (z) Fridislere. (a) esse promisit. (b) ab.

eum equidem peccasse vereor; quia in vita Sancti patris (c) *Othalrici*, quem idē rex post ad sacerdotalem promovit ordinem, legi, Sanctam Christi Martyrem *Afram* dilecto (d) suimet præsuli multa in visu ostendisse. Inter quæ duos enses, unum cum capulo, aliumque sine eo; ac per eum Henricum regem consecrationis expertem demonstrasse. Sed occulto hoc divino judicio relinquens amplius progrediar. Fama novi regis (e) undique secus dispersa, amicorum corda lætificat; rebelliumque contra mæstificat, quia vir talis fuit ut suos sciret sapienter tractare, inimicos autem callidè, viriliterque superare. Interea *Tammo* [qui & *Tanckmarus*] natus est, & mens regis ab amore uxoris decrescens, ob pulchritudinem (g) & speciem cujusdam virginis, nomine (h) *Mathildis* secreto flagravit. Jam jamque latentis animi fervor erupit, & injusto se hactenus multum peccasse connubio tandem professus, per affines legatosque suos, filiam *Theodorici* & *Reinildæ* ex *Widikindi* regis tribu exortam, (i) appellat, ut sibi (k) satisfaceret. Et quia flexibilis est mulieris animus, & quia sciebat eum in cunctis elegantem, consensit, conjunctaque ei tam in divinis quam humanis (l) par fuit. Quæ tres filios congruo (m) pariens in tempore, *Ottonem*, *Henricum* & *Brunonem*, prospere educavit, doloremque partus tantæ stirpis dulcedine superavit. Et quoniam mihi sermone de Ottone non autumo opus esse, omnia patris sui gesta (n) singulatim discutere, cum & in filio appareat, quanta ejus sit dignitas, & scriptis multorum vitæ ejusdem satis fulgeat claritas, (o) quædam intersero, quæ dictu maximè necessaria puto. Has regiones sibi fecit tributarias: *Boiemiam*, *Deleminciam*, *Obetritos*, *Wilci*, *Hevellos* & *Redarios*, qui statim rebelles aliosque ad hæc concitantes, urbem *Wallisleve* oppugnant, destruunt & incendunt. Ad hoc vindicandum noster convenit exercitus, & *Luncin* civitatem obsidens, socios eorundem, eos defendere cupientes, invadit, & paucis effugientibus prostravit, urbem quoque præfatam (p) acquisivit. Ex nostris autem duo abavi mei uno nomine, quod *Luther* sonat, signati, milites optimi, & genere clarissimi, decus & solamen patriæ, nonis Septembris cum multis alijs oppetiere. Vt nullus (q) Christo fidelium de futura mortuorum resurrectione diffidat, sed ad beatæ immortalitatis gaudia (r) anhelans per sancta proficiscatur desideria, quædam quæ in urbe *Wallisleva* post excidium ejus reædificata, accidisse veraciter comperi, intimabo. In ipso orientis diei crepusculo solitus erat presbyter ejusdem Ecclesiæ matutinam canere, sed cum ad atrium defunctorum veniret, videns in eo magnam multitudinem oblationes offerentem sacerdoti coram templi foribus stanti, primò substitit, posteaque signo sanctæ crucis se muniens, per omnes hos, nec uno saltem agnito, oratorium trepidus adivit. Quem una noviter de hoc seculo egressa, (s) & ipsi benè nota, quid hîc vellet interrogat: edoctaque ab eo, quare venerit, hæc omnia ab his esse completa, parvumque temporis eundem victurum, prædixit. Quod vicinis post retulit, veraque hæc esse comprobavit. Meis temporibus in *Magdeburg*, sicut à veracibus accepi testibus, in ipsa tunc continuè manens Ecclesia mercatorum, custodes eadem nocte vigilantes, his quæ prædixi, convenientia, visu & auditu percipientes, optimos civitatis adducunt. Qui cum longè ab atrio cadaverum adstarent, lucernas candelabris superpositas videre, duosque invitatorium canere, matutinasque laudes ordinatim omnes persolvere pariter, audiere. Accedentes autem nihil omnino intellexere. Hæc ego cum subsequenti die nepti meæ quæ *Brigida* dicebatur, (t) cura regens pastorali Monasterium Sancti Laurentii referrem, in infirmitate sui corporis laboranti, protinus ab ea nequaquam hoc mirante, tale percepi responsum: Tempore Baldrici Præsulis, qui Octoginta annos, vel plus, Trajectensem regebat sedem, in loco, qui *Deventeri* dicitur, Ecclesiam senio dirutam renovans, benedixit, ac presbytero suimet commendavit. Qui in una dierum valdè diluculo ad eam pergens, vidit mortuos in Ecclesia & atrio (u) afferentes, atque audivit cantantes. Quod mox Episcopo ut primum is retulit, jussus ab eo in Ecclesia dormire cum lecto, in quo requievit, sequenti nocte à defunctis ejectus est. Ob hoc idem trepidus apud Antistitem talia queritur. Is autem præcepit ei, ut cum sanctorum reliquiis signatus, & aqua sacra aspersus, suam custodire non desisteret Ecclesiam. Qui jussa secutus domini, iterum dormire in Ecclesia voluit, sed stimulati timoris casu sic jacendo convigilavit, & ecce solita venientes hora, elevaverunt eum, coram altari eum ponentes, & in favillas tenues corpus igne resolventes. Hoc ubi Præsul audivit, pœnitentia ductus triduanum indixit jejunium, ut & sibi animæque defuncti succurreret. Multa (vv) similia de his omnibus, ni infirmitas obstaret, dicere potuissem: [ut dies vivis sic nox est concessa defunctis,] sed non oportet plus sapere mortalem, quam, ut sanctus admonet Paulus, ad sobrietatem. (y) Si quidem duo vel tres ad unum sufficiunt testimonium. Hæc quæ novellis nostris evenere temporibus scripsi, ut discat incredulus vera esse Propheta-

rum

(c) Odalrici. (d) suo (e) undique dispersa. (g) in amorem cujusdam. (h) Mechtildis. (i) interpellare cepit. (k) satisfacere voluisset. (l) profuit. (m) pariens tempore. (n) sigillatim. (o) sed quædam. (p) acquisitum. (q) Christi. (r) anhelanter. (s) ut sibi bene nota. (t) curans pastorali regimine. (u) offerentes. (vv) fili. (y) Sed quia duo vel tres.

rum oracula, è quibus teſtatur unus: *vivent*, inquiens, *mortui tui domine.* Et alius: *Surgent mortui, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei & (z) lætabuntur.* Quandocunque à viventibus hæc audiuntur, vel videntur, novum aliquid (a) ſignat, ut idoneum in multis approbat teſtimonium, cujus magnam partem ſcio, majorem autem ignoro, ſed veracibus teſtimoniis credo. Fui ego in mea (b) curia *Ratmarsleva* dicta, ubi XV. Cal. Januar. VI. feria, in primo galli cantu magna lux ab Eccleſia emicans totum replevit atrium, (c) ſonitusque grunientium more auditur immenſus. Quod meus frater [*Friedericus*] * (d) cum ſatellitibus meis, cæterisque huc convenientibus, aſpexit, & ille, qui coram me dormivit, Capellanus, audivit. Hoc craſtino cum comperirem, ſi unquam plus ibi aliquid tale contigerit, interrogans, ſemel his ſimilia accidiſſe ab antiquiſſimis percepi, & in hoc anno miſerabiliter compleri videbam in obitu dominæ (e) *Luckardis* inclitæ, ex una parte neptis meæ, quod inter amicos præcipuum, familiariſſimæ mihi de qua in ſequentibus (f) ediſſeram enucleatius. Sæpe mihi accidit, ut in nocte ligna incidi audirem, & ſemel defunctos pariter colloquentes ego & ſocius meus cæteris dormientibus manifeſtè percepi, & in his duobus ſignis craſtino ſubſecuturum funus intellexi. Et ſi ego fungar vice cotis, ferrum & non ſe (k) exacuentis, tamen ne muti canis opprobrio (h) noter ab illiteratis, & maxime *Sclavis*, qui cum morte temporali omnia putant finiti, hæc (i) loquar pro certitudine reſurrectionis, & pro qualitate meriti futuræ remunerationis firmiter indicans cunctis fidelibus. Tres namque ſunt animæ non æqualiter incipientes, nec ſimul finientes. Prima angelorum incorporeorum, quæ cum eis eſt ſine initio & termino. Secunda hominum, quæ cum eis ſumit exordium, ſed in fine non (i) habet participium. Namque immortalis eſt, & ut quidem gentiles opinantur, in futuro non habens hoc officium, quod in hoc ſeculo. Tertia ſpecies eſt animæ pecudum ac volatilium quæ cum corpore parem initii finisque ſortitur æqualitatem. Unde ſicut in lege Moiſi à domino data præcipitur, ita verus Chriſticola ab eorum *ſanguine* nequaquam pollui canonica autoritate prohibetur. Multi enim ſunt pauperes qui hoc in uſu commeſtionis habent, & ſe in hoc aliquid peccare ignorantes, ſibi in hac contradicentibus cunctis reſiſtunt. Ergo tu homo gloria & magno honore à domino coronate & ſuper omnia ejusdem opera conſtitute; da pro omnibus gratias altiſſimo, retribuens ei pro poſſibilitate tua, quæ tibi fecit (l) miſeratione ſua. Nunc & ego repetam longius aberrata. Rex autem *Avares* ſæpe numero inſurgentes expulit, & cum in uno dierum hos impari congreſſu lædere tentaret, (m) victus in urbe quæ *Bichin* vocatur, fugit, ibique mortis periculum evadens, urbanos majori gloria, quàm hactenus (n) habuerant, vel conprovinciales hodie teneant, & ad hæc muneribus dignis, honorat. Quotiescunque contra dominum & ſeniorem ſuimet, dum vixit, ſe unquam ſuperbiendo erexit, toties humiliata poteſtate ſua, ſe ad emendationem condignam inclinavit. Audivi, quod hic Romam cauſa orationis petens, plus pedibus quam equo laboraret, & à multis interrogatus, cur ſic ageret, culpam profiteretur. Hic montem unum juxta Albim poſitum, (p) & arborum denſitate tunc occupatum, excoluit, ibi urbem faciens. Cui de rivo quodam, qui in ſeptentrionali parte ejusdem fluit, nomen *Misni* impoſuit, quam, ut hodie in uſu habetur, præſidiis & impoſitionibus cœteris munivit. Ex ea *Milzenos* ſuæ ſubactos ditioni, cenſum perſolvere coëgit. Urbem quoque (q) *Lebus*, de qua in poſterum latius diſputaturus ſum, diu poſſidens, urbanos in munitiunculam infra eandem poſitam fugere, & deditios fieri compulit. Ex ea die, quia hæc tunc incendio juſtè periit, usque ad noſtra tempora habitatore caruit. Siquidem in regno ſuimet, ut multi dicunt, is prædatus ſit, huic (r) dominus clemens ignoſcat. Inſuper *Northmannos* & *Danos* armis ſibi obtemperantes fecit, & ab errore priſtino revocatos, cum rege eorum (s) *Cnutone*, hos Chriſti jugum portare edocuit. Sed quia ego de hoſtiis eorundem antiquis mira audivi, hæc indiſcuſſa præterire nolo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius regni, *Lederun* nomine, in pago qui *Selon* * dicitur, ubi poſt novem annos menſe Januario, poſt hoc tempus, quo nos Theophaniam domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi diis ſuismet LXXXX. & novem homines & totidem equos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo, ut prædixi, putantes hos eisdem [erga inferos ſervituros & commiſſa crimina apud eos] placaturos. Quam benè Rex noſter fecit, qui eos à tam excecrando ritu prohibuit! Acceptabilem enim domino patri ho-

---

(z) lætentur. (a) ſignant. (b) curte. (c) ſonitus æque grunnitium more auditur. * MS. Saxonicum Albino communicante habet: Theodericus. vide Meibomii Chron. Walb. p. 30. & præfat. Maderi in Ditmarum & ejusdem genealogiam Walbeccenſem; ſed ſi legas, ut noſtrum MS. non eſt opus novam perſonam inſeri genealogiæ. (e) *Luitgerdis*. (f) ediſſero. (g) exacuens. (h) noter illiteratis. (i) loquor certitudinem. (k) habens. (l) pro miſeratione. (m) victus in urbem quæ Bichni. (n) haberent. (p) & ex arborum. (q) Lubuzuam. (r) Deus clemens. (s) Cnittone. * [Seeland.]

hostiam fert, qui humano sanguini parcit. Præcipit enim dominus, innocentem & (u) pium ne interficias. Antiquum opus Romanorum muro Rex prædictus in *Mersburg* decoravit lapideo, & infra eandem Ecclesiam quæ nunc mater est aliarum, de lapidibus construi, & XIV. Cal. Junii (vv) præcepit dedicari. Cæteras quoque urbes ad salutem regni, & templa domino ob remedium animæ devota mente fabricavit, [Hic in nova Corbeja aram Sancti Viti Martyris auro & gemmis variis mirifice ornavit hortatu Mathildis conjugis suæ.] post innumera virtutum insignia idem decurso vitæ suimet stadio, sexto decimo regni, ætatis autem suæ sexagesimo anno, Sexto Non. Julii in *Miminleve* moritur, & in *Quedlinburg*, quam ipse à fundamento construxit, sepultus, & (y) cunctis optimatibus meritò defletur. Accidit hoc anno dominicæ incarnationis DCCCCXXXVI. (z) Indoles autem relictæ posteritatis tristia principũ corda lætificat, & certos voluntariæ electionis (a) hos fecit. Nec pluribus, quibus regnandi spes in subsecutura dominorum sobole non relinquitur, & inter se facta dissensione, & longa contentione aliquod consilium & solamen citò non providetur, si in consanguinitatis linea aliquis tali officio dignus non inveniatur, saltem in alia benè morigeratus, omni odio procul remoto assumatur. Quia maxima perditio est alienigenas regnare: hinc depressio & libertatis venit magna periclitatio. Ab hoc, de quo dixi, Henrico & successoribus ejus, usque huc Saxones elevati, & in omnibus sunt honorati. Quicquid in his laudatur, ab æquivoco ejus, de quo scripturus sum vita comite deligenter servatur, & post, ut vereor, finitur. Ergo quæcunque de his ullatenus nunc præteream, vel vita deficiente, indiscussa relinquam, successor (b) alme compleas, & temporum qualitates scripturæ memoria concludas. Ego peccator, & in omnibus negligens, vacavi hactenus à bonis, & (c) studii in malis, sero ad ista & ad meliora respiciens, animæque memoriam salutarem nullo modo exercens. Postquam pastor effectus sum, docui subjectos verbis tantum, & non exemplis: extrinsecus apparui bonus, interiora violans pessimis cogitationibus, & de immundo semine conceptus, volutabar in luto, ut immunda sus. Dicat aliquis malè laudasti te: cui respondeo, verum hoc esse, (d) quod deteriorem me nescio. Idcirco me sic arguo, ut agnitis vulneribus meis succurras (e) medicationibus necessariis, & ex magna parte consors mei sic adjuves in omnibus me, sicut velis exhiberi pro te. Et inclita venerabilis gesta *Mathildis*, quæ post excessum senioris summopere fecit, equidem paucis comprehendam, imitationem bonam fidelibus cunctis. Quia sancta est, ut scriptura docet, & salubris cogitatio pro defunctis orare, & eleemosynis absolutionem his impetrare. Legimus, quod (f) unius captivi vincula, quem & uxor sua, putans mortuum, assiduis procuravit exequiis, toties (g) solverentur, quoties pro eo acceptabiles domino patri hostias ab ea (h) offerri procurarentur, ut ipse ei post retulit, cum domum suam liber revisit. Hoc exemplo Domina Mechtildis viro suimet vinculo momentaneæ mortis depresso succurrit, non solum pauperibus, verum etiam avibus victum subministrans. Congregationem quoque Sanctimonialium in die tricesima in supra memorata urbe statuit, & huic quantum ad victus & sui vestitus necessaria suppetebat, ex sua proprietate, laudantibus hoc suimet filiis, concessit, & scriptis confirmavit. Asserunt nonnulli, eandem hoc summopere diu (i) nisam fuisse, quod junior filius suimet *Henricus* patris sedem possideret. Sed hoc dominus, electos sibi ad unaquæque semper præordinans, noluit, nec (k) summatum optima pars consensit, sed ratione prudenti, & ideo facilè suadenti, hæc mœrentis Reginæ animum paulo minus à proposito declinavit, & (l) huic Bavarios ad tuendum aptius assignari, (m) præhabito sibi nato majori, consulitur. Anno Dominicæ incarnationis DCCCC XXIII. Indictione XI. regni autem primi regis Henrici quinto, venerabilis *Sigismundus*, sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ antistes sextus, XIX. Cal. Februarii obiit, cui *Bernhardus* ejusdem Capellanus successit, sicut ei prius vir sanctus prædixit. Namque is diu infirmus vidit in somnis, quod baculum pastoralem, è manibus suis elapsum, Bernhardus ponè sequens elevaret, & in aperto portaret. Et expergiscens, vocavit eum ad se, dicens: Vade ad curtem regiam, sumens ex mea parte quæ tibi sint ad hæc necessaria, & acquire gratiam & auxilium ibi optimè valentium, ut tibi liceat sine omni offensione mihi succedere: providebit enim hæc omnia dominus dilecte fili. Edictum amati senioris obœditione humili Bernhardus mox complens, dum à rege Henrico reverteretur, comperit Dominum suimet & patrem de hac luce, tricesimo ordinationis suæ anno ad Christum migrasse, & mox repedans, prædicti regis munere, quod postulat, consequitur. Positum autem corpus præfati Præsulis in dextra parte altaris Christi Protomartyris, (n) ut

(u) justum. (vv) fecit. (y) à cunctis. (z) Indolis. (a) eos. (b) carissime. (c) studui in mais. (d) quia me deteriorem nullum scio. (e) mihi. (f) unus captivatus & vinculatus. (g) solveretur. (h) offerrentur. (i) elaborasse. (k) summa optimatum pars concessit. (l) hunc. (m) præhiabtu.

(n) ut ipse antea præmonstravit, non jacendo, sed supra Cathedram sedendo, sperans se patroni suimet intercessione sancta, & benedictione sacerdotali perpetualiter muniri. Qualiter misericors dominus prædictum regem in diebus suis respexerit. quamvis de pierio fonte nil unquam biberim, cunctis tamen fidelibus innotescam. Fuit in occiduis partibus quidam rex, [ab incolis *Karl sot*, id est stolidus ironice dictus] qui ab uno suimet ducum captus tenebris includitur carceralibus. Hic Henrici regis nostri, nepotis autem sui, implorans auxilium, dextram Christi martyris Dionysii & cum ea omne *regnum Lotariorum*, si ab eo liberaretur, sibi traditurum (p) sacramentis promisit. Nec mora, inclytus miles in victricibus se armis circumcingens, proximum laborantem visitat, & in ereptione ejus ac restitutione, dignus operator mercedem suam promeruit, & honorem pristinum sibi suisque successoribus (q) in tantum adauxit. Sed quia homo unusquisque proclivior ad labendum, quam natura suimet muniatur ad standum, quam miserabiliter iste semel deliquerit ad terrorem & ad devitandum piis, non taceam. In Cœna Domini nimis inebriatus in sequenti nocte uxori suæ multum repugnanti diabolico instinctu illicitè conjunctus est. Hoc factum auctor tanti sceleris, & humanæ salutis irretitor, Satanas, cuidam venerandæ sic prodidit matronæ: Mechtild Regina nuper hortatu meo maritali consentiens voluptati concepit filium, sine omni dubio meum, & tu vide, ut tantum optime celes commissum. Hæc multum clam ob hoc tristis effecta, prædictæ hoc celeriter annunciavit reginæ, admonens, ut semper Episcopos atque Presbyteros secum haberet, & in ipsa pueri (r) nativitate sacri Baptismatis unda ablueret, (s) ne quid in eo sibi dilectum accidisse, Dæmon infaustus jactaret, & sic Deo gratias egit. Videns autem Dæmon, id est, (t) omnia sciens, se prorsus esse delusum: dominam increpavit supra memoratam, talia subnectens: Etsi mea nunc sit voluntas tuis frustrata blasphemiis, tamen in hoc profeci, quod ex eo, & ex omnibus de lumbis ejusdem unquam progredientibus, nunquam deerit (u) in ea comes discordia, nec proveniet eis pax firma. Mendax ille & veritatis inimicus hæc pro voluntate sua dixit, & ut spero, non pro adimpletione. Multi autem affirmant, ut in sequenti dictatu apparet, quod sub ejus & filij suimet temporibus crebra fieret commotio, & quietis parva certitudo. In diebus vero his, quibus regnare cœpit tertius in numero ducum, *Henricus*, & in Ordine sceptriferorum secundus, tunc illa (vv) filix inquitatis exaruit, & pacis bonæ flos virens enituit, & si quid prioribus huic simile in aliquo nunc accidit, hoc non culpa sui sed instigatoris fuit impii. Legimus, quod omnia tempora tempus habent, sed non omnia, id est, à Domino nullum esse vitiis locum ab initio constitutum, & quia fragilitas carnis sine aliqua contagione non valet esse, à capitalibus se criminibus abstineat, & in solennitatibus universis munditiam servet. In legitimis conjunctionibus non esse delictum aliquod, scriptura testatur, (x) & hoc cum observatione festivitatum honoratur, & nulla imminentis periculi procella turbatur. Ad hæc amplius approbanda unum profero exemplum. Quidam vir *Vffo* nomine, civis Magdeburgensis nimia ebrietate compulsus, in sancta solennitate Innocentum, conjugem suam *Gelbusam* consentire sibi coëgit, quæ eadem nocte à viro alligata suo, cum incongruo tempore pareret infantem in pedibus digitos habentem retortos, obstupuit, & accersito ad se protinus marito, miraculum ostendit. Culpaque amborum hoc evenisse ingemiscens, nonne, infit, prædixi, ne sic faceres, ecce ira Dei se nobis manifestat, & ne sic ulterius agamus, atrociter (y) rogat. Peccatum tibi magnum, injusta mihi præcipere, & mihi obœdientiam tibi exhibere. Postquam autem infans baptizatur, inter innocentium agmen de hoc exilio deducitur. Bene est in perpetuum illi, qui tali utitur contectali, quæ pro absente infatigabiliter orat marito, & præsentem, oblita sexus, ut se custodiat, hortatur.

[Eo tempore quo supramemoratus Rex maxime vigebat, fuit in Bavaria quidam Dux Arnulffus nomine *precluus* * in mente pariter & corpore, qui omnes episcopatus in his partibus constitutos sua distribuere manu singularem habuit potestatem, sed cum hic post varios virtutum suarum ornatus vitam hanc finisset successorum suorum nulli tantum reliquit honorem, quin potius Reges nostri & Imperatores summi Rectoris vice in hac peregrinatione præpositi hoc soli ordinant, meritoque præ cæteris pastoribus suis præsunt, quia incongruum nimis est, ut hi quos Christus sui memores huius terræ Principes constituit, sub aliquo sint dominio, *absque* ** eorum qui exemplo Domini benedictionis & coronæ gloria, mortales cunctos præcellunt: Audivi tamen nonnullos sub *Ducum*, & quod plus doleo, sub *Comitum* potestate magnam sustinere calumniam, quibus nil licitum est nisi quod scilicet amatoribus seculi prodest. Impia namque potestas cum Domino id consentiente recte dominantes premit dilatata crudelitate mox furit.]

(n) in gradu præjacenti, ut. (p) Sacramento. (q) quam plurimum adauxit. (r) nativitate eum sacri. (s) quicquid (t) omnia scientia. (u) mea. (vv) filex. (x) si hoc. (y) imperat. * *precluus* vid. suprà prope initium. ** *absque eorum*, id est, præterquam eorum.

In palatio prædicti regis accidit res (z) una mirabilis. In conspectu totius populi præsentis quidam canis, dum eminus hostem suum (a) confidentem agnosceret, propius accedens, dexteram ejusdem rapido morsu ex improviso abstraxit, & quasi optime fecisset, cauda reverberante mox rediit. Mirantibus hoc cunctis, & admodum stupentibus, ab his miser is, quid fecerit, interrogatur: quibus illico respondit divina ultione id sibi merito evenisse, & (b) persequitur: inveni, inquiens, virum, hujus canis dominum, fesso corpore dormientem, & infelix occidi eum, multas (c) tum ab isto, qui me modo læsit persecutore impugnationes perpessus, & quem tum vix evasi, nunc ista sperans prorsus oblita, culpabilis occurri. Scio deinceps quod aut hic, aut in futuro examine unusquisque reus sine subsequenti pœna non latet ullatenus. Multa sunt, lector carissime, regis nostri, ac Imperatoris prædicti, facta memoria semper viventi admodum digna: sed quia hæc, sicuti fuere, concludere nequeo, tristis omitto, quia hic, sic ut prædixi, de nostris regibus nomen, & in omni virtute sua principatum, juste obtinuit. Parvum de magnis ejusdem operationibus librum habeo inscriptum, sed spero memoriale ejus in libro vitæ ascriptum fore, qui præcursoris Christi, inter natos mulierum, ut Christus, Dominus ac Deus noster, affirmavit maxime, fidelis famulus erat, & in nostra urbe fundamentum subsequentis culturæ primus posuit, & quicquid unquam huic ullatenus super ædificatur, laudi (d) ejusdem merito, (e) signatur. Elegans namque ortus ac finis bonus, ubicunque id fieri potest, optimè concordant, ac si hoc in omnibus compleri nequit, laudemus dominum in hoc, quod fecit, & majestatem suam ut ad summum perducere dignetur, benignitatem suam suppliciter orent quique fideles, & maximè tu *Mersepurg* inclyta cum spirituali prole sua, in tempore dilecti senioris tui more cupressi præ cæteris conprovincialibus tuis exaltata, age grates continuas domino, & ut (f) vitæ bona quæque divino moderamine perficiantur, Studiosa in timore (g) dominico semper adoptato. Mos est enim malorum, immemores esse bonorum, & hoc vertere in pejus, quod creare dignatus est omnipotens in melius. Si aliquid prædicto operi ego unquam addere queo, nullatenus cessabo. Sin autem, si quis tanti rectoris nostri sit aliquantulum in bono memor, sit ei propitius omnium qui est exauditor. Primus iste codicillus clausus sit primi morte Henrici.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPURGII

LIBER II.

OTTO, decus regni, de stemmate cretus herili
Henrici patris fulgebat ubiq; coruscis
Actibus, & solium conscenderat inde paternum.
Huic primo multi contradixere maligni
Invidia, cunctos quos vicerat iste superbos
Flamine divino, quod semper poscit ab alto.
Non fuerat tantus Caroli de morte patronus,
Nec puto simili regnum pastore potiri.
Episcopatus construxit deniq; senos.
Hic Beringerum superans virtute superbum,
Longobardorum sibi subdit colla furentum.
Imperatorem fecit sibi Roma potentem
Hunc, & maritimi solvunt tributa remoti.
Pacis amicus erat, bellum lateq; premebat:
Occidentales sedat Danosq; feroces.
Partibus Eois tunc non apparuit hostis.
Maximus in sceptro terdenos sedit & octo
Annos in regno, tandem & discesserat Otto,
Flebilis heu patriæ, simul invincibilis, atq;
Linquens hic post se tunc contectalis amica
Pignus, & nati, quo lætabantur amici.

Omnes

(z) quædam. (a) consedentem. (b) prosequitur. (c) tunc. (d) ipsius. (e) assignatur. (f) in te bona. (g) domini.

OMnes Reipublicæ Principes magnum reginæ Mechtildis mœrorem lenire cupientes, Ottonem filium ejus, patris sui decreto ac petitione uno ore in regem sibi & Dominum elegerunt, elevatis dextris conclamantes: *Vivat & valeat Rex victor in æternum:* pariterque cum eo (h) ad Aquasgrani proficiscuntur. Quo cum appropiarent, omnis senatus obviam perrexit, (i) fidem cum subjectione promisit, & ad sedem eum usque ducens imperialem, statuit eundem in loco priorum, in regem sibi conlaudans, ac Domino tunc gratias agens. Hunc *Hillibertus*, Moguntiæ (k) cura cathedræ cum licentia *Wigfridi*, sanctæ sedis Coloniensis Archipræsulis, in cujus diœcesi hoc fuit, & auxilio Trevirensis benedixit, anno dominicæ incarnationis DCCCCXXXVI. in Ecclesia S. Mariæ semper virginis, quam cum omni diligentia magnus construxit Carolus. Confortatus tunc in Domino tunc & in regno, sceptriferorum maximus Otto, conjugem suam *Editham Ethmundi* regis Anglorum filiam bene timoratam, quam patre suo adhuc vivente duxerat, consecrari præcepit. Hujus prospera multa turbabant adversa. Nam Bohemorum Ducem *Wenceslaum*, *Boleslaus* nefandus, fratrem Domino ac Regi perimens fidelem, restitit multo tempore audacter, & postea devictus à rege viriliter, fratri suimet *Henrico* Bavariorum duci ad (l) servandum traditus est. *Avares* quoque patri suimet quondam contrarii, sed diu pacificati, iterum insurgunt, celeriterque fugati, redeunt. Discordia quoque inter concives consociosque oritur non minima, quæ *Tammonem*, regis & (m) *Luidgerdæ* concitavit filium, eo quod legatio *Sifridi*, Comitis Mersepurgensis, quam sibi idem vendicaverat, *Geroni* sit tradita Marchioni, hæreditasque materna sit ei prorsus ablata. Hunc rex in (n) Mersepurgk obsedit, (o) filiumque ab iniqua præsumtione terroribus & blanditiis amovere curavit. Sed exercitus capta urbe ingressus, juvenem præfatum usque in Ecclesiam S. Petri, ubi prius ab antiquis *Irminsul* colebatur, bello defatigatum depulit. Ad ultimum autem (p) Maginzonis hasta de fenestra tiro perfossus à tergo, secus aram (q) oppediit, quem rex postea crudeli morte vindicaverat secundo regni suimet anno. Quæcunque ei publice vel occulte provenere nocentia, divinæ miserationis gratia, ac intercessione suimet sanctissimæ contectalis Edithæ assidua, securus evasit. Cujus instinctu *Magdeburgensem* ædificare cœpit *civitatem*, ad quam reliquias Christi martyris Innocentii cum magno adduxit honore. Nam hanc urbem ob æternæ remunerationis gratiam, patriæque (r) communis salutem & acquisivit atque construxit. Juvit eum ad hoc beatæ Edith memoriæ quibuscunque potuit, quæ innumera virtute prædita, ut signis post obitum claruit, ita inducias vitæ istius sibi concessas domino hominibusque accepte perduxit. Fuit hæc cum viro suo X. & IX. annos, & ordinationis suæ obiit XI. anno 7. Kal. Febr. unicum relinquens filium nomine *Luidulfum*, cunctis (s) virtutibus fulgentem: sepultaque est in civitate præfata in majori Ecclesia, in oratorio aquilonari. Rex autem in venatione, qua sperabat se paululum refocillari, turbabatur vulnere lethali, inauditumque sustinuit mœrorem, quem ab adventu dilecti compescuit filii. Qui ramosam Samii Pythagoræ literam, humanæ motus vitæ signantem, laudabili puer simplicitate percurrit ad bivium, & dextrum iter aggressus, virgulam breviorem, tamen potiorem de die in diem, ut virens hedera exsurgit, & in omnibus patrissans, nobilitatem moribus in tantum ornavit, ut cunctis primatibus, quæ laus est non ultima, placeret. Unde patris gratia sibi in tantum arrisit, ut hunc communi totius senatus electione honoris consortem atque laboris decerneret, successoremque (t) confirmaret. Desponsavit etiam illi *Idam Herimanni* Ducis filiam, pulchritudinem & sexum omni probitate vincentem. Quam cum sibi pater vinculo maritali conjungeret, modicum post intervallum soceri ducatum & hæreditatem defuncti sibi dedit. Tanti patris ac filii temporibus quantum vigeret regnum, difficile est ulli ad enucleandum. Venerabilis autem regina *Mechtildis*, constructo, ut prædixi, in *Quedlinburg* monasterio, congregationeque sanctimonialium ibi collecta, fideli erga Dominum servitio promeruit, quod virtus filii in omnibus floruit. Interea *Beringerus* Ludovici invasor regni, *Adelheidam* ejusdem viduam (u) deprædatus est, & (w) cum custodia ac inedia lacrymabiliter afflixit. Hujus laudabilem formam & famam rex noster animadvertens, Romam pergere simulavit, in ipsoque itinere Longobardiam usque perveniens, præfatam per legatos alloquitur dominam, (x) & donis præcedentibus placatam, suæ voluntati consentire coëgit, pariterque cum ea *Papiam* vendicavit civitatem. Qua de re (y) *Ludolfus* filius ejus admodum tristis effectus ad nostrates properavit, locisque quæ ad *Salfeldum* pertinent, abditis, doloque idoneis, insidias occultavit.

 Post

(h) aquisgrani (i) fidemq; (k) curator (l) serviendum (m) Hateburgæ (n) Eresburg (o) fratremq; (p) Meinzonis (q) oppetiit (r) communem (s) viribus (t) firmaret (u) 12. Kal. Maji captam cumis deprædavit (w) in (x) fuga tunc custodia elapsam (y) *Dudo*

Posthæc Papia præsidio munita, dispositisque ibi rebus necessariis, revertitur, quem Beringerus cum duce *Conrado* subsequitur, regisque gratiam in urbe Augustana sua filiique deditione promeruit, simulque reginæ iram supplici venia placavit, bonaque cum pace patriam revisit. Rex autem Franciam (z) regrediendo perlustrans, latentes insidias, quæ à filio generoque *Hugone* parabantur, comperit, moxque eis per internuntios hæc ira dictante mandavit, ut vel tanti facinoris autores sibi mitterent, vel se potestatis regiæ inimicos pro certo scirent. Quos hujusmodi legationi (a) connivere nolentes, collecto exercitu usque in Moguntiam persequitur, universis urbibus, quas natus possedit, aut captis aut deditis, hacque manu valida circumsepta, rebelles assiduo multum fatigavit bello. Datis tandem electis ex utraque parte obsidibus, pater cum filio loquitur, ac sui gratiam, si conscios talia machinantes aperiret, & sibi traderet puniendos daturum spopondit. Hoc cum juvenis facere non posset, neque voluisset (b), à patruo convitiatus *Henrico*, urbem (c) rebellaturus ingreditur *Ekbertumq;* Comitem cum multis patrui militibus sibi associavit, & clam noctis silentio cum suis omnibus exiens, Ratisbonam, quæ *Reinesburg* dicitur, Bavarii caput regni, cum urbibus munitissimis cepit, Ductricem *Juditham* solum cum filiis ab his expellens finibus. *Thiedricum* insuper ducem ac *Wigmannum* Comitem, in præsidium ad *Moguntiam* denuo possidendam, arma commoventes, patre se subsequente, pecunia per legatos amovere tentans, Thiedrico nequaquam aspirante, Vigmanum blanditiis delinitum celeriter corrupit. Interim Rex, parata in expeditionem militia, Bavariam petens, clausis sibi omnibus murorum portis, eadem regione depopulata ac combusta, rediit. Tunc Luidolphus patri suimet ac regi resistere desperans, *Avares* pharetratos conduxit socios, quod regem protinus non latuit. Namque cum signis militaribus obviam pergit inimicis insurgentibus, sed aliter ei, quam quisquam ratus sit, proh dolor, evenit. Hi siquidem ducibus iniquis per aliam directi viam, *Franciam* invaserunt, miserabiliterque vastaverunt. Sed si quis secreta mentis, seu viva voce requirit, unde talis oriatur extraneis audacia, ut tandem habitatas longeque semotas præsumant infringere regiones, quantum scriptis unquam didicimus, vel (d) pernoscimus, audiat respondentes, quia consensu divino hi facinoribus nostris accenduntur in vindictam Domini, nosque admodum territi fugimus ignavi, injustitia nostra, fitque tandem, ut qui in prosperis sprevimus timorem Domini, merito sustineamus flagellum Domini, ac invocantes Dominum non exaudiamur, qui offensam placare supernam nullo modo conabamur. Inde accidit, ut Germania cæteris comprovincialibus suis non impar, viribus his succumberet. [quis murus esse dicitur quodcunq; valet sagittis obviare.] Commotus tandem Dominus meritis justorum gemituque miserorum, fugavit turbam perfidorum, & Rex eos iterum aliò quam putarat (f) divertens insecutus, *Bavariam* rursus invadit. Qui mox de pace tractantes, induciasque petentes, impetraverunt, & semper dubii suisque infideles dominis, cum se apud regem excusare non possent, cum Ludolpho seniore suo nota *Reinsburg* præsidia palantes petunt. Quos rex exercitu valido subsecutus, prædicta possedit in urbe, factaque mutuo longa concertatione, tandem grandi fame filium suosque pacem petere coëgit. Posthæc *Luidolphus* cum *Hugone* pœnitentia ductus, patris pedibus advolvitur, de præteritis veniam, & de præsentibus supplex poscit emendationem, de futuris quoque cautelam spopondit. Hunc rex suorum devictus consilio principum suscepit, commissaque remittens, suimet gratiam firmiter dedit. Restituit tum fratri suo regnum diu amissum, pacificatisque, ut speravit, adversis omnibus, Saxoniam victor repetit. Et ecce iterum *Avares*, id est *Vngari*, quasi jam perpetrati sceleris obliti, adversum nos arma commoverant, quos adventare Dux *Henricus* Regi nuncians, inceptis eum itineribus revocavit. Rex autem ad Augustanam universos suimet familiares ad se convocat civitatem, affirmans se mori malle, quam tanta plus perpeti mala. Collegit undique secus octo tantum legiones, quas adversus hostes dispositas consolatur, morientes ibi remunerationibus demulciens æternis, vincentes autem præsentibus delectamentis. Quarum extremitates hostis acer juxta *Lech* fluvium celerem latenter circumeundo incautas opprimit, cæsis tum pluribus ac dispoliatis. Hoc rex ut comperit, *Conradum* ducem cum suis pone misit, qui captivos cum omni præda ex lupi raptoris faucibus eripuit, victoriaque potitus castra revisit. Postera die, id est, in festivitate Christi martyris *Laurentii*, Rex solum se præ cæteris culpabilem Domino professus atque prostratus, hoc facit lacrymis votum profusis, si Christus dignaretur sibi (g) tanti intercessione præconis dare victoriam & vitam, quod in civitate Mersepurgensi Episcopatum in honore victoris ignium construere, domumque suimet magnam, noviter inceptam, sibi ad Ecclesiam

(z) regendo. (a) consentire. (b) eò quod apud suos fidem cum juramento polluere noluisset. (c) bellaturus. (d) per nos scimus. (f) divertens. (g) eo die.

clesiam vellet ædificare. Nec mora erectus à terra, post missæ celebrationem, sanctamque communionem, ab egregio porrectam *Othalrico* confessore suo, sumsit rex clypeum lanceâ cum sacra milites in hostem præcedendo, resistentemque primus irrupit, ac mox terga vertentem usque ad vesperam prostravit ac effugavit. Peracta tandem cæde, virentibus pratis victrice cum turba rex considens, diligenter inquirit, si ab exercitu suo aliquis remaneret. Comperit tum ducem *Conradum*, generum sui & egregium militem oppetiisse, cujus corpus merito defletum, ac diligenter procuratum, *Wormatiam* misit tumulandum. Insuper nuncios sanctæ præmiserat matri, qui cuncta ordine pandentes, eam cura solverent, mentesque fidelium in laudem Christi pariter accenderent. Tantum divinæ pietatis donum. omnis Christianitas, maximeque regi commissa, ineffabili suscepit tripudio, gloriam & gratiam psallens unanimiter in altissimis Domino. [In hoc anno Dux Henricus frater Regis obiit.] Interim rex *Saxoniam* revisens lætus patriam, à cunctis principibus à longe sibi (i) obviantibus summis excipitur studiis, diuque expectatus à venerabili suimet genitrice, profusis præ gaudio lacrymis, amplectitur. Quibus suum illico aperiens promissum, qualiter hoc ad unguem perduceret, eorundem ad hoc consilium enixe petiit & suffragium. His tandem id collaudantibus, piæque petitioni adspirantibus, statuit rex *Abbatiam* in *Magdeburgensi* civitate, incipiens Ecclesiam mirum in modum in loco, ubi sancta requiescit *Edith*, & juxta quam post obitum suimet pausare desideraverat ipse. Ibi etiam Episcopatum facere conatus, apud *Bernhardum*, sanctæ Halberstadiensis Ecclesiæ Antistitem (k), in cujus diœcesi urbs præfata jacuit, quamdiu ille vixit, impetrare non potuit. Quicquid in prædiis, vel rebus in aliis (l) promisso contraxit in tempore, totum hoc Domino, militique ejus Mauritio, (m) concessit hæredi. Dum hæc aguntur, ex parte *Slavorum* bellum ingruit horridum, hortatu *Wigmanni* Comitis & *Ekberti*, ductu autem *Nacconis* & *Stoingnei* fratris ejus. Quos *Herimannus* Dux superare diffidens, regis petivit auxilium. Hic ut erat impiger, militia forti aquilonares invadit regiones, malum sæpissime, ut scriptura docet, pandentes, ibique *Stoigneum* luco absconditum fugientibusque sociis captum, decollari præcepit, confratres autem, tanti sceleris autores, *Wigmannum* (n) & *Ekbertum* fugavit. *Luidulphus* vero regis filius malorum depravatus consilio, rursum (o) restitit, patriaque cedens, Italiam perrexit, ibique cum unum ferme annum esset, IIX. Id. Septembris, (p) præ dolore obiit. Hujus corpus à sociis ejusdem Moguntiam delatum, lugubriter in Ecclesia Christi martyris Albani sepultum. De tam miserabili fama Rex in expeditione, qua fuit adversus Redarios, supra modum turbatus, planxit filium sicut David Absolon. [*Diethardo Hildesheimensi* Antistite mortuo, Adwinus Parthenopolitanus abbas successit.] Post hæc sedatis bellorum asperitatibus, Romam iterum pergere simulans, Longobardiam manu valida intravit, Berengariumque prædictum in monte S. Leonis duos obsidens annos, cum uxore Willa, & filiis ac filiabus, ad ultimum cepit callide, exilioque (q), ubi post moritur, relegavit. Dehinc Romam armato petens milite, ejusdem cives sibi resistentes bis vicit, urbemque (r) gloriosus intravit (s). Insuper benedictionem (t) à domino Apostolico Johanne, cujus rogatione huc venit, cum sua conjuge, anno regni ejus XXIX. promeruit imperialem, ac patronus Romanæ effectus Ecclesiæ, Beneventum, Calabriam atque Apuliam ducibus eorum devictis sibi vendicavit. Temporibus suis aureum illuxit seculum, apud nos inventa primum *vena argenti*. Devictus quoque Wigmannus. Apud Danos regnante tunc Haraldo contemta Christianitas sic per Popponem renovata presbyterum. Arguebat enim idem & regem & populum, antecessorum cura suorum deviantem, Diis ac dæmonibus vacantem, unum affirmans in tribus personis Deum. Interrogatus autem à rege, si ignito voluisset dicta ferro comprobare, paratum se ad hoc esse, hilari respondit animo, crastinaque die ferrum ingentis ponderis benedictum, ad locum à rege determinatum portavit, manumque securam imperterritus elevavit. Quo rex miraculo lætus admodum effectus, cum suis omnibus Christi jugo protinus se humiliter subdidit, in finemque, fidelium more, præceptis obtemperavit divinis. Imperator autem hoc ut audivit, vocatum ad se venerabilem virum Popponem, si pugil Christi esset, interrogat, & sacerdotali honore sublimat. Gero Orientalium Marchio Lusizi & Selpuli, Miseconem quoque cum sibi subjectis imperiali subdidit ditioni. Herimannus Dux (u) Seliburem & Mistui cum suis Imperatori tributarios fecit. Æquivocus Imperatoris, junior, inquam, Otto, quem peperit inclyta mater Adelheidis, in nativitate Domini Romæ Imperator effectus est patre jubente, ac tunc in Campania juxta Capuam commorante. Qui filio suimet uxo-

(i) occurrentibus. (k) septimum. (l) concesso. (m) tradidit. (n) materteræ Regis filium. (o) rebellavit. (p) proh dolor. (q) cum in *Bavenberge*. (r) victor. (s) anno dominicæ incarnationis DCCCCLXXI. (t) Imperialem, (u) Seuberem.

rem ab Imperatore Constantinopolitano desponsare desiderans, nunciis ejusdem ob alieni ad se missis causam, suos fideliter commisit Principes, hanc legationem ferentes. Quos in ipso itinere Græci solita calliditate ex improviso irruentes, alios occidunt, quosdam vero captos domino suimet Augusto præsentabant. Pauci autem ex his effugientes, Imperatori suo rei eventum aperiunt. Hic detrimentum suorum graviter ferens, milites optimos Guntherium ac Sigifridum, tale facinus ad ulciscendum in Calabriam propere misit. Qui Danaos victoria priori elatos, & sibi occurrentes occiderunt, alios autem in fuga comprehensos obtruncant naribus, tributum à Græcis in Calabria & Apulia extorquentes, spoliisque ditati cum gaudio remeabant. Constantinopolitani autem funere suorum & captivitate tristes effecti, adversus dominum suum conspiravere, dolosæque Imperatricis consilio per quendam militem peremerunt eundem, loco ejus hunc designantes ad Imperij totius provisorem. Qui mox magnificis muneribus, comitatuque egregio, non virginem desideratam, sed neptem suam, Theophaniam vocatam Imperatori nostro trans mare mittens, suos absolvit, amicitiamque optatam Cæsaris Augusti promeruit. Fuere nonnulli, qui hanc fieri conjunctionem apud Imperatorem impedire studerent; eandemque remitti consulerent. Quos idem non audivit, sed eandem tunc dedit filio (w) suimet in uxorem, arridentibus cunctis Italiæ Germaniæque primatibus. Multa sanctorum corpora imperator ab Italia ad *Magdeburg* per Dedonem Capellanum suimet transmisit. Hoc autem quod de ejus clerico audivi nomine *Poppone*, *VVilhelmi* Comitis germano, memoria dignum non est prætereundum. Is cum Imperatori diu fideliter serviret, nimis infirmatur, & in ecstasi effectus in montem excelsum ducitur, ubi civitatem magnam, & pulchra ejus conspicatur ædificia. Inde perveniens ad turrim arduam, laboriosos ejusdem scandit aggressus. In cujus summitate magna Christum cum omnibus sanctis sedentem videre promeruit. Ibi *Bruno* Archiepiscopus Coloniensis ob inanem Philosophiæ executionem à summo judice accusatus, & à B. Paulo defensus, iterum inthronizatur. Tunc iste vocatus simili de causa redarguitur & supplici sanctorum intercessione suffultus, talem audivit vocem: *post tres dies ad me veniens, hanc, quam ego nunc tibi demonstro, Cathedram possidebis.* Hæc omnia sacerdos, cum evigilaret, Cæsari ad se accersito explicuit, & non esse somnium, sed veram visionem, gratias ei retulit pro bonis omnibus, quæ ei unquam fecit, & sic ei indicatum est. Facta confessione, & indulta à præsentibus remissione, dereliquit aliena, repetens sua cum pace bona, flentem tam felici obitu consolatus seniorem. Preciosum quoque marmor, cum auro gemmisque Cæsar præcepit ad *Magdeburg* adduci. In omnibus columnarum capitibus sanctorum reliquias diligenter includi jussit. Corpus egregii Comitis *Christiani*, aliorumque sibi familiarium, juxta memoratam posuit Ecclesiam, in qua sibi sepulturam, quamdiu vixit, præparari concupivit. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXI. regni autem ejus vicesimo quinto, præsentibus cunctis optimatibus, in vigilia nativitatis Domini, corpus S. *Mauritij*, & quorundam sociorum ejus, cum aliis SS. portionibus *Ratisbona* allatum est. Quod maximo, ut decuit, honore *parthenopolim* transmissum, unanimi indigenarum & comprovincialium ibidem conventu susceptum, & ad salutem patriæ hactenus veneratum est. Interea *Bernhardus* antistes venerandus, plenus dierum, XLVIII. ordinationis suæ anno, & in ipso die, id est, III. Non. Februarij, obdormivit in Domino· Insuper *Wilhelmus*, sanctæ Archipræsul Moguntiæ, cui cura ab Imperatore, Domino suimet & parente, commissa fuit Parthenopolim disponendi, cæteraque regni necessaria regendi, cum ægrotantis reginæ *Mechtildis* finem expectaret, in Redulverothe VI. Non. Martij moritur. Hujus obitum nimia corporis infirmitate oppressa venerabilis regina, nullo adhuc certa nuncio, præsentibus cunctis intimavit: *Filius*, inquiens, *meus VVilhelmus*, *proh dolor*, *jam expirans*, *memoria indiget salutari.* Et *Luidolfus*, Abbas Corbejensis egregius, corporaliter sibi (x) occurrentem illum nocte eadem, qua transiit, videns, obstupuit, & mortuum hunc esse confratribus nunciavit. Posthæc S. *Mechtildis* II. Id. Martij migravit ab hoc (y) exilio, spiritum committens, ac creatori suimet reddens Domino, sepultaque est coram altari Christi præsulis *Servatij*, juxta seniorem suum; quia quem viventem dilexerat, huic se mortuam conjungi, quamdiu deguit (z) semper imploravit. *Gero* quoque defensor patriæ, dum unici morte turbaretur filij suimet illustris *Sigifridi*, Romam pergens, emeritus jam senex coram altari principis Apostolorum Petri arma victricia deposuit, & apud Dominum Apostolicum sancti impetrans brachium *Cyriaci*, ad Dominum cum omni sua hæreditate confugit; patriamque revisens, nati suimet viduam prius velatam, monasterio in saltu, qui suo signatur nomine, *Gerinrod* constructo, *Hathui* vocatam, statuit Abbatissam, à *Bernhardo* consecratam Christo, firmatisque his omnibus, felici hos obitu præcessit XIII. Kal. Junij. Imperator autem comperta lugubri matris & filii, cæterorum-

(vv) suo Ottoni. (x) apparentem. (y) seculo. (z) in hac vita.

rorumque nece Principum, gravi queritur mœrore invincibile totius reip. damnum. Urgebat eum ad hoc timor mortis propinquæ, & quod Domino rebus promisit in anxiis, oportuno studuit complere in tempore. Electum namque à cuncto sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ clero & populo *Hillibardum*, tunc Præpositum, & à domino suimet *Bernhardo* ad hoc præsignatum, Romam venire præcepit. Cumque eodem, quod diu latebat, secretum mentis revolvit, scilicet facturum se in urbe *Parthenopolitana* Archiepiscopatum semper studuisse, ob spem remunerationis æternæ, defensionemque communis patriæ, seque ad omnia quæcunque unquam ab eo expetiisset, promisit paratum, si consentiret sibi hoc perficere votum. Hic autem, ut erat sapiens, piæ connivebat petitioni, partemque parochiæ, quæ sita est inter *Oram*, & *Albim*, & *Bodam* fluvios, & insuper *viam*, quæ *Friderici* dicitur, Domino concessit, sanctoque Mauritio ac Imperatori. Insuper idem charitative rogatus à Cæsare Augusto, dedit Domino sanctoque Laurentio parochiam jacentem inter fluvios *Willerbizi* & *Salsummare*, & *Salam*, & *Unstrot*, & *Helmana* & *foveam*, quæ est juxta *Valenbusum*. Tali munere Imperator arridens, per manus suscepit eundem, curamque ei baculo committens pastoralem, *Accipe*, infit, *precium patris tui*. Hunc enim *Ericum* nomine, cum Buccone, Herimanno, Reinwardo, Wirino, Eserio, cæterisq; qui in *Quidilingeburg* eundem tunc in Pascha solenni occidere conabantur, decollari præcepit. Avum autem meum nomine *Luitharim*, ejusdem consilij participem, libenter perdere voluit, sed sibi familiarium devictus consilio Principum, captum hunc misit tandem Bavariam ad Comitem *Bertholdum*, comprehensis sibi omnibus suimet rebus, ac late distributis usque in annum integrum. (a) Tum enim gratiam regis, & sua omnia, cum magna pecunia, & prædio in *Sundersleve* & in *Vodenesuege* jacenti acquisivit. Sed (b) captum iter peragam. Imperator vocavit ad se *Richarium*, Magdeburgensis Ecclesiæ Abbatem tertium. Nam *Anno* & *Otwvinus*, tunc Episcopi, præfuerunt. (c) Et volens hunc dignitate sacerdotali decorare, visa quadam epistola, quæ clanculum sibi deferebatur, omisit, *Adelbertumq;* Treverensem, professione Monachum, sed *Russia* prius ordinatum præsulem, & hinc à gentilibus expulsum, ad Archiepiscopatus apicem, inclitum patrem, & per omnia probatum, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXV. Kal. Novemb. Apostolica auctoritate promovit. Tunc misit eum ad sedem suam cum magno honore, præcipiens universis Saxoniæ principibus, ut proximum natale Domini cum eo essent. Archiepiscopus autem à clero & omni populo magnifice susceptus, in his festivis diebus consecravit *Bosonem*, Merseburgensis Ecclesiæ pastorem, *Burckardum* Misnensis Ecclesiæ provisorem, *Hugonem* Episcopum Cizensem, Havelburgensis Ecclesiæ custodem his *Tudonem* cooptavit, prius consecratum. Omnes hos, inquam, consecravit, subjectionem sibi suisque promittentes successoribus, disposita singulis quibusque parochia speciali. Additus est his confratribus Brandenburgensis Ecclesiæ pastor *Ditmarus*, ante hos unctus, & *Jordan*, Episcopus Posnaniensis. Operæ pretium est, quamvis jure præposterus mihi imputetur ordo, hoc annectere, qualiter Imperator fratri suimet, Domino Brunoni, nominato à suimet patruo Duce *Brunone*, qui à *Ludovico* rege in expeditionem ad *Danos* missus, cum Episcopis duobus *Thiedrico* & *Marquardo*, cæterisque militibus IV. Non. Febr. fluminis inundatione interiit, mortuo Agrippinæ sedis provisore *Wigfrido*, Episcopatum ejusdem, ducatumque insuper *regni* daret *Lotharii*. Hic post iniquorum, quamvis sapientissimus esset, consilio depravatus, pro bono malum regi suimet, germanoque restituere meditatus est. Vocavit namque ad se *Hugonem* generum, regi, ut supra memoravimus, nimis infidelem, ad convivium, & cum corona artificiose gemmata regnum ipsi committere, consanguinitatis & juramenti immemor, instituit (d). Qui cum in sancto die solennis Paschæ, paratis omnibus instrumentis regalibus, generum, promissa fæmineo expetentem desiderio, coronare voluisset, odii, divinæ miserationis gratia, sapientiæque cuncta volventis, freno paululum laxato puduit incepti, & pœnituit: accersitoque clam suimet secretario, quem prædiximus, *Volikmaro*, quod in mente latebat, vulnus aperuit, qualiterque curaretur, diligenti consilio quæsivit. Sed conversis quibusque paratus ad omnia Dominus, huic in mentem cælitus misit, quo curam sui Senioris, respondendo talibus mitigavit. Sanctus, inquit, Spiri„tus tibi, Senior carissime suggessit, ut non amplius adversus nos prævaleret tanti auctor sce„leris inimicus; quem sic confundi, teque, autumo, posse honorari. Coronam quam gene„ro tuo cras te daturum promisisti, vobis confidentibus præsentabo, ut fides tua in conspectu „omnium clarescat, & invitus corruens, disrumpam eandem, ut fraternus amor modo frigi„dus in posterum recalescat. Placuit hoc Archiepiscopo, & sic expleri votis exultantibus divinas pulsavit simpliciter aures. Mane autem facto, dicta hæc, ut factis sunt impleta, Archiepiscopus magnum simulabat mœrorem. Hugo autem suique tanta spe frustrati, inconsolabilem

(a) exitiavit. (b) cœptum. (c) Eum. (d) voluit.

lem sustinuere dolorem, consummatisque diebus festivis, aliis quam ratus sit donis honoratus, rediit. Post hæc confratres, Rex inquam, & Episcopus reconciliati, invicemque pietatis studio perseverantes omnem inimicitiæ scrupulum deinceps amovere curabant. Sed Archipræsul divinitus in cunctis humanitusque pollens proficuitatibus XIII. ordinationis suæ anno somno pacis soporatus V. Id. Octobr. fratrem reliquit tristem. Tales insidiantium laqueos, complu-resque alios, in regni ac in cura imperii XL. ferme annos conversatus Otto præfatus, Christo se in omnibus protegente, securus evasit. Pauca locutus sum de innumerabilibus, & isto melioribus tanti viri ingenuis actibus: quia liber unus de ejusdem nobili conversatione pleniter inscriptus, me aliquid prohibet addere. Imperator autem fraterna clade turbatus, *Wolmero*, ejusdem familiari Capellano, ob amorem ejus, Episcopatum & animæ curam fideliter commendavit, quo sedente tempus à Domino sibi permissum, & in omnibus egregie conversanti, & de medio XV. Kal. Aug. discedente; *Gero* frater *Ditmari* Marchionis à clero & ab omni populo electus est: & hoc Imperatori mox annunciatur. Hic quia præfato fratri suo ob multas caussarum species iratus fuit, dare huic Episcopatum noluit. Interea is, qui Capellanus tunc erat, in uno dierum missam celebrans in Papia civitate, vidit solus S. Petrum & Ambrosium sancto se benedicentes oleo, & nulli tunc prodidit, sed tantum divinæ pietatis munus æqua mente portavit. Imperatore autem in sanctæ dominicæ resurrectionis die evaginato apparuit angelus gladio, cum jam præparatus excepta corona ad ecclesiam pergere voluisset; *nisi*, inquiens, *in Gerone hodie compleveris electionem, securus non evadis hanc cædem.* Expavescens ob hoc Cæsar, *Dominum*, infit, *vocate Geronem.* Eique protinus venienti curam baculo postoralem commisit, & indulgentiam humiliter efflagitavit. Hic à suffraganeis postea benedictus, ut signis hodie declaratur, nomen & officium Domino hominibusque accepte, dum vixit, tota mentis devotione portavit. Hujus sancta mater *Ida* nomine, Hierusalem orationis gratia petens, illicque infirmata hanc suis legationem pedissequis commendavit: Egredienti animæ meimet prolongato hujus exilii incolatu, corpus meum matri terræ celeriter tradite, & mox euntes hæc filio nunciate Geroni, quo peregrinæ genetrici suæ talem in terris non deneget honorem, qualem prius in cœlis dare dignatur Dominus, & altare mihi in Ecclesia constituat S. Cæciliæ. Talibus præceptis devotæ obtemperantes famulæ, Dominam suam post hæc feliciter expirantem, sepelierunt, & statim recedentes, miseriam (e) insciæ effugerunt subsecuturam. Nam *Sarraceni* Hierosolymam tunc invadentes, nil reliquere victis, quod sancta (f) eis clam tunc prædixit matrona, cum se mortuam jussit propere tumulari & suas abire. Venientes autem hæ Coloniam, cuncta Archiepiscopo pandunt ordine. Quos idem benigne suscipiens, Deo gratias egit, & justæ ejusdem petitioni satisfecit. Et quia pauca locutus sum de laude ignota tanti præsulis, libet consequentibus cætera differere, ut in his virtus ejusdem valeat enucleatius apparere. Imperator audita Ratisbonensis Ecclesiæ præsulis morte, eo perrexit, & ut Episcopatum non alii daret nisi ei, qui primus sibi occurrerit, in somnis admonitus est. Crastina autem die primitus inlucescente, Cæsar ad monasterium Christi martyris Emerani, monachis hoc nescientibus, cum paucis venit, & paulatim ostium pulsans, à quodam *Guthero* Ecclesiæ pervigili custode & per omnia venerabili patre intromissus est. Quem intuens, ad adorandum primò supplex processit, deindeque talibus aggreditur: *Quid, mi frater, pro adipiscendo Episcopatus honore vis dare.* Senior ad hæc subridens, *Calceos*, infit, *meos.* Hunc autem cum cæteris confratribus ad electionem Antistitis ad sanctum Petrum venientem, Cæsar explicato cunctis somnio, cæteroque rei eventu, cum consilio cleri, totiusque populi ad sacerdotem constituit. Is vero accepta benedictione sedebat tantum VI. menses, ægritudineque compressus valida, ad modicum convaluit, sumtoque in manus cinere, locum, quo de hoc seculo migrare voluit, signo sanctæ crucis ipse consurgendo signavit, solotenusque positus, illud beati Job carmen beatus & ipse cecinit: *Audi tu auris, audivi te Domine, nunc autem oculus meus videt te: Idcirco ipsemet reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Et continua confessione cum lacrymis peracta, emisit spiritum. Impletumque in eodem est, quod antecessor illius similis habitus huic prædixit: *Tu debes frater secundus post me hanc Ecclesiam regere, sed parvo tempore vives, domino tantum te misericorditer coronante.* Quod quam diu hic peregrinatus est, juxta Domini voluntatem fieri idem semper optavit. Has de duobus Episcopis sententias ideo pertuli, ut scias lector, quod cælestis gratia Imperatori sæpe aperiret, quod sibi in humanis fieri placeret. Hic audito obitu tanti patris, *Michalem* huic succedere fecit. Qui cum commissa sibi optimè diu regeret, commoventibus iterum orientales Ungaris, cum ceteris Bavarorum Principibus his ad succurrendum venit. Sed exorto mox in eos duello, proh dolor, nostri victi ab hostibus atque prostrati sunt. Episcopus autem ab-

(e) non. (f) Hidda.

abſciſſa ſuimet auricula, cæteris ſauciatus membris, cum interfectis quaſi mortuus latuit. Juxta quem inimicus homo jacens, & hunc vivere ſolum ab inſidiantium laqueis tunc ſecurus cernens, haſtam ſumpſit, & necare eundem conatus eſt. Tunc iſte confortatus in domino, poſt longum mutui agonis luctamen, victor hoſtem proſtravit, inter multas itineris aſperitates incolumis, notos pervenit ad fines. Inde gaudium gregi ſuo exoritur & omni Chriſtum cognoſcenti. Excipitur ab omnibus bonus miles in clero, & ſervatur optimus paſtor in populo, & fuit ejusdem mutilatio non ad dedecus, ſed ad honorem magis. Et nunc revertar ad explanandam narrationis ſeriem. Romanorum præpotens Imperator Auguſtus, valentiorem ſibi in Chriſto dominum Apoſtolicum, nomine *Benedictum*, quem nullus absque Deo judicare potuit, injuſte, ut ſpero, accuſatum deponi conſenſit, &, quod utinam non feciſſet, exilio ad *Hammaburg* relegari præcepit, ut poſtea lucidius indicabo. Interim *Herimannus* Dux Saxoniam regebat, poſitaque ad *Magdeburg* concione ſuſceptus eſt ab Archiepiſcopo, manuque deducitur ad Eccleſiam, accenſis luminaribus, cunctiſque ſonantibus campanis. Ibi avum meimet *Henricum*, tantæ reſiſtentem ſuperbiæ, dolo capere Dux niſus non potuit: quia hunc militum magna caterva vallavit, præcipit tamen ei, ut Romam poſt Imperatorem pergeret. Quod libentiſſime complens, tranſcenſis Alpibus, ut primum ad Imperatorem venit, videns eum à longe ſolotenus ſe proſtravit, interrogatusque quid cauſæ hoc eſſet, quod accuſatus apud eum, gratiam ſuam pietatemque ſolitam perdidiſſe timeret, lachrymabiliter reſpondit. [quod accuſatus apud eum gratiam & pietatem ſolitam ſe perdidiſſe timeret] Quem protinus elevatum Imperator oſculatur, ſingulaque ſagaciter perquirens, & de ſuſceptione Ducis, quomodoque in medio Epiſcoporum ad menſam loco Imperatoris ſederet, lectoque dormiret, perdidicit. Ob hoc Cæſar Auguſtus (g) maſcule ſuccenſens, Alberto per Epiſtolam mandavit Epiſcopo, ut tot ſibi equos mitteret, quot Duci campanas ſonare, vel quot lucernas accendi præceperat. Imperatotia Archipræſul peragens edicta quibuſcunque valuit modis ſe per legatos ſuimet excuſare contendit. Comes præfatus tam ingenioſus erat, ut Cæſarem iratum præ cæteris Principibus placare potuiſſet. Sed quia ejus fuit conſanguineus, gratiam imperialem uſque in exitum ſuimet vitæ fideliter obtinuit. Quem torque aureo donatum Cæſar dimiſit remeare, ſuosque familiares contriſtatis hoſtibus lætificare. Interea (h) *Vdo* venerabilis Marchio *Miſeconem* Imperatori fidelem, tributumque uſque *Vurta* fluvium ſolventem, exercito petivit collecto. Ad cujus auxilium pater meus Comes *Sigefridus*, tunc juvenis, nec dumque conjugali ſociatus amori, venit ſolum cum ſuis, & in die ſancti Johannis Baptiſtæ adverſus eum pugnantes, primoque vincentes, à fratre ejusdem *Cideburo*, exceptis tantum comitibus præfatis, omnes optimi milites interfecti oppetierunt in loco, qui vocatur *Cidini*. Hac de fama miſerabili Imperator turbatus, de Italia nuncios miſit, præcipientes *Vdoni* atque *Miſeconi*, ſi gratiam ſuimet habere voluiſſent, uſque dum ipſe veniens cauſam diſcuteret, in pace permanerent. Poſthæc ſubditis ſibi cunctis hoſtium cuneis, arduam Alpium tranſcendit viam, Bavariam inviſens regionem, ibique cunctis ſapienter diſpoſitis, recto itinere ad *Magdeburgenſem* pergens civitatem, palmas ibidem feſtivo duxit honore. Namque ſolebat in ſolennitatibus univerſis ad veſperam & ad matutinam atque ad miſſam cum proceſſione Epiſcoporum venerabili, deindeque cæterorum ordine clericorum cum crucibus ſanctorumque reliquiis ac thuribulis ad Eccleſiam usque deduci: hicque cum magno domini timore, qui eſt principium ſapientiæ, ſtaret, atque ſederet, usque dum finita ſunt univerſa, nil loquens niſi divinum, ad caminatam ſuimet cum luminaribus multis, comitatuque magno ſacerdotum, Ducum ac Comitum remeabat. Pro remedio autem animæ ſuæ tradidit poſtera luce ineffabilia domino munera, invictisſimoque ejus duci Mauritio, in prædiis, in libris, cæteroque apparatu regio, confirmans omnia legitima advocatorum, traditioneque ſcripturarum, præſentia & laude imperatricis & filii, atque ſub omnium teſtimonio Chriſto fidelium. Dehinc ivit ad *Quidlingeburg*, proximum Paſcha divinis laudibus, humanisque peragens gaudiis. Huc confluebant Imperatoris edicto *Miſeco* atque *Bolislaus*, Duces, [& legati Græcorum, Beneventanorum, Ungariorum, Bulgariorum, Danorum & Sclavorum] cum omnibus regni totius primariis: conſummatisque pacifice cunctis, ditati muneribus magnis, reverſi ſunt ad ſua lætantes, Calend. Aprilis. *Herimannus* autem Dux ibi tandem moriens Imperatoris gaudia turbavit. Hujus corpus dum ad *Luneburg* à filio ſuimet *Bernhardo* deferretur, contigit ibi *Brunonem*, Verdenſis Eccleſiæ Antiſtitem, in proximo eſſe. Hic quia Herimannum, dum vixit, banno conſtrictum (i) habuit, ſuppliciter rogatur à filio, ut & ſolutionem ſaltem defuncto impenderet, & in Eccleſia eundem ſepeliri liceret. Sed is quod poſtulat, nequaquam impetrat. Sed quia præſulis iſtius memoriam feci, (k) voluntas mihi de eodem amplius effari. Fuit hic conſangui-

(g) maſculabiliter. (h) Hodo. (i) tenuit. (k) volupe.

neus (l) prædicti Ducis, nova monachus Corbeia, & ob venerationem suam Imperator eundem *Amalongo* successorem statuit Episcopo, qui Ecclesiam in *Werdun*, cui rationabiliter præfuit, de ligno fecit egregiam, & magnitudine & qualitate cæteras præcellentem benedixit, & in senectute bona proficiens obiit III. Non. Maji. (m) Hic autem dum senio & infirmitat assidua gravatus, admodum tardaret, rogatur à Cæsare, ut *Herimannum*, suimet capellanum, *Volcmeri* fratrem Antistitis, pro filio nutrire, & ad juvamen & ad hæredem voluisset sibi eligere. Hanc legationem gementi animo suscipiens, (n) talia reddit: *Curam quam mihi dominus meus indigno committere dignatus est, studiose hactenus rexi, & quamdiu hic conservari debeo, sine tali famine, si licet, degere concupisco. Humilitatis ac superbiæ non est aqua societas, nec unquam consortem patitur potestas. Quodcunque in alio placet Seniori meo, devotus implebo. Non sit spes juveni in morte senis decrepiti, quia peccatum est: reminiscatur quod pellis vituli crebrò suspenditur parieti.* Talia exorsus, se ad Ecclesiam Christi virginis Cæciliæ jubet portari, humoque prostratus, se indignè hactenus ei servisse, sic lacrymis queritur effusis: (p) *Adeo ætate repudiatum me infelix* (q) *cognosco, cum alienus mihi proponitur, & servituti tuæ, ut dignior assumitur. Vnde hinc tristis nunc abscedere volo, & Christi gratiam, & tuimet intercessionem sanctam in hoc exspectare* (r) *desidero. Vellem, ut sicut ego aliena injuste non appetivi, ita nullus unquam de meo gaudere præsumeret detrimento. Nunc adeo quod* (s) *tibi placeat, & Ecclesiæ prosit meæ, supplex exoro.* Finita hac oratione, surrexit, & discedens tam diu in sua morabatur parochia, quoad usque de nece supra memorati juvenis certus efficitur, & tunc convocatis in unum sociis; *Dominum*, dixit, *non habetis novum, me autem ad monasterium deferte meum, diem judicii ibidem, absque omni vagatione, cum magna sollicitatione expectaturum, & discite vos mortales, omnia quæ vobis sunt salubriter profutura, non currentis neque volentis, sed potius miserentis Dei esse. Simus exemplum vobis, quod nemo confidens in Dominum, desolatur, nec in se sperans, utiliter exaltatur: Ponite, filii in Domino patre, spem vestram, & cum auxilio Vnigeniti ejus, & Paracleti consubstantialis vincite timorem noxium. Propitium* (t) *orate Dominum, ut quod ego in vobis, seu unquam vos in me, humana fragilitate diliquimus, emendetur deinceps in melius, & ut post me in Domino charum &* (u) *nobis utilem habere possitis seniorem, & tempora prosperè arridentia.* Post hæc verba ad prædestinatum perveniens locum, quamvis multa senectutem (w) suam circum venirent incommoda, tamen affabilis & laudandæ fuit conversationis. Expeditis breviter supra dicti Imperatoris inclyti actibus, fert animus, priusquam obitum ejus scriptis comprehendam, de his aliquid dicere, qui ejusdem temporibus utiles Ecclesiæ & sibi expiravere, & quod interim accidit, renovare. *Hillibertus*, qui eum unxit Archiepiscopus, in secundo regni suimet anno, obdormivit in Christo, II. Calend. Junii, & huic *Fridericus* succedens, Domino placuit & seculo. [Hic in fine suo gratias egit Deo, quod Ecclesiæ suæ nil unquam injustè acquisiverit seu perdiderit] In hoc anno *Vngari* Turingiam atque Saxoniam vastantes, in locis perierunt firmissimis, nonnulli autem ex illis timore sibi alas subministrante, patriam reviserunt. *Everhardus* (x) Dux, regi diu infidelis, degradatus est, & Comes *Wigmannus* humili supplicatione reconciliatus. In sequenti anno frater regis *Henricus* ab Eberhardo Comite captus, in vinculis tentus est. In tertio anno supra memorati regis, Henricus frater ejus & Eberhardus Dux, & Giselbertus Comes Lutharingorum, cum cæteris nequitiæ suimet fautoribus cis Rhenum plurima depopulati sunt. Hoc Udo amicus regis illico comperiens, Eberhardum occidit, Gisilbertum cum sociis in Rheno demergit. Henricum autem regis gratiam petere coëgit. Post hæc legati Græcorum, regi nostro bis ab Imperatore suo munera detulerunt, utrisque convenientia. *Fridericus* Archipræsul, (y) XVIII. ordinationis suæ anno, vir (z) abstemius obiit, & *Wilhelmus*, de matre quamvis captiva, tamen nobili & Slavonica, & ex rege prædicto genitus, vice ejus ordinatur, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLIV. Dehinc in quarto ejusdem numeri anno signum salutiferæ crucis in vestimentis hominum mirabiliter, & magis miserabiliter, elucens digne accipientibus profuit, & irridentibus nocuit. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXIII. ob depositionem supra memoratam *Benedicti* Papæ, & exilium, quo moritur, sæva mortalitas Imperatoris exercitum subsequitur, quæ *Henricum* Treverensem Archiepiscopum & Ducem *Godefridum* cum cæteris innumerabilibus consumsit. In tertio anno II. Calend. April. Ecclesia Halberstadensis cecidit, & Imperator de Italia pergens, *Francanfort* venit, & in his partibus diu manens, inter suos pacem atque concordiam firmavit. Subsequente autem anno Imperator iterum Romanorum partes invisit. In quarto anno æquivocus Imperatoris, comitante *Wilhelmo* Maguntiensi Archiepiscopo, *Romam* veniens,

(l) præfati. (m) frater ipsius Herimanni Ducis. (n) ita respondit. (o) sine aliquo tali vivamine scilicet. (p) A Deo & à te. (q) agnosco. (r) volo. (s) sibi. (t) rogate. (u) vobis. (vv) ejus. (x) Francorum. (y) XVII. (z) abstinentissimus.

ens, à Domino Johanne venerabili Papa in benedictione patri similis efficitur. In VII. autem anno templum domini in *Dornburg* (a) combustum est. Placet etiam mihi hoc annectere, quod *Boso*, antecessor meus, à præfato Imperatore constitutus, curam sibi commissam annum unum & menses decem ac tres dies regens, in patria obiit Bavaria Cal. Novemb. sepultusque in Merseburg in Ecclesia sancti Johannis Baptistæ coram summo altari. Qui in Monasterio Christi martyris Emmerani, quod extra urbem Ratisbonam in australi parte situm est, monachus conversatione nutritus, abinde ad servitium (b) Cæsaris assumptus, beneficium Cicensis Ecclesiæ pro magni laboris sui debita remuneratione percepit, & juxta prædictam civitatem in quodam saltu, quem ipse construxit, ac suo nomine vocavit, templum Domino de lapidibus ædificat, consecrarique fecit. Beneficium autem omne, quod ad Ecclesias in *Merseburg* ac *in Mimilïve* positas, ac ad *Thornburg* & *Kirchberg* (c) pertinentes, fuit, antequam ordinaretur, obtinuit, & quia is in oriente innumeram Christo plebem prædicatione assidua & Baptismate vindicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus constituendis Episcopatibus ei dedit, *Misnensis*, *Cicensis* atque *Merseburgensis*. Præ his omnibus, eo quod pacifica erat, Merseburgensem ab Augusto (d) exposcens Ecclesiam, quamdiu vixit, studiose eandem rexit. Hic ut sibi commissos eò facilius instrueret, Slavonica scripserat verba, & eos *Kyrie eleison* cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irrisorie mutabant, [*ykrujolsa* quod *nostra lingua* dicitur, atnu .... dicentes: sic locutus est *Boso*, cum ille aliter dixerit] Imperator huic paucas villas concessit, ad prædictam urbem pertinentes & in pago *Chutici* positum quoddam castellum, quod *Medebure* vocatur. Interpretatur autem hoc *mel probibe*. Concessit ei quoque filius suimet, & æquivocus Ecclesiam in *Helpheti* positam, quam pater ejus in honore sanctæ *Radegundis* constructam, *Bernhardum* ipse præsens dedicare præcepit antistitem. Sed cum primus Ecclesiæ pater nostræ, sicut prædixi, expiraret, intercessione *Annonis*, Episcopi Wormaciensis Imperator *Gisilero*, moribus & natura nobili, Episcopatum dedit. Hic consecratur in Magdeburg ab *Alberto* Archiantistite, Junio mense. Equidem quia de *Conrado* Duce, qui gener Cæsaris, juxta Lech fluvium occisus est, pauca dixi, non incongruum esse reor, quædam tunc à me indiscussa aperire. Post longum tempus Imperator ad Merseburg veniens, à quodam proditore comperit, exuvias ejusdem à Slavis in *Zwencka* sub (e) *Sucbavico* seniore sibi multum dilecto haberi. Quos cum auxilio illius in singulari prælio devictos suspendi præcepit, prædæque maximam partem restituit. Sed hoc ignoro, utrum hanc ejusdem interemtores sumserint, an sic casu accidenti, necis ejus inculpabiles, invenerint, & quia hoc nullatenus celare præsumpserunt, digna morte pœnas persolverunt. Filiam vero suimet, uxorem ejus, à quodam (f) *Cunone*, eò quod sibi satisfacere noluisset, late diffamatam, & conjugem suam clam fore ab eodem dictam, Cæsar hoc graviter ferens sic eam expurgavit. Convocatis omnibus regni suimet Principibus primo secretis allocutionibus eandem, si hujus rei culpabilis esset, diligenter inquirit: Posteaque cum illam adhibito Christi testimonio & sacramentis se nimis excusare vidisset, præsentibus cunctis indixit, si aliquis ex numero sibi familiarium eam armis defendere voluisset, ut se firmum in die hac, & in perpetuum acquirere potuisset amicum. *Burchardus* Comes hæc audiens, in medium prosiliit, & Cunonem per omnia mentitum fore coram omnibus dixit. Ille autem cùm id verum esse sacramentis affirmaret, cum eodem congressus, in primo aditu dexteram mendacem perdidit, & injustitiam suimet devictus innotuit, & misericors Dominus à falso crimine hanc eripuit, quam innocentia vitæ sibi placere fecit. Hæc marito vivente suo, quamvis sæpe despiceretur, & laboribus crebris fatigaretur, tamen viridi patientia hæc sufferens, honorem innatum servare conatur. Cum autem vitam hanc finiret, in Ecclesia Christi martyris Albani in Moguntia flebiliter est sepulta, cujus fusum argenteum in ejus memoria ibidem est suspensum. De præfato autem Duce *Henrico* quædam dico, quæ impie fecit in suimet regno: & in quibus valet considerare, quod supra dictis omnibus non valet contradici. Patriarcham de Aquileia castrari, & Archiepiscopum Saltzburgensem præcepit excæcari. Causas ponere nolo, quia ad hæc promerenda non esse idoneas in veritate scio. Is cum in fine suo à *Michaele*, Ratisbonensi Episcopo, de tali commisso admoneretur, se in priori peccasse solum fatetur, & in Archipræsule nihil: ignorans, quam parva res est in qua flagitium deest. Unde David supplex loquitur: *Ab occultis meis munda me Domine.* Hujus conjux Juditta nomine, cum præsens adesset, hanc confessionem audivit, & mox viro suimet moriente, corpus ejusdem in Ecclesiam, quam ipse in honorem sanctæ Mariæ semper virginis construxit, cum magno mœrore deposuit, & in quocunque animam ejus unquam deliquisse ipsa scivit, vel ab

 aliis

(a) exustum. (b) Regis. (c) pertinens. (d) expetens Ecclesiam ab Augusto, (e) Euchavico. (f) Conone.

aliis comperit, lacrymis ac ineffabilibus emendavit eleemosynis. Hæc in viduitate sua continenter vivens, cum *Abraham*, Frisingensem Episcopum, præ cæteris diligeret, invido vulgari dente admodum inculpabilis dilaniabatur. Quæ cum de hac luce migraret, in die depositionis suæ ab eodem antistite missam cantante sic expurgatur. Ante communionem is versus ad populum, quæ merita ejus fuerint circumstantibus indixit. *Hoc*, inquiens, *delictum, quo diffamata fuit, si hæc unquam commisit, faciat omnipotens pater filii suimet corporis & sanguinis salutare remedium mihi provenire ad judicium, & ad debitam damnationem, animæq; ejus ad perpetuam salvationem.* Ac tunc cum mentis ac corporis innocentia sumpsit unicum cunctis fidelibus remedium. Credidítque populus, quamvis sero, & cum detractione injusta plus ei posuit [*posuit*, lego, profuit], cum nocere studuerit. Fuit in diebus prædicti Cæsaris quidam Comes *Hed* nomine, qui Ecclesiam in honore Christi athletæ *Viti* (g) in *Heslinge* constructam, quia hæredem non habuit, maxima totius proprietatis suæ parte dotavit, & congregatione sanctimonialium ibidem facta, eandem Abbatiam mundiburdio *Etheldagi*, Bremensis Archiepiscopi, subdidit. Sed præpositæ huic sedi geminæ venerabiles matronæ, quibus unum erat vocabulum, (h) *Winbulgert* dictum, citò proh dolor obiere. Avus autem meus cum filiam suimet, *Hathui* nomine, ibi educatam prius, ac traditam eis succedere rogasset ab Archiantistite præfato, impetrare non potuit. Postea vero Archipræsul à Cæsare patrino suimet rogatus, eandem cum jam duodecim esset annorum, II. Calend. Maij die Dominica velavit in proxima die ad Abbatissam in patris præsentia, quod postea eum nimis pœnituit. Namque, ut dicturus sum, interpositis diebus quinque, *Italiæ, Daciæ, & Saxoniæ salus, Otto primus* obiit. Pausat autem avia meimet, *Juditta* nomine, in Ecclesia, quam post de lapidibus, qui in hac terra pauci habentur, filia ejus summopere construxit, excedens ex hoc seculo VII. Calend. Novemb. Ecclesia Fuldensis, proh dolor, incensa sub eodem Imperatore renovata est. Ascensionem autem Domini Imperator in *Merseburg* fuit, & quicquid de promissione remansit, devota mente ibidem complere studuit. Exin III. feria ante Penstecosten ad *Mimmeleben* veniens, postera die ad mensam lætus sedebat. Qua finita cum jam vespera cantaretur, infirmari cæpit & inclinare. Quem qui astabant proxime suscipientes, deposuerunt, refocillatusque divino celeriter viatico, orantibus pro ejus exitu cunctis, debitum persolvit naturæ, Nonis Maij, IV. feria. Sequenti vero nocte viscera ejus soluta in Ecclesia sanctæ Mariæ sunt tumulata: corpus autem ejusdem aromatibus conditum ad *Parthenopolin* translatum, ibique honorabiliter atque lachrymabiliter susceptum (i), marmoreq; impositum, sarcophago sepultum est ab Archiepiscopis *Gerone* atq; *Athelberto* cæterorumque auxilio Episcoporum clerique totius. Æquivocus autem ejus, junior scilicet Otto, patre adhuc vivente electus, & unctus, iterum collaudatur à cunctis in dominum ac regem. Quantum vero pro liberatione animæ senioris suimet *Adelheidis* imperatrix invigilaverit usque in finem, dictis non valet comprehendi nec factis (k). Quicquid enim honoris sibi vel profectus secularis unquam provenit, non ullo suimet merito, sed Davidicis Christo ascripsit laudibus: *Non nobis*, inquiens, *Domine, non nobis, nomini tuo da gloriam.* Si (l) in me facundia, scientia & memoria convenirent, in explicanda Cæsaris laude deficerent. Sicut Dominus, sic & Principes ejus fuerunt. Non eos ciborum seu aliarum rerum superflua varietas, sed in cunctis delectabat aurea mediocritas. Omnes, quæ leguntur virtutes, his degentibus (m) florentes, his obeuntibus marcesserunt. Hi etsi corporaliter non vivunt, supersunt animæ immortales, bonorum profectu operum æternitate gaudentes. Sed ut concludam sermonem, post Carolum Magnum regalem Cathedram nunquam tantus patriæ rector atque defensor possedit, præcedentibus mortem ejus, ut prædixi, pluribus optimatibus: omnes, qui superfuerunt, tantæ jucunditatis immemores, novam hanc normam, quæ sequebatur, nec voluerunt, neque sequebantur, sed ad exitum vitæ suimet abjecta antiquæ veritatis & justiciæ semita, sua sponte non deviabant. Impleri tunc namque videbant, quod à quodam sapiente præsago futurorum scriptum: *primum aureum seculum, dehinc æreum, postque ferreum sequitur.* Audiat unusquisque fidelium veridica beati Gregorii monita: *Cum augentur dona, rationes crescunt donorum.* Et in commisisse, nimis peccasse perhorrescat, & pro anima Imperatoris dominum supplici mente deposcat, ut flagitia servi peccatoris innumera, quæ in tot sibi subditis rebus præcaveri nequiverant, clementer ignoscat, regnorumque (n) dominator omnium populis præsentibus atque futuris pervigil piusque custos assistat. Et tu quicunque mihi succedas, tanti memor beneficii, animæ recordationem fideli mentis custodia serves, maximeque in festivitate Christi athletæ Laurentii, cujus intercessionem

(g) septennis pueri qui in nova Corbeia requiescit. (h) Windilgard. (i) marmoreoq;. (k) imitari. (l) aliqua. (m) floruere. (n) dator.

nem obnixe postules, ut sicut eo die meritis ipsius hostium huic concessa est divinitus victoria visibilium, ita sibi à Domino donata, quam semper optavit, remissione, laqueos inimicorum mereatur invisibilium evadere, à sinistrisque segregatus, in die judicii collocetur à dextris. (o)

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPVRGII
LIBER III.

Tertius in numero regum, sed proximus Otto
Nomine, scribatur, & digna laude locetur.
Sede patris magni vivens per secla secundo
Successu, miseris qui profuit omnibus horis.
Hujus prima bonis lætantur, triste supremis
Advenit, nostris criminibus undiq; magnis.
Tunc luit hic mundus, quod sprevit recta malignus,
Vltrici gladio perierunt plurima regna.
Nulla patet nobis, certissima causa, peritis
Cunctis est visum Mersburgi flebile damnum,
Ex quo sustinuit, quod pax pia longe recessit
Finibus è nostris, late regnabat & hostis.
Quis valet effari? sæviret ut iste crudeli
Funere, cum Christi templis non parceret almi,
Congressi mutuo ceciderunt atq; duello
Ex nostris multi, Saracenis exsuperati.
Vere felices qui Christum semper amantes,
Tranquillæ pacis retinent optata, timoris
Funditus ignari pulsantis corda maligni,
Plusquam tricenos qui nunc turbaverat annos
Antecessores nostros, & proh dolor, hostes
Armavit, nostras quoque nunc infringere terras.
Qui cælos terris conjunxit, ponat ut istis
Finem suppliciis optet modo quisque fidelis.

Tertius regni procurator nostri, Otto secundus (p), materies mei, qui juvenis viribus corporis (q) elucens eximiis, primo quæ sunt proterva sectatus, largitusque plurima pietatis opere absque temperamento, matura fugit consilia. Deindeque castigatus à multis, imposito sibi laudandæ virtutis freno, nobiliter in diebus suis conversatus est, sicut in sequentibus explanabo. Piæ genetricis suæ instinctu, cujus gubernaculo vigebat, *Mimileve*, ubi pater suus obiit, justo acquisivit concambio, decimasque, quæ ad *Heresfeld* pertinebant: Et congregatis ibi Monachis, liberam fecit Abbatiam, datisque sibi rebus necessariis, Apostolico confirmavit privilegio. Insuper licentiam Archiepiscopum eligendi confratribus, domino famulantibus *Magdeburg*, præcepto imperiali, præsenti Archiepiscopo dedit *Adelberto*, & cum uno libro, qui hodie ibidem est, in quo sua Imperatricisque Theophaniæ imago auro splendet formata, munus affirmavit. Quod gratia Cæsaris, & in præsentia ejus, Archiepiscopus, præparatus ad missam, cùm, prælecto Evangelio, more solito optimè prædicasset, recitato coram præcepto imperiali, quo electio continebatur, ostendit, eundemque quicunque temerarius hoc unquam auderet infringere, terribili excommunicatione damnavit, & cunctis prosequentibus *amen*, *fiat*, *fiat*, consolidavit. Pauperem adhuc Episcopatum Merseburgensem largiflua pietate respexit, & ejus provisori *Gisilero*, quia hunc multum dilexerat, [primo Abbatiam in *Palitin* * dein] *Svencam* (r) civitatem cum appertinentibus cunctis ad servitutem sancti Johannis Baptistæ tradidit, & quicquid Merseburgensis murus continet urbis cum Judæis & Mercatoribus de moneta & foresto, inter *Salam* ac *Mildam* fluvios, & *Suisuli* atque *Plisni* pagos jacenti, *Choron* & *Niriccbua*, *Bucithi* & *Cothug* ac *Borintizi*, permisit, ei hæc omnia scriptis manupropria corroboratis affirmans. Interim *Gero*, Agrippinæ sedis egregius provisor, obiit, de quo quia pauca prælibavi, quæ tunc reservavi, paucis edicam. Hic crucifixum, (t) qui nunc stat in media, ubi ipse pausat, Ecclesia, ex ligno studiose fabricari (u) præcepit.

(o) Dei Patris. (p) fit codicilli hujus. (q) cluens. (r) Svecovam. (t) quod. (u) fecit.
* *Palitin*, id est, Palithi, hodie Polda in Ducatu Grubenhagio.

cepit. Hujus caput dum fissum videret, (w) hoc salubri remedio curavit. Dominici corporis portionem, unicum in cunctis necessitatibus solatium, & partem unam salutiferæ crucis conjungens posuit in rimam, & prostratus nomen Domini flebiliter invocavit, & surgens humili benedictione integritatem promeruit. Is dum capellam clara jam luce intraret suam, victorem sanctum, ut suis post intimavit fidelibus, cum Diabolo dimicantem atque vincentem, vidit. Hujus obitum cuidam Abbatissæ *Gerbergæ*, quam propter castitatem mentis, & corporis idem multum dilexerat, secumque sæpe detinuit, Diabolus bonorum invidus omnium, sicut prius solebat in cæteris, prodidit: *Vellem tibi meum aperire secretum, ni te scirem cuncta hactenus nunquam servavisse commissa. Sed si fideliter hoc continere mihi promittis, ea dico ratione, ut quandocunque alicui vis aperire, vitam tibi me non dubites tollere. Gero tuus familiaris in hoc anno tantam incidet infirmitatem tres dies, ut mortuus credatur, & si ab aliquo hoc spatium custoditur, tale potest securus evadere periculum.* Sed ancilla Christi verbis obstupefacta talibus, fideli se silentio hæc promisit omnibus occultare. Hæc cum eundem videret evanescere, directo mox itinere, Archiepiscopo universa narravit. Quod Diabolus intelligens, in tantum eam cecidit, ut post innumeros dies vitam hanc fragilem vita mutaret æterna. Archiepiscopus autem in die depositionis ejus missam celebrans, meritum ejus cunctis astantibus indixit, indulgentiamque ei ab his postulavit, & ipse fecit. Posthæc infirmitate prædicta gravatus, se *Evergero* custodiendum commisit. Qui eundem acri dolore defatigatum quasi mortuum lavari, pheretroque impositum ad Ecclesiam portari, posteraque die sepeliri jussit. Hic, ut ajunt populi, tertia nocte, quasi de gravi somno expergiscens, audivit sonantem campanam, & ut aperirent ei velociter terna exclamatione rogavit. Obstupefactus is, quia audivit, Evergerum præfatum, custodem Ecclesiæ, ut Episcopo laboranti succurreret, interpellavit: Qui eundem per omnia fuisse mentitum affirmans, magno percussit baculo, sicque quievit divæ præsul memoriæ III. Cal. Julii. Apparuit autem mox Luidolpho Abbati dicens, *requiem æternam nobis cantate*, & evanuit ab oculis ejus. Hujus vice *Warinus* electione & imperatorio munere protinus ungitur. [Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXV. & medii Ottonis secundo. *Henricus* Bavariorum Dux captus est ad *Geilheim* deductus caute custoditur. In hoc anno hyemis asperitas longa fuit & sicca & magna nix cælitus effunditur.] Mortuo quoque (x) *Roberto*, Moguntinæ sedis Archipræsule, Imperator Cancellarium suimet nomine *Willigisum*, multis hoc ob (y) utilitatem sui generis renuentibus, eidem præfecit Ecclesiæ. Sciebat enim, Petro attestante, *quod non est personarum acceptor dominus*, *sed omnes se ex corde diligentes præ cæteris amat*, *incomprehensibili honore remunerans.* Qualiter autem hunc Pastorem futurum divina pietas præsignaverit, non est silendum. Hujus mater quamvis paupercula, tamen, ut in sequentibus apparet, bona, dum eundem in utero portaret, vidit per somnium, quod sol è sinu suimet fulgens totam radiis flammantibus repleret terram. Et in ea nocte, qua hæc talem peperit infantem, simili procreatione hoc jumentum, quod ipsa in domo sua habuit, quasi gratulabundum dominæ respondit: *Ille, qui tunc natus est*, *sol erat*, *quia sanctæ prædicationis suæ radiis corda multorum à Christi caritate torpentium illuxit: Et idcirco in ejus nativitate masculini sexus mirabilis multitudo gignitur: quia vir Domini ad salutem patriæ totius summa prædestinatione regnaturus exoritur.* Felix mater, quam Dominus præ cæteris contemporalibus suis in tantum visitavit, ut prolem nobilioribus coæqualem, vel etiam non nullis meliorem, pareret, ut ostensæ sibi visionis (z) spem oculis & reipsa veram esse probaret. Sed hæc alias dico. Imperator prima expeditione *Buschuth* civitatem cepit; Danos sibi rebelles petens, ad *Sleswigk* properavit. Ibi etiam hostes suos foveam, quæ ad defensionem patriæ parata est, & portam, quæ (a) *Wieglesdor* [vulgo Egdora vel Eidora; nempe *Dor* est porta, *Hegge*, Haye, sepes spinarum. Hinc tandem & flumen Eidora nomen accepit, quod hodieq; retinet] vocatur, armis præoccupare videns, consilio *Bernhardi* Ducis, & avi meimet, *Henrici* Comitis, omnes has munitiones viriliter exuperat. In hoc itinere prima mali irrisionis in clericos exclamatio attollitur, & à malis hominibus hodie servatur. Admodum miserabile est, cum aliquid boni à justis inventum, in usu ad modicum habetur, & statim ut nimis detestabile à maxima multitudine repudiatur. Quod Deo autem displicet, & hominem ad promerendam reatus sui pœnam protrahit, hoc discit, & ut ruminando firmat. Quamvis vero multi irrisiones non seriò faciant, tamen sine peccati macula has nullatenus peragunt. Urbem unam in his finibus Cæsar ædificans, præsidio firmat. Bruno Præsul supra memoratus VII. Id. Martii obiit, & *Erp*, præpositus Bremensis, intercessione Atheldagi Archipræsulis ordinatur. Temporibus his ego natus sum, VIII. Cal. Augusti, mense Julio, anno vero Dominicæ incarnationis DCCCCLXXVI. *Henricus* Dux Bavariorum, honore & communione privatus, Bojemiam fugit,

(w) hoc summi artificis & ideo salubriori remedio nil de se præsumens sic curavit. (x) Ruperto. (y) vilitatem. (z) specie. (a) *Heggedor*.

fugit, quem Imperator ibidem valido petens exercitu cum Duce *Bolizlao* manentem, nil ibi prorsus in neutro horum profecit, sed magnam Bavariorum catervam, sibi ad auxilium huc venientem, & juxta *Pilisini* urbem castra metatam, dolo cujusdam militis *Bolizlai* sic perdidit. Vespere facto, Bavarii se lavantes nulla custodum securitate fruuntur: & ecce hostis loricatus adveniens nudos eosdem in tentoriis & in virentibus pratis occurrentes prostravit, & cum omni præda lætus & incolumis revertitur. Imperator autem audita tantorum strage virorum, & quod nulla sibi via redeundi patuit, tecto itinere ad civitatem suam, quæ (b) *Cromena* dicitur, venit, & in proximo anno præfatum Ducem ad *Pataviam* confugientem subegit. [In sequenti anno *Henricus* Dux & *Eckbertus Comes* & *Henricus* Præsul apud Imperatorem accusati Magdeburg capti sunt & longe exilio deputati.] Posthæc autem Imperator omni studio ordinavit expeditionem suam adversus *Lotharium*, regem Karolingorum, qui in Aquisgrani palatium & sedem regiam, nostrum semper respicientem dominium valido exercitu præsumsit invadere, sibique, versa aquila, designare. Hæc stat in Orientali parte domus, morisque fuit omnium, hunc locum possidentium, ad sua eam vertere regna. Quem celeriter abeuntem Cæsar insequitur, depopulatis omnibus, & incendio consumptis, usque ad Parisiam sedem. In illo itinere multis infirmitate nimia compressis, *Bruno* Comes Harneburgensis, miles per cuncta laudabilis, obiit II. Cal. Decembr. Reversus inde Imperator triumphali gloria, tantum hostibus incussit terrorem, ut nunquam post talia incipere auderent, recompensatumque est his, quicquid dedecoris prius intulere nostris. Interim Augustanæ pastor Ecclesiæ (c) *Othelricus*, gemma sacerdotum, (d) primo ordinationis suæ anno excedens à seculo, fructum laboris devoti Christo remunerante præcepit IV. Non. Julii. *Henricus* autem huic succedens, parvo tempore sedebat, ut postea enucleabo. Accusatus apud Imperatorem *Gero* Comes à *Waldone*, & in loco, qui *Sumeringe* dicitur, hortatu *Adelberti* Archipræsulis & *Theoderici* Marchionis captus, patri meo patruoque firmiter est commissus. Deindeque convocatis ad *Magdeburg* cunctis regni Principibus, congressi sunt hi (e) judicio in insula quadam singulari certamine, vulneratusque in cervicem bis *Waldo*, ardentius insequitur hostem, percutiensque ictu valido caput, prostravit eundem. Interrogatus autem *Gero* Comes ab eodem, *si plus potuisset pugnare*, coactus est, *quod jam defecisset*, profiteri. *Waldo* tum egressus, aqua refocillatus, depositis armis post tergum mortuus cecidit. Tunc *Gero* jussus decreto judicum, & voce Imperatoris, à carnifice quodam decollari III. Idus Augusti. Hæc pugna nulli nisi tantum Archiepiscopo Adelberto & Thiedrico placuit Marchioni: correptusque est Imperator ab Ottone, Bavariorum Duce, Luidulphi filio, eodem die veniente, & à Comite Bertoldo, quod ob tam vilem causam tantus vir nunquam damnari debuisset. Libet paucis exponere Luidulphi Corbejensis meritum patris, cui multum vigiliis jejuniisque laboranti, plurima Dominus dignatus est revelare. Hic in die præfati certaminis cum diluculo missam humiliter & timorate, ut semper solebat, celebraret, vidit super altare Comitis caput Geronis, finitaque hac, aliam pro defunctis cantavit. Exutisque sacerdotalibus vestimentis, cum silentio exivit, congregatisque fratribus, obitum ejus indicavit, orationemque pro eo fieri humiliter postulavit. Decollatio autem ejus in ipso solis occasu fiebat, pro cujus memoria soror ejus *Tetta* & conjunx ejus *Athela* monasterium in loco, qui Elesleve dicitur, ubi ipse requiescit, construentes, partem totius suimet hæreditatis tradidere Domino, ejusque præcursori dilecto. Hoc, privilegio & imperiali præcepto, ea ratione firmantes, ut Abbatia ibidem liberaliter facta, Imperatoris suorumque potestatem ac tutelam respiceret successorum. Comitis præfati corpus post tres annos, cum juxta illud contectalis suæ poneretur, integrum una cum vestimentis inventum est. Imperante tunc prædicto Ottone VI. annos, Lutharius Rex cum filio suimet, ac muneribus magnificis, ad eum venit, & sibi satis faciens, amicitiam ejus firmiter acquisivit. Et in hoc anno Cæsar noster Italiam pergens, nunquam has regiones, proh dolor, amplius invisit. Posthæc præfatus antistes *Adelbertus*, Imp. jam Romæ commorante, tertio decimo suæ ordinationis anno, suos docendo & confirmando, ac *Gisileri* præsulis, qui tunc cum Cæsare fuit, diœcesin perlustrans, XIII. Kal. Julii in Merseburg missam celebravit, proximamque noctem cum *Hemuzone* laico in (f) *Corbeti* lætus duxit, crastinaque die exsurgens tristis, capitis nimium queritur dolorem, & tamen abibat. Cumque *Cirmini* villam, ad *Frankenleve* pergere cupiens, præterisset, ni cito à suis sustentaretur, ex equo paulatim declinans in terram cecidisset. Is vero tapete superposito, completisque omnibus, quæ à clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Christum XII. Kal. Junii. Hujus corpus ad *Gibikenstein* delatum, atque sacerdotali apparatu vestitum, navigio ad *Magdeburg* usque deductum est, flebiliterque à confratribus, & maximè à monachis, susceptum, commendatum est ab

(b) *Camma*. (c) Dedelricus. (d) quinquagesimo. (e) duo. (f) Erderwate.

ab egregio sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ Episcopo *Hilli Wardo*, favente sibi *Hardingo* Abbate venerando, in medio Ecclesiæ coram altari Apostolorum Philippi & Jacobi. Quanta sollicitudine idem sibi subditis invigilaret gregibus, lector attende. Sæpe numero ad ovile S. Johannis Baptistæ, sanctique Mauritii noctis silentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque confratres ad matutinam convenirent, vel qui in dormitorio remanerent, ex inproviso perspexit; & si bene fuit, Domino gratias egit: sin autem culpabiles, digna castigatione redarguit. Sed clerus & populus tanti patris funere turbatus, *Otricum* confratrem, & tunc Imperatori fideliter servientem, communiter elegerunt in dominum & Archipræsulem: quamvis hoc nullo modo posse fieri, prædictus Archimandrita, dum adhuc viveret, beneque valeret, multis ex eorum numero publice prædiceret. Cum enim Episcopus & Otricus nunquam convenirent moribus, magna confratrum & hospitum, quia magister fuit scholæ, caterva bene elaborata maluit inde exire, quam in monasterio permanere. Huic Cæsar, cum apud Archiepiscopum licentiam sibi famulandi vix impetraret, contigit in die resurrectionis sanctæ, Episcopum ad missam paratum, subdiacono, ut mos est, sanctam crucem coram tenente, ambabus eandem complecti manibus, & ut *Otricus* & (g) *Ico* nunquam sedem possiderent suam, lacrymis postulare profusis. (h) Peracto autem divino pleniter ministerio, cum idem ad mensam sederet, præfatos nunquam successuros palam cunctis præsentibus innotuit. Qualiter autem sibi hoc fuerit revelatum, non aperuit, nec unquam mihi aliquis intimare potuit. Post mortem quoque ejus *Walterdo* sibi dilecto, qui & *Dodico* vocabatur, ut ipse mihi (i) puero narravit, in somnis idem cuncta, quæ in hac re vivus pronunciaverat, compleri talibus affirmavit. Hic in lecto positus, excessu mentis vidit Archiepiscopum in australi ecclesiæ janua, quæ cœmeterium respicit, stantem, eundemque, quasi *Romam* cum baculo suimet pergere cupientem, his exasperavit verbis: *Mi Dodico, ut quid meum alii præbetis honorem?* cui respondens is, *Nonne*, inquit, *in tristi meo habitu non voluntatem, sed obedientiam solum, senior carissime, vales considerare?* Ad hæc Archiepiscopus tunc persequitur: *Pro certo*, dicens, *scias, Otricum, sedem nunquam possidere meam.* Universus autem clerus & populus, ut supra memoravi, completa electione, miserunt Ekkihardum, qui dicebatur Ruffus, cum consortio aliorum fratrum & militum, qui hanc Imperatori nunciarent, & de promissis admonerent. Qui cum Italiæ partes, ubi Cæsar tunc commorabatur, itinere attingerent, Gisileri suffragium, qui apud Imp. tunc plurimum valebat, implorantes, legationis suæ secretum ei aperiunt. Promissa ab eo est his fidelis intercessio, completurque sibi cunctis proxima in omnibus benevolentia. Namque ut audita Cæsaris auribus instillavit, pedibus supplex advolvitur, promissa & diu expectata longi laboris præmia postulans, domino hoc consentiente, protinus impetrat. Egressus autem interrogatur à nunciis, & maxime ab Oterico, qui se fidei suimet firmiter commendavit, si quid in sibi creditis proficeret? quod vix suis necessitatibus in hoc subveniret, respondit. Corruptis deinde pecunia cunctis primatibus, maximeque Romanis, quibus cuncta sunt semper venalia, judicibus, qualiter ad Archiepiscopatum aliqua ratione veniret, primum secreto revolvit, moxque palam Domini Papæ Benedicti VII. qui sic vocabatur ex numero præcedentium æquivocorum, obnixe petit auxilium, quod cum totius consilio senatus si posset impendi, ex sua parte sibi paratum foret. Et hic promisit. Positum est Romæ (k) concilium generale, sapientissimi conveniunt, impleturque illa Jeremiæ prophetia: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, &c.* Nam cum judices ab Apostolico interrogarentur, si liceret Gisilerum promoveri ad Archiepiscopatum, quia certam non haberet tunc sedem, sed ab Episcopo (l) injustè, ut semper sit questus, ablatam Hildebardo, caruisse hactenus quam possideret, tunc hoc autoritate (m) Canonica præcipere se jure meritoque verbis affirmabant, exemplis Davidica transgredientes monita: *Recte judicate, filii hominum;* Et illud: *Corruptus judex nequit discernere verum.* Lector, crede mihi, quòd piget atque pudet, me his longè inferiorem, hoc verbis exponere, quod hi ob præsentem ac futurum pudorem noluerunt omittere. *Merseburg*, quæ usque huc (n) liberaliter dominabatur Ecclesiæ Halberstadensi, sede Episcopali destructa, subditur, & *Giselerus* ejusdem non pastor sed mercenarius ad majora semper tendens desiderata IV. Idus Septembr. percepit, proverbii non memor illius: *Quanto altior gradus, tanto gravior fit casus.* Certè si voluisset is in cura sibi credita persistere, omnem scrupulum in aliquo sibi unquam obsistentem, Imperatoris auxilio potuisset (o) expellere, magnamque securitatem ac rerum affluentiam cunctarum sibi suisque successoribus efficere. Sed quia Domini judicia hominibus scilicet occulta, nunquam autem injusta, non illi solùm sed communibus nostri met imputo peccatis domesticis, quibus quic-

(g) Leo. (h) facto. (i) pro vero. (k) consilium. (l) Hildewardo. (m) Apostolica vel. (n) litera. (o) exponere.

quicquid adversi accidit justè ascribitur. *Otricus* vero *Beneventum* postea veniens, infirmatur. Confrater meus, nomine *Husvvart*, ut mihi retulit, vidit assistere sibi *Athelken*, præpositum quondam nostrum sed tunc defunctum, annonam sancti Mauritii eminus sibi porrigentem. Expavescens tali visione; idem, *cernis*, inquit, *frater aliquid:* & exponens ei ordine cuncta, *Væ mihi*, dixit, *misero & peccatori, quod unquam monasterium meimet & obedientiam ob ambitionem reliqui, & si divina largitas aliquam mihi concedere dignatur sanitatem, supplex huc venio, nunquamque recedo.* Talia persequutus, infirmitate validiori opprimitur, & post paucos dies in præfata civitate Nonis Octobris moritur, ac sepelitur: non ullum sapientia atque facundia sibi relinquens similem. Gisilerus autem accepta ab Imperatore licentia, Magdeburg II. Calend. Decemb. Thiedrico, Metensis Ecclesiæ Episcopo, comitante, venit. Fuit hic amicus Cæsaris, & valde ei charus, unusque ex numero corruptorum, qui mille talenta auri atque argenti pro veritatis obumbratione ab Archiepiscopo percepit. Cui quidam, cum ab eodem jussu Imperatoris ad matutinam jocularitet benediceretur, *Satiet te*, inquit, *Dominus in futuro, quem hic omnes non possumus auro.* Tunc omnia, nostram prius Ecclesiam respicientia, divisa sunt miserabiliter, Sclavonicæ ritu familiæ, quæ accusata venundando dispergitur. Pars Episcopatus nostri, quæ jacebat inter *Salam* & *Elistram* ac *Mildam* fluvios, & *Plisni*, *Vedu* & *Tuchurino* pagos cum villis passim & piscinis *Friderico* Cicensi datur Episcopo. *Volcoldo* autem Misnensis Ecclesiæ antistiti pars illa conceditur cum adpertinentibus villis: *VVisseburg* & (p) *Lostata* una, quæ ad *Gutici* Orientalem pertinet, ac fluviis *Caminitz*, *Albique* distinguitur: sibi auten retinuit *Gisilerus* (q) Undecim urbes, quarum sunt hæc nomina: *Scudici*, *Cotug*, *Worzin*, *Bigni*, *Ilburg*, *Dibni*, *Pug*, *Luibanici* & *Gezerisca.* Præcepta, quæ munera regalia seu imperialia detinebant, aut igni comburebat, aut Ecclesiæ suæ mutato nomine designari fecit mancipia, & totum quod *Merseburg* respicere deberet, ne unquam colligeretur, sponte dispergit, Abbatiam ibi statuit, eidemque *Otradum* venerabilem de sancto Johanne Monachum præfecit, postque *Heimonem* de eodem monasterio constituit. Sed quæ res destructionem hanc subsequeretur, Lector attende. Gentes quæ suscepta Christianitate regibus & Imperatoribus tributariæ serviebant, superbia *Thiedrici* Ducis aggravatæ, præsumtione unanimi arma commoverant, quod patri meo Comiti *Sigifrido* priusquam fieret, sic revelatum. Vidit in somnis aërem nube densa contractum, & præ admiratione, quid hoc esset, percunctatus, audivit vocem talia proferentem: *Nunc illud compleri debet vaticinium: Pluit Dominus super justos & injustos.* Quod etiam III. Calend. Julii scelus, percusso in *Havelberg* præsidio, destructaque ibidem Episcopali Cathedria, primum exoritur. Transactis autem trium spaciis dierum, Slavorum conspirata manus Brandeburgensem Episcopatum XXX. annos ante Magdeburgensem constitutum cum jam prima sonaret, invasit, fugiente prius tertio Antistite ejusdem *Volcmero*, & defensore ejus *Thiedrico*, ac militibus ipsa die vix evadentibus. Clerus ibidem capitur, & Dodilo ejusdem sedis antistes, (r) qui à suis strangulatus, tres annos jacuit sepultus, tunc vero è tumulo eruitur, & integro ad huc ejus corpore, ac sacerdotali apparatu, ab avaris canibus prædatur, & iterum temere reponitur: omnis Ecclesiæ thesaurus distrahitur, & sanguis multorum miserabiliter effunditur. Vice Christi, & piscatoris ejusdem venerabilis Petri, varia Dæmoniacæ hæresis cultura deinceps veneratur, & flebilis hæc mutatio non solum à gentilibus, verum etiam à Christianis extollitur. Temporibus his Ecclesia Cicensis à Bojemorum exercitu (s) *Dedi* Duce capta est, & deprædata, *Hugone* primo, tunc Episcopo, hinc effugato. Postea que monasterium sancti Laurentii martyris in urbe, quæ *Calve* dicitur, situm desolantes, nostros sicut fugaces cervos insequebantur. Nostra etenim facinora nobis formidinem & his suggerebant validam mentem. *Mistui*, Abdritorum Dux, *Homanburg*, ubi sedes Episcopalis quondam fuit, incendit atque vastavit. Quid vero ibi mirabilium Christus operaretur è cœlis, attendat religio totius Christianitatis. Venit de supernis sedibus dextera, in medium collapsa incendium expansis digitis & plena cunctis videntibus rediit. Hoc admiratur exercitus, hoc stupet *Mistui*, timoratus, & id mihi indicavit *Avico*, Capellanus tunc ejus, & spiritualis frater meus postea effectus. Sed ego cum eodem sic tractavi reliquias sanctorum itinere in Cœlum divinitus collatas abisse, hostesque terruisse atque fugasse. [Posthæc *Mistowi* in amentiam versus vinculis tenetur & aquâ benedictâ immersus inquit: Sanctus Laurentius incedit, (An pro *incedit* leg. me *incendit*?) & antequam liberaretur miserabiliter obiit.] Desolatis tunc omnibus præda & incendio Urbibus ac villis, usque ad aquam, quæ *Tongera* vocatur, (t) convenerunt è Slavis peditum ac equitum plus quam triginta legiones, quæ sine aliqua læsione, residua quæque, suorum auxilio deorum tunc devastare non dubitarent, tubicinibus præcedentibus. Non latuit hoc nostros. Conveniunt Episcopi *Gisilerus* & *Hillibardus* cum Marchione

(p) Lostatavva. (q) Novem urbes, sunt enim tantum novem. (r) secundus. (s) Dedone. (t) convertunt.

Thiedrico, cæterisque Comitibus, *Redago*, *Hudone* & *Binizone*, *Friderico*, *Dudone* ac patre meo *Sigisfrido*, aliisque compluribus, qui ut dies Sabbathi primò illuxit, missam omnes audiunt, corpus animamque cœlesti Sacramento muniunt, hostesque obvios fiducialiter irrumpentes, paucis in unum collem effugientibus, prosternunt. Laudatur à victoribus in cunctis Dominus mirabilis operibus, approbaturque veridicus Pauli doctoris sermo: *Non est prudentia, neque fortitudo, nec consilium adversus Dominum.* Derelicti sunt, qui prius Dominum spernere præsumpserunt, idolaque manu facta & prorsus inania creatori suo stulti præposuerunt. Appropinquante tunc nocte, nostrisque à longè castra metantibus, hi quos supra memoravi, furtim præ dolore evaserunt. Omnes autem nostri, exceptis tribus, crastino gaudentes remeabant, applaudentibus cunctis, quos obviam habuere, vel domi invenere. Interim Cæsar Romanum sic regebat Imperium, ut quod patrem suum prius respiciebat, omne detineret, & Sarracenis sua impugnantibus viriliter resisteret, & à finibus suis longè hos effugaret. *Calabriam* à crebra Græcorum incursione, & Sarracenorum deprædatione, magnam (u) injuriam perpeti, Cæsar comperiens, ad supplementum exercitus sui Bavarios ac fortes in armis Alemannos evocavit. Ipse autem cum Ottone Duce, fratris filio Luidulfi, ad urbem *Tarentum*, quam Danai jam præsidio munitam obtinuerunt, festinavit, eamque viriliter in parvo tempore oppugnatam devicit. *Sarracenos* quoque, valido exercitu sua populantes, superare contendens cautos illo speculatores misit, qui certa de hostibus referrent. Quos primo infra urbem quandam clausos effugavit devictos, postque eosdem in campo ordinatos, fortiter (vv) innumeram ex his multitudinem stravit, prorsusque hos speravit esse superatos. Sed hi ex improviso collecti, ad nostros unanimiter pergunt, & paululum resistentes prosternunt, proh dolor, III. Idus Julii, *Richarium* lanciferum & *Vdonem* Ducem, matris meæ avunculum, Comitesque *Ditmarum*, *Becelinum*, *Gevehardum*, *Guntherum*, *Ecelinum* ejusque fratrem *Becelinum* cum *Burchardo* & *Dedi* ac *Conrado*, cæterisque ineffabilibus, quorum nomina dominus sciat. Imperator autem cum *Ottone* præfato cæterisque effugiens ad mare venit, vidensque à longe navim, *Salandriam* nomine, *Calonymi* Judæi, equo ad eam properavit. Sed ea præteriens suscipere hunc recusavit. Ille autem littoris præsidia petens, invenit adhuc Judæum stantem, seniorisque dilecti eventum solicitè expectantem. Cumque hostes adventare conspiceret, quid unquam fieret de se, tristis, hunc interrogans & habere se amicum apud eos, cujus auxilium speraret, animadvertens, iterum equo comite in mare prosiliens, ad alteram, quæ sequebatur, tendit Salandriam, & ab *Henrico* solum milite, qui Slavonicè *Zolunta* vocatur, agnitus intromittitur, & in lecto senioris ejusdem navis positus, tandem ab ipso etiam cognitus, si Imperator esset interrogatur. Qui cum hoc diu dissimulare studuisset, tandem professus: *Ego sum*, inquit, *qui peccatis meis id promerentibus, ad hanc veni miseriam: sed quid vobis sit modo communiter faciendum, diligenter accipite. Optimos ex meo nunc perdidi miser imperio, & propter hunc doloris stimulum neque terras has intrare, nec horum amicos unquam possum vel cupio videre. Eamus tantum ad urbem* Rossan, *ubi mea conjunx meum præstolatur adventum, omnemque pecuniam, quam teneo ineffabilem, cum eadem sumentes, visitemus Imperatorem vestrum, fratrem scilicet meum, certum, ut spero, meis necessitatibus amicum.* His dulcibus alloquiis provisor navis delectatus, consensit, & per dies ac per noctes ad condictum pertingere locum properavit. Quo cum propiarent, binomius ille jussu Imperatoris præmissus, Imperatricem, & qui cum ea erat, Thiedricum præsulem supra memoratum cum somariis plurimis quasi pecunia sarcinatis, vocavit. Græci autem primo, ut Imperatricem cum tantis de urbe præfata muneribus exire viderunt, anchoram ponentes, *Thiedricum* Antistitem cum paucis intromittunt. Sed Imperator rogatu præsulis vilia deponens vestimenta, & induens meliora, viribus suis & arte natandi confisus, ut stetit in prora, mare velociter insiluit. Quem cum quidam ex circumstantibus Græcis apprehensa veste detinere præsumeret: perfossus gladio *Luipponis*, egregii militis, retrorsum cecidit. Fugerunt hi in alteram partem navis, nostri autem, quibus huc veniebant puppibus, incolumes Cæsarem sequebantur, eos littoris securitate præstolantem, præmiaque promissa magnis muneribus Danais implere cupientem. Hi vero multum perterriti, promissionibusque diffidentes, abierunt, patrios repetentes fines; quique dolo omnes semper vicerant nationes, simili se tunc delusos arte sentiebant. Quanta autem lætitia à præsentibus, posteaque venientibus, Imperator susceptus sit, explicare non valeo. Sed ut in omnibus, Lector carissime, certus efficiaris, *Salandria* (*) quid sit, vel cur ad has pervenerit oras, breviter intimabo. Hæc est, ut præfatus sum, navis miræ longitudinis & celeritatis, ex utroque latere duos tenens remorum ordines, ac centum ac quinquaginta nautas. Duabus hoc unum erat nomen navibus, quæ jussu Basilii *Calabriam* petierunt, colligendi gratia tributi: Quæ licet

(u) vim. (vv) ad ejus interitum. (*) Temporibus nostris tales naves apud Italicos Galeæ nominantur, inquit Gobel. d. l. à Celoce eam deducens. [an legendum palandria, hodie *Palandre*?]

licet Romano specialiter serviat imperio, tamen ne aliquam à Græcis patiantur molestiam, auri debitum quotannis voluntariè persolvit Constantinopolitanis. Imperator autem has venientes, inextinguibilemque ab omni re, præter acetum, ferentes ignem, sibi conjunxit, & in mare ab comburendas Sarracenorum naves conductas direxit: Quarum una, sicut prædixi, suscipere devictum eundem recusavit, seu ob ignorantiam sui, seu ob metum subsequentis inimici. Altera autem, quæ hunc instinctu *Henrici* suscepit, velut præfatus sum, invita reddidit. Paululum mihi nunc devianti mens est, incepta perficere. Omnes nostri Principes comperta tam miserabili fama, conveniunt dolentes, & ut eum sibi liceret videre, per epistolæ portitorem unanimi supplicatione poscebant. Quorum legationem Cæsar ut audivit, desideranti animo consensit. Indicitur in *Berna* civitate conventus, & omnis huc convocatur principatus, necessaria ut hic tractarentur multa: Solus Dux *Bernhardus* in media revertitur via: namque una ex urbibus suis, quam Imperator contra Danos opere ac præsidio firmavit, dolo ab his denuo capta, cæsis defensoribus ejusdem, incensa est.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC LXXVIII. Imperator *Veronæ* placitum habuit, & *Henricus minor* exilio solutus, Dux Bavariorum (x), & in hoc anno Slavi unanimiter restiterunt Cæsari & *Thiedrico* Marchioni: & filius Imperatoris ab omnibus in dominum eligitur. Post paucos dies discedebant, ultimum valedicentes: namque Imperator cùm Romam veniret, relicta matre sua venerabili in *Papia* civitate, graviter infirmatus, ut extrema præsensit adesse, omnem suimet pecuniam partes divisit in quatuor, unam Ecclesiis, secundam pauperibus, tertiam dilectæ suimet sorori *Mechtildæ*, quæ Abbatiam in *Quidilingeburg* devota Christo famula obtinuit; quartam suis tristibus donavit ministris ac militibus, factaque latialiter confessione coram Apostolico, cæterisque coëpiscopis atque presbyteris, acceptaque ab eis optata remissione, VII. Id. Decembr. ex hac luce subtractus est, terræque commendatus, ubi introitus orientalis Paradisi domus sancti Petri cunctis patet fidelibus, & imago Dominica honorabiliter formata venientes quosque stans benedicit. Equidem sortis memor humanæ, multumque indigens indulgentiæ, cœli terræque Deum & Dominum supplex efflagito, ut quicquid hic in mea unquam peccaverit Ecclesia, clemens remittat, pro beneficiis autem centuplum largiatur, potestateque immerito mihi concessa indulgeo, te obnixè successorem postulans, ut huic veniam, nemini in ultimis denegandam, semper ex corde tribuas. Hujus inclyta proles, nata sibi in Sylva, quæ *Ketil* vocatur, in die proximi natalis Domini, ab *Johanne* Archiepiscopo Ravennate, & à *VVilligiso* Magociacense, in regem consecratur Aquisgrani, & completo hoc officio, mox legatus tristi nuntio tanta perturbans gaudia advenit. Movit multorum corda ineffabilis dolor, virtus sublata queritur, quam sæpissime incolumem homo fragilis & dubius persequitur. Sedit hic bis quinos solares annos post obitum patris sui regni tutor & imperii, hostibus cunctis horrendus, commissisque gregibus inexpugnabilis murus. Nutat anxia in tantis rebus populi sententia, quam citò firmavit divinæ majestatis miseratio. Solvitur à Trajectensi custodia Dux Henricus, & ab eo Rex tenellus, ad nutriendum sive ad degradandum à *VVarino* Coloniensi Archiepiscopo, cujus firmæ fidei ab Imperatore prædicto is commissus fuit, assumitur. Obseram modò tertii seriem voluminis duro vecte necis deflendæ tertii Imperatoris nostri, & certitudinem pietatis almæ, quæ omnem exclusit ambiguitatem, stylo lætus aperire conabor.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPURGII
LIB. IV.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXIV. Domina Imperatrix *Theuphano*, *tertii* Mater *Ottonis*, & proh dolor in hoc ordine ultimi novitate (y) vulneris, & unici absentia filii perculsa, ad *Adelheidem* Imperatricem *Papiam* civitatem veniens, magno suscipitur luctu, caritativoque lenitur solatio. Præfatus verò Dux cum *Poppone* venerabili Episcopo, sub cujus potestate diu tenebatur, & cum Ekberto Comite (z) unioculo, Agrippinam veniens, regem patronus legalis de *VVarino*, ut prædixi, Archipræsule suscepit, ejusdemque auxilium cum omnibus, quos ad sui gratiam convertere poterat, firmiter est adeptus. Dispositis autem, ut sibi placuit, cunctis, Dux ad *Corbeiam* cum eis venit, ibique *Thiedricum* & *Esiconem* Comites ac confratres nudis pedibus veniam postulantes dedignatur suscipere. Quod hi ægre ferentes, abierunt, cognatos suimet amicos à Ducis ministerio toto mentis nisu amovere studentes: Qui cum Palmarum solennia in *Magdeburg* celebrare voluisset, omnes regionis illius Principes huc convenire rogavit, atque præcepit, tractans quomodo se suæ potestati subderent, re-

(x) effectus est. (y) diri. (z) monoculo.

regnique cum fastigio sublevarent. Huic consilio maxima pars procerum hoc dolo consensit, quod licentiam à Domino suimet rege, cui juraverat prius, peteret, postque secura novo regi serviret. Quidam autem ob ejus indignationem digressi, occultis meditantur astutiis, qualiter hoc nunquam fieret. Inde egressus Henricus proximum pascha *Quidilingiburg* festivis peregit gaudiis. Quo magnus regni primatus colligitur, à quibusdam venire illo nolentibus, ad omnia diligenter inquirenda nuntius mittitur. Hac in festivitate idem à suis publicè rex appellatur, laudibus divinis attollitur. Huc *Miseco* & *Mistui* & *Bolislaus* Duces cum cæteris ineffabilibus confluebant, auxilium sibi deinceps ut regi & domino cum juramentis affirmantes. Multi ex his fidem violare ob timorem Domini non præsumentes paululum evaserunt, & ad civitatem *Hesseburg*, quo consocii eorum adversus Ducem jam palam conspirantes conveniebant, festinavere: Quorum hæc sunt nomina. Ex oriente hi Comites cum *Bernhardo* Duce & *Thiedrico* Marchione, *Ekkibard, Bio, Esico, Bernvvardus* Comes & clericus, *Sifrith* ejusque filius *Fridericus* & *Ciazo* confratres. Conprovincialium autem *Thiedricus* & *Sibert*, confratres, *Hoico, Ekkibard* & *Bezico*, germani, *Brunig* & sui, militesque sancti Martini jussu Archipræsulis Willigisi, quibus adhærebat occidentalium maxima multitudo. Quod Dux comperiens, suos magnis muneribus ditatos cum gratia dimisit, ipse autem cum valida manu ad perturbandam hanc conjurationem, seu pacificandam, ad *VVerlu* properans, *Popponem* misit Episcopum, ut adversantes sibi disjungeret, vel reconciliare tentaret. Qui cum cœpto itinere persisteret hostes congregatos, jamque Ducem petere paratos, inveniens, vix pacem mutuam, in loco qui *Sensum* dicitur, ad condictum pepigit diem: ad quem Dux in Bavariam continuo proficiscens, cum venire aut noluisset, aut propter *Henricum* Ducem, qui tunc *Bavariis* atque *Carentis* præfuit, munere præfati Imperatoris, non potuisset, hostilis immanitas urbem Comitis *Ekberti*, quæ *Ala* dicitur, possedit, destructisque protinus muris intrantes ad *Adelheidem*, Imperatoris filiam, quæ hic nutriebatur, cum pecunia ibi plurimum collecta rapiunt, gaudentesque redeunt. Dux autem conversus ad se, omnibus Bavariorum Episcopis, Comitibusque nonnullis, Francorum terminos, his fretus sociis, & in pascuis, ad *Wesenstat* pertinentibus, ad alloquendos regionis illius Principes consedit. Magontinæ tunc provisor Ecclesiæ *Willigisus*, cum Duce *Conrado* cæterisque optimatibus huc venit. Hos Dux quibuscunque valuit modis sibi conjungere tentans, eosque à promissa regi suo cum sacramentis fide nunquam vita comite recessuros unanimi eorum responsione percipiens, coactus est futuri timore duelli cum juramentis affirmare, ut III. Cal. Julii ad locum, qui *Rara* vocatur, veniret, puerumque matri suæ, illisque, redderet. Tunc unusquisque remeavit ad sua, mente diversa præ gaudio atque tristitia. Posthæc *Henricus Bozlauum*, Ducem Bojemorum, in cunctis suimet necessitatibus semper paratum, cum suis adiit, honorificeque ab eo susceptus, cum exercitu ejusdem à finibus suis per *Niseni* & *Deleminci* pagos usque ad *Mogelini* ducitur. Deindeq; cum nostris obviam sibi pergentibus ad *Medeburum* proficiscitur. *VVagio* vero miles Bolislai, Ducis Bojemorum, qui Henricum cum exercitu comitabatur, cum ad *Misni* redeundo perveniret, cum habitatoribus ejusdem pauca locutus, *Fridericum*, *Rigdagi* Marchionis, tunc in Merseburg commorantis, amicum, & satellitem, ad Ecclesiam extra urbem positam venire, ac cum eo loqui, per internuntium postulat. Hic ut egreditur porta post eum clauditur, & *Rigdagus* ejusdem civitatis custos & inclytus miles juxta fluvium, qui *Tribisa* dicitur, ab his dolosè occiditur. Urbe autem prædicta Bolizlaui mox præsidio munita, eundem cito dominum & habitatorem suscepit. A quo *Volcoldus* antistes vulgi instinctu varii expellitur, & ad *VVilligisum* Archiantistitem veniens, benigne ab eodem suscipitur. Hunc enim pro filio Episcopus nutriit, & cum ad (a) Eoas ordinaretur regiones, secundo Ottoni, cui magisterio præfuit, diligenter vice sui habendum commendavit. Hoc semper iste in animo tenuit ac maximo honore cognovit, & tunc adprime, cum sibi fuit necesse: & in *Erfordia*, quo ipse desideravit, procurari eundem summopere jubet. Ibi diu conversatus, post mortem *Rigdagi* Marchionis inclyto *Ekkibardo* succedente, & *Bolizlauo* ad propria remeante, sedem propriam revisit: posteaque Bolizlaui amicitiam firmiter acquirens, cum in Praga cœnam Domini celebraret, posteraque die, quæ est Parasceve, cum memoriam, (b) divinæ passionis rite perageret, paralysi perculsus, asportatur, & in hac infirmitate usque ad finem hujus vitæ, quamvis ad tempus convalesceret, permansit. Sedebat XXIII. annos, x. Cal. Sept. ex hujus carnis ergastalo eductus. In hujus vice *Eid*, nostræ congregationis frater vir justus & magnæ simplicitatis, ordinatur, hortatu *Gisileri* Archipræsulis, de cujus inclyta conversatione multa ad ædificationem nostram (c) verba, cum tempus fuerit, narrabo, nunc in cœptis (d) persistens. Interim fautores regis *VVilhelmum* Comitem, Duci nimis familiarem, in *VVimari* possidentes, comperto ejusdem adventu, illo festinant, ac juxta

(a) eas. (b) dominicæ. (c) utilia. (d) insistens.

juxta villam, quæ *Iteri* dicitur, convenientes castra metati sunt, crastino contra eum bellaturi. Quod cum ducem protinus non lateret, *Gisilerum* huc misit Archiepiscopum, qui voluntatem eorum perquireret, pacemque si potuisset ulla fieri ratione, firmaret. Hic cum senioribus congregatis suæ legationis aperiret secretum, dictum est ab his, si regem suum & dominum reddere, nilque de rebus suis præter *Merseburg*, *VValbizi* & *Frasu* ad supra memoratum diem sibi detinere voluisset, idque sacramentis credibilibus approbaret, quod tunc cum securitate eorum ex parte consolidata hinc abire liceret: Sin autem, quod eundi redeundique, nullus vivo patesceret locus. Quid plura? quicquid exposcunt, crastino impetrant, eumque ad *Merseburg*, ubi ductrix *Gisela* longo tristis sedebat abcessu, hi discedentes ire permittunt. Is vero cum fidelibus suis singula quæque discutiens, seque ob Domini timorem, patriæque salutem, à proposito recessurum suo veraciter indicans, grates auxilii suimet & bonæ voluntatis condignas refert, & ut cum illo ad condictum pergerent diem, omnes caritative postulat. Ventum ad *Rara* ab Imperatricibus, in *Papia* humiliter divinam consolationem huc usque præstolantibus, & ab universis imperii ac regni Principibus, fidelisque promissio Ducis completur, data cunctis, qui ad regnum pertinebant, gratia sui, abeundique licentia. Stella à Domino prædestinati Rectoris media die cernentibus universis clara refulsit. Fit unus laicorum atque clericorum in Christi laude concentus, ac prius repugnantium supplex affectus, convenitque in unum dissona turba dominum. Rex à suimet matre aviaque diligenter susceptus; *Hoiconis* magisterio Comitis commissus est. Inter Regem & Ducem pax firmatur usque ad supra memorata *VVesenstat* prata, utrisque sua petentibus. Convenientibus autem his, malorum instinctu in malo discesserunt, sicque multum temporis stetit intervallum. Oritur autem inter hunc & præfatum *Henricum*, qui *minor* dicebatur, magna seditio, qua *Herimanni* Comitis consilio post modum finita, regis gratiam in Francoforti, & ducatum dedititius promeruit. Celebrata proxima Paschalis solennitas in *Quidilingeburg* à rege, ubi quatuor ministrabant Duces, *Henricus* ad mensam, *Conradus* ad cameram, *Hecil* ad cellarium, *Bernhardus* equis præfuit. Hic etiam *Bolizlaus* & *Miseco* cum suis conveniunt. Omnibus ritè peractis, muneribus locupletati discesserunt. In diebus illis Miseco semetipsum regi dedit, & cum muneribus aliis camelum ei præsentavit, & duas expeditiones cum eo fecit. In primo anno regni ejus Antistes Hillinessemensis *Aduvinus*, Cal. Decemb. obiit, & *Osdasus*, ejusdem monasterii præpositus, successit. Quo sedente quinque annos, & tunc exspirante, *Gerdagus* tunc cellarius ordinatur. Et cùm ille tertio ordinationis suæ anno Romam causa orationis petens, reverteretur VII. Id. Decemb. obiit, & corpus ejusdem per singula divisum membra in scriniis duobus ad monasterium suimet à consociis lugubriter delatum est. Hos antistites duos *Gisilerus* Archipræsul casus ibidem adveniens terræ commendavit. Tunc *Bernhardus* magister regis, facta electione, consecratur. Multis bellorum asperitatibus *Slavos* lacessere Rex non desistit. Orientales quoque adversus se præsumentes insurgere, devicit. De occidentali parte, quam plures arma sæpius commoventes, multosque deprædantes, vi & arte is superare contendit. Pueritiam non est opus numerare, longumque videtur, quæ pro prudentibus is effecerit consiliatoribus, enarrare. Cometa apparens damna in pestilentiis subsequutura indixit. Imperator *jam factus vir*, ut ait Apostolus, *evacuavit quæ erant parvuli*, semperque Merseburgensis destructionem Ecclesiæ deflens, quomodo hæc revocaretur, sedula mentis intentione volvebat, & quamdiu in corpore vixit, hoc votum perficere studuit monitis piæ matris. Quæ talia, ut mihi meimet *Suith* post retulit, sicut ab ipsa percepit, in somnis vidit. Apparuit ei intempestæ noctis silentio sanctus Christi athleta Laurentius, dextero mutilatus brachio: *Cur*, inquiens, *quis sim*, *non interrogas*: & illa *non audeo*, infit, *domine mi.* Ille autem persequitur: *Ego sum* dicens, & nomen innotuit. *Quid in me modo ipsa consideras*: *Tuus effecit senior, ejus persvasu seductus*, cujus *culpa electorum Christi magna multitudo discordat.* Posthæc nati suimet commisit fidei, seu vivente Gisilero, seu moriente fieri potuisset, redintegrato Episcopatu, patris sui animam in novissimo die ad æternam requiem renovaret. Hæc quamvis sexu fragilis, modestæ tamen fiduciæ, & quod in Græcia rarum, egregiæ conversationis fuit, regnumque filii ejus custodia servabat virili, demulcens in omnibus pios, terrensque ac superans erectos. De fructu ventris sui decimas domino obtulit filias suas, ad Quidilingeburg *Adelheidam* nomine, alteram ad Gandersheim, quæ *Sophia* dicitur. Eo tempore *Miseco* & *Bolizlaus* inter se dissonantes, multum sibi invicem nocuerunt. Boleslaus Luiticios, suis parentibus & sibi semper fideles, in auxilium suum vocat: Miseco autem prædictæ Imperatricis adjutorium postulat. Quæ cum tunc in Magdeburg fuisset *Gisilerum*, ejusdem Archiepiscopum, Comitesque hos *Ekkihardum* & *Esiconem*, *Binizonem* cum patre meo & ejus æquivoco *Brunone*, *Deudone*, cæterisque compluribus eo misit. Qui proficiscentes vix cum quatuor legionibus ad pagum *Selpuli* dictum venerunt; ac juxta unam paludem, supra quam pons longus porrigitur, consederunt, & ecce in noctis silentio

tio unus ex sociis *VVillonis*, qui pridie ad perspiciendum suimet prædium præcedens, à Bohemis captus, evadens periculum imminens, *Binizoni* primo indixit Comiti. Tunc nostri ejus admonitione celeriter surgentes, se præparant, & in ipso jam venientis auroræ crepusculo missam audiunt, quidam stando, & alii super equos sedendo, & in ortu solis exeunt è castris, solliciti de eventu futuri certaminis. Tunc Bolizlauus cum suis venit turmatim III. Id. Julii, & utrinque nuncii mittuntur, & ex parte Bolizlai quidam miles, *Flopan* nomine, ad perspiciendum agmen nostrorum accessit, & reversus inde interrogatur à Domino *qualis esset exercitus hic, si cum eodem potuisset pugnare, an non*. Hortabantur enim hunc satellites sui, ut nullum de nostris vivum sineret abire. A quo sic ei redictum: *Exercitus hic quantitate parvus, qualitate sua optimus, & omnis est ferreus, pugnare cum eo tibi potis est: Sed si tibi hodie victoria evenit, sic prosterneris, ut fugiendo Misconem inimicum, tunc continuo persequentem, vix aut nequaquam evadas, & Saxones tibi hostes in perpetuum acquiras: si autem victus fueris, finis est de temetipso & de omni regno ad te pertinenti: non enim remanet spes ulla resistendi inimico te undiq; secus vallanti.* Talibus alloquiis furor illius sedatur, & pace facta, Principes nostros alloquitur, ut qui contra eum huc venirent, cum eo ad Misceonem pergere, & in restituendis suimet rebus se apud Misceonem adjuvare voluissent. Hoc laudabant nostri, & *Gisilerus* Archipræsul cum *Ekkihardo*, *Esicone* & *Bimizone* Comitibus proficiscebatur cum eo, cæteris omnibus domum cum pace revertentibus. Advesperascente jam die, his omnibus arma sumuntur & mox cum juramento firmatis redduntur. Venit Bolizlauus cum nostris ad Oderam ad Mesiconem nuntius mittitur, qui diceret, *se in potestate sua auxiliatores suos habere, si regnum sibi ablatum redderet, hos incolumes abire permitteret; sin autem omnes perderet.* Sed Miseco his talibus respondit: *si voluisset rex, suos acquireret salvos, aut ulcisci perditos faceret, & si hoc non fieret, quod propter eos nil omnino perdere voluisset.* Hoc Bolizlauus ut accepit, salvis omnibus nostris, quæcunque potuit, ex locis circumjacentibus prædatur, ac incendit. Inde reversus urbem unam nomine possedit, & hanc cum domino ejus, urbanis nil repugnantibus, acquisivit, eundemque Luiticis ad decollandum dedit. Nec mora hæc hostia ante urbem offertur & de reversione ab omnibus tractatur. Tunc Bolizlauus sciens nostros ex parte Luiticorum incolumes non posse domum sine eo pervenire, crastino dimisit eos crepusculo, ut admoniti fuerant, multum properantes: Quod ut prædicti hostes compererunt, pone sequi maxima electorum multitudine mox nitebantur. Quos Bolizlauus vix compescuit talibus: *Vos qui in meum huc venistis auxilium, videte ut hoc perficiatis bonum, quod incepistis, pro certo scientes, quod hos, quos in fidem suscepi meam, & in bona pace dimisi, vita superstite mea, nullum hodie patior perpeti malum. Non est nobis honor, nec consilium, hactenus amicos familiares nos nunc efficere manifestos hostes. Scio magnam inter vos esse inimicitiam, & hanc ulcisci, eveniunt vobis tempora his multo aptiora.* His sedati eloquiis Luitici, duos ab eo ibidem dies detenti, & tunc invicem salutantes, antiquumque fœdus renovantes, discesserunt, & tunc illi infideles, qui nostros insequerentur, quia pauci erant, ducentos milites elegerunt: Quod nostris mox à quodam *Hudonis* Comitis satellite intimatum. Unde in ipsa accelerantes hora, domino gratias, ad Magdeburg incolumes pervenerunt, hostibus se in vanum sic laborantibus. Id ut primitus audivit, prosperitati eorum arrisit Imperatrix. Sed quia de optima ejus conversatione parum mihi ad notitiam venit, ideo superius strictim de immensa eius nobilitate explicui. Hæc occidentales tunc inhabitabat regiones, quæ hoc nomine merito dicuntur, quia ibidem sol & omnis æquitas cum obedientia & charitate mutua in occasum se vergit. Nox nihil aliud est, nisi umbra terræ, (e) & hoc totum quod indigenæ isti operantur, nil nisi peccatum. Hic prædicatores sancti in vanum laborant, hic reges & cæteri Principes modicum valent. Prædones & justi persecutores dominantur. Multa sanctorum corpora in partibus his requiescunt: sed habitatores hos, ut video, spernunt prævaricantes. Sed ne quis me Crispini discipulum lippi esse arbitretur, de his sileo: Quia ob inlicitas conjunctiones, aliasque ineffabiles (f) versutias, hos prope interitum esse non dubito. Innumeras antistitum excommunicationes spreverunt, & propter hoc stare diu non poterunt. Hoc tantum unà mecum quæso, Christi fideles, orate, ut hi mutentur in melius, & ad nos nunquam veniat talis usus. Nunc autem de fine Imperatricis prædictæ loquuturus, quæ hunc præcesserint signa, narrabo. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXIX. sol defecit XII. Calend. Nov. v. diei hora. Sed cunctis persvadeo Christicolis, ut veraciter credant, hoc non aliqua malarum incantatione mulierum, vel ausu, fieri, vel hunc aliquo modo seculariter adjuvari posse, sed sicut Macrobius testatur, cæterique sapientes fieri asserunt, est id de luna. In sequenti anno consummato in bonis vitæ suimet cursu in Numagen *Theophano* infirmatur Imperatrix, atque ab hac vita XVII. Cal. Julii

(e) per quam perfidarum peccata intelliguntur. (f) malitiæ.

Julii discedit, sepulta ab *Evergero*, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in monasterio sanctæ Pantaleonis, quod datis impensis *Bruno* Archipræsul ibi requiescens construi præcepit, præsente filio, ac multa pro remedio matris his confratribus largiente. Quod cum inclyta Imperatrix Adelheidis comperiret, tristis protinus effecta, regem tunc VII. annos regnantem visitando consolatur, ac vice matris secum tamdiu habuit, quoad ipse protervorum consilio juvenum depravatus tristem illam dimisit. Huic benè nata virtutibus (g) ornanti pater meus Comes *Sigfridus* domi militiæque fideliter servivit & in expeditione ad *Brandeburg*, qua ultimo militavit, ab equo cadens, valido corporis dolore fatigari cœpit. Sensit insuper octavum sibi adesse annum, sic ei in somnis præsignatum. Dormiens namque in Colonia, his suscitatur denuo verbis, *Sigefride, vigila, & ab isto die post octo annorum curricula vitam te hanc finire præsentem, pro certo scias.* Hunc præfinitum diem vigilanti semper animo prævidit, ac quibuscunque virtutum fructibus valuit, præoccupare non destitit. Me autem in *Quidilingiburg* apud suam materteram, *Emnildam* nomine, collocavit; qua paralysi longo tempore laborante, primo litteris bene adhuc instructum sumsit, & *Rigdago* Abbati II. de sancto Johanne in Magdeburg commendavit. Ibi tres annos ego conversatus, in omnium festivitate sanctorum ad Sanctum Mauritium, quia ad altare hoc me dare non potuit, fraternitatis consortio ab eo (h) junctus sum. Proximaque sancti Andreæ natali magnum & valde cunctis acceptabile convivium duos dies peractum est. Inde egressus, & imminente quadragesima in civitate, *VValliblizi* dicta, infirmatus, Idib. Martii defensor patriæ, ac homo (i) verus, utriusque debitum persolvit naturæ. Quem mater sua venerabilis omni probitate, (k) *Mechtildis*, celeriter hunc prosecutura, cum conjuge *Cunegunda* deflet. Namque tanto orbata solatio, cum immenso mœrore diem expectaret extremum, in eodem anno tertio Nonas Decembris fideliter migravit ad Christum. Patruus autem meus, nomine *Luthariu*s, cui æqualiter nobiscum hæc hæreditas contigit, matri meæ antiquum renovans dolorem, multa intulit mala, & quamvis hæc firmæ suimet fidei à matre sua sibi fuerit commissa, tamen omnibus ejusdem bonis eam privare contendit. Quid multis moror? Imperatoris auxilio cuncta ei restituuntur. Interea *Atheldagus* Archiepiscopus Bremensis obiit, & Lievvizo successit, qui Papam *Benedictum*, exulem, à patria suimet, quæ sita in confinio Alpium & Suevorum, huc sequutus erga dominum & regem fide, ad hunc honorem promeruit venire. *Slavi* iterum (l) appetiti subduntur regi, renovatis juxta *Albim* castellis, & in hyeme aqua inundans, & ventus ingens, multum nocuit. Æstas nimia frugibus, & sæva mortalitas hominibus nimis nocuit. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXCI. *Hillibardus* sanctæ Halberstadensis Ecclesiæ venerabilis antistes, qui me baptizavit atque confirmavit, templum Domini, quod ipse à fundamento ædificans, tandem ad unguem usque perduxit, XII. Cal. Novemb. dedicavit. Adfuit ibi tunc Rex cum Imperatrice *Adelheida*, avia ejus & Abbatissa *Mechtildis*, & Archiantistites hi: *Willigisus*, *Gisilerus* & *Lievvizo* cum suis confratribus XVI. Festivitas autem erat eadem Christi confessoris Galli, in cujus monasterio prædictus Præsul edoctus est, & ideo semper studuit in hac celebritate suum perficere desiderium, & tunc (m) inierat XXIV. ordinationis suæ annus. Hunc adjuvit in omnibus fidelis suimet Capellanus *Hildo*, & prudentissimè cuncta disposuit. Omnes Saxoniæ (n) primates hic tunc convenientes caritative suscipiuntur. Nunquam fuerunt antè nec post, ut veraces affirmant, in divinis laudibus, & in negotiis secularibus, omnia plenius cunctisque acceptius peracta. In sequenti anno in gallicantu primo lux ut dies ex aquilone effulsit, & unam sic manens horam, undique cœlo interim rubente evanuit. Fuere nonnulli qui dicerent, eodem anno vidisse se tres Soles & Lunas tres, ac stellas invicem pugnasse. Et posthæc *Ecbertus* Trevirensis Archiepiscopus, cujus successor *Luidulfus* fuit, & *Dedo* Mirgimendensis, post quem *Suitgerus* ordinatus est, (o) *Ero* quoq; Ferdensis, cui *Bernhardus*, tunc ibi præpositus, supponitur, obiere. Fames quoque valida nostras oppressit regiones. In tertio prædictæ dedicationis anno avunculi mei à piratis capti sunt, ut in sequentibus patet. In quarto pestilentia cum fame & bello orientalibus ingruit, & Rex *Abodritos* petit, & *VViltios* vastavit. Posthæc Rex in *Magdeburg* cum suis Principibus colloquium habuit, ad quod *Henricus* Bavarorum Dux inclitus venit, & cum inter hunc & Ratisbonensem Gebehardum longa haberetur contentio, cum bono ibidem finitur consilio, & pius ille Dux, qui omne suimet delictum continuis mundavit eleemosynis, inde pergens ad *Gandersheim*, ubi domina *Gerberg*, suimet soror, erat Abbatissa, ægritudine premitur subitanea, & tunc vocans ad se æquivocum ejus talibus instruit: *Vade celeriter ad patriam, ac dispone regnum, ac nunquam regi ac domino resistas tuo: multum enim me pœnitet hoc unquam fecisse. Patris memor sis tui, quia nunquam* (p) *in hoc seculo videbis:* filioque mox abeunte Dux præclarus in infirmitate sua

(g) adornatæ. (h) convictus. (i) justus. (k) conspicua. (l) superati. (m) ingrat. (n) Principes. (o) Erp. (p) à modo.

sua semper *Kyrie eleison* ex corde clamans, migravit ad Christum V. Calend. Septemb sepultus ibidem in medio Ecclesiæ coram sanctæ crucis altari. Quod cum filius ejusdem compereret, electione & auxilio Bavariorum patris bona apud Regem obtinuit. Eodem anno *Thiedricus*, Comes Palatinus, & Sibertus frater ejus, de hoc seculo transierunt. Ea tempestate nepos meus, Marchio *Henricus*, *Everkerum*, *Berwardi* Wirziburgensis Ecclesiæ Episcopi militem egregium, sed nimis superbum, cepit, & ob illatas sibi injurias in loco, qui *Lindinlog* dicitur excœcavit. Rex autem de internuntiis ab Episcopo, id multum querentibus, comperiens, hocque graviter ferens, prædictum Comitem exilio relegavit, & post hæc gratiam suimet huic dedit, & apud Antistitem digna emendatione reconciliavit. Prædictus Præsul posthæc *Liupoldum* Marchionem orientalium, & nepotem ejus *Henricum* ad Missam sancti Chiliani, quæ est IIX. Id. Julii, ad se vocans, cum magna charitate eosdem habuit, & Comes in sacra nocte post matutinam cum suis militibus ludens, ex uno foramine ab excœcati amico sagitta vallante vulneratus est, & facta confessione VI. Id. Julij expiravit, innocens in facto prædictæ actionis, & in consilio. Hic in postera die ibi sepultus merito defletur, quia sibi prudentiorem & in cunctis actibus meliorem nullum reliquit, Hyems, quæ præcesserat, asperitate & pestilentia, nimioque frigore & vento, ac insolita siccitate, plena erat. In hac devicti sunt Slavi. Sed quia superius destructionem Brandenburgensis Ecclesiæ dixi, nunc qualiter ad tempus præfato subderetur regi, brevi explicabo. Fuit in nostra vicinitate quidam miles inclytus *Kiza* nomine, qui à Marchione Thiedrico, aliter quam sibi placeret, habitus est. Ob hoc, & quia facultas suæ nequaquam impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostros, qui in omnibus sibi nimis fidelem cognoscentes, supra memoratam urbem nobis satius ad nocendum, eidem commiserunt. Hic postea nostris delinitus blanditiis, eam regiæ potestati cum semetipso tradidit. Unde *Luitici* nimiò furore succensi, eum cum omnibus, quas habebant catervas, illico petebant. Interea Rex in *Magdeburg* fuit, & cum hoc comperiret, quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit, *Ekkihardum* Marchionem & tres avunculos meos, *Henricum*, *Vdonem*, *Sigfridum* cum *Friderico* Comite Palatino & patruo meo. Et hi omnes eo cum suis venientes, interrupti sunt ab hostibus, se acriter irrumpentibus, & una pars ex nostris in urbem venit, alia vero quæ remansit, cæsis militibus nonnullis rediit. Tunc Rex collectis undique sociis, illo properat, & hostes nostri magnam vim defensori urbis inferentes, cum ultimam legionem vidissent, cito amoti fugerunt castris. Nostri autem in ereptione interius gaudentes, Kyrie eleison cantant, & advenientes unanimiter respondent.

Munita urbe præsidiis Rex abiit, & eandem in sua potestate diu tenuit. Posthæc *Kiza* ad *Quedelingeburg* cum veniret, civitatem suam cum uxore & satellitibus suis perdidit, quæ omnia urbe excepta post receperunt. Unus autem ipsius miles *Bolitiut* nomine, cujus consilio hoc totum, quamvis tunc absens esset, agebatur, ibidem dominabatur, & Kiza cum in his partibus post latenter nocere voluisset, optimus miles cum suis interfectus est. Et sicut prædixi, tres avunculi mei, *Henricus*, *Vdo* & *Sigefridus* cum *Ethelgero* cæterisq; compluribus, piratis sua depopulantibus IX. Kalend. Julij navibus occurrunt, factoq; invicem certamine, Udo decollatur; Henricus autem cum fratre suo Sigefrido & Comite Ethelgero devictus, dictu miserabile, à pessimis hominum captus deducitur. Hoc infortunium inter Christi fideles, fama volante mox dilatatur. *Bernhardus* Dux, qui proximus fuit, nuntios quam propere misit, qui pretium pro eorundem redemtione eis promitteret, & conveniendi pacifice, ac locum colloquendi peteret. Parati sunt, pacem firmam, (q) & ineffabilem pepigerunt pecuniam. Quid autem ad hæc primo (r) Imperator, deindeque in nostris partibus Christianorum larga benignitas debito humanitatis officio impenderit, explicare non sufficio. Mater autem mea tanto dolore intrinsecus commota, omne quod habuit vel acquirere ullo modo potuit, pro fratrum ereptione attribuit. (s) Execrata vero piratarum turba, cum maximam collectæ pecuniæ partem immenso suimet pondere perciperet, *Henrici* vice filium ejus unicum *Sigefridum* nomine, cum *Garevardo* & *Wulferemo*, Ethelgeri autem loco avunculum ejusdem *Thidricum*, & amitæ suimet filium, *Olef* vocatum, suscipientes, ut quod de promisso eis thesauro adhuc remansit, eo velocius colligeretur, eos abire, *Sigefrido* solum remanente permisit. Hic quia filium non habuit, à matre mea remedium ab uno filiorum suimet postulavit. Quæ tam necessariæ petitioni satisfacere desiderans, nuntium ad Abbatem *Rigdagum* celeriter misit, qui fratrem meum *Sigefridum*, tunc ibi sub habitu monachico degentem, accepta licentia reduceret. Hic quia satis prudens vir fuit, cunctis sollicite perquisitis, injustæ legationi resistit, & propter curam à Domino sibi creditam, quod hoc facere non præsumeret, respondit. Nuncius autem, (t) ut ei visum fuit, ad *Eckihardum*, qui tunc custos

(q) dare. (r) Rex. (s) Execranda. (t) ut ei jussum fuerat.

custos Ecclesiæ S.Mauritii, & magister erat scholæ, veniens, ut me ob rem necessariam matri meæ remitteret; supplex rogavit. Veni, & cum laicali habitu, quo apud piratas debui obses conversari, prioribus adhuc indutus vestimentis V. feria profectus sum. Et in ipsa die *Sigefridus*, de pervigili hostium custodia, qua multum vulneratus detinebatur, sic divino evasit auxilio. Idem in angustia vehementi positus, cum *Nodbaldo* & *Editone*, quomodo evaderet, plurimum semper versans, præcipit hos veloci navicula, quantum his, qui eum detinebant, satis valuisset ministrari de vino ac de cæteris adpertinentibus sibi deferre. Jussis tum sine mora completis, canes avari saturabantur, factoque mane presbyter ad missam paratur, & Comes, cunctis absque custodibus solum hesterno gravatis vino, ad proram lavaturus accedens, puppi paratæ insiluit. Extollitur clamor, (u) presbyter quasi conciliator, capitur, anchoræ levantur, remiges velociter hos fugientes insequebantur. Quos Comes vix evadens, cum littoris securitatem attingeret, ut prius ipse præcepit, paratos invenit equos, & ad civitatem suam *Herseveld*, dictam, ubi frater suus *Henricus*, & uxor ejus *Ethela*, tanti gaudii inscia, fuit, pergere properavit. Hunc hostes pone secuti, urbem quæ littori vicina stabat, *Stethu* nomine, incurrunt, eum curiose in abditissimis quærentes locis, & non invenientes, feminis inaures vi rapiunt, tristesque recedunt. Tali furore omnes succensi crastino clericum & nepotem meum, cum cæteris obsidibus universis, naribus ac auribus & manibus obtruncant, foris eos projicientes in portum. Tunc fugientibus his, unusquisque à suis rapitur, mœrore inaudito insurgente. Ego autem visitatis meimet avunculis, remeavi Christo largiente incolumis, caritative à familiaribus meis (w) susceptus. In illo tempore *Luidolfus*, Augustensis Episcopus venerabilis IIX. Kalend. Augusti obiit, & *Gevchardus* Elabangensis Abbas ordinatur. Interim in quadam villa *Borchtorp* dicta, natus est infans, dimidius homo, posterioribus auro similis, dextram autem & oculum læva minorem habens, dentes croco similes, sinistrum brachium absque IV. digitis solo cum pollice integrum: ante baptismum attonite videns, & post nihil, quarto die moriens. Magnum hoc monstrum facinoribus nostris intulit pestilentiam. Prædictus antistes *Hillibardus*, cum ecclesiam & gregem sibi commissum XXIX. annos gloriosissime verus Israelita regeret, VII. Kalend. Decemb. exspirans, sepultus est extra Ecclesiam, infra claustrum, ubi ipse sibi paraverat domicilium. Et cum confratres ejus in electione convenire non possent, præpositus est his de capella regis *Arnulfus*, & Id. Decemb. ordinatus, sicut ille vir sanctus antecessor ejus, dum adhuc valeret, prædixit, cunctis tunc præsentibus. *Hunc*, inquiens, *hospitem honorate, & quantum potestis illi servite*, providere enim debet in suos post me. Et cum idem jam in agone exitus sui jaceret, vidit gloriam Domini, & vocato ad se Wlfario, suimet Capellano: *Vides*, inquit, *frater aliquid?* & ille, *se nihil vidisse*, respondens audivit ab eo, quod caminata hæc in qua tunc jacebat, & in qua duo antecessores sui obierunt, divina majestate plena fuisset. Et hæc dicens, transivit de hoc carcere ad indeficiens lumen. Rex autem natale Domini in Colonia fuit, & pacificatis omnibus in his regionibus, ad Italiam diu desideratus perrexit, & in urbe *Papia* Paschale peregit festum. Dehinc *Romam* veniens gloriose nepotem suum *Brunonem*, *Ottonis* filium Ducis, in loco Johannis Papæ nuper defuncti, cum omnium laude præsentium constituit. [Statuit: In ascensione Christi quæ tunc erat 12. Kal. Junii anno ætatis suæ XV. regni XIII. Indictione octava ab eodem unctionem Imperialem percepit, & *Advocatus Ecclesiæ Sancti Petri* efficitur. Posthæc vero imperium illud priorum suorum more gubernavit, ætatem suam moribus industriaque vincens. In prima æstate *Adelbertus* Bohæmiorum Episcopus qui nomen quod Wortech sonat in baptismate, aliud in confirmatione percepit, ab Archiepiscopo Parthenopolitano, in eadem urbe ab *Ocbtrico* (*) superius memorato literis instructus; Cum sibi commissos ab antiquæ pravitatis errore, monitis divini præceptis amovere nequivisset, omnes excommunicans, Romam ad excusandum se apud Apostolicum venit, ejusque licentia sub districta Bonifacii Abbatis Regula, humiliter multo tempore conversatus bono deguit exemplo, postquam cum permissu ejusdem Patris *paucorum* (**) mentes à Christo alienas freno sanctæ Prædicationis edomare tentaret, cuspide perfossus nono Kal. Maji capitis abscissione, optavit semper martyrium solus ex suis percepit: absque omni gemitu ut in ipsa nocte in somnis ipse vidit, cunctisque fratribus prædixit: Putabam, inquiens, me missam celebrare, *solumq; communicare*: sed nefandi sceleris autores eum jam expirâsse cernentes ad augmentum sui sceleris, divinæque ultionis corpus pelago mersere beatum, caput sude conviciando figentes ac exultando redeuntes. Quod *Bolislaus Misiconis* filius comperiens data mox pecunia Martyris mercatur inclyta cum capite membra. Imperator autem Romæ certus de hac re effectus, condignas Deo supplex reddi-

(u) Pater. (w) receptus. (*) Magdeburgensi Præsule designato supra 52. Unde credibile fuisse Magistrum Scholarum. (**) Prucorum seu *Prussorum*.

reddidit odas, quod suis temporibus talem sibi per palmam martyrii assumsit famulum: Eo tempore *Bernwardus* Sanctæ Wurziburgensis ecclesiæ jussu Cæsaris ad Græciam missus in Achaia moritur cum maxima sociorum suorum caterva per quam quia plurima Deus faciat mirabilia, plures affirmant. Imperator autem à Romania discedens nostras regiones invisit, & accepta Sclavorum rebellione Stoderaniam quæ Hevellim dicitur, armato petens milite, incendio & magna deprædatione vastavit, & victor Parthenopolim rediit. Ob hoc hostes nostri *Berdangan* (***) turmatim aggressi à nostris sunt devicti. In illo certamine *Ramwardus* Mindensis Episcopus fuit, qui socios arrepta in manibus cruce sua sequentibus signiferis præcessit, & ad hæc facienda potenter consolidavit. In illo die Gardulfus comes cum paucis occubuit, ex hostibus autem maxima multitudo cæteri relicta prædâ fugierunt. *Crescentius* autem Romæ absente Papa prædicto qui post benedictionem *Gregorius* vocabatur, *Johannem* Calabritanum *Theuphano* (****) Imperatricis dilectum comitem & hunc Placentinum Antistitem substituit, & sibi Imperium tali præsumtione usurpavit immemor juramenti & magnæ pietatis ab Ottone Augusto sibi illatæ. Insuper nuncii ejusdem à prædicto invasore capti diligenti custodiæ traduntur. Imperator mox ut hæc audivit, illò properans Domnum Apostolicum sibi obviare per internuncios postulavit. Johannes autem supplantator his appropinquantibus fugit, sed postea à fidelibus Christi & Cæsaris captus linguam cum oculis ac naribus amisit. *Crescentius* verò Leonianum ingressus claustrum Imperatori resistere frustra tentavit. Namque Imperator Dominicam resurrectionem Romæ celebrans post festivos dies instrumenta bellica præparans post Albas domum Diederici ubi ille perversus sedebat, *Eckihardum* Marchionem impugnare jussit: Qui eandem perdius & pernox lacescere non desistens tandem per machinamenta altè constructa ascendit, & eundem decollatum voce Imperatoria per pedes laqueo suspendit, & timorem cunctis præsentibus ineffabilem intulit. *Gregorius* autem Papa cum magno honore inthronizatur, & Cæsar sine omni infestatione deinceps dominatur. Videtur etiam optumum quædam ejusdem temporis facta memorare quæ nonnullis puerilia & multum mirabilia esse videbantur, sed hæc à Deo prædestinata in suis virtutibus agnoscuntur. Vir felicis memoriæ comes profecto *Ansfridus*, vir omni, inquam, bonitate conspicuus dum adhuc esset alto progenitorum germine puerulus cum omni lege mundana à patruo *Ruperto* Trevericæ Civitatis Episcopo tum divina adprime est institutus. Inde à patruo suo scilicet suo æquivoco *XV. Comitatuum Comite* strenuo, Domino *Brunone* Archiepiscopo Agrippinensi traditur ad res militares. Sic bonæ indolis adolescens penes ipsum quotidie proficiebat, donec primi Ottonis Magni Imperatoris Romam cum exercitu jam acquisituri mancipatus est servitio. Qui in initio militiæ ejus injunxit, ut tentorium suum quod adeò pulchrum videbatur quotidie poneret è regione contra Imperiale & spatam suam duceret ut in hoc probaret si Palatinus se agiliter initiaret. Hoc ideò tam gratanter suscepit, quia Psalmos ejus oris dulcissimos hunc per devia quasi delectationis causâ aviculis insidiando sine detritione frequentare occultius potuit. Romam sanè prædicto Cæsare ingrediente non minimum confisus in juvene fecit eum *spataferium* suum, dicens: Dum hodie ego ad sacra limina Apostolorum perorabo, tu gladium continue super caput meum teneto. Nam fidem Romanam antecessoribus nostris sæpius suspectam non ignoro. Sapientis enim est adversa quæq; longè adhuc posita cogitando prænoscere ne forte improvisa valeant superare. Deinde redeundo ad montem gaudii quantum volueris orato. Inde verò reversus abbatiam quæ dicitur *Torna* (*****), de hæreditate propriâ construxit, in qua filiam suam Abbatissam plurimarum Deo devotarum sanctimonialium matrem assensu Pontificis constituit, sanctoque Lamperto pro remedio animæ suæ ex integro tradidit. Hujus verò omnipotentis Dei famulæ quia mentionem fecimus, quod nostris temporibus per eam Dominus operatus est silentio non præteribimus. Hospitalitatis non oblita tantæ dapsilitatis circa egenos & peregrinos extitit, ut quadam die de vino nil sibi vel sororibus beneficentiæ comitationis causa prætermisit, hoc dum celleraria sibi nunciasset, ait: Æquo animo esto cara & confortare. Dei enim gratia satis nobis poterit dare, statimque solito more ante crucem prostrata in oratorio sanctæ Mariæ cepit orare, funditusque vinum in vase pridie exhaustum crescere cepit quoad usque superfluxit, de quo non tantum Sanctimoniales, sed & quam plures diù ad laudem domini biberunt circummanentes vel adventantes. Interea contigit, ut Domina *Heresuint* [al. Hilsuind] Comitissa ipsius scilicet con-

*** Bardangau, in quo Bardevic.

**** Theophanu alias.

***** Aufredum sive Ansfridum Comitem Lovaniensem licentia Notgeri Episcopi Leodiensis fundasse Monasterium monialium in villa Turne, & cum factus ipsemet esset Trajectensis Episcopus, conjugem Hilsuindem ibi constituisse, deinde & filiam Benedictam regimen ibi suscepisse ait Aegidius Aureæ vallis Monachus in addit. ad vitam Notgeri.

conjux reverenda, in curte sua quæ dicitur Gilisa cepit ægrotare, quæ statim velut mortis præsaga futuræ festinavit ire ad *Toma*. Quo dum præ nimio dolore nequiret provenire in domo cujusdam majoris remansit in itinere. Qui sicut ipse nobis retulit, nimiæ ferocitatis canes habuit, quorum latratum ipsa infirma graviter sustinuit. Hospes ut audivit festine precatus ab ipsa, hos libentissime voluit capere vel ad ultimum si potuisset etiam occidere. Horum dum neutrum potuisset mirabiliter accidit, ut nullus eorum postea nequiret latrare donec sancta Dei ancilla obdormivit in pace. Quam secus monasterium communis laboris comes sanctæ simplicitatis in secretario sepelivit. Hujus cameraria multis annis fuit hydropica. Huic visum est in vigilia natalis Domini, quod ad sepulchrum dominæ suæ candelas deberet afferre, quod & fecit. Mox dum matutinæ laudes celebrarentur exivit, solutionem habuit, sana coram omni populo rediit. Post discessum autem dominæ ipsius fælix Comes non de terreni operis casu desperatus, sed in virtutis volatu eo ipso sublevatus mente disposuit, ut monasterialem vitam subiret, sicubi majoris obedientiæ regulam inveniret. Quod dum in exordio per intentionem agitur, à tertio Ottone Imperatore ad Episcopatum Traiectensem per *Notgerum* Leodii Pontificem summa necessitate vocatur. Illud profecto dum audivit capellam Aquensem introiit, & mundi Dominam exoravit, ut si esset à Deo canonicè perficeretur, si non misericorditer annullaretur. Sed postquam *Evergerus* Coloniensis Archiepiscopus suffraganeorum consensu Imperatori sibique in medium consuluit, vellet nollet ad Episcopum acclamatur. Non multo post quinq; curtes de sua proprietate Beato Martino tradidit, fideli inquam fidejussori talionis earum. In senectute ergo sua caligantibus jam oculis ipsius, factus est Monachus septuaginta duos pauperes propriâ manu cottidie pavit. Illorum quippe infirmioribus Camerario præcedente cætus, ipse ab imo vallis ad summa montis balneum portans præparavit in nocte, & mutatoria cæteraque necessaria corporis præbuit, jubens eos in pace recedere, ut sic sua opera obnubilare valeret. In eodem monte Monachorum congregationes ordinavit, à quorum prioribus scopis est sæpius castigatus, dum auderet resistere eorum jussionibus. Quicquid ad ultimum acquirere potuit, pauperum manibus tribuit. *Aviculis* etiam in hyeme manipulos super arbores ad manducandum *intuitu pietatis* in monte suo ponere fecit. Sub chlamydis absconso continuè vestiebatur cilicio. A natali domini usque ad sanctæ crucis inventionem infirmabatur, quo temporis spatio ultra tres panes non manducavit. Appropinquante jam carnis ejus dissolutione, crucem in fenestra, quæ ibi post caligationem oculorum ejus facta fuit, vidit & circumstantibus se videre manifestavit laudans Deum & dicens: In circuitu tuo Domine lumen est quod nunquam deficiet. Tandem sacro sancti viatici perceptione munitus doctus tota expectatione judicem diligere, atque ut ita dixerim timendo præsentialiter retinuit (*) timere perpetualiter; multum in sanctæ Dei genetricis intercessione, cui se suaque dederat confisus. Tamdiu signaculo sanctæ crucis sese signavit, quoad usque obdormiens in pace manu simul & mente quievit. Post cujus obitum Trajectenses nudis pedibus, & armatis manibus venerunt, flentes, orantes & domesticis dicentes: Pro Dei nomine date nobis Pastorem, quo portetur ad suæ sedis tumulum. Quo contra reverendæ vitæ Abbatissa ejus scilicet filia sanctissima cum capellanis & militibus respondit: In eodem loco debet sepeliri, ubi vitâ præsenti à Deo est permissus exui. Perventum est ad hoc, ut armati ex utraque parte periculosissime convenire & plures vita deberent carere, nisi quod Domina Abbatissa se in medio eorum prostravit, & adeo pacem inter illos vel ad momentum rogavit. Interea videbatur militibus quod ex illa parte, qua fratrum fuerant officinæ ab aqua Ema nominata ad montis supercilium ipsius traheret sarcofagum. Quod dum niterentur, corpus à Trajectensibus sustollitur, & levissimè sicut ipsi jurant adhuc ultra aquam ducitur. Sic nutu Domini fortior pars delusa est militum. Post translationem corporis sacri, fragrantia miri odoris percepta est in via, quæ ultra tria milliaria veracissimorum hominum sicut ipsi testantur nares perfudit & pectora. Revocemus ad memoriam quam miserabiliter Giselero Archipræsuli incuria] Sed incuria sua contigit damnum. Imperator ob defensionem patriæ, *Bernaburg* civitatem opere muniens necessario, eam IV. hebdomadas ad tuendum *Gisilero*, commisit. Qui fraude ignota ad placitum à Slavis vocatus cum parva multitudine exiit. Alii namque præcesserunt, & quosdam in urbe reliquit. Ecce autem unus ex consociis ejusdem erumpere à silva hostes prodidit. Congredientibus vero tunc ex utraque parte militibus, Archiantistes, qui curru venit, equo fugit alato, ex suis mortem evadentibus paucis. Slavi victores præda interfectorum VI. Nonas Julii sine periculo potiuntur, & Archiepiscopum sic elapsum esse conqueruntur. Custodivit tamen, quamvis sic lugubriter mutilatus, urbem ad dictum

(*) *Retinuit*, id est, evitavit.

dictum diem Gisilerus, tristisque reversus obviam habuit patruum meimet Marchionem *Lutharium*, cujus curam civitas prædicta tunc respiciebat, firmiterque ei eam committens, abiit. Accessit autem Comes, & ut urbem vidit incendio fumigantem, Archiepiscopum remeare per internuntium frustra petiit. Ipse autem ignem in duobus locis jam alte ascendentem extinguere tentans, cum nihil omnino proficeret, portam hostibus patentem derelinquens, domum mœstus revisit, & accusatus postea apud Imperatorem, imputatam sacramento purgavit culpam. Post IX. dies prædictæ cœdis mater mea, *Cunegunda* nomine, tertia Id. Jul. in civitate *Germeresleva* expiravit. *Ekkihardus* ex nobilissimis Turingiæ australis natalibus hujus genealogiæ ortum ducens, cum gradatim ad virilem pertingeret ætatem, parentelam suimet omnem tam morum quam actuum graviter inclytum honorat. Quia, ut legimus, (x) *dedecorant bene nata culpæ*. Is post multas bellorum asperitates; quas cum patre suo *Gunthero*, ab honore suo diu suspenso, perpessus est, ad gratiam Imperatoris II. Ottonis ad patriam honorificè cum remearet, *Thitmari* Comitis viduam & *Bernhardi* Ducis sororem, nomine *Suonehildam* in matrimonium sibi copulavit, ex eaque primogenitam nomine Luidgerdam, acquisivit filiam. *Lutharius* autem ex clara Turingiæ septentrionalis prosapia editus, cum vir factus esset, ætatem superare virtutibus nitebatur. Cumque secundo multum carus esset Ottoni, ejus auxilio quandam, *Godilam* nomine, ex occidentali regione nobiliter natam, cum licentia Wirdunensis *Wigfridi* Præsulis, consobrini ejus, sibi in conjugem desponsavit & acquisivit, quæ peperit ei in tertio decimo ætatis suæ anno primogenitum, patris sui nomine appellans *VVirinharium*. Sed cum duæ propagines istæ, puer inquam & puella, ex tam nobilissimæ vitis radice emersissent, jamjam paulatim ad maturitatem fructus pertingere inclytis virtutum scalis nitebantur. Sed *Lutharius* Comes & puellæ illius formam, & conversationem bonam primo persensit, qualiter eam consociaret filio suo mentis secreto semper voluit. Et ad ultimum erumpens per fideles internuncios *Ekkihardo*, tunc Marchioni desiderium diu latens aperuit ac celeriter impetravit. Convenientibus tunc in unum familiaribus eorundem, promisit legitime *Ekkihard* Luthario eandem se filio suo daturum in uxorem more suo, & jure præsentibus cunctis optimatibus affirmans. Qui cum tertio *Ottoni* multum placeret, & apud eundem inter alios primates plurimum valeret, nescio qua causa depravatus, pactum firmissimè stabilitum, interrumpere quam maxime conatur. Quod mox *Lutharium* non latuit, & ut hoc non fieret, anxia mente volvebat. Imperatore & *Ekkihardo* pariter tunc in Romania commorante commissa erat Regni istius cura venerabili Abbatissæ *Mathildi*, de qua superius memoravi, in cujus civitate *Quidelingeburg* nuncupata, puella hæc educabatur. Fit publicus in *Dorneburg* Abbatissæ totiusque senatus in unum conventus. Interim *VVirinharius*, ut arbitror, non consilio patris, sed amore virginis, & ob metum manifesti dedecoris, cum confratribus *Henrico, Friderico*, cæterisque militibus optimis, urbem præfatam ascendit, sponsamque suam & reluctantem & clamantem vi auferens cum suis ad *Wallibiki* lætus & incolumis pervenit. Quod cum Abbatissa à certo comperiret legato, graviter commota, cunctis hoc Principibus lacrymis queritur obortis, rogans ac præcipiens, ut armati omnes publicos hostes celeriter insequerentur, ac vi captis seu occisis, virginem sibi reducere conarentur. Nec mora, jussa hæc miles armatus accelerare contendit, & priusquam urbem munitam attingerent, eosdem per compendiosa itineris interruptos, vi capere vel occidere seu effugare anhelavit. Compertum est autem à viatoribus, quod hi, quos insequebantur valida manu, clausisque portis notis jam gauderent præsidiis, nulli patere ingressum, aut velle mori, aut se ibi defendere, & nunquam ulli sponsam reddere. Quo audito admodum tristis effectus revertitur. *Lutharius* autem, & cum eo *Alfricus* senior, milesque comitis *Ekkihardi Thitmarus*, proficiscentes voluntatem sponsæ perquirunt, seque ibidem tunc manere malle, quam reverti, satis certi ab eadem effecti, Dominæ Abbatissæ, cœterisque hæc responsa intimabant. Consulenti tunc de talibus primates Abbatissæ, dictum est ab his, quod sibi videretur optimum in *Magdeburg* fieri conventum: huc sponsum cum contectali venire, auxiliatores quoque omnes, & aut se reos ibi præsentare, aut damnatos fugere, sicque factum. Confluente maxima illuc multitudine *VVirinharius* cum suis cooperatoribus nudis provolvitur pedibus, uxorem reddit, veniam de commissis sibi suisque, auxilio Principum promissa emendatione promeruit. Sed venerabilis in omnibus *Mathildis* finito colloquio *Luiderdam* secum duxit, non pro retentione, sed pro (y) timoris magni confirmatione. Bonæ suimet voluntatis propositum præventu subitaneæ mortis interruptum est. Namque post paucos dies, cum hæc ad locum à Domino sibi paratum veniret continuo infirmata, *Bernvvardum*, sanctæ Hillimessemensis Ecclesiæ tunc Pastorem, vocavit, & accepta ab eo quam postulavit, indulgentia, IIX. Id. Febr. hominem exuit interiorem, sepultaque est in Ecclesia ad caput avi suimet regis Henrici. Hoc funere Imperatrix,

(x) valde mali mores deturpant nobiliores. (y) amoris.

trix, *Adelheidis*, mater ejusdem, supra modum turbata, ad Imperatorem nuncium misit, qui & obitum ejus huic innotesceret, & æquivocam suam, sororem ejus huic succedere postularet. Cæsar piis assensum præbens desideriis, amitæ suimet necem deflet & Abbatiam dilectæ suimet germanæ per *Becelinum* portitorem virga à longe commisit aurea, & ut ab Episcopo benediceretur *Arnulpho*, præcepit. *Adelheidis* autem imperatrix urbem, quæ (z) *Olsa* vocatur, interim ædificans, collectis ibidem monachis, omnibusque perfectis, in eodem anno 16. Cal. Januarii gaudens oppetiit, de quibus orta fuit; Cujus fideli servitio justa recompensans præmia Dominus, ad (a) turbam ejus plurima hodie operatur miracula. Papa quoque *Gregorius* bene dispositis Romæ omnibus II. Nonas Februarij obiit, *Gerberto* sibi mox succedente. Post hæc Imperator *Gisilerum* Archiepiscopum, eo quod duas teneret parochias in synodo accusans Romana, judiciali eum sententia ab officio suspendi, ac per internuncios ab Apostolico eundem illò vocari præcepit. Qui tunc paralysi percussus, cum huc venire nequiret, *Rothmannum* misit clericum, qui juramento, si aliter non crederetur, se excusaret: datis tunc induciis (b) differtur, usque dum Imperator cum comprovincialibus Episcopis hoc discutere valuisset. Postea Cæsar auditis mirabilibus, quæ per dilectum sibi martyrem Dominus fecit *Adelbertum* orationis gratia eo pergere festinavit. Sed cum *Ratisbonam* veniret à *Gebehardo* ejusdem Ecclesiæ antistite, magnifico honore susceptus est, comitantibus secum *Ziazone* tunc patritio & *Roberto* oblationario cum Cardinalibus. Nullus Imperator majori unquam gloria à *Roma* egreditur neque revertitur. Huic *Giselerus* obviam pergens gratiam ejus, quamvis non firmam, promeruit; & comitatur. Cæsar autem ad *Cicensem* perveniens urbem, à secundo *Hugone* ejusdem sedis provisore tertio, ut decuit Imperatorem, suscipitur. Deindeque recto itinere *Misnensem* tendens ad civitatem, à venerabili *Egedo*, hujus Ecclesiæ Episcopo & à Marchione *Ekkihardo*, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Decursis tunc *Milcieni* terminis, huic ad *Diedessi* pagum primo venienti, *Bolizlaus*, qui *major laus* non merito, sed more antiquo, interpretatur, parato in loco, qui *Ilua* dicitur, suimet hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæsar ab eodem tunc susciperetur, & per sua usque ad *Gnesin* deduceretur, dictu incredibile ac ineffabile est. Videns à longe urbem desideratam, nudis pedibus suppliciter advenit & ab Episcopo ejusdem (c) *Vngero* venerabiliter susceptus, Ecclesiam introducitur, & ad Christi gratiam sibi impetrandam, martyris Christi intercessio profusis lacrymis invitatur. Nec mora, fecit ibi Archiepiscopatum, ut spero legitime, sine consensu tamen præfati præsulis, cujus dioecesi omnis hæc regio subjecta est, committens eundem prædicti martyris fratri *Radimo*, eidemque subjiciens *Reinbernum* sanctæ *Cholbergiensis* Ecclesiæ Episcopum, *Papponem* Cracuensem, *Johannem* Wiotisläensem *Vngero* Posnaniense excepto, factoque ibi altari, sanctas in eo honorifice condidit reliquias. Perfectis tunc omnibus Imperator à præfato duce magnis muneribus decoratur & quod maxime sibi placuit trecentis militibus loricatis. Hunc abeuntem *Bolizlaus* comitatu usque ad *Magdeburg* deducit egregio, ubi palmarum solennia celebri apparatu peracta sunt. Secunda feria Archiepiscopus ejusdem loci Imperatoris edicto priorem suscipere sedem rogatus, data internunciis magna pecunia inducias ad *Quidelingeburg* vix impetravit. Fit illuc magnus Senatorum concursus, paschalia etiam ibi peraguntur gaudia, & habita II. feria synodo, iterum *Gisilerus* vocatur. Hic infirmitate oppressus valida, à prædicto excusatur *Rothmanno*, & in multis à *Waltherdo* tunc præposito defenditur. Indicitur hinc concilium in *Aquisgrani*, quo ipse cum suis veniens iterum ab Archidiacono Romanæ sedis alloquitur, qui sapienti consilio usus, generale sibi postulat dari consilium, sicque indiscussa dilatavit hæc omnia, usque dum hæc Dominus finire dignatus est nostris propitius temporibus. Imperator antiquam Romanorum consuetudinem jam ex parte magna deletam, suis cupiens renovare temporibus, multa faciebat, quæ diversi diverse accipiebant. Solus ad mensam quasi semicirculum factam, loco cœteris eminentiori sedebat. *Caroli* Cæsaris ossa, ubi requiescerent, dum dubitaret, rupto clam pavimento, ubi ea esse putavit, fodere, quousque hæc in solio inventa sunt regio, jussit. Crucem auream quæ in collo ejus pependit, cum vestimentorum parte adhuc imputribilium sumens, cætera cum veneratione magna reposuit. Sed quid memorem singulos ejusdem accessus & recessus per omnes suimet episcopatus & comitatus? Cunctis apud transalpinos bene depositis, Romanum visitavit imperium, Romuleasque pervenit ad arces. Vbi ab Apostolico, cæterisque coëpiscopis magnis laudibus suscipitur. Post hoc *Gregorius*, qui Cæsari valde charus erat dolo eum capere nisus occultas tendebat insidias. Quibus collectis & ex improviso adversus eum jam insurgentibus, Imperator de porta, cum paucis evasit, maxima suorum caterva sociorum inclusa, & vulgus nunquam suis conten-

 tum

(z) *Celsa* [In basilica autem Salinensi, (Selz) quam ipsa S. Petri nomine construxerat, *tumulatam* ait Chronicon Saxonis Anonymi.] (a) tumbam. (b) causa hæc. (c) Posnaniensi.

tum dominis, malum huic pro ineffabili pietate restituit. Dehinc nuncio suimet omnes Cæsar sibi familiares convenire illuc rogat, & præcipit, demandans singulis quibusque, si unquam de honore sui vel incolumitate curarent ad ulciscendum eum, ac amplius tuendum, armato ad se milite properarent. Romani autem manifestati tunc, sceleris culpa erubescentes, seque invicem supra modum redarguentes omnes inclusos emisere securos, gratiam Imperatoris, & pacem modis omnibus suppliciter expetentes. Quos ubicunque vel in ipsis, vel in rebus suis Cæsar lædere potuit, verbis eorundem mendacibus diffidens, nocere non tardavit. Omnes Regiones quæ Romanos & Longobardos respiciebant, suæ dominationi fideliter subditas, Roma solum, quam præ cæteris diligebat, ac semper excolebat, excepta, habebat. Conveniente tunc cum *Heriberto*, sanctæ sedis Agrippinæ Archiepiscopo, plurima fidelium turba, Imperator lætatur, & quamvis exterius vultu semper hilari se simularet, tamen conscientiæ secreto plurima ingemiscens facinora, noctis silentio, vigiliis orationibusque intentis, lacrymarum quoque rivis abluere non desistit: sæpenumero omnem hebdomadam, excepta (d) v. Febr. Jejuniis perducens. In eleemosinis valde largus extitit. Appropinquantem ejus (e) obitum multa pervenere importuna. Namq; nostri duces & comites, non sine conscientia Episcoporum multa, contra eum conspirare nituntur, *Henrici* Ducis, postea successoris sui, ad hoc auxilium postulantes. Hic ultima patris suimet & æquivoci monita, qui in *Gandersheim* obiit, ac requiescit, memori servans in pectore, & sibi hactenus in cunctis fidelis, nullum his præbuit assensum. Imperator hoc statim comperiens, & patienti ferens animo in paterna urbe pustellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpentibus, infirmatur. Qui facie clarus, ac fide præcipuus, IX. Cal. Febr. Romani corona imperij exivit ab hoc seculo, suis insuperabilem relinquens mœrorem, quia tempore eo non fuit ullus largior ac per omnia clementior illo. Alpha & O (f) miseratur tribuens pro parvis magna pro temporalibus sempiterna. Hi autem, qui extremis ejus intererant, hæc tam diu celabant, quoad exercitus undique tum dispersus per internuncios colligeretur. Tunc tristis turba dilecti senioris corpus comitata, magnas bellorum asperitates VII. dies continuo perpessa est, nullaque securitatis certitudo ab hostibus concessa, nisi tum duntaxat quando ad *Bernam* perveniunt civitatem. Exin cum ad *Pollingum* curtem *Sigefridi* Præsulis Augustani, venirent, ab *Henrico* Duce suscepti lacrymis ejusdem vehementer iterum commoti sunt. Quos singulatim, ut se in Dominum sibi, & regem eligere voluissent, multis promissionibus hortatur, & corpus Imperatoris cum apparatu Imperiali, lancea duntaxat excepta, quam Heribertus Archipræsul clam præmittens, suam sumsit in potestatem, habet honorifice. Archiepiscopus autem custodia parumper detentus, relicto ibi pro vadimonio suimet fratre, cum licentia abiit, ac sacram mox lanceam remisit. Is cum omnibus, qui huc Imperatoris funus sequebantur, excepto antistite *Sigefrido*, Duci tunc non consentiebat, neque omnino (g) denegabat, sed quo melior & major populi totius pars se inclinaret libenter assensurum pronunciabat. Dux vero cum his Augustanam attingens urbem dilecti senioris intestina duabus laguncul is prius diligenter reposita in oratorio sancti Præsulis *Othelrici*, quod in honorem ejus *Luidulphus*, ejusdem ecclesiæ Episcopus, construxit, in australi parte monasterii sanctæ martyris Afræ sepulturæ honorabili tradidit & ob animæ remedium suæ centum mansos propriæ hæreditatis concessit. Deindeque dimissa cum pace magna multitudine, ad civitatem suam quæ *nova* vocatur, corpus Cæsaris prosequitur. Posteaque ab æquivoco suimet *Henrico*, cujus sororem vivente Imperatore jam duxit, suppliciter exoratus, tandem corpus, valedicens singulis, ad loca destinata dimisit. Interim Principes Saxoniæ, comperta (h) senioris sui nece immatura, ad Frasam curtem regiam, quam tunc *Guncelinus* Comes ex parte Imperatoris in beneficium tenuit, tristes conveniunt. *Gisilerus* Archiepiscopus Magdeburgensis cum coëpiscopis, *Bernhardus* Dux, *Luthurius* & *Ekkihardus* ac *Gero* Marchiones, cum optimatibus regni, de statu Reipublicæ tractantes. Comes autem *Luthurius*, ut pro primo persensit, *Ekkihardium* se velle exaltare super se Archiepiscopum prædictum, meliorem procerum partem in secretum foras vocavit colloquium, hoc omnibus dans consilium, ut juramento firmarent, se nullum sibi Dominum vel Regem communiter vel singulariter electuros ante constitutum in *VVerle* colloquium. Quod ab omnibus laudatum excepto *Ekkihardo*, & (i) collaudatum. Hic se paululum à regni fastigio dilatum graviter ferens erupit: *O Lothari Comes, quid adversaris?* &, ille: *num currui tuo quartam deesse non sentis rotam?* Sic interrupta electio, & vera antiquorum relatio, quod unius noctis intermissio, fiat unius anni dilatio, & illa usque in finem vitæ hujus prolongatio. Tempore prædicti Cæsaris monasterium in *Hillesleva* à *Slavis* combustum est, eductis sanctimonialibus, & eodem die multi ex nostris sunt interfecti. Equidem ab incepto multum devians, tandem revertar, exequias Imperatoris succincte perstringens. Cujus corpus, cum

(d) quinta feria. (e) terminum. (f) misereatur eo. (g) non. (h) Imperatoris sui morte. (i) constitutum.

cum ad *Coloniam* veniret primum susceptum est ab Archiepiscopo ejusdem civitatis *Heriberto* ad monasterium sancti *Severini* post palmas, II. feria ad Sanctum Pantaleonem, III. defertur feria ad sanctum Gereonem, IV. die in cœna Domini ad sanctum Petrum portatur, ubi pœnitentibus more Ecclesiastico introductis & indulgentia resolutis animæ præsentis corporis ab Archipræsule remissio datur, à consacerdotibus autem memoria exposcitur, lacrymabiliter autem à populo supplice impenditur. VI. feria illucescente funus elevatum ad *Aquasgrani* sancto perducitur in sabbatho, die vero Dominica in Ecclesia sanctæ Mariæ semper virginis in medio sepelitur choro. Impensa ab eo cunctis pietas, obnixæ orationes, fletusque suasere perducere concrepantes Dominicæ resurrectionis festa angelorum ac hominum gaudia, communiter gratulabunda; sed propter fragilitatem convenientium non valuerunt digna veneratione compleri: quia peccatis hoc promerentibus suis agnoverunt pariter vindictam divinam. Acquirat animæ istius veniam cum lacrymis, quicunque sit professione fidelis in domino, quod is nostram renovare studuit ecclesiam conatu mentis summo. Percipiat in terra viventium semper adoptatam communionem piorum, (k) cum bonis domini indefectivis, qui semper studuit (l) misereri miseris. Maxima pars procerum, qui his interfuerunt exequiis *Hermanno* Duci auxilium promittunt ad regnum (m) acquirendum & tuendum, *Henricum* mentientes adhuc non esse idoneum propter multas causarum qualitates. *Longobardi* autem audito Imperatoris discessu, de futuris nil soliciti, neque de dignis pœnitentiæ fructibus cupidi *Harduvigum* sibi in regem elegerunt, destruendi potius gnarum (n) artis, quam regendi, ut in divino judicio ipsis post claruit, hujus rei authoribus. Sed hæc posterius exponenda relinquens, ab eo incipiam scribere, qui pietate divina, & virtute sua omnes se adversum se unquam erigentes humiliavit, & cervice flexa sibi honorem impendere coëgit. Et hic quintus in ordine, secundus in nomine, notet quinti titulum libri. Et quia omne quod in hujus planicie operis adscribendum est ordinatim, ponere nequeo in consequentibus sensim recolligere equidem non erubesco. Iterantis enim varia vicissitudine fruor, qui rectæ semitæ ductum, nunc ob asperitatem, interdum autem propter ignorantiam flexuosa callium varietate mutat. Unde *Misiconis* Poleniorum inclyti Ducis & in superioribus libris ex magna parte signati (o) residuum explico factum: Hic à *Bohemia* regione nobilem sibi uxorem senioris *Bolizlavi* duxerat sororem, quæ sicut sonuit in nomine, apparuit veraciter in re. *Dobravva* enim Slavonice dicebatur, quod latino sermone *bona* interpretatur. Namque hæc Christo fidelis, dum conjugem suum vario gentilitatis errore implicitum esse perspiceret, sedula revolvit angusta mentis deliberatione, qualiter hunc sibi sociaret in fide & omnimodis placare contendit: non propter triformem mundi hujus nocivi appetitum, quin potius propter futuræ mercedis laudabilem, ac universis fidelibus nimis desiderabilem fructum. Hæc sponte sua fecit male ad tempus, ut postea diu operari valuisset bene. Namque in quadragesima, quæ conjunctionem prædictam proxima sequebatur, cum à se abstinentia carnis, & afflictione corporis sui decimationem domino acceptam afferre conaretur, dulci promissione à viro suimet propositum frangere rogatur. Illa autem ea ratione consensit, ut alia vice ab eodem exaudiri facilius potuisset. Quidam dicunt, eam in unam carnem manducasse quadragesima, alii vero tres. Audisti nunc, lector, delictum ejus, modo considera fructum elegantem piæ voluntatis illius. Laboravit enim pro conversione conjugis sui. Ac exaudita est à benignitate conditoris sui: Cujus infinita bonitate persecutor suimet studiosus resipuit, cum crebro dilectæ uxoris hortatu, innatæ infidelitatis toxicum evomuit, & in sacro Baptismate nævum originalem detersit, & protinus caput suum & seniorem dilectum, membra populi, hactenus debilia, subsequuntur, & nuptiali veste recepta inter cæteros Christi adoptivos numerantur. *Jordan*, primus eorum antistes, multum cum eis sudavit, dum eos ad supernæ cultum vineæ, (p) sed vel verbo & opere invitavit. Tunc congratulantur legitime conjugati, prædictus mas & nobilis fœmina, illisque subdita omnis familia gaudet, se in Christo nupsisse. Post hæc peperit bona mater filium longe sibi degenerem & multarum perniciem genetricum: quem fratris sui nomine *Bolizlaum* appellavit, hunc inquam, qui in eadem primo latentem malitiam aperuit, deindeque in viscera sœvit, ut in sequentibus à me manifestum fit. Sed cum mater ejusdem obiret, pater ejus unam sanctimonialem de monasterio, quod *Calva* dicitur *Thiedrici* Marchionis filiam, atque canonica autoritate duxit. *Oda* fuit nomen ejus & magna erat præsumptio illius. Spreverat enim sponsum cælestem, præponens ei virum militarem (q) quod cunctis Ecclesiæ rectoribus & maxime Antistiti suimet venerabili, *Hillibardo*, deplicuit. Sed propter salutem patriæ & corroborationem pacis necessariæ, non venit hoc ad dissidium, sed reconciliationis continuæ remedium salubre. Namque ab ea Christi servitus omnis augebatur, captivorum

(k) cum bono indeficienti. (l) clemens. (m) appetendum. (n) arcis destruendæ quam regendæ, ut ex divino. (o) residua explicabo gesta: Misceo Dux inclytus à Bohemia. (p) sedulis verbo & opere invitavit. (q) mortalem scilicet.

vorum multitudo ad patriam reducitur, vinctis catena solvitur, reisque carcer aperitur, & ut spero, ei magnitudo perpetrati facinoris à Domino remittitur, cum in ea tantæ pietatis dilectio cognoscitur. Legimus autem, quod is frustra dominum placare studeat qui inceptæ propositum nequitiæ omnino non abjiciat. Hæc genuit viro suimet tres filios, *Misceconem*, *Suentepultum* & *Bolizlaum*, cum magno honore ibi degens usque ad finem viri, accepta, cum quibus fuit, & proficua, de quibus venit. Sed anno Dominicæ incarnationis DCCCCXCII. regni autem tertii Ottonis octavo hic præfatus Dux jam senex & febricitans, ab exilio ad patriam (r) transit, relinquens regnum suimet plurimis dividendum, quod postea filius ejusdem *Bolizlaus*, noverca (s) & fratribus expulsa, excæcatisque familiaribus suis Odilieno atque Pribuvojo vulpina calliditate traxit in unum. Hic ut tantum solus dominaretur, jus ac omne fas postposuit. Duxit hic *Rigdagi* Marchionis filiam, postmodum dimittens eam, & tunc ab Ungaria sumsit uxorem, de qua habuit filium Bespreri nomine, similiter expellens eam. Tertia fuit (t) Connildis, edita à venerabili seniore *Dobremiro*, quæ Christo fidelis ad omne bonum instabilem conjugis sui mentem declinavit, & immensa eleemosynarum largitate & abstinentia utriusque maculas abluere non destitit. Peperit hæc duos filios, *Misceconem* & alium, quem dilecti senioris sui nomine vocavit, filias quoque tres, quarum una Abbatissa, secunda nupsit *Hermanno* Comiti, tertia filio regis Vulodomiri, sicut dicturus sum. Imperatoris autem prædicti gratia & hortatu, gener Henrici Ducis Bavariorum, *Waic* in regno suimet, Episcopales cathedras faciens coronam ac benedictionem accepit. Nec sileo quoddam miraculum temporibus præfati Cæsaris Romæ cœlitus exortum. Nam cum ducis Hermanni milites monachorum sancti Pauli prata vi sua comprehenderent, suppliciter ab his sæpe rogati, discedere noluerunt, & continuo nubes variæ ascendunt fulmina micant, terrorem Dominicum monstrantes. Tonitru terribile protinus subsequitur, ac ex eorum numero optimos quatuor occidens, cæterosque fugans, pauperes Christi in hoc mundo non esse (u) contemptibiles ostendit. Protector enim talium misericors Dominus, & hos honorantes, & in necessitate sua exaudientes, digna retributione provehit, eorumque persequutores aut hic, quod levius habetur, aut in futuro, quod gravius, punit. Cæsaris ejusdem soror *Mathild* nomine, *Hermanni*, Comitis Palatini, filio *Ezonis* nupsit, & hoc multis displicuit, sed quia id non valuit emendari legaliter, tulit hoc unicus frater illius patienter, dans ei quam plurima, ne vilesceret innata sibi à parentibus summis gloria. In temporibus suis *Conradus*, Suevorum Ductor egregius, ac ejusdem frater *Heribertus* Comes, nec non *Hodo* inclytus Marchio, proh dolor, morte momentanea depressi sunt. *Sigefridus* autem prædicti Marchionis filius, in nova urbe, ubi pater suus requiescit, inter Monachos diu in eodem habitu conversatus, cucullam projecit, laicalem suscipiens vestem. Qui ab *Ekkihardo*, Abbate suo & *Gisilero* Archipræsule vocatus ad synodum *Parthenopolin*, venit, & quamvis invitus, pristino habitu indutus judiciali sententia, duodecimus ipse sacramentis exsolvit, exemplo unius, qui Romæ simili sententia se in conspectu præfati Imperatoris purgavit. Patres eorum spirituales plenum super se testimonium habuere, sed judicibus, ut vereor, corruptis, absque omni suimet culpa eosdem perdidere. Memorare etiam mihi libet *Franconis* Episcopi Wormaciensis, brevem vitam, qui juvenis, ac omni probitate elucens Cæsari Augusto placuit, ut cum eundem suæ conjunctum familiaritati in divinis pollere sedulo vidisset, mortuo prædictæ civitatis antistite *Hillebaldo* eidem succedere fecit. Qui unum duntaxat annum sedens, in Italia obiit, ibidem sepultus. Vellem libentissime, si unquam fieri potuisset, ut optimorum quorumlibet memoria per inutilium operam meimet Manuum præsentibus, ac posteris quadam novitate accepta floruisset. Ut hi omnes, etsi hoc non delectati, pro pietate tamen sua apud Dominum Omnipotentem recordentur mei. Agnosco enim memetipsum, & minus quam debeo ac in baculo fragilitate harundinea nil prorsus confidens, justis suffragatoribus me peccatorem supplex committo. Voluit quoque Imperator capellanos suimet *Herponem* de Halberstad ac *Raconem* de Bremen Episcopali gradu sublimare, & his in lecto ob infirmitatem validam jacentibus, pastoralem baculum dedit, sed uterque sine sacerdotali unctione discessit. Quid vero de hoc dici possit, ignoro, cum nunquam de talibus aliquid legi, vel etiam audivi. Cognitor omnium Dominus hæc solus ordinavit, & scire potest. Hi duo, quamvis pii, (w) tamen inter Episcopos non deberent ascribi, quia in benedictione his consortes non valuerunt affici. Raco autem jussu dilecti senioris sui ossa supra dicti Papæ Benedicti, sicut ipse prælocutus est, de *Hamburg Romam* (x) reduxit. Namque Pater venerabilis, Dominus inquam Apostolicus, dum in exilio esset in Christi servitio studiosus, & adhuc aquilonaris, (y) hæc pars optata pace gauderet, *Hic*, inquit, *fragile corpus meum debet resolvi: Et post hæc omnis ista regio gentili gla-*

(r) cælestem transivit. (s) & tribus fratribus expulsis. (t) Erminildis. (u) contemnendos. (vv) & justi. (x) revexit. (y) plaga optata.

gladio desolanda, feris& inhabitanda relinquitur, & ante translationem meam non videbit indigena pacem firmam: quandocunq; vero domi resideo, Apostolica intercessione paganos quiescere spero. In tempore præfati Cæsaris multi obiere pii, quorum vitam ignoro ac propterea de his sileo, de quorum numero quædam Comitissa, nomine *Christiana*, prædii suimet, quod in Sturui civitate habuit magnam partem sancto tradidit Mauritio in Magdeburg. Hæc vitæ hujus celerem cursum cum in Christo vivens pertransiret, 8. Idus Martij ad diu optati thalamum sponsi gaudens venit: quod *Gislero* Archipræsuli tunc Parthenopolitano in *Quidilingeburg* tunc moranti sic manifestatum: Apparuit ei quidam vir, dicens ei, *scis ne quod omnis militia cœlestis exercitus se preparat ad adventum Christo fidelis anima, ac ad condignam susceptionem talis sponsæ.* Jam enim venit ad remunerationem atque ad æternæ mansionis beatam spem. Qui cum evigilaret, *Waltherdo* tunc Præposito primitus innotuit, & cum is venerabilem Matronam ex hac luce eadem nocte, qua hæc visa sunt, migrasse mox audiret, seniori refert, & visionem suam dixit esse completam. Hæc bona quæque conscientiæ (z) legens secreto suæ, fuit cæteris matronis, quæ apud modernos sunt, longe dissimilis, quarum magna pars membratim (a) injuste circumcincta, quod venale habet in se cunctis amatoribus ostendit apertè. Cumq; sit in his abominatio domini, & dedecus seculi absque omni pudore coram procedit, (b) speculum totius populi. Turpe ac nimis miserabile est, quod peccator unusquisque non vult delitescere, sed ad irrisionem bonis & ad exemplum malis præsumit procedere. In diebus illis nupsit *Mathild* sanctimonialis, filia *Thiedrici* Marchionis cuidam Slavo nomine Præbizlao, quæ postea à Brandenburgensis injusto provisore civitatis Boliliuto capta, in tantum (c) constricta est, ut neq; dominicam nativitatem, nec aliam solennitatem, vel jejunio congruenti prævenire, vel festivis celebrare gaudiis, potuisset. Ubi quendam puerum genuit, quem lugubriter educavit, posteaq; tantæ solutione miseriæ & Abbatiam in *Magdeburg* indigna percepit. Cujus vir antea à confratribus geminis *Vgione* & Uffico V. Cal. Januarij occubuit. Hujus frater *Luidulphus* nomine, deposito clericatu arma sumens ultricia multorum nocuit nostris. Captus autem à Cæsare iterum restitutus est gradui pristino. In temporibus prædicti Cæsaris fuit in urbe Parthenopolitana quidam decanus, *Heppo* nomine, hilaris homo, & valde utilis in monasterio, & maxime in choro, qui cum jam senex, & in cunctis actibus suis maturus esset, paralysi subito percussus obmutuit. Sed summi auxilio Medici psalmos optime potuit cum confratribus canere, ad cætera vero parum valuit aspirare & in hac mirabiliter laudanda virtus Christi cognoscitur, quæ servienti sibi fideliter vires suggerere in multis approbatur. Sed cum venerabilis pater in relicto habitu Monachico se nimis peccasse, facta confessione tunc ingemuisset, idque hortatu fratrum in receptione ejusdem emendare voluisset, non longe post Nonis Januarij obiit, sepultus ad sanctum Johannem cum cæteris confratribus, cum quibus vivere deberet, si sic humana fragilitate fieri posset. Prædictæ autem custos Ecclesiæ *Ekkihardus*, cognomine Rufus arte Gramaticus, & tunc magister Scholæ, cum in una dierum altare magnum & aureum, gemmisque optimoque ornatum electro, si aliquid in eo deesset, considerare voluisset, ex improviso ab eodem deprimitur, & ex hac collisione tardatus pecuniam suimet, diu congregatam, larga manu distribuendam *Waltherdo* commisit, & post paucos dies II. Non. Septembr. spiritum fidelem exhalavit. Quem non in aliqua re accuso, sed hoc veraciter scio, quod si quis sanctum offendit Mauritium, damni subsequentis non ignoret periculum. Hujus thesaurum quidam juvenis instinctu Diabolico cùm nocte tenebrosa furari voluisset, in primoque aditu trepidare incipiens, desistere jam studuisset, ut ipse post retulit, vocem quandam ad hæc audacter agenda exhortantem audivit. Sed ille miser sumpta ibidem corona celeriter in ipsa captus est, fractisque cruribus rotæ superpositus. Nec lateat te lectorem cujusdam fratris mei constantia *Husuardi*, ad quem juxta me tunc dormientem, cum diabolus insidiator noster callidus, in nocte crebro accederet, ac prope eum jacendi locum frustra peteret, ad ultimum, ut sibi pro accipienda mercede voluisset servire, suppliciter rogavit. At ille pius, votique non immemor Dominici, ut promissum sibi præmium inprimis ostenderet, posteaque responsum suimet perciperet, postulavit. Tunc is consimili, infit bravio, quo meum in occidente nuper ditavi ministerium te mihi consensum remunerabo. Auditis talibus alloquiis presbyter hic venerandus, ut sæpe antea consueverat, signo sanctæ crucis, & increpationibus asperis hunc effugavit: cumque occiduis partibus quendam clericum, ob criminis sui magnitudinem laqueo suspensum esse comperiret, nobis omnibus & antecedens & consequens intimavit, & mirum est, cum omni dominica die ad dormito-

(z) tegens. (a) inhonesta circumcincta, turpitudinemq; suam quasi eam venalem habeat cunctis, (b) & unde verecundari deberet, irreverenter in spectaculum totius populi ponit.
(c) constructa.

mitorium illud Christi crux vera portaretur, ille malignus talia facere est ausus. In illo itaque anno, prædictus frater, victor, ut spero, effectus, ac de commissis pœnitentia ductus, VII. Cal. Martij seculare periculum evasit: quem agonizantem mater sua *Pertha* nomine, jam decrepita consolatur, geminum patienter ferens dolorem. Nam tunc erat annua dies filii suimet *Bennonis*, optimi militis, cui prius oculos abstulit Marchio *Ekkihardus*. Nec taceam *Marquardi* visionem, confratris nostri. Hic, ut ipse ingemens retulit, ductus est in cœmeterium commune, ubi sepulchrum nimis incensum vidit, & à ductore suo sic alloquutus est: in hanc ardentem tu cito debes projici foveam, & *Rudolphus* te sequi deberet, ni modo in limine *Ludgeri* conversus staret. Ambo enim hi fuerant Monachi in monasterio confessoris prædicti, qui locum hunc *Helmenstad* vocatum, pro pietate sua construxit tempore Caroli Imperatoris Magni, frater *Hildegrini* Catelavensis Episcopi sanctæque Halberstadensis ecclesiæ rectoris primi, quam tenuit XL. & VII. annos, discedens ab hoc seculo regnante tunc *Ludovico* Imperatore Pio, Dominicæ incarnationis DCCCXXVII. anno. *Luidgerus* autem primus Mirmingerdevordensis Ecclesiæ Pastor, à Carolo Cæsare effectus est, & optime ordinata suimet parochia, & loco *Wirdunum* ex propriis constructo impensis, anno Domini DCCCVIII. præmium cæleste recepit. Post quem prædictus Imperator nil nisi quinos vixerat annos, emittens spiritum V. Calend. Februarij. LXXI. ætatis suæ anno, regni autem XLVII. imperii vero XIV. Prædictus autem presbyter hoc anno, quo hæc vidit habitum resumsit pristinum, & obedientiam novam: & non longe post XVIII. Calend. Maij obiit. Hæc quæ de confratribus meis dixi non arguendo, sed potius, ut cauti simus, & bonos imitaturi, obsecrando locutus sum. Regnante tertio *Ottone*, *Albi* filius *Guncelini* à satellite suo in quadam silva ob inutilem causam est occisus. Cujus comitatum cum beneficio juxta *Mildam* jacente Giselerus Archipræsul accepit. Hujus Camerarius & confrater meus *Gunterus* mortuo *Dedone* Arsanbrunensis Ecclesiæ Episcopo, charus Imperatori, & sæpe fideliter serviens, Italiam venit. Cumque ibidem clementer susciperetur, & in omnibus exaudiretur, in sequenti nocte vidit Christi Martyres *Crispinum* atque *Crispinianum* ad se venientes, & si suum vellet accipere episcopatum interrogantes. Quibus cum responderit, si Dominus vult, & vobis placet, perfixus est ab his duabus hastis. Et mox evigilans nullatenus per semetipsum potuit exsurgere. Crastino autem Cæsar, ut ejus infirmitatem comperit fidele promissum complevit. Post hæc idem convalescens domum rediit, acceptaque consecratione, cum magno dolore vixit penè IV. annos, VIII. Calendis Decembris hæc mutans temporalia in æternaliter manentia. Nescio si quid Domino vel sanctis martyribus suis in eo displiceat. Hoc vidi, & de cæteris audivi, quod vir justus & bene timoratus fuit, mitis & castus, & sicut hi, cum quibus modo requiescit, asserunt, plurimum nunc valere apud Dominum, ut signis probatur in multis. Ego hoc veraciter scio, quod reum non bis (f) vindicat dominus in idipsum. Prædictorum vero reverentiam martyrum in libris antiquioribus satis (g) jacentem lector, ut à me cognoscas, unam rem profero, quam frater meus *Bruno* in Nova educatus *Corbeia* & ejusdem altaris servus de (h) piorum relatu suorum mihi indicavit. Tempore prædicti abbatis *Ludolphi* in omnibus bonis admodum memorandi, erat quidam juvenis confrater suus, & regularis monachus: qui cum in sibi commisso tunc moratus officio supra nominatorum reliquias martyrum solito more secum veheret, incuriosεque tractaret, persensit in pœna celeriter subsequenti, quod peccavit in martyres Christi. (i) Namque moritur carnaliter, qui sanctis domini servire neglexit spiritualiter: & (k) ut hoc prædicto Abbati innotescerent (l), ante januas Ecclesiæ exeunti illi nocte obviarunt. Quos ut (m) primum aspexit timore magno perculsus (n) substitit, silentiumque servavit. Cui protinus (o) talia dicunt, *cur non interrogas*, (p) *pater, qui simus, vel ob quam rem huc venissemus?* Qui cum retulisset eis, quod non auderet, audivit mox ab illis nomen eorum, & causam, & quod hoc inultum non relinqueretur. Discedentibus autem his, Abbas confratribus suis hæc indicavit, dicens: mortuus est ille juvenis, qui in nostra nunc erat obedientia, de non custodita sanctorum, quos secum habuit, reverentia, heu mihi talia nunquam consentienti. Et non longe post venit nuncius, qui hæc vera esse affirmaret & corpus ejusdem adduci intimaret. Venerabilis autem vir nec huic obviam exire voluit, nec fratres more solito illud suscipere sivit, sed iratus ad truncum (q) talia fatur: *Quare tu proterve eos, qui cum unigenito Domini vivi filio, cum honore haberentur magno, negligenter tecum ducere* (r) *ausus es?* Decanus autem defunctum fratrem interventu ullatenus veniæ pro possibilitate sua excusans, tale à patre suo responsum accepit: *Mi frater, amo te, scis quæ servus ad oculum in tuo conspectu is egerit, quod vero absentialiter fecerit ignoras.*

(f) judicat. (g) lucentem. (h) priorum. (i) Namq; subito moritur. (k) ipsi Martyres sancti. (l) noctu. (m) vir clarus aspexit. (n) modeste. (o) illi. (p) venerande. (q) corporis. (r) vel post tale facinus hoc ausus es absq; supplici interventu ullatenus venire.

ignoras. Ego autem optime perpendo (s), *qui hunc in tormentis gravibus nunc intelligo. Et modo nostrorum intercessionem patronorum supplex peto, ut per* (t) *hoc divina pietas mihi innotescat, quando ei a se laxato mihi liceat peccatori absolutionem facere, & communionem dare. Asperum nimis est,* (u) *equuleo recalcitrare, & hominibus indecens, irata majestate indulgentiam exhibere.* Post hanc vocem pius Abbas ad oratorium speciale suimet in rebus anxiis asylum, nudis pedibus venit, & more solito in se & aliis humanam fragilitatem deflens, placavit (w) Dominum, & protinus cum multis gratiarum actionibus exurgens, divina potestate coram fratribus cunctis defuncto crimen remisit, & corporis Ecclesiæ communionem ac (x) sepulturæ dedit. Nunc, lector, audisti de contemptu sanctorum gravem pœnam, modo accipies de amore continuo salubrem medicinam. Fuit olim sub tempore *Godescali* Abbatis quidam monachus nomine *Alaricus*, (y) cui in capite suo multum nocuit migranea, quæ duplex, aut ex gutta, aut ex vermibus. [Cui pro remedio ostensum est à quibusdam, ut secari in capite debuisset, quod & factum est, sed de die in diem dolor augebatur in tantum, ut jam desperaret.] Sed cum eundem jam penè deficientem confratres custodirent casu accidit, ut (z) singulariter egredientes, hunc duntaxat solum (a) relinquerent. Tunc è cloaca egressi sunt dæmones (b), libros speciales in manibus habentes, eorum lectione gravi infirmum de suis actionibus inscriptis in vanum terrentes. Namque inclytus Christi martyr intus illic ingressus: eisdem fugam manu indixit, & juxta eum stans consolatur eum, & quis esset protinus ei intimavit: ac data benedictione surgere eum jussit, & hæc mandata prædicto Abbati celeriter deferre: *Vide ut tot admonitiones nostras sic incuriose non accipias, ne inposterum vacua lamentatione gemas. Pro vero enim assero tibi, si amplius inobediens mihi eris, à Domino contemneris, & te adhuc superstite alium in tua sede dominum videbis.* Hæc per Monachum ægrotantem probata Abbas negligens postea persensit. Unde bonorum crebro hortatus,„ hominum servare, consilium nimis est salubre! quanto magis horum, qui merito suimet,„ inter filios domini feliciter computati voluntatem ejus sciunt in eventu futurorum. Qui-„ cunque temerarius sapienti non innititur consilio, videbit, quis sit in semetipso. De talibus (c) plurima habemus exempla, quæ imitatores suos ad elaboratum perducunt bravium, cum veniunt ultima. Augusto sæpe memorato *Gisilerus* Archipræsul multum charus fuit, quod *Ekkihardum* Marchionem primò latenter momordit, posteaque paululum emersit, cum hunc in omnibus sibi priorem esse non sine gravi dolore persensit. Interim prædicti comitis subditi quoddam furtum in oppido *Goresin* dicto, fecere: quod nostri protinus inultum non reliquere. Namque eos coram suis comprovincialibus accusatos, laqueo suspenderunt quia hoc præfato seniori, ut justum erat, innotescere non noverunt. Ob hoc furor Comitis nondum extinctus accenditur; & miles ejusdem hæc ad vindicanda armari jubetur. *Rambaldus* ab eo unice dilectus, collecta multitudine grandi prædictam circumdedit villam, virosque omnes, cum bonis, quæ possederant, capiens secum duxit ad urbem suam. Nec ullum ex his solverat, nisi quem pretium grave postea redimeret. Qualiter autem tale facinus reconciliaretur, nostros id mihi conquerentes, cum interrogarem nullam subsequi emendationem ab his audivi, & graviter ingemui. Si in hac provincia aliquid valeret Lex divina, non sic insaniret secularis potentia. Dico enim præsentibus atque futuris, (d) quod non potest hæc causa senescere, vel sine sacerdotali districtione finiri legitimè. Unusquisque potest, in quantum velit, tacere, sed successori suo indiscussam rationem nequaquam valet abalienare, & in quocunque loco aliquid tale oritur, ibi canonica auctoritate finitur, (e) sicut sentiret voluntas coëpiscoporum, sicut legitur in actis apostolorum. Nec sic corroboraretur pertinax præsumptio iniquorum, cum aliquis ex numero illorum recte impugnetur ab (f) alio quolibet, cumque id fieri potest modo defenditur, & non est hoc excusatio, sed ad multum deteriora quædam injusta, sibique in posterum nocens, confortatio. Ergo redeant ad unanimitatem, qui fideliter credant in unitatem, ut eo fortius con-

(s) & intime ingemisco, quia hunc . . . †. cruciari.
(t) hos divina pietas meæ humilitati.
(u) aculeo.
(w) Deum & solvit reum & protinus.
(x) sepulturam.
(y) qui acriter *migraneam* in capite patiebatur.
(z) singuli.
(a) jacentem.
(b) sex eorum singuli portabant in manibus sex libros, id est omnes XXXVI. Septimus verò immensæ magnitudinis volumen gestabat, & sedens lectione eius gravi, infirmum de suis actionibus quæ ab infantia vel cogitando vel loquendo vel operando usq; in eam horam unquam gesserat in vanum.
(c) comprobandis.
(d) denuncio.
(e) si consentiret.
(f) aliquo Episcoporum quocunq; modo id fieri possit ab aliis condescenditur illi, & hoc non est compassio.

confundant venenatam perversorum conspirationem. Et hæc dicta sufficiant. Nunc autem de quodam confratre meo, nomine *Conrado*, pauca loquar, ne sit apud me in aliqua oblivione, qui proximos suimet dilexit divina jussione. Hic Archiepiscopi *Geronis* avunculus fuit, & ad peragendam jugem Christi servitutem, ut in homine potest fieri voluntas atque efficacia in eo pariter convenit. Audivi namque ab eodem sæpissime, quod, postquam aliquid cantando vel legendo publicè complevit, iterum se id facturum, studiosus optavit, nunquam inobediens præpositis suimet erat, sed eos caritate continuo cum cæteris confratribus subjugaverat. Sed tam venerabilis persona Cæsari prædicto ubi primo fit nota, mox ab illo efficitur amata, propinquitatique suimet conjuncta. Hunc, ne dignitatem optatam & Augusto sibi præpositam, perciperet, mors immatura impediit, eundemque ab hac luce V. Calend. Septembr. abstulit. Hic genitus in Saxonia, pausat in Italia, quem filium spiritualem flet Parthenopolis inclyta. Quam egregios proceres in hac urbe vidi, quorum laudabilem vitam pro debito nec sum imitatus, neque memoriam eorum post solutionem carnis assequutus. Heu me miserum, qui tot tantisque immerito sum conjunctus in fraternitate, sed longe dissimilis existo in condigna conversatione. Ego in peccatis jam pene mortuus, ut spero, vivam in lucido conspectu Domini eorundem meritis refocillatus: quia etsi in hoc seculo parum boni operatus sum, tamen defunctorum semper memor sum. Voluntas mea interdum bona, sed quia eidem vires aptas suggerere non studeo, parum prodest. Semper me accuso, sed sicut debui reatum non solvo, sumque ideo in omnibus (g) corrigibilis, quia me non converto ad eum, qui super omnia laudabilis. Agnosce, lector, proceritatem, & videbis in me parvum homuncionem, maxilla deformem leva, & latere eodem, quia hinc olim erupit semper turgescens fistula. Nasus in pueritia fractus ridiculum me facit, idque totum nil questus essem, si interius aliquid splendiscerem. Nunc sum miser, nimis iracundus, & ad meliora inflexibilis, invidus, subsannans alios, ipse deridendus, nulli pro debito parcens, glutto & simulator. (h) Unicuique sit fas non solum (i) mutire, quin potius in aperto, quia peccator sum, dicere: & post correptionem fraternam, congruit suppliciter orare. Multi Apostolo laudantur, nisi pauca res eis obstaret, quod inter optimos haberentur; & quia verum est, hominibus de perfectione justa nimis deesse, quod prodest de inferioribus his tale quid promulgare. Omnis laus in fine canitur, & (k) moralis conversatio igne probatur.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPURGII

LIBER V.

Henricus scandit, postquam puerilia vicit,
Ardua virtutum, natus de stemmate regum.
Huic pater Henricus Dux, & genetrix erat ejus
Gisla suis meritis æquans vestigia regis,
Conradi patris Burgundiæ regna tenentis.
Nutrit præclarum Wolfgangus præsul alumnum,
Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.
Post necem patris ductor successit herilis,
Ejus & imperium longe spectat quoque clavum.
Maxima pars regni Slavo vastata crudeli,
Multum lætatur, quod ab hujus pace potitur
Sedibus optatis, justeque rapacibus armis
Prorsus depulsis, ac diva lege sedatis.
Inflatos omnes contra se deprimit hostes,
Demulcens socios jucundo famine cunctos.
Si quo deliquit modicum, statim resipiscit,

Fructi-

(g) incorrigibilis. (h) avarus & detractor, & ut hæc convicia meritò illata concludam, pejor sum quam dici possit vel æstimari. (i) privatim, sed & in aperto. (k) mortalis vita igne probatur.

Fructibus ac dignis curabat vulnera carnis.
Vtilis Ecclesiæ cunctis miseratur ubiq;.
Mersburg si scires hujus pia vota, sitires
Adventum tanti rectoris, & inclyta Christi
Munera laudares, condignaq; præmia ferres.

Largifluus divinæ pietatis respectus humanæ necessitati, non nostri merito, sed suæ miserationis munere gratuito, superabundans, fidelium corda suorum ad laudis amorem suæ, & ad referendas ei grates, accendit, ac me stultum ingenio, præpeditum eloquio, ac in omnibus negligentem, & nimis otiosum, bonos in hoc imitari compellit. *Magnus est enim Dominus*, ut David testatur, *& laudabilis valde, cujus sapientiæ numerus non* (l) *invenitur ullus, quæ omnia ex nihilo creavit, hominemq; solum duntaxat conformavit.* Qui dum talia, immemor beneficiorum, non perpendit, jumentum in suo stercore computrescens juste appellatur. Sed quicunque hoc verbum γνῶθι σεαυτὸν, in superliminaribus templi antiquitus notatum, intra se memoriter retinere, omniaque, quæ in verbis seu operibus facienda sunt, in nomine Domini, ut sanctus admonet Paulus, satagit implere, ille est, qui à patre Domino in filium optatus, denario, quamvis tarde veniat, remuneratur diurno. Hæc ego considerans, quia retributione condigna sanctæ Trinitati, & individuæ unitati, respondere nullatenus valeo, S. Johannis Baptistæ intercessionem, ut corde & corpore ad hoc idoneus reddar, supplex efflagito. De temporibus autem his, in quibus respexit Dominus Ecclesiam nostram, opprobriumque ejus auferre dignatus est, lætiori mente & (m) lætiori stylo scribere, pietatemque Ducis Henrici summa præordinatione in regem electi, conor retegere. De quo post mortem Imperatoris, cuidam venerando patri revelatione (n) divina sic dictum: *Recordaris frater, qualiter cecinit populus; Domino nolente, voluit Dux Henricus regnare, nunc autem debet Henricus divina prædestinatione regni curam providere, omniaq; quæ ad divina vel humana pertinebunt.* Hunc igitur præ cæteris sibi tunc contemporalibus, nollent vellent, ad regnum promovebant. Sed quis ex nostra regione ei obesset scrupulus, paucis jam præscribens, occidentalium iniquam præsumptionem, neque consilio, neque prudentia, neque fortitudine contra Dominum valentem, enucleabo. *Hermannus* Alemanniæ & Alsatiæ Dux, timoratus & humilis homo, à multis, quibus lenitas ejus placuit, seductus contra *Henricum* se armavit. *Theodricus* vero Luthariorum Dux, vir sapiens & militaris, quo se pars populi major & melior inclinaret, securus expectabat. Interim patruus meus, de quo superius memoravi, profectus est occulte ad Bavenberg cum avunculo suo Ricberto, quem à Comitatu suo Imperator deposuit, *Luidgeroq;*, *Arnulphi* præsulis militi, dedit: gratiam Ducis quærens, ac spe retinendi & augendi beneficii. Nam etsi servato adhuc sacramento, manus eidem non applicuit, tamen cum sui nepotis *Henrici* auxilio adeptus est. Hujus consilio Dux quendam militem ad civitatem, quæ *Werlu* dicitur, ad neptes suas consorores Sophiam & Ethelheidam, & ad omnes, qui tunc ibi convenerunt, regni primates, misit. Quo omnibus in unum collectis, legationem suam aperuit, auxiliantibusque domino suo ad regnum, bona plurima promisit. Cui mox à maxima multitudine vox una respondit: *Henricum Christi adjutorio, & jure hæreditario, regnaturum, se paratos ad omnia, quæ sibi unquam scirent esse* (o) *voluntaria.* Hocque dextris manibus elevatis (p) affirmatur. Ekkihardus cum suis, quia præsens non erat, simulata tunc patientia hoc pertulit: quia *quicquid peccatur à multis*, ut scriptura testatur, *inultum est.* Vespere autem jam facto, cum præfatis (q) dominabus in magna domo, sedilia aulæis ornata, & mensa esset variis cibis referta, *Ekkihardus* eandem præoccupans, cum *Arnulpho* Episcopo & *Bernhardo* Duce ibi epulatur. Ante ruinam enim exaltabitur cor, & ante gloriam humiliabitur. Quod mentem consororum prius tristem, cæterosque complures, qui interfuerunt, commovit multum, renovaturque in eundem odium diu celatum, sed cito, proh dolor! (r) finiturum. Namque cum prædictus Marchio, omnia aliter, quam sperarat, ibi provenire (s) prospexisset, optimum duxit, ut Occidentales visendo regiones, *Hermannum* Ducem cum cæteris optimatibus de reip. suique commoditate alloqueretur. Salutatis postera die suis familiaribus, inimicisque caute notatis, cum *Bernvardo* antistite *Hildesheim* venit, ubi ut Rex suscipitur, honorificeque habetur. Deinde ad *Pathabrunnam* pergens, clausas invenit portas, & jussu venerabilis *Rhetarii* præsulis intromissus, primo Ecclesiam causa ora-

(l) est. (m) latiori. (n) deica. (o) placita. (p) confirmatur. (q) dominis. (r) finiendum. (s) conspexisset optimum ratu duxit.

orationis intrat, postque ad domum, ubi Episcopus cœnabat veniens, caritative susceptus est. Ibi tum (t) dictum est huic, quod colloquium in *Duisburg*, cujus gratia huc venerat, fieri nullo modo potuisset. Insuper animadvertit, multum displicere antistiti de incepto ejus inconvenienti, & propter hoc abiens, cum ad *Northeim Sigifridi* Comitis curtem veniret, deligenter susceptus est, atque ut ibi pernoctare vellet, rogatur. Intimaverat huic occulte domina *Ethelind* Comitissa, quod *Sigefridus* & *Benno*, senioris suimet filii, confratribus *Henrico* & *Vdone*, aliisque conspiratoribus suis, de nece sua positis tractarent insidiis, suppliciter efflagitans, ut ad ibi usque in crastinum maneret, seu alio diverteret. Talia Comes benigne suscipiens, propositum itineris propter eos interrumpere nequaquam posse, nec velle respondit. Inde protinus discedens, caute suos per omnem diem hanc circumspexit, & ut optimus erat miles, ne terrerentur, admonuit. Quod eminus hostis è latentibus insidiis considerans, quia non utile tunc videbatur, distulit, & sequenti nocte in cœptis persistere, dextris confirmavit. Pervenit autem Comes ad locum prædestinatum, qui *Polithi* dicitur, & facto vespere comedit, & in lignea caminata cum paucis dormitum ivit. Cæteri vero quam plurimi in proximo quiescebant solario. Quos cum sopor oppido lassos gravaret, inimica manus incautos opprimens invasit, Comitemque clamoribus immensis excitatum, à lecto celeriter surgere compulit. Is vero braca suimet, & quibuscunque potuit, igni vires suggerit, & quod tunc præmeditari non valuit, fractis fenestris majorem nocendi, quam se defendendi hostibus aditum patefecit. Nec mora præ foribus occiditur miles *Hermannus*, & exterius ad auxilium domino properans *Atulphus*, ambo fortes, & usque ad mortem fideles. Vulneratur insuper *Erminoldus*, Imperatoris Camerarius, ac solus tunc repugnat *Ekkihardus*, vir domi militiæque laudabilis, cui *Sigfridus*, hasta fortiter emissa, nodum cervicis infregit, terramque oppetere compellit. Quo casu protinus perspecto, alacriter omnes irruunt, caput amputant, & quod miserum, funus prædantur. Facta sunt autem hæc II. Cal. Maji. Peracto tandem immani scelere, percussores læti & incolumes redeunt. Hi autem qui in solario erant ignavi, nec dominum laborantem in aliquo adjuvabant, nec mortuum ulcisci conabantur. Abbas vero ejusdem loci, *Alfkerus* nomine, corpus visitavit, ac commendationem animæ summa devotione perfecit. Quæ vero sit causa, quæ hos ad tale facinus perpetrandum persvaserit, veraciter explicare nequeo. Quidam dicunt, *Henricum* instinctu prædicti Comitis ab Imperatore flagellis cæsum, hæc sæpius in eum meditatum fuisse. Alii autumant, sicut prædixi, in *Werlu* ob contumelium consororibus illatam: quia isti libenter his serviebant: ac per convivia minasque ab ipso sibi manifestatas, hæc eos incepisse. Hoc tantum scio, quod decus regni, solatium patriæ, spes commissis, terror inimicis, ac per omnia perfectissimus foret, si in humilitate solum persistere voluisset. Hujus vitæ cursum quam (u) probabiliter egit, hoc etiam testificatur, quod apud dominum suimet beneficii maximam partem acquisivit in proprietatem; *Milcienos* à libertate (w) indita servitutis jugo constrinxit; *Bojemorum* Ducem *Bolizlaum*, qui cognominatur *Ruffus*, ad militem sibi, aliumque ad amicum familiarem blandiciis ac minis adipiscitur. Super omnem *Turingiam* communi totius populi electione ducatum promeruit. Comites vero *Orientales*, paucis tantum exceptis, regnumque in spe, habuit. Quæ omnia ad tam miserabilem hunc detraxere finem. Hujus fama (x) diu mox propagata, dominam *Suonchildam* venire fecit obviam, filiique ejus lætitiam turbavit *Hermanni*. Is namque cum jussu patris, *Wilhelmum* Comitem, senectute ac omni bonitate (y) proficuum, ob vindicandam *VVidikindi* & *Hermanni* necem, à filio suimet eis inlatam, valida manu in *VVimari* possideret, emeritumque senem in præsentiam prædicti Comitis venire, & quicquid ipse ab eo exposceret, implere constringeret juramento, accepta nece parentis improvisa, cum matre celeriter occurrit, patrisque corpus ingenti luctu suscipiens, in urbe, quæ *Jena* dicitur, sepeliri fecit. Peracto autem tricesimo die, domina *Suonchilda* ad *Misni* proficiscitur cum filiis. Interim *Bolizlaus*, *Misecconis* filius, patre longe inferior, de morte lætatur Comitis *Ekkehardi*, moxque (z) electo exercitu omnem *Geronis* Comitis *Marcham*, citra *Albim* jacentem, deindeque præmissis obsidibus *Budissinam* civitatem cum omnibus adpertinentiis, comprehendens, statim *Strelam* urbem invasit, *Misnenses* pecunia corrumpere clam tentans. Qui novis semper gaudentes, in una dierum, cum præsidii maximam multitudinem, ob acquirendam equorum annonam, exisse comperirent, portam quæ Orientem respicit, in ea parte, qua satellites habitant, dicti Slavonice *Vethenici Cukesburgiens*, *Guncelino* ad hoc duce irruunt, *Breccionemq;*, *Hermanni* Comitis satellitem, primo occidentes, ad caminatam ejusdem omnes armati conveniunt, fenestram lapidibus impugnant grandibus, dominum urbis, *Ocerum* nomine, sibi ad occidendum reddi vociferantes. Sed *Ditmarus* miles, ex

(t) interdictum. (u) probabiliter peregisset. (vv) inolita. (x) longe. (y) conspicuum. (z) collecto.

ex cubiculi sola munitione, *quare sic*, infit, *agitis? (a) quis furor vos ita seduxit? ut obliti beneficiorum Comitis Ekkihardi, spontaneaq; invitationis, sic assurgitis in perniciem filii? si causam tanti facinoris seu publice seu clam cuiquam nostrum vultis aperire, commissi emendationem vobis complacitam, futuriq; timoris vestri met securitatem ex mei (b) senioris, nostrorumq; omnium parte, firmiter, qualitercunq; vultis, promitto. Hunc quem in mortem vobis dari inclementer exposcitis, (c) nobis viventibus non accipitis. Pauci sumus, aut communiter mori, aut incolumes urbe hac nos (d) exire pro certo sciatis.* Tunc illi auditis sermonibus his, colloquuntur, abeundique (e) licentiam hic præstantes, Ducem *Bolizlavum* per internuncios invitant, portisque eundem suscipiunt apertis, completurque quod scriptum est: *Lætantur cum male fecerint, ac exultant in rebus pessimis.* (f) Et iterum: *Sunt principia eorum ut mel, & novissima quasi absinthium.* Hac elatus prosperitate *Bolizlavus*, omnes regionis illius terminos, usque ad *Elstram* fluvium præoccupavit, præsidiisque suimet muniit. Congregantibus tum sese ad hæc unanimiter prohibenda nostris, dolosus ille (g) legatum obviam misit, qui se protestaretur, cum gratia *Henrici* Ducis ac licentia hæc incepisse: in nullo se incolis nociturum, & se, quando is in regno vigeret, voluntati ejusdem in omnibus assensurum: sin autem, quod his tum placeret, libenter facturum. Hoc animadvertentes nostri, verbis credidere phaleratis, & inhoneste, quasi ad dominum, ad eundem profecti, honorem innatum supplicatione, & injusta servitute, (h) mutabant. Quam inique comparandi sunt antecessores nostri, & contemporales? Vivente egregio *Hudone*, pater istius *Miseco*, domum, in qua eum esse sciebat crusinatus intrare, vel eo assurgente, nunquam præsumsit sedere. Dominus indulgeat Imperatori, quod tributarium (i) faciens dominum adhoc unquam (k) elevavit, ut oblita sui genitoris regula, semper sibi præpositis auderet in subjectione paulatim detrahere, vilissimoque pecuniæ transeuntis inescato hamo, in servitutis libertatisque detrimentum capere. Alter autem *Bolizlavus*, Bojemorum provisor, cognomento *Ruffus*, & impietatis auctor immensæ, antiquo more jam paululum refrenato, Duci aspiravit *Henrico*. Qui initio mensis Junii cumprimis Bavariorum & Orientalium Francorum *Wormatiam* venit, causa *Rhenum* transeundi, *Magontiaq;* benedictionem accipiendi. Quod prohibere *Hermannus* Dux nititur, nullumque eis patefecit *Rheno* favente, ingressum. Dux autem *Henricus*, habito de his rebus cum suis consilio, simulato in *Bavariam* reditu, transituque quasi desperato, ad urbem *Larsem*, * ubi S. requiescit *Nazarius*, venit. Deindeque ad *Magontiam* celeriter properando, Rhenum securus enavigat. Hic VIII. Id. Junii ibidem communi devotione in regem electus à *Willigiso* ejusdem sedis Archiepiscopo, suffraganeorumque suimet auxilio, accepta regali unctione, cunctis præsentibus Deum collaudantibus, coronatur *Francorum* & *Muselenensium* * primatus, regi manus tunc applicans, gratiam ejusdem meruit. Omnibus huc undique confluentibus, in militiam à rege susceptis, rursus Rhenum inundantem rex novus transiens per Orientalem Franciam, sibi quam fidelem, *Alemanniam* invadere, & cum depopulatione istius terræ, ab inceptis *Hermannum* (l) resistentem conatur avertere. Dux autem ut audivit sua à rege prædata, nondum volens humiliari, sed proh dolor! contra dominum & regem exaltans se, caput ducatus sui *Argentinam*, quæ *Strasburg* dicitur, quia Episcopus ejusdem urbis Wicelinus sibi resistere præsumsit, cum Conrado suimet (m) genero, milite petit armato, murosque ascendens, nil victis (n) reliquit. Nam execrata Alemannorum turba, ad (o) rapiendum promtissima, inscio Duce, majorem Ecclesiam S. Dominæ Genitricis intrepida intrans, omnem thesaurum diripit, & quod maximum erat facinus, igne domum Domini consumsit. Si vere felix fuisset, primi ingressus acerbitate deterritus, nunquam majora aggredi præsumeret. Nam antistitis militibus, *Reinhardo* auctore, (p) infideliter repugnantibus, maxima hostium caterva irruens, proprio perfossa hastili corruit, vitamque hanc divina ultione miserabiliter finit. Hæc *Hermannus* insolabili questus mœrore, discessit, inultumque, quia defendit numerus, reliquit. Regi autem apud *Augeam* insulam nativitate S. Johannis Baptistæ commoranti, fama velox & sæpissime dubia, *Hermannum* Ducem, litem duello causa finiendi, venire nunciavit, eundemque hinc discedere, adventumque Ducis, cum judicio pugnæ in pratis virentibus ac latis fecit expectare. Ibi tunc Apostolorum celebrans festa, longumque certitudinem præstolans, Ducem in ceptis persistere neque velle neque posse pro certo comperit: consultum ei à malesvasis fautoribus, quod Argentinæ damnum (q) *Constantia* impleret. Namque ejusdem civitatis Episcopus, nomine *Lambertus*, cum Curiensi pastore *Otbelrico*, *Hermanno* auxiliabatur non tantum ex animo quantum in

(a) Cur in tantum scelus itis? (b) domini. (c) quamdiu supersumus. (d) egrediemur procul dubio. (e) copiam. (f) Sed vere illis eveniet, quod item scriptum est. sunt. (g) & venenatus coluber legatos. (h) sclavi. (i) sclavum. (k) erexit. * [Larsam, Laurissa sive Lauresheim, monasterium celebre in pago Rhenensi. Vid. Chron. antiq. monast. à Frehero editum, & Georgii Helvvig Antiqq. ejusdem.] (l) sibi. (m) germano, (n) ipse. (o) prædas. (p) viriliter. (q) inconstantia.

in civitatis contiguo. Sed Rex, ut erat de Domini timore solicitus, & de acquirendis certus, horum prophanæ spei consilia, curtesque Ducis vastando circuiens, ad ultimum (r) clamore devictus pauperum, ad *Franciam* remeare disposuit. Et ecce *Henricus* Comes, *Bertoldi* amitæque meæ filius, ad regni apicem acquirendum regi usque huc fidelis adjutor, animadvertens senioris sui sibi paululum alienam mentem, per optimos exercitus ejusdem viros diu firmiterque promissum *Bavarii* regni ducatum dari postlavit. Quibus Rex tale fertur dedisse responsum: *Nonne scitis, hac in hac expeditione nequaquam fieri posse: Bavarios ab initio Ducem eligendi liberam habere potestatem: non decere tam subito eos abiicere, ejusque constitutionis antiquæ jus absque consensu eorum* (s) *frangere: si voluisset expectare, usque dum ipse ad has regiones venirem, cum communi consilio Principum eorundem ac voluntate, sibi libenter in hoc satisfacere.* Quod ubi Henricus ab internuntiis accepit, in majorem promissi muneris desperationem veniens, paulatim se ab regis subtraxit familiaritate, comitaturque tamen ab *Alemannia* proficiscentem in *Franciam*, postea ad *Turingiam*. Ibi *VVilhelmus* Turingiorum tunc potentissimus, obviam pergens, dominumque venientem cum magna gratulatione suscipiens, miles regis efficitur. Ibi tunc Rex à præfato Comite, & à primis illis regionis collaudatur in dominum, & ab omni populo (t) rogatus, debitum his remisit censum. Inde *Merseburg* veniens, susceptus est ab *Heimone* Abbate & à fideli suimet Comite *Escone*, qui hanc urbem ex *Alstidi* ac *Thornburg* cum appertinentiis, vivente *Ekkihardo*, hæcque graviter ferente, viriliter usque in præsentiam optati senioris (u) servavit. Huc conveniunt Archiepiscopi, *Luizo* Bremensis, & *Gisilerus* Magdeburgensis, cum cæteris confratribus *Rhothario* Patheburnensi, *Bernhardo* Hillinensemensi, *Arnulpho* Halberstadensi, *Ramvvardo* Misnensi, *Bernhardo* Ferdensi, *Hugone* Cicensi: Ducibus autem *Bernhardo* ac *Bolizlavo*, cum Marchionibus *Luthario* & *Gerone*, ac Palatino Comite *Friderico* [aliisque quam pluribus tam Episcopis quam Comitibus, quorum nomina longum est enarrare per singula. Hi omnes Regem supplici devotione suscipiunt. Crastina itaque die i. e. octav. Kal. Aug. *Bernhardus Dux* cum consensu omnium astante coram rege voluntatem plebis convenientis aperiens omniumque necessitatem ac legem specialiter exponens, quid eis misericordiæ dictis promittere, seu factis vellet impendere diligenter inquirit. Talia quærebat, ac contra REX referebat: Deo primum deindeque vobis omnibus condignas grates persolvere nequaquam sufficio. Unde voluntatis meæ secretum vobis aperio, quod ex adjutorio efficaciter vobis omnibus impendere desidero. Notum etenim etiam est, quam fideliter vestris Regibus semper ubique ad audientiam & solatium parare studueritis & ideo vos magis in omnibus optime honorare, diligere, & ad regni provectum nostramque salutem libet conservare, & ut certi de his sitis, quomodo vobis placet salvo honore Regni affirmo, quia non renuentibus nec contradicentibus vobis, seu potius quasi applaudentibus, & huc me invitantibus, hac regali dignitate honoratus appareo. *Legem* igitur *vestram* * non in aliquo corrumpere, sed vità comite malo clementer in omnibus adimplere, & vestræ rationabili in quantum valeo ubique animum adhibere.

Taliter effatur rex, & vox una levatur,
Protinus astantis plebis Regi jubilantis,
Laudes & grates super has tantas pietates.

Bernhardus igitur dux *accepta in manibus sacrà lanceà* ex parte omnium *regni* ** curam illi fideliter committit.

Rursus tolluntur voces laudesque canuntur
Undique Christe bonis his pro tantis tibi donis
Insuper & fletus fundunt pia pectora lætos,
Inclyta lætare Mersburg his congratulare
Da jubilum Christo condignum sole sub isto.

Istum, inquam, solem id est diem venerabiliter cole, quo electus est in te qui te repudiatam posthæc semper meditatus est provehere, & ad priorem statum reducere. Benedictus sit Deus qui se honorantes, & ex corde diligentes exaltat ad horrorem & dedecus se execrantium. Finis venit luctus tui, quia salutaris auster amicam temperiem tibi afflavit. Non diu in servitute manebis, quia ad dominandum libere, O Sion, renovaberis. Sed amplius progrediamur. Omnes qui priori Imperatori serviverant, Luidgero solo remanente, Regi manus

(r) clamorem pauperum miseratus. (s) infringere. (t) rogatur debitum censum porcorum illis dimittere, quod & fecit. (u) custodivit. * [Legem sc. Saxonum.] ** [sc. Saxonum: Horum enim proceres aderant; ut supra hinc & inde mentio fiebat *regni Bavariorum*, & ut infra *regnum Luitbariorum petere contendit*, & *Luitharienses*, id est proceres regni Lotharingici hunc *Regem eligere* dicuntur.]

nus complicant, fidele auxilium per Sacramenta confirmant. *Bolislaus* autem Misnensem urbem tantummodo innumerabili pecuniâ acquirere satagebat, & quia oportunitas regni non erat, apud regem non valebat, vix impetrans ut hæc fratri suo *Gunzelino* daretur, redditis sibi *Luidizi* & *Millzieni* Regionibus. Hunc Henricus Comes, nepos meus oppido diligens, quocunque modo potuit libenter & amicabiliter eum adjuvabat. Quem cum bene muneratum, & cum licentia Regis abeuntem comitaretur, concurrentem vidit armatam multitudinem, & per Deum testor absque regis consilio & conscientia adversus se insurgentem. Qui cum causam tanti tumultus investigare, & ne plus damni oriretur, voluisset compescere, vix securus socium fracta exteriori portâ educit. De sequentibus autem militibus nonnulli à comprimenti turbâ sunt prædati, quidam autem admodum sauciati, mortem *Bernhardi* Ducis auxilio evaserunt. Hi namque curiam regiam armati intrantes & de hac exire jussi nolentes culpâ suâ temporale periculum sustinuerunt. *Bolislaus* autem hoc factum esse dolo mali consilii autumans, gravi mærore consumitur, regi, quod non promeruit, imputando. Salutato ergo Henrico, & si unquam indigeret auxilio suo, firmiter promisso patriam celeriter revisit. Cumque pervenisset ad Strelam urbem protinus eam incendens, magnam multitudinem comprovincialium secum abduxit, nuncios quoque quosdam remittens, quoscunque potuit Regi avertere contendit. Quod mox ad aures Regis postquam pervenit, suos familiares caritative rogavit, ut arcanas Sclavi insidias perquirerent, &, si fieri possit, exploratores ejus capere tentarent. Dispositis itaque omnibus prout tunc erat, regnum Luithariorum petere contendit. Veniente autem eo ad urbem quæ nova Corbeja vocatur, ab ea nomen sortita, unde cepit scilicet ab illa *Francorum Latinorum* [Franci Latini aliis veteribus Francigenæ, François] Corbeja ubi requiescit Sanctus Vitus infans & martyr, inclyta *Cunegundis* sua conjux ei occurrit, ubi ambo à Venerabili Abbate *Thoitmaro* cum omni honore suscipiuntur, & ibi divinis & humanis honorati ad *Paderbornam* læti proficiscuntur. Postera luce quæ mundo festiva illuxit Beati Laurentii Martyrio Domina Cunegundis benedictionem & coronam & Sophia soror Imperatoris à Rege jam constituta Abbatissa consecrationem à Willegiso Archiepiscopo humiliter susceperunt. Publicum idem consurgit gaudium, quod proh pudor! admodum turbavit insatiabilis avaritia Bavariorum. Hi namque paucis domi semper contenti, exterius vero propemodum insatiabiles cum vitiorum fruges vi diriperent, eosque hoc defendentes cæderent, pugna gravissima invicem oritur. Domestici Regis exeunt indigenæ cum adventitiis præveniunt & subsequuntur. Fit magnus conflictus congredientium devictumque agmen Bavariorum in Regalem curtem fugit. Hic *Henricus* frater *Eilberti Cancellarii* qui ad mensam regi jugiter serviebat, hastâ vulneratus occubuit. Quapropter qui prius aberant collecti Saxones iterum insequuntur, & ni Dux Bernhardus cum validiori manu medius intervenirer, numerus militum infinitus mutuo caderet. Post hæc autem castigati sunt omnes, quicunque inveniri poterant tanti sceleris autores. Mæstitiam Præsulis postea placavit *Boknevorde* à Rege tradita. Rex autem recto itinere hinc ad *Duisburg* perveniens Luitharienses quam tarde expectant. Leodicensis vero & Cameracensis Præsules primi huc venientes, Archiepiscopum *Coloniensem* diu morantem expectant. Quem cum altius quam quisquam crederet, custodia, qua paululum, sicut jam dixi, detinebatur, in mentis secreto morderet, simulabat se ob hoc tam sero ad regis gratiam accessisse, quod in accipienda benedictione Moguntinum sibi Rex voluisset proponere. Igitur hi confratres Episcopi scilicet, *regem pariter eligentes*, fidemque sacramentis firmantes, usque ad *Aqvasgrani* eundem comitantur. Quo in nativitate sanctæ Mariæ *à Primatibus Luithariorum in regem collaudatur* & in sedem regiam more antecessorum suorum exaltatur, & magnificatur. Interim Franciam revisere insistentemque hyemis asperitatem, ibidem perducere conatur, ut vere primum exorto, *Herimannum Ducem* in Cis Alpinis partibus sibi solum resistentem vi cogeret cedere. Qui de vindicta Dei, quam in *Argentina* promeruit, multum timidus populumque propter se laborantem, non amplius sustinens per intercessores fidos sibi suisque fautoribus Regis gratiam postulat. Sed antequam id ab eo deliberatum esset, quædam res ab Alamannis perpetrata est à nobis non prætereunda. *Gerhardus comes Alsatiæ* accepto à Rege quodam comitatu præfati Ducis cum domum rediret, juxta unam urbium castra metatus est. A quo urbani pacem vix unam noctem impetrantes, egressi sunt dolose quasi ad colloquium, sed reverâ ad explorandum: E quibus unus calliditate æque & velocitate persæpè probatus propius accessit, *signiferamque lanceam, qua beneficium Ducis Comes idem acceperat à Rege*, coram tentorio ejus affixam, elevando circumspexit, ad ultimumque cum ea urbem securus cunctis in cassum pene sequentibus intravit. In urbe mox exultatio magna extollitur, porta clauditur, comes quasi honore privatus irridetur. Qui eandem primo dulcibus promissis frustra tentans recipere, sed illis negantibus redditum, tristis abiit, tam vacuus à beneficio, quam à militari signo. Fuere in alia civitate munitissima *Brizach* dicta, Episcopi

duo, *Argentinensis* & *Basileensis* ad præsidium quorum milites quotidie ob acquirenda equorum pabula armati exire solebant. Quod amici Ducis caute considerantes eo tempore quo hi paululum præcesserant, simili habitu sarcinatisque equis ad urbem cantantes, pergunt, & pro sociis à custodibus intromittuntur. Projectis ilico oneribus, magna voce se hostes manifestant, Episcopisque vix elapsis omnia diripiunt. Post hæc *Hermannus Dux matris meæ avunculi filius* divina, ut prædixi compunctione Kalendis Octobr. Bruselæ Regi humiliter præsentatur. Misericorditer ejus gratiam impetravit, & in beneficio & in omnibus justi desiderii satisfactionem persolvens, excepto Argentinæ damno, quod idem jussu & consilio Regis de sua proprietate, & Abbatiam in eadem urbe sitam reparavit, miles & amicus eius fidus efficitur. His ita dispositis, Rex ad Bavariam perrexit, ut eis adventu suo & in omni caritate innotesceret, quod eos præcipue inter omnes amaret. Quem Ratisbonam venientem Gebehardus eiusdem Præsul egregius cum cleri totiusque populi tripudio suscepit, ibique festum sancti Martini celebrantem in multis honorificavit. Interim Bohæmiorum Dux *Bolislaus* quia potestas consortis & successoris est semper pavida, *Iaremirum fratrem* eunuchizans, junioremque Otelricum internus suffocare cupiens una cum matre eosdem patriâ expulit solusque vice basilisci noxii regnans populumque ineffabiliter constrinxit. Qui pondus illati facinoris diutius ferre non valens *Wolodo Wejum* qui *potestas exercitus* interpretatur, à *Polenia* clam vocans aspidem venenatam absque omni legis pietate suos tractantem, hunc in sedem Basilisci illius id est Bolislai dejecto eo consanguinitatis linea & pietatis affectu unanimiter electum collocavit. De quo rem unam incredibilem dico, sed non alicui Christiano imitabilem, quod hic *nunquam sine potu unam horam perdurare valuerit.* Sed *Bolislaus*, quæ sola via fugæ patuit ad *Henricum* Marchionem qui proximus ei tunc fuerat confugiens, propter illatas sibi injurias ab eo captus est, postmodum quia hospes eo advenerat dimissus ad *æquivocum suum amitæque filium* in sceleribus comparem, licet facultatibus disparem, vitæ duntaxat amore perrexit. Iste autem potiori usus consilio ad regem Ratisbonæ adhuc commorantem proficiscens, cum humili subiectione & fideli promissione hunc in Dominum elegit & quæ postulavit ab eo in beneficium acquisivit, & habitus in omnibus caritative revertitur cum bona pace. Dum hæc aguntur *Hartwigus* de quo superius dixi de prosperitate & adventu regis Henrici admodum curiosus, omnes introitus Longobardiæ, qui ab accolis *Clusæ* vocantur vigilanti custodia firmabat. Qui ut superius dixi, electionis suæ consiliatores & fautores, ut digni fuerant tractare non desistebat. Inter quos Brixiensem Episcopum, aliqua, quæ sibi displicebant, loquentem capillis arripiens & solotenus ad hubulcum * dejiciens cunctis ineffrænatam manifestavit iram. Sed quid eum singulis vitiis circumscribere conor, cum in regno & populo appareat, quæ turba iniquitatis ad hæc perpetranda eum armaverit. Unde nonnullos priores sibi suppositos commissi pœnituit, & per internuncios & per literas Henricum Regem ad defendendum se venire rogabant, aut eo in aliis negotiis occupato Principes suos mitteret. Horum necessitati ad succurrendum *Otto Carrentorum Dux & Veronensium Comes*, cum *Heriberti* Comitis filio *Ottone* & *Arnesto Luipoldi* Marchionis filio cum aliis paucis ob spem auxilii majoris ab Italis promissi à rege dirigitur. Quis autem ille Dux *Otto* fuerit, quia superius reticui, breviter intimabo : Hic igitur à *Conrado* Duce & *Luitgarda* filia Ottonis primi Cæsaris maximi procreatus, morum gravitate actuumque probitate parentelam suam decorabat. Et cum post mortem Cæsaris *jure consanguinitatis & ætatis* virtutumque maturitate [ab Henrico tunc duce] ab *Henrico* tunc duce, in regem eligeretur, tantum hoc onus humiliter excusans, eundem primos per internuncios ac per se ipsum quasi ad hæc aptiorem sibi proposuit fideliterque semper adjuvit. Hunc ex parte Regis venientem Archiepiscopumque Ravennæ *Fridericum* cum Marchione *Thiedolfo* ** cæterisque Regis fidelibus ei ad auxilium occurrentem, Hartvvigus in medio positus, lynceisque oculis omnia perlustrans cum comperiret, ad interrumpendos eos Veronam cum magna multitudine venit, clausasque ab Episcopo ejusdem civitatis huc usque munitas expugnando cepit. Audiens autem Teutonicos in Tridenti planicie consedisse, illo properat & eos non inveniens, iterum velox se in Campaniam Veronensem recepit. Quo Dominicæ nativitatis Festa in quodam Castello celebrante, *Otto* Carentinorum Dux omnia ejus acta ut primo intellexit, legatos sibi licentiam transeundi aut ex sua parte accipiendi postulantes misit. His petitis ex profunda calliditate animi *Hartwigus* respondit. Hic pernoctate, ut cum meorum amicorum consilio vos crastino de his omnibus certos remittam. Ille autem nunciis nostris id ignorantibus per omnem eam noctem singulariter suos in castris positos circumquaque perlustrans ad præliandum mane contra Teutonicos corroborare, & arma præparare monet. Proxima primum oriente aurora, legati Ducis responsi gratia Regem aggressuri, cum Longobar-

* [ut bubulcum.] ** [fortè idem qui Theobaldus Mathildis Com. celebris avus.]

bardos militari manu pugnæ intendere eventum cernerent, ipsum quid hoc significaret percunctantes certam adversus ducem congressionem iussi abire perceperunt. Quos Hartwigus cum exercitu pene secutus ad Ungaricum montem, ubi Dux cum suis legatos expectabat, sole jam mediante pervenit, hostesque quamvis per fodium & ad custodiendas undique vias, divisos tamen ad resistendum paratos invenit; Confligunt itaque utrinque fortia agmina impetu vehementi, & ni Teutonicorum aciem hostium numerositati imparem, fuga *Ottonis* germani præsulis *Gebhardi* turbaret, & impediret, victricem eam hostis Longobardus sensisset. Tum vero ex magna parte mutilata proch pudor ceditur, & victoriæ honore privatur, sed non sine maximo Hartvvigi detrimento. Interea Rege à Bavvario egresso & in *Franckenforde* incarnationem Dominicam celebrante, multorum ei legationes deferuntur: qui legati primo benigne auditi dehinc largiter munerati omnes revertuntur læti: Ibi quoque Dux Hermannus humiliter Regi famulatur, & ab eo caritative ut talem decuit personam, habetur. Inde Rex discedens *Museleorum* [Mosellanorum] pagum visitavit & ad *Theodonis villam* veniens generale ibidem colloquium cum comprovincialibus habuit. Rege verò ibidem omnibus aliqua necessitate laborantibus, benigne legem dare cupiente, *Hermannus* ac *Theodoricus* solo nomine *duces*, sed non re, tentabant hoc impedire, sed frustra, continuo animadvertentes auctori iustitiæ se merito succumbere. Nam Rex quoddam castellum Ducis *Mulsberg* dictum ob instantem totius populi necessitatem destrui & ut nunquam reædificaretur firmiter præcepit. His absque remotione omni peractis Rex ad Aquasgrani iter disposuit, ut ibi anniversarium Domini & antecessoris sui summa diligentia compleret, & Luitharienses unanimiter convenirent. Quæ, quamvis paululum tardaret interim innata infirmitas, tamen ad perficiendum iusti desiderii propositum Christi illi aspiravit vires ineffabilis pietas. Dein Trajectum amore sancti Præsulis Servacii veniens de prælio nostrorum male pugnato ibi certum comperit. Et quia omne quod nequit corrigi leniter patiendum, quamvis graviter tamen sapienter audita sustulit incommoda. Inde Leodium ob impetranda Christi athletæ Lamberti veniens ibi colica passione admodum gravatur, sed prædicti martyris intercessionis suffragio liberatur. Hinc ad Aquasgrani rediens, purificationem Dei genitricis ibidem venerabiliter peregit. Inde ad Novimagum commeans, pluribus diebus quadragesimæ ibi moratur, primo regnum Dei iustitiamque quærere, postea humanæ fragilitati studens necessaria suggerere. Mortuo interea Duce *VVlodeweio* fratres prædicti una cum matre expulsi à Bohæmensibus pænitentia ductis revocantur. Quos *Bolislaus Poleniorum Rector* collecto undique exercitu petens, iterum expulit æquivocumque suum exulem pristinis honoribus præfecit, seque domum latentibus insidiis suis alta mentis intentione recepit. Sciebat enim nepotem suum se nimis vindicaturum in fautoribus suæ expulsionis sperans se tunc meliori occasioni forsan introducendum. Quod & ita accidit: Enimvero cum Bolislaus Bohæmensis cerneret populum suum execrando ritui deditum, in maxima securitate constitutum impietatem suam ad confringenda fædera pacis, quam sacramentis firmaverat, in tantum armavit, ut collectis in unam domum coram se cunctis optimatibus, primo generum suum gladio in caput eius merso ipse occideret, cæterosque inermes in ipsa sancta quadragesima vir sanguinum, & dolosus, nec sibi concessos unquam dignus dimidiare dies cum suæ malitiæ fautoribus interficeret. Ob hoc residuus populus multum formidans ad Bolislaum Polenum nuncios clanculum misit, qui perpetrati facinoris magnitudinem edicerent, & futuri timoris ereptionem ab eo poscerent. His libenter auditis, mox per legatum fidelem hunc ad colloquium cominus in arce quadam ad tractanda cum eo quædam necessaria communis utilitatis cum paucis ad se postulat venire. Huic junior Bolislaus ilico consentiens ad condictum locum perrexit, caritative que ab eo primo susceptus, in sequenti nocte, erutis sibi oculis, ne unquam in suos tale quid perpetraret vel amplius ibidem regnare valuisset, ab eius familiaribus est prohibitus exilioque longo deputatus est. In sequenti igitur die ad Pragam velociter properans ab incolis semper de nova dominatione gaudentibus introducitur, communiterque in dominum laudatur. Accrescente igitur ibi seculari potentia attollitur infrenatæ mentis multo major solito contumacia: Hæc lector attendens scito, quod cuius animus in prosperis fit elatior, in adversis sæpè erit humilior, quod non esse sapientis Scriptura testatur. Hæc omnia Rex dictante fama comperiens, honesta gravitate animi patientis tulit, suis duntaxat imputans peccatis, quicquid in regno suis temporibus incommoditatis accidit. Itaque quod oportunum tunc maximè sibi videbatur dissimulatis omnibus, quæ eis acciderant, nuncios ad Bolislaum misit, mandans ei, si terram nuper à se occupatam de sua gratia, ut ius antiquum possit retinere, sibique in omnibus fideliter vellet servire, se eius voluntati in his assentire, sin alias se armis illi velle contra ire. Hanc legationem etsi iustam & bene compositam tamen Bolislaus indigne suscipiens futuram ultionem merito promeruit. Finita namque

que quadragesimali abstinentia, sicut exorsus fuit, festum Paschale Quedlingaburg antecessorum suorum more, honorabiliter Rex celebravit: ibi tum iniquam præsumtionem *Bolislai* & aspirationem *Henrici* dissimulans familiaribus suis ut tantam festivitatem decebat arrisit. Ibi etiam Ottonem ducem & Arnestum à prælio male pugnato revertentes regiis donis honorat, priusquam adminiculis consolatur. Nuncios quoque Redariorum & Luidiciorum misericorditer] *Redarios* & hos, qui *Luitici* dicuntur, misericorditer suscepit, hactenusque rebelles munerum dulcedine, promissionumque jucunditate sedavit, & de inimicis familiarissimos effecit. Post hæc *Rogationum dies* à Christi fidelibus jugiter colendos, *Merseburg* celebrans, de aperta *Bolizlavi* Ducis & *Henrici* Marchionis rebellione intimatum est. Proximum pentecostes festum in *Halberstidi* à rege celebratur. Post hæc ad *Bavariam* tendens, *Henricum* auxilio *Bolizlavi* resistentem, primo devincere, posteaque positas à longè insidias amovere conatur. Comperit etiam (w) ad hoc, quod *Ernestus*, ab eo nuper honoratus, & Dominus Bruno, frater suus, cum eo injuste conspiraverant, ignorantes quod scriptum est: *Virtus consilii expers mole ruit sua.* Rex autem ob sedandam horum arrogantiam, familiares suos undique secus colligens, intrante Augusto, bona præfati Comitis invadendo vastavit, eumque ubicunque extra urbem potuit, „invitum latitare compulit, Dicat aliquis non ignorans causam tantæ præsumptionis, necessa„riò eum hoc fecisse: sublimioribus non congruere potestatibus, tam firmiter promissa cui„quam fideliter servienti subtrahere, devotionemque cæterorum abalienare. Quibus (x) re„ciproco: nullam in hoc seculo esse dominationem, nisi à Domino: & qui se contra eam eri„gat, divinæ majestatis offensam incurrit: subitaneam iniquæ mentis inflationem patientiæ gu„bernaculo debere retrahi, & cum humili supplicatione consolationem expectare sibi veraci„ter præfuturam: satiusque arbitror esse, altius de die in diem ascendere, quam ruinam inexuperabilem subito incurrere. Libenter nepotem meum aliqua ex parte defenderem, si (y) veritatem, à cunctis fidelibus honorandam, (z) polluere auderem. Approbata sunt in multis antiquorum proverbia: *Inveterata populi facinora parere nova mali pudoris detrimenta.* Namque patri regis, genitor istius, non ut miles, sed ut inimicus sæpe resistit, Imperatorisque partem, ut ipse testatus est, ob confirmatam sacramentis gratiam adjuvit. Similiter & iste, usque in finem ultimi Ottonis ei fidelis erat, seniorique suo usque ad hæc infelicia strenuè ministrabat tempora. Sed regi secreto mentis latebat repositum patris, (a) suique scelus infinitum. Spero autem, quod hoc omne pro amore Christi inultum sæpe relinqueret, si hunc tam crudeliter, & cum cæteris sibi contrariis apertè sibi (b) renitentem non cerneret. *Henricus* Marchio quamvis in hoc crimine solus culpabilis appareret, tamen absque consilio aliorum hoc primitus non aggreditur: & quia pro magno dedecore in hoc seculo proditor habetur, maluit hoc conscientia gementi celare, quam sui damnum aliorum augere detrimentis, & ob hæc, qui prius viriliter suam ab hoste defendere studuit patriam tunc aperuit huic in rapinam. Mittitur ei clam à *Bolizlavo* auxilium, nihil sibi omnino proficuum. Venienti autem tunc regi ad locum, qui *Hatberesburg* dicitur, omnem thesaurum suum se præcedentem, *Maganus*, Comitis prædicti miles, cum suis corripit, actumque intra illos dividens, ad *Amardelam* civitatem lætus revertitur. Quos Rex ponè insecutus (c) possedit, compositisque bellorum instrumentis, eos vitam solum, reddita urbe & præda, fidis intercessoribus postulare compulit. Tunc destructa penitus eadem, divisaque inter suos Poleniorum multitudine, Rex inde ad *Crusni* castellum, in quo frater Comitis Henrici, *Bucco* nomine, dominam suam *Gerbergam* cum filiis custodire debebat, proficiscitur. Exercitum autem undique secus circumsedentem *Henricus* Comes cum suis exterius impugnabat vulnerans, aliosque incautè frumentum equis congregantes, perimit. Quod ne amplius fieri potuisset, Rex curiosè prævidit, positis militibus quadringentis, hostemque secretiora quædam petere loca coëgit. Quem ibi castra metantem rustici unius incontinens lingua custodibus prodidit. Hi autem medii fervore diei illo latentibus tendentes insidiis, ut primum castra visis agnovere tentoriis, alia voce per *Kyrie eleison* socios convocantes, hostes, relictis ibidem omnibus suis, capto solum *Ernesto*, effugarunt. Reversi tunc iidem, ex magna parte tristes, efficiunt consodales admodum lætantes, præsentatoque regi captivo, (d) capitalis sententia à judicibus decernitur, quæ Maguntini Archipræsulis *VVilligisi* intercessione supplici, & quæ regi placuit, redemtione (e) amovetur. Tunc audita senioris sui fuga, *Bucco* Comes gravi dolore concutitur, ac quid sibi tunc foret faciendum, socios consulit. A quibus diversa percepit responsa. Quidam dixerunt, obsidem seniori suimet promissam, ac ignaviam perpetuo eis imputandam: mori malle, quam urbem cum tali pignori regi unquam dare. Superstite adhuc seniore suo auxilium semper sperare profuturum. Alii autem qui (f) plus sapiebant

---

(w) ad hæc aliam præsumtionem scilicet quod Arnestus. (x) respondeo. (y) veritati. (z) contraire. (a) suusque Zelus non bonus & par odium. (b) resistentem. (c) circumsedit. (d) capitali sententiæ adjudicatur à judicibus. (e) liberatur. (f) magis sana sapiebant.

piebant, atque *torrenti* & *homini potenti arduum* esse testabantur (g) *resistere*, devictos raro aut nunquam promereri veniam, (h) incolumes, & nullo se tunc vulnere tardatos, cum domina suimet cæterisque bonis ac hospitibus abeundi licentiam apud regem imploraturos affirmabant. Horum, ut opinor, consilio custos ejusdem civitatis *Bucco* cum *Ottone*, germano suimet dominæ loquitur, ejusque suffragiis urbem regiæ potestati tradidit, ipse autem cum omnibus sibi commissis securus abiit. Confestim civitas radicitus dirui à rege jubetur. Sed parcentibus hujus rei auctoribus, magna ex parte cum ædificiis servatur. Interim dum Rex Henrici Comitis urbem, *Crusin* vocatam, possedit, *Bolizlavus* eum in aliquo lædere summopere nisus, clam exercitum colligit, & per nuncios suimet *Guncelinum* fratrem hortatur, ut memor firmæ promissionis, urbem *Misnensem* suæ redderet ditioni, amicitiamque renovaret pristinam. Ille autem sciens, istius (i) ingressu à gratia Regis, & à domino tali se penitus exclusum iri, mandatis talibus respondit: *Omnia quæ præter hæc à me expetis, frater, libenter impendo, & si unquam hæc faciendi opportunitas accidit, non recuso. Sunt mecum senioris mei satellites, qui talia non patiuntur, & si* (k) *hoc publicatur, vita mea cum omnibus quæ possideo, periclitatur.* Hac legatione accepta Bolizlavus, (l) internuntios custodiri, & legionem ad Albim *properare* jussit. Hic qualitatem vadorum secreto perquirens mane facto ipse subsequitur & ad *Strelam* civitatem, quia suæ dos erat filiæ, demandat, ut nec sibi quicquam timerent, neque cum clamore (m) illato convicinos de hac re certos efficerent. Nec mora, exercitus jussu Ducis in quatuor dividitur, & ad *Cirin* castellum vespere convenire præcipitur. Duæ autem phalanges præmissæ, ne sui aliquam à Marchione molestiam paterentur, providere studebant. Totus hic pagus, qui *Glomaci* dicitur, optimè tunc excultus, in una hac die, igne gladio & habitatoris eductione flebiliter desolatur. Sed qualiter, is, qui (n) omnes crebrò fallere solebat, à quibusdam, qui in *Mogilina* urbe sedebant, deluderetur, memorare libet. Hi cum à legione ad eos missa impugnarentur, *cur sic facitis?* inquiunt. *Vestrum seniorem optimum scimus, & hunc nostro præponere volumus, tantum præcedite & nos cum familiis & possessionibus universis subsecuturos non dubitate.* (o) Talia orantes, non amplius vexabant hostes, & seniori suo hos (p) adventare pro certo nunciabant. Sed cùm commilitones ad condictum serò confluere locum, hosque domi sedere, Dux cerneret, multum irascitur, & mendacibus sociis pœnas minatur. Postera luce orto jam sole præda innumerabilis præmittitur, & magna pars hostium *Albi* immergitur. Cæteri domum redeuntes illæsi, dividunt prædam seniori suo optima quæque assignantes. Non fuit minor captivorum numerus, quam tria millia, & ut præsentes affirmabant, multo amplius. *Henricus* verò Comes se jam defecisse animadvertens, ad urbem, *Crana* dictam, properat, ibique *Sigfridum*, filium Comitis *Sigfridi*, juvenem, auxilio se expectantem collato inveniens, nec sibi neque huic ullam in rebellione spem in his partibus promisit. Tandem cum eo multa locutus, eandem incendit, atque ad Bohemiæ tunc invasorem *Bolizlavum* cum domino *Brunone* residuisque fautoribus concessit. *Sigfridus* verò spe palam resistendi frustratus, non eos comitatur, sed de futura commissi emendatione certus revertitur. Rex autem ad *Cranam* hostem insecutus fugientem, lenivit in hos suimet animum, quod agnovit se inimicum in destruendis præoccupasse. Misit tunc *Henricum*, Wirciburgensem Episcopum, & *Erkanboldum*, Fuldensis cœnobii Abbatem, ut *Swinfurdi* castellum incenderent atque diruerent. Quos (q) adventantes *Henrici* Comitis inclyta mater *Eila* nomine, ut tales decebat personas, suscipiens, & salutans, ut præcepta intellexit regalia, perturbatur, concitoque cursu ad Ecclesiam, properans *ibidem ignis concremationem prius sustinere, quam hac comburente viva vellet exire,* testatur. Unde seniores præfati, ob Christi amorem seculares postponendo timores decretam mutabant sententiam, murosque urbis ac ædificia solo tenus frangentes, tristem matronam his mulcebant promissis, si quando cum gratia Regis id fieri potuisset, hoc totum ex sua parte se renovaturos. Rex autem devastata omni Comitis proprietate, & cum beneficio latè divisa, ad *Baveberg* venit, ibique exercitu suo bona cum pace dimisso, *Nativitatem dominæ genitricis* solennibus celebravit gaudiis. Inde profectus ad sylvam *Spehtesbard* nuncupatam, laborem expeditionis delinivit suavitate venationis. Completa ibidem autumnali jucunditate, per *Franciam* transiit ad *Saxoniam*, indicens his proxima hieme (r) suam ad *Milzieni* expeditionem. Post hæc Natale Domini in *Polithi* more priorum divinitus ac humanitus honorando peregit. Deinde ad *Dornburg* veniens, *Willigisum* Archipræsulem cum cæteris familiaribus ad *Gisilerum* misit Archiepiscopum, tunc nimis infirmum, ut memor domini, quicquid in destructo Merseburgensi Episcopatu hactenus deliquit, hanc resumendo, injustamque sedem relinquendo, in ultimis saltem emendare

 dare

(g) contraire. (h) se potius. (i) Satanæ. (k) voluntas hæc. (l) nuncios. (m) aliquo. (n) alios. (o) Talibus. (p) abeuntes. (q) advenientes. (r) transacta.

dare voluisset. Hunc (s) primò propter *Hermannum*, quem sibi idem semper in regno summopere conabatur præponere, odivit: posteaque data huic suimet gratia, inter familiarissimos habuit, commissisque ei o[mn]ibus in *Saxonia* suimet proprietatibus, fidelem in his persensit provisorem, multa quæ [...] suæ arridebant voluntati per eundem complens. (t) Tandem Zelum domini amplius ferre [no]n valens, perfecto hunc persecutus odio, hos, sicut prædixi, misit nuncios. Quibus vix tal[ibu]s respondit: *Dentur mihi trium vel quatuor induciæ dierum, & mihi liceat abire: Quibus transactis, certa vobis referam.* Hoc apud Regem impetrans, & in curru, ut diu tunc solebat, exiens ad *Thriburi* curtem suam venit, ibique duos commoratus dies VIII. Calend. Februarii migravit ab hoc seculo. Quo audito, Rex corpus Archiantistitis præcedens, usque ad *Magdaburg* subsequitur, præmittens eò Capellanum suimet *Wigbert*, ut de electione *Tagmonis* unanimem confratrum voluntatem impetraret. Sed præpositus ejusdem civitatis *Waltberd* nomine, convocatis in unum confratribus universis, obitum (u) senioris & adventum regis pariter (w) indixit, obsecrans, ut invicem unum aliquem inquirerent, cum quo antiquam eligendi consvetudinem retinerent. Cui ab omnibus illico respondetur, *eundem se communiter velle in dominum, divina ad hoc favente gratia, habere.* Hoc cum magna, ut decuit humilitate, idem suscipiens, veniam prostratus petiit. Delatum est corpus Archiepiscopi ad sanctum Johannem, ibique proximam noctem dignis servatur honoribus. Postera autem die cum ad sanctum portaretur Mauritium (x), adveniente tunc ibidem rege, ab eo omnique clero & populo suscipitur, secundamque noctem diligenter custoditur. Mane jam facto *Arnulphus* Episcopus à rege ad confratres & (y) milites admodum tristes, gratia *Tagmonem* eligendi, mittitur. Cui legationem suam cunctis (z) ordine pandenti, *Walterdus* respondens præ omnibus: *Scimus*, inquit, *quid vester senior intendat. Volumus, si licet fieri, potestatem habere eligendi; & cuncti præsentes hi, me quamvis indignum, voluerunt in vacuum succedere, ut ipsi potestis* (a) *probare. Detrimentum Ecclesiæ fieri nostra multum* (b) *veremur, quod ne* (c) *eveniat, regiam pietatem ac vestram petimus intercessionem. Non sumus immemores proverbii cujusdam sapientis: Libertatem populi, quem regna cohercent, libertate dominantis perire, tantumq; ejus* (d) *verbera servari, si cunctis ejusdem velit obtemperare præceptis.* His (e) dictis, Præsul egressus, regiis omnia instillavit auribus. Qui mox præpositum vocans, multumque ei promittens, & sui licentiam ac (f) consociorum in electione *Tagmonis* gratiam (g) acquisivit. Confestim in majorem convenientibus Ecclesiam cunctis, Rex baculo *Arnulphi* Præsulis clerum & populum (h) *Tagmoni*, * venerando patri, cum redditura summo judici ratione, commisit, eundemque in cathedram Episcopalem ipse constituit, astantibus universis, & laudes domino canentibus. Celebrata pro defunctis memoria, corpus Archiepiscopi coram altari australi sepelitur. Sed antequam ad nostræ sedis renovationem perveniam, libet quædam de præfato viro, qui tunc ordinandus erat, disserere. Fuit hic egregii clericus (i) *Wolfgangi*, qui Ratisbonensem pius pastor, habitu & conversatione Monachus, rexerat Ecclesiam. Huic tam charus erat iste, ut in vice filii à puero nutriens, eundem jam adultum bonis suimet omnibus præfecisset. Insuper Ducis & Imperatoris gratiam in tantum ei acquisivit, ut si quando se de hac luce divina jussione subtraheret, hunc sibi successurum non dubitaret. Consummato tunc hujus exilii cursu, *Wulpo* (ii) in sanctitate admirabili venerabilis antistes, cum jam usque ad mortem ægrotare cepisset, accersito ad se dilecto Tagmone: *Pone*, inquit, *fili os tuum super os meum, accipiens à domino* (k) *sufflationem spiritus mei, ut ubicunq; ardore juventutis incalescente in* (l) *genuina charitate sis frigidus, à summa potestate, meiq; benevolentia temperamentum* (m) *accipias, & si meis honoribus forsitan privaberis, post bis quinos solares annos, cum mea apud dominum lue commissa, majoribus pro certo lætaberis.* Post hæc vir sanctus cum finem suum in (n) spiritum præsciret, jussit se in Ecclesiam portari, expletisque ab eo orationibus, cæterisque, quæ à fratribus facienda erant, secum sibi commissis domino commendans, pridie Calend. Octob. sanctum emisit in pace spiritum. Electus ille ab universis ad Imperatorem venit, sed promissa non percepit, dato tunc ab Imperatore Episcopatu capellano suimet *Gebehardo*. Committitur huic iste fideliter, & quamvis ab eo honorabiliter haberetur, tamen quia bonum & malum non sunt ad aliquid, (nn) non longum tempus cum eo, ob morum suorum inæquabili-

(s) Archiepiscopum Gislerum Rex. (t) Tandem verò zelo Dei instinctus justitiam tantam amplius. (u) Præsulis. (w) indicavit. (x) superveniente. (y) ministeriales. (z) præsentibus. (a) cernere. (b) timemus. (c) proveniat. (d) umbram. (e) auditis. (f) fratrum. (g) impetravit. (h) cum redditura summo judici rationem. * [Tagmo Gisileri successor, alii Dageno. Puto autem Tagmo corruptam esse lectionem pro *Tagino*] (i) Pontificis. (ii) [*Wulpo*, id est Wolf, vel Wolfgangus supradictus.] (k) inspirationem. (l) gemina. (m) Spiritus Sancti. (n) Spiritu. (nn) [id est bonum & malum non sunt relata, sed opposita.]

quabilitatem, versatur. Adhæsit namque ilico [Tagmo] *Henrico*, tunc Duci, & propter castitatem mentis & corporis ei complacuit, ac usque ad hunc diem, quam præfatus sum, malis moleste, bonis accepte, per dies & per noctes ei servivit, domino & hominibus sua specialiter impendere satagens: completurque ob hoc à rege, propter sancti viri ab eodem unicè dilecti amorem, (o) veridicum ejusdem vaticinium, decursis tunc, ut ipse dominus *Tagmo* sæpe mihi retulit, decem annorum curriculis. Qui charissimum suimet dominum ac Reginam cum omnibus consociis, multiplicibus, ut decuit, honorat muneribus, nequaquam suæ benignitati ad hoc suppetentibus. Inde Rex cum eodem ad castellum ipsius nomine *Gibigenstein* pergens, omnia, quæ ibidem ab Giselero antistite collecta sunt, singulariter perspicit, & hæc esse superflua testatur. Dehinc *Merseburg*, diu pastore suo viduatum, consolationis gratia adiens, tandem pristinis restitui honoribus quàm maximè conatur. Ibi tunc Tagmo venerandus IIII. Non. Februarii, id est ὑπαντῇ domini, id est, *obviatione justi Simeonis*, accepta ab *Hilderico* Antistite licentia, qui primus horum in ordine fuit confratrum, à *Willigiso*, Archipræsule Maguntino, consecratus est, præsente rege, ac Romano nuntio, omnibusque coëpiscopis ad hæc faventibus. Et quia is, ut scriptum ejus testatur, à solo ordinandus Apostolico, huc venire propter instantem necessitatem non potuit, ibidem sacri chrismatis delibutione tunc (p) civium implevit numerum, *Waltberdo* post se omnem committens Episcopatum. Rex autem, quo semper esurivit atque sitivit justitiæ cibo, gestiens tunc satiari, quia aliter non posse fieri apud Arnulphum Præsulem sciebat, cum centum *concambio* mansorum super solum Merseburgense (pp) *Burgwardium* Episcopalem redemit bannum. Quicquid autem à charissimo Tagmone exposcerat, bonæ voluntatis abundantia hoc largiente, perceperat. De *Misnensi* autem & *Cicensi*, *Episcopatibus*, decretum regia potestate ad integrum redire, quod antiquitus hinc demptum, voluit explicare. Unde his versibus (q) præludo Christi odas concinentibus.

O* *Sol justitiæ fulges super omnia Christe,*
Adventu primo mundum redimensq; secundo,
Cum patre plasmator dissolvens examinator,
Solus pro variis dispensans præmia factis
Humano generi sceleris per prona labenti,
Vera dies, lucem tu nunc benedicito talem,
Qua prius Ecclesiam visitasti despoliatam.
Merseburg te laudet, de tuis munere gaudet,
Ejus & nati, pastores ac renovati,
Persolvant grates tibi nunc ex corde fideles.
Inclyte Rex regum modò suscipe plasma tuorum,
Clemens Henricum de cœlis respice servum,
Et contectalem suimet defende fidelem,
His tua pro parvis bona præstans maxima donis.
Vivat in ætherea Tagmonis spiritus aula,
Waltberd & Gero valeant in fine beato;
A Christo salvi sint omnes; atq; locandi
Sedibus Elysiis, te Mersburg qui pietatis
Affectu, dextris exaltavere benignis.
Omnia qui primus regis Deus, atq; supremus,
Hanc moderare, tuo queat ut subsistere remo,
Ejus custodes tua sint præcepta sequentes,
Hostes nil valeant, conversi sed bona reddant.
Sis rogo propitius, qui destructor fuit hujus,
Insuper & cunctis, qui subvenere, malignis
Da veniam, læti quo spectent certa futuri.
Vrbs Vormacensis gaudet temporibus istis
Libertate sua, cujus manebat in umbra
Hactenus, atq; Ducum fuerat sub lege suorum.
Burkard Antistes lætatur & inter beriles
Ex animo proceres, quod non timet amplius hostes

Nunc

(o) quippe qui nutritor ipsius Regis extitit. (p) tertium implevit. (pp) [*Burgwardium* territorium agri.] (q) lætitiæ.

* [Hi versus Prologus sunt libri sexti, uti ex clausula, quæ in Manuscripto est, vides, unde titulus libri sexti ante hos versus ponendus esset.]

Nunc ex contiguo, longè semotus ab illo.
Aula Ducis, domini domus est, jam prædia Christi
Et judices varios clerus nunc deprimit illos.
Hoc Rex Henricus fecit, pietate coruscus,
Hanc propriis solvens rebus, Christoq; remittens.
Annuit ista pius * OTTO DUX, *atq; benignus*
Munere regali concessit abundè teneri:
Ex hoc lætantes sint semper quiq; fideles.

[EXPLICIT PROLOGVS INCIPIT LIBER SEXTVS.]

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPVRGII

LIBER VI.

DE RESTITUTIONE EPISCOPATUS MERSEBURGENSIS.

POst salutiferum intemeratæ virginis partum, consummata millenarii linea numeri & in quinto cardinalis ordinis loco, ac in ejusdem quartæ initio hebdomadæ in Februario mense qui *purgatorius* dicitur, clarum mane illuxit seculo, & *Henricus* divina gratia rex antecessorum suorum nævum cupiens emundare, sibique (r) veniam promerere æternam, dispositis secundum suimet placitum ad hoc pertinentibus cunctis, perrexit ad domum suam, ubi se corporaliter semper solebat reficere, ut ibi desiderato diu alimento paululum recrearetur in mente: Convocansque ad se omnes regni primates, dedit Episcopatum sanctæ Mersburgensis Ecclesiæ Capellano suimet *Wigberto*, cum Archiantistitis baculo *Tagmonis*, cum quo ipse, quicquid antecessor suus injuste de hac auferre præsumit Ecclesia, renovationi ejusdem arridens reddidit, consentiente hoc *Arnulpho* præsule, *Eido* quoque & *Hillebardo* Episcopis, quibus diœcesis illa fuit (s) divisa, ac omni populo applaudente. Ductus mox cum divina jubilatione ad sedem suam *Wigbertus*, eodem die ab Archiepiscopo suimet *Tagmone*, & à confratribus *Hillerico* & *Wigone*, cum prædictis coëpiscopis consecratur. Interim *Bolizlavus* eodem suo furore, & Comitis *Henrici* instinctu, magnam vim Bavariis, omnibusque concivibus suis intulit. Ob hanc causam Rex indicta prius expeditione *Milzivi* fines hostiliter invasit, & ni superflua nivis effusio celeriter resoluta eum impediret, omnis hæc regio habitatore vastata caruisset. Inde reversus tristis, *Gunzelino* Marchioni cæterisque patriæ defensoribus positis auxiliatur præsidiis, ac tunc *Merseburg* veniens, fratrem suum fugisse ad Ungariorum regem veniæ gratiam acquirendæ, *Henricum* autem incepti multum pœnituisse, à fidis intercessoribus ab eo missis comperit. Quorum, & maximè perchari suimet *Tagmonis* & *Bernhardi* Ducis supplicationes, etsi invitus suscipiens, præfato Comiti suimet gratiam ea ratione indulsit, ut prædium sibi suisque fautoribus & incolatum redderet, ipsum autem quamdiu voluisset, in custodia detineret. *Henricus* vero se nimis in omnibus culpabiliter professus, more & habitu pœnitentis Regi se tradidit, ejusque jussione ab Archipræsule prædicto in castellam *Witganstein* detruditur, diligenterque à suis militibus die noctuque (t) servatur. Interea Rex Italicæ haud immemor injuriæ, omnes suos fideles ad hanc ulciscendam hortatur, ac instanti quadragesima ipse eo cum armato milite destinavit pergere. A *Merseburg* tunc exiens, sancti Mauritii apud Dominum intercessionem itinerisque prosperitatem *Magdeburg* petiit. Inde per *Turingiæ*, Orientalisque fines *Franciæ* transiens, ad *Ratisbonam* venit, ibique regali habito placito, militi suimet, generoque, *Henrico*, XII. Calend. April. cum omnium laude præsentium, cumque hasta signifera, ducatum dedit. Dehinc Augustanam urbem itinere attingens, à *Sigfrido*, Antistite ejus, honorabiliter introducitur & habetur. Ibi tunc duas tantum noctes commoratus, Reginæ diligenti salutatione licentiam dedit, ad Saxoniam abeundi, dilectoque eam commisit *Tagmoni*. Ipse autem cum exercitu progreditur usque ad locum, qui *Schanga* dicitur, ubi dominus *Bruno*, frater ejus cum Ungaricis intercessoribus Regi præsen-

* [Otto dux Austrasiæ seu Wormatiæ.] (r) præmium. (s) distributa. (t) custoditur. Ubi præter aliud bonum opus in una die psalterium cum 150. veniis cantavit.

præsentatur, & ab eo sibi data gratia misericorditer suscipitur. Equidem ab Archiepiscopo *Tagmone* rogatus ad prædictam civitatem veni, & cum eodem redii. Venimus ad *saltum Geronis*, ibique cum venerabili Abbatissa *Hathui Palmas* solenniter peregimus. III. feria ad Magdeburg (u) veniens, *Cœnam Domini*, & subsequente dominicæ *Resurrectionis solennitatem*, ibidem celebravit. Rex autem per multas itineris asperitates ad Tridentem veniens urbem, ibi Palmarum festa colit, & exercitum nimii laboris necessitate afflictum, hac celebri solennitate paululum respirare permisit. Quem adventantem *Hardwigus* Rex præsciens, ac multum expavescens, ad munitiones supra memoratas nuncios probatos misit. Ipse autem collectis agminibus in Veronensi planicie confidens, sperabat præsentia præteritis prosperitatibus forsitan respondere. Hunc transitum *Henricus* Rex interclusum, aut vix aut nequaquam expugnandum, comperit, & aliò se vertens, cum suis tractat familiaribus, si *Clusas* hinc longè remotas, *Carentanis* auxiliantibus, intercipere ullatenus valuisset. Quod consilio prudenti, quamvis arduum multis videretur, effectum est. Carentani regalibus jussis illico obtemperantes, in duas dividuntur legiones; Unam, quæ ante ipsum diei crepusculum montem clusis superpositum, occupabat: alteram quæ jam facto mane ad has expugnandas subsequitur, audito à præmissis commilitonibus signo tam vehementi, ut ex latentibus hostium insidiis audiri potuisset. Qui post tergum, ut opinabantur securi, venientibus obviam armati properant. Sed nostri eos ex latere irruentes alios effugarunt, quosdam autem præcipitio, & in *Brenti* fluminis inundatione, compellebant interire. Sicque victores clusas usque ad regis adventum solicitè tuebantur. Hoc Rex ab internuntiis ut audivit, relictis omnibus impedimentis, optimis satellitibus exceptis, cum magna difficultate eas pertransit, & juxta littus aquæ suprà memoratæ in quadam grata planitie castra metatus est, ut ibidem Cœnam Domini, & Chrismatis consecrationem, ac Passionem Dominicam & sanctam ejus Resurrectionem, summoperè veneraretur. Interdicta est omnibus per bannum regalem à Palatino Comite fuga, & resistentibus viriliter promittitur consolatio futura. Rex autem in tertia feria aquam transiens prædictam, fixis iterum tentoriis, requievit, explorantes præstolans solicitè, ad quærendam *Hardwigi* hostis conversationem. Qui cum suis hactenus in malo unanimis, divinæ pietatis instinctu dividitur: & ab injusto suo plantore auxiliaris manus disjuncta, à domino coronato regi *Henrico* securum fuga patefecit ingressum. *Verona* primò eundem suscipiens, exultat in domino, advenisse defensorem patriæ, auctorem verò abiisse totius miseriæ. Huic occurrit diu expectatus *Thiebaldus* Marchio cum prædictis auxiliatoribus gaudens tempus advenisse, quò secretum bonæ voluntatis sibi liceret huic aperire. Tunc Rex tali comitatu *Brixnam* veniens, ab Archiepiscopo Ravennati, & ab hujus sedis provisore *Ethelberone* cum conprovincialibus suscipitur. Inde *Bergomum* ab Arnulpho Imperatore olim devictam, itinere attingens, Mediolanensem Archipræsulem, fide sacramentis firmata recepit. Post hæc *Papiam* visitans urbem, ab Archiantistite hoc, & à primis illius regionis susceptus, cum admirabili laude ad Ecclesiam ducitur, & communi electione sublimatus, in solium regale collocatur. Eademque die (w) revelatur, qua mutabilitate totius mundi hujus instabilis cursus in (x) pronum semper volvatur. Namque inter tot (y) gaudia subito (z) insevit inimica pacis discordia, & à superflui vini ebrietate de vili causa interrupta est miserabiliter fidei connexio & sacramenti. Concives adversus noviter electum regem armantur, ad palatium properant, & maximè hi, quibus jus *Henrici* displicebat, *Hardwigi* autem relaxatio (a) mulcebat. Clamor ut à rege auditur, *quid hoc esset*, explorare citius ab eo jubetur. Cui protinus respondetur, *plebeios furore subitaneo inflammatos, & servili præsumptione animatos, hanc commotionem primitus incepisse, cæteros quoq; omnes in detrimentum sui vel dedecus* (b) *convenisse*. Quos jam irrumpentes *Heribertus*, Agrippinæ (c) provisor egregius, sedare conatus, ut de fenestra causam tantæ invasionis inquirit, lapidum imbre & sagittarum infusione retruditur. Palatium autem ab hostibus graviter impugnatum, à domesticis regis, facilè numerandis, viriliter defensum est. Divisis etenim plura necessaria nostris, major (d) excrevit inimicis. Tandem audito clamoris immensi strepitu, nostri gregatim ad regem properant, hostesque adhuc insanientes paululum expellunt. Sed imminente jam nocte sagittis atque lapidibus obviis tardantur. Quæ ad providenda (e) urbis tunc incendunt mœnia. Nostri autem, qui foris erant, urbis propugnacula fortiter ascendunt, quibus hi sic melius resistebant. Ibi tum quidam egregius iuvenis, *Gisilbertus* nomine, frater Reginæ, à *Longobardis* vulneratus, oppetiit, & consociorum tristitiam vehementer adauxit. Quem *Wulferam* miles, in medium agmen prosiliens, unumque ex his per galeam usque in jugulum feriens, securus vindicavit. Sic alternando

Bbb quietem

(u) Regina. (w) propalatur. (x) præceps. (y) concordiæ. (z) infremuit. (a) iniqua demulcebat. (b) conjunxisse. (c) sedis. (d) vis crevit. (e) pericula.

quietem cunctis amicam, (f) belli asperitate mutabant. Nonnullos ex hostibus, quos vi capiebant nostri, vivos regi præsentabant. Subitò ibidem una domus, quæ nostros tuebatur defatigatos à Longobardis incensa ruit, ac eos nulla spei certitudine potitos alacriores (g) bello reddidit. Interim Alemanni cum Francis & Luthariensibus (h) tandem hæc mala rescientibus, fractis intrantes muris, in tantum concives persecuti sunt, ut è munitione domorum suarum nec unus egredi (i) præsumeret. Harum summitate hi nostros jaculis gravantes immissis, incendio (k) perierunt illato. Difficile est cuiquam ad enarrandum, quanta ibidem strages diversis efficitur modis. Milites regis tum victores sine ulla offensione spoliis interemptorum utuntur. Hoc miserabili aspectu Rex motus, & ut residuis parcerent, firmiter præcipiens, se ad munitionem sancti Petri contulit, hostibusque veniam suppliciter implorantibus misericorditer indulsit. Tunc absentes quique accepta regis victoria, aut ipsi veniunt, ut talia declinarent, aut obsides mittunt, fidem, auxilium & subjectionis debitum regi promittentes. Sedatis tunc *Papiæ* calamitatibus, Rex ad pontem longum venit, Longobardorumque residuum agmen per manus suscipit, habitoque ibidem cum omnibus eloquio, rebusque maximis prudenter ordinatis, *Mediolanum*, sanctissimi Præsulis Ambrosii amore petiit, moxque ad prata prædicti pontis reversus præsentem populum, de subito ejus conquerentem discessu, promissa celeri sui met reversione, cæterisque consolationibus multis placavit. Insistentem vero tunc *Pentecostes* solennitatem, in loco qui *Grommo* vocatur, celebrat. Inde tum procedens, (l) *Thuscos* sibi obviantes in consortium sibi firmiter servientium suscipit. Dehinc patriam revisere festinans, *Alemanniæ* fines, nuper a Ducis *Hermanni* solatio privatos, filioque ejus, & æquivoco, adhuc puerulo, deditos ad regendum & confirmandum, invadit. Inde in *Alsatia* positam petens *Argentinam*, venerabilem *Christi præcursoris* ibi excolit *nativitatem*. In cujus vigilia quæ dominus per eum fecit mirabilia, non sunt mihi prætereunda: quia hæc piis ad delectationem, reprobis autem ad terrorem dicuntur. Domus in qua Rex populo legis (m) Justitiam dabat, subito cecidit, uni duntaxat presbytero nocens, cum domina excommunicati injusta sedulo commoranti. Ille præ cæteris in hoc crimine culpabilis, morte sua, prius confractis cruribus luit pœnam commissi facinoris. Quam dulcia piorum gesta ad ædificationem animæ (n) ipsi legimus, & ab aliis visu ac auditu didicimus? & tamen obdurato corde miseri desipimus, nec amovemur inolita nequitia certis malorum pœnis, (o) neque delectamur inæstimabilibus justorum præmiis. Hinc Rex discedens (p) sancti Martini Præsulis limen *Magontiæ* supplex adiit, ibique *Natale Apostolorum* venerabiliter coluit. Post hæc per *Franciam* Orientalem iter faciens, *Saxoniam*, ut sæpe professus est, *securitatis ac totius ubertatis quasi florigeram paradisi aulam*, revisit. Ibi tunc diu reconditum Zeli latitantis arcanum simplici corde (q) evomuit, & ad compescendam *Bolizlavi* arrogantis sævitiam, omnibus in sua ditione Christo sibique fidelibus expeditionem Augusto jam mediante indixit. Statuto igitur (r) termino, in *Merseburg* exercitus fit collectio, ac in hostem tandem secreta promotio. Assimulato namque in Poloniam itinere naves (s) glomerantur, ut ficta suorum benevolentia non fieret inimico circumeundi (t) propalatio ulla. Interim magna imbrium effusione in transeundis fluminibus exercitui (u) ineffabilis fit retardatio, & cum minimè quis hoc conjicere potuit, in Bojemiam Rex celeriter (w) porrexit. Hujus adventum leo rugiens cauda subsequenti impedire satagens, in sylva, quæ *Miriquidvi* dicitur, montem quendam cum sagittariis, prorsus intercluso omni aditu, firmat. Rex autem id comperiens, præmissis clam loricatis militibus electis, hostibus invitis, arduam irrupere viam, facilem subsequentibus parantes callem. Inter hæc Bolizlavo in una dierum cœnante, unus ex nostris, capellanus *Reinberni*, Præsulis sui, de adventu nostri exercitus loquitur, & ab eo mox auditus, quid diceret, (x) rogatur. Cui responsa (y) referenti, tum infit: *Si reperent ut ranæ, non possent adhuc advenisse.* Et verum est hoc, ni aspirasset regi divina pietas, & hunc non inflasset superbiæ magnanimitas, non provenisset nobis tam subito victoriæ prosperitas. Adjuvit etiam regem exulis Jaromiri, qui *firma pax* interpretatur, comitatus, & adoptatus ejusdem adventus Bœimorum delinivit agmen. Horum consultu & vocatione regi introitus patefit, & in ipsa regionis istius janua unum castellum sua eidem sponte reddidit. Rex propter Bavarios nondum adventantes tardato paululum itinere, ad urbem *Satzi* dictam venit, & concives hos portas sibi illico aperientes, & Polenos intus præsidio positos occidentes sui met cognovit amicos. Videns Rex tantam stragem, commovetur, & superstites in una præcepit Ecclesia retrudi. Adest etiam, qui *Bolizlavum*

(f) Martis. (g) pugnæ. (h) demum. (i) auderet. (k) cito. (l) Duntuscos. (m) jura. (n) sæpe. (o) nec ad correctionem vitæ justorum præmiis ineffabilibus delectati convertimur. (p) ab Argentina. (q) eructavit. (r) tempore. (s) in *Boruz* & *Nisani*. (add. 138) (t) facultas aliqua. (u) difficilis fit progressio. (vv) transiit. (x) inquiritur. (y) repetenti tyrannus refert.

Iarum à conprovincialibus esse interemptum pro certo referret. Lætantur in domino familiares regis, corruptique tristantur fautores adulterini Ducis. Hi invicem mussantes (z) ex injusti cordis sui secretario hoc evomuere mendacium: Si Rex unquam in bona securitate consisteret, se tunc ad nihilum valere, multaque ab eo pati contraria, debere. Propter hoc latente igniculo sub cinere in hoc itinere, ac postea sæpissimè, Regi suo cunctorum hostem fidelium, brutis pejores animalibus, præposuerunt, ignorantes, quod ab eorum fraude vicarium suimet in terris Dominus pater (a) ingenitus, speculato desuper, liberaturus erat è cœlis. Tunc *Iaromirus* jussu regis cum optimis militibus ex nostris, ac cum incolis sibi adhærentibus, ad capiendum seu occidendum serpentem venenosum *Pragam* præmittitur. Quem præoccupantes nuntii præscriptorum, rem ordine pandunt Bolizlavo, de tali periculo prius securo. Hic legatione tali commonitus, clam se præparavit, & subsequenti nocte jam mediante, audiens in urbe proxima, quæ *Wissegradi* dicitur, campanas, cives ad bellum sonitu hortantes, cum prima legione exivit, & patriam fugiendo revisit. Quem *Zobissaus*, frater Athelberti præsulis, & Christi martyris, subsecutus, in ponte vulneratus opetiit, & magnum hostibus gaudium, suis autem luctum ineffabilem reliquit. Crastina autem die *Iarimirus* adveniens, populis jura veniamque commissi poscentibus ante portam dedit, illicoque intromissus, pristinis honoribus magna jucunditate inthronizatur, ac tunc depositis vilibus indumentis preciosioribus ornatur. Huic ibi tum præsentatur, quicquid unusquisque militum hosti fugitivo vel occiso spoliorum abstulit. Muneribus idem delectatus plurimis, ad *VVissigrani* introducitur, ibidemque in dominum exclamatur, Regis indulgentia & secum hucusque perseverantibus diu elaboratum (b) permisit bravium. Confluit undique secus tam vulgi quam (c) seniorum ineffabilis turba, ad gratiam novi Ducis percipiendam, & ad præstolandum gloriosi regis accessum. Hic tandem adveniens ab Antistite *Thieddago* & à Duce *Iarimiro* cum immenso cleri totiusque populi tripudio suscipitur, & ad Ecclesiam sancti Georgii deducitur. Cunctis mox dignitatibus à rege honoratur *Iarimirus* paternis, convocatis indigenis coram omnibus. Sed cum ibi *sanctæ Domini genitricis ortum* omni celebrem mundo Rex veneraretur, *Godescalcus*, sanctæ Frisingensis Ecclesiæ venerabilis pastor, nomen cum re possidens, missam canere, ac popolos instituere ab eo præcipitur, ac ab Episcopo sedis illius permittitur: Perlecto tum Euangelio, (d) præsentes idem admonet de timore divino, & de conservando geminæ dilectionis vinculo, de obedientia domini, sublimiorumque honore potestatum, & ad ultimum regem suaviter aggreditur, ut semet agnoscere, & omnia quæ à primis vitæ hujus cunabulis usque ad hoc tempus honoris alicujus, aut commoditatis, unquam percepit, largitati divinæ potius, quam suis meritis ascribere voluisset. Insuper misericordiæ mentionem fecit, quæ unicum est salutis præsidium, venerabile fidei ornamentum, & magnorum remissio peccatorum. In cujus opere servando unicuique Christo fidelium tria sunt semper (e) optanda, posse & velle ac perficere: Quæ cum à cunctis sint adimplenda, ab his maximè qui nullum lædentes, sibi avent similia, (f) ad non recompensare, ut & acceptabile ab his domino votum fiat, ex corde debet (g) unumquodque largiri, & cunctis debitoribus (h) remitti, ne mali vice servi diris astringantur tormentis. Et his concludens, *te*, (i) inquiens, *obtestor per nomen & amorem ejus, qui suo debitori decem millia talentorum, id est, Judæis (k) recutitis suorum transgressionem præceptorum indulsit, Henrici quondam Marchionis, nunc autem, ut spero vere pænitentis, senior Charissime, miserearis, vincula solvas, & gratiam dones, ut eo liberiori animo hodie dominū interpelles: dimitte nobis debita nostra*, &c. Hac Rex exhortatione lacrymabiliter profusa, placatus, sic se facturum firmiter spospondit, & post hæc domum veniens, misericorditer adimplevit. (m) Statutis ibidem tunc omnibus, Bavarios domum remisit. Ipse vero cum Boiemorum Duce novo *Milzienos*, qui tum sibi fuere proximi, terminos, per ineffabilem itineris difficultatem adiens, *Budissinam* urbem (n) possedit. Sed cum in una dierum unumquemq; suimet fidelium ad expugnandam eandem incitaret, ab uno sagittariorum è propugnaculis, ni divina custodiretur providentia, vulnere improviso (o) cæderetur. Quod illi, qui (p) secus se stabat proximus, nocuit, & propositum inimici in alio peregit. Rex autem elevato ad dominum corde supplici, hunc laudat, qui solitam pietatis vigilantiam sibi immerito revelavit. Urbs vero præfata igne jam adportato combusta jaceret, ni hoc Guncelini Marchionis jussio infausta prohiberet. Vulnerantur invicem multi, & nonnulli perempti sunt. Ex nostris autem unus nobilis & genere & virili conversatione, *Hemuza* nomine, cum urbanos crebro certamine provocatos, penè usque ad muros insequeretur, molaris

 dimidio

(z) ex improbo cordis secretario. (a) omnipotens. (b) spopondit. (c) nobilium. (d) gradum ascendit. (e) adoptanda. (f) à Deo recompensari. (g) quæque petita. (h) debita dimittere. (i) ò Rex gloriose. (k) recusatis. (l) mandatorum. (m) Dispositis in Praga. (n) obsedit. (o) læderetur. (p) propter.

dimidio lapidis per galeatum caput prostratus, ab inimicis insultantibus in urbem mortuus trahitur. Hujus cadaver Henricus Comes, frater meus, cujus miles fuit, pretio comparatum ad patriam reduxit. Alter vero qui ob assiduum venationis exercitium indomitus *Tommo* vocabatur, dum in *Sprevva* flumine hostibus fortiter resistit, torrentum lubricatione lapidum corruit, optimaque diu protectus lorica, tardo tandem vulnere, proh dolor, oppetiit. Hunc unus ex suis satellitibus, ne aliquo deduceretur cum prohibere tentaret, cuspide perfossus, super eum corruit. Prædicta belli asperitate jam penè devicta, jubente per nuntium suimet *Bolizlavo*, regiæ potestati urbs salvis defensoribus traditur, præsidioque novo munitur. Post hæc Rex cum exercitu, itinere ac inedia jam defatigato, domum rediit, Marchiones ubicunque opus fuit, solitis adjuvans admuniculis. Hic cum se in *Merseburg* optatæ quieti indulgeret, Esiconem venerandum Comitem longa infirmitate vexatum, vitam hanc in *Lipsie* finisse comperit. Hujus corpus adveniens ipse suscepit, & honorifice sepeliri juxta Ecclesiam sancti Johannis Baptistæ in septentrionali parte (q) præcepit, pro cujus animæ remedio quoddam ejusdem (r) prædium, *Vppusan* nominatum, cum candelabris duobus argenteis, altari sancto & confratribus, ibidem domino famulantibus (s) dedit. Insuper *Wigberto* Antistiti mercatores & Judæos, (t) à *Gisilero* primitus acquisitos, ac diu commutatos, reddidit. Comitatum super Merseburg, & beneficium ad hunc pertinens, *Burchardo*, & super quatuor urbes, juxta *Mildam* fluvium positas, *Thiedberno* beneficium concessit. Omne autem prædium sibi judicio retinuit. *Henricum* Comitem à custodia absolutum cum gratia abire præcepit. Sicut sanctæ matris Ecclesiæ prospera (u) spirituali ejusdem proli ad augendam Christi gloriam sunt proloquenda, ita ejusdem detrimenta ad compunctionem provocandam huic sunt enarranda. Quia hæc unanimi lætitia, ista autem mœstitia pari conquerenda, & (w) molli patientia sunt ab hac sufferenda. In *Pathebrunnum*, monasterium & omnis ejusdem apparatus, flamma, nostræ iniquitatis ultrix, consumens, multorum corda fidelium commovit, quæ amor divinæ remunerationis ad renovanda communiter accendit. Posita est etiam in loco, qui *Throtmunni* dicitur, magna synodus, ubi Rex Coëpiscopis, præsentibusque cunctis, plurima questus est sanctæ Ecclesiæ (x) convenientia, & communi eorundem consilio hæc statuit deinceps prohiberi, & optimo novæ institutionis decreto gravem peccatorum suimet sarcinam relevari, Anno dominicæ incarnationis M. V. Anno autem domini *Henrici* Secundi regnantis quarto in die Non. Julii. [Nonar: Julii actum est in *Throtmanni* hoc decretum ejusdem victoriosissimi Regis & coniugis eius gloriosæ Cunigundæ Reginæ nec non & Archiepiscoporum horum Heriberti Coloniensis, Lievizonis Bremensis, Thaginonis Magdeburgensis. Istorum quoque Episcoporum Suicgeri Mimingardevordensis, Thiederici Metensis, Bernhardi Ferdensis, Bernvvardi Hildesiensis, Rhetarii Paterbrunnensis, Burchardi Wormatiensis, Nothgeri Leodiensis, Ansfridi Trajectensis, Thietmari Osnabruggensis, Wicperti Merseburgensis, Eckihardus - - Othinkardi. In obitu cuiusque prænominatorum singuli Episcoporum intra triginta dies ni infirmitas impediat missam pro defuncto celebret, & unusquisque priorum similiter faciat. Presbyteri vero forenses tres Missas peragant. Diaconi & cæteri inferioris ordinis decem psalteria Rex & Regina infra triginta dies mille quingentos denarios pro animæ redemtione erogent & totidem pauperes pascant. Episcopi singuli trecentos pauperes pascant, & triginta denarios expendant, & totidem lumina accendant. Dux autem Bernhardus quingentos pauperes pascat, & quindecim solidos expendat. Vigiliam Sancti Johannis Baptistæ & Apostolorum Petri & Pauli sanctique Laurentii & omnium Sanctorum in pane & sale & aqua decernimus jeiunare. Vigiliam sanctæ Mariæ assumtionis, & omnes vigilias sanctorum Apostolorum sicut in quadragesima. Quatuor tempora anni, sicut in quadragesima exceptâ feriâ sextâ ante natalis Domini, quam in pane & sale & aquâ ieiunandam decernimus. Fresones Rex navali exercitu adiens ab incepta contumelia desistere, & magnum Zelum *Luidgardæ*, sororis Reginæ placare coëgit. Præcepit etiam in palatio & in omnibus comitatibus regni sui expeditionem in Poleniam & conventu in *Liezca* per bannum fieri. Exercitus convenit statuto die id est 17 Kal: Sept: condicto loco. Rex autem solennia de pausatione sanctæ Mariæ virginis Magdaburg celebrans ipso die post missam & caritatem expletam comitante Regina Albiam transnavigans proficiscitur. Diebus his *Ricdago* Abbate de monte sancti Johannis Baptistæ ob crimen quoddam à Thaginone Episcopo deposito *Alfkerus* Monachorum in *Palithi* Christo servientium provisor in vacuum præponitur, & proposita religio sanctæ conversationis hactenus firma consistens miserabiliter destruitur, & flebiliter in nomen præpositituræ [mutatur,] unde & futuræ miseriæ primum indicium extitit, Hoc etiam quod accidit per labentia tempora o si fuisset ***. dextræ excelsi. Namque autores sanctæ institutionis omni pietate & sanctitate & vita laudabili modernos oppido præcellen-

(q) fecit. (r) præsidium. (s) tradidit. (t) apellas. (u) spiritualibus filiis ad incitandos ipsos ad gloriam Jesu Christi sponsi ejus sunt præloquenda. (vv) bona. (x) inconvenientia.

cellentes conversationis regulam quam summopere construxerunt, & ad summam usque perfectionem ut ipsis videbatur complentes prudenter ordinaverunt, hæc nostro proch dolor! in tempore pravorum quorundam instinctu, ut vereor, non in melius, sed in peius est mutata. O utinam ob specialem nostræ utilitatis effectum hoc non oriretur. Verum quidem est, quod eorum nova conversatio in habitu & victu laudabilis aliquantulum sit, sed proch pudor non sunt sæpe interius quod simulant exterius: De quibus dicit Scriptura. Simulata æquitas non est æquitas sed duplex iniquitas. Omnis hominum Deo acceptabilis fructus in corde bono & recto consistit, & à bonis & à perfectis veste pulchrâ & auro texta cibi potusque mediocritate nonnunquam dissimulatur. Quod autem abstemiis & diploide indutis subtrahitur cui impenditur? Si in eorum Ecclesiæ augmenta id transit, duplex eorum Eleemosyna proficit, scilicet & in animabus fructum, si tamen propter Deum hanc indigentiam patiuntur, & in domesticis rebus lucrandis. Sed si ad exteriora omnia transeunt, quæ securitatem crescit cuius profectu multorum diminutio gemit. Certè hoc non firmâ stabilitate exaltabitur, sed ut reor *quinq;* [quandoque] lugubriter degradabitur. Sileat veritas, quæ est Christus, præcones eius omnes linguam mordeant, lapides clamabunt, hæc omnia non bene esse limata, tuba Evangelica sonat, nihil opertum esse quod non revelabitur. Veniet tempus quo & istorum hypocrisis detegetur, & antiqua patrum institutio per omnia laudabilior his diversis novitatibus esse cognoscetur. Nos peccatores postquam voluntati nostræ in omnibus satisfecimus ineffabile malum dissimulato facinore peregimus, fragilis naturæ nos commortales sumus, & omnia pondera nutu suo in terram ferri non nescimus. Omittenda quæque respiciamus, admonitores nostros non spernamus, sed conversi promissa fidelibus cunctis præmia cum observatione mandatorum Dei acquiramus. Non videamur meliores antecessoribus nostris, quia ab eorum probatissima conversatione deviantes ipsis nimis inæquales sumus. Nemo fidelium irascatur, cum propter Deum caritative ab aliquo admonetur. Caritas benigne à cunctis suscipiatur, & ob recompensationem æternam veritas nuda sufferatur. Optet fidelium supplex petitio omnibus necessariam de rebus his & aliis multis criminibus à Christo Domino indulgentiam, & ego longe digressus repetam inceptæ narrationis cursus.]

Deest decretum Synodi Tremoniensis.

Ordinatis legionibus, Rex (y) inde progreditur, & Regina celeriter reversa optatum dilecti senioris sui in Saxonia sollicitè præstolabatur adventum. Exercitum autem nostrum cum prosperitate ad locum, qui *Dobralub* dicitur, in pago (z) *Luzici* venientem, *Henricus* & *Iaromirus* Duces ad supplementum ejusdem cum suis properantes, lætificant, majoreque consilii ac fortitudinis spe roborant. Hic Ducibus corruptis, sua defendere cupientibus, per solitudines paludesque circumductus, admodum gravatur, & ne cito ad hostem lædendum perveniret, invida eorum malignitate tardatur. Inde provinciam *Nice* vocatam itinere attingentes juxta *Sprevvam* fluvium castra metatus est. Hinc cum hostem ex latere abdito nocentem *Thiebernus* miles egregius comperiret, ob laudem sibi specialiter usurpandam, optimos è consociis clanculum eligendi convocans, eum dolo intercipere tentat. Qui satis providus, ut sic melius sequentes læderet, inter lignorum condensitatem jacentium fugit, & sagittis, quibus maxime defenduntur, more solito remissis, primò hunc, posteaque *Bernhardum*, *Isin* & *Bennonem*, *Arnulphi* Præsulis inclytos (a) satellites, cum aliis commilitonibus multis, VIII. Id. Septembris, incautos prostravit, & dispoliavit. Ob hæc Rex cum omni suimet comitatu dolore concutitur & ob hoc *Bolizlavus* doluisse à non nullis veracibus perhibetur. Post hæc *Luizici* nostris pridie quam ad Oderam fluvium venirent, sotiantur, Deos suimet præcedentes subsecuti. Quamvis autem de hiis aliquid dicere perhorrescam, tamen ut scias, lector amate, vanam eorum superstitionem, inanioremque populi istius executionem, qui sint vel unde huc venerint strictim enodabo. Est urbs quædam in pago (b) Redariorum *Riedegast* nomine, tricornis, ac tres in se continens portas, (c) quam undique sylva, ab incolis intacta & venerabilis, circundat magna: Duæ ejusdem portæ cunctis introeuntibus patent: Tertia, quæ Orientem respicit, & minima est, tramitem (d) & mare juxta positum, & visu nimis horribile, monstrat. (e) In eadem nil nisi fanum est de ligno artificiose compositum, quod pro basibus diversarum sustentatur cornibus bestiarum. Hujus parietes variæ deorum dearumque imagines mirifice insculptæ, ut cernentibus videtur, exterius ornant. Interius autem Dii stant manufacti, singulis nominibus insculptis galeis atque loricis terribiliter vestiti, quorum primas *Luarasici* dicitur, & præ cæteris à cunctis gentilibus honoratur & colitur. Vexilla quoque eorum nisi ad expeditionis necessaria, & tunc per pedites, hinc nullatenus moventur. Ad hæc

(y) a Lietzka. (z) Luidere. (a) milites. (b) Rederivi. (c) unaquæque per singula cornua. (d) ad mare. (e) quæ nulli facile patet.

hæc curiose tuenda ministri sunt specialiter ab indigenis constituti, qui cum huc idolis immolare, seu iram eorundem placare conveniant, sedent hi duntaxat, cæteris astantibus, & invicem clanculum mussantes terram cum tremore infodiunt, quo sortibus emissis, rerum certitudinem dubiarum perquirant. Quibus finitis, cespite viridi eas operientes, equum, qui maximus inter alios habetur, & ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum cuspides hastilium, inter se transmissorum supplici obsequio ducunt, & præmissis sortibus, quibus id explicavere, prius per hunc quasi divinum, denuo augurantur, & si in duabus his rebus par (f) omnium apparet, factis completur: sin autem, à tristibus populis hoc prorsus omittitur. Testatur idem antiquitas errore delusa vario, si quando his seu à longe, rebellionis asperitas immineat, ut è mari prædicto aper magnus, & candido dente è spumis lucescente, exeat, seque in volutabro delectatum terribili quassatione multis ostendat. Quot regiones sunt in his partibus, tot templa habentur, & simulacra dæmonum singula, ab infidelibus coluntur, inter quæ civitas supra memorata * principalem (g) tenet monarchiam. Hanc ab bellum properantes salutant, illam prospere redeuntes muneribus debitis honorant, & quæ placabilis hostia diis offerri à ministris debeat, per sortes, ac per equum, sicut præfatus sum, diligenter inquiritur. Hominum ac sanguine pecudum ineffabilis horum furor mitigatur. His autem omnibus, qui communiter *Luitici* vocantur dominus specialiter non præsidet ullus. Unanimi consilio ad placitum suimet necessaria discutientes, in rebus efficiendis omnes concordant. Si quis vero ex conprovincialibus in placito his contradicit, fustibus verberatur, & si forinsecus palam resistit, aut omnia incendio & continua deprædatione perdit, aut in eorum præsentia pro qualitate sua, pecuniæ persolvit quantitatem debitæ. Infideles ipsi & mutabiles, immutabilitatem ac magnam exigunt ab aliis fidem. Pacem abraso crine supremo, & cum gramine, datisque affirmant dextris. Ad hanc autem perturbandam facile pecunia corrumpuntur. Hi milites quondam servi, nostrisque iniquitatibus tunc liberi, tali comitatu ad regem auxiliandum proficiscuntur. Eorum cum cultu, Lector, consortia fugias, divinarum mandata scripturarum (h) auscultando adimple & fidem, quam Athanasius profitebatur Episcopus, (i) discens, memoriterque retinens, hæc, quæ supra memoravi, nil esse probabis veraciter. (k) Inde mox imparibus Ducibus inæquales turmæ usque ad Oderam fluvium provenientes, fixerunt tentoria juxta amnem, qui *Bober* dicitur Slavonice, *Castor*, Latine. Quos *Bolizlauus* munitis littoribus præfati fluminis, cum exercitu grandi in *Crosno* sedens, ullo modo transire, prohibuit. Sed cum Rex VII. dies ibidem moratus naves atque pontes pararet, divinus respectus missis speculatoribus suis vadum (l) ostendit optimum. Quem sex legiones in ipso diei crepusculo jussu regis intrantes, incolumes (m) eo fruuntur. Quod eminus agnoscens *Bolizlavi* custodes, triste nuncium ac incredibile seniori suimet celeriter detulerunt. Hic tandem per tres vel amplius legatos certus effectus, amotis propere castris, ipse cum suis pluribus ibidem relictis rebus fugit. Id Rex cum suis caute considerans, Christo laudes cum clero & omni populo alta voce cecinit, & cum securitate flumen pertransiit. Hi autem qui præcesserunt, cum *Luiticios* diu tardantes expectarent, evenit, ut hostes in tentoriis improvisos opprimerent. Quos nostri alacriter insequuti, velut fugaces cervos persequi cum non valerent, ad consocios revertuntur. Profectus est inde Rex, & usque ad Abbatiam, quæ *Mezerici* dicitur, perveniens, annualem ibi *Thebaicæ legionis festivitatem*, qua maxima tunc veneratione potuit, complere studuit, & ne monasterium hoc, ac absentium mansiones Monachorum, aliquam à suis pateretur molestiam, studuit prohibere. De hinc hostem in nulla suimet urbium pernoctare præsumentem, proxima quæque vastando persequitur, & non longius quam duo milliaria ab urbe *Posnani*, rogatus à suis primatibus, consedit. Exercitus autem in colligendis frugibus, cæterisque rebus necessariis divisus, magnum ab insidiantibus inimicis sustinuit damnum. Interim per fidos intercessores, regis gratiam Bolizlavus petiit, & exaudiri mox promeruit. *Tagmo* Archiepiscopus cum aliis familiaribus regis ad civitatem prædictam, à *Bolizlavo* rogatus, venit, & cum juramentis, ac commendationibus condignis firma pacis fœdera apud eundem pepigit. Læti tunc revertuntur nostri, quia itineris longitudine & nimia (n) fame cum intermixta belli asperitate magnum sufferebant laborem. Post hæc Rex in nostris partibus erutis totius nequitiæ auctoribus, optatæ securitatis prospera solidare summopere nititur, & *Brunonem* inclytum satellitem in Merseburg, à Slavis autem optimos *Borisen* & *Nesemuschlen*, cum cæteris fautoribus, in *Welereslevo* laqueo suspendi præcepit. Sæpè cum Slavis in *Wiribeni* juxta *Albim* positam, conventione habita, nolentibus seu volentibus his necessaria regni suimet tractavit atque potenter finivit. *Arnaburch* prius devastatam, ob defensionem patriæ renovavit: quæque diu hinc injustè ablata erant restituit. Synodali judi-

(f) omen. * Urbs Riedegast, forte eadem cum Rethra, Redariorum vulgatissima urbe, in qua templum constructum fuit dæmonibus magnum, quorum princeps Redigast, ut scribit Adam. Brem. p. 48. Vid & Helmodum lib. 52. & quæ ibi congessit Cl. Bangertus p. 126. Erpold. Lindenbrog in Histor. Caroli M. p. 78. b. (g) obtinet. (h) sectando. (i) attendens. (k) Hi supra memorati milites quondã servi nostrisque iniquitatibus tunc liberi, tali comitatu ad regem auxiliũ ferendi causa pervenerunt. (l) reperit. (m) transierunt. (n) famis magnitudine.

judicio injustas fieri nuptias, Christianosque gentilibus venundari, præsens ipse canonica & autoritate Apostolica prohibuit, Dominique justitiam spernentes, spirituali mucrone interfici præcepit. Interea *Balduinum* Ducem juventus & rerum affluentia, ac mala iniquorum inflatio adversus Regem armavit, & *Valentinam* urbem possidere, potestatique suimet subdere, suasit. Quod Rex ubi primum comperit, ipse cum suis militaribus accedens, eripere eandem assidua pugnatione tentavit, & nil proficiens, abiit, expeditionem suam in proxima æstate super *Balduinum* fieri Orientalibus & Occidentalibus firmiter indicens. Advenit optatum tempus, exercitus grandis colligitur, & à Rege cum eodem ad *Scellam* fluvium pervenitur. Ibi se *Balduinus* armato milite præsentans, transitum regi prohibere frustratoria spe nititur, sed prudenti consilio quorundam nostri navibus alio latenter transvecti, ejusdem nimiam præsumptionem, ex improviso irruentes, confundunt. Fugiente eo, Rex in Christo victore lætatur, flumen transgreditur, vicinitatemque contiguam populatur. Cum autem ad Abbatiam, quæ *Gent* diceretur, veniret, à confratribus illius Ecclesiæ susceptus, loco eidem, & bonis appertinentibus cunctis pepercit. Tandem *Balduinus* magna necessitate coactus, humili supplicatione veniam impetrat, & non longe post per manus regis (o) *Walecorn* & prænominatam urbem in beneficium adipiscitur. [In mense Julio XII Kal: Augusti *Gisla* Venerabilis matrona *Regis mater* inclyta obiit & Ratisbonæ sepelitur.] Pacificatis tunc partibus his, generale concilium in *Francfort* à rege ponitur, & hoc ab omnibus Cisalpinis antistitibus (p) visitatur. Causam vero præcedentem lector auribus accipe. Rex à puero quandam suimet civitatem *Bavenberg* nomine, in orientali Francia sitam, unicè dilectam præ cæteris excoluit, & uxore ducta eandem ei in dotem dedit. Postquam autem ad regni curam divina miseratione promotus, semper tacita mente ibidem Episcopatum construere gestit, sed quia, ut *Flaccus* testatur, *dimidium facti, qui bene cepit, habet,* novam ibi inchoat Ecclesiam cum cryptis duabus, & perficit. Omnia autem quæ ad divinum pertinuere ministerium paulatim congregans, *Henricum* Wirciburgensem Episcopum, sibi multum familiarem, ut proposito animi suimet aspirare voluisset, parochiamque in pago, qui à *Radinzca* fluvio nomen sortitur positam, concedere sibi concambio vendicandam, sæpe rogavit. Dilecti senioris justas petitiones Præsul benignè suscipiens, ea ratione consensit, ut pallium suæ permittens Ecclesiæ, Papebergensem sibi subderet pastorem, hocque baculo suimet regi dato, & quodam prædio pro commutatione præfata tradito, clam firmavit. Cum vero se Archipræsulatum nullatenus adipisci posse sentiret, promissa complere renuens, ad concilium vocatus supra memoratum venire voluit. Considentibus ibidem ordine Archiepiscopis cum omnibus suimet suffraganeis, Rex (q) humo tenus prosternitur, & à *VVillegiso* (r) antistite, in cujus diœcesi synodus habebatur, elevatus, cunctis præsentibus talia fatur: [*Domini & Patres gloriosi à mea parvitate huc asciti hodie convenistis, & quamobrem vos asciverim vestris auribus aperiam precorq; omnium vestrum clementiam, ut in his quæ, spero, mihi divina gratia inspiravit, amore Christi inflammanti, faveatis, quia in sobole acquirenda nulla mihi spes remanet.*] *Ob recompensationem futuram Christum hæredem elegi: quia in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi. Et quod præcipuum habui, meipsum cum modo acquisitis seu acquirendis in sacrificium patri ingenito jam dudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Baveberga cum licentia antistitis mei facere hactenus concupivi, & hodie perficere (s) volo desiderium. Ob hoc serenissimam vestrimet interpello pietatem, ne absentia ejus, qui per me voluit obtinere, quod mihi non licuit huic concedere, propositum voluntatis meæ queat impedire, cum in baculo ejus mutuæ confirmationis signo clarescat, hunc non propter dominum sed ob dignitatis nullatenus adipiscendæ dolorem fuisse. Moveat omnium corda præsentium, quod per ambitionem suam sanctæ matris Ecclesiæ augmentum annullare, cum nugigerula legatione præsumit. Ad hæc firmiter constituenda, contectalis meæ præsentis, & unici fratris, & cohæredis mei, larga benignitas aspirat, & sibi placita (t) adimpletione his me eadem restituere utiq; pro certo sciat. Si quando autem Episcopus venire, & promissa dignatur, suscipere, paratum me ad omne quod vobis bonum videtur, procul dubio inveniet.* Finitis talibus alloquiis, *Bernigerus* Antistitis *Henrici* capellanus, surrexit, *propter timorem regis seniorem suum huc non venisse, & detrimentum Ecclesiæ sibi a Domino commissæ, in aliquo fieri, nunquam laudasse*, testatur, & obsecrat cunctos præsentes per Christi amorem, *ne talia fieri absente eo futurum sibi in exemplum paterentur.* Privilegia ejusdem ibi alta voce recitantur. Inter hæc quotiens Rex anxiam judicum sententiam nutare perspexit, toties prostratus humiliatur. Tandem Archiantistite *VVilligiso*, quid de his faciendum foret judicio perscrutanti, *Tagmo* primus respondit, hæc tunc (u) secundum regis eloquium legaliter fieri posse. Cunctis præsentibus ejus sermonem tunc (w) affirmantibus, & subscribentibus, *Eberhardo* tunc Cancellario, cura pastoralis à rege committitur, & hic à præfato Archipræ-

(o) miles effectus, Walekorn & Valencinam præn. (p) aditur. (q) humillimus humotenus. (r) Archiepiscopo. (s) statui. (t) redditione. (u) justa voluntas & petitio Regis consensu omnium vestrum legaliter potest impleri. (vv) confirmantibus.

præsule eodem die consecratur. Post hæc autem *Henricus* antistes auxilio confratris *Hiriberti*, regis gratiam & ad impletionem sibi placitam acquisivit. Sed quia raro illucescit serenitas, quam non sequatur caliginosæ nubis obscuritas, Regi Pascha Ratisbonæ celebranti de *Luiticis* & ab his, qui à civitate magna *Luibni* dicta missi fuerant, & à *Janmiro* Duce *Bolizlavum* multa sibi contraria moliri cupientem, asserebant, seque ad hæc perficienda verbis ac pecunia ab eodem introduci affirmabant. Intimabant quoque ei, si hunc amplius in pace & gratia suimet haberet, ut servitutem eorum firmiter non teneret. Hæc Rex cum suis Principibus caute considerans, diversaque ab his consilii responso percipiens, iniquæ voluntati eorum in hoc consensit, quod generum suimet *Herimannum* illo mittens, condicta pacis fœdera interdiceret. Quam legationem ab internunciis *Bolizlavus* comperiens, præfatum Comitem, quamvis ad se sæpius invitatum, non bene suscipit, & percepta ab ea narratione, in multis se excusat: *Sciat*, inquiens, *testis omnium Christus, quicquid deinceps facturus sum, invitus* (x) *implebo*. Post hæc collecto exercitu, pagum, qui *Morezini* dicitur juxta *Magdeburg* jacentem, populatur, & fraternitatem, quam in Christo cum Parthenopolitanis prius conjunxerat, hostili asperitate disrupit. Inde ad urbem, quæ *Zerbesta* dicitur, veniens, urbanos terrore gravi & hortatu dulci devictos secum vehebat. Hoc totum nostri comperientes tardè veniebant, ac morosius eos insequebantur. Horum primicerius fuit, *Tagmo* Archiepiscopus, & hæc omnia prius sciens non bene providebat. Fui hîc equidem cum illo, & cum nos omnes ad locum qui *Juterbock* appellabatur, venissemus, visum est sapientissimis, non esse consilium, hostes tam parva multitudine prosequendos, & reversi sumus, *Bolizlavus* autem *Luzici, Zara* & *Selpuli* denuo occupat, & non longe post *Budisin* civitatem præsidio *Hermanni* Comitis munitam socer invidus (y) possedit. Mittens autem nuncios suimet, urbanos postulat, ut urbem hanc sine utrorumque labore sibi redderent, & nullam à seniore suo ereptionem sperarent. Fit pax mutua VII. dies. Iste parat impugnationes, hi per legatum suimet à domino & Principibus regni suppliciter auxilium poscunt, se alios II. dies hosti resistere promittentes. Venit Marchio *Hermannus* ad Magdeburg, *Walterdum* tunc præpositum interpellans, omnesque specialiter per legatos evocat primates, quos multum hic tunc tardasse vehementer queritur, & tamen milites suos per internuncios solatur. Qui cùm assidua *Bolizlavi* impugnatione laborarent, viriliterque diu resisterent, videntes nonnullos ex sociis eorum nutare, dominumque se ad liberandos non venisse, licentiam hinc exeundi cum omnibus, quæ habebant apud Ducem præfatum impetrantes, urbem ei reddiderunt, tristesque patriam repetebant. Mortuo post Pascha Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo venerabili *Luidolfo*, capellanus ejusdem *Athelbero*, frater Reginæ, & immaturus juvenis, plus timore regis, quam amore religionis communiter eligitur. Rex autem ut hoc audivit, prioris non immemor in Germano ejusdem *Thiedrico* non præmeditatæ constitutionis, uxorem dilectam, cæterosque suimet familiares, de Episcopatu eodem impetrando solicitos sprevit, & *Meingardo*, *Willigisi* Archipræsulis Camerario, nobili secundum carnem viro, eundem dedit. Propter hoc subdolæ generationis furor accenditur: *Palas* à Treverensibus contra Regem firmatur, ac terra hæc hactenus pacifica, crebris concremationibus qualiter, & quicquid hi immites in dominum lenem prius peccaverunt, æquali lance receperunt. Quid hi omnes hîc & in futuro examine, dicturi sunt? quorum culpa (z) ineffabili Ecclesia mater incorrupta toties in filiorum suimet nece, & dispoliatione, gemens, lacrymas à maxillis descendentes ante conspectum vindicantis domini fundit. Tali præsumptione Rex commotus, illò cum exercitu properat, Archiantistitem inthronizatum ibidem consecrari, Athelberonemque excommunicari præcipiens, obsidione etiam continua eos, qui Palas turbarant, in tantum constrinxit, ut fame & assidua impugnatione defatigati, aut interius perire, aut in potestatem regis inviti deberent exterius venire. Quod ne fieret, *Henricus* Dux improvisa calliditate impediens, exire eos illæsos apud regem obtinuit. Postam verò de his rei certitudinem Rex inquisivit, gravitate mentis id ferens, ut in sequentibus referam, est ultus. Interim antecessor meus (a) longa infirmitate detentus, diem solicitus supremum postulatum. Sed quædam de eo ante conclusionem ad memoriam ejusdem expediri mihi libet. Hic ex optimis *Turingiæ* australis parentibus originem, *in Magdeburg* autem *Otrico* disciplinæ regimen sumpsit. Hunc egregiè educatum *Gisilerus* Archiepiscopus sibi familiariter in servitium ascivit, & multo tempore secum habuit, beneficio singulari & Archipresbyteratus officio demulcens, novissimè autem quædam ei iniquorum assidua susurratione subtrahens, mentem ejus in tantum abalienavit, ut relictis omnibus suis, *Henrico* regi, sicut præfatus sum, adhæreret, optimeque ei placeret. Fuerat enim egregius & statura & facie, facundia & voce pulcherrima, sapiens in consilio, jucundus

(x) faciam. (y) obsedit. (z) inexcusabili. (a) Wigbertus.

dus in concilio, ac largitatis immensæ. Unde divina visitatione, & tali virtute, sacerdotalem gradum ascendit. Qui in diebus divinitus sibi concessis hæc suæ acquisivit Ecclesiæ: *Sidegeshusum* & *Wiribeni*, *Interlingum* IX. mansos, ac in *Dalnini* VII. In *Nuistidi* III. de sua verò proprietate concessit in *Vppusen* VII. mansos, & saltum, qui *pulcher mons* dicitur. De libris, rebusque aliis, divina respicientibus mysteria, multa contraxit. Nec minus quam decem annos, toxicata cum gratia regis per *Geronem* præpositum, vacavit. [Non minus quam decem annos toxicata læsus potione, crebram passionem corporis & in mense Martio maximum sustinuit laborem. Si quid in eo suis vel alienis unquam occurrit contrarietatis hoc stimulus effecit immensæ infirmitatis. Prædicatione assidua commissos à vana superstitione erroris reduxit, *lucumq. Zutibure* dictum ab accolis ut Deum in omnibus hortatum, & ab ævo antiquo nunquam violatum, radicitus eruens, Sancto Martyri Romano in eo Ecclesiam construxit, præter hanc tertiam & quartam in *Magdeburg* multasque alias ipse dedicavit. Si quid in eum varium vulgus & sæpe mentiens garrivit, bonis incredibilis satis esse persuadeo. Multi enim, cum alios culpant, ignorant quam nemo sine crimine vivit. Hic venerabilis vir quinque annos in Episcopatu & sex hebdomadas & dies quinq; sedit. Flebiliter sæpe peracta confessione & ab Episcopis *Wigone* & *Henrico* in extremis eum visitantibus percepta remissione Nono Kal: April: feria tertia in Merseburg de hac luce ad Christum, ut spero, felix migravit. Sepultus est ubi unus electorum Christi, Dux ejusdem vixit & socius per visum sibi prius monstravit. Huic equidem ego, qui hæc scribo, indignus succedere à pio Pastore Thaginone prædestinabar. Natale Domini in *Palithe* celebrante Rege cum Sympnista [Symmista] suo Thaginone, ipse tractavit, qualiter post mortem Wigberti Præsulis Merseburgensem Ecclesiam bono Provisori commendaret. Cui ille inquit: Et in meo monasterio quidam frater nomine *Thietmarus* quem vos ipsi bene nostis, hunc sua prudenter modo disponentem, ad hoc, largiente Deo, spero idoneum. Ad hæc Rex infit, Utinam hanc voluisset suscipere, qui me fautorem certissimum ad ea quibus indigeret, non dubitaret habere. Nepos meus *Thiedericus* illico ad me mittitur, qui hæc etiam ex parte Regis & Episcopi intimaret, & ad hæc facienda pro posse persuaderet. Ego in Magdeburg positus, legationem hanc percepi, & talibus respondi. Deus optimus Domino & Patri nostro pio vicissitudinem retribuat, quod mentionem mei alicubi in bonum facere dignatur. Ad hæc me immeritum esse judico, unde ea laudare adhuc nequaquam præsumo. Potens est enim Deus Episcopum adhuc viventem de manu mortis eripere, si autem prorsus recuso, me ab solita ejus gratia repudiari vereor, non enim est præter hunc aliquod auxilium à quo vel hæc promereri, vel majora valeam percipere. Post mortem Præsulis, quid Deo placet in potestatibus ab eo constitutis vita comite libenter adimplebo. Rex autem in *Franckeford*, auditâ morte Episcopi memoriam pro eo debitam præcepit fieri: Jam verò tum quorundam instinctu mentem suam ad meliora convertebat; Voluit enim *Ethelgero* cuidam bene merito honorem hunc impendere. Quod cum Regis familiaris Thagino resciret, summopere retinuit & cum assidua supplicatione eo me cum gratia per Geronem præpositum vocavit.] Venit ille ad me ad curtem meam quæ *Redmersleve* dicitur, & ea nocte vidi baculum Episcopalem juxta lectum meum stantem, & interrogavit me unus, dicens: *Vis Ecclesiam suscipere Merseburgensem*, & ego, *si dominus vult*, inquam, *& qui jubet venire, Archiantistes.* Ille autem persequutus, *cave infit, quia quicunq; sancto terebrum movet Laurentio, statim insanit.* Cui mox respondi: *Tueatur me custos hominum Christus, ne in hoc vel in aliquo offendam majestatem divinam, sanctorumq; intercessionem avertam.* Cum evigilarem, obstupui, & protinus exiliens, jam clarum diem fenestras intrare vidi, & ecce is, de quo nunc dicebam, intravit, & ostensis mihi duabus epistolis in sabbato sancto, ad *Augustanam* urbem me rogavit & præcepit venire. Veni ad *Parthenopolin*, & in die palmarum cum licentia Præpositi ac confratrum inde profectus, III. feria post Resurrectionem Dominicam loca attingebam prædestinata, & ab Archiepiscopo, quamvis irato, quod sic tardè venirem, misericorditer receptus sum. Postea die vocatus interrogabar ab eo jussu regis, *si aliqua parte hæreditatis meæ Ecclesiam vellem adjuvare meam?* Cui talia referam: *Vestra jussione huc veni, & de hoc modo nil certi nec possum vel volo respondere: si divino consensu & regis largitate, vestra voluntas, pia semper in me, hic adimplebitur, quicquid in hoc aut in rebus aliis pro animæ remedio meæ, & de debito commissi facere possum, devotus implebo.* Hoc verbum Antistes benigne suscipiens, & laudans, me ad capellam Brunonis Episcopi, ubi Rex eundem expectabat, duxit, & paratus ad missam, Regi me per manus tradidit. Qui cum electione præsentium pastoralem mihi curam immerito commisit cum baculo, & prostratus veniam petii, Cantor introitum incepit: *Venite benedicti patris mei*, & in majori Ecclesia omnes interim ad missam campanæ sonabantur, quod etsi casu, & non jussu alicujus, seu dignitate mea, evenisset, tamen Rex bonum hoc esse omen testatur. Peracto tunc ibi magno à Brunone venerabili Præsule convivio, proximo

 sabbatho

sabbatho *ad novam urbem* venimus. Ibi tunc in octavo dominicæ solennitatis die à prædicto Archipræsule, *Hillibardo* confratre nostro adjuvante, & coëpiscopis non minus quam IV. adspirantibus, in Regis præsentia, chrismate in sacerdotem perunctus sum IIX. Cal. Maji. Inde *Ratisbonam* in Danubio flumine navigio perducimur. In diebus illis fames magna in hac regione (b) fuit. Interea *Henricus* Dux rebellionis gratia *Bavariam* clanculum intrare præsumens, interclusum sibi aditum à provida regis solertia ut primò persensit, mox fugiendo revertitur. Quocirca optimi *Bavariorum Ratisbonæ* regali edicto conveniunt, & quamvis Duci suimet ad tres annos, se alterum non eligere, omnes sponte jurarent, tamen ob hoc à rege jurgati blanditiis & minis ab ejus famulatu & auxilio deducuntur, sibique specialiter assumuntur. Ibi tum confratres de *monasterio* Christi martyris *Emmerani*, quod *Arnulphus* Imperator in honorem ejus construxit, hicque ad corporaliter pausandum elegit, unanimiter regis pedibus provoluti, ex parte Præsulis suimet *Gebehardi* multa flebiliter, me eadem audiente, queruntur, & laici præsentes magnis lamentationibus his subsequuntur. Difficile mihi, enarrare, & alicui credere, quanta de his populis sibi subditis, ad vanam pertinentia superstitionem, animæque detrimentum suæ, differeret. Hoc solum scio, quòd moribus & raris apparatibus huic similem nunquam vidi neque de antiquioribus audivi. Si interiora exterioribus concordant, aut melior cæteris, aut longe inferior. Optime prius culta diruens, novis insudat maximis laboribus. Patriam cum commissis deserit, aliena, & quamvis longa sunt, supervacuis cultibus colit. Dominum testor, quòd non ob reprehensionem sui tantum hoc loquor: quia no-„ stra fragilitas in proximis dissimulanda, & ob meliorationem castiganda: quarum veritate ad„ hoc: me persuadente, vehementer hoc cum multis admiror.„ Propitius illi Dominus, ut si hæc bona intentione faciat, in justificationibus Domini sine querela cursum hujus peregrinationis incedat. Si autem tumore elationis aliquo magis inflatus, quàm amoris fomite spiritualis, tanta operatur, ad vituperandam solùm præsentium conversationem, convertatur ab iniquitatibus suis, ac pro lucratione secularium, ædificationem fidelium sequutus animarum, nullo prematur detrimento sui. Felix est in Christo, qui æternam justitiæ cultu memoriam, & à malo suspensus, auditu divinam promeretur ad dexteram vocationem. Rex dùm hæc, quæ nunc longè progressus, ajebam, discutit, ad invadendum Episcopalem cathedram jussu regis ego præcedebam. Primoque ad curtem meam Slavonicè *Malisin* dictam, Teutonicè autem *Egisvillam*, veni, & subsequenti luce juxta *Elstram* fluvium, & *Iteri* oppidum, cum convocationis Ecclesiæ meimet famulis, ad consolandum præsentes, & ad vocandum absentes loquebar. Fugerat enim maxima horum multitudo suimet inconstantia, & antecessoris mei infirmitate prævalida. Inde ad *Merseburg* proficiscens per *Ericum* antistitem, à confratribus primò honorifice susceptus, inthronizabar. Dies dominica crastino illuxit, & ego, peccatorum missam cantans, populos advenientes, admonitionis egens, institui, & peccata confitentibus divina potestate, tamen in infirmitate mea resolvi. II. feria Rogationum dies incipiunt, & hinc ad *Magdeburg* petitione Archiantistitis mei pergens, IV. feria à spiritualibus meimet fratribus, non pro qualitate meriti, sed pro quantitate amoris immensi, suscipiebar. Ascensionis inclytum & regale mysterium communi devotione pro nostra possibilitate peregimus. Inde ad *Wallibizi* perrexi, ubi *tunc præpositus*, confratres, domino semperque virgini Mariæ ibidem servientes, VII. annos ac tres hebdomadas, & tres dies rexi, tantum onus *Simoniaco*, proh dolor, subiens exemplo, non in pecunia sed in prædio patruo meimet dato. In hoc multum culpabilis spero districti judicis veniam, quia ob defendendum gregem dominicum, & instituta parentum observanda, multo magis id egi. Ergo te lectorem per Dominum testor, ut textum hujus narrationis inspicias: & pro qualitate meriti discernas, examinatorisque venturi horridam faciem lacrymabili supplicatione præoccupes. Avus paternus, de quo prædixi, *Luitharius* postquam in donum suimet, & regem deliquit, nævum hunc abluere sedulo cogitavit. Unde monasterium in loco, qui *Rivus* dicitur *sylvaticus*, in honore sanctæ domini genitricis construxit, ibidemque *Willigisum* statuit Præpositum, concedens fratribus his ad victus vestitusque necessaria decimam hæreditatis suæ partem. Quo discedente, uxor sua *Mathildis* votum dilecti senioris sui faventibus ad hoc duobus suimet filiis, perficere anhelavit, & post obitum Willigisi patris egregii, *Reginbertum* de orientali Francia natum succedere fecit. Hic decurso multorum spatio annorum, mortuo tunc patre meo, & matre ejus, auxilio patrui meimet *Lutharii* antiquæ civitatis antistes à tertio *Ottone* effectus est. Fuit tunc in nostra vicinitate clericus nobili genere *Thiedricus* nomine, qui suasu præfati Comitis decem mansis præposituram hanc comparavit. Quo tot annis vel plus sedente, defuncta matre mea ego hæres tertius successi, & prædii medietatem, quæ cœnobium respiciebat præfatum, à confratribus meis suscepi. Exin patruum

(b) Saxonum.

patruum sæpe alloquebar meum, quatenus mihi liceret curam subire prædictam, & si non potuisset id fieri dono, saltem fieret mediocri precio. Hoc præ longa animi constantis deliberatione, post habito charitatis & quia affinitatis debito, magna ex parte mea poposcit, & quia in fratribus meis nullo fruebar adminiculo desiderio ejusdem proh dolor consensi, ac ejusdem Ecclesiæ, cujus tunc fui paterna traditione servus, dominicæ incarnationis anno millesimo, II. Non. Maji custos effectus sum, annuente id antecessore meo ob acceptam commutationem sibi placitam. In hoc officio plus iniquitatis ociosus operator exegi, & pro hoc dignos pœnitentiæ fructus nunquam exercere conabar. Nullum consanguinitatis linea mihi conjunctum accuso, sed bona pro malis omnibus his exflagito. Mortua uxore fratris mei, rogatus sum ab ea, ut sepulturam ei præparare voluissem optatam. Sed cum scirem *Willigisum* venerabilem ibi esse tumulatum, primo renui, at postremo rectum & pudorem voluntati ejusdem supposui miserque aggressus sum, quod utinam non fecissem, & quod gentibus nefas videbatur, Christianus ego, in dejectione sepulcri & ossium confratris mei operabar, calicem argenteum, quem ibi inveniebam, pauperibus ad dividendum reservari præcipiebam, quem postea nullatenus comperiebam. Agnovi post in infirmitate sequenti quia in dominum nimis peccavi. Sed cum hanc divino superarem auxilio, causa orationis *Coloniam* petii. Quadam nocte audiens clamorem immensum, quid hoc esset, percunctatus sum: & *hic ego sum*, inquit Willigisus, *qui culpa tui errans vagor.* Expergefactus mox obstupui, & usque huc, & quam diu vivo culpabilis hoc ingemisco. Ad percipiendum presbyteratus ordinem ad Alstidi civitatem à domino *Tagmone* vocabar, & in via hac peracti facinoris confessionem feci, & quod emendationem ejus promissi, pro debito non complevi. Presbyterii verò dignitatem XII. Cal. Januarij à præfato Archiepiscopo, præsente *Henrico* rege, & casulam mihi optimam largiente, indignus percepi. Antequam verò Episcopus ordinaret, in ea hebdomada, qua recordatio fratrum à cunctis fidelibus universaliter celebratur, talia per somnum quidam mihi nunciat; *in hoc*, inquiens, *anno Præsul Hillericus & Mereric Decanus ac tu mandatum dominii implere debetis.* Cui sic respondebam: *ut sit voluntas in cælo, sic fiat:* & in ipso mense, & in tertia Calend. Novembr. quæ tunc proxima fuit, antistes prædictus, ut sibi prius revelatum, in Christo exhalavit. Sed quia dominus omnipotens humanam fragilitatem sæpe dignatur visitare & consolari, congruum est laudibus & scriptis hoc posteris (c) innotescere, ut glorificetur nomen domini, & prospiciat homo instabilis sibi. Præsul suprà memoratus, in Magdaburg invalescente prius nimia corporis ægritudine, à quodam egregio viro in somnis sibi apparente sic admonitus est. *Ne sis modo de fine tuo solicitus, quatuor* (d) *& duas hebdomadas vel tres expectabis,* (e) *& bona quæcunque possis operari, non desistas.* (f) Hæc loquutus evanuit, & sicut iste prædixit, Episcopus mente, ut spero vigilanti, supervixit, morte, proh dolor subitanea lineam vitæ hujus concludens supremam. [In sequenti nocte lux magna à multis visa apparuit.] Post omnium memoriam sanctorum, ego de me multum pavidus, licentiam abeundi à decano postulavi, & eundem, ut se provideret, admonui. Ad curtem meam quæ *Retmersleve* dicitur, veni, & in nocte proxima suppliciter dominum rogavi, ut aliquam de me certitudinem dignaretur aperire. In primo subsequentis diei crepusculo, id est, in vigilia sancti Martini, ut paupulum quiescebam, sic tunc ut mihi videbatur, *Walterdus*, tunc noster Præpositus, hæc dicens, apparuit; *Vis tibi præfutura scire?* & ut voluntatem meam in hoc sensit, mox volumen unius Martyrolegii diligenter inspiciens, plumbum, quo murus mensuratus dirigitur, tacendo immisit, & post longum temporis intervallum, hoc substitit, *quid nunc est*, ajo ad eum, & ille: (g) *Veni*, inquit: & vidi manifeste numerum hunc atramento signatum, incertus utrum dies an hebdomadas seu menses assignaret, annorum, & protinus ei (h) respondebam: *Vtrum prius indictum an posterius innotesceret tempus.* Et ille tacendo exivit. Equidem præmonstratas mihi inducias cura non sine maxima notavi, sed bonis operibus, nullatenus perveni. Adveniente quinto mense, quamvis plus mortem quam hoc sperarem, completur utrumque in accepto Episcopatu somnium, quia in eo præceptis obedivi divinis, & numerum complevi signatum. Unde inconveniens esse mihi videbatur, ut sine speciali rectore Ecclesia, quam hactenus regebam, esset, ac eidem *Willigisum* fratrem meum ex parte, hujus altaris servum, communi fratrum consilio præposui, & inde ad Merseburg veniens cum domino meimet, rege, proximam pentecosten celebravi. De hinc ad *Magdaburg* omnes venimus: Ibi cum nepos meus Marchio *Wirinbarius* à rege in multis accusatus, gratiam ejus & beneficium suimet,

 instinctu

(c) enarrare: *Laus & honor Christo quo magnificetur in isto.* (d) annos & duas vel tres hebdomadas. (e) Tu verò tempus à Deo concessum tibi non negligas, sed quicquid boni posis, instanter operare, ut æternam vitam promerearis. (f) Dixit & in vacuas se mox transfuderat auras. (g) Quinque. (h) ajo: Edicito mihi utrum.

instinctu *Dedi* Comitis, perdidisset, nisi infirmitas ejus subitanea id impediret, & ni hoc *Burchardus* Comes Palatinus prudenti consilio distulisset. Rex inde progressus, varias occidentalium, mentes probare, & ne solito commoverentur, sedare tentavit. Quos nonnulli injustitiam dominorum suorum pati nolentes, laudant, nos autem quasi ignavos è contra vituperant: Sed plerique qui corporis voluptatibus cunctis servientes freno æquitatis, à domino impositæ, regi nullatenus curant, sed hoc virtute, seu fieri valet, arte, de futuro nil soliciti, defendunt, & omnes, in hoc sibi non consentientes, detractione & odio insociabili persequuntur. Sed ego his neque suimet fautoribus consentio, quin potius illis, qui domino se, potestatibusque ab eo constitutis, humiliant & cedunt, suspiro, [aspiro] quibus videtur esse satius, omnia propter dominum pati, quam flagitio & execrabili perjurio divinam majestatem offendere. Nostri prædecessores suis senioribus semper fideles, in extraneas nationes, ac non in viscera, optimi sæviebant, milites. Hæc posteritas discat, & alia fugiat, quæ mutanda sunt, non in pejus sed semper in melius transferre contendant: beatitudinem ostensam libenter attendat, eorumque opposita fugiens, rem apprehendere studeat. Quid illos amplius corripere vel hos tollere volo? cum unusquisque pro qualitate sui seminis pro certo recipiat fructum futuræ messis. Cum pro corruptibilibus accipiendis semper laboramus, cur non ad indeficientis coronam honoris sublato timore aliquantulum properamus? Hanc ad capiendam Rex noster, ut prædixi, in itineribus & aliis necessitatibus maxime laborans, amicos fecit sibi inimicos, juste eosdem exosus. Interim *Dedi* Comes magnum dedecus in verbis & in operibus prædicto nepoti meo inferens, excitavit malum, quod fore putavit oblitum. Consilio enim ejus & auxilio urbs patris ejus & nostra *Wolmirstidi*, Slavonice autem *Vstuice*, eo quod *Ara* & *Albis* fluvii hic conveniant, vocata, combusta est & depopulata. Commovit hoc omne animosum juvenis egregii pectus, & cum hostem de civitate *Tongeramunda* dicta, quia *Tongera* fluvius ibi in *Albim* cadit, equitare veraciter comperiret, fratrem meum *Fridericum*, cum xx. tantum militibus armatis sumens secum, à summitate unius campi, ad *Mosum* villam pertingentis, quod eminus aspici potuit, viriliter aggreditur, & eundem fugientibus mox plus quam XL. sociis fortiter resistentem cum *Egilbardo*, suimet milite occidit, & post hoc juste perdidit, quod prius pene irrationabiliter ejus persuasu amisit. Sed si, te Lectorem, audire delectat, unde is fuerit, de tribu quæ *Buzici* dicitur, & de patre *Thiedrico*, originem duxisse accipies. Hic *Rigdago* Marchioni, agnato suimet, ab infantia serviebat, & (i) gemina cordis virtute pollebat. Et ut prædixi, *Bojemios* adversum nos insurgentes, ad *Cicensem* perduxit (k) Ecclesiam. Ubi cum his vastando circumquaque perlustrans, ad ultimum captivam matrem suam, hostis non filius, cum cætera abduxerat præda. Post hæc reconciliatus regis efficitur III. *Ottonis*, & in parvo tempore gratiam ejus & familiaritatem promeruit. Interim *Bio*, Comes Merseburgensis, in expeditione obiit, & *Gisilerus* Archipræsul hujus Comitatum, qui inter *Wipperam* & *Salam* & *Saltam* ac *Willerbizi* fluvios jacet, isti acquisivit. Insuper *Zurbizi* Burgvvardum quem antecessores sui in beneficium possederunt, sibi & confratri suimet Friderico vendicavit. Insuper *Thiedburgam Thiedrici* Marchionis filiam, duxit, & ob hoc omne adeo intumuit, ut regi molestiam in occulto, & multis offerret in aperto. Proximum natale Domini rex in *Polithi* celebravit, & ibidem *Thiedrico*, prædicti comitis filio comitatum ac omne beneficium jure, & hortatu, Reginæ ac Principum suimet, dedit. Insuper Marcam, & quicquid *Wernizo* ex parte regis tenuit, hoc totum *Bernhardo* Comiti concessum est. In diebus illis, *Thiedricus* Metensis Episcopus & Dux *Henricus*, frater ejus, cum cæteris conspiratoribus magnam regi & suis familiaribus molestiam inferens, sibi successoribusque suis inexsuperabile detrimentum promeruit. Ecclesia namque una, quæ extra Metensem stabat civitatem, & congregatio ibidem serviens, à Slavis, dominum non timentibus, vastatur. Sed hoc damnum magna ex parte, Rex cum juramentis & ex sua proprietate restituens, ne quid huic simile accidisset, cuncto exercitui cavere præcepit, vineas & ædificia cum frumento cæterisque utilitatibus læsit. Vidi epistolam non longe post, ubi octogintorum numerus mancipiorum Sancti Stephani inscriptus fuit, quæ propter famem & aliam necessitatem à patriis finibus egressa sunt absq; (l) conscientia præpositorum, exceptis omnibus, qui cum (m) consensu eorum abierant. Satius esset huic Ecclesiæ, quod nunquam natus fuisset homo ille. Describam quoque unum facinus eorum, quod in Adra lugubriter peregerunt. Rex autem habuit concilium in Moguntia civitate, & hi tunc interfuere: & cum omnia ibidem secundum suimet placitum respondere non potuissent, reversi sunt irati: pace tamen ad tempus facta: & cum eos sequerentur nil mali sperantes *Heimo* Wizdunensis Episcopus & Dux *Thiedricus*, latentes insidias improviso irruunt, & pau-

(i) gemina & cordis & corporis virtute. (k) civitatem. (l) consensu. (m) licentia.

& paucis effugientibus, cum Episcopis interfecti sunt innumerabiles viri. Dux ille nimis vulneratus, & quia amicus eorum fuit, captus abducitur, & multos dies custoditur. Posthæc datis obsidibus solvitur, & à regis gratia in hoc non movetur. Interea *Hermannus* Comes & *Guncelinus* Marchio invicem (n) certantes insusitato in his regionibus more conflixere. Namque Guncelinus *Strelam* civitatem à militibus Hermanni custoditam expugnare tentans, & nil proficiens, *Rocblitz* urbem, juxta *Mildam* flumen positam, & non bene provisam incendio consumere præcepit. Insuper quicquid incommoditatis prædicto Comiti, quia semper patrui in fratrum filios severi, facere potuit, id nullatenus distulit. *Hermannus* & *Ekkibardus* confratres, castellum quoddam, juxta *Salam* situm, quod Guncelinus unice sibi dilectum muris & præsidio firmavit, bonisque innumerabilibus implevit, ex improviso manu valida circumdantes, expugnant, & divisa omni congerie, radicitus illud dejiciunt, ac incendio consumunt. Pervenit hoc ad aures Regis, & confestim idem ad *Merseburg*, hæc ad discutienda properavit. Sed cum ibidem prædictorum sententias Comitum animadvertisset, culpam omnem *Guncelino* imputat, quia se in multis prius sperneret, & in illato sibi dedecore ultorem non exspectaret. Adjecit autem, quod familias multorum, sæpe id sibi querentium, Judæis vendidit, & nec jussu suo has reddere, nec latrocinia, multis à sua potestate nocentia, unquam curavit compescere. Insuper questus est, quod majorem apud Bolizlavum fratrem gratiam hactenus habuisset, quam ei deceret, aut sibi placere deberet. Hic etiam præsentes erant qui cum (o) semetipsis reum esse majestatis, accusare voluerunt. Inter tot (p) lamentationes & ejusdem suorumque excusationes, Principum communiter consilium à Rege quæritur, & ab his diu hoc secretè volventibus, taliter respondetur. *Scimus hunc erga vos inexcusabilem non esse, & ut vestra pietati se, omni reluctatione remota, tradat, nobis bonum videtur. Admoneat vos misericors Dominus, ut non qualitate suimet meriti, sed pro quantitate ineffabilis clementiæ* (q) *vestrimet, ad exemplum omnibus ad vos conversis in eo faciatis.* Horum (r) consilio Rex aspirans, suscepit eundem & *Arnulpho* Antistiti firmiter custodiendum (s) tradidit, præsidii continuatione ab hostibus *Misni* muniens, eamque ad tempus providendum *Friderico* committens. Proxima verò messe interventu Reginæ & instinctu cari *Tagmonis*, *Hermanno* Comiti Marchiam dedit, & consilio & laude Principum eorundem. Interea prædictam urbem *Bruno* Comes, frater *Guncelini*, ordine vicis suæ custodiebat & ecce priori die, quàm *Hermannus* adventaret, magna Poleniorum caterva in primo diei crepusculo *Albim* transgressa, usque ad portam civitatis, sibi promissæ, silenter (t) veniebat. Sed cum positis ibidem militibus facilis ei non pateret (u) introitus reversa tristis, proh dolor illæsa & nemini nocens. (w) Hujus rei Ductores erant duo *Wethenici* ex suburbio, ut post revelatum est. Namque hi sanguine suo talem merito præsumtionem persolvunt. *Bolizlavus* autem inter spem metumque sollicitus, in *Budissin* hos exspectabat, & ut adventare socios comperit, delusum se graviter (x) portat. Post hæc *Hermannus* Comes per Regalem nuntium introducitur ac debitoribus suis, quicquid in eum deliquerant dextra hoc affirmante, ab eo remittitur. Rex autem in hac (y) ætate & proxima hyeme consilio & virtute pacificatis hostibus, contumeliam & damnum à *Bolizlavo* sibi illatum crebra meditatione revolvit, & post Pascha expeditionem suam atroci jussione indixit. Fit conventus in *Belegori*, quod *pulcher mons* dicitur in *Geronis* prædio Marchionis. Tunc *Bernhardus* Dux & *Waltherdus* Præpositus gratia *Bolizlavum* convertendi præcesserunt, ac in *Libitz* quod sibi placeret invenientes, reversi sunt. Venit etiam huc Jaremirus, Bojemorum Dux inclytus, & Regi per omnia fidelis. Nec præterire possum quod miserabile prædicto Comiti ibidem accidit. Nos omnes, nec aliquem excipere valeo, vice amicorum hostes huc fuimus, exceptisque duntaxat mancipiis, omnia consumpsimus & quædam igne. Hujus rei nec Rex ultor seu defensor (z) fuit. Inde ad *Luzici* pagum, in cujus fronte urbs quædam *Jarina* stat, à *Gerone* dicta Marchione qui magnus fuit, & sic nuncupabatur. Ibi tunc capti sunt duo fratres ex provincia *Hevellun*, & ex urbe *Brandenburgensi*, qui ad Bolizlavum, causa eum contra Regem vertendi, venerunt, & inde digressi inciderunt, palam laqueum, quem occulte tetenderunt. Hi de multis interrogati, & nihil de his omnibus volentes profiteri, in uno colle pariter suspendio perire. Infirmabatur tunc ibidem Rex, & sibi dilectus *Tagmo*. Tum principes angusto versant in pectore, quid deberet fieri de incepta

(n) dissidentes in his Saxonum regionibus. (o) propria vita eum esse reum Majestatis affirmare voluerunt. (p) querimonias. (q) vestræ, quæ magna esse expertum est. (r) consultu. (s) commisit. (t) accessit. (u) ingressus. (w) Horum Sclavorum Ductores. (x) sustinuit. (y) æstate. (z) nec alius quis redditor extitit.

cepta expeditione. Tandem ab his inventum, quod Rex cum Episcopis quibusdam & infirmiori multitudine rediret. *Arnulphus* autem & *Meinwercus* Episcopi cum Duce *Jarimiro* & Marchionibus *Gerone* & *Hermanno* cæterisque compluribus *Cilensi* & *Diedesi* vastarent. (a) Sicque factum est. Prædicti seniores, cum urbem *Glogua* dictam, ubi *Bolizlavus* ipse fuerat, ac eos perspicere poterat gregatim, loricati transirent militum hæc à muris cernentium animos provocant, & hi Ducem suimet, cur hoc pateretur, alloquentes, sibi eos (b) tentandi licentiam poscunt. Quibus talia refert: *Exercitus, quem videtis multitudine parvum, virtute magnus est, & è militibus cæterisque electus. Hunc si aggrediar, sive vincam seu superabor, in postremum depressus sum. Regi possibile est, alium ilico exercitum* (c) *congregare: multo melius, nos hoc modo patienter ferre, & alias, si possit fieri, absque magno nostri detrimento his superbientibus nocere* (d). Sic insolens militum animus sedatur, & in hoc itinere nulla ejusdem voluntas in nostris adversitatibus satiatur. Quamvis crebra imbrium inundatione nostri (e) tardarentur, tamen latè magnum hostibus damnum intulerunt. Tandem vastatis omnibus circumquaque jacentibus, Bojemi ad sua, nostri autem per Milzienos fines læti ad Albim remeabant, præmissis illico ad regem (f) nunciis, qui cum bona prosperitate se venturos indicarent. Hic domini gratia bene convalescens, legationem istam, & ponè sequentes, amicabiliter in *Merseburg* suscepit, & Archiepiscopus *Tagmo* de *Strela* bis à Rege divisus sanctam Thebæotum solennitatem in *Magdaburg* celebravit, & ad regem huc incolumis venit, tractatis tunc patriæ laborantis necessitatibus plurimis. Rex iterum occidentales invisit regiones, & fluctivagos habitatorum animos sapientiæ freno edomans, Natale domini festiva jucunditate in *Palthi* celebravit. Tunc iterum sibi percharam *Merseburg* invisit, & firmata ibi ad V. annos mutua pace, cum consilio paucorum urbem *Luibusuam* dictam ædificare & confirmare præcepit: de qua multi prædixere venturum, quod in hoc anno, proh dolor, agnoscunt, non omne falsum. Ad hanc venimus in fine mensis Januarii, & ibidem sanctæ Domini genitricis purificationem veneratione juxta peragentes, in XIV. diebus opus impositum complevimus, & præsidio urbem munientes remeavimus. Juxta hanc in parte aquilonari stat civitas, quam à prædicta nil nisi una vallis dividit, & in hac XII. portæ sunt. Hanc cum diligenter lustrarem, opus *Julii Cæsaris*, & magnam Romanorum structuram, *Lucano* admonente, tractavi. Hæc plus quam decem millia hominum capere potuisset. Minor autem, quam tunc perfecimus, ab Henrico I. rege usque ad hoc tempus vacua erat, & quam flebili miseria hæc cito corruerit, enumeratis, quæ inter hæc acciderant, explicabo. In priore æstate, IV. Idus Augusti, Monasterium in Wallibizi cum IV. Ecclesiis & campanis omnibus, tum ædificiis appertinentibus propter peccata mea incendio periit. Peracta in civitate *Bauenbergensi* Ecclesia majore cum natelicius Regis dies esset, (g) & XXXV. jam inciperet, II. Non. Maji, omnis primatus ad dedicationem istius aulæ ibidem congregatur, & sponsa hæc Christi per manus *Joannis* patriarchæ de Aquileja & aliorum plus quam XXX. Episcoporum dedicatur. His ego peccator interfui, & ut summo decuit Regi, in omnibus hanc ornatam vidi. Post hæc Synodus hic fit magna in qua *Gevebardus*, Ratisbonensis Ecclesiæ Præsul, ab Archiepiscopo suimet arguitur, & (h) Metens. Ecclesiæ Præsul *Thiedricus* à Rege increpatur, eo quod epistola suimet hunc injuste apud Papam accusaret. Sed hæc omnia & multa alia consilio prudenti sunt finita, & restitutio parochiæ (i) tum promissa est mihi. Completis omnibus in Orientali Francia utilitatibus Rex Merseburgensem revisit civitatem, ac ibi sanctam pentecostes solennitatem celebrat, & in primo mane dominicæ diei, qua Sanctus Apostolos replevit Spiritus, *Tagmo* Archiepiscopus infirmari cœpit, & missam canere non potuit. Tunc jussus sum indignus hoc officio succedere. Postera die admodicum covaluit Archiepiscopus & ad Regem ambulans se multum commovit, & post hoc in tantum tardatur, ut per se nunquam aliquid facere potuisset. Accersito tunc ad eum fratre meo Abbate *Sigefrido*, ac Præsule *Erico* illis confessionem fecit, & in V. feria, cum jam inde voluisset pergere, juxta caminatam Regis solio portatur suo, & *elevato à capite pileo* dormientem alloquitur Seniorem: *Grates tibi condignas, domine mi charissime, referat omnipotens Dominus de cunctis miserationibus tuis, quibus peregrinum me hactenus visitasti, & consolatus es.* [Et det tuæ benignitati ob recompensationem earum in cælesti Ierusalem præmium, quod ipse suis dilectoribus ineffabile præparavit: Me enim à modo viventem non es visurus, quia jam ut spero viam universæ carnis sum ingressurus. Vale igitur domine carissime, vale in Domino.] Et tum ad Ecclesiam (k) veniens audivit missam præsentes benedicens. Inde portatur ad navim & in ea *Witganstein* deductus est. Ibi tum sabbato requiescebat, & in die dominica juxta urbem suam *Spuitni* vocatam, navigio venit. In II. autem feria in ipso itinere cum jam pene defecisset, *Walterdum* ad se vocavit præpositum, ejus-

(a) sic ergo ut decreverunt factum est. (b) adtemptandi (attentandi.) (c) & nos appetere. (d) & nostras injurias vindicare. (e) gravarentur. (f) Veredariis. (g) & vicesimus quintus annus inciperet. (h) Metensis. (i) meæ. (k) vectus.

ejusque fidei se suosque committens, V. Id. Junii non obiit, sed ad Christum, quem semper amavit, lætus abiit. Fit oratio à confratribus, cum intermixtis fletibus, & *Bodo* miles ad regem ad hæc indicanda mittitur. Corpus autem Archiepiscopi ad *Frasam* ipso die venit, & ibi Sacerdotalibus vestimentis paratum, ad sedem suam transfertur, & cum ingenti tristitia ab omnibus suscipitur. Ego autem hæc omnia in *Merseburg* sero comperiens, in ipso depositionis die orto jam sole adveniebam, & cum in Ecclesia majori pauca orationis effunderem verba, veni ad refectoriū, ubi præpositus cum universis confratribus atque militibus sedens, de electione tractabat. In quorum præsentia ego stans, multum flevi, turbatus dolore vehementi, & salutatis omnibus, sedebam, & quod ab his tunc esset dispositum, (l) interrogabam. Adhæc Walterdus: *misi*, inquit, *legatum meimet ad regem, qui hæc ei, quæ nobis acciderunt mala, indicaret, & voluntatem suam in rebus faciendis inquireret, & hic ad nos Henricum Antistitem misit, ut electio à nobis non fiat, sed tantum consensus unanimis, & hoc indicetur ei. Nunc autem omnium pietas præsentium me, quamvis ad hoc indignum, decernit, si* (m) *domus consentit & si vult Rex.* Cui sic protinus respondebam: *Sum unus ex his, qui electionis bujus ac consecrationis participes esse debent, & hoc vobis consilium do, ac illud adjuvare inquantum* (n) *possum volo. Senior meus imperet quod velit, Vos autem quod accepistis à Deo & antecessoribus suis videte ne perdatis. Te autem fratrem primus eligo mibi ad Archiantistitem, non charitate tua, sed utilitate certa in te agnita: & præsentium mentem nunc singulariter scire desidero.* (o) A quibus hoc unum percepi responsum, *VValterdum nobis in dominum & ad Archiantistitem eligimus.* His tunc confirmatis, ille surrexit, & coram prostratus, veniam petit, divinam interpellans pietatem, ut hæc nobis omnibus retribuere dignaretur, & à sua parte bona promisit omnia. Tunc ego me inclinans, rogavi eum per nomen domini, & per veræ fraternitatis amorem, ut Ecclesiæ meimet, admodum despoliatæ, parochiam sibi juste pertinentem, si ad hunc perveniret honorem, restituere, aut sibi hanc cum aliis rebus inde abstractis voluisset Sacramentis firmare. Hoc mihi in præsentia omnium firmiter promisit. Interim lassatus ab itinere Præsul *Henricus* dormivit, & Episcopus *VVigo* veniens, electionem nostram consolidavit. Mittitur à nobis omnibus tunc custos Ecclesiæ *Redingus* ad Regem, ut memor domini, & antiquæ promissionis, si unquam sic accidisset, familiam Sancti Mauritii orbatam, & nimis tristem, tanto patre consolari voluisset. (p) Audita jam prima, Ericus antistes evigilat, missam pro defunctis cantavit. Post Evangelium autem ad quid Rex eum huc mitteret præsentibus innotuit, & defuncto Archipræsuli absolutionem nobiscum fecit, & ab omnibus fieri postulavit. Tertia enim tunc dies erat, qua sacerdos prædictus obierunt, quæ cum septima atque tricesima in uniuscujusque fidelis exitu memoriter ob mysterium in se continens, celebranda, id est, ob fidem Sanctæ Trinitatis, & septiformem Spiritum. Ac dehinc corpus benedictum usque ad locum sepulcri carmine & planctu defertur, ac positum est occidentali parte in choro ante cryptam, quam ipse fecit, & consecravit, & in qua se, quam diu vixit, coram altari rogavit sepeliri. Ubi idem lacrymabiles sæpe effudit orationes. Sed Waltherdus locum hunc, in quo nunc pausat, quia non erat dedicatus, animæ salubrem & introëuntibus cunctis conspicabilem, dilecto suimet seniori providit. Sed quia beati omnes virtutibus suis cum Christo vivunt, & in hoc seculo scriptis: (q) non est bonum, tanti patris inclytam conversationem silentio tegere, sed veritatis luce omnibus proficuis innotescere. Erat hic justus, timoratus, ac miræ charitatis, largus & fidelis, castus ac mitis, prudens & stabilis, canonicus, habitu, sed Monachus in omni conversatione sua. Vitia in cunctis ob meliorationem aspere carpebat, bona quæque laudans. Non fuit apud modernos ullus pastor, qui confratribus suis familior esset: hos amavit, (r) atque coram populis laudavit. In primo ordinationis suæ anno templum Domino ædificare cœpit. Presbyteris & Diaconis vestitum suimet IIX. siclis; Subdiaconis autem & inferioribus IV. adauxit. Nisi infirmitas obsisteret, omni die missam & Psalterium cantavit, & quia jejunare ob lassitudinem non potuit eleemosynarum multitudine redemit. In vigiliis supra modum laboravit, & quia parum manducare ob infirmitatem dentium potuit, potu quamvis mediocri facile satiatur. Nobiles moribus & genere amavit, ignobiles autem non contempsit, sed in sua familiaritate habuit. Cultores Christi dilexit, comtemptores autem ejus juste prosequitur odio. Omnia sibi (s) divina commissa excoluit, & lucrari contendit Antequam divinum perageret (t) Mysterium, (u) severus fuit, & post omnibus hilaris arrisit, & per sæpe cum suis *Kyrie eleison* cantavit. Nequeo ex parte mea numerare, quantum pietatis munus (vv) indigno studuisset impendere. Hoc tantum scio, quod nunquam illi digna (x) remuneratione de his re-

(l) exquisivi. (m) Rex consentit. (n) prævaleo. (o) te electum esse à Domino. (p) sonante. (q) operæ pretium esse videtur. (r) memorabatur eorum ubique in bonum & eos coram rege & Principibus & universis populis intus & exterius semper laudavit. (s) divinitus. (t) Officium. (u) severe se agebat. (w) parvitati meæ. (x) retributione de his ejus largitati respondi.

respondi. Obœdientiam, quam ei suisque successoribus in examinatione promisi, minime adimplevi. *Harnaburg* & *Frasan* ac (y) *Prætin* urbes cum curte una, quæ *Esiconis* fuit Comitis, suæ acquisivit Ecclesiæ. Apparatum Episcopalem satis egregium & affluentem congregavit, IIX. annos & menses IV. VII. dies columna Ecclesiæ (z) sedebat, cadens, ut prædixi, præsentialiter, sed invisibili templo Domini translata manet perpetualiter. Eodem die *Vngerus*, Posnaniensis cœnobii pastor, consacerdos suus & suffraganeus, XXX. ordinationis suæ anno obiit. Nunc hæc dicta sufficiant, & de quo mihi nunc sermo, amplius (a) loquar. *Redingus* ad Regem veniens, suam legationem suppliciter profert, & quamvis ardue, tamen desiderata impetrans, per internuntium *VValtherdum*, in exequiis dilecti senioris studiosum etiam XX. talenta argenti *Thiedrico* nepoti meo in Eleemosynam, excepto victu largientem, vocat, & ego jussus venire proficiscebar cum eo, ac in Sabbatho *Gronam* sero venimus. Mox in præsentiam Regis venientes, (b) misericorditer suscipiebamur, & pauca locutus Rex nos ad hospitium ire permisit. (c) Castra metati enim tunc sumus extra urbem, & juxta lucum, ubi modo Sancti Ecclesia Alexandri. Crastino fuit dominica dies, & (d) festivitas Christi martyris Viti, & eo valde mane missam confratribus meis cantavi, & post hanc, in urbem vocati ivimus usque ad caminatam Regis, & ibi solus intromittitur Waltherdus & ibi usque ad tertiam soli colloquebantur, & egressus tunc Waltherdus, annulum portat in manu sua, & ostendens nobis: (e) *Ecce, habetis*, inquit, *pignus subsecuturæ pietatis*. Et tunc omnes nos in præsentiam venientes, examinatione Regis, ipso primitus eum laudante, prædictum patrem elegimus, & optimi quique aspirabant, & mox à Rege accipit (f) baculum pastoralem. Post Sacramentum Regiæ (g) potestati exhibitum introductus est ad Ecclesiam, quam ibi à Rege constructam antecessor suus (h) benedixit: & laus domino à præsentibus canitur. Deinde regiam interpellabam (i) pietatem, ut de Ecclesiæ necessitatibus meæ aliquid loqui cum eo dignaretur, & ut ego (k) postulabam, firmæ suimet (l) commisit me fidei. Thiedricum quoque nepotem meum, ut ipse desideravit Rex, per manus illi dedit, & cum (m) generos suimet tunc iterum exercitu petere voluisset, cum præsentibus suimet Principibus, qualiter Bolizlavus ab his invaderetur, (n) retractavit. Hoc omne Archiepiscopo noviter instituto, & suas curtes in Saxonia positas (o) commendavit. Eodem die omnes declinavimus unusquisque ad sua. In proximo autem sabbatho Archipræsulem Waltherdum *Arnulphus* Præsul jussu Regis intronizavit & utrique honore ac magna jucunditate ibi suscepti sunt. Postera die unctus est Waltherdus ab *Eido*, Misnensis Ecclesiæ venerabili Episcopo III. cum adjutario suimet confratrum *VVigonis*, *Hillinbardi*, ac *Henrici*, & à me, his multum inferiori. Adjuvit autem nos *Arnulphus* Præsul. II. feria omnes nos cum charitate bona, & munere magno abivimus. Fuerat enim vigilia Sancti Johannis Baptistæ, & tunc *Redingus* ab Archiepiscopo constitutus ad præpositum, cum communi electione confratrum. In die Sancto ad montem cum solito honore is ductus, à me & à fratre meo *Sigefrido* suscipitur. Ibi tunc missam cantans, populos (p) primo instituit, & post ab Abbate multum rogatus, ut ibi charitatem (q) faceret, ob turbam sibi adhærentem omisit. Fuit in natali Apostolorum, in sede sua, ac tunc commissos salubriter ammonuit. Interim à Bolizlavi nuntiis rogatus, Scitiam causa pacem faciendi venit, & ibidem magnifice susceptus, duas ibi tantum noctes mansit, ac nihil ibidem perficiens, muneribus (r) magnis revertitur. Affuit mox expeditionis in dietæ tunc statuta dies, id est, IX. Calend. Augusti, juxta locum qui dicitur *Tribenz*; Convenimus, & sic rursum usque prope *Belegari* ascendimus. Tunc visum Principibus, non esse bonum, perfici iter nostrum, sed optimis Marchiam firmari præsidiis, & in sequenti nocte Archiepiscopus capite nimis infirmatur: cumque ad eum mane venissem, diu eum in tentorio tardantem expectavi. Egressus tandem, queritur mihi, se multum ægrotasse. Promisit autem, se ad Reginam, in *Merseburg* tunc manentem, venturum, & ibi me alloquuturum. Tunc ego abscessi & ille prius recusans, tunc quia inventio Christi protomartyris tunc fuit, & dominica dies, missam cantavit proh dolor ultimam. V. feria ego ad Merseburg veniens, dum me cum confratribus meis ad adventum ejus præpararem, audivi ab internuntiis, quod ille ad Wikansten non bene valens curru veniret. Proximo die huc equitans, *Bernhardum* Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopum causa benedictionis, & (s), *quam bene sciebat, curationis gratia* vocatum, ibidem reperi, & *Fridericum* Comitem, cujus frater erat Dedi Comes. Et cum introirem, sedebat Archiepiscopus in solio, & me suscipiebat quam charitative, & suimet pedes, tunc à tumore solito relaxatos, intuetur, & dolet,

(y) Protinc. (z) ut stetit. (a) loqui aggrediar. (b) benigne. (c) hospitati sumus. (d) solennitas pretiosi Martyris. (e) Ecce pignus indicium futuræ dignitatis pie mihi promissæ, itaque omnes. (f) virgam. (g) dignitati. (h) consecravit. (i) dignitatem. (k) rogabam. (l) commendavit. (m) generum. (n) tractavit. (o) commisit. (p) verbo doctrinæ. (q) susciperet. (r) honoratus revertitur. (s) cujus peritus fuit.

let, quia dum hi turgebant venter levius habebat. Intimaverat is tunc mihi si hoc periculum sanus evaderet, nullus amicorum mihi fidelior esse potuisset. Fui tunc ibidem, usque ad vesperam, & tum invitus redii, quia crastino erat vigilia Christi athletæ Laurentii, cujus festivitas dominica instabat die. Qua cum ego populis venientibus pauca prædicarem, communiter ab his pro infirmo Archiantistite orationem fieri supplex postulavi. III. feria ante primam, ubi ille fuerat, veniebam, & tunc hic erat *Eid* Episcopus, multum pro eo in oratione continuo laborans & cum Caminatam, ubi ille pius jacuit, ingressus essem, nec loquentem audivi, nec bene cognoscentem hunc vidi. Advenere etiam eo vivente *Arnulphus* & *Hillibardus* cum *Meinwerce* & *Erico* Coëpiscopis, omnes hunc pariter benedicentes, & indulgentiam ei facientes. Ego autem peccator *unxi eum oleo sanctificato in locis maxime dolentibus. Jarimirus* Dux quoque adfuit, quem frater suimet *Othelricus* & satelles, totius debiti immemor, in sacro sabbatho dominicæ resurrectionis proximæ à regno Bohemorum expulit, & *Bolizlavum*, quem etsi amicum sibi consanguinitate, tamen pro hoste hactenus habuit, in persecutione fuga petere coëgit. Hic quia Archiepiscopum cunctis laborantibus nimis (t) fidelem esse sciebat, sperans ejus incolumitatem, ad impetrandam Regis gratiam, intercessionem ejus quærebat: & hunc jam defecisse videret, dextræ ejus se committi, & per eam nobis, lachrymis postulat profusis. Sed Archipræsul, cum jam finis adesset, nescio quid videns, ad lævam, signo sanctæ crucis potenter dextra se munit, & aversus corpore, & vultu, contraxit faciem, quasi ploraturus, & mox remisit lætus. Hoc ego videns, ob tristitiam egressus sum, & interim præsentes, eundem videntes jam semianimem à lecto protinus elevaverunt, ac tapeti super posuerunt. Accensis tunc luminaribus, vocabar, & jam stola induta in agone laborantem vidi. Cujus pectori crux Sancta fuit superposita. In manibus cinerem, & subtus habebat Cilicium: ut *Eid* Episcopus monstrabat: & cum sol jam die mediante declinaret, cum incenso sibi adhibito. 2. Idus Augusti transiit anima ejus ad creatorem suum, unde erat, derelinquens quod non erat. Orantibus tunc cum lacrymis præsentibus cunctis, ego infelix pro debito eosdem non adjuvi, & quod tunc mihi obviaret in animo, non possum cuiquam prodere. Sed hoc tantum Christi fideles mecum orate, ut dominus, cui nullum latet secretum, nec huic, neque mihi hoc imputet. Post hæc solutis visceribus, & intra Ecclesiam atque caminatam sepultis, corpus præparatur & sancto altari præsentatur. Ibi tum facta pro defunctis memoria, nos ibi cœnavimus, & corpus eodem die usque ad Coniri prosequimur. In via plangens familia obviavit. Crastino cum ad villam, juxta ad montem Sancti Johannis sitam venissemus, clerus omnis flens adfuit, & Judæorum (u) magna, & quorum erat pater, orphanorum multitudo conveniens, dolorem lamentando manifestat: & nos in Ecclesia majore cum funere intrantes, amici cum hæreditariis omnibus, elevatis cum luctu manibus, miserabiliter suscipiunt. (w) Quis non tunc plangeret, cum talia videret? Conquerimonia autem omnis hæc novo non æquatur damno. Omnes nos fratres ad capitulum venientes tunc nepotem meum Theodoricum, excepto Bennone, eligimus, idque caritate Archiepiscopi Tagmonis maxime facientes. Vespere autem facto, Arnulphus venit Episcopus, quibuscunque valuit bonis ad hæc aspirans. Postera die renovata electione, corpus Archipræsulis tumulatur ad dexteram antecessoris sui in Australi (x) manica, & in vigilia assumptionis S. Mariæ. Quod Regina ut primo comperit, per Geronem pincernam suum Regi, jam juxta Metensem urbem cum exercitu sedenti (y) indixit. Hic vehementer illud admirans, & qualiter se res nobiscum haberent, interrogans eundem, regnum, pro ut curaretur ab ea, celeriter (z) remisit. Epitaphium autem Archiantistitis non lapide aliquo, sed memori corde inscribendum, lector exaudi. *Waltherdus*, quamvis interpretetur *potestate durus*, severus in aperto, mitissimus (a) fuit in occulto. In timore continuo & amore justo Dominum agnovit & proximum. Fragilitatem carnis fletus amaritudine crebri, & eleemosynarum largitate ineffabili resolvit. Utraque hac pollens virtute, regi acceptus, cunctisque primatibus admodum exstitit honorandus quem senior suimet benedictione, & solo nomine præcellebat: Verus & compatiens, ac Ecclesiæ suimet fortis propugnator erat. Sine omni jactantia convicinis plurima impendit: Ille solus sibi suffecisse cunctis innotuit. Audivi eundem multum jurare, quod non ob ambitionem, sed laborantis Ecclesiæ, & pene deficientis, utilitatem, hunc expeteret honorem. Ad hoc se dixit immeritum, & ibi duos esse confratres, quos libenter eligeret, si hoc ullo modo fieri posse speraret. Justus & tenax propositi suimet vir iste fuit. (b) Erat ejusdem pater *Erp* senior, vita laudabili, (c) carus cunctis suimet contemporalibus. Mater autem ejus *Amulred* nomine, quæ castitate pia & opere herili inter alias (d) lucebat matronas.

(t) misericordem. (u) synagoga. (w) *Quis tunc non fleret, cum tristia tanta videret.* (x) absida. (y) nunciavit. (z) ei demandavit. (a) sentiebatur. (b) sui, laudari se ab aliis non appetebat, nec aliis ipse detrahebat, Genealogiam ducebat ex nobilissimis natalibus quam extollebat bonis moribus. Dicebatur ejusdem. (c) decorabatur. (d) præibat.

Hæc verò omnia, quæcunque potuit bona, pro ejusdem memoria diligenter impendit: Prædicto autem Waltherdo in somnis prius dictum est, quod Archiepiscopatum Magdeburgensem accipere, & ad modicum tempus ipsum possidere deberet. Et in hoc anno, quo hoc impleri debuit, cuidam matronæ venerabili mater sua jam defuncta per visum apparuit. Quæ cum ab eo salutaretur, & quomodo tunc valeret, interrogaretur, respondit, *bene*, & adjecit: *Scisne*, inquiens, *quod Archiepiscopus noster Tagmo de hoc seculo migrare, & Waltherdus sibi debet succedere? non ut hic sit aliquantulum regnaturus, sed in ultimo examine inter judicantes sessurus. Ab eodem in cœlo est tabula ex argento pene perfecta, & cum hæc ei completur, ab aspectu hominum is, præmia accepturus, aufertur.* Ipse vero, ut soror sua mihi intimavit laica (alteram enim habuit sanctimonialem) idipsum præsciens, vocavit eam ad se dicens: *Recordaris modo qualiter mihi olim promisisti si hæreditati meæ unquam succederes, ut prædium, quod in Osulfsstidi habeo, pro animæ remedio meæ sancto Mauritio traderes?* Cui hæc omnia profitenti, & digito ut ipse petiit, confirmanti, flens respondit: *Mihi non licet vivere: Tu autem fac ut dixisti: & pro certo scias, quod de residuis nil abalienabo vobis consororibus meis.* Sciebat hæc omnia compleri debere, sed speravit (e) in majore tempore. XXIIX. annos Præpositus erat, & hoc nomen & officium præ ceteris contemporalibus cunctis honorifice tenebat. Sarcophagum ingentem ad includendas sanctorum reliquias de argento fecit. Ecclesiam rotundam post incendium hujus civitatis magnum dilapsam à fundamento erexit, & ibi Canonicorum congregationem facere proposuit, & his de sua proprietate prædium voluit dare supra dictum. Non fuit is verbosus, sed conscientiæ secreto congruis temporibus (f) manifestanda contegebat: hoc solum præ omnibus questus, quod Ecclesias & clerum non bene dixit. De pallio autem nil doluit. (g) Ineffabilem librorum copiam & sacerdotalem apparatum, cum plurimis secularia respicientibus, contraxit. Quæ omnia in subitaneo ejus fine multorum inutiles manus distraxerunt. Sedebat namque tantum IIX. hebdomas & II. dies. Hoc totum ideo dixi, ut de ejus celeri obitu nec palam nec in occulto ullus miretur, vel sua speciali (h) culpa hæc evenisse arbitretur, quia multi ante eum plusquam XXX. sedebant annos, qui nec hic nec in futuro majoris meriti erant. Væ his, qui in hac peregrinatione diu vivunt, & id spacium male operando perdunt: Et bene illis, qui dies sibi concessos cum cauta solicitudine in Christi servitio ducunt. Malè operantes quique, (i) pœnas sibi augent: è contra autem quibus abbreviatur vita præsens, si sunt (k) culpabiles, cito admissa luunt. Boni autem omnes etsi corporaliter non æque degant, una tamen fidelitatis æternitate gaudent. Non ille solus tam parvo tempore sedit. Legimus *Tertullianum* à Sancto Stephano Papa presbyterii dignitatem, & post quatuor dies ob amorem Christi, constantiamque fidei, martyrium à tyranno suscepisse, & in utroque ordine is semper manet. Iste quidem peccata luit, & in brevi (l) prolatoribus justis bravium à Domino recepit, & hoc multis illico manifestatum fuit. Hæc autem omnia enarrare perlongum est: qualiter vero de his mihi acciderit, domino teste, quia non mentior, explicabo. Fui in præsidio ad Misnam, & in natalitio die Apostolorum Simonis & Judæ, post matutinam, apparuit mihi ille venerandus, & cum hunc mortuum bene cognoscerem, quomodo se res ejus haberent, protinus interrogabam. Et ille, *in pœnis*, inquit, *pro qualitate meriti fueram, quas omnes prorsus jam superabam:* & ego mox admodum gavisus, *licet mihi*, inquam, *campanas sonare, & populos ad laudem Domini accendere.* Et ille respondit, *bene, quia verum est.* Et tunc amplius in colloquendo progressus, *estne*, dixi, *hoc vobis notum quod multorum susurratione mens Regis alienata est à vobis, eo quod post ordinationem vestram contra eum multa operari studuissetis.* Et ille: *credite mihi*, obsecro, *credite*, ingeminans, *quia in hoc (m) culpabilis non sum.* Cum autem percontari hunc vellem, cur tam cito obierit, evigilavi, & hoc scire non licuit mihi. (n) Accepi post a veracibus, quod is in omnium commemoratione sanctorum divinis clementer præsentari mereretur obtutibus. Omne quod de illo dixi, non de speciali aliqua suimet (o) charitate protuli, quia verum est, quod ante benedictionem suam mediocriter dilexit me, & ob defensionem suimet Ecclesiæ (p) impendit multa meæ. Veritatis gratia, & opprobrii, ob mutationem subsequuturi hæc locutus sum, minora quam fuerint, quia post se meliorem nullum reliquit. Post hujus sepulturam *Ericus* antistes ex nostra parte ad Regem cum electione mittitur: cui mox epistolam de Ecclesiæ detrimento meæ inscriptam, & Regis clementiam admonentem, commisi. Interim Bolizlavus de nece Archipræsulis certus, congregato exercitu, *Libusuam*, de qua prædixi, petiit, & quia sciebat ob (q) effusionem Albis ex nostra parte nullum urbanis posse ad auxilium venire, castra metatus est ibi. Miles ejus ad bellum hortatus accessit, & defensor ad modicum resistit. Magnam enim hanc urbem nil nisi mille homines tuebantur, cui vix tum totidem suppeterent. Bolizlavus ad prandium sedebat, & satellites suos jam victores urbem ingredi gaudens, cernebat. Por-

(e) tempus prolixius. (f) aperienda (g) Maximam. (h) delicto. (i) longæva vita. (k) mali. (l) pro laboribus. (m) inculpabilis ex isto sum. (n) Didici. (o) dilectione. (p) impedivit. (q) inundationem.

Porta aperitur, & multorum ſanguis effunditur: capiuntur ex his optimi, *Gucelinus de Wiſſo*, & ejusdem infelix custos *Schich* vulneratus. Is namque urbem quamcunque unquam ad tuendum accepit, non ignavia ſui, ſed infortunio miſerabili ſemper amiſit. Hi omnes ducti ſunt in præſentiam ſuperbi triumphatoris: cujus edictu mox ad cuſtodiendum abducti ſunt. Ex ſociis autem prædicti Ducis non minus quam quingenti ibidem remanſerunt. Facta vero hæc miſerabilis cædes XIII. Calend. Septembris. Diviſa tunc immani præda; ac urbe incenſa, victrix turba cum ſeniore ſuo læta rediit. Ab internuntiis feſtinantibus hæc Regina, in *Merſeburg* tunc manens, comperit. Ego autem præpoſiti dum hortatu Redingi duo altaria, unum ubi Archiepiſcopus requieſcit, & aliud in ſeptentrionali ejusdem templi parte XI. Calend. Septemb. dedicarem, indignus in *Magdeburg* primitus id reſcivi, & mox ad Reginam velociter abii. Omnes nos conprovinciales juxta *Mildam* ſedere, & ad adventum regis hæc omnia providere ab ea juſſi ſumus, interim Rex ab expeditione occidentali revertitur, *Geronem* ſuimet capellanum ponere Epiſcopum conatur. Huic Præſul *Ericus* occurrens, & legationem ſuam aperiens, non exauditur. *Thiedricus* nepos meus tunc ad *Geronem* vocatus venit, & à Rege per manus ſuſcipitur, & in vice Geronis deinceps habetur. In natali ſancti Matthæi Apoſtoli Rex (r) advenit, & ego aſcendebam, & cum jam tempus eſt, admonui hunc coram cunctis (s) reſidentibus, ut aliquid de parochia mea cæterisque rebus injuſte ablatis ante conſtitutionem Archipræſulis cum eo voluiſſet tractare. Ibi me tunc firmæ ſuimet fidei commiſit, utrum juſtitia, aut alio ſalubri conſilio, hæc finirentur. Poſtera die Rex ad Magdeburg veniens in refectorio fratrum omnes nos convenire (t) præcepit. Ibi tunc regali petitione, & ſalva in poſterum electione, Gero communiter eligitur, & in Eccleſia ſe primitus altari (u) prodens, & communionem fratrum decem manſis acquirens, baculum à Rege accepit paſtoralem, & mox inthronizatus ab *Eido* unctus eſt Epiſcopo, nobis confratribus prædictis eum adjuvantibus. Thebæorum feſtivitas martyrum à Rege ibi (w) celebrè ducitur, & poſt hæc ab Archiepiſcopo magnificis muneribus idem cum ſuis omnibus honoratur. Inde hi ad Mersburg properantes, diu ibi manebant, & procurationem regni ſummis viribus tractabant. *Erduvinus* Cameracenſis Epiſcopus in hoc anno, ac *Cunradus* & *Hermannus* puer, Duces egregii, obierunt. Quidam vero monachus infirmitate magnâ depreſſus, multa per viſum ſibi revelata vidit, quæ interim dum ipſe ea ſecum loquitur, à præſentibus ſcriptis nota ſunt, & pro maximo habentur miraculo. Nati autem ſunt in his diebus duo fratres cum dentibus in ore, ſimiles avi, quorum alter dextri dimidium brachii, ſicut ala avis habebat, qui tertia die nativitatis ſuæ invicem videntes civili diſſenſione moriuntur. Quidam vero miles cum bona ſancti Clementis vi tolleret, & inde rectam facere voluiſſet, in una dierum à muribus intra cubiculum impugnatur ineffabilibus; qui primo fuſte arrepto eos prohibere tentans, poſteaque evaginato eos aggreſſus gladio, & ſic nil proficiens, arca quadam, ut ipſe rogavit, includitur, ac in medium fune ſuſpenditur, & cum exterius hæc plaga ſedaret, hicque liber ſolvi debuiſſet, ab aliis usque ad mortem corroſus invenitur. Tunc cunctis præſentibus, & poſtea venientibus, manifeſtum fit, quod hunc ira Domini, vindex prædicti facinoris, ſola conſumſit. Interea Jaremirus de quo prædixi, Regis gratiam ſuppliciter petens pro miſericordia & reſtitutione exilium & cuſtodiam *Ethelbodi* Præſulis, *Ansfridi* ſucceſſoris Epiſcopi, ſuſcepit, qui in immenſa cæde Bavariorum, ad *Bolizlavum* ſine Regis ac ſui licentia cum muneribus iter agentium, & trucidatione ſibi commiſſorum, & non aliqua Regis infidelitate talem promeruit ultionem. Noſtri hoc audientes inimici irriſerunt, noſtri autem concives id ut ſibi profuturum timuerunt. Et his liceat in ſemetipſis hoc factum cognoſcere, qui id conſilium Regi noſtro unquam dedere. Poſthæc *Othelricus* frater ejus, ad Merſeburg à Rege vocatus venit, & regnum quod ſibi injuſte prius uſurpavit, gratuito munere ſuſcepit. Eadem tempeſtate inundantes pluviæ ac (x) reſurgentes piratæ multum, proh dolor, nocuere. In illo tempore inundante *Danubio* in Bavariis & ſtagnante *Rheno* ita ineffabilis populi & pecoris, ædificiorum quoque & ſilvarum tali impetu erutarum multitudo periit, quod omnis harum habitatores partium ſua vel anteceſſorum memoria id nunquam accidiſſe firmabant, hoc gementes, ex variis criminibus ſuis tunc eveniſſe, ac poſthæc aliquid magnum timentes ſibi eſſe venturum. Equidem longe digreſſus (y) redeam. Rex à *Merſeburg* diſcedens, navigio ad *Harnaburg* venit. Ibi cum Slavis confluentibus plurima diſcutiens, pace vero ibi firmata, rediit, & omnium feſta ſanctorum in *Helmeſtidi* celebravit. Deindeque occidentales properat inviſere regiones. Interea domina *Ludgerd*, nimis infirmata, me, quia unice dilexit, &, ut ſupra memoravi, linea conſanguinitatis mihi fuerat conjuncta, per internuntium vocavit. Sed cum poſt crepuſculum ad *VVolmerſtidi*, ubi illa jacuit, venirem, caminatam ingreſſus, vidi eam nimis laborantem, & ob hoc à pſalmis non deficientem. Inter quos hoc ſolum

(r) ad *Sebuſen* venit. (s) aſſidentibus. (t) fecit. (u) tradens. (w) celebratur. (x) inſurgentes. (y) à ceptis, tempus eſt ut.

ore volvebat & mente, *me*, inquiens, *suscepit dextera tua, Domine, ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.* Hæc nullum omnino ad me proferens verbum, cum à me interrogaretur, *si sancto voluisset ungi oleo*, respondit *libenter, quia post hoc Christi voluntas cito perficitur in me.* Vestimentis tunc parata novis, me vocavit, & perfectis omnibus ad unctionem juste pertinentibus, *quam pulchra es nunc*, dixi ad eam: & illa *video*, infit, *juvenem formosum ad dexteram*, oculis designans, *meam.* Posthæc digressus ob fatigationem itineris, diu dormivi, & tunc expergiscens, audivi eam præ nimio dolore graviter ingemiscentem, & propius accedens, cantavi psalterium usque dum eam in extremis esse præsentes testarentur: & tunc completis quæ adhæc dicenda erant cum ipsa sanctorum invitatione transiit felix anima ejus Idib. Novembr. ad sponsi Cœlestis thalamum. Hujus obitum quidam laicus, civis Parthenopolitanus, cum in infirmitate jaceret, prædicens, *Est*, inquit, *domina Ludgert, de hoc seculo transitura, & vere beatus ille, qui eam meretur viam incedere.* Cum jam primo illucesceret, corpus ad *VVallibizi* nobis comitantibus defertur, & in proxima die juxta monasterium in aquilonari parte ubi *Luitherdus* pater XXVI. annos requiescebat, deponitur, & à viro suimet *VVirinbario* ineffabiliter defletur. Fuerat enim hæc vita ejus & animæ diligens custodia & in divino maxime sudans famulatu, pro illo plus quam pro se, jejuniis, in frigore & oratione continua peractis, & eleemosynis, ab omnium huc usq; tuebatur insidiis hostium. Dico autem cunctis præsentibus atque futuris, quidquid boni in hoc seculo pro alicujus memoria à fidelibus exhibetur, si non licet ei prodesse, pro quo agitur, nunquam à Domino ei irritatur, qui hoc facere studiosus conatur. In primo Henrici regnantis anno prædicta *Luidgert* post mortem Patris sui ad virum suum, à quo injuste, tamdiu disjuncta fuerat, mense Januario rediit. Et post nuptias, Marchio *Luthbarius* in occidente infirmatus, & potione paulina inebriatus, ex improviso obiit, octavo Calend. Febr. sepultus in Colonia, in eodem loco, ubi ipse prius rogavit, in australi parte templi, qua in Cœna Domini pœnitentes introducuntur. Hujus vidua, nomine Godila, quodcunque boni potuit pro memoria ejusdem facere, non desistit. Filio suimet *VVirinbario* beneficium patris, & Marcam, cum ducentorum precio talentorum acquisivit, permanens in castitate IV. annos, & tunc consanguineo suimet *Herimanno* nupsit, nil curans impositum ab *Arnulpho* Præsule bannum, & quod dexteras Episcoporum, sibi hoc à Domino, interdicentium, fefellit trium, propter hæc est excommunicationis gladio ab Antistite prædicto jugulata, nullamque in procreanda prole spem deinceps adipiscitur. Sed ego delirans, idemque ab incepto paululum devians, regis *Henrici* inclytam conversationem aggrediar. Hic magnam synodum ob damnationem *Thiedrici* Metensis Episcopi posuit. Huic in eodem concilio ab omnibus Episcopis ibi (z) convenientibus interdictum, ut ante purgationem missam non caneret. Posthæc natale Domini in *Palithi* festivis peregit gaudiis, & ibi tunc *VValkerus* Treverensis Ecclesiæ (a) servus, & capellæ suimet custos providus ægrotavit, & nobis inde euntibus ibidem relinquitur, III. Idus Januarii, proh dolor, mortuus. Interim Lievizo, Bremensis Episcopus, longa infirmitate depressus, diem pius solicite præstolabatur supremum, & in hac nocte, quæ ultimam præcesserat diem, consocios crebris jam defatigatos vigiliis, talibus mulcebat alloquiis: *O dulcissimi fratres & filii, ne quisquam vestrum de suprema diffidat clementia, & ut labor vester nunc paululum relevetur, de me exemplum vobis admodum credibile profero. Dominum Papam Benedictum* (b) *in his partibus exul quæsivi, & ne ad hunc pervenirem, à multis iterantibus sæpe tardatus, nullis eorum acquievi* (c) *blanditiis. Huic, dum vixit, studiosus adhæsi,* (d) *& post excessum ejus Etheldago seniori meo servi vice famulabar. Hoc ipse considerans, pauperes suos fidei commisit meæ. Dehinc Camerarius ejusdem* (e) *effectus sum, sed cum ille pius, quam semper optavit,* (f) *cœlestem pergeret ad patriam, vestra electione communi, & munere regali, huic indignus succedebam. Omne quod invicem peccavimus, amore Christi ex corde remittamus, ut cum bona pace nunc separati, mereamur in die ultimo iterum sociari. Hoc in extremis meimet salubre vobis consilium do, ut* Oddonem, *qui fraternitatis vestræ est particeps, communi nostrorum consensu ad Rectorem nostræ eligatis Ecclesiæ, & ad utilitatem patriæ, divinam supplicantes pietatem, in cujus manu cor regis, quatenus id sibi placitè perficiatur.* Talia hortantem omnes exaudivere, & sui benevolentiam & (g) procurationem unanimiter laudant. Crastino Dominica dies illuxit, & ille beatus (h) pater summo pastori gregem sibi subditum manibus elevatis cum Spiritu committens, II. Non. Febr. defunctus pergit, quo vivens tetendit. Fuerat enim unus ex numero eorum, quos ut nubes & quasi columbas Propheta miratur

(z) assidentibus. (a) cliens. (b) *Otto Cæsar injuste accusatum deponi consensit, & in his partibus exilio relegavit, quem ego secutus quæsivi exul.* (c) suasionibus. Tandem vero ad eum perveniens & eum in divinis officiis studiosissimum videns quamdiu supervixit. (d) cumque de hoc seculo ad cœlestia migrasset. (e) effectus fideliter commissa mihi custodivi cumque ille beatus. (f) supernam. (g) providentiam. (h) Pastor.

tur ſuas volare ad feneſtras. Ille enim ob vigiliarum & jejunii aſſiduitatem, dum adhuc valeret, quaſi mortuus ignotis videbatur. Ad altare Dominicum nunquam ſine oblationibus acceſſit: aſſiduus populi monitor, & hilaris omnibus arriſit dator. Is erga Dominum promeruit, quod inter continuas piratæ furentis incurſiones ſedes ſua hactenus permanſit intacta. Interea Rex de *Alſtidi* diſcedens, ubi Epiphaniam Domini celebravit, & *Bolizlavus* nuncios, pacem poſcentes & confirmationem cum *Miſecone*, ejusdem filio, fieri promittentes, audivit, ad *Merſeburg* venit, & ibidem (i) prædicti antiſtitis obitum comperit, & hunc queritur ob præſentem fructum, gratulatur autem propter ſubſequentem interventum, recordationem ejus ſummopere faciens. Poſthæc tranſit à nobis, & purificationem ſanctæ domini genitricis in *Magdeburg* celebravit, & in ipſa die prædictus *Oddo*, clericis comitantibus ac laicis, ſupplex venit, & Regis gratiam, ſicut prius ad completionem electionis, per fidos interceſſores poſtulat. Quos Rex nullatenus audit, ſed capellano ſuimet *Vnnano* cum laude advenientium, etſi non ſpontanea, Epiſcopatum dedit, *Oddonem* per manus ſuſcipiens, & promiſſa ſibi pietate demulcens. Tunc juſſu Regis, in præſentia ejusdem, à *Gerone* Archipræſule cum conſenſu & auxilio Epiſcoporum *Ekkihardi* & *Turgati Vnnan* ungitur Archiantiſtes, & interpoſitis diebus paucis, *Miſeco*, Bolizlavi Filius, cum magnis veniens muneribus Regis, efficitur, & fidem cum ſacramento firmat. De hinc cum honore magno remittitur, & ut iterum veniret, (k) delectatur. In his diebus tempeſtas magna, poſt ſolis occaſum, contigit, ac omnes nos (l) admodum turbavit. Diruit namque Eccleſiam extra urbem poſitam, quæ de rubro facta eſt ligno, regnante primo Oddone. Incendium quoque plurima Archipræſulis bona conſumpſit. Inſuper regias pervenit ad aures, quod nepos meus *VVirinharius* cum *Ekkihardo*, Hermanni Marchionis fratre, ad Bolizlavum ſine licentia pergerent, ibidemque multa gratiæ ſuimet contraria loquerentur, ejusque nuncios hic ſæpe in ſecreto haberent. Hoc omne Rex (m) ſuſcipiens, utrosque in ſuam venire præſentiam juſſit. Id cum facere non auderent comprehenſis omnibus ſuimet bonis, ut regiæ poteſtati reſiſterent, diffamantur. Tandem nepos meus gratiam & (n) incolumitatem cum prædio ſuimet & auro (o) comparavit. Alter vero longe poſt cum fideli interventu reſtituitur. (p) In proxima quadrageſima Rex ad *VVarlu* veniens, diu cholica paſſione ibi infirmatur, & multa per viſionem ſibi revelata ſunt. Ad ultimum lacrymis & oratione multorum convaleſcens, quia in tam brevi intervallo ad prædeſtinatum non valuit pervenire locum, Paſchale feſtum cum *Meinvverko* ſibi admodum familiari, in *Patbebrun* digna veneratione peregit, Pentecoſten autem nobiſcum. In cujus vigilia *Bolizlavus* cum ſecuritate obſidum apud ſe relictorum venit, & optime ſuſcipitur. In die ſancto manibus applicatis miles efficitur, & poſt Sacramenta, Regi ad Eccleſiam ornato incedenti armiger habetur. In II. feria regem magnis muneribus a ſe & a contectali ſua oblatis placavit, deindeque regia largitate his meliora, ac multo majora cum beneficio diu deſiderato ſuſcepit, & obſides ſuos cum honore & lætitia remiſit. Poſt hæc vero Ruſſiam, noſtris ad hoc auxiliantibus petiit, & magna regionis illius parte vaſtata cum commotio inter ſuos & hoſpites *Pezineigos* fieret, eosdem quamvis ſuimet fautores juſſit interfici omnes. In diebus illis *Bronbag*, Abbas Fuldenſis, deponitur, & ſuccedente ſibi *Poppone* converſo, & tunc Lareſſemenſi paſtore, hoc monaſterium confratribus late diſcedentibus a priori ſtatu mutatur. In civitate *Bernhardi* Ducis *Luinberg* dicta eodem anno aëris fit mira mutatio atque motio, & immenſus terræ hiatus. Hoc ſtupet accola, & ſæpius, nunquam vidiſſe, teſtatur. Rex autem ad occidentales pergens regiones, iter ſuum ad *Longobardum* diſpoſuit, & iterum ad nos repedavit, & inde XI. Cal. Octobr. diſcedens, per Bavariorum fines atque Svevorum, usque ad locum qui dicitur * properavit. Huc exercitus undique (q) confluit. Et hinc usque ad Romam Rex ſine omni ſcrupulo, Regina comitante, venit. Ad ſupplementum hujus itineris *Bolizlavus*, antea invitatus, nil aſpiravit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit. Inſuper antea domino Papæ, queſtus eſt per epiſtolæ portitorem, ut non liceret ſibi propter latentes regis inſidias promiſſum Principi Apoſtolorum Petro perſolvere cenſum. Tunc vero miſſis illò nuntiis, tacitus rimatur, qualiter Rex in his partibus haberetur. Quoscunque potuit, ab ejus gratia per hos amovere conatus. Tantus fuit (r) hic reſpectus domini, & ſic piorum quæſivit interventum, ac ita (s) elucebat militis inclyti firma fides & de ſacramentis terribilibus adeo curavit. Attende Lector, quid inter tot flagitia is (t) faciat.

 Cum

(i) præfati. (k) optatur. (l) non modice. (m) graviter. (n) incolatum. (o) multo. (p) Eodem anno Wanlief *Eremita* verus Iſraelita XV. Kal. Apr. in Domino obdormivit. Proxima. (q) conflixit, & bene adjuvantium voluntas patuit. Et hinc. (r) huic impio reſpectus. (s) cluebat. (t) perfidus agat.

Cum se (u) multum peccasse aut ipse sentit, aut aliqua fideli castigatione perpendit, canones (w) coram se poni, qualiterque id debeat emendari, ut quæratur, præcipit, ac secundum hæc scripta scelus (x) peractum purgare contendit. Major tamen est ei consuetudo, periculose delinquendi, quam in salutari pœnitentia permanendi. Hujus compar, & quasi Collega *Hardwigus*, à Longobardis falsò Rex appellatus, adventum magni regis, & potentiam exercitus, doluit, & quia suis viribus huic ad nocendum diffidit, in Castelli munitionem se protinus recepit, hoc solum ingemiscens, quod Rex ad majorem tunc vocatus accessit honorem. Post longam animi exæstuantis deliberationem, legatos ad regem misit, qui comitatum quendam sibi dari peterent, & coronam suimet cum filiis ei redditurum veraciter promitterent. Hoc cum consilio quorundam acquiescens facere Rex noluisset, ut in sequentibus enucleabo, ad magnum suis familiaribus provenire damnum id postea persensit. Sed prius quam hæc aggrediar quæ superius indiscussa oblivione præterii, præscriptis interponere conor. Fuit quidam *Brun* nominé, contemporalis & conscholasticus meus, ex genere clarissimo editus, sed divina miseratione, præ cæteris parentibus inter filios domini electus. Hic ab *Ida* venerabili matre sua unicè dilectus, magisterio *Giddonis* Philosophi traditur, & omne quod habere debuit, cum abundantia (y) suggeritur. Hujus pater erat *Bruno*, senior egregius, & per cuncta laudabilis, amicus mihi consanguinitate, & omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem ejus & æquivocus cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, & ludentibus nobis, in oratione is fuit. Otio negotium præposuit, & sic fructificans, ad maturitatem pervenit. A *tertio* desideratur *Ottone*, & suscipitur, quem non longè post deserens, solitariam quæsivit vitam. Is verò mortem gloriosissimi Imperatoris, regnante tunc *secundo*, domini gratia, *Henrico*, ad *Merseburg* veniens, benedictionem cum licentia domini Papæ Episcopalem ab eo petiit, & ejus jussione, ab Archiepiscopo *Tagmone* consecrationem, & quod ipse detulit huc pallium ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animæ, laborem subiit diversæ ac grandis viæ, castigans corpus inedia & crucians vigilia. Multa à *Bolizlavo* cæterisq; divitibus bona suscepit, quæ mox Ecclesiis ac familiaribus suis & pauperibus, nil sibi retinendo divisit. In duodecimo conversionis, ac inclytæ conversationis suæ anno, ad Prussiam pergens, steriles hos agros semine divino studuit fœcundare; sed spinis pullulantibus, horrida non potuit facilè mollire. Tunc in confinio prædictæ regionis & Russiæ cum prædicaret, primò ab incolis prohibetur, & plus evangelizans capitur, deindeque amore Christi, qui Ecclesiæ caput est, XVI. Cal. Mart. mitis ut agnus decollatur cum suis XIIX. Corpora tot martyrum insepulta jacuerunt, quoad *Bolizlavus* id comperiens, eadem mercatur, ac domui suæ futurum acquisivit solatium. Facta sunt autem hæc in tempore serenissimi Regis Henrici, quem Dominus omnipotens triumpho tanti Præsulis honorificavit, & ut multum spero, salvavit. Pater autem prædicti Antistitis longè post infirmatus, ut ipse mihi narravit, præcepto filii monachicum suscepit habitum, & XIIII. Cal. Novembr. in pace quievit. Nec floccipendenda est *Geronis* satellitum Marchionis magna præsumptio, quam stupeat fidelis, & fugiat amore pietatis. Causa proferatur in medium, & tunc perpendatur factum, si sit laudabile, an bonis omnibus detestabile. *Arnulphus* antistes ad saltum *Geronis* à venerabili ejusdem loci Abbatissa *Hatthauni* ad festivitatem Christi martyris Cyriaci ad convivium invitatus, venit, & in die sancto, cùm post missam de Ecclesia ambularet, vidit clericum accipitrem in manu sua tenentem; & zelo commotus hunc cum brachio suimet comprehendit, ac secum duxit, non ut puniretur, sed sic verbis (z) mediocribus corriperetur. Fama volans milites prædictos congregat, quorum primus, Hugo nomine, ad Episcopum veniens, *cur seniorem suum sic inhonorare voluisset*, interrogat. Et Antistes, *quid feci*, inquit: *Vidi abominationem Christi, & quia in meo factam Episcopatu cernebam, sustinere non potui. Nil mali factum. Ponamus diem vobis complacitam, & ubi culpabilis à communibus invenior amicis, digna emendatione restituo.* Et ille persequitur, *nec sic*, inquiens, *esse debet, nec ita fieri valet. Hodie aut sacramento vos excusate, aut seniori meo & nobis ad emendandum promittite.* Ad hæc Præsul, *sancta me*, infit, *solennitas prohibet jurare, & vos illud suscipere & multum miserabile mihi videtur, quod justitia à nobis mihi solum denegatur.* Post hæc ille iratus egreditur, & miles armatus, ignorantia Comitis, glomeratur, & cum jam vellet Episcopus cœnare, videt omnes (a) appropiare. Domus, in qua fuit, à suis firmiter obseratur, & ne hostibus facilis pateret ingressus, omni modo munitur. Sed cum eam jam impugnare voluissent, dictum his est veraciter, quod (b) sacerdos alio declinans, ibidem non inveniretur. Tunc is in claustro, & tandem in monasterio, quæritur, & domini gratia non ullo sui dedecore

(u) graviter. (w) coram proferri. (x) commissum. (y) præbetur. (z) mansvetis. (a) appropinquare. (b) Episcopus.

core latens, & hæc omnia cernens, nullatenus invenitur. Ad ultimum sedato furore, hi ad hospitium pergunt, & domos suas tristes revisunt. Convocatis postera luce militibus suis, Arnulphus ad propriam remeavit sedem, Abbatissamque nimis flentem solatur. Hoc totum Rex comperiens, conspiratores sibi præcipit præsentari. Quem cum Marchio prædictus nimis iratum cerneret, per internuncios fideles eum placare nititur. Hoc Rex ea ratione audivit, ut prius tercentorum pondera talentorum Episcopali solverent ditioni, & qui in hoc facto culpabiles esse deputarentur, aut sacramento suorum XI. amicorum expurgarent, aut secundum canonicam autoritatem ei satisfacerent. Facta tunc inter eosdem mutua pace, post Pascha ponuntur induciæ. Huc nostri eorundemque amici conveniunt, & ego cum illis affui, & ut pecunia datur prædicta, Episcopus in occidentale monasterium venit, sedens ibidem in solio summi gradus. Ibi tunc solus Marchio se juramento admodum credibili expurgat: satellites autem sui more pœnitentium de manu prædicti antistitis singulariter suscipiunt ea ratione jejunium, ut si quando admonerentur, onus subirent impositum. Illud etiam annectendum, qualiter *Othelricus*, Bohemiorum Dux, *mammona iniquitatis* interpretatus, *Bosionem* inclytum suimet militem, cæterosque complures interfici præceperit, eò quod hos fratrem adjuvare exulem à falsis (c) murmuratoribus audierit, & omnes cautè in his cladibus discerent, qualiter sibi in futurum præcavere debuissent. Quod dominus in utroque testamento jubet observari firmiter, id in his regionibus compleri prohibet ab initio Ecclesia semper. Germanum enim, quem meritò præ his diligere debuit, verebatur, & ne unquam ad se veniat, diligenter custodire conatur. Bohemi, regnante *Suetopulco* Duce, quondam fuere (d) nostri. Huic à nostris parentibus quotannis solvitur census, [& hic in sua regione *Marierun* (*) dicta, Episcopos habuit. Quæ omnia hic & sui successores propter sui arrogantiam perdiderunt, quia teste Evangelio, omnis humilitas crescit & arrogantiæ sublimitas minoratur.] Sine maximo timore in his nullus dominatur provinciis. Charitas pura gemit exclusa: quia regnat ibidem perjurium, cum fraude socia. Superius de universali Papa *Brunone* disputans, cum successorem ejus *Gerbertum* tantùm nominarem, ut de eo latius aliquid scribam, non incongruum est. Erat is natus de occiduis regionibus, à puero (e) liberali arte nutritus, & ad ultimum Remensem urbem ad regendum justè promotus. Optimè callebat astrorum cursus discernere, & contemporales suos variæ artis noticia superare. Hic tandem à finibus suis expulsus, *Ottonem* petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus, in *Magdaburg* Horologium fecit, illud recte constituens, considerata per fistulam quadam stella, nautarum duce. Post hæc autem prædicto Papa defuncto, is gratia Imperatoris eidem successit, & usque ad tempus *Henrici* regis sedebat, *Sylvester* vocatus, in cujus vice *Johannes Phasan* positus sedem Apostolicam dies sibi commissos regebat: sub quo Ecclesia Mersburgensis renovatur, & privilegii authoritate sui roboratur. Huic succedebant *Sergius*, qui vocabatur *bucca porci*, atque *Benedictus*, ambo præclari & consolidatores nostri. Ab omnibus sacerdotibus summis adventus Regis admodum desideratur, sed diversorum reluctatione hostium diu tardatur. Benedictus sit in cunctis operibus suis omnipotens dominus, qui Romam longo tempore à multis temporibus depressam tali pastore consolari, & pacificare dignatus est. Namque Papa Benedictus *Gregorio* cuidam in electione prævaluit. Ob hoc iste ad nativitatem dominicam ad Regem in *Palithi* venit cum omni apparatu Apostolico, expulsionem suam omnibus lamentando innotescens. *Hujus crucem Rex in suam suscepit custodiam, & à cæteris abstinere præcepit, promittens sibi, cum ipse illuc veniret, hæc secundum morem Romanum diligenter finiri.* Advenit optati temporis acceleratio, & Rex *Henricus* à Papa *Benedicto*, qui tunc præ cæteris antecessoribus suis maxime dominabatur, mense Februario in urbe Romulea cum ineffabili honore suscipitur, & advocatus S. Petri meruit (f) fieri. Et quia de secunda ejus ordinatione loquuturus sum, condecet eum me prius laudare, de cujus hoc venit gratuito munere, ut magister gentium nos hortatur Paulus: *Domino Patri præ omnibus, fratres, gratias agite; hæc est enim voluntas ejus in Christo Jesu Domino nostro:* jure laudandus à nobis, qui multum profuit nobis munere & gratia æterni Regis. Henricus etenim Rex Ecclesiam adauxit nostram multis utilitatibus, inprimis divino apparatu, & de omnibus *curtis*, quas in *Turingia* & *Saxonia* habuit, duas nobis tradidit familias. Evangelium auro & tabula ornatum eburnea, & calicem aureum atque gemmatum cum patina & fistula, item Cruces duas & (g) capulas, ex argento factas, & magnum calicem ex eodem metallo cum patina simul & fistula, dedit. Quicquid in prædiis ab intercessoribus meis neglectum erat, præcepto renovarat.

Quem

(c) criminatoribus. (d) Principes nostri. (*) *Mähren.* forte al. *Mararenses.*
(e) naturalibus artibus. (f) appellari. (g) ampullas.

Quem laudant superi, veneremur nos quoq; servi
Promentes dignas nostris ex cordibus odas.
Est hic namq; Deus trinus, in deitate sed unus,
Et sine quo nullus regnat Deus, ille benignus,
Atq; bonum summum, depellens omne nocivum,
Largitur cœlo, quæ prosunt omnibus, alto.
Verus mendaces confuderat hic modo testes,
Henricum regem dicentes imperialem
Curam non suscepturum, nec deniq; longo
Tempore regnandum, sed sæva morte premendum.
Nunc sunt bisseni, quod regno præfuit, anni,
Scandens Cæsaream post rector clarus in aulam,
Illo mense meam quo solverat iste cathedram.
Ista dies pulchro signatur clara lapillo,
Qua regi nostro se subdit Roma benigno,
Atq; liquore sacro perfusus gaudet, & almo
Fert grates domino, qui se visitavit ab alto,
Ac Cunigundam contectalem sibi charam.
Summus pastor ovat, chorus atq; suus quoq; cantat,
Quod sunt securi, tanto rectore potiti
Merseburg & tu concinnes omnibus actu.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPVRGII

LIBER VII.

DEcursis à Dominica incarnatione post millenarii plenitudinem numeri annis tredecim, & in subsequentis anni secundo mense, ac hebdomada tertia, anno autem regni ejus tertio decimo, & die dominica, ac VI. Cal. Martii, *Henricus* Dei gratia Rex inclytus à senatoribus duodecim vallatus, quorum VI. rasi barba, alii prolixa mysticè incedebant cum baculis, cum dilecta suimet conjuge *Cunegunda* ad Ecclesiam sancti Petri, Papa (h) expectante, venit, & antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, *si fidelis vellet Romanæ patronus esse, & defensor, Ecclesiæ, sibi autem suisq; successoribus per omnia* (i) *fidelis*, devota professione (k) respondit, & tunc ab eodem inunctionem (l) & coronam cum contectali sua suscepit. Priorem autem coronam super altare Principis Apostolorum suspendi præcepit. Eodem die Papa eis cœnam ad Lateranum fecit copiosam. In octavo verò die inter Romanos & nostrates magna oritur commotio in ponte Tiberino, & utrinque multi corruerunt, nocte eos ad ultimum dirimente. Hujus rei auctores Germani tres extitere, *Hug*, *Hecil*, *Ecilin*, qui postea capti sunt, & in custodia detenti: ex quibus unus in his partibus evasit, secundus autem ad Fuldam deductus est, in *Vitkansteine* autem castello tertius diu servatur. *Arnulphum* fratrem suum, quem *Ravennati* antea præfecit Ecclesiæ Cæsar, denuo inthronizatum ab Apostolico ibidem consecrari præcepit. Supplantatorem autem *Ethebertum* ejus injuste ibi diu sedentem, primo voluit degradare, sed assidua piorum devictus intercessione, alteri præficitur Ecclesiæ, nomine *Aritia*. In *Ravenna* duos & *Romæ* totidem synodali judicio Papa deposuit, ab Archiepiscopo *Leone* jam muto consecratos. [Sanctorum Patrum instituta de sacris ordinibus, ibidemq; apud nos diu proch dolor neglecta, cum excommunicatione redintegrata renovantur. Prohibent namque Canones, ut ante vicesimum quintum Diaconus, Presbyter autem & Episcopus ante triginta annos nequaquam ordinetur. Hoc quia non servavimus miseri prævaricatores sumus, excommunicationemq; incidimus.] Dominicam resurrectionem Imperator in *Papia* civitate celebrans, instabilem Longobardorum mentem, caritate cunctis exhibita firmavit. Dehinc sedatis tumultibus universis, reversus est ab Italia, & *Hadwigus* (m) ab hoc admodum gavisus, Vercellensem invasit civitatem, *Leone* ejusdem Episcopo vix effugiente. Omnem quoque hanc civitatem comprehendens iterum superbire cœpit: quem, ut in sequentibus expono, divina majestas nimis humiliatum se culpabilem cognoscere coëgit. In his partibus Cæsar Episcopatum, quod erat

(h) cum Clero. (i) intimus. (k) se sic facturum esse. (l) regalem. (m) ob hoc.

erat tertium devoti operis sui ornamentum, in *Bobia* civitate, ubi Christicolæ sancti & confessores inclyti *Columbanus* & *Attala* corporaliter requiescunt, communi consilio & licentia comprovincialium Episcoporum construxit: quia summa necessitas, & quæ eam præcellit, Christi charitas, ad hoc instigavit. Hîc cum maxima prosperitate & gloria Alpinas superat difficultates, ac nostræ regionis adiit serenitates, quia aëris & habitatorum qualitates nostris non concordant partibus. Multæ sunt, proh dolor, in *Romania* atque in *Longobardia* insidiæ: cunctis huc advenientibus exigua patet charitas: Omne quod ibi hospites exigunt, venale est, & hoc cum dolo, multique (n) toxico hic pereunt adhibito. Eodem anno IV. Calend. Martii, obiit *Carolus* Comes, *Rigdagi* Marchionis filius, qui omne suimet beneficium injustè accusantium turgida inflatione, & nulla sua culpa prius perdidit, & illatum facinus æquanimiter portavit. Eodem die neptis mea *Mathildis*, quæ in *saltu* cum domina *Hathui* Abbatissa jure consanguinitatis diu nutriebatur, animam exhalavit, quam quia sibi successuram venerabilis matrona semper optavit, insolabili mœrore mortuam flevit, & hanc in proximo mense Julio IV. Non. eadem subsequitur. De cujus laudabili vita quædam breviter percurro. Fuit hæc Reginæ *Mathildis* inclyta neptis, ac in XIII. ætatis suæ anno Geronis filio Marchionis *Sigifrido* nupserat, & cum eo tantum VII. annos conjuncta erat. Post cujus excessum ob domini amorem, & tristis solatium senioris, sacrum à *Bernhardo* Antistite velamentum, & mox consecrationem, ut prædixi, suscepit, sedens LV. annos: tam assidua in Christi servitio, ut Anna; (o) & tantæ largitatis, ut Sareptana, in castitate & abstinentia similis Judith: Ecclesiam sibi commissam diversis decorans ornatibus. Hujus obitum signa prænunciabant. Vivarium, quod in orientali parte urbis positum est, usque in mediam diem apparuit sanguineum, & post viridi colore est (p) variatum. Multis est visum, quod meritis istius neptis mea secum palma virginitatis præcederet. Sepulta autem egregia Christi sponsa à *Bernhardo*, antiquæ civitatis Episcopo, non ubi petiit, sed ubi (q) generis congregatio sua rogavit in medio Ecclesiæ coram sanctæ crucis altari, ubi postmodum per ejus nobile meritum cuidam viro diu debili, & cum scabellis diu (r) ambulanti, tribuit omnipotens Deus (s) facilem gressum. Imperator autem transcensis Alpibus, cæterisque adjacentibus provinciis regendo decursis, natale Domini celebravit in *Palithi*, & post hæc ad *Merseburg* veniens, *Bolizlavi* fidem & auxilium suis innotuit fidelibus, & ut ab eis ad excusationem, aut indictæ rei emendationem is vocaretur, unanimes poscit. Interim nepos meus Comes *Wirinbarius*, instinctu malesuadæ juventutis, & dolosarum machinamento mulierum, (t) cum paucis ad urbem *Bichlingi* vocatam, dominica die venit, & dominam ejusdem *Reinhildam*, prius à se desideratam, fraudatis custodibus, rapuit invitam. Namque Imperatori, ut nulli absque scientia & consilio suimet unquam sociaretur marito, hæc antea firmiter promisit, & ob hoc cum clamore & ejulatu deducitur. Hoc audientes cum clientibus satellites, armati conveniunt, & ex his unus *Vullert* nomine vulnere diro tardatur. Sed una ex ancillis cùm se pariter abduci rogaret & jussu senioris sui hanc sumere *Albinus* nobilis voluisset, vallatur undique, & nepotem meum jam tunc egressum revocat in auxilium. Hic antequam ei succurreretur, proh dolor, oppetiit, & dominus ejus adveniens intra clauditur, & ab uno servorum sauciatur, quem protinus lancea perfossum muro infixit, & cæteros, ut sibi propius accedere non auderent, terruit: & cum suos longè cum matrona jam exisse, sibi autem nullum evadendi locum patere vidisset, relicto protinus equo, se dimisit à muro, & à lapide sequenti admodum depressus, tristes vix pervenit ad socios. A quibus usque ad villici Cæsaris domum portatus, ibi cum paucis est admissus. Et dominam cum magna festinatione avexerunt, nunc hic nunc illic cum ea latitantes, & adventum domini sollicitè præstolantes. Sed villicus iniquitatis hospitem infirmum Imperatori mox prodidit, & ejus mentem fecit nimis hilarem. Speravit enim eum in suam venientem potestatem in exemplum aliis periturum, aut pretio ineffabili ab hoc redempturum. (u) Nox jam erat, & *Bernhardus* ac *Guncelinus*, & *Wilbelmus* Comites cum suis militibus à Cæsare missi, ubi ægrotus jacuit, veniebant, & hos adfuisse, *Wirinbarius* à suis præsciens, sibi familiarem *Wilbelmum* salutat, cæteris duobus indicens, *si gladium elevare potuisset, quod nunquam in eorum potestatem incolumis venire voluisset*. *Wilbelmus* verò ejus vulnera ligans, & qui ad *Merseburg*, ut sibi jussum fuerat, venire nullo modo voluisset, intelligens, à suis eum fecit portari ad proximam villam, *Elersiidi* dictam, ibique in domo novis lapidibus firmata, præcepit custodiri, ipse cum suis ad Imperatorem reversus. Eodem die nos ad præsentiam Cæsaris vocati, quali præsumptione suum nepos meus interruperit

(n) toxicato cibo pereunt. (o) vidua. (p) mutatum. (q) gemens. (r) reptanti potius quam ambulanti. (s) rectum. (t) cum paucis obtentu Dominica die ad urbem Bichelinge vocatam venit cum paucis. (u) nox erat & toto fulgebant sidera cœlo cum ecce Bernhardus.

perit votum ab eodem flebili lamentatione percepimus. Namque cum *Bruno à Milone* inimico ejus in domo propria, ubi omnibus pax habenda est, occideretur, idque ab omnibus indigenis Imperatori lugubriter intimaretur, multum rogatus, ut suorum more antecessorum tam sceleratis hominibus prædium cum incolatu prohiberet, idque Sacramentis firmare ex sua parte jussisset, elevatis manibus, omnipotenti Deo & cunctis præsentibus illud se, quamdiu viveret, impleturum promisit. Et quia scimus, multò satius esse, bonum non vovere Deo, quàm postea declinare, rogitemus eum, cui hæc dedit promissa, sicubi ea humanitatis gratia, seu malo is fregerit hortatu, emendatione condigna resipiscat. Post Imperatoriam lamentationem optimi quique dedere consilium, ut comprehensis omnibus suimet bonis, domina revocaretur, & hujus rei authores aut capti præsentarentur, aut fugientes usque ad mortem persecutionem paterentur. Ipse autem Comes superata infirmitate, si culpabilis efficeretur, capite privaretur: si autem hæc omnia cum consensu matronæ acta fuissent, optimè uteretur sponsa. Frater meus Comes *Henricus* hæc ad implenda illico mittitur, & ut ad *Alstidi* ad publicum venirent colloquium, jubetur. Illo nunc proficiscente, prædicti Comites advenerunt, & Cæsari, quæ facta sunt, nuntiaverunt. Postera die, id est, in sancti festivitate Martini, *Wirinharius* patienti animo adversa quæque sustinens hactenus, expiravit, nullum hostibus lucrum, suis autem invincibile damnum relinquens. Ob hoc Rex tristatur, & *Thiedricus* hostis ejus lacrymatur. Hoc ego comperiens, *Thiedrico* nepoti meo abeundi licentiam petii, & corpus amici per satellites meos de *Miminlevo*, ubi tunc Abbatia fuerat, & *Reinboldus* ejusdem provisor egregius debita hoc procuraverat humanitate, ad *Helpithi*, ubi hoc expectabam, reduxi. Sed eodem jam tunc nimis fœtente, exsolvi protinus viscera jussi, juxta Ecclesiam jubens sepeliri meam, & usque ad *Wallibizi* illud prosequebar, ponens ad levam dilectæ conjugis. Interim Cæsar in *Alstidi* populis jura dabat, & ut præsentes affirmabant, meis hoc amicis denegabat. Insula, quæ *Porci* dicitur, quia prius Comes *Bernhardus* prædictum voluit occidere *Wirinharium*, per injustos judices sibi eam Cæsar præcepit assignari. Hoc *Wigmannus* Comes prohibet, & esse injustum affirmat: omnes populi mussant, & Christum domini peccare occultè clamant. Ibi tunc stella multis in medio apparuit die. [In octava Sancti Andreæ *Richmannus* Pater qui Ecclesiæ suæ præfuit octoginta quinque annos, in Christo obiit.] Et inde exiens, natalem dominicum in *Polithi* coluit; & in IV. feria ante Pascha ad *Mersburg* venit. In cœna Domini Chrisma in ejus præsentia indignus benedixi. In vigilia autem sanctæ resurrectionis, quæ tunc fuit v. Idus Aprilis, *Redbaldus*, Abbas Wirdunensis, & *Hethenricus*, ejusdem cœnobii præpositus. (w) In die sancto Archiepiscopus *Gero* Missam cantavit, & interim *Othelricus*, Bojemiorum Dux, advenit, & dies hos solennes duximus admodum hilares. Interea *Herimannus* Marchio Pascha duxit cum socero, & inde vix solutus ad Imperatorem cum nuncio ejusdem diu expectatus venit. Idem legatus, mentiri semper solitus, ad Cæsarem in occidentali parte plus ad perturbandum, quàm, ut simulaverat, ad pacificandum, ab instabili seniore suo missus est. Quem cum consociis suimet Imperator suis familiaribus committens, generos suos gratiam ejusdem nudis pedibus quærentes misericorditer suscepit, (x) & tunc demum Sbigneum, ut hæc cerneret, præsentari jussit, & publicè domino ejus respondit. Hic cum alia quam Cæsar præceperat domi retulisset, cum præfato Comite, pacem firmare cupiente, jussu Ducis infausti remittitur, & in conspectu Imperatoris & Principum ejus, fallax & invicem disturbans esse convincitur. Tunc iterum se ad excusandum, vel inobœdientiam ad emendandum, à Cæsare vocatus, in præsentiam ejus venire noluit, sed coram Principibus suis hæc fieri postulavit. Sed quantam ei benignitatem Imperator prius ostenderit, lector attende. Præfatus Dux mille artium scientia plenus, filium suimet *Misæconem* ad *Othelricum*, Bojemorum provisorem misit, ut memores mutuæ consanguinitatis se invicem pacificarent, & (y) cunctis hostibus suis, & maximè Cæsari, pariter resisteret. Ille verò hoc omne in detrimentum sui esse compositum à veracibus accipiens, hunc comprehendit, ex consociis ejus optimos quosque interficiens, ac cæteros una cum seniore capto Bojemiam reduxit, ac in carcerem projecit. Quod cum Imperator comperiret, *Thiedricum* nepotem meum illuc misit, ut satellitem suum sibi redderet, & si de gratia suimet aliquid curaret, hunc nullatenus proderet. Cui hoc fertur responsum dedisse: (z) *Senioris mei jussa in omnibus sequi tam posse quam velle mihi admodum necesse est. Eripuit me nuper indignum omnipotens Deus de ore leonis, ejusq; catulum in perniciem meam missum mihi tradidit, & si hunc liberum abire permitto, certos hostes in patre & filio semper habeo. Sin autem retineo, aliquem cum eo fructum me acquisiturum sperabo. Videat dominus*

(w) eligitur. (x) Tum verò nugigerulus ille ut hæc videat præsentari jubetur.
(y) unanimes. (z) Domini.

minus meus in his omnibus, quid sibi placeat, ac mihi aliquatenus perficiat, & hoc totum devotus implebo. Sed cum *Thiedricus* cum hac legatione reverteretur, alius mox celeriter remittitur, qui eundem mitti rogaret, firmiterque ei præciperet, promittens ex parte Cæsaris omnem ejus excludi solicitudinem, & bonam firmari pacem, Tunc *Othelricus* nolens volens captivum reddidit, & Imperatorem multum placavit. *Bolizlaus* autem de ereptione filii supra modum gavisus, per internuncios suimet condignas Cæsari gratias egit, postulans, ut eum sibi ad honorem, inimicis autem suis ad dolorem, remitteret, & futuram utriusque remunerationem ipse veraciter agnosceret. Quod Imperator tunc non posse fieri, respondit, sed cum ad *Merseburg* veniret, & cum communi Principum consilio suorum voluntati suimet se tunc satisfacturum promisit. Hoc *Bolizlaus* audivit, non bene suscepit, qualiterque filium in suam redigeret potestatem semper tacita mente & crebra legatione revolvit. Ad condictum Cæsar ut venit locum, cunctos optimates, quid sibi de hac re esset faciundum, consuluit. E quibus *Gero* Archiepiscopus loquitur primus: *cum tempus fuit, & cum vestro honore id fieri potuit, me ista hortantem, non exaudistis: nunc à vobis est mens Bolizlavi, ob longam filii retentionem & custodiam, aversa, & vereor, si hunc sine obsidibus, aut aliis confirmationibus remittitis, ut in posterum fideli servitio amborum careatis.* Talia loquentem maxima præsentium turba consequitur, & pars corrupta, id cum honore magno fieri non posse ingeminat. Vicit pecunia consilium, & ut hoc Bolizlavo charius esset, in fidem suam cum omnibus, quæ habebat Miseconem recipi jubent. Et hæc à Cæsare suscipiens, reduxit, & promissa percepit, admonens eundem, & filium, ut memores Christi & fidei, nullum Cæsari incommodum amplius inferrent, nec suos decipi paterentur amicos. Huic dulci hortatui fistulæ blandientis more ab his protinus respondetur, quod factis postmodum nullatenus completur. Quamvis enim his aut fides parva sit, aut nulla, tamen hoc nobis imputant, quod ex parte Cæsaris & nostrorum, is tam sero remittitur, qui in numero militum habebatur. Hoc eis erat semper in animo, & propterea se in præsentiam Cæsaris non venire affirmabant. Et verum est, quod vox Evangelica testatur, excusationem aliquam hunc quærere, qui ab amico familiari meditatur discedere. Hæc Imperator agnoscens à nobis discessit, & proximos rogationum dies in *Capungum* fuit, quo ipse curtem suam de civitate, *Cassulan* dicta, transtulit, & ibi cum consilio sui archipræsulis *Heriberti* prædictam *Hethenrico* curam commendavit, & tractatis ibidem rebus necessariis in vigilia pentecostes ad *Immaleshusen* venit, illic cum Antistite *Meinwerco* hanc sanctam festive ducens solennitatem. [Interim Ecclesia nostra incipitur præsente Gerone Archiepiscopo, cujus primos lapides posui in modum sanctæ crucis. XV. Kal. Junii, Rege manente Immedeshusen illic Valcorbensis Abbas *nova Corbeja* pius] Illic *Valcorbensis* Abbas pius ab cura suspensus deponitur, & unus ex *Larsemensi* monasterio *Drachtmer* sine fratrum consensu prædictorum assignatur. Quo ad sedem suam in hac venienti hebdomada, omnis congregatio, exceptis IX. flens abiit, ut *Luidulphus* Abbas prædixit, & locum hunc penè vacuum non sponte reliquit. [Sic etenim Ludolffus venerabilis Abbas futurum esse prædixerat. Quia verò huius cænobii mentionem sæpius feci, libet aliquid de ejus inchoatione & rectoribus breviter dicere, quia unum ex antiquissimis est. Anno Dominicæ incarnationis 822 *Ludovicus* Imperator Augustus *Caroli Magni* Filius, imperii sui anno decimo, per venerabilem Adelhardum antiquæ Corbeiæ Abbatem hoc cænobium fundavit, in memoriam unde cepisset, *Corbeja* nova loco nomen imponens. Ipse tradidit eidem loco multa prædia scil: *Huxeri* villam, *Eresburg* & *Meppiam* Abbatias. Hujus vero filius *Ludovicus* contulit nobile donum abbatiam scil: in *Fisbecke*, & decimas in Episcopatu Osnabruggi cum decimalibus Ecclesiis. Tradidit quoque piscationem in VVisera quæ dicitur Hocwar. Lotharius Imperator venit cum orientalibus Francis in Sclavoniam & eorum Regem *Gestimulum* occidit, cæterosque subegit & dedit Ecclesiæ Corbejensi, ipso anno dedicationis eius ut, Chronica testatur. Insuper Reges & Principes & cæteri nobiles ipsum locum multis divitiis & prædiis ditaverunt, & Romani Pontifices magnis privilegiis & honoribus extulerunt: Hic requiescit inclytus Martyr Vitus septennis puer translatus eo de Francia per Warinum ejus loci primum Abbatem, cuius martyris patrocinio *Saxonia* rerum suarum prosperitate in immensum excrevit. Situs est hic locus super fluvium Wiseram in Episcopatu Paderbrunnensi. His diebus] In his diebus festivis, *Ernestus*, inclytus Alemaniæ Dux, pueri successor *Hermanni*, cum in sylva quadam illicite venaretur, ab uno militum suimet plus ignorantia quam voluntate spontanea, ut cervam sagittare debuit, proh dolor, vulneratur. Hic quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, & ut reo parcerent supplicat, & quia hic tunc presbyterum, cui sua confiteretur peccata, non habuit, unum ex militibus hujus vice propius accedere jussit. Quem cum adesse perspiceret, *omnes*, inquit, *accedite, & commortalis vestri peccatoris facta, aure cordis percipite, & qualiter curentur unanimiter succurrite,*

rite, absentibusque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quæso commendate, & uxorem meam, ut (a) *honorem suum servet, & mei non obliviscatur, admonete.* Hæc dicens, in quoscunque unquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis præsentibus innotuit, & mox de luce hac II. Cal. Junii discessit, sepultus *VVirceburg* juxta patrem suum Marchionem *Luipoldum*, ut ipse rogavit. Hic juvenis, ut spero, felicem habet animam, cui sic ipse vivens testatus est. Plus placuit coram multis hic erubescere, quam coram omnipotenti Deo latere. De hoc exemplum, fratres in Christo, capite, & morbum interius latentem medico cœlesti aperite, & antidotum ejus salubre nullatenus spernite, & quicunque sit in fine nostro confessor, non moretur in gementi professione peccator, ut ab eo in cœlis inveniatur propitius remissor. Ad supra memoratam (b) solennitatem, & ad prædictum locum quidam rusticus de occiduis veniens partibus novam Imperatori legationem detulit, & hanc nulli nisi soli unquam aperire voluit, portans adhuc stimulum hunc, quo tunc pecus arans minavit, cum hoc ei cœlitus per columbam jussum fuit. Et hic erat tantæ longitudinis, ut omnes, qui eum viderant nimis admirarentur. Ipse vero rediens, cunctis interrogantibus indicat jussu Cæsaris, se ad Aquasgrani post expeditionem venturum, & responsum ab eo ibidem accepturum: & quia hanc admonitionem, & crebro etiam innumerabilem, Imperator sprevit, vindictam sensit. In nativitate sancti Johannis Baptistæ, quæ tunc proxima erat, ad *Gosleri* Cæsar veniens, *Ernesti* ducatum nepti suæ & filio ejus dedit, & inde ad *Magdaburg* proficiscens, interventum Christi militis Mauritii ad exuperandam hostis *Bolizlavi* contumaciam suppliciter rogavit. Dehinc ad locum, qui *Sclancisvordi* vocatur, cum exercitu glomerato perrexit, & magnum comprovincialibus, & Marchioni eorum *Geroni* intulit damnum. IIX. Idus Julii fit nostra congregatio, & pro defensione debita habitatoribus his prædatio magna. Postquam nostri *Albim* transierunt, imperatrix & ego cum illa ad *Mersburg* pergentes, Cæsaris adventum in his partibus expectavimus. Nostri autem ut ad pagum *Lusici* dictum venerunt, à præsidio ex *Ciani* urbe egresso tentantur: quod agnoscentes magnam ex eo multitudinem occidunt, & *Henricum* qui dicebatur *Superbus*, & qui ex nostra regione ob homicidium illo fugit, captum in vinculis Cæsari præsentabant. Inde usque ad *Oderam* Imperator profectus ad locum, qui *Crosna* dicitur, optimos ab exercitu ad *Misiconem* ibi turmatim sedentem misit, ut eum de promissa sibi fide admonerent, & propter eum ab Imperatore sua perderet bona, cum deditione sua præoccupare voluisset, unanimiter rogarent. Quibus is talibus respondit: *Agnosco me gratia Cæsaris ab inimici potestate ereptum, ac vobis fidem promisisse, & eam libenter in omnibus adimplerem, si liber existerem: Nunc autem ut ipsi scitis, sum mei patris dominio subditus, & quia ille hoc probibet, & sui milites hic modo præsentes talia fieri non patiuntur, invitus omitto. Patriam quam quæritis meam, si possum defendere, usque ad adventum patris, volo, & tunc eum ad gratiam Cæsaris, & ad amorem vestrum inclinare cupio.* Hoc nostri audientes, egressi sunt, & hæc Imperatori responsa detulerunt. Interim *Bernhardus* Dux cum suis fautoribus, Episcopis & Comitibus & prophanorum turba Luiticorum ab aquilone *Bolizlavum* petiit, & hunc præsentem munita undique secus *Odera* habuit. Cæsar autem in inventione Christi protomartyris Oderam transmeans, reluctantem Poleniorum multitudinem admodum prostravit, & nemo ex nostris nisi *Hodo* inclytus juvenis cum *Ekkrico* & alio *Guncelini* Comitis Satellite cecidit. Hic cum *Sigefrido*, *Hodonis* filio Marchionis ab Imperatore accusatus, eo quod Bolizlavo nimis familiaris hactenus fuisset, eodem die viriliter se expurgat, & à suis *Hodo* longè digressus, cum hostes solus fugientes insequeretur, sagitta per caput immissa primo oculum & post vitam perdidit istam. Sed cum *Miseco* ejusdem corpus cognosceret, quia ejus apud nos fuerat custos & sodalis, multum flevit, & id bene procuratum ad exercitum misit. Eorum autem qui ex parte hostili oppetierunt, non minor erat numerus quam sexcenti, prædam relinquentes nostris ineffabilem. Hoc Bolizlavus ubi tunc mansit ab internuntiis festinantibus mox rescivit, & quamvis eo libenter pergere voluisset, tamen præsentibus inimicis introitum patescere ausus non est: quocunque nostri in navibus declinabant, illuc ipse cum suis equo sequebatur alato. Ad ultimum vero erectis celeritur velis, nostri per amnem unum navigabant diem, & inimicis eos tunc comitari non volentibus, littus optatum, securi comprehendunt, & proxima incendunt loca. Quod cum eminus Dux præfatus agnosceret, more solito fugit, & nostris fiduciam & locum nocendi invitus concessit. Dux vero *Bernhardus* cum suis imperatori ad auxilium, sicut ei prius jussū est, venire cum nequivisset, per pedites clam missos ei eventum rei & necessitatem inobedientiæ indicens, vastatis circumquaque jacentibus locis, domum rediit. *Othelricus* quoque, qui cum Bavariis ad Cæsarem venire debuit, ob multas causarum qualitates dimisit, & quamvis hi Imperatorem non comitarentur, tamen fidele servitium sua vicinitate ostendunt. Namque Othelricus quandam urbem magnam, *Busine*

(a) pudicitiam. (b) Festum.

Busine dictam, petiit, & in ea non minus quam mille viros absque mulieribus & liberis capiens, incendit eandem, & victor remeavit. Henricus autem orientalium Marchio cum Bavariis, comperiens Bolizlavi milites juxta se prædam fecisse, protinus insequitur, & ex his fortiter resistentibus octogintos occidit, prædamque omnem resolvit. Sed antequam hæc omnia Cæsar comperiret, multum solicitus, quamvis parvo uteretur exercitu, tamen potestative quam diu voluit in his partibus fuit, & tunc reversus ad pagum qui *Diadesisi* dicitur, venit, in angusto, proh dolor, castra metatus loco, ubi nullus excepto apum magistro, qui ibidem tunc interfectus est, sedit. Bolizlavus autem audiens Imperatorem alia, quam intraverat, via, hinc exiturum, juxta Oderam omnimodis sua firmavit. Sed cum hunc jam abisse comperiret, magnam peditum multitudinem ad locum, ubi noster consedit exercitus, præmisit, præcipiens eis, si aliqua opportunitas sibi accidisset, hujus saltem aliquam partem lædere tentaret. Insuper Abbatem suum, (c) cum nomine, simulata pace ad Cæsarem misit, qui protinus ab eo explorator esse cognoscitur, & ibidem quousque omnis pene exercitus, factis in præcedenti nocte pontibus, paludem transcenderet præjacentem, detinetur. Tunc ille Monachus habitu, sed dolosa vulpes in actu, & ob hoc amatus à Domino, rediit, & Imperator *Geroni* Archiepiscopo, & *Geroni* inclyto Marchioni, ac *Burkhardo* Comiti Palatino, residuos committens, progreditur, & ut se solito cautius circumspicerent, hortatur. Post hæc ab hostibus prope in sylva latentibus magnus clamor ternis mugitibus attollitur, & mox nostrum agmen sagittariis intermixtim currentibus, ab his appetitur. Quibus primo conflictu secundoque fortiter resistunt, & ex eis multos palantes occidunt. Sed fugientibus quibusdam (d) ex nostris iterum incurrentes dissipant, & separatos sagittis fallentibus perdunt. *Gero* autem Archiepiscopus & *Burckhardus* Comes vulneratus vix evadentes, Cæsari hæc referebant. *Luidolfus* autem juvenis cum paucis capitur, & *Gero* ac *Volcmarus* Comites cum cc. militibus optimis occisi, spoliati sunt, quorum nomina & animas Deus omnipotens misericorditer respiciat, & nos, quorum culpa hi tunc oppetiere, sibi per Christum reconciliet, & ne quid ulterius patiamur, clemens custodiat. Imperator ut hoc triste nuncium audivit, ad tollenda interfectorum corpora redire voluit: sed multorum tardatus consilio, id quasi invitus omisit, & *Eidum* antistitem, qui eis licentia infausti Ducis sepulturam impenderet, & Geronis corpus Marchionis imploraret, remisit. Venerabilis vero pater Cæsari voluntarie consentiens concito cursu revertitur, & ut miserabilem aspexit stragem, flebiliter ingemuit, & suppliciter pro his oravit. Hunc cum victores & tunc in præda solum morantes, eminus viderunt, de consequentibus timidi, primo fugerunt, deindeque propius accedentem salutaverunt, & sine omni offensione eum abire permittunt. Hic à Bolizlavo, multum de pernicie nostra gaudenti, quod postulat impetrans, sine mora rediit, & corpora sociorum cum magno labore inimicis faventibus sepelivit. Funus autem prædicti Marchionis & socii ejus *Widredi* usque ad *Misni* fecit reduci. Hæc ibidem *Hermannus* Comes flebiliter suscipiens, & usque ad novam urbem, ubi *Gero* Coloniensis Archiepiscopus & *Thiedmarus* Marchio, frater ejus, vitricus istius, pater autem interempti Comitis, in honore Dei genetricis & sancti martyris ejus Cypriani, regnante *secundo Ottone*, Abbatiam construxerunt, cum fratribus suis *Guntbero* ac *Ekkihardo* comitatur, quæ *Gero* Archiepiscopus, tunc terræ commendans, dominam *Athelheidam* ejusque filium *Thiedmarum* ac mœrentes amicos ac milites solatur. Interim Cæsar cum suis ad *Strelam* urbem pervenit, ac *Misceonem* cum exercitu subsequi sciens, *Hermannum* Marchionem ad Misnensis defensionem civitatis properare jubet, ipse vero ad *Merseburg* recto tetendit itinere. *Misceo* autem à patre nefario instructus, ut primo nostros ab isthe divisos nullamque post se custodiam esse relictam sensit, Id. Septembr. *Albim*, juxta urbem prædictam, cum VII. legionibus in ipsa transcendit aurora, quosdam circumquaq; jacentia vastare, alios vero urbem præcipiens impugnare. Quod juvenes mei conspicientes, seque tueri posse desperantes, superpositæ civitati munitionem, relictis penè omnibus suis, ascendunt. Ob hoc hostes admodum gavisi, suburbium intrant relictum, & hoc ablatis rebus inventis incendunt, & superius castellum in duobus locis accensum infatigabiliter aggrediuntur. *Hermannus* vero Comes videns auxiliatores suos admodum paucos jam defecisse, Christi pietatem, & ejus inclyti martyris *Donati* intercessionem sanctam, prostratus postulans, mulieres ad succurrendum hortatur. Quæ propugnacula attingentes lapidibus viros adjuvant, ignem impositum, quia defecit aqua, medone extinguunt, & (domino gratias) inimici furorem & audaciam minuunt. Hoc totum Misceo de monte juxta posito cernens, socios adventantes expectat. Qui depopulantes, & ubi ignis inveniebatur omnia usque ad (e) *Gana* fluvium concremantes, sero lassis revertuntur equis, & ibi cum seniore suo cras ad urbem pugnaturi per-

(c) Thuni nomine. (d) hostes confortati glomerantur, & ex nostris.
(e) Grana.

pernoctarent, ni Albim crescere viderent. Propter hoc exercitus nimis defatigatus, cum securitate inopinata remeavit, & Ducis sui cor anxium hac prosperitate relevavit. Imperator autem hæc ut audivit, quoscunque tunc colligere potuit, ad succurrendum suo Marchioni propere mittit, suburbium non longe post redintegrare præcepit. Ad hujus operis supplementum & custodiam Gero Archiepiscopus & Arnulphus Præsul VIII. Id. Octobr. cum Comitibus cæterisque compluribus conveniebant. His omnibus ego longe inferior interfui. In XIV. diebus incepta ad unguem nos perducentes abivimus, committentes urbem *Friderico* Comiti ad IV. hebdomadas. *Gero* Archiantistes Magdaburgensis, & ego ejusdem comes, ad locum, qui *Mucherini* dicitur, veniebamus. Ibi tunc ego de promissis dulcibus eum admonens, percepi ab eodem cum baculo ejus, quem hodie teneo, parochiam super has IV. urbes, *Scudici*, *Cottili*, *Bicbini* & *VVurzia* VIII. Calend. Novembr. præsentibus his testibus: *Heribaldo*, *Hepone*, *Ibone*, *Christino*, atque *Seberto*. Eodem die ad urbem *Curbizi* dictam venimus, ubi convenientibus Archiantistitis militibus manifestavi, quam misericorditer erga me senior suus egerit. Ibique de infirmitate venerabilis *Fritheruna* comperimus, ad cujus hospitium tunc nos fuimus, quæ, proh dolor, in sequenti die, id est, VII. Calend. Novemb. hominem exuit interiorem. Inde Archiepiscopus ad Magdaburg profectus, omnium festivitatem sanctorum celebravit, & ego in *Wallibizi*. Interim Imperator occidentales invisens regiones, quæ ibi tunc erant emendanda, correxit. Post hæc autem *Eid* Antistes egregius à Polonia saltem cum muneribus magnis reversus ægrotare cœpit. Et in urbe *Libzi* vocata fidelem Christo animam XIII. Calend. Jan. reddit, & *Hillibardus*, Cicensis Episcopus, ad hujus procurationem vocatus, mox adfuit, & domum, qua vir sanctus obierat, optimis redolere odoribus introiens agnovit. Et corpus ejusdem usque ad Mysni prosequitur. Sepelivit illud coram altari, auxilio Comitis *Wilhelmi*, qui ordine suo eandem tunc custodivit civitatem. Sed quia superius promisi, me de ejus vita in sequentibus dicturum, de magnis pauca loquar. Erat vir prædictus nobilis genere, dives in prædiis, sed paupertate spiritus hæc nihili ducens. Ante benedictionem in *Magdeburg* cum cæteris confratribus regulariter ac multum laudabiliter vivens, & post in divinis gregibus lucrandis altius insurgens, pro possibilitate sua apostolicam imitatus est vitam. Nulla unquam utitur camisia, neque braca, nisi tunc, cum missam (f) cantavit, quam idcirco sæpius dimisit, quia qualiter is unquam sustineret, multi admirabantur. Crebro à suis penè desperatus in stuba vix recreabatur, corpus suum nimis afflixit jejuniis, plus nudis pedibus, quam equo laborans. Cum sibi & sociis late vagantibus victum defecisse, vel aliquid arduum occurrere videret, domino gratias egit, & omnes hoc dicere jussit. In baptizando & prædicatione continua, & confirmatione, non modo suæ utilis erat Ecclesiæ, sed aliis quamplurimis. De his, quibus ipse cum suis vivere debebat rebus, sibi subtractis, pene ducentos Ecclesiæ suimet acquisivit mansos. Chrisma & clerúm raro, templa autem Domini libenter consecravit, & crebro sine missa. Oculi ejus ob assiduam fletus nimii effusionem jam caligabant. Nobis contemporalibus suis ob crimen nostrum ejus conversatio displicuit, & ei nostra: XXIII. annos & amplius labore ineffabili vivens, finem suum anteprædixit, & ut nunquam ad *Mysni* poneretur, multum rogavit. Id namque semper in mente ob timorem futuræ desolationis desideravit, ut ad locum, *Colditz* dictum, ubi Christi magnus martyr corporaliter requiescit, & ipse mereretur tumulari. Sed Comes *Hermannus*, sperans precibus ejusdem locum sibi a Domino paratum adjuvari, ut præfatus sum, ibidem fecit eum deponi. In vigilia natalis domini *Meingaudus* Trevericæ civitatis Archiepiscopus obiit in urbe sua *Copbelenci* dicta, sedens IIX. annos & VII. menses, indeque corpus suum ad sedem propriam delatum honorificè ad antecessores suos locatur. Imperator hæc audiens, de tantorum detrimento patrum turbabatur, qualiterque loca bene suppleret vacua, cum familiaribus suis tractavit, & natalem dominicum in *Pathebrun* festivis peregit gaudiis. Et post hunc *Popponem* Liupoldi Marchionis filium, & tunc Pabenbergensis Ecclesiæ Præpositum, Treverensi præfecerat urbi: & cum is ab *Erkinbaldo*, Moguntiacensi Archiepiscopo, jussu Cæsaris, & licentia Verdunensis Episcopi, qui primus horum in ordine fuit confratrum, consecrari debuisset, a *Thiederico* Metensi antistite, eo quod a se justius hæc ordinatio fieri deberet, assidua acclamatione, & humili petitione id in cassum (g) prolabebatur. Nam Imperator hunc scripta demonstrantem, & banno id interdicentem, non exaudivit, sed unctionem compleri præcepit. In diebus his vice *Eidi* Præsulis Eluvardus, *Thietmari* Marchionis Capellanus, hortatu *Hermanni* confratris, a Cæsare constituitur, & in dominica die ante palmas in *Merseburg* a *Gerone* Archiepiscopo nobis faventibus benedicitur. Proximam palmarum jucunditatem Imperator cum *Henrico*, venerabili Wirciburgensis Ecclesiæ Episcopo, complens, quarta

(f) celebravit. (g) prohibebatur.

ta feria ad *Bavenberg* venit, ibique cœnam domini & passionem cum Paschali tripudio honorabiliter peregit. Et quia *Rudolphus*, Burgundionum Rex, avunculus ejus, sicut vocatus erat huc venire non potuit, nepotem sibi dilectum obviam sibi pergere rogavit. Fit eorundem conventio in urbe Argentina, & mutuæ charitatis invicem larga benignitas consociis arrisit utrisque. Fuit quoque ibidem *Rudolphi* regis inclyta conjunx, quæ familiaritatis hujus adjutrix, filios suimet duos, senioris autem sui privignos, Cæsari commendavit: & dilectis sibi militibus, hoc totum dedit in beneficium, quod sibi ab avunculo suimet tum concessum, & quod *VVilhelmus* Pictaviensi hactenus habuit regio munere præstitum. Imperator sapiente usus consilio, hoc voluit cum his id sibi firmius subdere, quod longe prius Rex prædictus ei sacramentis post mortem suam sancierat. Omnem namque Burgundiæ regionis primatum per manus ab avunculo suimet accepit, & de maximis rebus sine ejus consilio non fiendis securitatem (h) firmavit. Episcopatum in (i) regione cuidam nobili viro dedit, de quo postea vix securus evasit. Namque *VVillehelmus* præpotens vir in his partibus, ut hoc omne comperit, eundem persequi, & ad ultimum fugientem solum canibus præcedit inquiri: quos cum Antistes jam defatigatus latrantes audiret, quod unicum tunc habuit solatium, signo sanctæ crucis sua post se signans vestigia, quasi mortuus jacuit, & ad prædam paratus fuit; & ecce canes rabidi, loca eminus olfacientes signata, ut grandi turbine retracti, reversi sunt, & sic verus domini famulus per incognita nemoris loca ad amicos perrexit fines. Cæsar autem regi & contectali ejus cunctisque suimet Principibus ineffabilem pecuniam dedit, & firmata iterum antiqua traditione, eos abire permisit, ipse exercitu congregato ad *Basulam* urbem profectus. Sed cum ibi *VVillehelmum* munitis urbibus resistentem, & introitum sibi prohibere cupientem audiret, parvæ multitudini diffisus, amicā manum undique secus colligit, & provincias sibi rebellare præsumentes incendio late flagranti securus desolavit. Cumque se nullam urbium earumdem expugnare pro certo sciret, reversus est tristis, quod nec hic nec in parte orientali nocituram hostibus suis intulit molestiam. Interim imperatrix in nostris commorata provinciis defensionem patriæ cum nostris Principibus meditatur. Hostis autem noster *Bolizlavus* inter hæc nil nostra læsit, sed sua munit, & certus de eventu Cæsaris effectus, lætatur, & nimis extollitur. Namque multi, quibus hoc cognitum erat, veraciter asserebant, si Cæsar ad eum tunc (k) turmatim veniret, timore, quod eundem de nostris respiceret, restituere, & eum ad servitutem suam, pace tantum concessa, promptum & fidelem habere potuisset. Sed Burgundionum Rex, mollis & effeminatus, bona quæ nepoti suimet promisit, impedire eorum instinctu voluit, quibus relaxato justitiæ freno, velut infelici vitulo per latum liberos currere placuit. Cum vero iterum cœptis persistere studuit, eorum conflatione & pessima reluctatione non potuit. Nullus enim, ut audio, (l) qui sic præsit in regno: Nomen tantum & coronam habet, & Episcopatus his dat, qui à Principibus his eliguntur, ad suam vero utilitatem pauca tenens, ex impensis antistitum vivit, & hos vel alios in aliquo extrinsecus laborantes eripere nequit. Unde hi manibus complicatis cunctis primatibus, velut regi suo serviunt, & sic pace fruuntur. Ob hoc solum talis rector inter eos dominatur, ut eo liberius malignorum furor invicem vagetur, & ne lex nova alterius regis ibi adveniat, quæ inolitam consvetudinem (m) rumpat. *Wilhelmus* Comes, de quo prædixi, miles est regis in nomine, & dominus terræ re, & in his partibus nullus vocatur Comes nisi is, qui Ducis honorem possidet: & ne illius potestas in hac regione paulo minus minueretur, consilio & actu Imperatoriæ majestati, sicut prædixi reluctatur. In præcedenti æstate *Bernhardus*, sanctæ Ferdensis Ecclesiæ pius pater & antistes, cùm se ad occasionem hujus vitæ vidisset inclinare, cunctos debitores suos ad se dulciter vocans, in dominum, & in Ecclesiam sibi commissam humanitus deliquisse admonuit, & confitentibus cunctis misericorditer indulsit. Omnes autem, qui se aliquo contra eum fore culpabiles negabant, sic arguebat; *Ne, quæso, filii sic faciatis: non concupisco vos ex mea, vel successoris mei parte ullatenus decipi, sed nunc volo vos à talibus exsolvi, & pace sincera à vobis segregari.* Is Ecclesiam suimet ccc. mansis, juste acquisitis, adauxit; Imperatorem suum, & omnes Christo fideles, ex corde dilexit; & maxime sibi subditos summi pastoris exemplo amavit. Sedebat ille vir venerabilis XXIV. annos, & turrim unam ex lapidibus, qui in hac terra pauci habentur, juxta Ferdensem Ecclesiam fabricare incepit, & exin subtractus est à nostris aspectibus Lucifer ille IIX. Cal. August. Quod cum Imperator comperiret, ut filius absentiam patris, sic flevit mortem tanti senioris. In cujus vice *Vidzierum*, Coloniensis Ecclesiæ quondam præpositum, & tunc ab *Heriberto* Archipræsule depositum, Cal. Septemb. diu renitentem posuit, & ab *Erkanbaldo* Archiantistite consecratum ad sedem propriam cum honore magno remisit. Notandum quoque, & non absque singultu pro-

(h) firmum. (i) hac. (k) cum exercitu. (l) Rex est.
(m) corrumpat.

proferendum, quod monasterium in *Mimmileve* constitutum à libertate diu corroborata in servitutem redactum est. Deposito namque ejusdem cœnobii Abbate *Reinildo*, dispersisque late confratribus his, *Heresfeldensi* Ecclesiæ, ejusque tunc provisori *Arnoldo*, illud subditum est. In quadam provincia Sueviæ regionis, & in comitatu *Becelini* Comitis, accidit res una mirabilis, & admodum terribilis. Una mulier maritata, subitaneæ mortis nexibus depressa, obiit. Hujus corpus post lavationem & debitam procurationem ad Ecclesiam à mœrentibus sociis delatum est. Hæc à feretro se ex improviso erigens, ac præsentes cunctos fugans, evocat ad se virum suimet cum familiaribus cæteris, ac his specialiter munus singulare ascripsit, verbis consolata dulcibus. Ac post hæc in pace quievit. Mirum est, quod dico, sed mirabilis domini hæc solum opera cognosco. Et ne quis hæc vera esse diffidat, testimonium his haud vituperabile profero. Prædictus Comes hoc Imperatori pro vero retulit, & ille mihi coram multis confratribus id intimavit. Sæpe contigit, quod in imagine mortuorum callidus homini apparet inimicus, hunc modis tentans deludere variis, & stulti quique sic esse autumant: Ego autem veraciter innotesco cunctis fidelibus, quod post commendationem animæ, ac debitum sepeliendi officium, more Christiano diligenter completum, corpus illud exanime nunquam ante universæ carnis resurrectionem, absque omni ambiguitate complendam, surgit, nisi meritis justorum ad tempus fiat, quod tunc solum accidit, cum mundus instar eorum inclyta conversatione floruit. Puto prædictam mulierem multum valuisse, cui post mortem gustatam justum complere desiderium, & tunc sine gemitu denuo licuit somno pacis obdormire. Beatus ille, qui opus bonum acceleratione continua perficit, nec moras prælongatione diutina suspendit. Contra autem ille miserorum loco assignatur, qui aut justa prorsus spernere, aut hæc, ut non possint complere, differre conatur. In utrisque ego sæpe culpabilis duas tantum res nunc profero, in quibus memetipsum graviter accuso. Post decretum in *Throtmunni* peractum, *Richarius* Magdeburgensis Ecclesiæ Presbyter, & Spiritualis frater meus, infirmatur, & ego, quia non eram ibi, eundem non visitavi. Cum autem pridie quam ille vir justus obierit, venirem, ad eum non accessi, sed in posterum distuli diem, & tunc is sine mea caritate mortuus est. Corpus ejusdem ad Ecclesiam delatum de confratribus nostris, & quia vigilias sustinere non potui, à vicario meo custoditum est. Hic non longe post sepulturam ejus in somnis apparens mihi, *quare*, dixit, *non visitastis me, & psalterium non cantastis, neque memor avi in Throtmanni juventam fecistis?* Qui cum excusationem audiret, respondit, *male hæc (n) dereliquistis.* Et tunc interrogabam eum, quomodo valeret? & ille, *ut in sabbatho*, infit, *obdormivi, in alia ad requiei dulcis gaudia transivi.* Cumque ego sciscitarer ab eo, qualiter se patris mei atque matris res haberet, *bene* retulit, sicque prosecutus: *Genitrix tua per me tibi indixit, te in II. & aut I. feria eam assecuturum*, & hoc ingemiscendo evigilavi, pro certo sciens, communem justorum institutionem sanctam esse ac salubrem, si custoditur; sin autem, grande periculum. Et si in hoc nullum accuso præter me, vereor tamen maximam multitudinem, hujus pacti alteriusque esse prævaricatricem, & quanto plus spernimus mandata præpositorum, tanto culpabiles sumus in examine eorum. Insuper in altero deliqui crimine, quod me unquam fecisse, pœnitet ex corde. *Redingus*, Parthenopolitanæ congregationis præpositus, in quadragesima, quæ finem suum præcesserat, me huc venientem caritative suscipiens, loqui secum in secreto postulat, & obortis mox lacrymis, sic exorsus est: *Subitanea me deprimi morte multum timeo, & præcedentes causas vobis aperio In Arnaburgensi civitate semel, & in ista bis sic mihi ex improviso accidit, ut nec videre vel aliquid potuissem audire, exuperans hoc celeri auxilio Christi. Ex hoc tempore nimis solicitus fui, & confratribus meis adhoc, ut spero, idoneis, vulnus iniquitatis meæ retexi: & quia vos mihi fidelem semper agnovi, ad testimonium meæ confessionis voco: quia me non diu victurum existimabo.* Hanc petitionem devotus suscepi, ac me in omnibus eidem satisfacere promisi. Post hæc idem me de talibus admonuit: & quia tunc tempus congruum non fuit, laudabilis desiderii satietatem à me non percepit. Quamvis alicujus conversi plagam ob infatigabilem conscientiæ meimet peccatricis fœtorem libenter non inspiciam, & curare desperem, tamen hujus confratris onus libenter subirem, si opportunitatem aliquam nobis ad hæc respondere vidissem. In proxima parasceve *Rotmannus* Presbyter, & Archiepiscopi præpositus *Geronis*, improvisæ necis impetu nocte deprimitur, & in lecto mortuus invenitur. Hoc admirabile & nimis terribile cunctis audientibus videbatur. Sed, Domino gratias, pridie eleemosynam largiter, & confessionem suam communiter, & non sine fletu magno fecit. In sabbatho sancto huc veni, & sanctam hanc solennitatem cum Archipræsule meo celebriter peregi. Ibi tunc *Redingus* prudens homo, ac per omnia cautus, fratri suo, & dilectæ sorori, suam dividens substantiam, *habete hæc*, infit, *vobis, ut cùm me citò corporaliter perdatis, in hac charitate vobis*

(n) omisistis.

bis me fidelem fuisse agnoscatis. In nativitate verò Johannis Baptistæ cum fratre meo Abbate (o) *Sigefrido* fui, & ibi præposito sæpe memorato ultima salutatione valedicens, nil me ad accipiendam reconciliationem sibi, proh dolor, exhibui, nec hunc me amplius expetere sensi, & tunc cum eundem, sicut prædixi, pòst mortuum comperirem, tunc serò hoc ingemui, ad quod prius respicere neglexi. Præfuit autem confratribus suis tres annos & vi. hebdomadas, vir pius & sapiens, ac nimium fidelis, sepultus in porticu australi juxta monasterium. Huic in sequenti successerat anno *Giddo* venerabilis pater, quondam scholæ magister, sed tunc Ecclesiæ custos in festivitate Apostolorum Petri & Pauli, in quorum vigilia pius obiit *Esico* inclusus, qui multa ob Christi amorem mutaverat loca. Zelus dominicæ domus quæ est in Christo mater nostra spiritualis, etsi rarò, tamen interdum comedit me. Ideoque quemadmodum sum locutus, me proposito intermiscere operi compellit. Audivi sæpe numero *Angelos* ab Angelica facie, id est *pulcra*, sive quod in *angulo* istius terræ siti sunt, dictos, ineffabilem miseriam à Sveino, Haraldi filio, immiti Danorum rege, perpessos esse, & ad id coactos, ut qui prius tributarii erant Principis Apostolorum Petri, ac sancti patris eorum Gregorii spiritualis filii, immundis canibus (p) impositum sibi censum (q) quotannis solverent, & maximam regni suimet partem capto ac interempto habitatore, tunc hosti fiducialiter inhabitandam inviti relinquerent. Consentiente hoc domino, & ob castigandas quorundam suimet fidelium (r) culpas, hostes prædictos ad hoc instigante, tantum insevit persecutor, qui nec suis parcere unquam didicit. Ille, inquam, suprà memoratus non rector sed destructor, post mortem patris sui à *Normannis* insurgentibus captus, cùm à populo sibi tunc subdito cum ingenti precio solveretur, quia ab occulta pessimorum susurratione se ob hoc servum nominari comperiret, quod salubriter in paucis ulcisci potuit, hoc (s) impatiens communi damno, & si voluisset scire, sibi maxime nocenti, meditatur vindicare. Potestatem namq; suam hostibus extraneis tunc relinquens, securitatem vagatione, pacem bello, regnum exilio, Dominum cœli & terræ Diabolo (t) mutavit, & habitata quoque vastando, sic se suorum non emptitium neque volentem dominum, sed spontaneum crebrò se jactavit inimicum latè proh dolor, regnantem. Iste autem cum grandi labore sui & contemporalium inter pios impius diu conversatus respectu divino mors multorum, morte tarda deprimitur, & fugientibus mox sociis ibidem sepelitur. Quod cum *Adelrad*, Rex Anglorum, multo tempore ab eodem fugatus, pro certo comperiret, gratias agens domino, patriam lætus revisit, & collectis in unum cunctis militibus suis, corpus inimicum exterminare conatur, & ut hoc non fieret, quædam matrona prius per familiares suos admonita servatum pignus à terra elevans, etsi indigena, tamen ad patrias navigio direxerat (u) arctos, id est, septentrionalem plagam. Quæ hoc nomen ab arcturis duabus, hoc est, ab ursis majoribus & minoribus sortitur, quas serpens (w) unus, ut astrologi asserunt, circundat, & dividit. Pars terræ illius tantum frigida est, quantum à solis calore aliena, & mentes incolarum charitatis geminæ expertes ibi sunt *scythæ*, qui domos suas secum vehentes feris & equino lacte pascantur. In his partibus est unus Rex, *Gulring* nomine, qui in monasterio Ferdensi sub Episcopo ejusdem loci *Erpone* in clericatu educatus, ad diaconatus gradum pervenit indignus. Sed postquam prædictus Antistes obiit, ipse elapsus nomen & ordinem, (x) *alter Julianus*, abjecit, & vocabulum Christianitatis solum professus, in multis invenitur longè alienus. Is à suis primò ut est agnitus, illico suscipitur, & hæreditario honore sublimatur. Quod domino displicet, nemo laudet, nullus imitetur, præsens fructus ob terrorem futurum spernatur. Et ille Rex servus peccati filius mortis, non, ut putat, dominatur, sed (y) quotidiano pondere aggravatur: De quo Deus per Esaiam clamat: *Filios enutrivi, exaltavi, ipsi autem* (z) *spreverunt me.* Pro cujus consociorumque ejus conversione, & digna emendatione ac perseverantia, omnis Christianitas oret, & ne tale quid in membris suis amplius patiatur, Deum imploret. Quamvis de illo hoc solum dicerem, sed, proh dolor, alii, qui similem subiere sententiam, illud Pauli non attendentes: *Quia melius est viam veritatis non cognoscere, quàm post notitiam declinare.* Sed quia nullus ad comprehendendas aquilonaris regionis (a) varietates, quas natura præ cæteris mirabilis ibidem operatur, & crudeles populi istius executiones sufficit, immerito & de geniminis viperarum, id est, filiis *Svenni* persequutoris, pauca edissero. Hos peperit ei *Misiconis* filia Ducis, soror *Bolizlavi*, successoris ejus & nati: quæ à viro suimet diu depulsa non minimam cum cæteris perpessa est controversiam. Hujus proles multum in omnibus patrissantes, dilecti geni-

(o) novæ Corbejæ monacho. (p) indictum. (q) multis annis. (r) peccata. (s) inconsiderate. (t) inferni. (u) ad terram Arctoam. (w) circumflexus. (x) ut ille dæmonis exemplar Julianus Apostata Cæsar abjecit. (y) quotidie iniquitatis pondere gravatur. (z) contemnentes spreverunt. (a) varietatum habitudines.

genitoris corpus delatum flebiliter suscipiunt, & tumulant, & quicquid dedecoris patri suimet ingeri ab Anglis propositum est, paratis navibus ulcisci studebant. Eorum facinora quæ his intulere plurima, me quia latent, præteriens, illud stylo breviter aperio, quod mihi quidam pro veritate sibi cognitum (b) intimavit. Anno dominicæ incarnationis M.XVI. & in mense Julio, prædicti fratres *Harald* & *Cnut*, ac cum Duce suimet, cum CCC. & XL navibus, *Turgato* egressi, urbem quandam nomine *Lundunam*, ubi Regina, tristis nece viri suimet, & defensoris, cum filiis *Ethelsteno* & *Ethmundo*, & duobus Episcopis, cæterisque primatibus, sedebat, præsidio, circumdant, & naves singulas LXXX. viros habentes per flumen, quod *Timisi* vocatur, ducentes, VI. menses eandem impugnant. Regina autem tunc bello defatigata assiduo, nuncios misit, qui ab eis pacem peterent, & quid ab eo poscerent, diligenter inquirerent. Respondetur protinus ab his inexplendis hostibus, *si Regina filios suos in mortem, seque, cum XV. M. argenti ponderibus, & Episcopos cum XII. M. & omnibus loricis, quarum M. XXIV. & numerus incredibilis erat, redimere, & adhac speranda trecentos obsides electos dare voluisset, sibi tantùm sociisq; suimet pacem cum vita adipisci potuisset; sin autem*, *omnes* tum clamabant, *eos uno gladio perituros*. Venerabilis verò Regina cum suis hac legatione admodum turbata, post longam æstuantis animi deliberationem, se sic facturam spospondit, & id cum prænominatis firmat militibus. Interim confratres secundo noctis silentio in navicula præmissum evadentes periculum, quoscunque poterant ad defensionem patriæ & ereptionem matris, hoste adhuc hoc ignorante, congregabant. Sed cum in una dierum *Thurgut*, piratarum Dux, ad depopulandos fines proximos cum multitudine egrederetur ex improviso hostibus occurrens, eos offendit, & ut eosdem eminus aspexit, socios exhortans viriliter adiit, & (c) occiderunt utrique *Ethmundus* Rex, & Dux *Thurgut*, cum maxima sociorum multitudine, & nec his neque aliis ulla spes optatæ venit victoriæ, sed vulnerati sponte discesserunt, hoc solum gementes, quòd sic fortuitis id accidit casibus, nobis autem scriptura prohibet, credere fatum vel casum aliquid esse. *Dani* tunc quamvis imbecilles, socias tamen naves (d) visitant, & intelligentes urbi solatium ab *Ethelstano* superstite, & *Britannis* venientibus afferri; truncatis obsidibus fugiunt, & destruat eos atque disperdat protector in se sperantium Deus, ne unquam solito his vel aliis noceant fidelibus. In ereptione civitatis illius gaudeamus, & in cætero lugeamus. Percepi quoque à relatu prædicti hominis Sewaldi factum miserabile, ac idcirco memorabile, quod perfida Northmannorum manus, Duce adhuc Thurkilo, Cantuariæ civitatis egregium Antistitem *Dunstan* nomine, cum cæteris caperet, & vinculis & inedia ac ineffabili pœna, more suo (e) nefando, constringeret. Hic humana motus fragilitate, pecuniam eis promittit, & ad hanc impetrandam inducias (f) posuit, ut si in his acceptabili redemtione mortem momentaneam evadere nequivisset, semetipsum gemitibus crebris interim purgaret, hostiam domino vivam ad immolandum. Transactis tunc omnibus designatis temporibus vorax piratarum Charybdis, domini famulum evocat, & sibi promissum celeriter persolvi tributum, minaciter postulat. Et ille, ut mitis agnus: *præsto sum, paratus ad omnia, quæ in me nunc præsumitis facere, Christi amore, ut suorum merear fieri exemplum servorum. Non sum hodie turbatus. Quòd vobis mendax videar, non mea voluntas, sed dira effecit egestas. Corpus hoc meum, quod in hoc exilio supra modum dilexi, vobis culpabile offero, & quod de eo faciatis, in vestra esse potestate cognosco; animam autem meimet peccatricem creatori omnium, vos non respicientem, supplex committo.* Talia loquentem profanorum agmen vallavit, & diversa hunc ad interficiendum arma congerit. Quod cum eorum Dux *Thurkil* à longè vidisset, celeriter occurrens, *ne quæso sic faciatis*, infit, *aurum & argentum, & omne quod hic habeo, vel ullo modo acquirere possum excepta navi sola, ne in Christum Domini peccatis, libente animo vobis omnibus trado.* Tam dulci affatu infrenata sociorum ira, ferro & saxis durior, non mollitur, sed effuso innocenti sanguine placatur, quem communiter capitibus boum & imbribus lapidum, atque lignorum infusione protinus effundunt. Inter tot frementium impetus, & cœlesti jucunditate, ut signi sequentis efficacia protinus testatur. Unus namque inter primicerios membris effectus debilis, agnovit in semetipso quod deliquit in Christo electo, sicut scriptum est: *mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus.* In hoc Christi athletæ triumpho miseri ejusdem persecutores devicti, dominum & pecuniam à Duce suimet sibi exhibitam & ad ultimum, nisi resipiscant satisfacientes perdiderunt animam, & ille cum stola innocentia mentis & corporis hactenus dealbata, & tum rubro intincta sanguine, divinum placavit obtutum. Hunc intercessorem nos peccatores precibus assiduis acquiramus & apud majestatem divinam plurimum valere credamus. In supra memorati circuitu anni quæ

(b) intimatum retulit. (c) ceciderunt utrinq;. (d) revisunt. (e) crudelitatis. (f) poscit.

quæ mala Chriſticolis peccati vindex (g) intulerit, non ſine gravi mœrore ediſſero. [*Magdeburg à Bernhardo* Marchione cum magna multitudine appetitur noctu, & ibi miles Archiepiſcopi innocens capitur & alter vulneratur.] Quarta Id. Febr. & in VI. feria ſubſequuturæ ſigna miſeriæ, in ipſo noctis (h) crepuſculo tonitrua cum fulminibus, & magnis tempeſtatibus in diverſis nocentia locis terribiliter intonuere. Quidam namque confractis à tali impetu domibus obierunt, alii autem vulnerati vix mortem evaſere. (i) In ſylvis cadentibus magnum quoque accidit damnum. (k) In provincia, quæ *Haſſegun* dicitur, IV. confratres quorum hæc ſunt nomina: *Oelli, Barchard, Thiedric*, & *Poppo*, à quodam libero qui *Bern* dicebatur, milite bono, ſæpe contempti collectis agminibus irruentes in eum non minus quam viros centum ſcutatos habentem peremerunt, nonnullis utrinque (l) oppetientibus. In Longobardia *Sarraceni* navigio venientes *Lunam* civitatem, fugato (m) paſtore, invadunt, & cum potentia ac ſecuritate fines illius regionis inhabitant & uxoribus incolarum abutuntur. Quod cùm domino Apoſtolico, nomine *Benedicto* fama (n) deferret, omnes ſanctæ matris Eccleſiæ, tam rectores quàm defenſores congregans, rogat ac præcipit, ut inimicos Chriſti, talia præſumentes viriliter ſecum (o) irrumperent, & adjuvante domino occiderent. Inſuper (p) ineffabilem navium multitudinem tacitè præmiſit, quæ eis redeundi poſſibilitatem interciperet. Hoc Rex Sarracenus animadvertens, primo indignatur, & tandem, paucis comitatus, navicula periculum imminens evaſit: ſui verò omnes conveniunt, & adventantes prius irruunt hoſtes, eosque mox fugientes miſerabile dictu III. dies & noctes proſternunt. Reſpexit tandem Deus, gemitu piorum placatus, & odientes ſe fugavit, & in tantum devicit, ut nec uno de his relicto, interfectorum & eorundem ſpoliorum multitudinem victores numerare nequirent. Tunc Regina eorum capta, ob (q) audaciam jure capite plectitur. Aureum capitale ejusdem ornamentum, invicem gemmatum, Papa ſibi præ cæteris vendicavit, poſtque Imperatori ſuam tranſmiſit partem, quæ mille libris computabatur. Diviſa omnia præda, victrix turba læta mente ad propria revertitur, ut triumphanti Chriſto dignas perſolveret odas. Rex autem prædictus, morte conjugis & ſociorum admodum turbatus, ſummo Pontifici ſaccum caſtaneis refertum miſit, & per hunc portitorem *tot ſe in proxima æſtate milites ſibi eſſe allaturum intimavit.* Percepta hac legatione Papa marſupium eidem milio plenum internuncio talibus dictis reddidit: *ſi non ſufficiat ſibi Apoſtolicam ſatis læſiſſe* (r) *dotem, ſecundò veniat, & tot loricatos, vel plus, ſe hic inventurum, pro certo ſciat.* Homo (s) cogit, & loquitur, dominus (t) indicat, quem ſuppliciter quisque fidelis oret, ut talem plagam miſericorditer amoveat, & neceſſariam optatæ pacis ſecuritatem pius indulgeat. In inſula quæ dicitur *Augia*, XVII. Cal. Novembr. IIX. naves, hominibus promiſcui ſexus tunc impletæ, mari immerguntur. In occidente *Lambertus*, Reinherii filius, cum ſuis victus ab hoſte *Godesfrido*, multorum inimicus occubuit. Non fuit enim in hac terra deterior illo, qui multos in Eccleſiis cum fune campanarum ſtrangulavit. Quot homines hic exhæreditaret, vel occideret, nullus explicare valet: nunquam is de (u) perpetrato facinore pœnitentiam ſuſcipere curavit. Ille cum fratre ſuimet *Reingerio Wirinharium* & ejus germanum *Reinzonem* pariter occidit. Hujus pater ad Bohemiam ab *Ottone* in exilium miſſus, ibidem moritur. Ipſa eorundem patria viventes doluit, amiſſos gaudet. Hoc duntaxat conqueri debemus, quòd eo die propter nocentem ex utraque parte congredientium tot (w) inculpabiles ceciderunt. Cæteræ verò in his partibus ſtrages, proh dolor, in illis temporibus evenere. In regno namque pacifici, & per omnia venerabilis *Roberti* regis, conprovinciales hi mutuo confligentes, interfecti ſunt plusquam tria hominum millia. Nec à me prætereundum, quod poſt hæc accidit, inexuperabile damnum. Namque avunculus meus, Comes *Henricus*, in Chriſto, & in hoc ſeculo multum valens, gratulabundus juſta ſenectute, & bona fide, utriusque debitum perſolvit naturæ VI. Non. Octobr. Inſuper *Wigmannus* Comes utilis in omnibus patriæ, hortatu ſecundæ Herodiadis miſerabiliter ſervili præſumptione corruit. Inter prædictum & comitem *Baldricum* longa fuit contentio, quæ Baldricum ſæpe in prælio devictum mutuo, in tantum humiliavit, ut inter cæteros primates cum magno verſaretur dedecore. Omnem ſuimet proſperitatem *Wigmannus* æquo ferens animo, & divinæ aſcribens clementiæ, pacis fœdere diſcordiam diu inſanientem ſedare meditatur, & hoſtem amicabili petitione ad domum ſuam vocans, convivio & munere accepto placat, & ab eodem ad confirmandum inceptæ dilectionis vinculum invitatur, inſibilante hoc per uxorem ſuam antiquo ſerpente, ut qui per vim nunquam capi

 potuit,

(g) bisſextus. (h) exortu. (i) in dejectione ſylvarum. (k) *Palatinus Comes Bernhardus* paralyſi perculſus eſt. (l) occumbentibus. (m) Epiſcopo. (n) volax. (o) appeterent. (p) magnam. (q) audacia viri. (r) ſedem. (s) cogitat. (t) dijudicat. (u) perpetratis ſceleribus. (w) innocentes.

potuit, dolosi saltem retibus ingenii vinceretur. Tunc (y) connivebat laudanda simplicitas herilis animi, quod poposcerat simulata æquitas fallentis amici. Inprimis optimè suscipitur & illico infecta veneno potione turbatur. Post hæc nimio dolore protinus ingravescente, sequentem ibi vix expectabat diem, & ut bene remuneratus, & charitative salutatus, abiit. Militibus suis ibidem dolosè tardatis, à quodam servo furtive prosternitur, præsente ejusdem seniore *Baldrico*, & hoc nullatenus ulciscente. Tunc unus ex suis (z) militibus, ut nefandi sceleris authorem occidit, mox interfectus oppetiit. Fugiente tum Baldrico, & conscientiam in hoc manifestante, miseria talis, fama vulgante, dilatatur, & Thiedricus sanctæ Mimmingerodensis Ecclesiæ Præsul, materteræ meæ juxta qui expectabat, primus advenit, ac dilecti obitum amici mœrore questus insolabili, corpus ad *Freihem* civitatem comitatur, & hoc ad fratres suos collocare summopere studuit. Dehinc missis per omnem hanc regionem suimet nunciis, ipse comprovinciales & affines hæc ad vindicanda excitat, & cum valida (a) urbem prædictam hostis nomine *Vpplun* possedit, continua devastans loca, & igne consumens. Advenit tandem *Bernhardus* Dux, nepos meus, qui jure, filii præfati Comitis adhuc parvuli, & totius hæreditatis, tutor, & nefandi criminis ultor, extiterat, & hic tristes, quantum valuit, milites solatus cum cæteris fautoribus urbanos nocte dieque lacessit. Interim Imperator à *Burgundia*, ubi magnam æstatis partem morabatur, digressus, ut primum omnem rei eventum comperit, navigio illuc (b) pergere festinavit, & in illo itinere *Gevehardus*, *Heriberti* Comitis filius, nepos meus, regiæque majestati tunc multum acceptus, ac omni probitate præcipuus, obiit, Imperatorem, & omnes in his partibus constitutos, tristes post se relinquens. Archiepiscopus autem Coloniensis *Heribertus* multum ex parte sui militis Baldrici solicitus, Imperatorem sæpe interpellat, quo urbem diu possessam suæ vellet subdere potestati: cujus assidua petitione Imperator devictus, consensit. Hoste jam tum Cæsaris abeunte, urbs *Vpplun* dicta omnino destruitur, & Comitissa ibidem diutius turbata cum omnibus, quæ habebat, proh dolor, servatur. Omnis maledictio, quam sibi beatus Job imprecatus est, huic, talem promerenti, eveniat. In præsenti tempore tantum mali percipiat, ut in futuro veniam saltem sperare liceat. Quicunque in auxilium ejus (c) unquam aspiret convertatur ad dominum, & se vehementer peccasse confessus, ad emendationem condignam festinet: quia sibilo Venenosæ aspidis caret Ecclesia tanti defensoris. In hoc autem anno *Thiedricus* Antistes & *Herimannus* Comes, *Gerbergæ* filius, de inani re mutuo certantes, sua vastabant. Dehinc amicis persvadentibus, ac maximè jussu Imperatoris, sedati, præsentiam Cæsaris utrinque præstolantur. Anno Dominicæ incarnationis (d) Imperator à *Palathi*, ubi celebravit natale Domini, [& Gero Archiepiscopus jussu Imperatoris *Bernhardum* Marchionem nudipedem emendationem sibi promittentem suscepit & solutis pluribus ab eo sibi impositis bannis, Ecclesiæ præsentavit. Cæsar à Palithe --] exiens, *in Alstidi* Epiphaniam domini solennniter peregit, & in sacra nocte eadem *Fridericus* Comes, fidelis Christo & seniori suo, obiit in civitate sua *Ilburg* dicta. Hic quia sapiens erat & sibi finem hujus vitæ jam appropinquare cernebat, prædictam civitatem fratris suimet filio, nomine *Thiedrico*, ea ratione dedit, ut cum laude sua, quia hæres suimet fuit, & (e) alteri hoc legitimè fieri non potuit, liceret sibi tribus suis filiabus prædium omne, quod remansit tradere. Hujus comitatum, & super *Suisili* pagum potestatem, ille Thiedricus Imperatoris munere pòst suscepit. Fit publicus principum in *Alstidi* conventus: inter *Bernhardum* Marchionem & patrui meimet filios litigium cum emendatione sibi accepta, & juramentum pacificatum est. Inter *Thiedricum* Antistitem & *Herimannum* Comitem inimicitiæ diu exortæ, & odium, quod erat inter *Eggibardum* & confratres, *Vdonis* filios senioris, ab Imperatore sedatum est. Ibi etiam promisit *Geroni* Archiepiscopo *Bernhardus* Marchio D. argenti talenta pro damni recompensatione illati. Optima quæque Imperator, ibi diu conversatus, fecit. Fit pax inter *Gevehardum* & *Willehelmum* Comites. Nuncii de Italia huc venientes gratulabundi ad sua redeunt. Iter Imperatoris ad occidentem dispositum, ob viæ asperitatem est dilatum. Imperator hoc, quod ex parte *Bolizlavi* rogatus, laudat, convenisse ad eum Principes suos & si quid boni vellet sibi exhibere, cum eorum consilio libenter acciperet. Mittuntur invicem nuncii, & induciæ ponuntur. Cæsar interim ad Merseburg veniens, certitudinem rei hujus expectabat. Ibi tunc multi latrones à gladiatoribus singulari certamine devicti, suspendio perierunt, & Archiepiscopi duo *Erkinbaldus* & *Gero*, & *Arnulphus* Antistes cum Comitibus *Sigefrido* & *Bernhardo* cæterisque Principibus juxta *Mildam* fluvium quatuordecim dies sedebant, *Bolizlavum* per internuncios suimet ad Albim venire rogantes ad

(y) conveniebat. (z) comitibus. (a) manu. (b) ire perrexit. (c) in hac unq: (d) Kal. Jan. MXVII. (e) aliter.

ad colloquium, à se diu desideratum, & tunc erat Scitiani & ut legationem audivit, *se ob timorem hostium suimet illo venire*, dixit, *nullatenus audere*. Et nuncii, *Quid si*, inquiunt, *seniores nostri ad nigram veniunt Elstram, quid facis?* & ille, *Nec pontem hunc*, infit, *præterire volo*. Talibus dictis reversi sunt, dominisque hæc omnia intimabant suis. Imperator autem purificationem sanctæ Dei genetricis nobiscum celebrat. Post hæc Episcopi & Comites ob contemptum *Bolizlavi*, se fallentis, tristes adveniebant & Imperatoris mentem apertis legationibus incendunt. Ibi tunc de futura expeditione tractatur, & fidelis quisque ad hanc præparari monetur, & ut ullus inter nos & publicum hostem deinceps mitteretur nuncius, vel susciperetur, firmiter ab Augusto prohibetur, & quis hoc hactenus agere præsumeret, diligenter inquiritur. Dehinc Imperator à nobis proficiscens ad *Magdeburg* venit, magno ibidem susceptus honore. Postera luce idem dominica die, quia septuagesima tunc instabat, carnem deposuit, & in secunda feria Archiepiscopus capellam septentrionalem benedixit, præsente Imperatore. In proxima autem die oritur commotio inter socios Archiantistitis & Bernhardi Marchionis, quæ sine periculo sedatur, & Episcopo honorificè finitur. Conveniunt ibidem fures jussu Imperatoris, & à congredientibus devicti, laqueo traduntur. Multa, salutem patriæ respicientia, ibidem finiuntur. [Interim Gunterus conversus causa prædicandi Luiticos adivit.] Sed ego cùm multa sæpe questus sim Imperatori de parte meimet parochiæ ab Ecclesia Misnensi injustè ablata, & scriptis restituta, cumque bona inde mihi profutura sperarem, aliter quam ratus sim, hoc evenire cognoscebam. Namque in Cathedra sancti Petri, quæ est IIX.Cal.Martii, cum sederet Imperator, & præsentes Episcopi adessent, *Gero*, *Meimwercus*, *Wigo* & *Ericus* & *Eilbardus*, surrexi, & lamentationem feci. Tunc Imperator & Archiantistes, à quibus sperabam auxilium jusserunt mihi, Deus scit invito, qui his resistere non præsumpsi, ut parochiam in orientali parte *Mildæ* fluminis jacentem, id est, in Burgwardis *Bichini* & *Wurcin Eilbardo* concederem, & quam ille in occidentali ripa tunc teneret, mihi, hoc nunquam desideranti, relinqueret. Id concambium baculis firmavimus mutuis. Testificor coram Deo & omnibus sanctis ejus, id quod residuum fuit tunc nullo modo dereliqui. Jussit quoque Imperator, ut villas tres, quæ sub prædicto erant Episcopo, *Herimannus* Marchio aut Misnensi Ecclesiæ sacramento retineret, aut mihi redderet. Eodem die Imperator & contectalis sua à *Gerone* Archiepiscopo magnis honoratur muneribus. Crastinoque inde pergentes, tertia die, id est dominica, ad *Halberstidi* perveniunt. Quos ibi *Arnulphus* Præsul magnifice suscepit, & duas noctes secum habuit. III feria ad *Quidilingeburg* profecti, ab *Ethelheida*, venerabili Abbatissa, non minori gloria (ee) ornantur. Quarta die monasterium in occidentali monte, ubi sponso cœlesti sanctimoniales monachico habitu serviunt, ab *Arnulpho* Antistite præsente Augusto dedicatum est. III.Cal.Martii, auxiliante eum ad hoc *Gerone* Archiepiscopo, cæterisque confratribus. Ibi tunc Imperator talentum auri dedit ad altare. Inde tunc percepta à nepte sua caritate magna ad *Goslariam* tendens *villam*, ibidem IV. sedebat hebdomadas. Hanc enim tunc multum excoluit. Et quia tunc quadragesima fuit, quæ Christo oportebant, & seculo in multis necessaria erant, operari studuit. Post hæc *Bertoldus*, Lutharii filius, cum suis fautoribus urbem *Munnam* Cal. Aprilis, conducto custode, diluculo intrans, *Baldricum*, *Wigmanni* Comitis inclytum satellitem cum consociis diu repugnantem, occidit, victorque (f) insedit. Pridie ego ad *Misni* præsidio veniebam. In hac hebdomada Principes nostri edicto Cæsaris ad *Gosleri* conveniunt. Ibi tunc avunculo meimet Sigefrido Comitatus fratris Henrici commendatur, & expeditio in nostris partibus ordinatur, cæteraque patriæ periclitantis proficua & admodum necessaria disputantur. Imperator inde progressus, hoc malum, quod prædixi, primitus comperiens, de futura perturbatione solicitus fuit. In illo vernali tempore, & in *Bernhardi* Marchionis potestate, nascitur ovis cum V. cruribus. [In mense Aprili VI. Idus ejusdem cum jam plenilunium esset, luna à multis visa est ut nova scil. cum est prima hora diei tertia diu rutilans.] Palmas Rex celebrat in *Magontia*, & in *Ingelheim* Pascha, & in his partibus magis honorificè ac potestativè nunquam fuit. Et quia ob tantam solennitatem maxima ibidem finiri non poterant, ad *Aquasgrani* ponitur conventus, & tunc illic cum consilio *Heriberti* Archipræsulis *Thiedricum* Metensem Episcopum & *Henricum* fratrem ejus placavit. Regina autem *Cunegundis* à *Francoforde* à Cæsare discedens, cum ad locum, qui *Capungun* dicitur, veniret, infirmatur, & ibi tunc domino promisit, se ad laudem ejus unum facturam monasterium. Sed quod inter hæc accidit, his annecti haud incongruum est. In urbe Parthenopolitana duæ consorores fuere, quarum prior *Alvured* & junior *Irmingert* dicebatur, ambæ admodum laudabilis vitæ, non cum cæteris sanctimonialibus conversando, sed singulariter in Ecclesia, quæ *rotunda* dicebatur, Christo ejusque dilectæ genetrici sedulum exhibebant (g) obsequium. Junior autem exteriorum lumen

(ee) honorantur. (f) in ea sedit. (g) officium.

lumen oculorum perdens, interiori acie æterno fruitur splendore, & non longè post ad patriam semper optatam VII. Id. Febr. transiit. Hujus senior germana nepti suæ innixa *Fritherunæ*, & crebro amissæ sororis, & assiduæ infirmitatis dolore deficiens, nil nisi XIV. hebdomadas, & tres dies supervixit. Hæc pridie quàm carnis debitum persolveret, in excessu mentis effecta in præsentiam sanctæ Dei genetricis delata est: Vbi *Tagmonem* & *Waltherum* Archiepiscopos, & *Eidum* Præsulem venerandum, magno lucentes honore, sibi indulgere promeruit. Cognovit quoque ibidem materteras *Geronis* Archiepiscopi, *Mirisuidam* ac *Emnildam* & *Eddilam* nomine quæ Abbatiam relinquens suam Christi amore, juxta monasterium doctoris gentium Pauli Romæ includitur, & aliam, quæ *Odel* dicebatur, omnes illud psalmographi canentes: Placebo domino in regione vivorum. Interim præsentibus cunctis hæc mortua videbatur. Tandem expergiscens, & oculos elevans, quod vidit omnibus innotuit: *Hactenus*, inquiens, *vobiscum libenter commorabar, nunc consideratis multo melioribus his, piget in hac lutea me amplius manere casa. Dicam vobis in veritate, quod cras vos relictura, locum mihi praeordinatum munere divino possidere debeo:* sicque factum est. Transiit autem anima in Christo fœlix, XI. Cal. Junii. Hoc verum esse, fratres in Christo, mihi credite, & has Ecclesiæ adjutrices nostræ admodum utiles esse pro certo scitote. In suas orationes sanctas me peccatorem hæ susceperunt, & nil unquam boni ex mea parte, proh dolor, receperunt. Imperator autem audiens contectalem suam levius habere, & votum fecisse domino, grates Christo persolvit ex animo, & Pentecosten in *Wirtbuni*, quam primò sanctus domini sacerdos *Luidigerus* suis construxit impensis, venerabiliter celebravit, Abbate *Heithenrico* sibi pleniter ibidem serviente. Postera die, id est 4. Id. Junii *Thieddegus*, Pragensis Antistes, ac martyris Christi successor *Ethelberti*, viam universæ carnis fideliter adiit. Hic in *nova* educatus *Corbeia*, medicinali arte optimè est instructus. Quem *Bolizlavus*, senior, ob inobedientiam Christi præconis, paralysi percussus, licentia *Thietmari* Abbatis vocavit, ejusque magisterio levius habere cœpit. Sed cum (h) *Wortegus* ex hujus mundi caligine, ut prædixi, subtraheretur, auxilio præfati Ducis sedem suam à tertio *Ottone* ad regendum suscepit, de qua post mortem *Bolizlavi* senioris ab æquivoco ejus & filio sæpe expulsus, toties à Marchione *Ekkihardo* reducitur, & magnas patitur injurias. Hic hospites, ut sanctus jubet *Gregorius*, non solum ad se invitavit, sed etiam traxit, hoc maximum habens vitium, quod ob morbum sibi nocentem bibebat supra modum. Paralyticus autem erat, & præ manuum tremore assiduo sine astantium auxilio presbyterorum Missam canere non potuit: sicque usque ad finem languescens, bonis, ut spero, animam curabat medicaminibus. Interea *Mararenses*, Bolizlavi milites, magnam Bavariorum catervam dolo circumvenientes, incautam occidunt, damnum sibi ab eis illatum prius ad partem haud exiguam ulciscentes. Cæsar verò ad orientem tendens, Imperatricem ad se in loco, qui *Pathebrunnum* dicitur, venire jubet. Inde ambo usque ad *Magdaburg* profecti, à *Gerone* Archiepiscopo honorificè suscepti sunt. In sequenti verò nocte, id est dominica, & Non. Julii tempestas ingruit horrida, homines cum pecoribus simul & ædificiis ac frugibus latè (i) consumens. Immensus quoque fragor sylvas concutiens, vias omnes nimis occupabat. Postera die Imperator cum conjuge & exercitu Albim transiens ad *Liesca*, curtem quondam *Vigonis* Episcopi, & tunc feris innumerabilibus inhabitatam, venit, duasque ibidem noctes in castris sedens tardantem turbam expectavit. Et post hæc regressa Imperatrice, cæterisque compluribus, ipse turmatim processit. Ipsa verò die *Henricus*, quondam Bavariorum Dux, à *Bolizlavo*, quò pacis firmandæ gratia perrexit, cum nunciis ejusdem rediit, quem Imperator audita referentem sua iterum legatione remisit, nilque ibi proficientem, ad dominam & sororem suam abire sinit. Interea in *monte sancti Johannis Baptistæ*, qui juxta *Parthenopolim* positus, eidem est cum appertinentibus universis subditus, res admodum miserabilis XII. Cal. August. & dominica nocte accidit. Horum in dormitorio confratrum lucerna quædam ardens major solito illuxit, & proxima occupans hoc ibidem quiescentibus, id sero intelligentibus, voraci flamma consumpsit: Et cùm tale periculum omnes evaderent, unum ex his causa sacerdotalem eripiendi apparatum subitò regressum, & in medio ignis peccata suimet confitentem, perdiderunt. Hujus nomen erat *Henricus*. Dehinc monasterium ab ejusdem loci Abbate *Sigefrido IIX*. annis optimè elaboratum, ardens præsentium posteaque advenientium corda turbavit. Insuper duas ejusdem capellas cum refectorio, cæterisque adhærentibus officinis, ignis latè flagrans absorbuit: de cujus avaris faucibus divina pietas & confluentium summa devotio, omnes sanctorum reliquias, & maximam thesauri partem, eripuit. Facto autem mane, urbis prædictæ habitatores, & qui idem præsidio ab Imperatore relicti fuerant, conveniunt: detrimentum tale nimio mœrore conquesti. Corporis autem perusti tenues favillas mane confratres summopere colligentes suis apposuere prædecessoribus, Abbatique

(h) Lampas ardens. (i) oppido nocens.

batique suo tunc absenti per nuncium suimet eventum miserabilem indixere: Qui ut hæc comperit, suis specialiter accidisse peccatis cognoscens quia emendare nequivit, honesta gravitate tulit. Dum hæc aguntur, *Misico*, *Bolizlavi* filius, Bojemiam, absentia *Othelrici* Ducis sui minus solito repugnantem, cum X. legionibus invadens, duos dies prædatur eandem, & cum innumerabili captivorum multitudine reversus, patrem gaudiis implevit immensis. Cæsar vero cum exercitu suo, & Bohemiorum atque Luticiorum comitatu obvia quæque devastans, V. Id. Aug. ad urbem *Gloguam*, ubi *Bolizlavus* cum suis eos præstolatur, solicitus venit, & provocantē inter sagittarios latitantes hostem nostros persequi prohibuit. Inde electas ab exercitu valido XII. legiones ad urbem, eo quod à nostris olim sic condita, *Nemetzi* dictam, præmisit, quæ habitatoribus his venturum præoccuparent auxilium. Quibus castra metatis, hostes adventare rumor indixit, & in nocte tenebrosa, ac in magna imbrium effusione, hos lædere nequaquam valentes, quosdam effugarunt, nonnullosque civitatem intrare inviti patiebantur. Posita autem est hæc in *pago Silensi*, vocabulo hoc à quodam monte nimis excelso & grandi olim sibi indito: & hic ob qualitatem suam & quantitatem, cum execranda gentilitas ibi veneraretur, ab incolis omnibus nimis honorabatur. Imperator autem post tres dies ad eandem cum exercitu valido veniens, castris eandem undique secus (k) circumdari jubet, sperans sic omnem hosti suo claudere accessum. Sapiens ejusdem consilium, & in omnibus bona voluntas multum ibi prodesset, si in efficiendis rebus auxiliantium sibi affectus hunc adjuvaret: Nunc autem per omnes custodias præsidium urbi in noctis silentio advenerat magnum. Tunc omnigenorum species instrumentorum a nostris parari jubentur, & mox parte contraria his admodum similia videntur. Nunquam audivi aliquos, qui meliori patientia ac prudentiori consilio se unquam defendere niterentur, ex parte gentili crucem sanctam erigebant, ejusdemque auxilio hos vinci sperabant. Si quid his prosperi accidit, nunquam exclamabant, nec adversitatem aliquo gemitu ingravescente aperiebant. Interim *Mararenses* Bohemiam ingressi, urbem quandam expugnant, & cum præda ingenti incolumes exibant. Quod cum Marchio *Henricus*, hos petere cum exercitu conatus, audiret, festinus insequitur, & occisis ex eorum numero plus quam mille viris, fugientibus cæteris captivitatem hanc omnem solutam domum remisit. Neque tacendum est, quod alii milites Bolizlavi urbem *Belegori* dictam, XVIII. Cal. Sept. aggressi, & bello eam impugnantes diutino, Deo gratia, nil proficiebant. Luiticorum autem magna multitudo, quæ domi (l) fuerant, quandam civitatem præfati Ducis petierunt. Ibi plus quam C. socios perdentes cum ingenti tristitia remeabant posteaque ejusdem bona multum vastabant. His quoque adiiciam mortiferum *Godefridi* Ducis & *Gerardi* Comitis congressum. Illi namque diu invicem discordes, certum condixere diem, qua cum suis fautoribus hæc certo duelli judicio discernerent. Mense Augusto ac VI. Cal. Septemb. in quadam prati florentis planicie condicta confligebant. Sed superbiam *Gerhardi* humilitas Christi molliens, ac socios ejus in fugam subito vertens, non minus ex his quam CCC. prostravit viros: ex quibus fuit unus *Waltheri pulvereo* nomine, eo quod in favillam sibi contraria redegisset, vocatus, habitu clericus sed re latro eximius. Hic centurio (m) loco cum suis clauditur uno, & tunc sauciatus jacuit in prælio, cui nunquam suffecit sanguinis effusio. Nam perhibent populi, hunc duntaxat cum læticia duxisse diem, quo hastam suimet humano cruore aspersam, & domus domini, quibus alii pepercere maligni, incensas ruere vidit. Hic *Burgundia* genitus, & a prædicto Comite quondam captus, non prius ab eo potuit absolvi, quam se eidem semper auxiliaturum, ac locô devoti militis ei serviturum, sacramentis sancivit. Ergo huc vocatus venit, sed ad perpetrandum soliti facinoris augmentum divina tardatus miseratione, non rediit. Capti sunt autem tunc ex parte senioris sui *Sigefridus*, ejusdem filius, nepos autem Imperatricis nostræ, cum *Baldrico* aliisque quam plurimis. Sauciatus est ibi *Cono*, cui jam illicite nupsit neptis sua, *Ernesti* Ducis vidua. Prædictus vero Dux nil nisi XXX. milites perdidit, & hos elegantes. Interea perfectis omnibus instrumentis, cum jam ibi tres sederet hebdomadas Cæsar, ad urbem pugnare jussit, & hæc omnia injecto à propugnaculis igne celeriter ardere vidit. Post hæc *Othelricus* cum suis urbem ascendere tentans, nil profecit. Tunc *Luitici* similia aggressi, deiiciuntur. Cæsar autem videns exercitum infirmitate depressum in urbe capienda in vanum laborare, iter suum nimis arduum ad *Bohemiam* direxit: Ibique ab ejusdem provinciæ (n) justo Duce *Othelrico* susceptus, decenti munere honoratur. Interim Marchio *Henricus*, amitæ meimet filius, longa ægrotatione vexatus XIV. Cal. Octob. Orientalium decus Francorum, obiit, & in septentrionali parte monasterii, in *Sveinfordi*, civitate sua positi, ab Episcopis tribus, *Henrico*, *Eberhardo* & venerabili *Riculpho*, extra Ecclesiam, ut ipse petiit, juxta januam sepultus est. Hoc Cæsar in *Misni* comperiens multum doluit. *Bolizlavus* vero in *VVor-*

(k) obsideri. (l) resederant. (m) lacu. (n) injusto.

Wortizlava civitate eventum rei ſolicitus expectans, cum Imperatorem abiſſe, urbemque ſuam incolumem ſtare audiret, lætatur, (o) militibuſque congaudet. (p) Pedites autem illius plusquam ſexcenti *Bohemiam* clanculum petentes, prædamque ſibi more ſolito inde ſperantes, quem hoſtibus laqueum extendere, paucis excedentibus incurrere. Sed *Luitici* redeuntes irati dedecus deæ ſuimet illatum, queruntur. Nam hæc in vexillis formata à quodam *Hermanni* Marchionis ſocio lapide uno trajecta eſt: & dum hoc miniſtri ejus Imperatori dolenter retuliſſent, ad emendationem XII. talenta perceperunt. Et cum juxta *Worzin* civitatem *Mildam* nimis effuſam tranſire voluiſſent, deam cum egregio L. militum comitatu alteram perdiderunt. Tam malo omine reſidui domum venientes, à ſervitio Cæſaris ſe malorum inſtinctu abalienare nituntur. Sed habito poſt communi ſuimet placito à prioribus ſuis convertuntur. Laborem iſtius itineris, & commune detrimentum, quis unquam valet explicare? Inexuperabilis Bohemiæ regionis introitus, ſed multo deterior ejuſdem fuit exitus. Facta eſt hæc expeditio ad perniciem hoſtis, ſed crimine noſtro multum læſit victoribus noſtris. Quod enim tunc in nobis non licuit inimicis, peractum eſt poſtea criminibus noſtris. Defleam quoque quod *Bolizlavi* ſatellites inter *Albim* & *Mildam* facinus perpetrabant. Namque hi juſſu ſenioris ſui velociter egreſſi XIII. Octob. plusquam mille mancipia in his partibus ſumpſerunt, plurimaque incendio latè conſumentes, proſpero itinere revertuntur. Imperator autem Cal. Octob. *Merſeburg* venit ibique *Ekkihardum*, novæ civitatis Abbatem, & huic XXIII. annos & V. menſes præſidentem, *Pragenſi* præfecit Eccleſiæ, eundem V. Non. Novemb. ab *Erkenbaldo* Archipræſule conſenſu meo conſecrari præcipiens. Ibi tunc *Bolizlavi* nuncius *Luidulphum* juvenem, diu captivum remitti promiſit, ſuoſque milites apud nos firma detentos cuſtodia, pro ejus deliberatione relaxari petiit: & ſi aliquem Imperatori nuncium de acquirenda ejuſdem gratia mittere licuiſſet, diligenter inquirit. Aſſiduo Principum ſuimet interventu Cæſar his omnibus aſſenſum præbuit, & tunc primo comperit, *Ruſſorum* regem, ut ſibi per internuncium promiſit ſuum, *Bolizlavum* petiiſſe, nilque ibi ad urbem poſſeſſam profeciſſe. Hujus regnum præfatus Dux poſtea cum exercitu invadens, generum ſuimet, & fratrem ejus, diu expulſum, inthronizavit, & hilaris rediit [Tria vero dorſalia & urceum argenteum Eccleſiæ noſtræ dedit.] Imperator à nobis exiens, inde ad *Alſtidi* venit, ibique omnium memoriam ſanctorum digna veneratione celebravit: & tunc in eodem die *Herdingus*, novæ civitatis ab Imperatore ibidem conſtitutus Abbas, à *Gerone* Archiepiſcopo conſecratur. Inſequenti dominica die, id eſt, tertio Non. Novemb. Cæſar quoddam prædium, *Rogalici* vocatum, quod tunc ab *Hatholdo* milite ſibi placito acquiſivit concambio, confratribus noſtris in Merſeburg Chriſto famulantibus, dedit, & locum quendam ab *Hagero*, prædicti ſenioris germano, X. talentis argenti comparatum, eorundem utilitatibus (p) accommodavit, præceptiſque ſuimet firmari præcepit. Tres quoque Eccleſias in *Lipzi* & in *Olſciuzi*, ac in *Guſua* poſitas mihi conceſſit. In hoc vernali tempore idem aureum altare ad decus Eccleſiæ fabricari juſſerat noſtræ, ad quod ego ex antiqui altaris noſtri ſumptu auri VI. libras dedi. Sed cum in prædicta civitate Cæſar V. hebdomadas & IV. dies ſederet, dilectum ſibi locum *Bavenberg* viſitat [in prima vero nocte quæ Cæſaris adventum ſubſequuta eſt ſibi Gunzelinus in cuſtodia diu tentus ſolvitur de pedibus conſtrictis divinam per majeſtatem leniter cadente integraque permanente.]: ibi tunc menſe Decembri *Henricum* etiam, quondam Bavariorum Ducem, & tunc IIX. annos, & pene tot menſes, ſua depoſitum culpa, priſtinis Imperator reſtituit honoribus die dominica: ſicut ei firmatum eſt prius à *Poppone* Trevirenſi Archiepiſcopo. Sed antequam hujus concluſionem anni faciam, quædam in hoc dicenda interſeram. *Thietmarus*, venerabilis ſanctæ Aſenbrunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſervus ſancti Mauricii in Magdaburg, & prius utilis *Maguntiæ* & *Aquisgrani* Præpoſitus, caligine quadam obfuſcante lumen hoc viſibile in priore perdidit anno, ac interiori oculo eo lucidius radiante fomitem totius lucis Chriſtum indefeſſo labore jam contemplatur. Hic, rege Henrico, ſucceſſit anteceſſori ſuo *Nonnoni*, qui *Othilulphus* dicebatur. Obierunt in hoc anno *Amalricus*, *Farmundus* & *Bezelinus*, & paucas ſedens hebdomadas *Altmannus*. Hic Monachus fuit ſancti Johannis in *Magdaburg*, indeque ab *Athelheida* Abbatiſſa, eo quod de ſua eſſet familia, *Arnulpho*, regis germano, & nunc Epiſcopo Ravennatis Eccleſiæ, ad ſervitium ab ea datus eſt: à quo poſtea conſecratus, à ſuis toxicata potione læſus eſt. In mea civitate & in oppido *Silivellun* dicto, miraculum quoddam accidit in ſecunda Decembris hebdomada. Fuit ibi quædam mulier, quæ cum virum ſuimet domi non haberet, ſuper ſe & ſuper filios hoſpitium obſerebat ſuum, & ecce ante gallicinium ſonitus ab ea immenſus auditur. Hæc talibus obſtupefacta, vicinos clamore continuo evocans, neceſſitatem ſuam indicat. Qui volentes eidem ſuccurrere, crebra jactatione repelluntur. Tandem januam frangentes, gladiiſque intrantes evaginatis, quid

(o) in domino (p) in ſecundis. (p) tradidit.

quid matrifamilias, vel ipsis, tantum rebellaverit, diligenter inquirunt: & quia monstrum erat, hostem non invenientes, egressi sunt tristes. Mulier autem prædicta diem expectans solicita crastinum, proximum accersivit presbyterum: Qui omnem hanc domum reliquiis sanctorum & aqua lustravit benedicta. In sequenti vero nocte parum de supra dicto terrore concutitur, & Deo gratias, crebra presbyteri visitatione liberatur. Tale aliquid ubicunque evenit, novum aliquid prætendit. Unusquisque fideliū non sibi timeat terrorem illum: se peccatorem ex corde cognoscat, & signo sanctæ crucis jugiter se muniens, omnem adversariam potestatem prorsus excludat. Hostis incautos quosque sic illudit, & in se aliquid credentes ad ultimū decipit. Ubi desolatio tunc est, aut facinus subsecuturum est, vel aliqua mutatio, talis rei præcedit indicio. Quia nobis adhærere domino, & spem nostram ponere in eo, bonum est. Præoccupemus sanctam faciem ejus assiduis precibus, ut sive aliquid nobis præsignetur, sive celetur, misericordissima pietate sua in nobis peccatoribus hoc compleatur. Non est admirandum, quod in his partibus tale ostendatur prodigium. Nam habitatores illi raro ad Ecclesiam venientes de suorum visitatione custodum nil curant: Domesticos colunt Deos, multumque sibi prodesse eosdem sperantes, his immolant. Audivi de quodam baculo, in cujus summitate manus erat, unum in se ferreum tenens circulum, quod à Pastore illius villa, in quo is fuerat, per omnes domos has singulariter ductus, in primo introitu à portitore suo sic salutaretur: *Vigila*, *Hennil*, *vigila*: sic enim rustica vocabatur lingua: & epulantes ibi delicate de ejusdem se tueri custodiæ stulti autumabant, ignorantes illud Davidicum: *simulacra gentium opera hominum* &c. *similes illis fiant facientes ea*, *& confidentes his*. Quia vero omne rarum est utique admirandum, ac persæpe ut portenta stupendum, ideo quandam rem, quæ in nostris evenit temporibus, explano. Serenissimo Rege *Henrico* dominante, ac *Wigberto* antecessore meo vigente, in villa quadam *Rochliz* dicta, quam à Matrona venerabili *Ida* nutu primi *Ottonis* nostræ traditam Ecclesiam, *Gero* præpositus in beneficium tenuit, sicut ab eo veraciter comperi, accidit in messe laboriosa, cum in una dierum operarii ejusdem jam lassi se voluissent reficere, panem primitus incisum sanguinem viderunt effundere, idque admirantes seniori suo, concivibusque ostendunt, &, ut reor, hoc prodigium futuri exitum belli, ac in eo multorum cruorem hominum præsignavit emanaturum. Alteram quoque rem, quamvis multo laudabiliorem, tamen mirabilem, memoriaque dignam describo. In arce Romulea, quæ omnium caput urbium, ob diversarum qualitatem causarum, in una Ecclesia, & in dextera parte altaris, ab uno pavimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus atque stupentibus, oleum emanavit. Hujus partem *Johannes*, Crescentii Filius, in ampulla quadam *Henrico* seniori suo, & tunc Regi nostro, transmisit, & quia oleum nunc pro misericordia ponitur, ut illud: *Oleum de capite tuo non deficiet:* nunc pro adulatione, ut hoc: *Oleum peccatoris non impinguat caput meum:* in hoc signo clementiam Rectoris nostri abundantem, & illius patricii lasciviam latentem perpendo. Namque is apostolicæ sedis destructor, muneribus suis & promissionibus phaleratis regem à Domino constitutum palam sæpe honorificavit, sed Imperatoriæ dignitatis fastigium hunc ascendere multum timuit, omnimodisque id prohibere clam tentavit. Quia sicut sanctus Gregorius asserit: *Terrena altitudo confunditur: cum celsitudo cœlestis aperitur.* Rex etenim noster, quamvis homo esset, Zelum Domini habuit; & sanctarum violentas prædationes Ecclesiarum fortis armatus vindicavit, hancque benignitatem nisi cœlitus sibi præstitam, non habuit iste terrenus, & natura & actibus voragine cœnulenta traxit in prædam, quod multorum devota manus ad aram Apostolorum pro peccatis (q) congessit in hostiam: qui cum non longe post obiret, duplici ultione, ut vereor, confunditur, & Domino Papæ securitas, regique nostro amplior potestas aperitur. Amplius progrediar disputando, regisque Russorum, *Vludomiri*, actionem iniquam prostringendo. Hic à Græcia ducens uxorem *Helenam* nomine, Tertio *Ottoni* desponsatam, sed ei fraudulenta calliditate subtractam, Christianitatis sanctæ fidem ejus hortatum suscepit, quam justis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immensus & crudelis, magnamque vim Danais (r) mollibus ingessit. Hic tres habens filios, uni eorum *Bolizlavi* Ducis, nostrique persecutoris, filiam in matrimonium duxit, cum qua missus est à Polonis *Reinbernus*, præsul salsæ Cholbergiensis. Ille in pago *Hassegun* dicto natus, liberalique scientia à prudentibus magistris (s) educatus, gradum Episcopalem ascendit, ut spero dignus. Quantum autem in cura sibi commissa laboraverit idem, non meæ sufficit scientiæ, nec etiam facundiæ. Fana idolorum destruens incendit, & mare dæmonibus (t) cultum, immissis quatuor lapidibus, sacro chrismate perunctis, & aqua (u) purgans benedicta, novam Domino omnipotenti propaginem in infructuosa arbore, id est, in populo nimis insulso, sanctæ prædicationis plantationem eduxit. Vigiliarum, & abstinentiæ & silentii assiduitate cor-

(q) concessit. (r) imbellibus. (s) edoctus. (t) sacratum. (u) spargens.

corpus suum affligens, cor ad speculum divinæ contemplationis infixit. Quem prædictus Rex audiens, filium suimet hortatu *Bolizlavi* tacito reluctaturum sibi, cepit cum eodem & uxore, & in singulari custodia claudit. In qua Pater venerabilis, quod in aperto fieri non potuit, in decreto studiose in divina laude peregit. Hic cum se lacrymis, assiduæque orationis ex corde contrito prolatæ hostia, summo sacerdoti reconciliaret, ex arto corporis carcere solutus, ad libertatem perennis gloriæ gaudens transiit. Præfati regis (w) nomine potestas pacis injustæ interpretatur: quia non illa, quam aut impii invicem tenent, vel habitatores hujus mundi possident, quæ semper nutat, pax vera dicitur, sed ille solus ea specialiter utitur, qui omnem animi suimet motum componens, Regnum Dei patientiæ vincentis angustia solatio promeretur. In cœlesti securitate sedens Episcopus ille, ridet viri minas injusti, & castitate gemina potitur, ac fornicatoris illius, ultrices flammas speculatur: quia nostro Doctore Paulo teste, *adulteros judicat Deus*. *Bolizlavus* autem hæc omnia comperiens, in quantum potuit vindicare non desistit. Post hæc Rex ille plenus dierum obiit, integritatem hæreditatis suæ duobus relinquens filiis, tertio adhuc in carcere posito: qui postea elapsus, conjuge ibidem relicta, ad socerum fugit. Rex prædictus habuit lumbare venereum, innatæ fragilitatis majus augmentum: Sed magister nostræ salutis Christus cum lumbos, luxuriæ nocentis abundantia refertos, præcingi juberet, nostros continentiam, & ne aliquid provocamur, innotuit. Et quia de lucerna ardente à prædicatoribus suis rex præfatus audivit, peccati maculam peracti assidua eleemosynarum largitate detersit. Scriptum est enim: *Facite eleemosynam, ac omnia sunt vobis munda*. Hic cum jam decrepitæ ætatis esset, regnumque diu haberet prædictum, obiit, sepultus in *Krovia*, civitate magna, & in Ecclesia Christi martyris, & Papæ clementis, juxta prædictam conjugem suam, sarcophagis eorundem, in medio templi palam stantibus. Cujus (x) potestas inter filios dividitur, Christique eloquium in omnibus affirmatur. Namque vereor id subsequi, quod vox veritatis pronunciat compleri, dicit enim: *Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur* &c. quam ut mutare in his partibus velit Dominus sententiam, omnis Christianitas oret. Quia nunc paululum declinavi, redeam, quæ in prædicto evenerint anno, superius indiscussa succincte aperiens. Curtis pars maxima (y) imperialis in *Palatbi*, & in Trajectensi civitate major Ecclesia cum omnibus *Etelbaldi* Præsulis mansionibus, ac cum *Ilburg Thiedrici* Comitis urbe, casu accidente, combusta. Imperator autem ab *Bavenberg* discedens ad *VVirziburg* primo, denique ad *Francofordi* venit, ibidemque nativitatem dominicam festivis peregit gaudiis. Sed ne hujus nominis autoritate lectorem amplius lateat, sicuti à credibilibus viris audivi, sic annunciare cupio tibi. Regnante *Carolo* Imperatore Magno, *Pipini* regis filio, bellum fuit inter suos, & prædecessores nostros, in quo certamine Franci à nostris devicti, cum flumen, Mœnus dictum, sine aliqua vadi certitudine palantes transire cogerentur, cervam præcedentem, & divina miseratione, quasi viam eis demonstrantem, subsequuti, optati littoris securitate potiuntur læti. Inde locus hic *Francorum* dictus *Vadum*. In illa expeditione prædictus Cæsar cum se jam ab hostibus superatum esse cognosceret, præcessit talia fatus: *Carius mihi, ut populi exprobrantes dicant, me hinc fugisse, quam hic cecidisse: quia dum vivo injuriæ pondus illatæ vindicaturum me spero*. Anno dominicæ incarnationis DCCC. prædictus Cæsar *Carolus* ad suæ virtutis & bonæ operationis deaurationem in una die IIX. Episcopatus in Saxonia, Christo subdita, dispositis singularibus parochiis, constituit [cujus filius Dominus *Ludovicus* electis probatissimis monachis de Gallia cum Venerabili Viro *Adelhardo* datis reliquiis S. Stephani protomartyris Corbejense cænobium ipsi construxit & dedicari fecit. Ipse vero Cæsar ad ipsum cænobium tradidit donationes abbatias scilicet *Eresburg*, *Meppiam* & multa prædia in aquilone. Villam quoque *Huxeri* cum omnibus terminis suis. Hujus quoque filius Ludovicus junior tradidit Abbatiam *Fisbeke* decimas quoque cum decimalibus Ecclesiis in Episcopatu Osnabruggensi & piscationem in Wesera, quæ dicitur *Hocwar*, quæ jam superius dicta sunt. In hoc cænobio primo monastica disciplina in Saxonia floruit, & postmodum pluribus in locis ejus patriæ, quorum omnium *Corbeja* non immerito caput & mater & quodammodo totius patriæ decus cum suo Vito habetur, qui ex quo hanc venit in patriam, ex eo Saxonia, in Teutonico Regno principatur, quia ejus precibus apud Deum & meritis in omnibus ut speramus adjuvatur] Quatuor naves *Venetorum* magnæ, diversisque pigmentis refertæ, (z) naufragium sunt in prædicto anno perpessæ, & ut prædixi, in occiduis partibus, raro antea quiescentibus, pacifica, domino gratias, manebant cuncta. Et *Ekkihardus* confrater meus, sancti Johannis Baptistæ Monachus in *Magdaburg*, paralytico depressus morbo, loquelam perdidit. In *Bavariorum* confinio atque *Mararensium* quidam peregrinus, nomine *Colomannus*, ab incolis, quia speculator esset, capitur, & ad professionem culpæ, quam non meruit, diris castigationibus compellitur. Ille cum

(w) Woldemeri. (x) regnum. (y) Regalis. (z) submersæ.

cum se nimis excusaret, pauperemque Christi se sic vagari affirmaret, [animo malo fixa non poterant divelli, nam eum innocentem in arbore suspenderunt, sed dominus malignis quid in eo egerint ostendit, caro enim ejus] in arbore diu arida, innocens suspensus est. Nam caro ejus à quodam postea paululum incisa sanguinem fudit, ungues ac capilli crescebant. Ipsa quoque arbor floruit, & hunc Christi Martyrem esse monstravit. Hæc Marchio *Henricus* ut comperit, corpus ejusdem in *Mezelecun* (a) sepelivit.

CHRONICI DITMARI EPISCOPI MERSEPURGII
LIB. OCTAVUS ET ULTIMUS
DE HENRICO IMP. II.

ANno dominicæ incarnationis millesimo XIIX, indictione II. Anno autem domini Henrici Imp. August. XVI. Imperii autem IV. Circumcisio Dominici & Theophania in prædicta civitate ab eodem venerabiliter (b) colebatur, posteaque jussu suo, & assidua *Bolizlavi* Ducis supplicatione, in quadam urbe *Budissin* dicta a *Gerone* & *Arnulpho* Episcopis, & a comitibus *Herimanno* atque *Thiedrico* & *Friderico* suimet camerario pax sacramentis firmata est III. Cal. Februarii, non ut decuit, sed sicut tunc fieri potuit, electisque obsidibus acceptis, præfati seniores (c) reversi sunt. Transactis autem quatuor diebus, *Oda*, *Ekkihardi* Marchionis filia, a Bolizlavo diu jam desiderata, & per Filium suimet *Ottonem* tunc vocata, *Zizam* venit: & quia tunc nox erat, multis luminaribus incensis, ab immensa utriusque sexus multitudine suscepta est, ac nupsit duci prædicto, post septuagesimam, absque canonica autoritate, quæ vivebat hactenus sine matronali consuetudine, admodum digna tanto fœdere. In hujus sponsi regno sunt multæ consuetudines variæ, & quamvis (d) diræ, tamen interdum sunt laudabiles. Populus enim suus more bovis est pascendus, & tardi ritu asini castigandus, & sine pœna gravi non potest cùm salute Principis tractari. Si quis in hoc alienis abuti uxoribus, vel fornicari præsumit, hanc vindictæ subsequentis pœnam protinus sentit. In pontem mercati is ductus per follem testiculi clavo affigitur, & novacula prope posita, his moriendi, sive de his absolvendi, dura electio sibi datur. Et quicunque post septuagesimam carnem manducasse invenitur, abscissis dentibus graviter punitur. Lex namque divina, in his regionibus noviter exorta, potestate tali melius quam jejunio, ab Episcopis instituto, corroboratur. Sunt etiam (e) ibi mores alii, his multo inferiores, qui nec Domino placent, nec indigenis, nil nisi ad terrorem prosunt, quos in superioribus ex quadam parte comprehendi, nec opus esse autumo, de *Boleslao* amplius disserere, cujus nomen & conversatio, si dominus omnipotens vellet, satius nobis lateret. Omne hoc quod pater suus & iste nobis in conjugio ac familiaritate magna copulati sunt, plus damni subsequentis, quam boni præcedentis, attulit, ac in futuro infert: quia etsi pace simulata nos ad tempus diligat, tamen per secretas tentationum varietates nos à charitate mutua, à libertate innata, deducere, etsi quando tempus ei ac locus contingit, in perniciem apertam assurgere non desistit. In tempore patris sui, cum is gentilis esset, unaquæque mulier post viri exequias sui igne cremati, decollata subsequitur, & si meretrix inveniebatur, in genitali suo turpi & miserabili pœna (f) circuncidebatur, idque, si sic dici licet (g) præputium in foribus suspenditur, ut intrantis oculus in hoc offendens, & futuris rebus eo magis solicitus esset & prudens. Lex dominica hujusmodi præcepit lapidari, & parentum nostrimet carnalium institutio tales hortatur decollari. Apud modernos autem, quia libertas peccandi plus justo atque solito ubique dominatur, plus quam compressa ancillarum multitudo, quædam pars matronarum, cupidine venerea pruritui noxio subscalpente, marito vivente nunc mœchatur, & in hoc eis non sufficit, sed hunc per adulterum morti, furtiva conspiratione, tradit, & posthæc, malum cæteris exemplum, eodem post publice sumto, proh dolor, potestative abutitur. Legalis earundem senior abominabilis repudiatur, & miles ejusdem ab his, ut (h) *Abo* dulcis & *Jason* mitis, præponitur. Hoc quia nunc pœna gravis non ulciscitur, (i) de die in diem pro consvetudine (k) nova ut vereor, à multis (l) excolitur. O vos sacerdotes domini viriliter assurgite, & hanc nuper exortam filicem, nulla re id impediente, sæpius acuto vomere radicitus extirpate. Vos quoque (m) laici nolite talibus (n) auxiliari: liceat Christo conjugatis innocenter vivere, erutisque (o) supplantatoribus his indeficienti pudore imperpetuum gemere. Destruat (p) illos adjutor noster Christus potenti Spiritus Sancti oris sui, nisi resipiscant, & dispergat magna illustratione secundi adventus sui. Et

(a) honorifice. (b) celebrabatur. Ibi *Ezelinus* Longobardus quadriennii custodia solvitur postea. (c) ab invicem. (d) duræ. (e) illi Duci. (f) præcidebatur. (g) hæc pars corporis. (h) Absolon. (i) dietim. (k) mala. (l) habetur. (m) religiosi, (n) fovere: (o) mæchis. (p) has pestes.

Et nunc de his ista dixisse mihi sufficiat: quia de præfati Ducis infortunio res quædam narranda restat. Habuit hic quandam urbem in confinio regni suimet & Ungariorum sitam, cujus erat custos *Procui* senior, avunculus regis Pannonici, à suis sedibus ab eodem antea expulsus. Qui cum uxorem suam à captivitate non posset absolvere, (q) gratuitu nepotis sui, quamvis inimici, suscepit eam ex munere. Nunquam audivi aliquem, qui tantum parceret victis, & ob hoc in civitate superius memorata sicut in cæteris sedulum, Deus eidem concessit victoriam, hujus pater erat *Dejux* nomine, admodum crudelis & multos ob subitum furorem suum occidens. Qui cum Christianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos, (r) sævum & antiquum facinus, Zelo domini exæstuans, abluit. Hic domino (s) omnipotenti, variisque Deorum (t) illusionibus immolans, cum ab Antistite suo ob hoc (u) accusaretur, divitem se & adhæc facienda satis potentem affirmavit. Uxor autem ejus *Beleknegini*, id est, *pulchra domina*, Slavonice dicta, supra modum bibebat, & in equo, more militis, iter agens, quendam virum iracundia nimio fervore occidit. (w) Manus hæc polluta fusum melius tangeret, & mentem vesanam patientia refrenaret. In illo tempore *Luitici* malo semper unanimes *Misizlavum* seniorem, sibi in priori anno ad expeditionem imperatoriam nil auxiliantem, turmatim petunt, plurimamque regni suimet partem devastantes, uxorem suam & nurum effugare, ac semetipsum intra *Zuarina* civitatis munitionem cum militibus electis colligere cogunt. Deindeque malesvasa suimet calliditate per indigenas, Christo seniorique proprio rebelles, à paterna hæreditate vix evadere hunc compellunt. Hinc abominabilis præsumtio fit mense Febr. qui à gentilibus lustratione, & muneris debiti exhibitione venerandus, ab infernali domino Plutone, qui Februus dicitur, hoc nomen accepit. Tunc omnes Ecclesiæ ad honorem & famulatum Christi in his partibus erectæ, incendiis & destructionibus aliis cecidere, [& quod maxime miserandum est, imago Christi crucifixi detruncatur cultusque] cultus idolorum domino præpositus erigitur, & mens populi istius, qui *Abotriti* & *Wari* vocantur, ut cor Pharaonis, ad hæc induratur: libertatem sibi more Luiticio nota fraude vendicabant, sed cervicem suam svavi jugo Christi excussam oneroso Diabolicæ dominationis ponderi sua sponte subdiderant, meliori prius patre ac nobiliori domino in omnibus usi. Hanc debilitatem suam membra Christi defleant, & hoc capiti conquerantur suo, assidua voce mentis hæc in melius mutari poscentes, & ex parte sua in quantum fieri possit, hæc perdurare non patientes. *Bernhardus* confrater Parthenopolitanus, & à potestate istius gentis tunc Episcopus, id ut primo comperit, non seculari suimet damni, sed potius spiritualis immenso dolore commotus, Imperatori nostro id nunciare non (x) desistit. Hac legatione audita Cæsar graviter suspirat, sed de talibus respondere ad Pascha differt, ut cum prudenti consilio hoc annulletur, quod infausta conspiratione conglutinatur. Hoc votum, & salutare (y) secretum Deus omnipotens secundet. Nullius fidelis cor ob hanc infelicitatem in aliquam desperationem veniat, vel diem judicii appropinquare dicat, qui secundum veridici admonitionem Pauli ante (z) dissensionem & antichristi execrabilem adventum non debet è talibus aliquis oriri sermo, nec inter Christicolas subita venire commotio, cum eorundem unanimitas esse debeat, in summis stabilitas. Nutet in quantum velit mortalis diversitas, & morum ejusdem multiformis inæqualitas. Omnis homo flos agri debet à matre Ecclesia prius renasci in innocentiam salvatoris Christi, & tunc timenda improvisa importunitas, cum ubique nunciatur pax firma & tranquillitas. Et propter hoc semper admonemur, ut simus soliciti ac pervigiles, cum non valemus esse certi de futuris, ac in nostra fragilitate durabiles. Nemo ultimæ diei adventum aut venire diffidat, aut celeriter contingere exoptet: quia timendus est justis, ac multo magis corrigibilibus cunctis. Jam declinam ab his, & loquar Imperatoris nostri prosperitatem nuper sibi exortam. Avunculus namque suus, Burgundionum Rex *Rudolphus*, coronam suimet & sceptrum cum uxore sua & privignis ac optimatibus universis sibi concessit, reiteraturque Sacramenti confirmatio, actumque est illud *Magontiæ*, & in prædicto mense prodigium fit in *Malazin* XIII. Cal. April. Mense autem eodem & 17. Cal. April. Magna fit in *Nuimagen* synodus, & nepos meus *Otto* & uxor ejus *Irmingerd*, consanguinitate proxima injuste diu conjuncti, ob inobedientiam continuæ vocationis excommunicati sunt: cooperatores vero eorum ab Episcopis vocantur ad satisfactionem. [Ibi etiam constitutum antiquo exemplari periculo, ut corpus Dominicum ad sinistram & calix ad dextram sacerdotis poneretur.] In illo tempore Mediolanensis Archiepiscopus obiit, & præpositus ejusdem Ecclesiæ *Hiribertus* successit. In *Anglia* triginta navium habitatores pirata, à Rege eorum *Svenni* regis filio, Deo gratias, occisi sunt, & qui prius cum patre hujus erat invasor, & assiduus (a) destructor provinciæ, nunc solus sedit defensor, ut in

(q) gratuito munere. (r) sævit. (s) vero. (t) vanitatibus inserviens. (u) argueretur. (w) Hæc incesta manus melius fila de fuso traheret, quam gladium è vagina educeret, &c. (x) distulit. (y) decretum. (z) discessionem Romani Imperii &c. (a) Vastator.

in Libycis Basiliscus arenis cultore vacuis. In hac quadragesima, & in Episcopatu meo quidam fratrem suum, proh dolor, occidit. Imperator autem in prædicto loco palmas & sanctum pascha celebravit: quia *Baldricum* de nece *Wigmanni* Comitis nil excusantem legitime cum suis conspiratoribus recalcitrare comperit. *Wolckmarus* Abbas Fulden- & *Larsemensis* obiit. In diebus illis sol ante suimet occasum nonnullis dimidius prodigiose apparuit. Interim dum fama velox aliquid novi ad scribendum deferat, mihi hominum vitam piorum, quam ego culpabilis & obliviosus nimis superius dicendam præterii, explanare nunc ardeo. In temporibus Regis *Henrici* fuit quædam solitaria, *Sisu* vocata, in loco *Trubizi* dicto, immensæ pietatis, ac pro hoc mihi ineffabilis. Quæ jam adulta cum à quodam desponsaretur, tempore maximi *Ottonis*, ad Christum, quem inprimis fidei speciale signaculum in corde præ omnibus infixit, concito (b) cursu properavit, ac in prædictæ secreto civitatis annos sexaginta quatuor cœlesti sponso se virginem castam conatur offerre, ac immaculatam se plus quam fragilitas humana permisit, custodire studuit. In tanto namque spacio nunquam foco durum frigus resolvebat aliquo, sed hoc maximum eidem erat temperamentum, quod lapide paululum calido pedes vel manus pene tunc deficientes refocillaret. Hæc assiduis orationibus, & intermixtis fletibus cellam suimet interius ornavit, exterius aut populo confluenti crebra institutione & necessaria consolatione multum profuit. [Vermes se iugiter comedentes non abjecit, sed cadentes reposuit more monachi Simeonis, qui in columna diu stabat.] Quicquid illa de oblatione populi continua suscepit, sibi subtrahens Christique pauperibus largiter impertiens, peccata offerentium redemit. Pia fuit hæc matri meæ, & memoriam sui firmiter promisit proli subsequuturæ. In (c) agone hujus titubantis seculi hæc contendens ab illicitis omnibus abstinuit, non pro recipienda corruptibili gloria, sed pro florigera cælestis bravii corona, quam XIII. Cal. Martii promeruit divinitus indui. In nocte illa qua Christo amabilis lampas stelliferum locata est in axem, dormivi peccator in dormitorio *Magdeburg*, & testis mihi sit Deus, quia non mentior. Vidi per somnium ante matutinam, quod duo pueri de antiquo, quod abhuc ibidem stabat, ærario procederent cantantes antiphonam hanc: *Martinus Abrahæ sinu lætus recipitur*, &c. [Infantes geminam ejus innocentiam & primum pronunciabant, scilicet pietatem in paupertate spiritus & humilitatem cordis & quam promeruit armoniam cælestem] Et hoc tunc fratribus nunciavi meis, pro certo, inquiens, scitote, quod anima Domino cara de hac luce est nunc separata. Post dies VI. intimatum est nobis, quod sicut visum est mihi, vere domini famula transiret (d) è carcere carnis. Confratris mei memoriam *Bernarii* modo aggrediar, qui familiaritate sua, mihi exhibita, apud me caritatem bonam, & si aliquatenus ei profuisset, mentionem promeruisset sedulam. Hic carnis propinquitate consanguineus, & quod nunc est maximum, amicitia fuit mihi conjunctus. Tertio Ottoni valde charus fuit, quia sibi & amitæ ejus venerabili *Mathildi* fideliter Abbas serviebat: quicquid in *Salbezi* villa in beneficium habuit, in prædium ab his acquisivit. Athelberto Archiantistiti, suisque successoribus usque in dominum Geronem servivit. Et apud eosdem dignam retributionem suscepit. Tandem infirmitate gravatur & Deo omnipotenti, quem semper præ omnibus amavit, conjungitur. In cujus amore, & venerando honore, Ecclesiam in acquisita proprietate prædicta construxit, & hanc ad benedicendam me indignum vocavit. Ante cujus consecrationem (e) volumen longum, facinoribus suis inscriptum, ac prius cæteris confessoribus suis ostensum mihi aperuit, & coram me gemens legit, & a me supplex indulgentiam (f) postulavit. Hanc (g) epistolam sumpsi, & absolutionem commissi divina potestate huic feci, cumque eodem die id est XVI. Cal. April. quia tunc erat annua dies sui patris, prædictam consecrarem Ecclesiam, supra pyxidem reliquiis sanctorum refertam, prænominatum posui (h) breviarium, ut eorum assiduo interventu, vera flebiliter confitenti remissio fieret, & diu optata abolitio. Hoc nunquam vidi aliquem fecisse, aut audivi, sed quia infirmitatem meam huic nil prodesse timui, ad sanctos intercessores confugi. Posthæc vixit pater venerabilis tredecim hebdomadas XVI. Cal. Junii exoptans resolvi. Insuper pii Abbatis *Alfkeri* quandam actionem egregiam in exemplum imitabile profero. Hic præter cæteras virtutes suas hoc in usu habuit, quod nomen suum super altare quodlibet scripsit, & dum ipse missam caneret, in tantum flevit, ut maxima corporalis pars humectaretur, nil hæsitans, quod sic scriptum est: *lacrymæ pro peccatis corde tenus effusæ, divinam non modo poscunt veniam, sed etiam impetrant*: & ut eo liberius cœleste (i) suffugium implorare sibi voluisset, cunctis debitoribus suis misericors fuit. Heu mihi indigno sacerdoti, qui prædictos fratres in nullo unquam assequutus fui: bonorum exempla multorum legi ac persæpe vidi, sed menti meæ hæc non apposui: tentationibus (k) vanis, quibus resistere debui, voluntarie, ac non fortiter reluctando, succubui: quibus prodesse debui, proh dolor, plus nocui,

(b) gradu. (c) agonia. (d) ex ergastulo carnis. (e) paginam longam. (f) petiit. (g) paginam. (h) paginam. (i) suffragium. (k) variis.

nocui, & ut optimi arcanum thesauri crimen meum semper celavi. Non est opus, lector, vel mihi care successor, ut varii favore vulgi de mea proficuitate credas, sed assiduo oraminis ac eleemosynarum medicamine mihi diu fœtenti succurrens, de faucibus voracis lupi me dilaniatum eripias. Ego conscius mihi multo credibiliora tibi quam alius indico. Sunt namque nonnulli, quos leniter injuste tractavi. Cumque hi pro meritis à te corripiuntur, quid mirum, si ex mea parte aliquid fraudulenter sonant. Sis inter detractores meos ac laudatores varios medius, & apud dominum suffragator assiduus. Scio quod sicut mos communis est, multum tibi ex me displicet, quod ut in melius vertatur, Deo & hominibus placet. Quicquid in (l) permisso contraxi vel feci tempore, scriptis affirmavi. Nec sis magni honoris tui elatior, cum sis in imposito pondere eo gravior. Rem commissi gregis cautus operator inspicias, & ut divina secularibus à te præponantur, (m) multum studeas. Quæ confratribus dedi meis spiritualibus, in quantum possis, auge, ac sub Christi testimonio rogatus nil minue. Hi sunt cooperatores sacri ordinis tui & futuræ adjutores spei. De laicis huc atque illuc titubare, ac transferri valentibus, pro possibilitate tua rogo in tantum sis solicitus, ut non disperdatur clerus. Si diligenter tua custodis, Deum hominesque pios fautores habebis: sin autem, & subditos tibi perdis, & contrarietatem in hoc præsentem ac futuram contrahis. Audi me Magistrum, nimis indisciplinatum, & absque utili exemplo antecessorem tuum: libenter sustineas paupertatem (n) vitæ, ut grex tuus dives fiat (o) per te: sic fecit Christus nobis (p) ut ita faceremus ovibus suis. Noli erubescere de hac coram populo, ut fiducialiter stare possis coram Deo. Satis ingenuus (q) erga hunc mundum fui: sed sæpe propter meos, his, quibus ignotus eram, despectus apparui. Si quis nititur exaltari supra se, turpi casu, ac sero dolenti, cadit infra se. Divites tuos cum honore, pauperes autem cum gratia tracta, & bona charitate. Antiquum enim affirmat proverbium, quod hæc cum magna semper incedant multitudine. Tuam pauperem familiam a summo pastore tibi commissam, & à me vix congregatam custodi, & iniquis susurronibus, de hac male persuadentibus, piam non accommodes aurem. Tua res est parva, & vice majorum nequaquam tractanda, ac multo satius est paulatim crescendo de die in diem ascendere, quam cum damno multorum te ad ultimum deficere. Tempora hæc prioribus (r) cunctis inferiora plus demunt, quam alicui addunt. Culpa gravi & paupertate (s) dira innatus honor & datus vilescit. Non rogo te, ut sis parcus, quia dedecus est: sed hoc ingemino, ne nimium largus: quia hoc nec consilium est, nec bene convenit. (t) Cures etiam de peregrini anima *Godiberti*, multum nostræ utilis Ecclesiæ, & de cæteris quam pluribus. Habes satis de libris, quos hic ab antecessoribus nostris cellectos inveni, & insuper (u) quos contraxi. In his magisterium salubre reperies, ac hos exaudi, & tunc potes salvari. Sanctorum reliquias, & munda eorundem receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis, tam in prædiis, quam in mancipiis, ego acquisivi, & ne te forsitan laterent, *martyrologio* inscripsi *meo*. Oportet autem tuam scire pietatem, regis nostri & Imperatoris Henrici multiformem benevolentiam, Ecclesiæ exhibitam nostræ, de qua partem quandam superius comprehendi, majorem vero quia indiscussam reliqui, nunc scribere tibi optimum duxi. Vide ut in assidua recordatione tui sit renovator, & indeficiens auxiliator nostri, ut temporibus illis, in quibus deest hæc spes miseris & Ecclesiæ Merseburgensi. Nunc est maxime orandum, cui tunc erat maxime plorandum. Hæc etenim quæ sequuntur ab eo percepit, & eo vivente multo his majori gratuita augmentatione gaudebit. Jam enim disposuit in alta mente sua, qualiter eam sublimet dote varia. De antecedente nunc dico, & perfectionem subsequuturam omnipotenti Deo, cui cuncta sunt præsentia, supplex committo. Et quia tempus non est, singulariter enarrare, quæ præceptis ejusdem confirmata poteris videre: hæc sola assigno, quæ auctoritate carentia imposterum forsitan peritura timeo: *sanctæ victoriosissimæ crucis partem cum cæteris sanctorum reliquiis, & altare aureum, gemmis honorifice distinctum, &* (w) *pyxidem auream, lapidibus praciosis ornatam, collectariumq; cum impensis propriis, & etiam nostris decoratum cum duobus thuribulis ac argenteo bicareo larga manu Cæsar nostræ dedit Ecclesiæ,* quod à nobis non modo est observatum, verum etiam augmentandum. Sed quia de melliflua ejusdem pietate satis dicere nequaquam sufficio, de sua conversatione, sicut proposui, ordinatim explicare studiosus anhelo.

Iste annus, quo hunc attitulavi librum nativitatis meæ quadragesimus, vel paulo amplius, in mense vero Aprili, & V. Cal. Maii, decimus ordinationis meæ introivit annus [prid: Kal: ipsius in suburbio *Gnezivi* (Gnezni) Archiepiscopi illius Ecclesia cum ædificiis cæteris exusta est] & quia humana res omnis semper in dubio est, libet evomere antidotum illud periculo-

(l) concesso. (m) ubique satage. (n) in te. (o) ex te. (p) pastoribus. (q) secundum seculum. (r) multo inferiora. (s) dura. (t) Sit quoque commendata. (u) plures adauxi. (w) capsellam.

culosum quod miser dudum absorbui, & nimis mihi hactenus id nocere persensi. In quadam curte mea *Heslinge* vocata, nocte una cum requiescerem, per somnum vidi turbam astare magnam: tunc de apposita mihi testa aliquid manducare cogentem : Et ego hos persentiens esse inimicos, primitus contempsi, ad ultimum vero in nomine Dei patris me istud (x) praecipere, respondi. Quod cum eis multum displiceret, & haec invisa congregatio id aliter fieri non posse videret, quasi gemens laudabat, quia me prorsus perdere conveniebat: & nisi tunc dominicum nomen invocarem, sine perpetua salute manerem. Ex hac perceptione, ut mihi visum est, omnigenarum specie herbarum (y) pessimarum varietates congregationum sumpsi, quae etsi me in divinis laudibus maxime turbant, tamen auxilio divino, quod his praeposui, ad opus infaustum raro aut nunquam me perduxerunt. Sufficit autem iniquae eorum voluntati, quòd aliquam putant in me portionem habere. Sic enim alio tempore iterum me signatum eminus hi (z) nullantes: *Custodisti te*, inquiunt, *bene*, & ego, *me ita sperare*, respondi, & (a) subsequuntur, *sed non sic erit in fine*. Illorum nec minas timeo, nec blanditiis credo, quia haec cum auctoribus suis, [vana sunt. Peccati mei quantitatem admodum vereor] vanitas est. Veraciter id scio, quod talis phantasia, quamvis corporaliter appareat, per se hominibus non noceat, sed cum peccando faciem divinam à nobis avertimus, illorum vesanas manus nemini parcentes miseri incidimus, & ab his protinus absolvimur, cum aut ipsi convertimur, vel ab electis Dei visitatione crebra (b) fovemur. Si quis verò compos sui meditatur in lege Dei, non hic à talibus (c) appetitur, sed potius timetur, non à se, sed ex ejus, quem is diligit, sancta potestate: quia custos est Deus omnium semet ex toto corde semper amantium. Ego peccator, & fragilitatis meae per omnia conscius, quia summis consolationibus non innitor, quid mirum si ab infimis quatior. Et haec idcirco duxi, ut tu lector mortalitate ac innata humanitate consimilis, in hoc consensu me graviter peccasse scias & adminiculis (d) indeficientibus succurras. Heu mihi misero qui in hoc seculo multos spiritualiter adjuvare debui, nec his prosum, nec me tueri possum. Unde autem praedicta tentatio mihi evenerit, fidelibus tuis auribus infundo. Multis hominibus à praedictorum vexatione hostium laborantibus, subvenire studui, & propter hoc ad insidiandum mihi eosdem accendi vehementer, quamvis in malum proni sint semper. Spero autem in Deum omnipotentem, ut non ad consumendum me his tradat, sed post purgationem diram clementer eripiat. Mense praedicto & XVIII. Cal. Maji *Gero* Archiepiscopus, & *Bernhardus* Marchio in *Wanclava* reconciliati sunt : & *Luitherdus* pater obiit. *Godofridus* quoque Dux & *Gerhardus* Comes imperatoria potestate pacificati sunt. *Berthold* autem *Munnae* civitatis invasor imperatoriae potestati sponte sua cum suis fautoribus traditur, & eadem multorum poena protinus concrematur. Et faciat dominus Rex pacificus, ut nunquam haec amplius (e) elevetur. Quàm bene esset, ut habitatores regni illius semper unanimes in malo ad expletionem ejus non haberent munimentum in aliquo: nunc autem sunt proh dolor, horum situs locorum, ut exposcunt mentes indigenarum. Imperator verò post longam inhabitationem à *Neumagen* discedens, solennes Rogationum dies in *Aquisgrani* studiosè celebrat: quibus transactis, *Lampertus*, sanctae Constantiensis Ecclesiae Episcopus XVII. Cal. Junii obiit. Hoc Caesar, cum Pentecosten in *Ingelheim* summopere peregisset, comperiens, *Rotherdum*, suimet Capellanum, praefatae sedi praefecit: quibus expletis, fit magna in *Bergilun* Principum confluenria, ut ibi corrigeretur per judicia, quod (f) divitiatum est populi istius negligentia, & temeritate magna. Posthaec *Otto*, Comes praedictus, in praesentiam Imperatoris & *Erkanbaldi* Archipraesulis supplex veniens, injustam uxorem suam tribus Sacramentis amisit. *Baldericus* reconciliatur, & promissio divina obliviscitur. Et transactis diebus paucis, *Henricus*, qui Marcham inter Ungarios & Bavarios positam tenuit, VIII. Cal. fortis armatus obiit. Interea Caesar ad *Basulensem* veniens civitatem, exercitu collecto in *Burgundiam* properat. Imperatrix autem ad dilectam sibi *Capungam* veniens, monachicam ibi vitam ordinavit, indeque per orientalem *Franciam* profecta, *Bavariam* petiit, fratremque suum, Ducem *Henricum*, Ratisponae inthronizavit. Mense Junio inaequalitas aëris hominibus multis, eorumque utilitatibus diversis admodum nocuit. Eadem tempestate Ecclesia mihi indigno commissa, multum, mea id exigente culpa, sustinuit damnum. Namque misericors & patiens Deus noluit amplius inultum relinqui, quod crebra sui castigatione nequivit prohiberi, (g) percutiens eam in mansuetudine & non in furoris sui digna retributione: ministros utiles sibi haec perdidit, & facinus meum quotidie (h) ingemiscit. In praedicto iterum mense de-

(x) percipere velle respondi. (y) varia. (z) vallantes. (a) illi qui ajunt. (b) erudimur. (c) fatigatur. (d) quibus potes. (e) aedificetur. (f) diu vitiatum est. (g) arguens. (h) sentit.

se dedecus magnum eidem ac mihi illatum est ab Hybrida *Athelberto*, qui curtem meam invadere, eamque frangere, servili collectione præsumpsit. Quid vero hos ad hæc agenda inflammaverit, veraciter explicabo. *Secundi Ottonis* larga benignitas, cunctis pleniter arridens quendam forestum inter *Salam* & *Mildam* fluvios, & *Siusili* ac *Plisni* pagos jacentem, nostræ concessit Ecclesiæ, temporibus *Gisileri* Antistitis & *Guntheri* Marchionis. Post lugubrem verò nostræ sedis destructionem, regnante tunc *tertio Ottone*, *Ekkihardus* Marchio forestum ad locum *Sumeringi* dictum acquisivit, & cum eodem nostrum commutavit. Renovator autem nostræ tunc dignitatis Rex *Henricus* cum maxima parte appertinentium, præsentibus cunctis optimatibus suis, & confratribus his *Herimanno* & *Ekkihardo*, id defendere non valentibus, judiciaria lege hunc restituit. Cumque hic in nostræ dominio Ecclesiæ plus quàm duodecim annos staret, & hunc *Herimannus* Comes LX. mansis redimere ex mea potestate nullatenus valuisset, visum ei, ut eum sibi & confratri super duorum proprietatem Burgwardorum (i) *Rochlitz*, ac Imperatoris (k) vindicarent præceptis, sperans, antiquiorem nostram confirmationem diu esse abolitam. Quod cum mihi is aperiret, id nil proficere sensit. Namque in *Magdaburg* & in præsentia Imperatoris nostri, præcepta utriusque ostenduntur, & munera nostrimet in omnibus priora esse convincuntur. Tandem prædictus Comes præsente suimet fratre, ac id audiente, hæc fatur: *quicquid hactenus in his fecimus, non ob temeritatem aliquam, sed quam habuisse speravimus justitiam: nunc autem id omittamus*. Non longè post *Ekkihardus* juvenis, ac ideo immaturus, in *Burgwardo* suimet *Rochelizi* dicto arduas munitiones ad capiendas ibidem feras instinctu *Bolizlavi* militis sui parat. Hoc ego postea comperiens, patienter tuli, & ne sic agere vellet, per internuncium (l) meimet postulavi. *Herimanno* quoque fratri suo hæc cito questus, nil in his omnibus profeci, sicque stetit usque post Pascha. Et quia tunc aëris serenitas, & viæ opportunitas conveniebant, & in has Episcopatus mei partes nunquam veni placuit mihi illuc pergere, hactenusque ignota diligenter inquirere. Mense Majo VI.Non. ejusdem, ac VI. feria ad *Thorun* veni, ibidemque populum confluentem confirmavi. Dehinc cum in ipso itinere prædictum opus laqueis & retibus magnis firmatum viderem, obstupui, ac quid inde facerem, cogitavi. Tandem quia hæc instrumenta nullatenus mecum vehere potui, ex his (m) partem incidi protinus jussi, rectoque itinere ad *Rochelitz* tendens, paucos illic confirmavi, & decimationem injuste mihi abstractam, & forestum banno omnibus interdicens, hæc nostræ assignavi Ecclesiæ, facta pace. Tunc redii ad curtem supra memoratam, ibidemque VII. dies cum manerem, audivi, quod milites *Ekkihardi* meis minarentur sociis. Ibi tunc Cancellarius pernoctavit mecum, & à me hæc comperiens, bene respondit. Postea congregationes multæ, mihi ad nocendum, à prædictis satellitibus factæ, à nostris custodibus ad tempus bonum præoccupatæ sunt. Interim nuncium meimet ad Imperatorem *Magontiam* misi, pacemque ejus supplex petii: quam cum *Ekkihardus* ex sua parte promitteret, & frater suus diu à me desideratus à *Polenia* veniens dextera manu sua pacifica promitteret, uterque hanc non bene servavit. Namque homines sex flagellati, ac depilati, cum ædificiis turpiter mutilatis, approbant, qualiter tanti seniores ab aliis præcaveri debeant. Satellites eorum more solito in me non modo exarsere, verum etiam aliis (n) melioribus nocuere. Archiepiscopum enim *Geronem* in *Wirbini*, & *Sifridum* Comitem in *Nefici* petierunt, & in quantum eis placuit, abstulerunt. Superbia servorum instigat furorem satellitum, & quia his (o) sufficit, æquales sibi alios in his partibus esse non permittit. Si aliquis vicinus non sponte sua erga eos ex improviso delinquit, non est eis emendatio condigna acceptabilis, & post recompensatio invincibilis. Et per hoc flagellum vicini graviter concutiuntur, ut non contra se alii, sive rectum habeant sive non, nequaquam eleventur. Episcopatus in his partibus constituti ab eorum potentia sunt nimium depressi, & nos eorum procuratores, si contra dominum & justitiam ejus voluntati eorum in cunctis satis facimus, honorem & aliquam utilitatem habemus; sin autem, contemnimur, & sic ut nobis nullus aut regnet aut imperet Dominus, deprædamur. Novus cornupeta antiquam legem bonamque consuetudinem hactenus florentem jam dirumpit, seque cæteris elatiorem esse valenter ostendit, qui cœlitus ni citò deprimitur, nimis insolentia intolerabilis solidatur. Davidicam is ignorat sententiam, eundem sic dulciter admonentem: *Nolite extollere in altum cornu vestrum &c.* Orat pro talibus idem Psalmista sanctus: *Auferes spiritum eorum Domine, & deficient, & in pulverem suum revertentur, & emittes spiritum tuum, & creabuntur*, & reliqua. Multum indiget memoriæ, qui nullatenus cognoscit, se cum is qui se jugiter considerat, sine famine bono nil valeat. Ergo peccatores quique resipiscant, & ut se custodiant, pauperibus misereantur, summoperè studeant. Ego in flagitiis miser, & in facul-

(i) Rochlinze & Titibutzie Imperat. (k) vendicarent. (l) meum, fratrem ejus post. (m) plurima. (n) me melior. (o) non sufficit.

facultatibus pauper, quamvis in utroque ejusdem ordinis viros præcellam cunctos, tamen contumeliam superius memoratam non solus patior: (p) sino illos, de Coëpiscopis in diversa hujus mundi parte constitutis, ineffabileque detrimentum perpessis, nil ad hæc exemplaria ingemisco, quia absque omni honore, sola benedictione excepta, eos esse graviter ingemisco, & de his duntaxat disputare mihi nunc tempus est, qui apud modernos à concivibus suis similem, vel, proh dolor deteriorem subiere (q) vindictam. *Bernhardus* sanctæ Hillinessemensis Ecclesiæ venerabilis Pastor in tantum à *Brunone* est exosus Comite, ut militem suum *Simri* nomine videret crine & tergo depravatum, postque eundem secum (r) iterantem ab *Altmanno* juvene interfectum jacere. *Svitgerus* autem almæ Mirmingerdensis Ecclesiæ Antistes egregius, in sua curte à quodam tyrone ingenuo appetitur, & villici suimet cruore coram se occisi maculatur. Quid tales personæ unquam promeruere? hi patres ambo pii fuerunt, & tamen dedecus hoc immeriti pertulerunt. Sed quia in superioribus de *Svitigero* Præsule nil sum, id peste lethargica impediente, loquutus, nunc hoc emendare congruum est. Hic *Saxonia* genitus, & in *Halberstidi* ac in *Magdaburg* à puero educatus, à *tertio Ottone* civitati prædictæ præpositus est, quam cum omni diligentia rexisset, divino munere fultus, (s) polluit in diversis virtutibus. E quibus duas tantum res profero, quas testimoniis veracibus approbare valeo. Camerarius suimet cum pileum quendam furtive subtractum celare voluisset, diligenterque à pio seniore rogatus, nil profiteretur, cultellum super mensa positum, & ex animo benedictum, sumere conatus, quasi ignitum celeriter projecit, reumque se nimis esse coram profitetur. Alio tempore quidam maligno arreptus spiritu, vi magna captus est, & in præsentia prædicti patris adducitur. Quem solvi protinus jubens, baculoque solum, se acriter irrumpentem, viriliter amovens, facto sanctæ crucis signo divina potestate (t) securum exire fecit. Talis vir hæc non sibi, sed illi, qui per eum tantum operatus est ascribens, vixit in Christo: dies huic vitæ concessos ministrans illi fidelis servus omni studio. Sedebat ille XVI. annos, magna semper, quæ virtutem omnigenam perficit, infirmitate gravatus, & tunc obiit, in quo deguit XIII. Cal. Decembr. *Henrico* Imperatore nostro tunc regnante X. annos. Hujus successor *Thiedricus*, materteræ meimet filius, magnum dedecus ab *Henrico*, *Herimanni* Comitis filio, ut prædixi, perpessus est. Sed in hoc anno eadem commotio ad tempus sedata, elevatur. *Heribertus* Coloniensis Archiepiscopus à prædicto Comite multa diu sustinuit incommoda, nec mirum, cum is matrem suam diutina teneret custodia. Insuper *Meinwercus* Præsul à *Thietmaro* nepote meo, *Bernhardi* Ducis fratre, dispoliatus est. Sed cur totum hoc explico? Cum in nullo horum nec exemplar bonum, nec levamen meum ullatenus agnosco? satius est mihi inceptis insistere meis, & dum hoc tracto, illam beati Johannis visionem in mente habeo: *Primum va abiit, & ecce duo* (u) *posthæc*. Nimis enim miserabile, quod in superioribus sæpe locis revolvi. Sed in temporibus nostri Rectoris ac invicti defensoris *Henrici*, nil unquam tale accidit, quale modo detrimentum è nostro facinore emersit. Namque in Julio Mense ac III. Cal. August. & in III. feria Mars sævit in viscera, quod in (w) perpetuum plangit mater Ecclesia. Petiit enim *Athelboldus*, Trajectensis Episcopus, cum *Godafrido* Duce auxilioque suimet sociorum atque amicorum, Imperatricis nostræ nepotem *Thiedricum*, se prius in occisis militibus suis multum nocentem & in insula quadam fit conventus collecti exercitus. Hic velociter ad pugnam præparatus, mortem quam hosti minatur, proh dolor, patitur. Namque à *Fresonibus* ex insidiis undique erumpentibus, & à prædicti juvenis satellitibus ex improviso is circumventus, dictu terribile, gladio & aqua, sine resistentium damno, vitam hanc finit, Episcopus autem in navicula quadam vix fugit, ac Dux ab hoste salvatus est, &, ut veraces affirmant, plus quam tres legiones interfectorum sunt. Omnis hæc regio defensore forti carens (x) piratas advenientes timet, quotidie mœrens, *Godefridus* comes occiditur, *Johannes* autem optimus miles (y) jacet, quem semper patria deflet. Horum consocii nobiles & inclyti, hactenusque pugnantes dextra victrici, nunc pausant sorte infelici. Luit corpus eorum, quod promeruit macula nostrorum. Sed ut spero, gaudebit eorum anima tamen gravi exacerbatione (z) purgatione. Sed ne stupeas lector talem casum, etiam perpendas (a) ortum. *Thiedricus* illic infaustus prædicti Antistitis satelles fuit. Hic in quadam silva *Mirrida* vocata, magnum habuit prædium, quod sibi ex ejusdem parte injustè ablatum esse, cuncti conprovinciales Cæsari in *Neumagun* queruntur. Unde cum consilio optimorum Imperator Episcopo Trajectensi hæc loca præcepit incendi, & (b) conclamantibus reddi: cumque seniorem suum juvenis (c) nefandus à mandatis talibus compescere nequivisset,

(p) sine illis. (q) passionem. (r) itinerantem. (s) pollebat diversis virtutibus. (t) hostem. (u) væ. (w) ævum. (x) piratis rapina est. (y) sternitur. (z) purgata. (a) initium. (b) conquerentibus. (c) infaustus.

visset, licentiam abeundi petiit, & se id prohibiturum esse, (d) promisit. Nec mora, factum est, quod dixi, plus causa nostri facinoris, quam pro merito Victoris. Hanc ineffabilem, ac nimis invincibilem ærumnam, avium, undique secus huc congregatarum, & semetipsas invicem ungulis interficientium, multitudo longè præsignavit, eundemque locum, quo isti postea oppetiere, præoccupavit. Quod David sanctus monti Gelboem imprecatus est, huic insulæ ego nullius meriti semper exopto. *Baldericus* Leodiensis Episcopus obiit in eodem die. In diebus illis in Episcopatu meo septem mancipia fungos manducavere non rectos, & acri ardore succensi, celeriter mortui sunt. Et in mense Augusto stella quædam juxta (e) plaustrum noviter apparens, radiis eminus emissis cunctos cernentes terruit. Nunquam enim memoria nostra talis exoritur, & ideo unusquisque hoc admiratur, prodigium hoc esse timet vulgus, sed cum misericordia id finiri fidelis sperat popellus. De his similibus clamat Jeremias veridicus (f): *Qui scit universa, novit illa, & adinvenit ea suimet prudentia.* Stella hæc, quæ effulsit, plusquam XIV. dies visa est. In provincia *Nurthuringun* dicta tres lupi semper congressi, nec antea ex habitatoribus his visi, hominibus multis atque pecoribus ineffabiliter nocuerunt. Hoc quoque indigena omnis vehementer expavescens, majoribus curat impleri detrimentis. Beatus namque loquitur Gregorius, *multa debent mala præcurrere, ut illa valeant sine omni fine ventura nuntiare.* In supra dictis omnibus desuper nobis ira cœlestis revelatur, sed circumspectione vigili hæc ab humana fragilitate non attenditur. Iste annus nova nuncupatione *termotio & magna contritio* ex rei veritate appellari potest. Ineffabilis enim tribulatio mundo (g) justa bile exorta, habitatores ejus undique turbavit, cujus partem prædixi, & tunc quæ præterieram altè gemitu tracto explicavi. *Balderici* Præsulis, & Cameracensis Episcopi, milites penè omnes prædicta oppetierunt in insula, & in proximis tribus provinciis non supererat una domus, ubi saltem non deesset habitator unus. Post tempora *Caroli* una die vel anno aliquid in his regionibus tale non accidit, sicut vetustas asserit, quomodo unquam ceciderunt tales viri absque damno hostili? Sed nullus id miratur, qui hoc rite meditatur, quia is nil potest pugnare, quem culpa sua gravis vindicta Dei nititur deprimere. Hic inexuperabilis casus postea citò oblivis catur: quia *Godofredi* Ducis auxilio *Athelboldus* Antistes cum *Thiedrico* hoste reconciliatur, & hoc venit non ex voluntate sua, sed ex necessitate summa. Non erat enim istius regionis ullus præpotens defensor, si amplius insurgeret inimicus acrior. Si damnum hoc ex consensu divino factum, quis potest ulcisci? Si autem quis vindica, - insanabilius illo. Nunc ut sanctus *Columbanus* in morte Magni Imperatoris *Caroli* fecit, ita nos stringamus lacrymas, precesque fundamus proficuas. Nec tacendum est, quod in *Russia* contigit lugubre damnum. *Bolislavus* namque eam grandi exercitu petiit, multumque ei nostro famine nocuit. Mense enim Julio, & XI. Cal. August. prædictus Dux, ad quendam fluvium veniens, ibidem exercitum suimet castra metari, pontesque necessarios parare jubet. Juxta quem Rex Russorum cum suis sedens, futurum belli invicem condicti eventum solicitus expectabat. Interim Poleniorum provocationem hostis præsens ad bellum exhortatur, & ab amne, quem tuebatur, ex inopinata prosperitate fugatur. Ex hoc rumore *Bolizlavus* extollitur, & consocios parari, & accelerare rogans, fluvium (etsi laboriosè) velociter transcendit. Inimica autem acies contra turmatim ordinata patriam defendere suam frustra nititur. Namque in primo conflictu cedit, ac nunquam postea fortiter resistit. Ibi tunc cæsa est innumera multitudo fugientium, & parva victorum. *Henricus* miles inclytus ex nostris oppetiit, quem Imperator noster in vinculis diu retinuit. Ex illa die *Bolizlavus* optata prosperitate inimicos palantes insequitur, & ab incolis omnibus suscipitur, multisque muneribus honoratur. Interea quædam civitas fratri suo tum obediens *Jarislavo*, vi capitur, & habitator ejusdem abducitur. Urbs autem *Kiovia* nimis valida ab hostibus Poleniis hortatu *Bolizlavi* crebra impugnatione concutitur, & incendio gravi minoratur. Defensa est autem ab suis habitatoribus, sed celeriter patuit extraneis viribus: namque à rege suo in fugam verso relicta, XVIII. Cal. Septemb. *Bolizlavum*, & quem diu amiserat, *Zventipulcum* seniorem suum, cujus gratia & nostrorum amore omnis hæc regio conversa est, suscepit. Archiepiscopus civitatis illius cum reliquiis sanctorum & cæteris ornatibus diversis, hos advenientes honoravit in monasterio sanctæ *Sophiæ*, quod in priori anno miserabiliter, casu accidente, combustum est. Ibi fuit noverca, regis prædicti uxor, & VIII. sorores ejusdem, quarum unam prius ab eo desideratam antiquus fornicator *Bolizlavus*, oblita contectali sua injustè duxerat. Ineffabilis ibi pecunia ei ostenditur, cujus pars magna hospitibus suis ac fautoribus distribuitur, quædam vero ad patriam mittitur. Fuerant in auxilio prædicti Ducis ex parte nostra trecenti, & ex *Vngariis* quingenti, ex *Petineis* autem mille viri. Omnes hi tunc domum remittebantur, cum indigenas adventare fideles, ac sibi apparere senior præfatus lætabatur.

(d) minatur. (e) signum majoris ursæ quod vulgò plaustrum dicitur. (f) vates. (g) instabili.

batur. In magna hac civitate, quæ istius regni caput est, plus quàm quadringentæ habentur Ecclesiæ, & mercatus VIII. populi autem ignota manus, quæ sicut omnis hæc provincia fugitivorum robore servorum huc undique confluentium, & maximè è velocibus Danais, multumque nocentibus Petinegis hactenus consistebat, & alios vincebat. Hac elatus prosperitate *Bolizlavus*, Archiepiscopum prædictum ad *Jarezlavum* misit, qui ab eo filiam suimet reduci peteret, & uxorem suam cum noverca & consororibus reddi promitteret. Posthæc dilectum Abbatem suum (h) ad nostrum Imperatorem cum magnis muneribus misit, ut suam amplius gratiam & auxilium acquireret, & se cuncta sibi placentia facturum indicaret. Ad (i) Græciam quoque sibi proximam nuncios misit, qui ejusdem Imperatori bona, si vellet fidelis amicus haberi, promitterent: sin autem, hostem firmissimum, ac invincibilem fieri intimarent. Inter hæc omnia omnipotens Deus assistat medius, quid sibi sit placitum, & nobis proficuum, clementer ostendat. In diebus illis *Vdô* Comes, nepos meus, *Herimannum*, coæqualem sibi tam nobilitate, quàm in potestate, cepit, & invitum in suam munitionem duxit. Ob hoc vereor aliquam silicem periculosam oriri, quæ vix aut nullatenus possit eradicari. De Imperatore nostro mihi nunc sermo oriatur, qui de (k) invisa expeditione reversus, nil de promissis percepit, sed parum sibi renitentibus nocuit. Hujus miles egregius, atque fidelis, Dux *Thiedricus*, cum ab eo separatus, domum pergere voluisset, à quodam seniore, *Stephano* nomine, Cæsaris atque suimet, ut patuit, inimico, locis impugnatur abditis & cum jam victor existeret, milite in præda cadente, iterum (l) initur, & proh dolor superatus cum paucis effugit. Hæc fuit ei in talibus secunda tentatio, & faciat Dominus, ut non eveniat illi tertia periclitatio. Imperator noster cum de his omnibus efficeretur certus, unum in *Suevia* regione colloquium de Republica habuit, & mox per *Rhenum* solicitus descendit. Namque cooperatores ejus, & regni suimet columnæ, maxima parte, proh dolor, cecidere, sibique grave pondus (m) occultum, fidei simulatores occultis resistere insidiis per extraneos nituntur, ut non liceat ei libertate congruenti imperare, eorumq; injustam temeritatem (n) in aliquo minorare.

FINIS CHRONICI DITMARI.

Sequentia in Manuscripto subjecta erant:

[Continet iste liber gesta quinque Imperatorum, id est, *Henrici primi & trium filiorum ejus, Ottonis*, qui dictus est *Ruffus*, & *Ottonis secundi*, nec non & *tertii Ottonis*, qui dicebatur pulcher puer, & *Henrici secundi*, cui nomnen adhæsit pietatis. Qui Imperatores Romanum & Teutonicum Imperium per annos centum & septem strenuè rexerunt. Conscripsit autem ea *Ditmarus Merseburgensis Episcopus*. Qui quia *Saxo* erat maximè quid in Saxonia egerint hi Imperatores, describere videtur.]

XXIX.

VITA DITMARI EX CODICE MANVscripto cujusdam Chronici Antistitum Merseburgensium.

POst decessum Antistitis nostri *Wigberti* fortuna felicior, quam fuit anterior, pleno ore, vultu lætiore, nostræ arrisit Ecclesiæ, & DITMARVS Dei gratia piaque dispensatione, nostræ Ecclesiæ pater & rector efficitur. Sed antequam de hujus patris episcopali conversatione quid dixerimus, de ejuslibet carnali ingenuitate perpauca oportet prætexi. Erat enim vere hic verus Saxoniæ indigena, non stirpe humili, sed perspicua, qui natus fuit de Comite Syfrido & pia matre Cunegunda, ab utrorumque pietatis linea haud exorbitans. Erat utique uterque parens pollens pia gloria in seculo, dives in prædio, & tam divinarum quam humanarum rerum par circa honestatis studium exercitatio. Tam potentibus, piis, honestisque parentibus, Ditmarus felix in opere editus, ætate competente vitæ clericali assignatur, & tener adhuc in annis *S. Mauricio* in *Magdeburg* servus ac spiritualis frater dicatur: ac ubi per incrementa temporum ramum attigit Pythagoricum, levi rami vitans declivia,

(h) Thuni in quo regnabat tota hypocrisis ad Imperatorem. (i) urbem. (k) infausta. (l) appetitur. (m) in occulto imminebat fidei. (n) & libertatis insolentiam.

declivia, dexter contendit ardua. In quantum finit carnis lascivia, mundi calcat lubrica, & clericatus ipsius officium claruit per pietatis studium. Præpositis suis fuit obœdiens, fratribus in caritate serviens, plus humilibus humilis, compar singulis similibus. Miseris erat indeficiens refugium, oppressis constans auxilium, superbis juste resistens, bonis cœptis indesinenter insistens. Talibus gemmis virtutum ornatus, quovis honore aptatus, placens tam Deo quam hominibus, erat quibusque æquandus sublimibus. Imperator (*Henricus*) autem, cognita hujus Ecclesiæ viduitate, pie indoluit, & qualiter hanc aut tali aut meliore pastore muniret, cum fido collaterali *Tammone* Archiepisc. suo revolvit. Cui ille sagax in consiliis inquit: *est quidam in nostro cœnobio Canonicus*, *Syfridi Comitis filius*, *in quo elucet clericalis studiositas, quem non arguit ulla enormitas.* At rex interloquens infit: *Novi quem dicitis. Sed si genus attenditis, hic tam parva despicit: quia forsan ad majora respicit.* Cumque cognitor futuri pastoris nostri ornamenta morum laudando multiplicaret, Rex subridens respondisse dicitur: *Licet apud vos sic sit laudabilis, tamen aliquantulum est notabilis. Vidi enim semel ejus claustri egressionem ante prima pulsationem.* Tandem post multiplices sermocinationes, in beneplacito utriusque legatus mittitur, qui eum jussu Regis & Archiepiscopi in proximo Pascha ad Augustam venire indiceret. Nec mora legatus mandatum peragit. Et proxima nocte antequam venturus erat, vidit vir Dei per somnium quendam sibi assistentem, episcopalem baculum in manu tenentem, eique dicentem: *Vis curam Mersepurgensis Ecclesiæ suscipere?* Et ille: *Si Deus*, inquit, *vult, & Dn. Imperator & meus spiritualis pater. Ego quis sum, ut contradicam sermonibus sanctis.* At ille dans baculum persequitur: *Cave*, inquit, *commovere cerebrum S. Laurentio: quia omnes hoc agentes periculosa phrenesi percutiuntur.* Et ipse: *Tueatur me*, inquit, *custos hominum Deus, ne in hoc aut in aliquo offendam majestatem divinam, sanctorumque intercessionem avertam.* Quare vir beatus cœlesti commonitione ad meliora ex tunc intentus, & ex hac allocutione obstupefactus, lecto prosiliit, & facto mane prædictus legatus introiit, dansque duas epistolas, ad *Augustam* eum venire præcepit. Accepta legatione, certificatus ex prædicta visione, cur vocaretur, prænovit, & memor Apostoli, dicentis: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat;* non renuit, sed prædictum iter ocius movit. Tertia autem feria Sancti Paschæ ad loca venit præfata, & ab Archiepiscopo pie suscipitur, causa vocationis intimatur, & svaviss. adhortationibus patris ad promissa percipienda animatur. Postera die, id est, in quarta feria ejusdem solennitatis Ditmarus in capellam Regis venire mandatur. Cum vero crastina illuxit dies, felix nobis in eventum pater noster jam in proximo locum condictum intravit, & viso eo Rex ad se vocavit. Inchoatur interim Missa (*Venite benedicti patris mei*) Et cum ei Rex baculum pastoralem, simulque arrham Ecclesiasticam commisisset, verus sibi commissarum ovium pastor facietenus prosternitur. Et ecce compulsatio majoris Missæ solenniter personatur. Hoc etsi casu contigit, prosperum tamen fuisse, post rei eventum innotuit. His sic prospere peractis, octavo die instantis festivitatis, id est IIX. Cal. Maji in *Nuenburg* Bavariæ præsente Imperatore, ab Archiepisc. *Tammone* in episcopale nomen & officium ungitur, & post ad commissam curam honorifice transmittitur. Sed cum his partibus appropinquasset, ab universis hujus Ecclesiæ magnifice occurritur, & in hac civitate ab *Henrico* antistite, cæterisque viris Ecclesiasticis, devote suscipitur, cathedræ Episcopali digne imponitur. De tali pastore clerus gloriabatur, populus lætabatur, & universitas fidelium congratulabatur. Hoc sibi commisso regimine, Apostoli solicitus admonitione, dicentis: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse;* ad hoc laboravit, bonis actibus invigilavit, commodum suorum augere curavit. Sed quia primus gradus virtutum est humilitas humilitatem ejus sacerdotii, quam relatu veridicorum audivimus, notam faciemus. Habebat enim hebdomariam suæ cononicæ in *Magdeburg* vicem, sic annotatam, ut cum revolveretur, vicem suam ipse sic humiliter perageret, ac si episcopatus dignitate sublimatus non esset. Audivimus piam ejus in Dei servitio propter officii sui decorem humilitatem: Audiamus & secularem ejus austeritatem propter ecclesiæ suæ exaltationem. Marchio orientalis *Ekkehardus*, & frater ejus *Hermannus*, forestum Ecclesiæ bis datum potestativa præsumtione sibi vindicare, propter quoddam novale, *Rochelitz* dictum, citra ripam *Muldæ* situm, ad se attinens, contendebant. Quibus potens tam potenter resistit, ut suam permagnam potentiam esse, respectu hujus prævalentis potentiæ profiterentur: & cum isti, ut potentes seculo, contumaci fastu ab incepto non desisterent, sed creberrime retia venatoria per loca nemorosa tenderent, in curtem suam *Chorin* placitum cunctis suis militibus indixit, eoque venire præcepit. Quo cum venissent, illatas sibi injurias conqueritur, & ad ulciscendas quosdam pollicitationibus hortatur, quibusdam bonorum ablatione minatur. Inde vero egrediens, omnia utensilia retium quæcunque invenit, concidi præcepit, domumque veniens, legatum ad Imperatorem, qui ei præsumtuosam factionem insinuet, dirigit, pacemque suæ ecclesiæ humiliter

militer expostulet, sed ut multa paucis concludam, tandem *Hermannus* senior, quia magis pius erat, cum in *Magdeburg* Imperator compluresque Principes convenissent, patre nostro privilegium Ecclesiæ in publico recitante, se peccasse profitetur, fratremque idem facere cohortatur. Sic facta est nobis restitutio injustæ oblationis per hujus laudandam celsitudinem Dominationis. O quam laudanda in antistite humilitas, ô digne imitanda in potente sublimitas: humilibus humilimus, potentibus potentissimus. Et ut finem laudibus ejus assignemus, *hic meritalis erat*, ut de B. Sylvestro legitur. De restituendis suæ Ecclesiæ ita curiosus erat, ut ubicunque meliores regni convenissent, interesset, cunctisque miserandam ecclesiæ suæ vastationem intimaret, & ad recollectionem auxilium ab omnibus peteret. Intererat namque *Bambergensis* ecclesiæ dedicationi, in qua erat *Johannes*, Patriarcha Aquileiensis, & plus quàm 30. alii Episcopi. Postera die facta est illic Synodus, & noster pater in medio stans, antiquam querimoniam diserte recitavit, & synodali censura plenissime restitutio nostræ Ecclesiæ ab injuste tenentibus promissa est, sed non impleta. Ille tamen huic promissioni tamdiu tenaciter adhæsit, donec *Gero* Archiepisc. partē parochiæ nostræ Ecclesiæ super quatuor urbes, scilicet *Schud tz, Cothin, Bychen, Wurtzen*, & duas villas remisit, reliqua vero in posterum se relicturum promisit, sed non adimplevit. Post vero aliquod temporis intervallum, cum Imperator in *Magdeburg* moraretur, & cum illic plurima regni utilia agerentur, iterum noster antistes *Hildevvardum*, Mysnensem Episcopum, quia partem parochiæ nostræ teneret, accusavit. Sed Imperator utrisque satis faciens, hoc instituit, ut parochiam citra *Muldam* Merseburgensis obtineret, quod vero ultra esset, Mysnensis haberet. Attamen noster renuit, quantum potuit, quia non commodo concambio hoc sibi accideret. Quantum vero prædiorum, & regalium donorum suæ addiderit Ecclesiæ, haud facile explicabitur. Continentur tamen omnia, quæ ab Imperatore *Henrico II.* acquisivit, in uno chirographo apud nos perscripta. In sequenti anno quoddam prædium *Mincstedi* dictum per manum Imperatoris scripto eidem donatur. Hujus in temporibus quidam *Ludolphus* prædium suum, quod in *Brodizi* habuit, Ecclesiæ nostræ pro remedio animæ suæ tradidit. Postmodo vero dulcissimo ipsius hortatu *Henricus* Comes prædium suum in *Tundersleve* situm S. Laurentio prosperæ retributionis æternæ causa consensu fratris sui *Friderici* coram multis testibus bis stabiliendo dicavit. Hoc prædium idem Archimandrita in usum fratrum suorum spiritalium ea ratione concessit, ut præpositus ipsorum sex talenta in usum fratrum singulis annis ad vestitum & pisces per tres annuales quadragesimas & in anniversario suimet convivium optime saginatum expenderet. Super hoc ipsis caritative donavit argentum & linum atque lanam, quæ ad Ecclesiam feruntur, & decimationem mellis ac porcorum, super Burquardum *Zolin* & villas duas *Dubin* & *Buldegast*. Hæc omnia pluraque alia suimet martyrologio propter testificationem rerum inscribi præcepit, & revera illic invenientur, si studiose investigantur. Nos autem multa prætermittimus, ne fastidium irrogemus legenti. Et ut hæc cunctaque suæ ecclesiæ accrescentia stabilia & incommutabilia permanerent, duorum Apostolicorum *Sergii* & *Benedicti*, scripta, confirmationis suæ ecclesiæ expetivit, quæ adhuc apud nos in una membranula transcripta tenentur. Anno vere decimo ordinationis suæ, nativitatis vero quadragesimo primo, divertit ab oneribus hujus seculi dorsum ejus, faciemque mentis in tranquillitatem quietudinis statuens, ac animo tribulos solicitudinis evellens, fructus permanentes novæ plantationis germinavit. Scripsit enim *Chronicon per quinq; Regum tempora digestum*, incipiens ab HENRICO HUMILI, qui primus hoc nomine, & hujus narrationis ordine, imperavit, & ab Othone Magno, secundo & tertio vicissim sibi succedentibus, ad HENRICUM PIUM, nostræ ecclesiæ reparatorem, ac exaltationis auctorem, progreditur. In his scriptis, quàm multorum pie facit mentionem piorum? ut facile cognoscatur verus pietatis amator, qui tot piorum beneficiorum memor sit relator. Perraro enim ab orbita pietatis exspatiatur, si memori corde vita piorum teneatur. Postquam sedem sibi commissam tam factis quam dictis exaltavit, anno Dominicæ incarnationis 1015. indictione decima tertia, 15. Cal. Junii ipsius dulcisono hortatu, & efficaci rogatu, Imperator hanc nostram fundari præcepit ecclesiam, antistite præsenti. Ac quatuor lapides in monte S. Crucis in fundamento primus jaciens: *super ædificantibus*, inquit, *spes æternæ retributionis optabilis, detrahentibus ultio divina formidabilis repensabitur*. Et quia templum nostræ ecclesiæ jussu Imperatoris ædificatum diximus, quantum nostram ecclesiam multiplici ornatu decoraverit, veluti scriptis reperimus, quam brevissime perstringamus. Dedit hic Imperator nobis plurima divino officio convenientia, scilicet tria plenaria: unum de auro, eburnea tabula ornatum, quod minimum est: secundum auro, gemmis & eburnea tabula variatum, quod preciosius est: tertium auro, electro & preciosissimis gemmis artificiose decoratum, quod optimum est. Præter hæc tres auratas cruces & duas argenteas, & duas ampullas ejusdem metalli, & tres calices, unum argenteum magni ponderis, secundum aureum & gemmatum, tertium arte omnigenisque gemmis elaboratum, quod præcipuum

cipuum redemtionis animæ suæ fuisse adhuc vulgatur. Item tabulam altaris auro & gemmis honorifice distinctam, ad quam præsul Ditmarus quinque libras auri de priori altari se dedisse testatur, pyxidem auream & gemmatam, thuribula argentea tria, dorsalica serica plurima, campanas, cappas sericas multas, plurimaque alia, quæ enarrare prælongum esset. Inter cætera dispersionis nostræ ecclesiæ collecta à *Notoldo* Mysnensi Episcopo, partem parochiæ nostræ scilicet super duas urbes *Wissebung* & *Costana*, requisivit. Ab *Hillevardo* autem Cicensi Episcopo parochiam duarum urbium, *Tribni* & *Tuchus*, concambio trium villarum redemit. Hæc in secundo privilegio renovationis hujus ecclesiæ (nam duo idem Imperator dedit) reperiuntur. Tertium vero confirmationis huic patri nostro Ditmaro ab eo exoratum donavit. Precium vero redemtionis animæ suæ fratribus nostris concessit has villas: *Borckersdorff*, *Telka*, *Vdene*, *Vbedere*, *Vphusen* & *Lutenburg*. Quoddam etiam prædium, *Rogalize* dictum, ab *Hadoldo* concambio sibi complacito acquisivit, & fratribus nostris in sustentationem temporalium donavit, scriptis manu propria sigillatis confirmavit, multaque alia dedit, quæ nec enarrare scimus nec nequimus. Postera vero die post datum *Rogalize*, dedit Rex antistiti nostro de quo sermo est, in amplificationem suæ dignitatis has ecclesias cum appertinentibus eorum, in *Gusna*, *Cozini*, in *Lipzich*, in *Olsnice*.

His supradictis plurimorum bonorum actibus pater noster Ditmarus à sordibus vitiorum expiatus, diem exitus sui expectabat intrepidus. Anno vero nativitatis suæ quadragesimo secundo, cum ecclesiam sibi commissam gubernaculo justitiæ per fluctivagas mundi procellas ad terram viventium annis decem, mensibus septem, diebus totidem duxisset ergastulo Babylonicæ captivitatis ereptus, æternam Jerusalem perpetui incolatus intrat, quem Dominus suus pro lucro duorum talentorum introducendo in gaudium suum Cal. Decemb. remuneravit. Hunc pro paucitate intellectus nostri hoc brevi carmine prosequamur, & quanto dignius poterimus, ejus beneficia recolamus.

Tertius est factus pietate, sed ordine quartus,
Præsul Ditmarus, pietate per omnia clarus:
Lux præcedentum patrum, sed forma sequentum.
Exulit hos dictis, hos munit ad omnia scriptis.
Quod meliuscule habet locus hic, merito sibi debet.
Invigilabat ei non dando locum requieti.
Ergo beavit eum vita donando per ævum
Cui se commisit sub prima fronte Decembris.

XXX.

VITA HEINRICI SANCTI IMPERATORIS

ab Adelboldo Episcopo Trajectensi *conscripta.*

IN gestis scribendis duo sunt videnda: ut & scriptor veritatem in prolatione teneat; & lector fructum in lectione capiat; sed scriptor veritatem tenere nequit, nisi hæc quatuor aut potenter devitaverit, aut aliquatenus a mente deposuerit; odium & carnalem dilectionem, invidiam & infernalem adulationem. Odium enim & invidia bene gesta aut omnino tacent, aut dicendo transcurrunt, aut calumniose transmutant. E contra male gesta dicunt, dilatant & amplificant. Carnalis autem dilectio & infernalis adulatio, quæ male gesta sunt, scientes ignorant & ignorantiam simulantes, veritatem occultant; bene gesta autem, placere quærentes, spaciose dicunt, & plus justo magnificant. Sic per hæc quatuor, aut in bene gestis aut in male gestis veritas evanescit, falsitas superducto colore nitescit. Spiritualis autem dilectio veritatis amica, nec male gesta celat, nec bene gesta pompose dilatat; sciens, quia & male gesta sæpe prosunt ad correctionem; & bene gesta frequenter obsunt, dum ducuntur in elationem. Melius est enim adversitate mentem refrænare, quam prosperitate contumaciter inflari. Lector autem fructum capere non poterit, nisi aut diligenter attenderit, aut penitus intellexerit, cur bona bonis, mala malis; bona malis, mala bonis eveniant.

Cur

Cur bona bonis concedantur, dupliciter intelligi potest; aut enim sic boni sunt, ut per tentationes hujus sæculi nec probatione, nec purgatione indigeant: aut eo modo boni, ut, si per tentationes pulsarentur, fortassis pro modulo simplicitatis suæ deteriorarentur. Taliter (a) ergo nec in luto hujus mundi conversatione fœdantur, ut per ea, quæ patiuntur aut ad correctionem invitentur; aut, si resipiscere nolunt, intelligant; quia & hic, & in futurum mala sustinendo damnari debeant. Mala autem bonis aliquando (b), non ut mereantur, sed ut per tormentum augeatur eis meritum, per meritum amplificetur præmium. Aliquando vero levis culpa subest, pro qua hic leviter castigantur, ne in futuro deterius crucientur. Bona vero malis conceduntur, ut aut sic pietatem Dei recognoscant, & a perversitate sua recipiscant; aut reservetur eis in improperium, quod recognoscere noluerunt largitorem bonorum. Hæc, quæ præscripsimus, in omnibus gestis & scriptori & lectori non inutilia esse putamus. Scimus insuper, & sæpissime audimus; quia, in omnibus scriptis antiquitas delitiose veneratur, novitas fastidiose repudiatur. Sed quæ recipiuntur ut antiqua, nisi primitus essent nova, non essent antiqua. Quare præcedit novitas, ut sequatur antiquitas. Stultum est ergo, quod præcedit, spernere; & quod sequitur, quodque à præcedenti habet, ut sit, non recipere. Raro enim à sitiente rivus quæritur, dum fons habetur. Dicimus hæc, non ut abiiciatur antiquitas, sed ut recipiatur novitas. In omnibus quippe scripturis, si est veritas, & utilitas; æque valet novitas & antiquitas. Fortassis est, qui dicat; quæ utilitas in gestis legendis esse valeat? Huic respondemus; quia quisquis alterius gesta legit, si bona sunt, invenit, quod sequatur; si mala, habet, unde exterreatur. Gesta namque alterius legere, in speculum est respicere. Si quid in eo vides, quod tibi displiceat, in te corrige. Si quid, quod placeat, imitare. Cesset prælocutio; præloquutionis causa sequatur.

1. *Millesimo secundo anno* ab Incarnatione Domini, indictione duodecima, *Otto tertius imperator Augustus*, Paternæ, quod est castellum Romaniæ, moritur. Vir dum juxta corporis speciositate floridus, morum probitate modestus, ætate quidem juvenis, sed ingenua capacitate senilis, benignitate mirabilis. In cujus gestis scribendis satis avidus essem, si aut memoriter tenerem, aut relatorem certum haberem. Hoc tantum scio, quia, quamvis in primæva ætate plurima pueriliter egisset; in supremis irreprehensibiliter vivebat. Deum amabat, amando timebat, omnibus placebat, nemini displicebat, nisi forte infidelibus: quia innatum est bonis, malis displicere, & bonis placere. Tandem qualis ejus anteacta vita fuisset, in morte ipsius, qui affuerunt, videre potuerunt. Quicumque enim interfuit, in devotione ejus intelligere potuit, quia non obiit, sed ad desiderium suum singulare migravit. Ad Creatorem creatura fidelis ex voto redire properavit. Cujus non obitus, sed transitus omnium, qui sacræ mentis erant, luctus mirabilis, planctus erat incredibilis. Dolor esset etiam insanabilis, nisi superstes ei extitisset *Henricus Dux* gloriosus, & vir ad regnum suscipiendum strenuus. Is tunc temporis *Ducatum in Bavariensi regno* tenebat, populum pacifice regebat, pacem amplificabat, Ecclesiarum facultates augebat, leges & religiones magnificabat. Tandem sic in Ducatu vixit, quod omnibus placuit, ut de Ducatu transduceretur ad regnum, *de vexillo* extolleretur *in solium* hæreditarium. Hæreditarium dicimus; quia, ut ab his, qui genealogias computare noverant, audivimus, à Karolo magno ex parte Patris decimam septimam; ex parte matris, decimam sextam lineam propagationis tenebat. Insuper tertius Otto post obitum in regem eligebatur, & ipsi tertium ad invicem consanguinitatis gradum tenebant. *Mater* autem *sua Conradi regis* * fuit *filia*.

2. His antecessoribus exortus successor ingenuus eligitur, & ut Rex fiat, ab omnibus desideratur. Sed qualiter ad regnum ab his, qui sanæ mentis erant, invitatus fuerit; qualiter etiam invidia virorum bonorum comitatrix per suos satellites (id) impedire tentaverit, nec mihi fastidiosum est dicere, nec cæteris superfluum audire. Invidiam bonorum comitatricem me dixisse, ne mireris, quia, ubi abundant strenue gesta, abundat & invidia. Unde quidam Philosophus interrogatus à discipulo suo qualiter vivere posset, ut invidorum corrosiones devitare valeret; respondit; Nil bene, nil strenue, nil prudenter agas, & ita te posse detractiones invidorum declinare scias. Aut igitur stultus esto, & invidiam declinato; aut prudenter agito, & invidiam sustineto.

3. *Ottone* ergo gloriosissimo *Imperatore defuncto*, Cisalpini, qui cum eo erant, *Archiepiscopus Coloniensis, Episcopi Leodicensis, Augustensis* & *Constantiensis; Otto filius Caroli, Henricus* & *Junemannus* Comites, & cæteri quam plures fideliter agentes, cum maxima difficultate, & periculis pluribus per Veronam, per Bavariam, cadaver ipsius reportabant. Quibus Dux nobilissimus cum Bavaricis Episcopis & comitibus obviam venit, corpus *senioris* & *consan-*

(a) *Tales.* (b) *conceduntur.* * Burgundiæ.

sanguinei sui, qua decuit, veneratione suscepit, totum exercitum, qua debuit, liberalitate recepit; per terram suam, qua oportuit, commoditate conduxit. Tandem *Muneborg* perveniens, ipse suis humeris corpus Imperatoris in civitatem subvexit, pietatis exemplum & humanitatis exhibens debitum; exercitum diurnare fecit, ut & ipsi de utilitate, & consolatione regni colloquerentur, & equi itineris longitudine fessi recrearentur. Ibi quibusque melioribus regia dona faciens, junxit sibi per amicitiam, quos postmodum suscepturus erat in militiam.

4. Deinde cum corpore usque *Augustam* veniens in Basilica S. Afræ, juxta sepulcrum S. Vdalrici decentissime sepeliri Imperatoris interiora fecit, & pro anima ejus eidem ecclesiæ centum mansos ex propria hereditate concessit. Ibi vale dicens cæteris, ipse ad propria remeavit. Corpus vero Imperatoris, *Aquisgrani* transvectum honorifice, ut adhuc videri potest, in medio Ecclesiæ S. Mariæ sepultum est: quam Ecclesiam idem benignissimus Imperator & unice dilexit, & plurima facultate ditavit.

5. Tunc temporis post Heinricum ducem magnificum, majores erant in regno, *Benno Dux in Saxonia*, *Herimannus Dux in Alemannia*, *Theodoricus in Lotariensi regno*, *Ekehardus Marchio in Toringia*. *Benno* ut sapiens, non animabatur ad regnum, sciens Heinricum vigere præ cæteris ad obtinendum. Sapientis enim est spernere in his appetitionem, in quibus scit fieri non posse consecutionem. *Theodoricus* quoque Heinricum Ducem in regno esse sciens hæredem, noluit incipere, quod non posset finire. *Herimannus* vero homo potens, & in cæteris prudens; in hoc tamen non sapiens; se posse credidit, quod postmodum se non posse probavit. *Ekhardus* autem nescio an in adipiscendo regno spem tenens, an rebellionem meditans; in regia Curte, quæ *Poleda* dicitur, per noctem ab inimicis suis egreditur, viriliter pugnans interficitur. Remansit contentio inter *Henricum Ducem* gloriosissimum, & *Herimannum* virum potentissimum, sed brevis & cito finem habitura. Erat namque alter alteri dissimilis nobilitate & sapientia; facultate & corporis elegantia.

6. Intrante igitur Junio *Dux Henricus* Rex cito futurus, de Bavaria & orientali Francia collecta multitudine non modica, super Rhenum *Wormatiæ* venit cupiens ibi transire, & Moguntiam ad regalem benedictionem percipiendam venire. Sed dux Hermannus adunatis Alemannis & quibusdam Francis, & Alsatiensibus Wormatiam ad contradicendum transitum festinavit, ibique transire nec unum permisit. Et facile resistere poterat, qui Rhenum adjutorem habebat. Erant autem cum duce Henrico viri illustres & sapientissimi: *Archiepiscopus Moguntinus*, *Archiepiscopus Saltzburgensis*, *Episcopus Brixensis*, *Episcopus Regenesburgensis*, *Episcopus Strasburgensis*, *Episcopus Bataviensis*, *Episcopus Frisiensis*, *Abbas Fuldensis*, cæteri Abbates & Comites plurimi.

7. Cum his Dux, habito consilio, reditum in Bavariam simulavit, & quasi transitum desperans, *Loresheim* venit. Inde Moguntiam festinans, sine impedimento transivit. Ibi octava Idus Junii *in Regem eligitur*, *acclamatur*, *benedicitur*, *coronatur*. Ibi *Franci* & *Musellenses* conveniunt, *Regis efficiuntur*, & majestatem ejus ex debito venerantur.

8. Celebratis igitur diebus ordinationis suæ, & quibusque venientibus in militiam susceptis, Rex Rhenum iterum transiit cum maxima multitudine, per Orientalem Franciam in Alemanniam ire properavit, ut Herimannus, audita devastatione terræ suæ, à cœpta rebellione desisteret, & caput, ut cæteri, regiæ majestati subderet. In Alemanniis igitur Rex pluribus diebus moratur, nolens & volens terram depopulatur. At Hermannus duræ mentis & protervæ cervicis iratus super *Episcopum Strasburgensem*, eo quod sapienter egerit, & partem meliorem elegerit, juncto sibi Cunone genero suo *Argentinam* adivit, &, militibus Episcopi non fideliter resistentibus, muros civitatis fregit, spolia non modica cepit, Ecclesiam violenter intravit & impie violavit. Interea Rex, qui erat in Alemannia, *Augiæ* nativitatem S. Joannis celebrabat, & neminem timens se potenter habebat: cum nunciatum esset ei, quod Herimannus obvius venire vellet, & *pugnæ termino* litem finire; sententia hæc Regi placuit; ab Augia discessit; in quædam prata amplissima, & ad decertandum opportuna pervenit. Ibi adventum Ducis expectans, & *pugnæ judicium* subire non refutans, solennitatem Apostolorum celebravit. Sed Herimannus salubri consilio usus occurrere Regi renuit, & sibi suisque salubrius esse ut latitaret, quam obviam veniret, credidit. Regi ergo sic præstolanti, quidam non providæ mentis dabant consilium, ut Constantiam iret, & ibi Herimanno, quod in Argentina commeruerat, recompensaret. *Episcopi* enim *Curiensis* & *Constantiensis*, cum Herimanno erant, non tantum illum ex corde ad regnum eligentes, quantum vicinitatem ejus timentes, & de termino litigii dubitantes. Sed Rex, ut erat providus, & de dominio ejusdem civitatis securus illis leniter & blandè respondit: Absit, ut pro Herimanni insania in illum retorqueatur vindicta, a quo mihi regni est concessa corona. Fortassis etsi pro Argentina Constantiam

ſtantiam vaſtarem, non mihi damnum minuerem, ſed duplicarem. Inſuper male comparat regnum, qui in ejus adeptione animæ poſtponit detrimentum. Coronavit me Deus non ad violationes Eccleſiarum, ſed ad puniendos violatores earum. Diu igitur in pratis exſpectans, & ad ultimum, ſciens, non venturum. Inde diſceſſit, & per Alemanniam Curtes Ducis ubique vaſtando ire cæpit.

9. Tandem pauperum clamor nimius excrevit, & usque ad Regis aures pervenit. Quem Rex diu ferre non potuit, ſciens eos nihil in duritia Ducis deliquiſſe, & ob hoc plus juſto paſſos fuiſſe. Quapropter pietate motus ab Alemannia receſſit, & in Franciam terram unice ſibi dilectam venit, certus de Duce, quia vellet nollet, cervicem flectere, & jugum pati quandoque deberet.

10. Prætereundum non exiſtimo, quod antequam Rex ab Alemannia exiret, *Hezelo, Bertholdi filius*, quem tempore Ducatus ſui ultra omnes Comites Regni hujus ditaverat, legatos, quos in ipſo exercitu meliores eligere poterat, ad ipſum traſmiſit, ut *Bavarienſem Ducatum* ſibi concederet, inconſulte rogavit. Sed incoſultæ quæſtioni conſulta paratur reſponſio, & feſtinanti petitioni, ponderata monſtratur deliberatio. Patienter enim audita legatione ait: Quos ,, ſemper præcipuos inter omnes gentes habui, quosque ſemper toto mentis affectu amavi, ,, hos adepta benedictione regali, *in lege ſua* nec deteriorare volo, nec deteriorari patiar, dum ,, vixero. *Legem habent, & ducem eligendi poteſtatem ex lege tenent*: hanc ne dum ego frangam, ,, quiqunque frangere tentaverit, me inimicum habebit. In hac etiam expeditione male [nil] ,, promeruerunt, ut cuilibet eos, absque eorundem electione, concedam. Adhuc mecum ſub ,, ancipiti fine militant, & ego eos nolentes cuilibet mortalium traderem? Exſpectet, ut in Ba- ,, variam redeam: ibi ſi illum elegerint, eligo & laudo; ſi renuerint, renuo. Nec etiam exiſti- ,, mo illum eſſe tantæ inſipientiæ, ut ex meo dedecore honorem ſuum quærat amplificare. He- ,, zelo accepto hujusmodi reſponſo, fomitem rebellionis concepit, quem poſt annum monſtrando in dolorem ſui peperit.

11. Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in *Turingiam* ivit. Ibi absque mora *Guilhelmus Princeps Turingorum* cum cæteris occurrens, *Regis efficitur*. Inde Rex procedens in *Saxoniam*, pervenit *Merſeberg*. *Benno Dux Saxonum*, *Bilizlaus Dux Sclavorum*, *Liebzo Archiepiſcopus Bremenſis*, *Benno Epiſcopus Hildenenſis*, *Ratherius Epiſcopus Paderbornenſis*, *Arnulphus Halberſtetenſis*, cæteri Epiſcopi de Saxonia, & comites plurimi in feſtivitate S. Jacobi Regi *occurrunt*, *acclamatum ſuſcipiunt*, *collaudant*, *collaudato manus ſinguli per ordinem reddunt*, *redditis manibus fidem ſuam per Sacramenta promittunt*, *fide promiſſa*, *regem coronant*, *coronatum in ſolio locant*, *locatum debita congratulatione venerantur*.

His ſtrenue peractis, *Bulizlaus* inde diſcedens, ab ipſa die, qua fidem promiſerat, & promiſſam Sacramento firmaverat perverſa meditari, & meditata, prout potuit, cæpit machinari. Ipſe enim & *Hezelo* collocutione in invicem, habita, alter alterius venenatis conſiliis tactus, uterque cæpit, quod utrumque male finiſſe puduit. Interea Regi à Saxonia *in regnum Lotharienſe* properanti *Gruona* occurrit *uxor ſua, Domina Cunigunda* nomine jam extans, ſed re cito regina futura. Inde enim *Paderbronam* veniens in feſto S. Laurentii *acclamatur*, *benedicitur*, *coronatur*, & fit *Kunigunda Kuninga*, quod Latine interpretari poteſt, *regia, regina*.

12. Sed ut nunquam ſerenitas, quam non ſequatur nubiloſitas; ſic rarò jocunditas, quam non comitetur adverſitas. Nam in benedictione Reginæ cunctis exultantibus, *Bavarii* (quorum mos eſt in aliena terra velle, quod in ſua volunt) circa civitatem fruges colligere & agricolas ſua defendere volentes, irrationabiliter cæperunt tractare. Quæ res indigenas commovit, & ad reſiſtendum etiam fortiter, animavit. Domeſtici igitur Regis, & indigenæ, invaleſcente contentione, confluunt, concurrunt, conveniunt. Pugna gravis oritur, ex domeſticis Regis juvenis unus interficitur, frater ſcilicet Domini *Filberti*, qui tunc temporis erat *Cancellarius*, poſtmodum vero *Friſienſis* factus eſt *Epiſcopus*. Hujus interfectione omnes Regis fideles commoti graviter, cives cæperunt perſequi, & eos perſequendo inſatiabiliter graſſari. Et niſi regia poteſtate retinerentur, omnes usque ad interniciem perſequerentur. Cum plurima igitur difficultate ſedato tumultu, caſtigatisque illis, quorum ſtultitia cauſa ſeditionis extitit: inde Rex *Dinsberg* properat, & illic Lotharienſium adventum exſpectat. Occurrunt primi *Leodicenſis*, & *Cameracenſis Epiſcopi*, nil de regis prudentia dubitantes, nil de fide ejus hæſitantes. Occurrit etiam *Colonienſis Archiepiſcopus*, ſed quanto ditior, tanto moroſius. Erat inſuper cauſa dilationis *Moguntia accepta corona benedictionis*. Hi ſimul Regis efficiuntur, fidem promittunt, promiſſam Sacramento concludunt. Cum his Rex *Aquasgrani* perveniens, cæteris Lotharienſibus convenientibus in nativitate, poſt partum Virginis *eligitur*, *collaudatur*, *in regiam ſedem extollitur*, *glorificatur*. Sed ſub ea glorificatione quidam palmas, quidam la-

crymas fundebant. Lacrymantes namque Ottonem dolebant amissum, Heinricum non cognoscebant susceptum.

13. Sic igitur Rex in regnis singulis antecessoris sui, præter *Italiam* & *Alemanniam*, receptus, & ab omnibus unanimiter collaudatus, in Franciam revertitur, ut ibi hyemis asperitate transacta, Vere amœnitatem reducente, in Alemanniam exercitum duceret, & *Herimannum*, qui consiliis prudentium uti nolebat, diversis vastationibus afflictum, pati jugum doceret. Sed *Herimannus*, qui consilia juvenum sequendo, & spem vacuam tenendo extra se positus erat, se in semetipsum recollegit, & in solennitate S. Remigii *Brusellæ* * Regi obviam venit, sciens melius esse ante damnum non fecisse pœnitere. *Nudis* igitur *pedibus* cum fidis intercessoribus Regi se repræsentat, pro male commissis veniam petit, pro bonis suis per regium donum possidendis gratiam quærit, pro his impetrandis, humo tenus genua flectit. Ilico benigne recipitur, & ei, quod quærebat cum omni humilitate, conceditur. Tantum cujusdam conditionis internectitur ratio; quæ, quamvis ad præsens, gravis; in futuro tamen ei erat salubris. Eo enim tenore in gratiam recipitur, ut Argentinensis Ecclesia ad pristinum statum ex detrimentis suis per illum reformetur. Quod ille non renuit, sed jussu & consultu Regis, dictæ Ecclesiæ Abbatiam S. Stephani, in recompensationem detrimenti à se illati tradidit. Hac conditione firmata per manus & Sacramenta, Regis efficitur, & sic se contentionem male cæptam finisse, lætatur. His expletis in *Bavariam*, nativam terram suam, Rex redire decrevit nolens novos sic frequentare fideles, ut postponendo demembraret veteres.

14. *Regensborg* igitur S. Martini solennia celebrams, *Blademario* cuidam *Sclavo Ducatum Boëmicensem* largitur, & ut cæteris acceptabilior existat, illum *plus justo verbis & rebus honorat.* Pluribus igitur diebus in Bavaria moratur, quærentibus legem, justitiam faciens, & visitandi gratia venientibus honorem, prout quisque dignus erat, exhibens.

15. Eodem tempore quidam *Episcopicida Harduinus* nomine non regnabat, sed vitiis in se regnantibus, subserviebat *in Italia.* Audita n. morte Imperatoris Ottonis, Langobardi surdi & cæci, & de futuro non providi, hunc elegerunt, & ad pœnitentiam festinantes in regem sibi coronaverunt. Is tunc, ut dixi, subserviens dominabatur, & adventum Regis Heinrici semper exspectans, introitus Longobardiæ, quos *Clusas* indigenæ vocant, cum cautela satis provida tuebatur. Quod etiam verum Dei erat judicium: Episcopos, qui in electione illius præ cæteris omnibus æstuantes & sitientes fuerunt, honorabat ut bubulcos, tractabat ut subulcos. Quadam namque die Episcopum Brixiensem ad se venientem, & nescio quid ratiocinari volentem, ut cæpit ei ratiocinatio displicere, per capillos arripuit, & humo tenus quasi bubulcum vilissimum deiecit. Cum majoribus nihil tractabat, cum juvenibus omnia disponebat. Quod etiam erat gravissimum; sub eo prævaricatores, violatores, depopulatores dominabantur; legum amatores, Dei cultores deprimebantur. Cupiditas in eo erat Consiliaria; avaritia, Cameraria; pecunia, Domina & Regina. His pedissequis adulterina sceptra tenebat. Quapropter quidam pro coronatione illius, pænitentia ducti, *Regi Heinrico*, alii legatos, alii literas transmittunt, ut terræ oneri gravissimo subjacenti subveniat, humillima prece deposcunt. Mandant etiam, ut si ipse idem in aliquibus occupatus teneretur, saltem eis suorum Principem aliquem cum paucis transmitteret. In voluntate hujusmodi, aliqui manifesti; aliqui erant occulti. *Tietboldus* namque *Marchio* & *Archiepiscopus Ravennas*, & *Episcopus Mutinensis, Veronensis*, & *Vercellensis*, aperte in Regis Heinrici fidelitate manebant. *Archiepiscopus* autem *Mediolanensis*, & *Episcopi Cremonensis*, *Placentinus*, *Papiensis*, *Brixiensis*, *Comensis*, quod volebant, manifestabant. Omnes tamen in commune *Regem Heinricum* desiderabant, precibus per legatos & literas invitabant.

16. Tandem à Rege *Otto Dux Carentanorum, qui etiam Veronensem Comitatum tenebat,* ad petitionem Langobardorum explendam, eligitur, & cum paucis, propter fidutiam superius nominatorum, in Italiam dirigitur. Cui etiam *Otto filius Heriberticum Ernesto filio Tietboldi Marchionis* adjungitur. His, inter montana, quæ Bavariam & Carinthiam ab Italia sejungunt, super aquam, quæ *Brenta* vocatur, convenientibus, *Carentani* & *Foro-Julienses*, cum paucis occurrunt, veluti de promissis Italicorum fidutiam habentes, & de pugna nil cogitantes. Interea *Archiepiscopus Ravennas*, & *Tietboldus Marchio* cum cœteris manifestis fidelibus Heinrici Regis suos congregaverant, volentes occurrere *Theutonicis* & eos in Italiam cum securitate recipere. Hæc *Harduinus* præsciens, Veronam cum maxima multitudine venire festinavit, ut & ibi Italicis in adjutorium Theutonicorum festinantibus, viam interciperet, & *Clusas*, quæ ab *Episcopo Veronensi* servabantur, expugnaret: quod & fecit.

Clu-

* Prope Spiram.

17. *Clusis* igitur expugnatis, audiens Theutonicos in *Tridentensem* planitiem convenisse, illo cum omnibus suis festinavit. Sed ibi Theutonicis non inventis, se in *Campaniam Veronensem* reduxit, ibique in quodam Castellulo Nativitatem Domini celebravit. Sed ab hujusmodi homine celebratio, rectius celebrationis dicetur abusio. Interim *Theutonici* juxta montem quendam, qui *Ungarius* (nescio qua de causa) vocatur, prævenientes; & *Harduinum* jam Clusas occupasse scientes, ipsi Harduino legatos suos transmittunt, & ut aut eis cedat, donec transeant, aut sibi cedentibus veniat, rogant. *Harduinus*, audita legatione, sese in fraudem deceptionis convertens, ait: Nobiscum nocte maneatis, crastina die cum nostris fidelibus inito consilio, vobis respondere poterimus. Legatis igitur insidias non intelligentibus, ipse per totam noctem castra suorum circuit, ut in crastino parati sint ad congrediendum Theutonicis, monet. Die lucente, Legati venientes ad accipiendum responsum, Longobardos omnes loricatos, & ad prælium paratos vident; quid hoc significet, Harduinum interrogant? Ille consilium iniquitatis evomens, ait: Fortassis unius temporis erit renuntiatio vestra. Inde promovens exercitum media die ad *Ungaricum montem* pervenit. Exercitus autem ille existimabatur M.XV. esse virorum. De Theutonicis vero vix erant quingenti, & hi partim per *fodrum* divisi*; partim ad vias custodiendas transmissi. Qui, Harduini adventum percipientes, repenti armantur, &, prout possunt, ad resistendum parantur. Virtutis eligentes famam, & postponentes vitam.

18. Interea *Harduinus* cum Longobardis supervenit. *Otto* cum Theutonicis obviam venit. Fit congressio, fit pugna, fit cædes ex utraque parte gravissima; & pene Theutonicorum, quamvis paucissimorum, esset victoria, si non impediret *Ottonis, Fratris, Regensburgensis Episcopi*, fuga. Illo. n. fugiente, Theutonicorum acies minuitur, & iterum à multis, congressa, devincitur. Longobardorum tandem extitit victoria, sed plurima suorum cæde comparata. Revertuntur Theutonici, & sic tunc confusi, quandoq; tamen talionem redditurі. Interea Rex à Bavaria in Franciam reversus *Frankenfort* Nativitatem Domini celebrat, multorum legationes suscipit, legatos cum muneribus & responsis dignis remittit. *Herimannus* etiam jam ante iugum pati nescius, eidem celebrationi interfuit, &, ut oportuit, per omnia regiæ majestati obediens fuit.

19. *Anno* ab *Incarnat. Dom. M. III.* Indictione prima, *Rex Heinricus* in *Mosellensem pagum*, in quem nondum intraverat, ire decrevit, sciens quod terra, quam Rex non frequentat, sæpissimè pauperum clamoribus, & gemitibus abundat. *Theodonis Villa* igitur venit, & ibi cum omnibus Mosellensibus, generale colloquium tenuit. In quo colloquio *Duces Herimannus*, & *Theodoricus*, qui defensores & coadjutores legum esse debebant, conscii sibi ipsi, impugnatores erant, & expugnatores esse volebant. Sed Rex, ut hoc cognovit, quanto eos adversus iustitiam pertinatiores vidit, tanto ardentius institit, & quibusque super ipsos etiam Duces clamantibus, *legem faciendo* fategit. Tandem inter diversos clamores castellum unum Ducis, quod *Mulsberg* vocabatur, in detrimentum *pagensium* esse comperiens, diruere iubet, ut non restruatur communitione potentissima monet.

20. Colloquio potenter habito, *Aquasgrani* ire decrevit, ut ibi & anniversarium Imperatoris debita devotione recoleret, & *Lotharienses* ad se confluentes, ad fidelitatem sibi, & ad utilitatem regni corroboraret. Interim infirmitate gravissima tangitur, & Rex cum sit, homo esse monetur. Interim tamen cœptum finivit, & *Aquas* usque pervenit. Ibi commemoratione consanguinei, & *senioris sui*** devotissime habita, plurima de sanctitate *S. Servatii* audiens, *Traiectum* ivit, ut & Sanctorum ibi quiescentium sibi intercessiones imploraret, & ad servitium Dei locum & vitam Canonicorum ordinaret. Ibi primum de bello inter *Italicos* & *Theutonicos* habito audivit; &, quod sapientis est, æquanimiter tulit: sciens, nec cælum semper posse serenari, nec res humanas sine intermissione prosperari.

21. Inde *S. Lamberti* merita non parvipendens *Leodium* venit. Ibi cholicam infirmitatem ab antecessoribus suis sibi ingenitam gravissime patitur: & qui per regalem potentiam usu humanæ fragilitatis extollitur, per corporalem molestiam paterna castigatione reprimitur. *Aquasgrani* iterum revertitur, Purificationem S. Dei genitricis celeberrima devotione veneratur.

22. *Lothariensibus* datâ lientiâ, inde discessit, & *Noviomagum* venit. Ibi pluribus diebus Quadragesimæ moratur, Deo, quæ Dei sunt, reddens, & hominibus, quæ sua sunt, faciens. Interea *Bladeimarius Dux Boëmensis* moritur, & *Bolizlaus* infidelitatis venenum ex propriæ iniquitatis fonte potatum in contrarietatem Regis evomere nititur. Nam *Pragam*, quæ caput est Boëmiæ, per pecuniæ deceptiones, per falsas promissiones, per astutissimas fraudes invadit.

* pabulatum missi. ** Ottonis scilicet tertii.

Milzaviam quoq; *Saxoniæ* & *Poloniæ interiacentem Marchiam* insidiis, quibus edoctus erat, suæ infelicitati subiicit. Quod cum Regi nunciatum esset, non inflammabatur, non stomachabatur, non ad vindictam repentinis motibus animabatur; sciens, quia ira & festinatio semper inimicæ sunt consilio: Sed notitiam dictæ invasionis dissimulans; mandavit ei per legatos sapientes & eloquentes, ut terram suam quæ Principe noviter erat viduata, non invaderet, quam, si vellet, cum gratia sua & dono voluntario acquirere posset. Huiusmodi legationem *Bulizlaus* audiens infelix mandata sprevit dulcia, amara quandoque passurus verbera. Erat enim *Hezelo* cum eo, puteum fodiens rebellionis, de quo in fine bibiturus erat aquam confusionis; laqueos quoque connectens casuros in ipsos. Quadragesima finita, Rex, qui *Teleborg* * Pascha celebrat, & *Bulizlai* violentiam ut sapiens, scienter ignorat. *Ottonem* quoque & *Ernestionem* tunc sibi obviam ab Italico prælio venientes, pro vulnerum susceptione, pro necessariæ fugæ confusione, donis regiis honorat, & debita consolatione relevat ** -.- ...oque tunc usque *Saxonibus* infestos, ultro venientes suscipit, & sub benignitatis discretione sibi fidelissimos reddidit.

23. Post hæc in diebus Rogationum *Meresberg* moratur, ibique eidem *Bulizlai* & *Hezelonis* contumacia renunciatur. Ipse, credere dissimulans, inde discessit, & ad celebrandam Pentecosten *Halberstete* venit. Deinde in Bavariam tendit, scire volens, an, quæ de *Hezelone* dicebantur, vera essent. Quo cum pervenisset, & Hezelonis furorem circa loca sibi finitima irrationabiliter accensum comperisset: ac *Bulizlai* adiutorio illum fretum esse novisset, *Bulizlao* talionem in futura reservans, à sinu regni sui insitæ pestis radicem primum extirpare decrevit, ut interioribus quieti & paci restitutis, exteriores inquietationes facilius post modum extingueret, non ignorans, quoniam insipientis est in vulnere repente cutem sanare, & contusionem carnis sub sanatione cutis occultare. Vulneris enim curatio, si ab interioribus ad exteriora deducitur, firmior in superficie concluditur.

24. Interea & *Ernesto* *** eidem rebellioni adiungitur, nulla læsione coactus, sed, vel iuventutis fervore, vel per eum commoda sua amplificare quærentium suggestione seductus. Dominus *Bruno* etiam *frater Regis Heinrici & Episcopus* associatur, ætate juvenis, & per iuventutem ad seducendum facilis. Et hoc infidelium erat gloriatio, quod in partibus suis fratrem Regis habebant. Hæc ergo conspiratio, quanto iuniores & insipientiores colligit, tanto turpius & enervius defecit. Dicitur enim: Insipientium glomeratio consilii est dissipatio: & consilii dissipatio actuum est enervatio.

25. Rex igitur quosdam *Lotharienses* & Francos ac *Bavarios* colligens, intrante Augusto, in Franciam exercitum super *Hezelonem* duxit; bona ejus devastavit, ipsum cum Domino *Brunone* & *Ernestione* per silvas latitare coëgit. Tandem se ad castellorum munimenta contulit, quæ capi posse, nec *Hezelo* timebat, nec aliorum quisquam credebat. In primo igitur impetu *Mertula* diruitur, & Hezelonis milites in ea capti per intercessionem Principum sani & salui permittuntur abire. *Sclavi* autem *Buzislao* in adiutorium missi in servitutem exercitui distribuuntur.

26. Post hæc Rex **** *Crusinam* obsedit, ubi uxor Hezelonis ac filii erant, & quæque illi chariora esse poterant; in qua obsessione in primis post annonam incautè exeuntes, ab Hezelone, cæterisque suis coadiutoribus vulnerabantur, capiebantur, occidebantur. Rex hoc cognito, quotidie quadringentos custodes exeuntibus abhibuit, ut & hos custodirent, & insidias insidiantibus pararent. Hoc *Hezelo* cum sociis audiens, se in vallem quandam recepit, in quam nulli, nisi per semitam unam patebat introitus: ibi tentoria fixit: ibi noctibus, nescio, an tribus aut duabus, quasi tutus de rapina pauperum vixit. Hoc custodes per rusticum unum comperientes, circa horam sextam, in qua illi se pro æstu diei, remissius habebant, in vallem latenter descenderant, loca plurima circumeuntes, & diligenter Henrici castra quærentes. Tandem unus eorum tentoria videns, nimis festinus ad invitandum socios, *Kyrie eleison* cæpit clamare; & hoc, ut citius veniant, frequenter iterare. Hæc Hezelo percipiens relictis tentoriis, armis etiam, fugam inivit, & à manibus supervenientium se vix liberavit. Dominus *Bruno* quoque parmula non bene relicta, quâ *extra se positus* utebatur, hos, quibus imperare posset, si cum fratre maneret, turpiter fugit, & fit risus, qui honor esse debebat & decus. Sed hæc iuventutis erant. Dicitur enim: qui sine fræno scientiæ à inventute ducitur, in dedecoris angustias sæpe præcipitatur. Et hæc iuventutis fuisse ætas postmodum monstravit adulta; quæ illum reddidit & utiliorem sibi ipsi, & fideliorem fratri. *Ernesto* capitur & ante Regis præsentiam ducitur. Quidam ilico Regi suggerebant, ut hunc capitali sententia feriri iuberet: quatenus per eum posteri castigarentur, ne Regis offensam incurrere sine causa niterentur. Sed *Moguntinus Archiepiscopus*, qui summum locum impetrandi quælibet apud Regem tenebat, intercessor

---

* Quinteleborgy id est, Quedlingburgi. ** Aliquem Slavorum populum hîc nominatum apparet. *** Leg. *Ernestio*, ut supra, vel *Ernestus*. **** Crossen.

sor accessit, & juvenem legi surripuit, mortique subtraxit. Tandem à Rege *Crusina* capitur, diruitur, incenditur. Vxor Hezelonis cum suis abire permittitur, & hoc ei per intercessionem *fratris sui Ottonis* conceditur. *Hezelo* captam esse *Crusinam* audiens, ad quandam suam munitionem, quæ *Erana* vocabatur, fugiendo pervenit, & ibi *Sigefridum* quendam *Saxonem* perversæ conspirationis participem obvium habuit. Sed nec illic spem resistendi regiæ iræ habens, eandem munitionem idem ipse succendit, & miseriam suam celare nesciens, quantæ desperationis esset, monstravit. Hæc Sigefridus Saxo perspiciens, à spe cæptæ rebellionis cecidit; & qui per alienam fiduciam contra regiam maiestatem intumuit, alienæ confusionis acredine tactus crepuit. Illuc igitur eum venisse puduit, & quanto citius potuit, ad propria remeavit. *Hezelo* vero cum Domino *Brunone* ad *Bulizlaum*, quasi refugium unicum, fugit; & quod cuique est gravissimum, quasi mendicus alieno pane vivere discit. Interea Rex *Eranam* perveniens, causam sui adventus per manus hostis invenit expletam. Venit enim, ut destrueret; sed hostis destruxit, ne ipse destruendam inveniret.

27. *Hezelone* igitur fugato, & castellis eius dirutis, Rex *Baveberg* locum unicè sibi dilectum redit, ibique exercitui data licentia, nativitatem S. Dei genitricis celebravit. Inde in sylvam * *Speichesbart*, quæ Bavariam, à Francia dividit, veniens, post laborem expeditionis, delectationem exercuit venationis. Ibi autumnavit; ibi ad recreationem sibi, suisque iocunditatem plenam exhibuit. Inde per *Franciam* morosè transiens, in *Saxoniam* venit, & *Toringis* ac *Saxonibus* in *Milzaviam* expeditionem futuram indixit. Exinde *Poleda* Nativitatem Domini celebravit.

28. *Anno ab incarnatione Domini Millesimo quarto*, Indictione secunda, ab *Archiepiscopo Magdeburgensi Giselario* nomine, qui pluribus annis paralysi tactus à metropolitana civitate exire non poterat, Rex invitatur. Ductus pietatis affectu obediens extat, & ad visitandum Archiepiscopum *Magdeborg* tendit. Quo cum pervenisset Archiepiscopus iam viam universæ carnis iniit; & qui Regem exspectabat, ad Regis Regum præcepta migravit. In cuius successionem *Tageno* Regis Capellanus ilico eligitur, & in sedem episcopalem Clero & populo collaudante, extollitur. Inde Rex *Merseborg* progreditur, & ibi Purificationem S. Dei Genitricis debita reverentià veneratur. Ibi etiam Tageno Archiepiscopus à suis suffraganeis consecratur.

29. Post hæc collectis *Toringis* & *Saxonibus* Rex in *Milzaviam* intrat, munitiones, quas *Bulizlaus* occuparat, expugnare volens: sed hujusmodi dispositum hiemis asperitas intercepit & effectum, qui expleri leviter in æstate posset, regiæ voluntati denegavit.

30. Omissis igitur munitionibus, terram devastat, hanc incolis deputans culpam, quod pecunia corrupti, ex fide *Bulizlao* non restiterint. Inde *Meresborg* revertitur, *iuxta decursum Albis Marchiones statuens*, qui & *Saxoniam* & Bulizlai incursum latrocinandi custodiant, & ipsi Bulizlao assiduæ inquietationis molestias inferant.

31. Interea *Hezelonem* cœpti pœnitet, & sub alieno pane diutius vivere pudet, soliuagum etiam inter alienos exultare tædet. Eligit ergo potius periculum mortis inire, quam *sic* vitam ducere. Tandem revertitur, & fidis quæsitis intercessoribus, *Meresborg* se majestati regiæ reddit. Sic contra stimulum calcitrans, bis aculeum sensit: quia, & sua perdidit, & semetipsum alienæ potestati tradidit. Dominus *Bruno* autem apud *Bulizlaum* consolationem non inveniens, ad *sororem suam Vngaricam reginam* confugit: & etiam semetipsum recognoscens, intercessionem eius imploravit.

32. Rex interea iniuriæ, quam Theutonicis *Itali* intulerant, non immemor, à Saxonia discedens in *Bavariam* venit. Ibi *Heinrico fratri Reginæ* in Festivitate S. Benedicti *Ducatum Bavariensem* concessit. Tandem illi *Augustam* venienti, quæ *in confiniis Bavariæ & Alemaniæ sita est*, *Lotharienses*, *Franci* & *Alemanni* obviam veniunt, ad ulciscendam injuriam Theutonicis illatam voluntarii, & regio honori per omnia deservire parati. Cum his inde progrediens, ut congregaretur exercitus, in loco, qui dicitur *Omuga*, ** substitit. Ibi ei Dominus *Bruno* cum legatis Vngarici Regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad se reversus, obviam venit, & veniam pro commissis humiliter postulans, fratris viscera movit, & celeriter ad ignoscendum inflexit. Nam in proverbio dicitur: Cuique modesto fratris lacryma cito movet viscera: & proximi calamitas, propria fit anxietas. Qua decuit ergo pietate recepit; & receptum, qua debuit, familiaritate sibi colligavit. Inde promovens exercitum per loca sterilia, per montana aspera, per sylvas spatiosas, per vias lubricas, ad *Tridentinam civitatem* pervenit. Ibi, in die palmarum, qua oportuit, celebritate suos diurnare fecit. Huius adventum *Harduinus* rex adulterinus præsentiens, ad *Clusas*, quos sibi fidelissimos existimabat, custodes transmisit, & quantumcunque potuit, exercitum coadunare festinavit.

 Deinde

* aliàs Speteshart, Spessart hodie. ** Fortè *Ottinga*.

33. Deinde in *planitiem Veronensem* venit, eventui primo similem in futuris exitum sperans. Hæc *Heinricus Rex* percipiens ad alias vias se contulit; non, ut declinaret prælium, sed, ut faciliorem sibi quæreret introitum. Erat enim impossibile per *Clusas*, iuxta *Athesin*, quas Harduinus cum plurima multitudine tuebatur, transire. Interea Capellanum quendam suum Helmigerum nomine, ad *Carentanos* præmittit, ut Clusas longe à via recta sepositas, quæ ab *Harduino* minus cautè tuebantur, præoccuparet, mandat. Non enim quisquam credere poterat, ut regalis exercitus, per vias tam difficiles & angustas transire vel vellet, vel posset. *Carentani* regiis mandatis obediunt, & *Helingero* suadente, in duas turmas dividuntur. Una, ante lucis ortum, omissis equis, latenter Clusis super positum (montem) occupat: altera, lucescente iam die, signo, ab his, qui in monte erant, audito, ad Clusas expugnandas festinat. Custodes nihil de his, qui montem occupaverant, scientes, ad resistendum Clusas impugnantibus accedunt. Repente in monte latentes exsiliunt. Custodes, se deceptos esse percipientes, alii se in fugam miserunt; alii, in præcipitium; alii, in Brentam aquam subcurrentem. Hac expugnatione Carentani Clusas tenentes Regem exspectant.

34. Hæc Rex per Capellanum suum, quem præmiserat, resciens, festinavit ad Clausas: & impedienta relinquens, ac secum ad pugnam expeditos sumens, cum maxima difficultate transivit. Deinde, in planitiem veniens, super aquam *Brentam* tentoria figere iussit; ut ibi dies solennes maioris hebdomadæ digna devotione veneraretur. Non enim ei bonum esse videbatur, ut in illis diebus, in quibus conditor pro conditis, creator pro creatis, Dominus pro servis, capi, flagellari, crucifigi, sepeliri, in agnitionem suæ charitatis voluit; indiceretur aliqua congressio, ex qua violenta Christiani sanguinis fieret effusio. Ibi ergo ab *Archiepiscopo Coloniensi* chrismatis fit consecratio, illis partibus tunc valdè necessaria. In duodecim enim Episcopatibus circa introitum Italiæ, illo die, pro confusione præsenti, nec Episcopus erat, nec chrisma sacratum. Ibi, à toto exercitu Cœna Domini devotissimè ad memoriam reducitur. Ibi parasceve, ibi Sabbatum sanctum piis affectibus colitur. Insuper Pascha Domini & digna veneratione celebratur, & pia celebratione veneratur.

35. Post hæc Rex *Palatino Comiti* præcepit, ut per bannum regale exercitui toti fuga interminaretur: adderet etiam, ut si quis fugere præsumeret, plectendum se capitali sententia sciret. Hujusmodi banno per exercitum audito, Rex aquam in tertia feria Paschalis hebdomadæ transivit, ibique tentoria iterum figere iussit, exspectans nuncios, quos ad explorandum locum, in quo Harduinus cum suis hospitabatur, præmiserat. Interea, qua ratione, nescio, Longobardorum unanimitas seiungitur; & ad resistendum discordes, omnes ad propria redire festinant. Sive hoc timor egisset, sive amor Regis Heinrici, seu Harduini execratio; illorum, qui interfuerunt, scientiæ relinquo. Hoc tantum scio: quia illius providentia non abfuit, cuius benevolentia & cuique, quod vult, sine lite concedit, & quod vult, occultis iudicii causis, per pugnam discerni consentit.

36 Patet igitur Henrico regi introitus; qui per laborem sperabatur, per quietem à vera quiete concessus. Venit ergo *Veronam*, recipitur à civibus, acclamatur, collaudatur, *coronatur*. Occurrit ei obviam *Tietboldus Marchio*, occurrunt & cæteri plures à faucibus erepti furoris, & spei redditi libertatis. Inde *Brixiam* progreditur, & ab Episcopo, civibusque cum omni alacritate recipitur. Ibi *Archiepiscopus Ravennas* cum suis, & sibi finitimis ei obviam venit, & manus nondum dominio adulterino pollutas, *seniori* diu exspectato reddit. Inde Rex *Bergomum* venit, & *Mediolanensem Archiepiscopum* per manus & sacramenta recepit. Inde *Papiam*. Ibi à multitudine maxima nobilium Longobardorum, qui ad suscipiendum eum congregati erant, per dignos applausus recipitur, & cum exultatione totius civitatis ad S. Michaëlis Ecclesiam ducitur. Ibi Clerus, ibi nobilium cætus, ibi plebs vtriusque sexus omnes unanimes, uno ore *Heinricum Regem* acclamant, collaudant, collaudatum per manuum elationem designant.

37. Collaudatus igitur coronatur, coronatus ex debito ab omnibus honoratur. Ad Palatium deinde cum omni iocunditate reducitur. Tandem, declinante iam die diabolus pacis invidus, concordiæ inimicus, discordiæ seminator fervidus; post mysterium corporis & sanguinis Dominici, Judas ad perpetrandum nefas infandissimum suscepto intumuit; eodemque suadente, in supplicium perpetuitatis crepuit: Is, & cives post manuum redditionem, post fidei promissionem, post sacramenti securitatem; nulla, quæ in rationem dignè deduci posset, læsione coactos adversus regiam majestatem (veneno ebrietatis immisso) commovit. Hoc itaque suasore, armantur; hoc stimulatore, incitantur; hoc ductore, ad palatium properant; hoc ordinatore, mænia cingunt. Quidam etiam intererant instigatores, qui per propriam conscientiam turbidi, sub Harduino malebant per illicitas rapinas vagari, quam sub Heinrico fræno iustitiæ ac legis adstringi. Fit strepitus, exsurgit sonitus; in Palatio statim auditur.

Sed

Sed, quia nemo talia post fidem eodem die promissam credere poterat, non cito intelligitur. Rex tamen, quid sit, explorari iubet. Renunciatur civitatis furor, renunciatur plebeiæ animositatis insania. Hanc *Coloniensis Archiepiscopus*, qui cum Rege erat, compescere se posse sperans, per fenestram suspexit, causasque tanti furoris inquirere cæpit, sed lapidibus & sagittis supervenientibus vix eum cæptum finire sermonem licuit. Animositas enim Langobardorum nimium fervebat; & ex eventu bellico contra *Ottonem Ducem* adhuc contumaciæ vires habebat.

38. Instant ergo Palatium perrumpere Langobardi: resistunt Regis domestici, quamvis pauci. Erant enim Theutonici partim cum equis, partim per hospitia, partim per castella illi comitatui finitima. Rex ilico per indignationem in iram efferbuit, & cum his, quos secum habebat, armatus, exire voluit, numerum militum suorum spe supernæ gratiæ supplens. At *Coloniensis Archiepiscopus* toto, quo poterat, nisu cum his, qui sanæ mentis erant, Regem retinebat, sciens, quia capite perdito, nulla spes evasionis superesset in membris. Interea, invalescente clamore, Theutonici congregantur, complicibus iunctis, ad Palatium tendunt, Langobardos ab effrenato furore paulisper compescunt. Tandem noctis densantur tenebræ, & lapidum ac sagittarum iacula Theutonicis fiunt infestissima. Necessitas capit consilium; & ad providenda iacula, citissime facit incendium. Cum multo igitur sudore Theutonici muros civitatis impugnant, cum multo timore Langobardi pro vita repugnant.

39. Tunc iuvenis quidam *frater Reginæ Gislebertus* nomine à Langobardis vulneratur. Pro cuius lethali vulnere Theutonici irritantur, & præ furore contra iacula cæci, muros civitatis expugnant, ac irrumpentes, sanguinem iuvenis, stimulum scilicet furoris, vindicare festinant. Quorum quidam animo cæteris ardentior, *Voleramus* nomine se, injecit in media Langobardorum agmina, & gladium, quo accinctus erat, extractum, uni eorum præ cæteris insanienti ab acumine galeæ usque in jugulum viriliter infixit, ac dicto citius, inter suos se illæsum recepit. Per totam igitur noctem pugna gravis habetur, & ancipiti termino suspensa, modo hos, modo illos, sub victoriæ spe audaciores & expeditiores reddit. Aliquando etiam Theutonici testudine ex clypeis composita, eorum irrumpebant agmina, & quosdam vivos ex eis captos, Regi repræsentabant.

40. Interea Palatium, quod Theutonicis aliquando fessis, vnicum erat refugium, accenditur & incenditur, casumque minatur. Sed spe sublata refugii, magis animus eorum accenditur, & ad congrediendum iterum Italis, ferventius incitatur. Clara itaque iam die, Alamannis, qui tardius huiusmodi negotia resciverant, longe à Palatio muros civitatis frangentibus, Lotharienses & Franci Langobardos iterum ante palatium graviter persequi cæperunt, & eos fugere usque in mænia propria compulerunt. Sed iaculorum a tectis venientium densitatem diutius sustinere non valentes, ignem coacti domibus immittunt; & ferro & flamma stragem civium miserabilem faciunt. Tandem Theutonicorum ira facile expleri nescia, satiatur cæde plurima; & postmodum, nullo iam resistente, se confert ad spolia. Sed iam incendio nimium invalescente, Rex à rigiditate mentis suæ flectitur, suisque ut à cæpto desistant, pietate motus imperat. Quos vix compescens, diutiusque concremationis fætorem ferre non valens, ad munitiunculam quandam, quæ sancti *Petri Cella aurea* vocatur, se contulit. Cives autem vix respirantes Regem sequuntur, & ut indulgeat ebrietati, obnixe precantur. Fit eis remissio, fit eis indulgentia. Sed facilis est indulgentia, postquam culpam excedit pœna. Sic igitur quos bellum adversus Ottonem effecit turgidos, noviter induta humilitas supplices reddit atque subiectos.

41. Domita ergo *Papia*, tota concutitur Italia, ac indigenæ omnes ad Regem non invitati confluunt, & per omnia præceptis ejus obediunt. Civitates etiam, ad quas Rex nondum venerat, obsides ultro transmittunt, fidemque debitam per sacramenta promittunt. His expletis Rex in quendam locum, qui *Pons longus* vocatur, venit; ibique Langobardorum innumerabilis multitudo accessit, sesque ad obsequendum per omnia regiæ maiestati subjecit. Ibi habito colloquio, regnique depositis negotiis, amore *S. Ambrosii* ductus, *Mediolanum* divertit, cuius *linguæ libertatem*, & morum eximietatem amabat. Huius, cæterorumque quiescentium intercessione implorata, in prata *Pontis longi* revertitur, ibique Langobardos de repentino discessu ejus conquerentes, festini reditus solatur promissione. Inde *Chromo* * perveniens Pentecosten sanctam pia animi devotione celebravit. Inde discedenti *Tusci* ei occurrunt, & manus per ordinem singuli reddunt.

42. Post hæc Rex iniuriam à *Bulizlao* sibi illatam tenens mente repositam, repatriare festinat; & per *Montem celerem* in Alamanniam properat; sciens, quia terra puerili subjecta regi-

* Forte *Cremam*.

regimini laxis persæpe habenis utitur, & ex proprii arbitrii tumultuaria diversitate, per diversa præcipitia rapitur. Iam enim *Dux Herimannus* obierat, & filius suus Ducatui à Rege substitutus erat; qui nimiæ juventutis adhuc, nec semetipsum regere sciebat. In loco ergo qui *Turegum* dicitur, Rex colloquium tenuit, omnesque pro pace tuenda, pro latrociniis non consentiendis à minimo usque ad maximum jurare compulit. Sic tota Alamannia sub pacis quiete ita tuta, in *Alsatiam* venit, & in *Argentina civitate*, dum in Vigilia S. Ioannis colloquium cum Alsatiensibus haberet, domus, in qua ad legem & iustitiam faciendam sedebat, repente corruit, unique presbytero, qui cum Domina vrã anathematizata manere solitus erat, cruris ossa confregit. Ille solus obiit, alii nihil, præter timorem, passi sunt: sed in illius interitu didicerunt, quod sæpe per psalmistam audierunt: cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.

43. Post hæc Rex *Moguntiam* venit, ibique solito pietatis affectu Apostolorum solennia celebriter peregit. Tum per *Orientalem Franciam* transiens, in *Saxoniam* festinat, cor suum indignationis pondere gravatum super *Bulizlaum*, vindicta potenti relevare disponens. Indicitur *Saxonibus*, *Bavaris*, *Francis Orientalibus* expeditio, in medio Augusto, terminus datur promotionis, ut frugibus inde præcollectis, abundantia comes exercitui esset. Mediante igitur Augusto *Meresborg Saxonum* fit congregatio. Rex autem nemini suorum familiarium fateri volebat, sive in *Poloniam*, sive in *Boemiam* vellet, cognoscens Bulizlai flexuosas versutias, quibus per quosdam sibi occultos amicos etiam secreta regia rescire solebat. Sed naves à *Magdeborg* usque *Citizam* congregari jubens, quasi in *Poloniam* velit, transitum futurum simulat. Id omnibus sperantibus, repente in *Boëmiam* exercitum ducit, quærens inprimis propria recipere; dinde, pro vindicta, aliena invadere, non tamen penitus aliena, quæ regni sui pati juga debebant.

44. Interserere libet quiddam, quo audito, datur intelligi, raro esse culpam, quam non sequatur vindicta, nisi præmunierit eam pœnitentia. Mortuo *Bulizlao seniore, Boëmiensi* scilicet *Duce*, & *istius Bulizlai*, de quo nunc agitur, avunculo, tres filii superstites ei remanserunt. Quorum primogenitus *Bulizlaus* nomine, adepto post patrem Ducatu, crudelius cæpit vivere, quam terra illa pati vel vellet, vel posset. Indigenis igitur illum pro animæ crudelitate execrantibus, timere cæpit ne à fratrum suorum aliquo, Pragensibus id instigantibus, extruderetur. Ex mala ergo conscientia concepta suspitio, instigavit eum ad scelus nefandissimum, perduxit etiam ad facinus execrandum. Nam fratrum suorum unum eunuchizavit, alterum in thermis suffocare tentavit. At illi, unus eunuchus, alter semivivus in Bavariam à paterna hæreditate exclusi, fugerunt.

45. *Rex Heinricus* hac impietate commotus *Blademario*, de quo jam diximus, *Ducatum Boëmiensem* dedit. Illo mortuo *Bulizlavus Bulizlavi filius*, *Bulizlavo Meseconis filio* in societatem conspirationis adscito, Ducatum contra Regis voluntatem tenere tentabat. Inter illos ergo duos Bulizlavos fit amicitia ficta, fit societas subdola. Sæpe alter ab altero invitatur, sæpè alterius sumptibus iocundè convivantur, latente tamen igni sub cinere. Tandem *Bolizlaus Meseconis filius*, jocunditatem Pragæ, & amœnitatem Boëmiæ, promissæ præponit amicitiæ; &, ut nepote suo, qualibet ratione, ejecto, tantæ terræ Principatu potiri possit, fraudum suarum intima scrutatur. Invitat eum ad convivia, & diversa præbet ciborum genera, amara demum propinaturus pocula. Satiatum enim illum militibus suis commisit, &, ut eductus excæcaretur, oculorum nutibus ad similia edoctis, innuit. Implentur impietatis jussa, & committuntur iniquitatis opera. Sic, qui fratrem eunuchizavit, à consanguineo & socio suo deductus periit: quique fratrem in consortio Principatus parem habere noluit, per supplicium passionis factus est suppar, & inutilior.

46. Hoc ergo excæcato *Bulizlavus Meseconis filius*, ut superius dixi, fraudes flexuosas, per versutias sibi semper pedissequas, per promissiones infinitas, *Pragam* & totam *Boëmiam* invadit; ac Dominio taliter adepto, turgidus per loca, regio exercitui pervia, castella firmissima munit.

47. Interea Rex cum Saxonibus veniens per montem quendam, in quo jam *Bulizlavus* munitionem quandam ad contradicendum introitum firmaverat, præmissis in nocte Marchionibus, cum maxima difficultate in *Boëmiam* intrat. Cujus introitum, ut Boëmienses senserunt, quidam pavore regiæ præsentiæ exanimati, Castellum unum cum semetipsis Regi reddiderunt. Illud ilico Rex *Larameri* * eunucho, fratri *cæci Bolizlavi*, quem secum nativam in terram pro pietate reducebat, cum summa benevolentia concessit. Deindè, iter suum protelando per terram illam progreditur, exspectans Bavarios, quibus non idem qui & Saxonibus in Boëmiam erat introitus.

Sed

* Jaromiro.

48. Sed cum illi adventum suum protraherent, Rex ad quandam civitatem, quæ *Satiza* (***) vocatur, cum Saxonibus tantum pervenit. Cujus potentia visa, cives non mediocriter turbantur & statim de pace quærenda, ac Regis gratia impetranda meditantur: portas ilicò civitatis aperiunt, & conditione adipiscendæ gratiæ intersita, Polonos, quos Bulizlavus eis ad tuitionem ejusdem loci adjecerat, ejiciunt. Et ejiciendo quosdam membrorum abscisione deturpant; quosdam ab locis altissimis præcipitant; quosdam etiam interimunt, ut & injurias ab eis sibi illatas ulciscantur, & honori regio per omnia satisfaciant. Tandem hujus crudelitatis fervor Regis animum perculit, & ad contradicendas ejusmodi insanias insita pietas inclinavit. Jam vivi educuntur, & Regi repræsentati in Ecclesia. Post hæc civitas tota se Regi reddidit. Et quia debuit, fidei promissione per Sacramenta, per obsides obligavit. Interea fama volitat *Bulizlavum* à Pragensibus conspirationis vinculo colligatis interemptum, & quamvis mendax, fideles tamen Bulizlavi exterritat.

Cætera desiderantur.

(***) *Saaz* hodie.

XXXI.

VITA S. BERNWARDI XIII. HILDESHEIMENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI,

AUTORE TANGMARO PRESBYTERO,

Ejus MAGISTRO, collata cum Manuscriptis.

INCIPIT PROLOGUS TANGMARI, PRESBYTERI in vitam S. BERNWARDI Episcopi & Confessoris.

DIvinæ providentiæ sapientem admirabilemque dispositionem, ratio humana nec liquidè intueri, nec dignè suppetit admirari. Miris enim divinæ clementiæ beneficiis, quotidianis successibus sustentamur; ut gravis culpa videatur esse, Dei laudes tacere, cum manifestissime scriptum sit: (*) *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.* His itaque angelicis oraculis persuasus, imo compulsus, ego Peccator & indignus *Presbyter Tangmarus* humillimus quoque *nostræ Ecclesiæ Bibliothecarius, & Notarius* magnifica gesta memorabilis viri, Domini scilicet *Bernwardi nostri Episcopi* colligere aggressus sum, non vanitatis fastu provocatus, Deo teste, sed si quid imitabile Dei clementia in illis eluceret, divinæ pietatis gratiam, de cujus rore fluxit, posteris prædicarem, & illos tali exemplo, ad profectum virtutum incitarem: & quia hoc ipso ignorante, subire temerarium scivi, diu cunctatus, hæc publicè cum illo confabulari, tandem opportunitate nacta, aditum tentavi. Primo itaque forti auctoritate adversabatur mihi; nam in cunctis jactantiam & popularem favorem ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem cum sæpius ingererem, grave peccatum esse, bona opera cælare, ne alii tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat: *luceat lux vestra coram hominibus*, &c. cessit meo arbitratu, quæ compingerem relinquens, quia à puero mecum usque ad juvenilem ætatem conversatus, quasi filius, patri familiarius adhæsit, & convixit: nec aliquid in omni studio ejus vitæ meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissimè scirem.

INCIPIT VITA S. BERNWARDI PER TANGMARUM COMPILATA.

CAP. I.

ORTUS est igitur egregiæ indolis puer *Bernwardus*, claro nostræ gentis (a) sanguine, *ex filia Albelberonis Palatini Comitis* (b): & traditur Domino *Osdago nostro Episcopo* à suo avun-

(*) Tob. 12. (a) Interpres Saxo: van edelem Bloide der Sassen. (b) Interpr. Saxo post hæc verba interponit: Syn Vader was eyn edel Grave to Sommerschenborch in Sassen/ Didrich genomt; Unde darnach ward he befohlen ꝛc. ꝛc.

avunculo religioſo Diacono *Folcmaro*, poſt quoque *Trajectenſi Epiſcopo;* & amborum diligentia *meæ parvitati*, (c) qui *Primicerius ſcholæ puerorum* præeram, litteris imbuendus, moribus etiam inſtruendus deputatur. Quem omni devotione ſuſceptum, intellectus illius capacitatem, primo divinæ paginæ leviore lacte tentandam exiſtimavi. Mox itaque, ut de ſancto Daniele legitur, inveni in illo decuplum in omni intelligentia ſuper coævos ejus. Mirum nempe in modum tenera ætas cæleſti irradiata lumine, ſubtili meditatione interiora divini ſophiſmatis jugi ſtudio rimabatur: Nunc communi ſtudio cum aliis, nunc, quos diligentiores in ſancto meditamine cernebat, ſeorſim familiarius aſſumens præpoſitis quæſtionibus ſcrupuloſa quæque ad medullam eventilabat, more prudentiſſimæ apis ſingulas lectiones, quas in ſcholis in diverſis libris exponebam, remotiori loco ſedens, intento auditu captabat, quæ tamen poſtea pueris confidens, felici furto perfectè docebat, & illorum ſcientiæ imprimebat. Gratanti denique affectu amplectebar, felici furto lectionis puerum inſudare, multoque vigilantius inſtiti, ingenium illius ad ſcientiam veri ſophiſmatis excitare. Nihilominus ergo venerabilis Dominus *Osdagus*, quodam meriti præſagiò, magnum quid futurum in illo prævidens, *Exorciſtam* ordinavit; diligentius me adhortatus, item itemque (d) curam illius agere, quem etiam mecum interdum in ſervitium Domini Epiſcopi extra monaſterium excedens, ducebam; ut illius genium, qui (e) in multitudine Epheborum diſcernere, & ad votum meum diſcutere non potui, illis remotis, ſingulari ſtudio ſubtilius diligentiusque eventilarem, mirumque in modum vario virtutum *pigmentario*, ultra id ætatis reſperſum reperirem. Nam ſæpe totum diem inter equitatum (f) ſtudendo attrivimus, nunc legendo non minus prolixam lectionem, quam ſi in ſcholis ad hanc vacaremus; nunc poëtizando per viam metro colluſimus; inde ad proſaicam paleſtram alternantes exercitium; interdum ſimplici contextu rationem contulimus, ſæpe ſyllogiſticis cavillationibus deſudavimus. Ipſe quoque me crebro, etſi verecunde, acutis tamen & ex intimo aditu Philoſophiæ prolatis quæſtionibus ſollicitabat; tanta ergo felicitate cupitum ejus ingenium mihi applaudebat: pæne enim nulla hora, nec refectionis quidem, deſidiæ illum arguebat. Et quanquam vivaciſſimo igne animi, in omni liberali ſcientia deflagraret, nihilominus tamen in levioribus artibus, quas *mechanicas* vocant, ſtudium impertivit. In ſcribendo verò, apprimè enituit. Picturam etiam limatè exercuit. Fabrili quoque ſcientia & arte *cluſoria* (g), omnique ſtructura mirificè excelluit, ut in plerisque ædificiis, quæ pompatico decore compoſuit, poſt quoque claruit. In negotiis verò domeſticis, & ad uſum familiaris rei pertinentibus vivaciſſimus executor, ac ſi à puero in eis innutritus, calluit. Hujusmodi Deo gratæ & hominibus acceptæ indolis gratia, Domino Epiſcopo, apud quem verſabatur, omnique congregatione dignus & familiaris efficiebatur, propinquorumque dilectioni probatiſſimus habebatur. Avus quippe ejus *Athelbero Palatinus Comes*, vir plurima virtutum laude inſignis, qui commiſſæ præfecturæ exactionem magis ex debito, quam ex intentione gerebat, cum prole utriusque ſexus feliciſſimè abundaret; hunc præclarum adoleſcentem primis auſpiciis pubeſcentis decoris florentem, in affectum filii adoptavit. In quo, quia ſalutaris conſilii ſtationem ſaluberrimam reperit, familiarius ſibi adjunxit, ut ne minimum quid ſine ejus conſultu ageret.

CAP. II.

Adeptus ergo à *Willegiſo venerabili Epiſcopo Subdiaconatus* gradum, aliquandiu cum illo converſatus eſt, & cum propter morum honeſtatem ac vitæ probitatem, religionis profectum in illo ſentiret, *Diaconum* illum ordinavit; interjectoque non longo ſpatio, *Presbyterii* eum honore ſublimavit. Reverſusque ad præfatum Comitem, ſuum videlicet avum, affectuoſiſſimè ab illo eſt ſuſceptus; plurimumque rogatus, ne ab eo diſcederet, facile acquievit. Cui tanta humilitate ac inſtantia famulabatur, ut cæteris refrigerandi cauſa interdum remotis, ipſe dies noctesque continuans, indefeſſus ei adhæreret, ægri ſenis & ævo pleni imbecillitatem patientiſſime moresque ſupportaret; inter ipſum & familiam medius incederet, ſalutaribus monitis quotidie illos ad agenda informans, curam illorum apud Comitem, vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios totum ſe profudit; magnamque gratiam inter illos conciliabat. Et quamvis in hujusmodi familiaritate, invidia facile ſubrepat, hanc maxima cautela in plerisque declinabat. Inter patrem quoque & filium, Dominum videlicet *Epiſcopum Folcmarum*, (h) internuntius ſæpe diſcurrebat; magnamque inter

(c) Surii edit. *mea parvitati ſcilicet Tangmaro Presbytero, qui & hæc ſcripſi, qui primicerius &c.* (d) Manuſcript. *item nempe.* Surius: *etiam atq; etiam.* (e) Manuſcript. *ingenium, quod.* (f) equitandum. (g) Interpr. Sax. reddit: de Kunſt de eddelen Steine in Gold edder Sülver to ſlutende. (h) *Folcmari* nomen in Manuſcripto noſtro non extat. Fuit Trajectenſis Epiſcopus, genusq; ejus hinc diſcimus.

ter illos familiaritatis gratiam conciliabat. Ipsi quoque Episcopo tantum complacuit, ut *Daventriensi cœnobio*, sua vice, illum præponere vellet, fitque inter Episcopum & Comitem de tantæ indolis juvene religiosa concertatio, ut uterque pro morum gratia, illum sibi adoptare intenderet. Sed ipse imbecillis avi infirmitatem sustentare, quam Episcopales delicias appetere, malebat: cum quo, usque ad diem sui exitus, fideli devotione desudabat. Quo defuncto, ad *Palatium* se contulit in servitium videlicet *tertii Ottonis Imperatoris*, qui *septennis adhuc puer*, cum venerabili & sapientissima matre Domina *Theuphana* (i) *Augusta* rebus præerat. A qua hic venerabilis juvenis benignissime suscipitur, atque in brevi summæ familiaritatis locum apud illam obtinuit; adeo, ut Dominum Regem fidei illius litteris imbuendum moribusque instituendum, consensu cunctorum procerum commendaret. In quo ita excelluit, licet quorundam invidia morderetur, ut puer imperialis in discendo mirificè proficeret; & tamen ad cuncta foris obeunda liberalissimo negotio ejus ingenium feriaret. Et cum alii Regi puero adulando obsequerentur, adeo, ut ludicra, & quæ tenera ætas poscebat, illi persuaderent. Imperatrix etiam verita affectum filii sibi præripi, in ejusmodi favore in tantum emollita esset, ut ad omnia, ad quæ puerilis ætas illum impelleret, ipsa gratissimo affectu consentiret: hic solus tanta arte institit, ut à non faciendis metu illum prohiberet, & tamen plenissimo affectu ejus animum sibi colligaret. Interea Domina *Theophana* (k) *Imperatrix* apud *Neomagum*, maximo dolore totius regni, rebus excessit. Vnde Dominus Rex utroque parente destitutus, totum se regendum in stationem fidelissimi magistri contulit. Hujus consilio examinabat, quodcunque alii adulando persuadebant; quia, quamvis in puerilibus auspiciis otiaretur, altiori tamen industria quorundam simulationes prævidebat. Præcipua itaque familiaritate Magistrum suum amplectebatur, nec ab ullo inferius tractari patiebatur, quem universali virtutum decore respersum venerabatur.

CAP. III.

PEr idem tempus venerabili Domino *Gerdago* (l) decedente, hic religiosus juvenis *Bernwardus*, votis omnium ad Pontificatum eligitur. Et, cum plerique nobiles clerici Palatina militia diu certantes missionem optarent, consensus tamen omnium in hunc Deo electum juvenem concordabat. Communi igitur electione sanctæ Hildenesemensi Ecclesiæ ordinatus Episcopus à Willegiso Archiepiscopo XVIII. *Kalend. Februarii*, *Anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo nonagesimo tertio*, *Indictione sexta*.

CAP. IV.

ADeptus itaque Pontificatum, quanta continentia juvenile corpus ad virtutum culmem coëgerit dici non potest; modum in cunctis agendis præcipuè amplectens, juxta illud viri sapientis: Ne quid nimis. Morum quoque gravitate mirificè senes ipsos superabat; adeò ut subditos severitatis censura ad agenda in plerisque institueret. Frugalitatem verò in appetendis ciborum deliciis, in eo laudare vix ullus sufficit. Tempore verò nocturnæ quietis stratis compositus, lectioni interdum circa galli cantum intendebat; sæpe somnum interrumpens, furtivè orationi, donec clerici ad matutinos hymnos, consurgerent, vacabat. Hymnis expletis, multoties psalmodiam in diurnum usque crepusculum, extendebat. Deinde aliquantulum pausans, corpusculum recreabat, donec item diluculo Canonicum cursum Primæ horæ persolvebat; quo expleto, quasi regulariter sub disciplina constitutus, Capitulum cum fratribus, qui secum conversabantur, adiit; feriam quoque & *lunationem*, (m) nomina etiam fratrum, quorum annualis memoria instabat, quotidie recitari jubebat. Oratione vero peracta, circa tertiam horam ad Missarum solemnia, festiva celebratione procedens, magna animi contritione, se ipsum Domino totum profudit. Inde in publicum progressus, Forenses causas & oppressorum negotia breviter examinabat; quia ingenio ac facundia apprimè callebat: sicque operiebatur Clericum dispensatorem, qui eleemosynæ & pauperibus præerat; quorum multitudinem, centenos videlicet, & eo amplius diætim abundantissimè refecit; plerosque etiam vel argento vel cæteris subsidiis, prout facultas concessit, sublevabat; Inde *officinas, ubi diversi usus metalla fiebant*, circumiens, singulorum opera librabat, donec circa Nonam, (*) omnibus rite peractis, cum timore & benedictione Domini, ad mensam fratrum populique stipatus frequentia, consedit; non pompaticè quidem, sed religioso silentio cun-

(i) Manuscr. rectius *Theuphanu*. (k) Manuscr. *Theuphanu*. (l) Ita etiam Interpr. Saxon. Surius habet: *Ven. Episcopo Osdago* male, nam Osdago Gerdagus successit. (m) Interpr. Sax: den Dach des Mantes, (*) *Noon* hodieq; Anglis meridies, *after-noon* horis pomeridianis.

ctis ad lectionem honestissima disciplina intentis, quæ inter cœnandum non brevis legebatur. Infirmis quidem fratribus, & senio confectis benedictionem de manu sua hilariter dirigebat, cum tamen nullum egenum in urbe vel in suburbio, quem scire posset hujusmodi pietate privaret. Ita quippe, juxta Apostolum, *omnia omnibus esse* desiderabat; *ut omnes in Christo lucrifaceret.*

CAP. V.

ARduum est & difficile quotidianum ejus studium verbis perstringere; quia, Deo teste, omni nisu inter diem noctemque perstabat in divinis, nihilominus quoque cunctos sibi adhærentes ad hujusmodi negotium, ut ita dicam, ultra vires impellebat; nec aliquid artis erat, quod non attentaret, etiamsi ad unguem pertingere non valeret. *Scriptoria* namque non in Monasterio tantum, sed in diversis locis studebat, unde & copiosam *Bibliothecam* tam divinorum, quam Philosophicorum codicum comparavit. *Picturam* verò & *fabrilem*, atque *clusoriam artem*, & quicquid elegantius in hujusmodi arte excogitari, vel ab aliquo investigari poterat, nunquam neglectum patiebatur; adeo ut ex *transmarinis* & *Schotticis vasis*, quæ Regali Majestati singulari dono deferebantur, quicquam rarum vel eximium reperiret; incultum transire non sineret; ingeniosos namque pueros, & eximiæ indolis secum vel ad curtes ducebat, vel quocunque longius commeabat: quos, quicquid dignius in illa arte occurrebat, ad exercitium impellebat. *Musivum* præterea in pavimentis ornandis studium, nec non *lateres* ad tegulam, propria industria, nullo monstrante, composuit: Et ut breviter perstringam, nec punctum temporis in otio supersedebat: Sed fidelis Dominicæ familiæ dispensator conservis suis necessaria subsidia fideliter ministrabat. Et cum in Christi gazophylacio, quæque idonea scivit, fideli devotione congereret, non minus tamen Cæsari sua, juxta Evangelium, persolvebat. Nam *tertio Ottoni Imperatori*, affectuosissimo animo pro scire ac posse obsequebatur; unde & multorum invidiam in se commovebat, qui indignabantur illum vigilantiori studio Reipublicæ negotia obire.

CAP. VI.

SAxonia qvippe magna ex parte piratarum, cæterorumqve barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursionibus sine intermissione patebat. Quam pestem Reipublicæ depellere magno sui suorumque periculo semper instabat: & nunc cum aliis; interdum quoqve cum suis solus super eos irruens, fortiter illos attriverat. Sed cum hujusmodi irruptiones sedari nullo modo possent, qvippe cum *barbari*, qvi *utrumqve littus Albiæ*, & naves omnes sua ditione tenebant, navali evectione per omnem *Saxoniam* facillimè se infunderent; vigilantissimus Dei Pontifex curam commissæ sibi plebis agens, qvomodo populum Dei de sævitia barbarorum eriperet, animo fluctuabat. Furorem namqve sui impetus pænè *Hildenesem* usqve intentabant: & ipsum sanctum locum prædam sibi promittebant. Divino itaqve instinctu in extremo fere sui Episcopatus, ubi flumina *Alara* & *Ovekara* (n) confluunt, munitiunculam admodum munitam exstruxit; in qua copiis militum dispositis, barbarorum impetum repulit, populumqve Dei ab hostili feritate liberavit. Dei namqve gratia tanta securitas pacis per illum in locis illis, fidelibus condonata est, ut nihil damni vel periculi postea à Barbaris paterentur. Hac industria Christi sacerdotis barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circumsita loca debachati sunt. Vnde vigilantissimus divini gregis Pastor, typo Christi sui Domini adversariis Ecclesiæ, exultans ad occurrendam viam, ut fortis gigas, se opposuit, & in rure *Vorinholt* (o) nuncupato, ubi tutissima illorum statio fuerat, liber qvoqve latrocinii cursus, qvocunqve suæ fraudis insidias intentarent, Præsidium munitissimum instituit: fossis qvoqve aqvarumqve meatibus, per rivum influentibus tutissimum reddidit. Copias qvoqve militum victu & armis cæterisqve necessariis instructas, abundantissimè collocavit. Divina itaqve gratia periculosissimum locum populo Dei pacificum fecit & tranqvillum: in tantum, ut omni spurcitia diabolicæ ac barbaricæ fraudis eliminata, barathrum irruptionis & hostilis incursionis locum faceret orationis: & oraculum sancti Lamberti Pontificis & Martyris Deo consecraret; atqve ab illo die, summa pace Ecclesiæ Christi reddita, ab omni hostili impetu Dei populus vivacissimi provisoris industria, qvietissimè feriaret. Pro his & cæteris beneficiis, qvæ devotissimo studio in rem publicam populumqve fidelem exercuit, multorum & maxime principum in se invidiam & indignationem commovit. Unde & à Moguntino Archiepiscopo plura, & miseranda apertis inimicitiis est perpessus, cujus animositatem patientissime ferens, divina ac Regalia benignissimè administrabat.

CAP.

(n) Manuscript. *Ouekara*. (o) Manuscript. *Wirinholt*.

CAP. VII.

ET licet plura copiosissimis impensis, ad repellendam sævitiam barbaricam foris impenderet, dici non potest, qvanta in Episcopatu ad usum ecclesiæ suæ contulit. In prædiis namqve tanta congessit, ut triginta vel plures præcipuos curtiles cum *Litorum* ac *colonorum* famulis, clarissimis ædificiis prænitentes, compararet, cum in aliis innumerabilibus locis decem mansos vel octo, aut minus aut plus, prout causa acciderat, in possessionem Ecclesiæ suæ conferret. Antiqva qvippe loca ab antecessoribus suis possessa; qvæ ille inculta reperit, optimis ædificiis collustravit, inter qvæ qvædam elegantiori schemate, albo ac rubro lapide intermiscens, musiva pictura varie pulcherrimum opus reddidit. Quid dicam, qvo studio sanctum locum nostrum vel principalem Ecclesiam nobilitaverit? cum se ipsum & cuncta, qvæ habere potuit, in ejus usum impertiri maluerit. Testantur ejus opera, quæ futuro ævo pium illius animi votum apertis loqvuntur indiciis; Ecclesiam namque miro studio decorare ardenter instabat: Unde exqvisitâ ac lucidâ picturâ tam parietes qvam laquearia exornabat, ut ex veteri novam putares. Fecit & ad solemnem processionem in præcipuis Festis, Evangelia auro & gemmis clarissima: *thymiamatheria* qvoqve pretii & ponderis magnifici: Calices nihilominus plures, & unum ex onychino, alterum verò crystallinum mira industria apposuit. Adhuc autem unum aureum, valentem libras viginti publici ponderis ex purissimo auro, in usum ministerii conflavit. (p) Coronam qvoqve argento auroque radiantem miræ magnitudinis, in facie templi suspendit; & alia perplura, quæ supersedenda putavimus, ne fastidium prolixitate ingeramus. Sanctum quoque locum nostrum murorum ambitu vallare summa instantia aggressus, dispositis per gyrum turribus, tanta prudentia opus inchoavit, ut decore simul ac munimine, velut hodie patet, simile nil in omni Saxonia invenias.

CAP. VIII.

SAcellum etiam splendidum valde foris, nimirum (q) in honore mirificæ Crucis exstruxit; cujus etiam aliquantam partem, largiente Domino tertio Ottone Augusto Imperatore, ibidem clarissimis gemmis auroque inclusam condidit; ubi etiam divina pietas plurima suæ pietatis indicia, apertis singulorum miraculis per virtutem sanctæ Crucis ostendit.

CAP. IX.

INter quæ illud unicum, quo Dominus Antistitis nostri devotionem consolari dignatus est, inserere libet. Nam venerabilis Pontifex *Bernwardus*, thecam auro gemmisque lautissimam, in qva vivificum lignum includeret, paravit, & cum, ex tribus particulis sancti ligni, quartam si fieri posset, excidere tentaret, ut per singulas absides singulas conderet portiones, ne gracilitas vel parvitas, quacunqve ex causa sectionem admitteret: cum devotissimus Dei famulus animo fluctuaret; ecce subitò inter manus ipsius Antistitis, quarta pars sacratissimi ligni, angelico, ut creditur ministerio sibi delata, apparuit. Mox igitur Præsul Christi lætus lignum sanctum per quatuor absides paravit. O qvanti inde potantes ardorem vehementissimæ febris sæpius, virtute sanctæ Crucis, restinguebant: multoties ortam aëris inæqvalitate pestilentiam fideles, hoc vivifico ligno se suaqve lustrantes, sedaverunt. Nimiam etiam siccitatem, prolato in publicum hoc singulari ligno, pluviis imperantes, repulimus; multaque virtute, sanctissimi triumphi, fiunt qvotidiana remedia, dum quisque mærens ibi prostratus prompta percipit solatia.

CAP. X.

IPsum verò sacellum sanctæ Crucis vario decore perfectum dedicavit *qvarto Idus Septembris, anno incarnationis Dominicæ nongentesimo nonagesimo sexto*, *Indictione nona*, *Regni verò gloriosissimi tertii Otthonis Imperatoris decimi tertii*, *Imperii primo*, *Ordinationis autem suæ qvarto*: locumque qvondam dumis & vepribus horridum vicinis incolis, gloria tibi Christe, ex tuis datis, baptismi, sepulturæ, unctionis æternum fecit solatium.

CAP. XI.

PRo talibus igitur aliisqve piæ devotionis actibus; quibus ad Ecclesiæ utilitatem omni nisu mentis & corporis insudabat, tam Deo, cordi interius præsidenti, qvam ecclesiæ operis effectum exterius approbanti, felicis memoriæ præsul acceptissimus erat: & ideo consequens fuit,

(p) Hic Calix adhuc hodie ostenditur in Ecclesia S. Michaëlis. (q) Manuscript. melius: *foris murum*.

fuit, ut vir beatus, cui, sicut de sancto Job legitur, tunc temporis in terra similis non fuisse putabatur, per tentationis incommoda, sicut aliarum virtutum, etiam humilitatis & patientiæ præconio mirabilis, cunctis ostenderetur.

CAP. XII.

Anno itaqve ordinationis suæ octavo gravibus insecutionum molestiis pro *territorio Gandenesemensi* ab *Archiepiscopo Willegiso*, plane contra Ecclesiasticas sanctiones impetitur; sed eis minime à solitæ humilitatis, & patientiæ tenaci observantia movetur. His tamen, quæ Archiepiscopus non tam justæ rationis executione, quam liberæ potestatis præsumptione attentabat, auctoritatis constantia, non temeritatis audacia sagacis ingenii vir obviabat: & secundum illud Pauli, *Quam diu gentium Apostolus sum, ministerium meum honorificabo*, qvoad usqve Ecclesiæ Christi pastoris vice præfuit, Episcopatus sui jura in proprii honoris statu conservari, summa sollicitudine procuravit, quod & Deo annuente, laboriosè licet, obtinuit. Sed ne similis controversia, de ipsa Gandenesemensi Ecclesia valeat oboriri, omnem disceptationis ordinem, inter Mogontiensem Archiepiscopum & venerabilem virum Dominum Bernwardum hic inserere commodum duxi. Necessarium autem reor ista paulo altius indagando repetere, qvod tamen lectori minimè debet esse onerosum, quia posteris fortasse in multis erit profuturum.

CAP. XIII.

Territorium *Gandenesemense*, situm in *Pago Flenccbi* cum adiacentibus villis ad provisionem Hildensemensium Episcoporum, ex qvo primum Episcopia per Saxoniam sunt disterminata, certum est, pertinere. Quod ex hoc cunctis scire cupientibus liqvido apparet; qvia ab ipso principio novellæ Christianitatis nostræ gentis, etiam ante constructionem præfati monasterii ad curam nostri Episcopii pertinebat. Temporibus namqve *Altfridi* Domini, qvi *qvartus Ecclesiæ nostræ Antistes* extitit, *Luidolphus Saxoniæ Dux* cum religiosa contectrice sua *Oda*, magno studio in divino cultu accensi, consilio Antistitis præscripti, *Romam* perrexit: Ibiqve à Domino *Sergio Papa* magnificè suscepti, cum votum illorum in divinis agnovit, datis reliqviis sanctorum Præsulum *Anastasii* & *Innocentii*, cum benedictione à se demisit. Ad patriam itaqve Dei gratia pervenientes consilio Domini *Altfridi*, cœnobium virginum Dei, primo *Brunesteshusen* adunarunt: filiam qvoqve Domnam *Hathumodam* duodecim annos habentem, præfato Episcopo in regimen intromittendam assignarunt, *anno Dominicæ incarnationis octingentesimo qvinqvagesimo secundo, Rabano Mogontiæ præsidente:* omnem autem provisionem prædicti loci, & congregationis, Domino *Altfrido* commiserunt. Unde evolutis aliqvot annis, *Karolo*, Rabano succedente, *anno singularis nativitatis Christi octingentesimo qvinqvagesimo sexto*, auspicatus est ipse qvendam locum super fluvium *Gande*, qvem à fluvio *Gandesheim* nominavit; ibique consentiente Duce, fabricam *monasterii* majori ambitu inchoavit, Lutberto Moguntino Episcopo existente; qui post Carolum subintravit. Locus namque pratorum ac nemorum amœnitate aptior, tutior qvoqve sylvarum densitate, ac palustri immunitate ad habitationem Deo militantium, visus est. Defuncti itaqve sunt ante consummatam fabricam Gandenesemensis Ecclesiæ, & *Dux*, ac *Domna Hathumod*, *sepultiqve in antiqva Ecclesia Brunesteshusen:* positaqve in regimen Domna *Gerburgis* prima, *soror* Domnæ *Hathumod*, *Altfrido* venerabili *Episcopo* mediante, *Lutberto* qvoqve *Moguntino Archiepiscopo*, qui Carolo successit. Nec multo post decessit, biennio tantum emenso venerabilis Dominus *Altfridus*. Consedit autem cum Moguntinis Episcopis Rabano & Carolo, & duodecim annos cum Lutberto. Consummata qvoqve cum decore Hildenesemensi Ecclesia, qvam ipse à fundamentis construxerat, & Dei gratia consecrata, plenus operibus bonis decessit: Cui successit *Marcwardus*, *qvintus Præsul nostræ Ecclesiæ;* quatuorque annos tantum sedens, trabes Ecclesiæ composuit. Post hunc subintravit Dominus *Wigbertus*, *sextus Episcopus*. Hic fabricam consummavit, & Ecclesiam nihilominus consecravit. Hic omnem religionem & disciplinam cum Domna *Odda* & *Gerburga Abbatissa* in præfato loco inchoavit & perfecit; ejus consilio omnia disponebant & agebant. Præerat autem Domna *Gerburgis* congregationi viginti duos annos; positaque est in nova Ecclesia juxta Domnam *Hathumodam*. (*) Sororem autem ejus *Christinam* Dominus *Wigbertus* in regimen intromisit, & consecravit. Domna qvoqve *Oda centesimo septimo ætatis anno*, omnibus filiis præmissis decessit, *Christina* tantum superstite; positaqve

(*) Legendum est: *juxta Dom. Hathumodam sororem ejus. Sororem autem ejus.* Nam versio Saxon. vertit hunc locum: by öre Süster Hathumoda. öre Süster aver Christinam hefft ꝛc. ꝛc. Nisi malis Christinam positam juxta filias suas, id est, ejus, nempe Odæ.

sitaqve est juxta filias suas. Sed & ipsa *Christina* sex tantum annos matri supervivens, felici decessu migravit ad Dominum. Dominus qvoqve *Wigbertus* consedit cum Moguntinis Episcopis *Lutberto, Sunderaldo* & *Hattone*. Post hunc *Walbertus* succedens *septimus Episcopus, Roswitbam* (r) venerabilem fœminam, de ipsa congregatione electam, in regimen intromisit: consecrationes qvoqve in Ecclesia prædicta, & ancillarum Dei velationes, & cætera ad Ecclesiastica ministeria fecit pertinentia. Post Walbertum *Sebardus* venerabilis vir *Pastor octavus nostræ Ecclesiæ* ordinatur. Hic, absqve omni contradictione, qvæcunqve ad Ecclesiasticum ministerium pertinebant, in præfato loco ministravit. *Nonus* post Sehardum *Thiotbardus Antistes* nobis præficitur; *Friederico Archiepiscopo Moguntiæ* præsidente. Hic consecravit novam Ecclesiam, ubi Monachæ nunc Christo militant; & omnia Episcopalia in præfato loco rite procuravit, nullo obviante. *Decimus* post Thiethardum Dominus *Otwinus* præfuit. Hic Dominam *Gerburgam secundam* in regimen constituit, & consecravit; & omnia Episcopalia fideliter providit, Domino *Wilbelmo magni Otthonis filio* in nullo sibi adversante. Similiter *Hatto* & *Robertus* (s) in nullo sibi adversantes amicissimum habuerunt. *Willegisus* qvoqve illi succedens, veritus tanti viri senectutem, & morum gravitatem, publicè illum percoluit; occulte vero paulo mordacius, qvadam animi indignatione illi adbellicabat: Nil tamen in Regimine præfati Cænobii asperum nec verbis nec factis ostendit. Hæc itaqve ideo proposui, ut cuncti intelligant, qvanta levitate ac temeritate sit violatum, quod fere per ducentos annos tot venerabilium Patrum utriusqve loci Antistitum concordia, roboratum, omni Canonica auctoritate fixum, atqve ratum duravit.

CAP. XIV.

SEd *secundi Imperatoris Ottonis filia*, fomes, ut pace omnium dicam, hujusmodi dissensionis, dum à suo Episcopo Domino videlicet *Osdago* sacrum velamen accipere spernit, *Wilkegisum* appetit: indignum æstimans, nisi à *palligero* consecrari. Quod ipse libens annuit, haud considerans, qvantum antiqva canonum statuta temeraverit, nec fraterna charitate aditum qvæsivit, sed fratri & coëpiscopo diem imperavit, ut ad velationem ancillarum Dei, in festivitate sancti Lucæ Evangelistæ illi occurreret. Nactus itaqve oportunum tempus Dominus *Osdagus* Archiepiscopum secretius, qva authoritate id ageret, reqvisivit: Cum ille minaci vultu mordacius ad suam Parochiam pertinere respondit, & statuta die se ancillas Dei velaturum, omnemqve Episcopalem potestatem in illo loco se adepturum, promisit. Cum itaqve, ad diem ventum est, restitit illi plena authoritate Dominus *Osdagus*, præsente Rege *Domino tertio Ottone* cum *matre Imperatrice Domina Theophano*, assidentibus qvoqve Episcopis, *Rhetario Patherbrunnensi Episcopo, Milone Mindensi Episcopo, Hildewaldo Wormaciensi Episcopo*, cum aliis principibus, qvi ad solemnitatem velandarum virginum convenerant. Cum ergo longa disceptatio esset, Dominus *Osdagus* simplicis animi vir, divino monitu incitatus, Episcopalem Cathedram ad absidem altaris poni præcepit, hac tuitione locum ac regimen sibi defendens, faventibus illi fere omnibus, qvia Archiepiscopi animositas, etsi metu illius dissimularetur, cunctis tamen displicebat. Destitutus itaqve Archiepiscopus multitudinis favore, qvi prius suo juri omnia promisit, vix, Domina Theophano, & Episcopis obtinentibus, ipso qvoqve, ultra qvam credi potest, supplicante, obtinuit, ut ad principale Altare mysteria ipsa die ageret; ita videlicet, ut Dominæ *Sophiæ* velationem agerent simul, cæterarum verò Dominus Osdagus solus prospiceret: factumqve est insolitum, nec ante à nobis visum, ut duo Episcopi ex latere Altaris pariter sederent, Pontificalibus *paramentis* festivè infulati. Ventumqve est ad ancillarum Dei consecrationem, cum Episcopus qvi antea à Pontificali jure timebatur dejectus, subito Dei gratia est erectus. Inter missarum solemnia, primo Dominum Regem, si in velationem suæ sororis consentiret, humiliter reqvisivit, deinde cæteros *Mundiburdos*. Quibus consensum fatentibus, primò Dominam *Sophiam*, si ad Hildenesemensem sedem sibi suisqve successoribus subjectionem & obedientiam profiteretur, interrogavit, deinde alias velandas: qvæ unanimi consensu Religionem & subjectionem professæ sunt, publicèqve denuntiatum est omni clero & populo, Archiepiscopum nil juris sibi in illa Ecclesia vendicare præter consensum & permissum Hildenesemensis Episcopi, omnibus qvoqve ritè peractis, summa pace & concordia discessum est; stetitqve illa unanimitas sub Domino *Osdago*, & *Gerdago*, & aliqvot annis Domini *Bernwardi*, adeo, ut Ecclesias aliqvas præsente Archiepiscopo ibidem consecraret; Synodum etiam magnam haberet, præsente Domino *Rege tertio Ottone*, assidente nihilominus præfato Archiepiscopo, cum tamen nil sua authoritate decerneret, præter qvod assensum æqvè, ut alii fratres, beato Bernwardo, qvi Synodo præsidebat, præbuit. Interfuerunt * *Islarius Magde-*

(r) Manuscript. *Rothsmutam*. (s) Manuscript. *Rotbertus*. (*) Gisilarius.

Magdeburgensis Archiepiscopus, *Rudolphus Trevirensis Archiepiscopus*, *Milo Myndensis Episcopus*, *Hildewaldus Wormatiensis Episcopus*, *Hugo Titiensis Episcopus*. Non tamen rata permansit hujusmodi concordia, quia in medium quædam emerserunt, quæ orientem charitatem falsitatis lolio peremerunt.

CAP. XV.

ODiosum qvippe est nostro tempore, veritate aliquem notare, sicut à qvodam dictum est: Veritas odium parit; sed scribentibus gravis est culpa, vel falsa dicere, vel vera intermittere; unde pace cunctorum liceat dicere, qvod scelus est celare. Illa quippe præclara ancillarum Dei congregatio, tanto studio, & devotione Dominorum nostrorum, patrum patriæ, Ducum, ac Regum, per *Altfridum* ejusque successores instituta est, ut in principio omnibus imitabiles, exemplar humilitatis & charitatis florerent; Episcopum suum, à Deo sibi præpositum, quasi Dei nuntium ac patrem audirent, colerent, & amarent; omnes adventantes, prout cuique personæ competebat, præcipua benignitate susciperent. Hic illis usus, hoc studium fuit, hoc sancto loco reverentiam, & illis apud omnes gratiam exhibebat: hoc humilitatis privilegio, cum pro causis Ecclesiæ ad Palatium citabantur, habitu non admodum nitido vel abjecto venientes, ut veræ Dei ancillæ habebantur ac venerabantur. Sed postquam luxus ac superfluitas accessit, morum insolentia subintravit, obedientia torpuit, repulsa est Episcoporum reverentia: quod cuique erat placitum, faciebat licitum. Addita est quoque ad augmentum mali, diutina infirmitas Dominæ *Gerburgæ* ejusdem Cœnobii venerabilimæ matris, in quam Dominus plurima virtutum insignia contulit: discessus (t) quoque religiosarum sororum, quæ sub nutrimine antiquæ disciplinæ institutæ fuerant. Numerosa autem juventus virginum fructificaverat in tyrocinio Christi, quæ delicatius enutritæ, metam prioris disciplinæ ac severitatis ignorantes, ut est humanum, post sua desideria declinabant. *Sophia* quoque, Domina Gerburga invita, multumque renitente, ad Palatium, factione Willegisi Archiepiscopi se contulit, ibique annum vel biennium commorata, dissolubilis vitæ tramitem incedens, *varium de se sparsit rumorem*. Quod venerabilis non ferens Bernwardus, quippe, qui illam semper summo amore & gratia percolebat, blandius illam admonitam, ad monasterium redire persuasit. Cumque illa exteriori auditu vix verba illius admitteret, sæpius eadem repetens, ad cœnobium eam repedare familiarius admonuit. Illa autem ejus accessum & confabulatum primo declinavit; deinde ad Archiepiscopum, velut ab illo patrocinanda confugit, amarioribus verbis ejus animum exasperavit; pactum fœdus in sua velatione, inanibus verbis annullavit, dicens ab illo se velatam, non ab Hildenesemensi Episcopo; ad provisionem beati Bernwardi Episcopi se minimè pertinere, ad suam Diœcesin cœnobium Gandenesemense respicere; plures se invenisse, qui hoc veraciter testentur. His & ejusmodi verbis Archiepiscopum adversus beatum Bernwardum graviter commovit. Post hæc Gandesem repetit, varia de ipso Episcopo inter sorores disseminavit, nisu, quo potuit, illum loco repellere, atque abalienare parabat.

CAP. XVI.

INterea Episcopus cognoscens talia circa se moliri, Gandenesem venit; graviter tulit se abalienari, nec aliquid honoris vel charitatis sibi, ut antecessoribus suis, exhiberi, sed infra extraneos Episcopos se tractari; cum tamen ab antecessoribus suis ad sanctum locum innumera bona collata sunt: decimæ quoque ex sua parte plures & antiqvitus, & moderno tempore impensæ; & pro his beneficiis, injuriam & contumeliam recompensari: tributa, quæ pro decimis solvenda essent, imminuta, sæpe quoque fraude negata: obedientiam, qua nulla victima Deo gratior est cum humilitate, in ara cordis persuadet immolari; patienter se omnia posse sustinere; paveant tamen Christum, cujus vice fungatur, in se offendere; nec quicquam ingerant, pro meritis sibi suppetere; obedientiam tamen, charitatem, & reverentiam suis antecessoribus ab illorum majoribus exhibitam, non ausint sua levitate negligere. Hæc, cum paterno animo perorasset, majori odio, peccatis stimulantibus illas in se concitavit; *Sophia* utrobique, ex parte Archiepiscopi ac congregationis perurgente.

CAP. XVII.

INstabat autem hora, qua Domina Gerburgis Ecclesiam, quam construxerat, consecrari deposcebat. Unde, quia ipsa diutina infirmitate fatigata, ad obeunda tantæ festivitatis solemnia, minime suffecerat, *Sophia*, Domina & matre consentiente, studium tanti laboris assumpserat, & more suo proprium Episcopum postponunt & abjiciunt; Archiepiscopus accersitur,

(t) Manuscript. *decessus*.

situr, quo ordinante, cuncta ad Dedicationem pertinentia disponuntur. Consecrationis diem statuunt, Exaltationis videlicet sanctæ Crucis solemnitatem. Mittitur autem & *legatus ex latere* Dominæ Abbatissæ, qui beatum Bernwardum ad Dedicationem invitet; diemque denuntiet: Sed quanquam plures illum anticipatum Archiepiscopi advocatione, objicerent; leni tamen animo sufferens, ad præscriptum diem se venturum, promisit. Interea incertum, qua de causa Archiepiscopus statutum mutat diem, abdicit, atque eandem Dedicationem in festivitatem sancti Matthæi Apostoli indicit. Beato quoque *Bernwardo* pari potestate, ut olim in velatione Sophiæ venerabili Domino Osdago, legationem dirigit, mandans ut incunctanter illi ad Dedicationem in præfata festivitate occurrat. Ipse vero suum legatum atque scripta Archiepiscopo remittit, astruens imperialibus jussis obstrictum, seriis quibusdam occupari; nec posse ad Dedicationem, ut jussum est, ipsa die illi occurrere. In exaltatione tamen sanctæ Crucis Gandesem venit, Ecclesiam dedicaturus, sicut Domina Abbatissa à principio disposuit, nil paratum reperit; imo aliquos in uno collectos, qui illi resisterent, & cum injuria ejicerent, si forte cum suis Ecclesiam consecrare violenter appeteret. Hanc enim famam illæ dispersetant, cum, Deo teste, nil hujuscemodi attentaret, vel mente conciperet. Jam enim tota mente ad Archiepiscopum confugerant, se atque locum ejus tuitioni devoverant; Sophia namque illi assiduè cohærens, & cohabitans, hæc inter diu noctuque ambigebat. Missarum vero solemnia Dominus Episcopus ipsa die ibidem celebravit, licet maxima congregationis indignatione; easdem tamen, ut oblationes offerrent, benedictionemque perciperent, admonuit. Plebs quoque, comperto sui Episcopi adventu, quasi ad solemnitatem convenit, mærens, & ultra quam credi possit, ægre ferens, Episcopum insolentia atque inobedientia, loco detrudi. Quos & omnes adventantes limato sermone consolans, lachrymabili questu publice commemorabat, se, ipsa die ad Dedicationem Ecclesiæ invitatum, nil honoris sibi exhibitum, imo exclusum, unde consecrationem Ecclesiæ, quæ ad se pertineat omnibus, sine suo consensu, Canonica auctoritate interdicit. Qua de re congregatio sororum indignata, igne majoris indignationis accenditur; verum cum ad oblationem ventum est, oblatas incredibili furore & indignatione projiciunt, sæva maledicta Episcopo ingerunt. Quo insolito tumultu perculsus, lacrymis perfusus antistes, non suam injuriam, quam parvi ducebat, pensans, sed veri pastoris pro persecutoribus orantis exemplo, ignorantiam, seu potius malevolentiam furentium fæminarum deplorans, ad Altare rediit, missam suo ordine, magna animi contritione peragit: deinde populum alloquitur, benedicit, & corroborat; deductusque honorifice ab illis, unde venerat, repedabat. O dignæ memoriæ virum, omnium ore celebrandum, cunctorum devotione intimè amplectendum, apud se quidem incredibiliter humilem, sed apud Deum inspectorem, ejusque fideles, vere sublimem. Quis eum crederet in tanto pontificalis dignitatis honore, generis nobilitate, ministrorum multitudine, contra irrogatas sibi injurias patientiæ potius quam potentiæ clypeo, maluisse muniri? Sed vir beatus humanæ abjectionis probra non curabat, qui totus divino amori mancipatus, illius tantum oculis, quem singulariter diligebat, placere summopere gestiebat. Hæc pro commendando magnæ humilitatis exemplo ad imitationem audientium inserere libuit, nunc ad ordinem redeamus.

CAP. XVIII.

INterea Archiepiscopus & Sophia omnem apparatum ad novellæ Ecclesiæ consecrationem necessarium diligenter præparant, inconsulto Beato Bernwardo Episcopo, quem tamen adjungere tentat, sed verita Archiepiscopum, votis ejus obviare, pertimescit. Præterea Archiepiscopus in vigilia sancti Matthæi ad præfatum Monasterium venit cum Episcopis *Rhetario Paterbrunnensi Episcopo*, & *Berengero Verdensi Episcopo*, *Bernhardo* quoque *Duce*, cum aliis plurimis, consecraturus sequenti die Ecclesiam. Mittuntur quoque beato Bernwardo Episcopo, qui eum ad solennitatem Ecclesiæ invitent. Postera verò die adest diluculo vice Domini nostri venerabilis Episcopus * *Ekhardus* cum majoribus natu nostræ Congregationis, & aliquibus primariis de nostro Monasterio. Qui fandi licentiâ datâ, Archiepiscopum cum omni honore ex nomine Beati *Bernwardi Episcopi* devoto obsequio salutavit, dicens, Imperiali illum obsequio detentum adesse non posse; mirari tamen vehementer, in sua Parochia, & Ecclesia ab antecessoribus suis absque omni contradictione semper possessa, sine suo consensu Ecclesiæ consecrationem indici; fraterna charitate deprecari, ut ab hujuscemodi invasione desistat; nec se intromittat, nisi quantum Canones concedunt, si suo juri, singulari privilegio quiddam suffragari æstimet, ipsum non defuturum, quin communi consilio fratrum, ubicunque delegerit, justitiam

* Slesvicensis, sed sede sua à barbaris pulsus vid. c. 20. 44.

am pleniſſimè exſequatur. Archiepiſcopus autem acerbiori indignatione inflammatus, mandat, ut primo mane ſequentis diei, quæ tunc Dominica illuceſcebat, ad Conſecrationem præfatæ Eccleſiæ incunctanter properaret; ſi venire tardaverit, nihilominus Eccleſiam dedicaturum. Hanc autem iram & indignationem Archiepiſcopi adverſus venerandum præſulem creavit maxime, præcipua familiaritas Domini Imperatoris, qua illum ſpeciali devotione pietatis cæteris familiarius percoluit. Affectuoſiſſimo namque obſequio devinxit ſibi Imperatorem, quia cuncta, quæ ad gratiam illius competere ſciebat, vigilantiſſimo ſtudio obibat; & ob hoc animoſitatem invidiamque plurimorum in ſe commovebat: apprime quoque Moguntini Epiſcopi, qui indignabatur aliquem præter ſe familiaritatis locum apud Imperatorem habere. Dominica itaque irradiante, adeſt prædictus Epiſcopus *Eckhardus*, cum venerando fratrum noſtrorum coetu & ſenatu vice Domini noſtri directis, qui Canonica authoritate & Patrum ſanctorum priſca conſuetudine objecta, fortiter Archiepiſcopi cæptis reſtiterunt; atque ſic conſecratio præſcripti Monaſterii intercepta eſt. Ipſe vero Epiſcopus, inter miſſarum ſolemnia facto ad populum ſermone ſynodum ſuam biduo ante ſancti Andreæ natale, cum banni approbatione denuntiat; deinde ad altare regreſſus, in Cathedra ſedens, privilegia quædam ante incognita mandat recitari, in quibus continebatur, ut nemo de jure illius Eccleſiæ auferret quicquam; hinc in decimis vel prædiis vel ulla re inveſtitura contineret, hoc quoque Banno roboravit, ſicque diſceſſum eſt. Epiſcopi autem qui aderant, ægre admodum Archiepiſcopi animoſitatem conqueſti, fratri & Coepiſcopo per nos mandant pertinaciam ipſius & temerarium inceptum ſe coërcere non poſſe; id unum ſuppetere, ut Apoſtolicum Imperatoremque adeat; illius cauſam, illorum eſſe communem; nec ſe defuturos, quin de eiſdem utriſque, Apoſtolico videlicet atque Imperatori, ſcriberent.

CAP. XIX.

VEnerabilis itaque Pater B. *Bernwardus* ultra modum ſollicite ferens quantulumcunque ſchisma in Eccleſia graſſari, ſciens quoque infuſum venenum, niſi Apoſtolico & Imperiali antidoto comprimi, non poſſe, quanquam gravi corporis moleſtia ſæpius laſſaretur, & tantum iter imbecilli ejus corpori omnimodis eſſet contrarium; tamen, ut pacem reformaret, contra vires ſuas, ſubire non recuſavit. Nam jam pridem ardebat miro deſiderio, Dominum Imperatorem, quem unice amabat, videre. Paratis itaque tanto itineri neceſſariis, per *vallem Tarenti* *, quia ea via commodior eſt viſa, ire procuravit; habens ſecum omnium Ciſalpinorum Epiſcoporum ſcripta. Porro *Anno Incarnationis Domini Milleſimo* (u) *Nonas Novembris*: nimio mœrore totius congregationis plebiſque à Monaſterio egreſſus, magna compunctione deducitur; Dei gratia comitatus ad votum rebus cedentibus *ſecundo Nonas Ianuarii* Romam ingreſſus eſt. Quod humillimus ac piiſſimus Imperator audiens, miro affectu dilectum Magiſtrum videndi flagrans; ad ſuam præſentiam tamen eum fatigare nolebat; ſed feſtinus à Palatio, fere duo miliaria ad ſanctum Petrum illi occurrit; benigniſſimeque ſuſceptum, inter amplexus familiariſſime deoſculatum ad hoſpitium deduxit; diuque cum illo confabulatus, ſequenti die illum ad Palatium venire rogavit. Hoc (w) permiſit, ut quantulumcunque de ſuo proprio in miniſterium ſuum impenderet, ſed per ſex ſeptimanas, quibus apud illum morabatur, ſufficienter in uſum ſui ſuorumque cuncta indigna (x) largiter miniſtrari, præcepit. Mane vero Dominum Apoſtolicum convocavit, in occurſum chariſſimi hoſpitis; venientem quoque foris in atrium obviam procedentes libentiſſime ſuſceperunt: Nec permiſſus eſt ad ſuum domicilium reverti, ſed juxta, ubi ipſe Dominus Imperator habitabat, ſplendidiſſimum illi habitaculum exhibebat. Viciſſim quoque, nunc Imperatoris cubiculo, interdum Epiſcopi conſidentes, & forenſes cauſas & reipublicæ neceſſaria conferebant. Nam de Archiepiſcopo & tumultu Gandeneſemenſi oborto, ante acceſſum Domini Epiſcopi fama præcurrens, cuncta divulgaverat; unde non opus habebat ſingula evolvere, ſed breviter ſtrictimque, Imperatore interrogante, pauca contexuit.

CAP. XX.

SEd Archiepiſcopus, quod mente perceperat, actu perfecerat. Quidam enim maligni illum impulerunt; Sophia nihilominus inſtiterat. Venit itaque biduo ante ſancti Andreæ Feſtum, *Gandenſem* ad Synodum, ut diſpoſuerat, habens ſecum venerabilem Epiſcopum *Rhetarium*, aliosque complures extraneos, videlicet de *Thuringis* & *Haſſis*, quorum id nihil intereraṫ, non

* Tridenti. (u) Browerus in margine legi alias *MI*. teſtatur: ſed in noſtro MS. *MIV*. ſcriptum eſt; male haud dubie. (w) MS. *Nec*; & recte. (x) MS. rectius: *indigna*.

nonnullos etiam de suaDiœcesi, infra *Saxoniam*. Sed in principio actionis, Præsul venerandus *Ekkehardus* Archiepiscopum commonet, ut à synodo desistat, nec in aliena Ecclesia talia præsumat; præcipue cum Dominus Episcopus, ad quem Ecclesia pertineat, absit; & cum Domino Apostolicò & Imperatore consistat. Ad hæc, incredibili furore Archiepiscopus succensus, torvo vultu ac minaci jubet, ut sileat, nil ad se talium pertinere, ut propriam Ecclesiam habeat, illam gubernet. Contra Ekkehardus, peccatis, inquit, agentibus, *termini Episcopatus mei Barbarica sunt feritate depopulati*, civitas deserta, Ecclesia desolata; sedem non habeo, servum me sanctæ Mariæ & Hildenesemensis recognosco, & in cunctis, quoad potero, loco sancto prodesse studebo. Archiepiscopus itaque productis viris, quos adduxerat, requisivit Episcopos, si liceat homines illos banno suo ad Sacramenta constringere, ad cujus Diœcesin illud Cœnobium pertineat. Illi quamquam metum illius veriti, ajunt legitime fieri non posse, absente Episcopo. Ekkehardus itaque Præsul & fratres nostri, populus quoque orant instanter, Sacramenta suspendi. Qua unanimitate Cleri & plebis Archiepiscopus commotus, prædicto Episcopo minatur, ut sileat; vel cum injuria foras eum ejiciendum. Super hoc plures indignati, & aliquanti, quos Archiepiscopus adduxerat; cum propemodum tumultus oriretur, Ekkehardus Præsul, ab Episcopis rogatus, secessit; cunctosque Gandese[illegible]ses & omnes ad Hildenesemensem Diœcesim pertinentes ad suam Synodum invitavit. [illegible]jus bannum unanimiter omnes egressi illum secuti sunt, tantummodo cum Archiepiscopo suis propriis, quos adduxerat, relictis. Cum vero deDiœcesi Sacramentis examinarentur, alii *Etbrinam* * Frideslarensem fluvium terminum Hildenesemensis Parochiæ affirmabant, errorem faciente nomine *Ederna* fluminis, quod Gandensem alluit; alii certum nil se scire, nisi quantum aliorum relatu didicerint, approbant; nullus aliquid, vel memoria dignum asseruit. Archiepiscopus tamen, ac si veritate cuncta fixa constarent, Banno, ne quis illi Sacramento retentum Cœnobium auferret, munivit; sicque libero errore discessum est. Populus vero, quicquid ab Hildenesemensi senatu jubebatur, obedienter obivit.

CAP. XXI.

INterea legatus Romam super his Domino Episcopo dirigitur; scripta quoque Domino Apostolico & Imperatori, lacrymoso admodum stylo ferebantur. Unde tam Apostolicus quam Imperator, & omnes Romani graviter commoti, Canonum autoritatem, Patrum nihilominus traditionem violatam; contemptum quoque maximum Romanæ Sedi & Apostolico, Imperatori etiam tali præsumptione irrogari; periculosum scandalum in Ecclesia hac insolentia scientes posse generari, hujusmodi virus penitus exstirpandum decreverunt.

CAP. XXII.

PEr idem tempus mansit cum Imperatore unicum decus Imperii, Dominus *Hinricus*, tunc temporis *Dux potentissimus*, in proximo quidem Dei pietate *Rex futurus*, in quem Dominus thesauros divinæ humanæque sapientiæ contulit. Hic graviter semper ferebat Gandesem obortam controversiam; atque ardenter instabat Ecclesiam pacificare, & sub signis Christi militantes ad charitatem & gratiam reformare. Hujus itaque suasu Cleri plebisque coadunata estSynodus viginti Episcoporum de Romania; aliquanti etiam aderant de Italia & Tuscia: de nostris *Sigefridus Augustensis*, *Hinricus Wirciburgensis*, *Hugo etiam Junior Ciciensis* præsidente Domino *Gerberto Apostolico* cum Imperatore in *Palare*, ** in Ecclesia sancti Sebastiani Martyris, præsente nihilominus singularis meriti viro *Henrico Duce* pacatissimo, & Abbatibus, astantibus quoque Presbyteris & Diaconibus, omnique Romana dignitate. In fronte itaque actionis post Evangelia lecta, & quædam patrum capitula, benedictione data, cum sedissent, facto silentio, venerabilis Episcopus *Bernwardus* de loco sessionis suæ modicum progressus humiliter Domno *Apostolico* & *Imperatori*, & Domino *Henrico Duci*, omnique Synodo causam Ecclesiæ suæ elimato sermone exposuit. Cunctis itaque questu ejus conpunctis, sapientissimus Papa interrogavit Concilium: si Synodus habenda vel vocanda esset, quam Archiepiscopus cum suis, quos adduxerat, collegisset in Ecclesia ab Hildensemensibus semper possessa Episcopis, præcipue cum Episcopus defuerit, & ad Romanam sedem pro eisdem causis confugerit; vel, quo nomine tale conventiculum vocitandum sit? Sanctum Concilium secessum petiit, ut secretius, inter se de his inquirant. Quod piissimus Papa libens annuit. Egressique sunt soli Romani Episcopi & postmodum introgressi, cum iterum consedissent, Apostolicus ait: Quid sanci-

* *Adrana* Tacito & aliis, alluens Friteslarium oppidum, hodie *Eder*. ** *Aspastico* fortè & *Salutatorio vel Locutorio*. VulgoParlatorium vocant.

sancitis, fratres, de synodo? Sanctum Concilium respondit: In aliena Ecclesia, & ab aliis possessa nil juris habuit; neque canonice ibi synodum celebrare, aut aliquid constituere sine consensu proprii Episcopi, potuit; nec omnimodis synodus dici potest. Sapientissimus Papa dixit: Ergo quo nomine rite vocari potest? Sanctum Concilium respondit: Schisma, concilians discordias. Sapientissimus Papa dixit: Abjicienda sunt, quæ ibi gesta sunt? Concilium respondit: Canonica authoritate & sanctorum Patrum exterminanda sunt, quæ ibi adinventa, vel statuta sunt. Apostolicus ad hæc inquit: Apostolorum potestate, sanctorumque Patrum auctoritate, dissipamus, & effringimus, & annullamus, quæ, absente fratre, & Coëpiscopo Bernwardo Gandesem in sua Diœcesi ab Archiepiscopo Willegiso, & suis complicibus, adinventa, & sacramentis statuta sunt. Et adjecit: Frater, & Episcopus Bernwardus petit sibi restitui sublatam vestituram ab Archiepiscopo; quid sancitis, fratres? Sanctum concilium respondit: Vestituram, quam Archiepiscopus non potuit aufferre, non est necesse illi reddere. Sed, quia hoc ipse petendo instat, si Domino Imperatori placeat, *Apostolatus vestri ferula*, vestitura ei redintegretur, & corroboretur. Papa respondit: Fiat juxta placitum vestri; & tradidit illi Apostolicam *ferulam* dicens: Gandenesemense Cœnobium, cum adjacentibus villis & terminis, tuo juri redintegro, & corroboro, & Apostolica sanctorum Petri & Pauli auctoritate in[illegible]o, ne aliquis, nisi quantum Canones permittunt, tibi obsistat. His finitis, Dominus Apo[illegible]licus, quid faciendum esset, concilium requisivit. Responsum est: si utrisque principibus id conveniat, scriptis Archiepiscopum * quod tam audax inceptum canonibus patrumque regulis contrarium, vir summæ gravitatis attentarit; simul quoque, ut imposterum à tali controversia desistat, nec aliquid se intromittat, nisi canonicè emancipet; Synodum quoque Episcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apostolici destinari, qui Synodo præsideat, complacitum est. Locus (a) *Palati* habendæ Synodi disponitur; dies, *undecimo Kalendas Julii* denuntiatur. *Fritthericus Cardinalis Presbyter* sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, *Saxo genere*, juvenis ætate, sed senior morum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur atque dirigitur, Apostolicis *paramentis* atque insigniis non minus infulatus, quam si ipse procedebat.

CAP. XXIII.

Illis quippe diebus, Dominus Imperator *Tiburtinam Civitatem*, arcta obsidione vallavit. Machinis autem & plerisque instrumentis ad expugnationem paratis, fossis etiam miræ magnitudinis, ut aquam à meatu deducerent, cum magnam vim civibus ingererent, nec ad deditionem cogere possent, Imperator invitatur. Nec mora; adest cum Apostolico, & Venerabili *Bernwardo Episcopo*. Cumque, ut in talibus fit, alii augere obsidionem suaderent; alii, diuturno ac grandi labore parum se profecisse dicerent, bonum videri tantum, ut cum honorè fiat, obsidionem solvi. Imperator beatum Bernwardum Præsulem seorsim abducens, quid agat, consulit; ægrè admodum ferre se, cum injuria ceptis desistere. Ad quem ille: Non patior, ait, super his vos, anima mi, quem vita chariorem habeo, commoveri. Sed nunc, præcipite arctiori obsidione urbem vallari; nam, etsi reditum ad patriam desidero, non ante à Majestate vestra diverto, quam urbem populumque, vestro juri subactam, Dei pietate, videbo. Ad hæc Imperator lætus, dilecto gratatur magistro, locum arctiore obsidione munit, milites ad expugnationem instruit, intrandi vel exeundi licentiam, omnibus, imperiali auctoritate, interdicit. Aliquot diebus exactis, Dominus Bernwardus & Apostolicus præfatam urbem adeunt. Cives læti adventantes, servos Dei honorificè excipiunt, urbi intromittunt; nec prius desistunt, quam omnes pacatos Imperatoris ditioni Dei gratia adjuti subdunt. Postera namque die nobili Triumpho subsequente, Episcopi Imperatorem adeunt: Nam cuncti primarii cives prædictæ civitatis adsunt nudi, femoralibus tantum tecti, dextra gladios, læva scopas (b) ad palatium prætendentes; Imperiali jure se subactos; nil pacisci, nec ipsam quidem vitam; quos dignos judicaverit, ense feriat, vel pro misericordia ad palum scopis examinari faciat; si muros urbis solo complanari votis ejus suppetat, promptos libenti animo cuncta exsequi, nec jussis ejus Majestatis, dum vivant, contradicturos. Imperator pacis mediatores Papam & Venerabilem Bernwardum Episcopum, magnificè gratando extollit, atque ad illorum nutum reis veniam tribuit; placitoque habito, urbem non destrui in commune deliberant. Vrbani gratia Imperatoris donantur, ut se pacifice agant, nec ab Imperatore deficiant, admonentur.

Roma-

* *commoneant.* (a) *Paliti & Palithi.*
(b) Scopæ castigationi paratæ.

CAP. XXIV.

ROmani denique, indigne ferentes Tiburtinos cum Imperatore pacatos, urbis quoque suæ portas seris muniunt, vias obstruunt, libere intrandi vel exeundi Romam facultas negatur, vendendi vel emendi mercimonium interdicitur; nonnulli quoque Regis amicorum injustè perimuntur. Palatini autem à beato Bernvvardo Episcopo salutaribus monitis instructi, confessione nihilominus purgati, sacro etiam viatico inter Missarum solemnia muniti, contra egredi, & hostes impetere conantur. Bernvvardus Episcopus Dominicam hastam subiit; se quoque atque omnes vivificæ crucis munimine signat, benedictione publicè data, ac vitalibus monitis consolans & corroborans, signifer ipse cum sancta hasta in prima fronte aciei, egredi parat. Sequenti autem mane, Imperator cum suis post missarum solemnia, a venerabili Bernvvardo sacramentis cælestibus, ac divinis exhortationibus consolati, adversus hostes certamen instruunt, ipso Antistite cum sancta hasta terribiliter fulminante; cordis vero instantia pacem ab Auctore pacis suppliciter flagitante. Vnde contigit devoti militis sui precibus exoratam pacifici Regis Christi mox adesse præsentiam, cujus & in *nativitatis ortu* primum pacis gaudia nuntiantur; & postmodum, ejusdem pacis amatores, Evangelica veritate, filiorum Dei appellatione censentur. Ipsius itaque pietate, totius discordiæ rebellione sopita, hostes pacem poscunt, arma projiciunt; in crastinum se ad Palatium venturos, promittunt. Mane, Dei clementia, adsunt; pacem petunt, sacramenta innovant, fidem se Imperatori perpetuo servaturos promittunt.

CAP. XXV.

INterim piissimus Imperator, turrim quandam ascendens, ad illos concionabatur dicens: Auscultate verba Patris vestri, & attendite: & ea, mente diligenter reponite. Vos ne estis mei Romani? propter vos quidem, meam patriam, propinquosque reliqui. Amore vestro, meos *Saxones*, & cunctos *Theotiscos*, sanguinem meum projeci; vos in remotas partes Imperii vestri (c) adduxi, quo patres vestri, cum orbem ditione premerent, nunquam pedem posuerunt; scilicet ut nomen vestrum & gloriam ad fines usque terræ dilatarem. Vos filios adoptavi, vos cunctis prætuli. Causa vestri, dum vos omnibus præposui, universorum in me invidiam commovi & odium. Et nunc, pro omnibus his, patrem vestrum abjecistis, familiares meos crudeli morte interemistis, me exclusistis, cum tamen excludere non potestis; quia, quos paterno animo complector, nunquam ab affectu meo exulare patior. Scio equidem, & nutu oculorum seditionis principes assigno; nec verentur, dum publice omnium oculis notantur, nihilomnius etiam fidissimos meos, de quorum innocentia triumpho, sceleratorũ admixtione commaculare; nec posse distingui, monstro simile arbitror. Hac oratione Imperatoris, ad fletus usque compuncti, satisfactionem promittunt: duos corripiunt, *Benilonem*, & alium quendam, quos crudeliter cæsos, nudos pedibus per gradus tractos, semivivos in præfata turri, ante Imperatorem projiciunt. Hac autem seditione sedata, venerabilis Pater Bernvvardus ad sanctum Paulum, orationis causa accessit; apertoque sarcophago, sancti Thimotei, de quo in *vita sancti Sylvestri* legitur, astante custode, quem ipse Imperator ibi posuerat, de integro brachium sancti Martyris abstulit. Presbyter quoque ejus non minimam partem de eisdem reliquiis secum asportavit.

CAP. XXVI.

EGressi itaque Papa & Imperator, *Dominica Exurge*, immensis lacrymis civium, non longè ab urbe, castra ponunt. Beatus quoque Bernvvardus Episcopus, jam pridem antequam urbe excederent, accepta licentia, ad patriam redeundi, præmissis omnibus suis, simplici tantum veste, Imperatorem ad duas mansiones comitatus, quinta feria ejusdem, ab eo dimissus est. Dici non potest, quanto mœrore, quantis utrorumque lacrymis fusis, ut in publicum procedere vererentur. Mitissimus Imperator, quæ stylo vel legatario intimare dubitaverat, fido Magistro in arcanum mentis secretarium, sapienti trutina libranda, commendat. Reliquias nihilominus, integrum videlicet corpus sancti *Exuperantii* Martyris Diaconi, sancti *Sabini* Episcopi, *Goslariæ* per illum direxit, ibidem sua industria in celebri loco reponendas. Episcopus quoque mellito affamine, magisteriali moderamine, ut quondam puero alludebat; agenda quæque commemorabat, fugienda suadebat vitia, mores omnium æquitatis lance pensare, patientiam familiarissimam in cunctis vernaculam sibi conciliare, ante omnia, ne quid nimium pertinaciter *intentet*. His gestis unanimem Magistrum in hospitium ducens, exquisitis donis

Lll 3 remu-

(c) MS. rectius: *nostri*.

remunerat; deinde Apostolico convocato, benedictione data, charissimum Magistrum inter oscula flentes Dei gratia in pace dimittunt. Socios quoque viæ ex suis Imperator cum illo dirigit, qui eum deducant, & ad se remeantes ipsius salutem, atque itineris prosperitatem exponant. Rebus itaque Dei clementia ad votum cedentibus, Papiam devenit; ubi ejus adventum Præsules ac Comites totius Liguriæ exspectabant. Quibus legationem Imperatoris dedit, atque in placito considens, plura cum illis de Reipublicæ utilitatibus contulit. Illius namque consilio cuncti parebant; quia quantum ab Imperatore diligeretur, sciebant. *Leo* quippe *Vercellensis Episcopus*, vir litteris eruditus, fandi quoque copia exercitatus, ad suam civitatem, maximo cum honore & affectu invitavit; vix quoque obtinuit: præveniensque, collecto maximo Cleri populique cœtu, in laude Dei cunctis psallentibus, campanis etiam personantibus, non minori ambitu quam si Papa adveniret excepto, omniaque in ministerio ejus opulentissimo luxu, quantum imperatum est, impendit, donis quoque eximiis honoravit. Socios etiam cum illo misit, qui sequenti die hospitium plenis copiis providebant. Inde per diversa loca, & civitates veniens, plurimorum benignitate in multis locis usus, Clusas excedens, Alpibus Dei misericordia superatis *Octodorum* prætergressus *Agaunum* abiit, (d) ibique à *Rudolpho Rege Burgundiæ* liberalissimè excipitur; Qui tradidit Episcopo in proprietatem infra *Papiam* cum manuscripto tres curtiles, & sua subscriptione annulique impressione, roboravit. Inde Dei gratia munitus, divertens prospero, Deo auxiliante, itinere *Hildenesem*, cum maximo Cleri plebisque tripudio, in sancta festivitate Heroicæ Cœnæ intravit. Reliquias quoque Sanctorum, quas advexit, magno honore in Ecclesia condidit; immensamque pecuniam in altaris servitium atque in usus pauperum, expendit. Totum æstivum tempus in exstructione murorum civitatis, quam Hildensem inchoaverat, institit, interdum etiam gravi stomachi molestia laboravit.

CAP. XXVII.

Interea affuit ab Apostolico & Imperatore vice Papæ directus, Cardinalis Presbyter *Fritherieus*, omnibus insigniis Apostolicis, ac si Papa procedat, infulatus, equis *Apostolica sella*, Romano more *ostro instratis*: Scripta quoque à Papa & Imperatore Episcopis & ceteris Principibus mittuntur, ut Romanum legatum digno honore suscipiant, ejusque Legationi indubitanter omnes quasi Apostolicus præsens cernatur, obediant. Convenerunt itaque *Palati* ad Synodum, *decimo Kalendas Julii* juxta decretum Apostolici præscriptum. Legatum vero vario affectu excipiunt; Archiepiscopus autem, & qui ei favebant, mira indignatione & execratione illum spernebant. Episcopus vero *Bernwardus*, & *Lievezo Hammenburgensis Archipræsul*, aliique quamplures, reverenter eum tractabant, præcipuoque honore colebant. Sed postquam ad concilium ventum est, vix dici poterit, quanta seditione & tumultu agitetur. Nam nec locus sessionis Vicario Apostolici idoneus conceditur, horribilis strepitus ingeminatur, jus fasque contemnitur, canonica disciplina annullatur, Vicarius inter Episcopos Lievezonem & beatum Bernwardum sedens, Apostolici scripta & Legationem ad Episcopos, se habere; facultatem exsequendi quæ ferat, sibi exhiberi orabat. Imperato denique silentio, primo dulci affamine, Episcopos de pace & charitate & concordia commonet, deinde Epistolam Papæ Archiepiscopo specialiter directam profert, publiceque in auribus omnium recitari precatur. Quam, cum Archiepiscopus tangere vel videre dedignaretur, Episcoporum judicio palam est recitata; in qua ipse Episcopus * aperte corripitur, & de fraterna concordia, & obedientia admonetur. Vicarius autem, quamvis Archiepiscopum irritare magno studio parceret; tamen miti affatu, quæcunque illi objiciebantur, obedienter fratrum consultu, satis facere, Apostolica auctoritate commonet. Super his, etsi indignatus consilium à fratribus & præcipuè ab *Archiepiscopo Lievezone* quærit. Ad hæc ille bonum sibi, quia læsus frater dominorum nostrorum Apostolici & Imperatoris suffragia petiit coram Vicario, illorum Episcoporum judicio satis faciat. Januæ interim Ecclesiæ panduntur, laici intromittuntur, fit strepitus tumultusque validus, Moguntinis exulantibus **, arma exposcunt, immensas minas ingerunt, adversus Apostolici Vicarium & beatum Bernwardum Episcopum. Legatus autem, & præfatus Episcopus, nec tumultu moti, nec minis territi, licet numerosiores haberent militum copias, non arma fremunt, sed seditionem compescunt. Episcopi autem negotium in posterum diem protelandum suggerunt; in fidem suam suscipiunt, Archiepiscopum adventurum, justitiamque obedienter exseqvuturum. Interea Archiepiscopus nimio furore succensus egreditur, quem infra coronam fratrum Vicarius insequitur, & banno Apostolicæ authoritatis ad synodum in eandem Ecclesiam sequenti diluculo invitat; sicque illa actio soluta est. Matutino itaque crepu-

(d) MS. *adiit*. * Archiepiscopus. ** exultantibus.

crepuſculo clam Archiepiſcopus omnibus ignorantibus, cum ſuis abſceſſit. Vicarius autem ſecundam actionem ſynodi ſequenti diei adorſus, in principio actionis Archiepiſcopum inquirit: quem, quia non aderat, ab omni Epiſcopali miniſterio, usque ad præſentiam Papæ ſuſpendit: Cunctis vero Epiſcopis ſynodum in *Natali Domini* ad præſentiam Papæ, Apoſtolica auctoritate indicit; Archiepiſcopo nihilominus ſcripta in hunc modum dirigit: *Quia ſynodo te ſubtraxiſti, & juſſis Romani Pontificis inobediens fuiſti, auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & illorum Vicarii Papæ Sylveſtri, ab omni ſacerdotali officio ſcias te usque ad præſentiam illius ſuſpenſum.* Sic ſecunda actio terminata eſt.

CAP. XXVIII.

Vicarius autem cum beato Bernvvardo aliquantum moratus, præcipuis muneribus, ipſe & omnes ſui remunerati, in pace dimiſſus eſt. Perveniensque ad Apoſtolicum & Imperatorem, Legationis ordinem aperuit. Super quo graviter indignati, jubent *univerſos Theotiscos Epiſcopos* circa natale Domini ad illorum præſentiam feſtinare, non ſolum ad ſynodum, ſed cum omni ſuo *Vaſatico* * ita conſtructos, ut ad bellum quocunque Imperator præcipiat, poſſent procedere. Præfatus quoque *Fritbericus* non multo poſt Epiſcopalem cathedram *Ravennæ* obtinuit.

CAP. XXIX.

PRopterea Beatus Bernvvardus ſperans Dei gratia, & utrorumque Principum clementia, ſumma pace ſe converſaturum, *Abbatiam Hildewardesbuſenſis* Eccleſiæ ſibi ab Imperatore traditam & ſolemni ab ipſo dedicatione devotiſſimè conſecratam & divino ſervitio excultam, pluribusque beneficiis ac donis ab eo ditatam, ubi etiam *ſua matertera* matris regimen agebat, in præcipua feſtivitate illarum adire diſponebat, præmiſſo omni apparatu ad tantam ſolemnitatem confluentibus neceſſario. Cum jam omnia parata eſſent, ipſeque in proximo futurus; ſupervenientes nocturno tempore homines Archiepiſcopi cuncta invadentes diſſipaverunt, aliquantos vero domeſticos Epiſcopi crudeliter cæſos dimiſerunt; ac, injuria exacta, venerabilis Præſul *Gandenſemenſe* Cœnobium adire, & quæque emendanda eſſent corrigere diſponebat, ne quid ſua culpa eſſet neglectum. Cui obſtitit immenſa multitudo non minus armis inſtructa, quam ſi ad publicum bellum cogerentur. Hos conſcivit Sophia; cunctos videlicet, quos de *Vaſatico* Archiepiscopi, vel familia illius convocare poterat, omnes ſuos notos & familiares, & de propria familia manum validam, turres & munitiora loca circa Eccleſiam armato complent milite, & contra unum hominem, ſuum videlicet Epiſcopum, inermem, & benedictionem illis portantem ita *caſtellum* muniunt, quaſi barbarico procinctu ſe defendere parent; ut veraciter illud Apoſtoli impletum in illo videatur: *Omnes qui pie vivere volunt in Chriſto perſecutionem patientur.* His ſanctus præſul auditis, ſuos quid agat, conſulit. Cuncti periculo cedendum ſtatuunt; diriguntur quoque, qui veritatem diligenter inveſtigent; qui omnia, quæ ſparſerant, vera, & his majora annuntiant.

CAP. XXX.

HIs hoc modo geſtis, Epiſcopi hujusmodi controverſiam in eccleſia graſſari cernentes, ſuperquam (e) tanti viri inauditis & intolerabilibus injuriis nimium dolentes, *conventum Franconovord* poſt aſſumptionem beatæ Mariæ expetunt. Invitantur etiam *Archiepiſcopi, Colonienſis & Trevirenſis.* Ventum eſt ad diem concilii, præſidentibus *Archiepiscopis Willegiſo Mogontienſi, Heriberto Colonienſi, Ludolpho Treverenſi* cum aliis ſervis Dei, *Retbario Pathebrunnenſi, Rotberto Spirenſi, Beringero* (f) *Verdenſi, Ekkehardo Schleswicenſi.* Sed quia Ekkehardus Hildenſem hoſpitabatur, barbarico tumultu ſua civitate, & Eccleſia depopulata, beatus Bernvvardus Epiſcopus moleſtia corporis impeditus, ad conventum vice ſua illum direxit, addens illi *Notarium* (g) *Tangmarum Presbyterum & Monaſterii Decanum*, qui ſuccenturiatus adeſſet, ſi quid forte adverſi ex parte Archiepiſcopi emerſiſſet. In principio itaque primæ actionis Archiepiſcopus mitiori relatu fratribus abſentiam Domini Bernvvardi conqueritur, juſtitiam, fraterno judicio, ſi adeſſet, ſe illi facturum aſſerit. Econtra, non temeritate vel inobedientia deeſſe refellitur, ſed gravi corporis moleſtia impeditum; quæcunque ſacer conventus, divino ſtatu ** illuſtratus deliberet, ſtatuat, vel imperet, obedienter ſe obſequuturum ac ſervaturum. Sic quoque mutua benedictione data, ipſa die, actio finita eſt. Sequenti die Archiepiscopus, quibus

* Id eſt armato clientum & Feudalium agmine cum Vaſallis. (e) MS. rectius: *ſuperque.* (f) MS. *Bernigero.* (g) Loco: *notarium* in MS. eſt: *ſocium.* ** f. flatu.

bus impellentibus incertum, mordacior ad sessionem progreditur. Aliqui namque & quidam de Episcopis favore illius adducti, Beatum Bernvvardum Episcopum publice in synodo requirendum suadent. *Tangmarus* autem *Presbyter* Episcopus commonet, ut Archiepiscopum pertinaci animositate compescant. Denique Dei pietate mitior Archipræsul efficitur; instantibus tamen cunctis, ut *vestituram Gandensemensis Cœnobii* beatus Bernvvardus possideret, nullo modo Episcopus consensit, sed ut neuter illorum, donec ad (h) *Octavas Pentecostes Fridislare ad Palatium* conveniant, se intromittat; sicque concilium, Dei gratia solutum est.

CAP. XXXI.

Beatus perinde Bernvvardus gemina gratia Italiam ardebat adire, præcepto videlicet Apostolici satisfacere, & carissimum Dominum Regem videre, quem vita pretiosiorem colebat. Direxit autem *Tangmarum Presbyterum* vice sua, qui & priori anno comes itineris, & peregrinationis ejus apud Imperatorem fuerat, qui à primæva juventute usque ad canitiem scholari studio intentus, nutriendis pueris operam dabat. Hic ad præsentiam Papæ & Imperatoris cum epistolis ac mandatitiis missus, plurimorum benevolentia, per viam gratia Domini sui usus, Imperatorem *in Spoletanis partibus* reperit, à quo, merito Domini Episcopi, benignissime susceptus, Apostolici adventum præstolabatur. Quibus convenientibus, Legationem & scripta tradidit, Imperatore clementer apud Apostolicum Episcopi causam prosequente. Deinde jubetur synodum exspectare, quæ apud *Tudertinam civitatem in Natali Domini* futura erat, bonis omnibus ex parte utriusque Principis opulentissime sustentatus.

CAP. XXXII.

Eodem tempore quibusdam Imperialibus obtinentibus frater Beati *Præsulis Bernwardi Tammo Comes* Imperatori gratus, vir certe omnium morum probitate præclarus, ad Regis imperium *de Sommerschenburg* (i) paternum munitum valde castellum insedit; cujus solertia atque industria in illis locis & vicis, bene tuebatur Respublica. *Anno singularis Nativitatis Domini nostri Iesu Christi millesimo secundo, Indictione decima quinta*, Apostolicus cum Imperatore *Tudertinæ* Natale Domini celebravit. Vbi *in festo Sancti Ioannis Evangelistæ Concilium* coadunatur Episcoporum per Romaniam, & aliquorum de Tuscia & Italia. De nostris quoque consederunt, *Rotgerus Leodiensis, Sigifridus Augustensis, Hugo Citiensis*. Inter Missarum solemnia itaque considentibus ad tringinta Patribus, præsidentibus quoque Dominis ac principibus urbis, Papa atque Imperatore, post Evangelium recitatis ex decretis Sanctorum Patrum aliquibus Capitulis, ad præsentiam Synodi per *oblationarium*, Legatus Venerabilis Bernvvardi Episcopi statutus est. Ad quem Apostolicus ait: Dic, qua causa ad nostram præsentiam veneris, vel quid ad synodum habeas. Mox Legatus, toto corpore ad terram prostratus, & erectus faventium manibus, pedibus utriusque principibus provolvitur; consurgensque, sic ait: Dominus meus, Apostolatus vestri auctoritatem Imperialem quoque Majestatem magnifice gratatus est, pro cunctis in quibus pro sua Ecclesia clementer laborastis. Quid autem Legatus vester profecerit, aut quid in sua legatione occurrerit, ipse, quia præsens est, melius exponet. Post discessum autem illius, Episcopi dolentes litem & controversiam diutius bacchari, conventum Franconofurti statuunt; ad quem cum Venerabilis præsul noster venire non posset, gravi corporis infirmitate impeditus, vice sua me direxit. Tandem in communi reverendi Patres decreverunt, ut neque Archiepiscopus nec senior noster de Gandensemensi Cœnobio se intromittant, usque post Octavas Pentecostes, & tunc *Frideslare* ad synodum pro hac causa conveniant. Et quia hic ad Apostolatus vestri sedem delata * vestris scriptis multotiens est annullata; vestrum expetit iudicium, ut vestra authoritas jubeat in quo foro, vel sub quibus judicibus, causam terminare debeat. Ad præsentiam nihilominus hujus sanctissimi conventus, gratia sancti Spiritus hic per vos aggregati, parvitatem meam destinavit, ut omnis Senatus Apostolicæ Ecclesiæ publice cognoscat, illum devotissimo affectu, Domino Apostolico & Romanæ Sedi obedire & consentire, & vestro judicio adinventa vel decreta poscere, & pro posse, perpetuo servare. Ad hæc Dominus Apostolicus obedientiam beati Antistitis, & devotionem & studium magnifice collaudavit. Prosequitur quoque venerabilis *Ravennatis Ecclesiæ Metropolitanus Fridericus*, & quæ *Palathi* atque in tota legatione sua illi occurrerint, contexuit. Archiepiscopi inobedientiam, injuriam, contemptum etiam Romanæ sedis; & è contra Beati Bernvvardi benignitatem, charitatem exponit. Et quod ab illo præcipuo honore sit habitus, & affluentia omnium bonorum

(h) In MS. loco *ad* est *usque*. (i) In MS. Guelf. verbum *de Sommerschenburg* omissum hic est; sed in versione Saxonica etiam extat. * caussa.

norum opulentissime refectus. Ad hæc animositas Archiepiscopi palam ab omnibus Romanis Episcopis improbata, temeritas præsumptionis illius carpitur; in commune tamen cuncti deliberant, Coloniensem Archipræsulem cæterosque Episcopos, qui proxime venturi erant, exspectandos. Mittuntur etiam nuntii, qui in *Epiphania Domini*, ad præsentiam utriusque Principis illos venire jubeant. Sed cum minimè venirent, exspectantur ad tres inducias. Cum autem nullo modo fieri posset, ut convenirent, *Presbyter Tangmarus*, ut absolveretur, omni nisu institit. *Tertio* itaque *Idus Januarij* Imperator dimisit à se Legatum chari sui Magistri sæpe dictum Presbyterum largissimè remuneratum. Episcopo quippe munera præcipua direxit; inter alia *onychinum vas* magni pretii; *species* quoque *medicinales diversas*, *pigmenta* etiam diversa.

CAP. XXXIII.

IAm verò imminebat miserabilis dies obitus videlicet mitissimi Imperatoris. Confessus namque est prædicto Magistro, cum ab illo interrogaretur, leviter se febricitare. Ingravescente ergò quotidiè morbo, astantibus Episcopis, communitus Sacramento Corporis & Sanguinis Domini inter verba puræ confessionis, *decimo Calendas Februarii* mitissimus ac humillimus Imperator, cum ingenti dolore omnium bonorum, spiritum efflavit. Quis valet stylo exprimere, vel fando differere irremediabilem dolorem undique ad exequias confluentium. Funera itaque *Teutonum Legio*, præparatis cunctis ad iter indiguis, corpus mitissimi Domini, (*) *Aquis* portabant; susceptumque est sancto die Palmarum festivo obsequio totius regni cunctisque principibus, præcipuo affectu ad exequias famulantibus, sepultusque est in medio choro.

CAP. XXXIV.

INterea vota principum in diversa rapiuntur, plerisque Regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde *Princeps* quidam *Bruno* nomine, sciens venerabilem Bernwardum Episcopum Domino *Henrico Duci* reverentissimo esse fidissimum, timens, ne cæptis ejus adversaretur, si quid inciperet, quoscunque in exitium illius, vel in damnum Hildensemensis Ecclesiæ armare poterat, pro viribus institit: hinc prædis & rapinis passim bachatus in loca & homines Episcopi. Sed ille more suo nusquam de fide desciverat, quamvis multis sæpe lacessitus injuriis. More autem sapientissimi architecti, prudentissimus præsul fundamina novi regni precum initiis inchoavit. Omnes namque fratrum & sororum catervas, quæ divinis sceptris sub ejus vexillis militabant, intenta supplicatione, intenta rerum necessitate, advigilare monebat. Ipsi quoque, quod tamen cunctos celabat, arctâ Domini clementiam abstinentiâ exorabat. Vnde fit mirabilis Dei misericordia in electum adunatio, ut popularium vota primorum prævenirent studia. Nam sicubi publici conventus cogebantur, vox una vulgarium; Dominum *Hinricum* debere imperare, ipsum non alium quemlibet rebus debere præesse. Omnibus ergò pari voto in electione illius concordantibus, *Willegisus Archiepiscopus*, & *beatus Bernwardus*, cum cæteris regni Principibus Dominum *Hinricum* Moguntiam cum summo honore ducentes, *Dominica Octava Pentecostes* regimen & regiam potestatem, cum *Dominica hasta* illi tradiderunt; ac deinde omnibus ritè pactis cum maximo tripudio universorum, solenniter cum Dei gratia unxerunt.

CAP. XXXV.

NOvus autem Rex *Paderbrunni*, sancti *Laurentii Natale* celebravit, ibique Domina *Cunigunda* regalem coronam & benedictionem à *Willegisô Archiepiscopo* accepit. *Sophia* verò ad Gandenesemense Cœnobium electa, more suo, velut in sacro velamine, proprium repudiata est Episcopum, ita nunc quoque dedignata à suo pastore, & patre regiminis, & consecrationem percipere, tumore fastuque vanitatis à *palligero* benedici obtentu Regis & Principum, expetiit: Beatus autem Bernwardus non valens resistere, annuit.

CAP. XXXVI.

ANno *Incarnationis Domini millesimo tertio* Rex orationis causa Episcopia & Abbatias, sancta videlicet loca circumiens, ubi servi Dei vel ancillæ religiosius in divino servitio excubabant, ut se regnumque divinitus sibi collatum illorum precibus tueretur, Hildenensem adire magnificè desiderabat. Sed, quia nullus Regum ante illum religione loci id aggredi tentabat,

(*) Aquis-granum.

bat, beatum Bernwardum convenit; qua ratione sanctum locum visitare audeat, consulit. Licentia quoque ab illo acceptâ, ante sanctum diem Palmarum præfatam Ecclesiam adiit, susceptusque est solemni honore. Ipse quoque in altaris ac fratrum ministerium præcipuam pecuniam largitus, locum ditare & honorare promisit, atque ex magna parte benignissimè perfecit.

CAP. XXXVII.

Tertio post hoc anno, occidentalibus Gallis Rempublicam infestantibus, idem Imperator expeditionem adversum illos movit; cujus arma beatus Pontifex juxta præceptum Domini, quæ Dei erant Deo, quæ Cæsaris Cæsari fideliter restituens, cum immensa manu militum secuta, vigilantissimo obsequio ad gratiam militabat. Expeditione verò soluta, quæ prius voto decreverat, *ad sanctum Martinum* tetendit, non tamen absque regali licentia fraternaque Episcoporum munificentia. Suos itaque omnes iter, quod disposuerat, diligentisime celabat, quia illorum lacrymas, ne posset sufferre, timebat. Regi tamen commendatus non multis comitatus, iter aggressus est. *Parisiis* apud *S. Dionysium* aliquot dies consistens, loca sancta lustrando, animi magna contritione totum se Domino mactavit. Inde *Thuronis* tendens, magna sedulitate *Rotberti Regis* in via usus est, ibi etiam septimana conversatus coram pio patrono, sua, suorumque commissa, quotidianis ubertim lacrymis deflet. Honoratus denique à Rege & Episcopis preciosissimis B. Martini de Sacro corpore reliquiis (nam maximum æstimabatur, si cui aliquantula particula de casula, sive de cæteris paramentis sancti Confessoris posset contingere) ipse cœlesti thesauro remuneratus, & aliorum plurimorum sanctorum, cum benedictione omnium, digressus, Parisios perveniens aliquot dies consueto exercitio precum intentus, nihilominus etiam præfato Principe & Episcopis pretiosissimi Martyris Dionysii sociorumque ejus sacro-sanctis pignoribus perceptis, cum benedictione & gratia ab illis digressus, felici cursu ad patriam repedabat. Et quanquam post tanti itineris difficillimum laborem, celerem reditum vota omnium præoptarent, vicit tamen effectus, quo semper Dominis obsequebatur, & benignissimum Regem Aquis positum adiit; à quo affectuosè suscipitur, quia jam diu ægrè illum videre cupiebat. Nam *Bavenberch* regali loco, qui sibi hæreditario jure à majoribus suis competebat, *Episcopalem sedem* noviter cupiebat instituere; unde Synodum omnium Episcoporum in *Franconovord* adunavit, ut scripta Romani Pontificis super hoc & decreta communi judicio comprobarent. Cui taxationi insignem Dei servum & Antistitem *Bernwardum* primo Regalis Majestas, tum Episcopalis dignitas interesse magnis precibus postulabant. Nec abnuit, quin promptisima obedientia Regem honoravit. Reversus verò Hildenensem, delatas Sanctorum reliquias veneratione condigna servandas locavit, semetipsum in sanctimonia solita sollicitius dietim exercuit. Episcopatus sui terminos antiquitus præfixos, labore nimio & sollicitudine custodivit.

CAP. XXXVIII.

Illis diebus miserabilis, cunctisque sanctæ matris Ecclesiæ filiis perpetuò lacrymabilis luctus, peccatis nostris exigentibus, exortus est: ita ut *duodecimo Kalendas Februarii* nobile *Monasterium sanctæ Hildenensemensis* Ecclesiæ diabolicæ fraudis faculis nostrorumque criminum flammis pene incendio perditum est. Nam in eadem nocte, primæ quietis tempore, cunctis infra urbem commorantibus magis peccatorum pondere sopitis, quam somni alterius quieti deditis grandis ille dolor nobis miseris supervenit. Verum sanctæ Dei genetricis interventu, sanctorumque nostrorum pio precatu, dominique nostri venerabilis *Bernwardi Episcopi* acerbissimo ploratu, omnis ille vehemens ardor, divini roris infusione extinctus est, & illud venerabile templum mansit incolume, servatum Dei gratia, nisi quod nobis perpetuo est lugendum, quod cum pretiosissimo missali ornamento inexplicabilis librorum copia periit, nosque spiritualium nostri armorum inermes reliquit. Ipso quoque anno, beatus *Bernwardus* sanctæ Hildenensemensis civitatis patronus, sequenti omnium sanctorum festivitatis die, altare summum sanctæ Dei genetricis, quod, proh dolor, peccatis nostris promerentibus, valida, ut dictum est, ignis inundatione confractum erat, devotissima mentis intentione, quarto Nonas Novembris in melius restauravit & benedixit, Deoque acceptius hominibusque laudabilius, auri argentique ac gemmarum claritate effecit. Interea Domina *Rothegardis* dignæ memoriæ *Hildewardeshusensis Ecclesiæ Abbatissa*, venerabilis *Bernwardi Episcopi matertera*, diutina corporis infirmitate castigata, resolutionis suæ diem sibi semper optabilem divino, ut creditur, instinctu, instare cognovit; unde in sacratisima nocte Dominicæ Nativitatis, ad missam, *Dominus dixit*, in Ecclesiam se ferri præcepit; ibique, Dominici

Cor-

Corporis & Sanguinis viaticum percepit. Inde, rite omnibus peractis, denuò ad lectum reportata, convocatis sororibus, ita exorsa est: Ex hac vita me hodie, carissimæ, quo Deus jusserit invitari, vobis denuntio: sed hoc quia infra majoris missæ solemnia futurum esse, non ignoro, ne qua divini famulatus fiat interruptio, vos, audita mea morte, minimè turbari deposco. Dei namque tanto mihi largius auxilium affuturum esse confido, si modo nulla ejus servitii, mei causa, facta fuerit intermissio. Divinis itaque solemniis ex more completis, ad communiendum exitum meum quantotius occurrere festinate, suoque creatori animam precibus attentius commendare curate, vestrumque semper finem suspectum habentes, in illo tremendo judicio, dum licitum est, per bona opera Deo dignæ inveniri satagite. His dictis, eas stupentes nimium pariter ac mirantes, abire permisit. Quod quia Spiritu prophetico prævideritt, rei patenter exitus ostendit. Nam, ut prædixerat, infra majorem Missam, incipiente Sequentia, sancta illius anima carnis est ergastulo soluta. Inde manifestè datur intelligi, beatam hanc fœminam, plus aliquid cæteris mortalibus divinæ gratiæ concepisse, cui non solum suæ carnis absolutionem tam evidenter concessum est præscire potuisse; verum etiam eo die, præsentis vitæ miseriam feliciter evasisse, quo ad eam pro totius mundi salute tolerandam, Redemptor humani generis, ex inviolatæ Virginis utero ineffabiliter prodiens, creditur advenisse.

CAP. XL.

ANno autem *Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Millesimo septimo*, Rex Venerandus *Hinricus* totius Romani Imperii potentissimus, *Palithi* Natale Domini, cum maxima gloria celebravit. Quocunque verò sapientissimus Imperator ora sui sanctissimi vultus circumtulit, si quos forte dissidentes reperit, aut statim reconciliabat; vel si quicquam obstitit, ut id non posset, efficere nunquam mente feriabat, donec violatam charitatem reformabat. Quod etiam tunc in ipso festo singularis Nativitatis, facere prudenter instituit. Nam vetus odium, quod *Archiepiscopus Willegisus* ad Hildenesemensem Episcopum beatum videlicet *Bernwardum* levibus de causis conceptum, sævis irarum stimulis irremediabiliter sub mente nutriebat, sæpius delinire cupiens, animositate illius victus, destitit. Veruntamen coram multis Episcopis, aliisque principibus, qui ad Palatium affluxerant, conveniens Archiepiscopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna invectione confregit, ut se, totamque controversiam illius judicio, vel fratrum votis obstaret. (k) Deinde sapientissimus Rex sæpius interceptam Gandenesemensis Ecclesiæ Dedicationem, in vigilia Epiphaniæ domini indixit, quæ tunc prima feria Dominicæ Resurrectionis accidit; Velationem etiam ancillarum Dei in ipsa sacra die Epiphaniarum. Venerabilis igitur Bernwardus Episcopus Willegisum Archiepiscopum & cæteros fratres in auxilium sui ad consecrationem prædictæ Ecclesiæ invitavit. Nec mora, adest sacra solemnitas; consecrationis mysteria ex præcepto beati Bernwardi Episcopi disponuntur; fiunt omnia charitate fraterna, ita ut Archiepiscopus in aspersione primum locum teneret, & cum ipso beatus Bernwardus Episcopus. In Ecclesia verò ipse, cujus Parochia erat, mysteria consecrationis fratribus dispensabat: primum namque gradum ille obtinebat. Expletis itaque, Dei gratia omnibus fraterna charitate, Rex cum Archiepiscopo & cæteris ad populum progressus, sic locutus est: Diuturnam, peccatis agentibus, controversiam charissimi hodie deponere, & terminare dignum duximus. Agnosco enim, & scio hanc Ecclesiam & adjacentes villas Hildenesemensibus Episcopis semper pertinere, & ab illis absque contradictione possessam esse. Ad hæc verba Imperatoris Willegisus Archiepiscopus tandem Dei misericordia in se rediens, & quicquid proprio reatu, vel aliorum instinctu, in Deum & sanctam ejus Genitricem exercuisset, videlicet injusta invasione Parochiæ Gandesem ad titulum Hildenesemensis Ecclesiæ pertinentis publicè confitens, juri & repetitioni ejusdem loci abrenuntiavit, & in testimonium hujus abrenuntiationis, *ferulam Episcopalem* beato Bernwardo tradidit, dicens: Frater charissime, & Coëpiscope, abrenuntio juri hujus Ecclesiæ, & hanc pastoralem ferulam, quam manu gesto, tibi sub testimonio Christi & Domini nostri Regis & Fratrum nostrorum trado in testimonium, ut hoc neque ego, neque ullus successor meus, aliquam interpellationem, vel repetitionem de hac re possit habere. Sicque officium Missæ ab Archiepiscopo, consensu beati Bernwardi, solenniter peractum est. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini, velatio virginum solemni celebratione præsente Rege omnibusque Episcopis à Bernwardo venerabili Episcopo facta est. Sicque gratia Dei rebus in pace, & caritate, sapientia mitissimi principis compositis, discessum est. Archiepiscopus autem hac lite sedata, Præsulem nostrum omni honore & charitate dilexit, & in nostro Monasterio fraternitate honorificè acquisita, summam dilectionem & loco & fratribus providit.

(k) Loco *votis obstaret*, in Manuscr. rectius est: *submitteret*.

CAP. XLI.

HIs ita se habentibus, idem Archiepiscopus, *quinto post hoc anno*, plenus dierum bonorumque operum, *septimo Kalendas Martij* migravit ad Dominum: post quem *Erkenbaldus* subrogatur *Mogontino Regimini*, prius *Abbas Fuldensis Cœnobii*, cui nihil decreat Catholicæ fidei, quem beatus Præsul *Bernwardus Kalendis Aprilis Mogontiæ consecravit*. Divino itaque respectu surrexit in Archipræsulem, quia tempore iracundiæ, factus est reconciliatio. Qui quoad usq; vixit prioris discordiæ lenocinia posthabuit, insuper ordinatorem suum *consanguinitate* etiam *sibi propinquum*, debita devotione, ut patrem, coluit, & paterna caritate tractavit.

CAP. XLII.

QVinto deinde *anno Erkenbaldus Mogontiæ Metropolitanus* plenus dierum, & meritorum, *decimo quinto Kalendas Septembris*, pacem Dei ecclesiæ dereliquit, & animam in manus Angelorum efflavit. Huic *Aribo regius capellanus* successit in regimen, per quem rediviva restaurantur arma discordiæ, quæ sub prædecessore suo sopita quieverunt, prævalente gratia concordiæ: quem futurum pontificem cum in Sacerdotem consecrare deberet Deo dignissimus *Bernwardus*, gladio verbi Dei adstrinxit, & anathematizavit, præsente Domino *Hinrico*, benignissimo Imperatore, & diversis Episcopis, cum astantibus populis & clericis, ne post susceptum Regimen sanctæ Hildensemensi Ecclesiæ inferret injuriam super parochia, *Gandenesheim* dicta. Quod ipsum iterum repetiit, & confirmavit, dum illum, vice sua in Archiepiscopum venerabilis *Eggehardus* consecravit *Episcopus*. Sed quod tunc subdolè promisit, grassante stultitia, post fefellit. In ipsa enim promotione sua Dominum *Bernwardum* Episcopum ficta pace per legatum suum convenit, & per falsa *salutaria*, querimoniam super Gandesem tentavit: Cui beatus Bernwardus, divina inspiratione doctus, non ejus vaniloquio attendens, obligationis suæ anathema retexit, dicens; nil sibi commune cum illo esse, si bene vellet nisi ea, quæ Dei essent: de parochia verò sua absque dubio, nihil sibi cessisse. Hac responsione obstruitur machinatio Archiepiscopi; & super hac re nec mutire quidem ausus est in vita beati Bernwardi Episcopi. (l)

CAP. XLIII.

INterea venerabilis præsul Bernwardus ampliare studens divinæ servitutis obsequium, in parochia sui præsulatus ob recompensationem futuram, Christum elegit hæredem, & quod præcipuum habuit, seipsum cum omnibus acquisitis vel acquirendis rebus Patri omnipotenti, sicut jamdudum in secreto mentis statuerat, in sacrificium obtulit. *Monasterium* (m) itaque *in Septentrionali parte civitatis* in loco quodam squalido, feris quoque seu brutis animalibus coaptato, tota devotione, & apparatu decenti instituit, quod prædiis sufficientibus dotatum, cœnobitis Deo famulantibus ibi, delegavit.

CAP. XLIV.

ANno vero *Incarnationis Millesimo quinto decimo, Regni autem domni Henrici piissimi Imperatoris decimi quarti, ordinationis domini Bernwardi venerabilissimi Præsulis vigesimi tertii, Indictione decima tertia, tertio Kalendis Octobris*, Crypta ejusdem Monasterii magno decore, Dei gratia consummata, dedicatur à præfato Antistite Bernwardo & honorabili *Sleswicensis Ecclesiæ Antistite Eggehardo*, atque venerando *Mimigardevordensi pastore Thiderico*, in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & ejus Beatissimæ & gloriosissimæ genitricis perpetuæque virginis Mariæ, *Sanctiq; Michaelis Archangeli*, totius quoque militiæ cœlestis exercitus, & simul sexaginta sex reliquiarum ab iisdem venerabilibus patribus & Præsulibus ibidem digna veneratione reconditarum.

CAP.

(l) In Codice Manuscr. veteri, quo Browerus usus est, hoc loco scriptum extitit: EXPLICIT TANGMARVS. Sed antiquus alius autor de Translatione S.Bernwardi expressis verbis dicit: *Tangmarum de conversationis S.Bernwardi sanctitate, gestorum magnificentia & transitu plenissime narrasse.* Nec stylus alium prodit autorem.

(m) Hoc est Monasterium S. Michaëlis disciplinæ S.Benedicti.

CAP. XLV.

ANno perinde *Incarnationis Dominicæ Millesimo vigesimo secundo, Regni autem Domini Henrici Imperatoris vigesimo primo, ordinationis verò beati Bernwardi trigesimo, Indictione quinta tertio Kalendas Octobris*, supra dictum Monasterium ad utilitatem Monasticæ vitæ constructum, multiplicique, velut hodie patet, ornatu perfectum, dedicatum est cum omni devotione Ecclesiasticæ religionis à venerando ejusdem Ecclesiæ provisore Bernwardo Pontifice, & ab honorabili *Unewano Archipræsule Hammeburgensis Ecclesiæ*, ab *Eggebardo Slesvvicensi Antistite*, & à *Bennone Aldenburgensis Ecclesiæ*, Reverendissimo *Antistite*, in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & ejus sanctissimæ Genetricis semperque Virginis Mariæ ac salutiferi ligni adorandæ & vivificæ Crucis, & ad speciale patrocinium *Sancti Michaelis Archangeli*, totiusque militiæ cœli, & ad laudem venerationis omnium Sanctorum Dei. Sed mox ejusdem monasterii habitaculum commissum est ad regendum Abbatis officio, *Goderammo*, Cœnobii sancti Pantaleonis præposito. Tandem verò Sancti Michaelis Ecclesiam vir beatus, postquam prædiis opulentissime dotavit, præsente Apostolici Legato, uno videlicet Cardinalium cum undecim Episcopis, nec non & diversarum professionum personis, banni sui auctoritate roboravit. Hoc autem piæ devotionis opus, quam maturè animo intenderit, quo fervore, nacta oportunitate aggressus sit, qua vigulantia & assiduitate institerit, qua caritate sufficientiam exteriorum ei providerit, qua libertate construxerit, qua authoritate firmaverit, quantum etiam ipse interim, divino tactus verbere, profecerit, ipsius verbis melius proferemus. Dicit enim in privilegio eidem Cœnobio dato: *Omnis creatura, homo nonne* (n), *ideo à suo condita est creatore, ut juxta ritum naturæ, potius suo serviat Creatori, quam creaturæ. Cujus habitudinis status dum sit rerum discolor usus, animum tamen rationis compotem semper reflectit ad suæ conditionis tramitem. Sed quo amplius quemque correxerit divinus haustus, tanto divinius se Deo quisque obligat in omnibus rebus. Et hoc fieri nequit, nisi ubi valida Dei manus quemq; sibi attraxerit. Unde in appetitu gratiæ se cuiq; imaginat & conformat, protectio divinæ misericordiæ. Cujus rei experimentum dum consulimus, è vestigio nobis occurrit divinum responsum, quod peccante Adam, & inde longa exilii dispendia perferente, credidisse Abraham Deo & hoc illi reputatum esse ad justitiam. Cumq;, & divina præveniente clementia, tum & exigentibus meritis accipimus Legislatorem, Moysen, Ducem ac Præceptorem extitisse populi Israel. Pari examine sanctitatis, miramur, miraculorum factorem Heliam humani ævi nondum cognovisse metam, sed curru igneo sublatum esse, ultimo sæculorum judicio* (*). *Excedit mentem nec capiet finem, si de his, & horum similibus nostra ratio ulterius se tendere voluerit. Satis indicio est, quantus assurrexerit in prœliis David manu fortis: & sole lucidius est, structo tabernaculo Dei, quantis religionum ritibus & libaminum mysticis cultibus se Deo approximaverit sanctus Salomon, cujus pœnitentiæ meritis nullus unquam repertus est similis. Quibus omnibus ad habitudinem factorum revelavit Deus secreta meritorum, ut temporaliter meritò & opere omnibus semper essent dispares, insuper æternaliter angelicis spiritibus fierent coæquales. Hæc ego Bernwardus considerans, Dei praelectione non meritis dictus Episcopus, & diuturna meditatione volvens, qua meritorum architectura, quove rerum pretio, possem mercari cœlestia, cum essem* aulicus scriba *doctus, & beatæ memoriæ* tertii Imperatoris Ottonis didascalus, simul Primiscrinius, *divina tactus gratia, reatus mei superflua perhorrescens, divinamq; gratiam concupiscens, distraxi animum in diversa, quomodo æternæ satisfacerem misericordiæ, sicque remedium meæ obtinerem animæ. Sed in tenuitate tunc meæ qualitatis, quicquid animo proponebam, aut vix inchoandum, aut nunquam perficiendum timebam. Animus tamen magis ac magis ardore sancti propositi desudabat, licet tunc temporis fortuna quid inchoasse vetabat; cum ecce Dei electio, Senatuumq; declamatio, me Pontificalis gloriæ solio intronizandum præeligunt; & ne grex Domini turbaretur, sine Pastore, nec esset Ecclesia mater nostra quasi vidua, in electione novi Pontificis, cor unum & animam unam omnibus fecit habere spiritus pacis. Intronizatus* Bennopolitanæ Ecclesiæ, *quæ diu animo conceperam, opere conplere volebam, scilicet beatæ memoriæ tradere titulum nominis mei, Ecclesias struxisse, ac officia Deo servientium inibi ordinasse, omnemq; facultatulam meam Domino lucrasse, qui esset pars & hæreditas mea; & quia sunt occulta Dei judicia, semper tamen justa, consensu & hortatu Christi fidelium, novam Dei Ecclesiam condere cœpi, in qua ad laudem & gloriam nominis Domini, & voti mei propositum adimplevi, & sanctæ Christianitati, adhibitis Deo dilectis fratribus, consului. Fundato enim novello*

(n) Legend. ut in Manuscripto est: *homo nomine*, &c. (*) reservatum.

vello opere, & designatis eo loci locorum qualitatibus, ne occasio terrenæ vagationis, esset dilatio cœpti operis, gloria tibi Christe, tactus febris incommodo, ægrotare cœpi quinquennio: & dum nihil fit in terris sine causa, castigans castigavit me Dominus & morti non tradidit me, *ut credo & confido in Domino, ne absentia mea præsentiæ fieret quædam intermissio spei meæ. Cui loco, Deo, sanctæq; Cruci, perpetuæq; Virgini Mariæ, sanctoq; Michaeli Archangelo titulato, Monastici ordinis indidi personas; quas ea ratione coadunavi, ut sicut juxta Monachicam normam à sæculi actibus alieni; ita essent ab omni impedimento sæcularis servitii, liberi. Consilio itaq; senioris mei Imperatoris Hinrici, &* Magistri mei Erkenbaldi Archiepiscopi, quem ego cum confratrum meorum conventu in Archiepiscopum consecravi, *quicquid terrenarum facultatum in curtis, curtilibus, terris, pascuis, aquis, sylvis, pratis, Ecclesiis, sanctorum pignoribus, libris, argento & auro & quicquid id est, quod hereditario jure possedi, aut seculare coemptione acquirere potui, exceptis plurimis, quæ altari sanctæ Mariæ in principali Ecclesia, in coronis aureis, calicibus, candelabris, palliis, aliisq; ecclesiastici ordinis ornamentis contuli, totum usibus fratrum, per manus advocati mei tradidi, Deo & sanctis ejus, pro animabus prædictorum seniorum meorum Imperatorum, & mea, omniumq; successorum meorum, & eorum, quorum patrimonia acquisivi, quatenus servitores Christi, ab omni terreno servitio liberi sub defensione, & patrociniis successorum meorum Episcoporum præmuniti, in pace & misericordia, quieta tempora ducant* (o). *Si quis autem mei ordinis successor, aut aliqua sæcularis persona hoc effringere voluerit, & hæc tyrannicè sibi usurpare præsumpserit, gladio verbi Dei à Deo & Sanctis ejus illum submoveo, ut incumbente super illum omni maledictione, careat benedictione, sicque exterminatus à terra & cœlo, partem habeat cum Juda, & cum his, qui in hereditate possident sanctuarium Dei. Insuper heredes, Dei & nostra licentia in suos usus, sua studeant repetere, dum vident, alienum invasorem, in suis patrimoniis debacbare.* Hæc beati viri dicta consideranti, facile patebit, quanta vel ipse in Deum devotione perfecerit, vel quanta superni respectus dignatio eum assumpserit. Qui enim insistens operi cœlesti verbere merebatur eliquari, manifestis indiciis probatur à Domino diligi. His itaque piæ devotionis studiis Deo dignè & hominibus laudabiliter omni vitæ suæ tempore conversatus, *anno ordinationis suæ trigesimo primo*, cum jam transitus sui diem, quem semper optaverat, imminere provideret, *Capellam* inter *sacellum sanctæ Crucis*, & *monasterium suum* constructam, in honore beati Christi confessoris Martini à venerabili viro *Eggehardo Slesvvicensi Episcopo* dedicari fecit: ibidem præ augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monachicæ professionis jugum suscepit.

CAP. XLVI.

TActus deinde infirmitate ultima, cum adesse sibi exitus sui horam sensisset, in eandem Capellam se ferri præcepit, justum esse asserens, ibidem vitæ terminum sortiri, ubi sæcularis abrenuntiationis habitu, se contigisset insigniri. Sic itaque beatus vir diutina corporalis molestiæ infirmitate tritus, bonum certamen certans, cursum consummans, fidem servans, viam universæ carnis ingressus, ut credimus, certumq; tenemus, divinis admixtus spiritibus, duce Michaele Archangelo, beatæ immortalitati est præsentatus. Qui quoad usque vixit, Domino se sacrificium justitiæ sacrificavit; sicque plurimis mirificatus insigniis cælesti pace quiescit. *Obiit duodecimo Kalendas Decembris; sedit* autem *in Cathedra triginta annis;* cujus Discessus ad Deum fecit nos pupillos absque patre, matrem nostram Hildensemensem sanctam Ecclesiam quasi viduam. Nam mox tanti patris excessu tota civitas commota congemuit, & tam cleri quam plebis cætus omnis doluit. Vbique vociferatio lugubris exoritur, mœror inconsolabilis cujusque professionis auditur; & quem secum manentem communi affectu semper amplectebantur, hunc non immerito decedentem, lamentatione communi prosequuntur. Hinc pauperum, hinc viduarum, orphanorumque turba miserabili ejulatu patrem se amisisse præclamabat, hinc patriæ defensorem, pacis amatorem ac totius Reipublicæ sagacissimum provisorem tam nobilium dignitas, quam plebium humilitas concordi dolore subtractum esse deplorat. Mirum nempe in modum, vir iste omnibus omnia factus, inter divites & pauperes, inter elatos & humiles auctorabili quadam modestia incedebat medius; & utrobique, justè providus, nec mitibus intractabilis, nec protervis despicabilis apparebat. Communi ergo, ut dictum est querimonia defunctus plangebatur, qui communi dilectionis honore colebatur. Sed ne irrationabiliter, more illorum qui spem non habent, contristemur, si consolantem perdidisse dolemus in terris, patrocinantem

(o) In Manuscript. *ducant & in salute viventium beata contemplationi inhæreant.*

tem habere gaudeamus in cælis, & sic corpori compassionis officia impendamus, ut etiam spiritui feliciter cum Deo regnanti congratulationis debita persolvamus. Præceperat autem adhuc vivens, ut feretrum, quo ad tumulandum corpus ejus efferebatur, non pallio, ut moris est in talis personæ funereo obsequio, sed cilicio operiretur. Quod ideo hic inserendum putavimus, ut cunctis legentibus pateat, quanto vir iste à Domino etiam temporali honore sublimatus, semetipsum humilitate depresserit, cujus viventis Spiritus devotio tam humile obsequium defunctæ quoque carni providerit. More itaque Ecclesiastico exequiis ritè celebratis, corpus Deo dilecti Præsulis in Crypta cœnobii quod ipse fundaverat ante altare sanctæ Mariæ, maxima cum Christi fidelium devotione sepelitur. Sepulchrum autem sancta sibi devotione præparaverat, & tale solitæ humilitatis epitaphium superscripserat:

Pars hominis Bernwardus eram, nunc claudor in isto
Sarcophago diro, vilis & ecce cinis.
Proh dolor officii culmen quia non bene gessi,
Sit pia pax animæ, vos & amen canite.

CAP. XLVII.

QVid hac re beati viri mansuetudine dulcius, quid abjectione laudabilius? quo enim se vilius sub humilitatis deprimit modio, eo lucidius in Ecclesiæ apparet candelabro. Et quantum suo judicio sacerdotali honore indignus deputatur, tantum laudabilis vitæ testimonio dignus per omnia comprobatur. Piè denique consideranti modum conversationis ejus, & sanctæ à puero institutionis magni meriti luce clarius apparebit, quamvis longè aliter se ipse æstimaverit. Valles enim, secundum Psalmistam, frumento abundant, hoc est, humiles spiritu, potioribus divinæ largitatis muneribus, exuberant. Sed pius Pater Deo plane & Ecclesiæ dignissimus, & inter cæteras virtutes, quibus adornatus erat, humilitatis cultor præcipuus quid pro ipsa cordis humilitate consolationis, quid fidei, ac spei conceperit, manifestat in titulo, quem his verbis interioris sarcophagi inscripsit titulo: *Scio quod Redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quæ nimirum dicta eo spiritu ab ipso creduntur repetita, quo primum ea constat fuisse prolata: ac si aliis verbis apertius diceret: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ. (p)

Ista quæ sequuntur in plerisq; Libris & Codicibus inveniuntur de obitu S. Præsulis.

CAP. XLVIII.

TRANSITVS viri Dei sanctissimi Præsulis nostri Bernwardi nonnullis divinitus ostensus est, sed ista prosequendo libet priora paululum attendere. Sedebat aliquando vir Dei Bernwardus adhuc vivens cum hospitibus suis in aula sua. Scholaris verò quidam pauper ante fores eleemosynas petendo, pium Præsulem, ut sui misereretur, invocavit. Quod audiens homo Propheticus, & Spiritu Dei plenus, jussit, ut *Episcopus Coloniensis* foris stans mox introduceretur. Currentes ergo ministri, renuntiaverunt neminem foris esse præter illum scholarem pauperem. Sanctus autem Bernwardus affirmans ipsum esse Coloniensem Episcopum, festinanter adduci præcepit; adductumque benignè suscipiens, in capite mensæ pauperem renitentem collocavit. Cui, post mensam rubore perfuso & verecundo, pro reverentia sibi à tanto Præsule exhibita, vir beatus, quod ipse Coloniensis Episcopus esset futurus, prædixit; humiliter exorans, ut primam missam, quam in Colonia celebraret, pro paupere

(p) Hic apparet finire vitam S. Bernwardi à Tangmaro presbytero scriptam. In versione Saxonica immediatè post hæc verba sequuntur: *Transitus viri Dei* &c. seu ut Saxonicè sonant: **de Verscheding des hilligen Mannes Bernwardi is itliken dorch Gott geopenbaret** &c. eodem ordine, quo hîc Latina extant. In Manuscripto vero Gvelferbytano plura omittuntur, & post verba: *corona justitiæ*, immediatè sequitur, quod longè inferius apud nos est: *Cernitur nihilominus ad dextram partem sepulcri.* &c. &c.

pere Bernvvardo decantaret. At ille, cum summa devotione precibus ejus annuens, benedictione petita, & accepta recessit ab eo. Factus igitur Archiepiscopus, juxta vaticinium viri sancti regnante Domino *Hinrico de Bauenberch*, *anno Domini millesimo vigesimo tertio, duodecimo Kalendas Decemb.* ad Altare missam celebraturus accedens, ipse Coloniensis Episcopus, cantoresque præveniens, missam pro defunctis, omnibus, qui aderant, stupentibus inchoavit, nec immemor interpretis sui, Beati scilicet Bernvvardi, cum venisset ad Canonem, devotissimè sicut promiserat, memoriam ipsius egit inter vivos. Sed inter salutaris victimæ consecrationem, transitus viri Dei divinitus ei revelatus est; unde mox etiam in memoria defunctorum nominis ejus mentionem fecit; & omnia quæ acciderant, finita missa, fidelibus publicavit. Qui cæleste miraculum curiosius investigare cupientes, missis exploratoribus in Hildensem, certissimè cognoverunt, quod eadem hora, quando Archiepiscopus hostiam nostræ salutis immolavit, anima sanctissima, fidelis & prudentis servi Domini nostri Jesu Christi, cœleste gaudium introivit. Fuit nihilominus in remotis partibus à civitate *Lunda* ad duodecim millaria viginti sex annis quidam inclusus in quadam sylva devotus Eremita Anselmus nomine, qui solitas Deo preces fundens, statim fuit in spiritu: & vidit ipsa die, qua anima viri Dei cœlestia claustra petivit, cœlos apertos cum ingenti lumine; & audivit inter dulcem melodiam beatorum spirituum, hoc carmen ab Angelis iterari: O felix anima Bernvvardi, cujus merita hominibus adhuc sunt incognita; Deo autem & nobis valde nota. Hæc tribus vicibus continuis die depositionis vidit, & audivit. Prædictam revelationem, vir Dei dum sæpe cum devotione revolveret, ubi tamen illius nominis vir tam beatus habitasset, ignoraret; ecce adstitit ei venerabilis persona proceræ staturæ, venusta facie, respersa canis, & operimentis Pontificalibus vestita, dicens ei: Ego sum Bernvvardus Episcopus Hildensemensis, quem trina visione in choro Angelorum collaudari audisti. Ego templum in Hildensem Angelis construxi, & Virginis filium patrimonii mei successorem feci, cunctisque sæculi voluptatibus renuntiavi; habitum Angelicum suscepi; nunc quoque centuplum omnia recepi; ac in tali jubilo sicut vidisti, vitam æternam possideo. His sibi cum aliis quibusdam revelatis, cum ingenti lumine disparuit, & pro gloria sancti viri solitarius quæ audierat & viderat, fidelibus revelavit. Obiit itaque sanctus Præsul anno Domini *Millesimo vigesimo* (*) *tertio*, ut dictum est, & sepultus in crypta Ecclesiæ suæ, quam construxerat. Latuit autem sub terra annis centum & septuaginta duobus. Cernitur nihilominus ad dextram partem sepulchri, super columnarium conscriptio talis: (**)

Hac tumuli fossa clauduntur Præsulis ossa
Bernwardi, miri magnificiq; viri.
Qui patriæ stemma, radians ut (a) *gemma serenà,*
Acceptus populo (b) *complacuit Domino.*
Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
Quem Deus Emanuel diligat, & Michael.
Tandem bis senis undeno mense Kalendis,
Felix hanc vitam mutat in Angelicam.

CAP. XLIX.

QVantis (bb) post hæc miraculorum insigniis confessorem suum Dominus glorificaverit, non est nostræ parvitatis, explanare. Sed ne cuncta præteriisse videamur, pauca de pluribus explicamus. Puella quædam de *Erpesford* oriunda, *Hildegardt* nomine, cum multa languentium turba, diversis ægritudinibus vexata, Hildensem advenit, miserabilem in modum

(*) Quidam 1022. melius; nam sedit 30. ann. incipiens à 15. Januarij ann. 993.

(**) Versio Saxonica ait notanter: darto wert ock gesehn to der rechten Syden sines Graves an den Pilere syn Epitaphium dat öme de hillige Vader Benno Bischop der Kercken to Myssen to Eren unde Gedechtnüsse geschreven hefft: unde ludet in dem Latino alse. rc.

(a) *Velut inclita gemma.* Edit. Embseria apud Surium in Bennone.

(b) *Acceptus Domino compl. pop.*

(bb) Huic paragrapho usque ad verba: *pauca de pluribus explicamus*, Interpres Saxo titulum præfationis (de Vorrede) præposuit. Verosimile autem est, miracula, quæ sequuntur, esse ex illis, quæ Monachi S. Michaëlis Monasterii Cincio nuntio Apostolico, cum Hildesiæ esset, narrarunt & juramentis confirmarunt; deinde vero in testimonium sanctitatis B. Bernwardi summo Pontifici exhibuerunt. Quod si verum est, certum erit, etiam ea esse scripta ante historiam Translationis: malè vero ab Interprete Saxonico post historiam Translationis laudatæ rejici.

dum tota contracta, ita ut genibus pectori inhærentibus, manu dextra incurvata cubitali mensura, vix à terra surrecta, se rependo traheret. Quæ per sex menses & eo amplius circa loca Sanctorum reptando, mendicans à Deo salutem, à populo stipem, admonita, ut ipsa referebat, per somnium ad tumulum beati Bernvvardi reptando pervenit; & supposita eidem tumbæ cerea effigie, continuo coram populo, cujus eodem tempore multitudo forte convenerat, nervorum distentione durius cruciari cepit. Quid plura? Infra biduum erecta est, & sanitati restituta. Testis est civitas nostra, cui, miseria prodente, erat notissima. Fuit in nostra civitate miles quidam ministerialis habitans; cujus filia ægritudine pressa & desperata. Pater anxius ne sine Baptismi Sacramento migraret (infantula enim erat) Beato viro se devovit; ut si meritis ejus ægra spatium ad nostræ salutis Sacramentum percipiendum obtineret, ipse memoriam ejus cum oblationibus visitaret. Nec mora, juxta votum sepulchrum Beati Præsulis adiit; inde rediens, infirmam plenè convaluisse reperit.

CAP. LI.

Alia puella de *Hanovere*, tanto cruciabatur oculorum dolore, ut penitus elici orbibus suis ipsi oculi putarentur vi doloris. Promissa igitur oblatione ad tumbam Sancti Præsulis, ilico, sospitate redeunte, conquievit vis doloris.

CAP. LII.

Simili passione quidam in *Runebach* * vexatus, cum jam penitus oculorum salutem desperaret, invocato sancti Præsulis auxilio, in somnum resolutus est. Facto diluculo, penitus omni dolore fugato surrexit, eademque die cum testibus suæ sanitatis ad tumulum beati viri gratias acturus venit.

CAP. LIII.

Faber quidam de *Bokenen* (c) Bodo nomine, tactus est infirmitate gravi per tres septimanas, ita ut manus & pedes jam præmortuos occasuros à sua compage arbitraretur. Vocatus ergo Sacerdos, cum jam desperaretur, advenit; cujus consilio cæterorumque propinquorum, vovit, ut si intra triduum meliorari cepisset, sepulchrum beati Præsulis gratias acturus, visitaret. Hæc cum agerentur, feria quarta ante Dominicam Rogationum, sequenti die ac nocte adeo convaluit, ut proxima sexta feria nudipes Hildensem veniret, sic tamen luridus ore, ut ipsa facies conspecta viri, audientibus fidem faceret miraculi.

CAP. LIV.

Mulier quædam *Gostlariensis* Elmot nomine à Dæmone possessa, cum venisset ad beati Bernwardi memoriam per aliquot dies ibidem horribili modo vexata, precibus sancti Præsulis curata est; septem aut plures dies postea nobiscum mansit, quotidie sepulchrum Pontificale cum devota gratiarum actione visitavit. Crebro ibidem corpori & sanguini Domini communicavit. Inde digrediens, post septimanas sex rediit, & ceream duobus denariis comparatam tumbæ supponens, pro sanitatis suæ perseverantia gratias retulit. Testis est tota Gostlaria, ubi pro mercimonii sui negotio probatur fuisse notissima.

CAP. LV.

Juvenis quidam in Bohemia, in sacratissima nocte Nativitatis Dominicæ cum duobus fratribus suis cæterisque coævis, ludis quibusdam invigilans, dirissimo dæmoni vexandus est traditus, fratribus utrisque subitanea morte prævocatis, cæterisque omnibus, qui eisdem infaustis intererant ludis, à morte subtractis, aut Dæmonum vexationi contraditis. Itaque post triennium, durante infelici passione, juvenis idem ignaris parentibus huc illucque cursitans, tandem Hildensem pervenit. Ibi, dum completorium caneretur, Monasterium sancti Michaelis ingressus, tam dire ante Altare sanctæ Crucis vexatus est, ut omnes, qui aderant horrore nimio stupidi, & miseratione compuncti redderentur. Introducitur itaque vi impellentium, nimium ipse renitens, in Cryptam ad Beati Bernvvardi tumbam. Ubi diutius furore notatus (e), & verba blasphema garriens, ut quidam linguam ejus intelligentes, qui tunc forte aderant, cum stupore pavidi retulerunt; tandem concidit, apertoque ore inhians, liquorem spurcissimum

* MS. *Runeberg*. (c) MS. *Bukenem*. (e) MS. *votatus*.

mum cum fœtore nimio eructans, incolumis surrexit. Postera die populo præsentatus est sanus, & ex eo, per quindecim ferme dies sepulchrum frequentans, & pavimentum per circuitum assiduè lambendo exosculans, devotissime cum lacrymis liberatori suo gratias egit.

CAP. LVI.

QUidam mercatores Bremenses, cum in mari versus Angliam navigarent, tempestate gravissima præventi sunt, ita, ut rupto fune anchoræ, & navi tota concussa, jam (f) vicinum cunctis pelagus intentaret interitum. Cumque supplicatio communis, & clamor lacrymabilis concreparet ad sanctorum patrocinia, repente quidam intulit, quendam sanctum Pontificem Bernvvardum nomine Hildensem coruscare miraculis. Ejus ergo communi voto suffragium postulantes, continuo inter medios undarum vortices, sine labore, insolita tranquillitate portum petierunt; & in minori navicula redeuntes, anchoram suam in mari elapsam, retulerunt. Exinde domum reversi duos ex comitibus suis cum navicula cerea, ad tumbam Beati viri in feria tertia post dominicam Lætare Ierusalem, pro gratiarum actione transmiserunt. Iidem quoque postea simili periculo per eum liberati, argenteam anchoram per semet ipsos obtulerunt.

CAP. LVII.

NEgotiatoris cujusdam Hildensem habitantis conjunx, cum die Parasceve loca Sanctorum more quam pluribus consueto, annuatim nudipes circuiret, thuris partem comparavit, quam ad beati Bernvvardi tumbam ferre destinavit. Ergo via, quæ tendit ad monasterium sancti Michaelis, in aqua lutea, quæ per civitatem versus urbis murum decurrit, pedes lavit, inde ad monasterium tetendit. Cumque cæmeterium ejusdem Ecclesiæ conscendisset, agnovit elapsum esse thus, quod emerat. Unde graviter animo consternata, excussis vestimentis, sicubi adhæsisset, eadem via, qua venerat, usque ad aquam qua prius pedes laverat, quærendo reversa, nihil invenit; mæstaque nimium ad monasterium rediit. Inde Cryptam ingressa, ante tumbam Pontificis in oratione cum largo flêtu procubuit, reputans apud se, ideo sibi oblationem elapsam, quod quasi indigna fuerit eam perferre ad sancti viri memoriam. Finita oratione humili, & lacrymosa, surrexit, thus perditum in manu sinistra reperit; quod tumulo superponens, cum ingenti pavore abscessit, quod gestum erat, sub silentio abscondit, donec quinto aut sexto die à familiaribus ejus proditum, innotuit. Quæ postmodum cum rei gestæ veritatem à quodam fratre nostro promere peteretur, non sine lacrymis narrare potuit.

CAP. LVIII.

MIles quidam Thietmarus nomine ministerialis Regis, in vico *Hoya* juxta Wiseram fluvium habitabat. Hujus filius annorum circiter octo, cum per quinquennium fistulæ incommodo in maxilla sinistra vexaretur, omnisque medicorum operatio in illo frustraretur, tandem ad tumulum sancti Antistitis oblationem suam, cereum videlicet caput ferre devovit, si infra novem dies incolumitas illi, meritis beati viri, redderetur. Igitur infra triduum ante tempus præoptatum puer remedium accepit; & tertia feria infra hebdomadam Pentecostes, cum patre, matre & avia in testimonium receptæ sanitatis cum votis promissis ad memoriam beati viri sospes pervenit.

CAP. LIX.

ABbas etiam *Cœnobii sancti Michaelis Conradus* nomine, dum quadam die, causa utilitatis monasterii iter ageret, fortè accidit, ut equo labente cui insiderat, tibia collisa, prorsus debilis, & cruciatus in sella gestatoria referretur. Iussit itaque se ad sepulchrum beati Pontificis deferri; ubi in oratione prostratus, cum vovisset se, quoad viveret candelam nocte & interdiu ibi provisurum, incolumis continuò surrexit; quique alienis manibus est illatus, propriis est pedibus egressus.

CAP. LX.

NEque hoc reticendum videtur, quia plures Deo devoti tam viri quam fæminæ, nocturnæ quietis tempore, ad sepulchrum beati Præsulis psalmodiæ cantus se audisse, & luminaria divinitus accensa vidisse, & miri odoris fragrantiam sensisse, testati sunt.

Mulier

(f) MS. *tam*.

CAP. LXI.

Mulier quædam *provinciæ Marahensis* de civitate *Olomutz*, non infimis parentibus oriunda, septem annis sinistræ manus digitis in volam contractis, ejusdem brachii ulna concreta, pectori pene cohærente, debilis aruerat; quæ multa sanctorum loca sanitatis gratia frequentare consueverat. Venit ergò multo itineris labore fatigata, mane septimo Kalendas Junii ad sepulchrum beati Bernvvardi, ubi infra priorem missam posita, populo inspectante, pristinam sanitatem recepit. Cujus rei testes idonei plurimi tunc temporis affuerunt; qui prius illam se debilem agnovisse testati sunt. Mox ergò omnes, qui huic affuere miraculo, multique de civitate accurrentes, Deum, qui tantis famulum suum glorificat, * in hymnis & laudibus benedicebant.

CAP. LXII.

Quidam in *Thyringia*, manum habens aridam, omnique operis officio privatam, cum se ad beati viri memoriam cum oblationibus ire vovisset, si meritis ejus sanitatem consequeretur, inopinata celeritate, quod optaverat, adeptus est. Ille autem tantam gratiam parvipendens, & votum implere dissimulans, ejusdem manus itemque brachii simul debilitate, multatus est. Cui, nimio dolore cogente, licet sero in se reversus, & cur hoc pateretur haud ignarus, cum promissis oblationibus ad sancti Præsulis auxilium invocandum, ire cæpit, nondumque peracto itinere, perfectam sospitatem recepit. Ut ergò ad locum pervenit, ubi sancti Præsulis corpus requievit, condignas sanatori suo gratiarum actiones persolvit; nobisque, qualiter hoc gestum sit, cum pluribus suæ sanitatis testibus, enarravit.

CAP. LXIII.

Alter quidam *Volcuardus* nomine omni civitati nostræ notissimus, simili passione vexatus, quodam tempore, cum in beati Michaëlis Ecclesiam introductus fuisset, corporalesque medicinas sibi adhiberi petiisset, quidam presbyter à Deo potius sibi sanitatem petendam admonuit, & ad beati Bernvvardi memoriam spe sanitatis ire persuasit. Quo facto, vix hora dimidia transacta, Cryptam lætus exivit, seque sanatum fuisse, cunctis in Ecclesia consistentibus evidenter ostendit. Qui post septem dies revocatus, & de perseverantia sanitatis interrogatus, cum se nihil doloris habere fuisset professus, populo, cujus multitudo aderat, est præsentatus; Deusque ab omnibus magnis est laudibus glorificatus.

CAP. LXIV.

Rusticus quidam *Lunignæ* habitans, Romam ad sanctum Petrum orationis causa tendens, in eodem itinere gravi cæpit infirmitate detineri. Cui, cum omnimodis à carnium esu abstinere se vovisset, quoadusque ab beati Bernvvardi sepulchrum gratias acturus, venisset, si per eum à mortis se contigisset periculo liberari, continuò sanitati pristinæ restitutus est.

CAP. LXV.

Puella quædam parvula Machtildis nomine, de Bavaria nata, sed apud nos à primis fere annis, in vico *Fossem* (g) conversata, religiosi cujusdam viri Ecberti nomine sustentata eleemosynis manum habens contractam, venit ad beati Bernvvardi tumbam, quam mox ut attigit, optatæ salutis remedium invenit.

CAP. LXVI.

Fuit quoque Bremis mulier non ignotæ inter suos opinionis; cujus facies, ingravescente morbo, adeo intumuerat, ut narium & oculorum discretionem pene funditus ademisset. Cumque voti ejus beati Bernvvardi compassionem implorassent, super nimiam ejus afflictionem voventes eam sepulchrum ejus visitaturam, dolor ilico cessavit & inopinata celeritate sanitas pristina rediit.

CAP. LXVII.

Fuit in *Ritelogon*, (h) qui est vicus duobus milliaribus distans à civitate Hildensem, puella quædam ita diversis per quinquennium passionibus, & molestiis corporis affecta, ut novissimè

* miraculis. (g) MS. *Tossem*. (h) MS. *Nitelogon*.

mè nervis, ac membris pene omnibus contracta, & sibi esset inutilis, & suis efficeretur gravis. Hæc igitur sexto Nonas Maii, vehiculo adducta Cryptam Basilicæ nostræ difficillimo labore duobus innixa baculis, irrepsit; ac se super beati viri tumbam inclinavit; ibique ab omni, quo laborabat, incommodo, mira celeritate, convaluit. Die sequenti convenit incredibilis multitudo populi nostræ civitatis, peregrinorum quoque, & aliorum, qui de diversis locis ad solemnitatem sanctæ Crucis eo die confluxerant, non modica turba; acceptoque testimonio à parentibus & civibus puellæ, de eo quod acciderat, Deum publicis laudibus in Sancto suo devotissimè glorificaverunt. Puella verò, eodem die, ad sua incolumis reversa est.

CAP. LXVIII.

VIr quidam de civitate *Lubeck* Adelvvardus nomine, ita paralysis morbo longo tempore dissolutus jacebat, ut nec in lecto semetipsum erigere, nec ad os manum propriam potuisset adducere; hujus uxori beatus Pontifex Bernvvardus in visione apparuit, eamque ut pro salute viri candelam juxta longitudinem ac latitudinem sepulchri sui factam, Deo vovere debere, edocuit. At illa de somno evigilans, & visionem retractans, illico surrexit, & assumtis duabus fæminis in vestibulo domus suæ solo prosternitur, postque orationem, & votum promissum, ad maritum reversa est, invenit que eum pro recuperata jam sanitate Deo gratias agentem. Qui ab illa hora tam plene convaluit, ut non longe post, ad votum persolvendum cum uxore, sancti viri sepulchrum visitaret, ac patrati in se miraculi relator certissimus existeret.

CAP. LXIX.

ALio quoque tempore jam dicti Patrisfamilias filius adhuc infantulus, cujusdam molis desuper venientis ruinâ oppressus, atque contritus, cum jam pene videretur exanimis, ejulabunda mater ad S. Bernvvardi patrocinium confugit; nec spe sua frustrata est. Nam continuo post preces & lacrymas ejus ad Deum fusas, sub invocatione sancti Præsulis puer tanquam ab ipsis mortis faucibus ereptus, vitæ redditus est.

CAP. LXX.

MIles quidam Herebordus de villa *Hornsen* (i) diutina infirmitate consumptus, ad extrema pervenerat. Cognatis autem & amicis illius, pro amissione charissimi sui nimium dolentibus, sacerdos ejusdem loci suggessit, ut pro eo patrocinium beati Bernvvardi implorarent, votum facientes, ut si vitæ restitui, & salutem consequi potuisset, ad sepulchrum Sancti laneis indutus, & discalceatus de domo suâ incipiens, venire debuisset. Omnibus ergo id fideliter voventibus, æger melius habere cæpit; & proficientibus meliorationis suæ augmentis, in brevi ad plenum covaluit. Qui postmodum alterius causæ occasione *Bruneswich* civitate consistens, ex eodem loco ad persolvendum votum iter arripuit, eo quod brevioris viæ compendio usus, in ambulando minus esset laboraturus. Perveniens itaque ad civitatem Hildensemensem graviter infirmari cæpit. Sed tamen cæptum adimplere desiderans Ecclesiam sancti Michaelis, in qua sanctus Præsul requiescit, expetiit; sed ante atrium Ecclesiæ tanquam ab aliquo impulsus, corruit. His autem qui comitabantur eum, apprehendentibus atque ducentibus; ut ad januam Basilicæ ventum est, horrore nimio perculsus, & pavore inter manus eorum collapsus est, nec ullo modo assurgere, aut intrandi Ecclesiam vires habere, potuit, usquedum publica confessione, omnibus qui aderant, pro quo reatu hac pœna multaretur, aperiret. Receptis ergo viribus, ad sua revertens, & inde procedens, voti sui ordinem tanto jam devotior, quanto divino verbere eruditior, explevit.

CAP. LXXI.

MAtrona quædam Bremensis, in infirmitate posita, vidit assistere sibi quendam reverendi vultus in habitu sacerdotali interrogantem eam, utrumnam agnosceret, quem aspiciebat. Quæ respondens, ut poterat, vix enim in solo pectore vitalis spiritus anhelabat, dixit; eum sibi prorsus incognitum esse. At ille benignissimo affatu, quod ipse esset Bernvvardus Hildensemensis Episcopus, indicavit; &, quia salutis causa advenisset, asseruit. Admonuit etiam ut ad sepulchrum illius *nummatam* (k) vini ad celebrationem missarum, recuperata sanitate, offerret; atque, hoc dicto, disparuit. Mulier vero quæ morti vicina putabatur, nam solo prostrata,

(i) MS. *Herbusen.* (k) f. leg. *unam matam.*

strata, more fidelium ex hac vita migrantium jacuerat, erigens se paulisper, omnibus, qui ad exitus ejus expectationem convenerant, visionem enarravit; atque ab eadem hora salva facta est. Postmodum visitans sepulchrum Sancti, oblationem præscriptam fideliter obtulit, aliisque fidelibus ad sequendam hujusmodi devotionem, exemplo fuit. Nam multi postea tam pium factum imitantes suffragantibus meritis beati Bernvvardi, à variis languoribus & calamitatibus sunt liberati.

CAP. LXXII.

Miles (l) quidam, *de Ducatu Mekelenborch* febre acriter correptus, ad exhortationem aliquorum admonitus, ut sancto Bernvvardo Hildensemensium Patrono, votum faceret, & sine dubio relevamen & sanitatem recipere non dubitaret, faciliter acquievit; &, voto facto, mox, ut verba de ejus ore exierunt, sanatus est; in cujus evidens testimonium misit idem miles florenum aureum per duos Sacerdotes ad sepulchrum sancti Præsulis; qui prædicta sic contigisse fideliter testati sunt. Rusticus etiam quidam de Diœcesi Hildenesemensi cum diu febricitaret, aquam de tumba sancti Præsulis sibi afferri petiit, quam mox ut bibere cæpit, febris abscessit; & post illum diem non comparuit, & ut ipse dixit, in sanitate perseveravit.

XXXII.

NARRATIO *de* CANONISATIONE ET TRANSLATIONE S. BERWARDI

Collata cum MSto.

Cum ad laudem & gloriam Creatoris & Reparatoris universorum, & ad proximorum profectum quilibet quod potest, in domum Domini jubeatur offerre, cavendum est, ne quis intra sanctam Ecclesiam fidelium, in conspectu Dei vacuus appareat, sed unusquisque, secundum collatam sibi à Deo gratiam, de bonæ voluntatis thesauro, quantum valet, fideliter proferat, & in nostri Salvatoris gazophylacio saltem cum vidua paupercula, duo minuta voluntariè reponat. At nos exigui & imperiti sermone, quid ad decorem domus Dei digne possimus exhibere, penitus non habentes, valde pertimescimus, ne inter servos pigros & inutiles numerari debeamus; considerantes tamen, quod ante Dei oculos nunquam vacua est manus à munere, si arca cordis repleta sit bona voluntate, quia multis non possumus, vel saltem paucis prodesse volentes ad utilitatem eorum, qui se sacris lectionibus occupare consueverunt, & quorum meditatio in lege Domini die ac nocte, consistit, gloriosam sacri corporis Deo dilecti præsulis Bernvvardi translationem, quam *nostris diebus* solemnis fidelium devotione celebratam gaudemus, explanare proponimus, de illo utique præsumentes, qui aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas. Verum cum de *conversationis ejus sanctitate*, *gestorum magnificentia, & transitu, laudabili bonæ memoriæ Tangmarus Presbyter*, *diserto satis sermone, plenissimè narraverit*, nos hoc prætermittentes, ad ea tantum stylum vertimus, quæ vel ipsi de miraculis ejus vidimus, aut eorum, in quibus patrata sunt, probabili relatione cognovimus, vel quæ adhuc, publica fama celebrante, didicimus. Anno igitur *ab incarnatione verbi Dei Millesimo centesimo nonagesimo tertio, Cælestinus Papa tertius,* Santius, sanctæ Romanæ præsedit Ecclesiæ, vir sacrarum litterarum documentis eruditus, habens utique, unde proferret nova & vetera; ætate grandævus, colloquii suavitate blandus, &, ut paucis dicamus, ipsum cum ætate matura morum adornabat maturitas. Hic discretorum communicato consilio, venerabilem virum *Cincium Presbyterum Cardinalem* in partes *Daciæ* * destinandum duxit, ut *terram speciali privilegio Apostolorum principi subjugatam*, *Apostolorum Principi Vicarii vice, reviseret, & Provinciæ illius Principes, gravi ab invicem discordia divisos, ad tranquillitatis statum, & pacis unitatem, revocaret.* Quod Apostolicæ Legationis mandatum animo prompto, Deo favente, prudenter executus, cum

(l) sequentia dua miracula non extant in MSto. Guelferbytano. * id est Daniæ.

cum esset in redeundo, ad civitatem *Hildenesemensem*, quæ se itineri ejus offerebat, declinavit, & in monasterio Beati Michaelis à Domino *Theoderico*, qui tunc temporis ejusdem Cœnobii curam gerebat, pariter & à fratribus, hospitio benigne collectus est. His diebus sancta civitas Jerusalem, de qua per Prophetam à Domino dicitur: De Jerusalem civitate quam elegi, veniet vobis auxilium, civitas nostri Redemtoris præsentiâ simul, & sacra passionis ejus ac Resurrectionis dedicata triumpho, inscrutabili divinæ permissionis judicio, violenta Saracenorum manu tenebatur captiva; & cuidam *Saladino* ipsius nefariæ gentis Principi, misera servitute subjugata. Illud etiam vivificum sanctæ Crucis lignum, in qua Salvator pependit, & quod sui sanguinis effusione sacravit, per manus sceleratorum de sanctuario sancti templi sublatum, & in terram alienigenarum asportatum est. Sepulchrum nihilominus, in quo Redemptor quievit, & in quo mulieribus Angelicæ visionis ostensa est gloria, sic à Christianorum alienatum est potestate, ut ipsis custodibus, qui ad hoc observandum fuerant deputati, exclusis, nulli penitus fidelium ad hoc visitandum accessus pateret, qui tributa reddere Saladino recusaret. Sed, quis hujus calamitatis miseriam per singula enumerare sufficiat? Tota terra illa, cui benedixit Dominus, & in quo filius Dei dignatus est nasci, inter homines conversari, pati, mori, resurgere, cœlos adire, & super discipulos gratiam paracliti mittere, ac plura visibiliter operari miracula; terra, ubi Prophetarum & Apostolorum sacra viguere præconia, cædibus, rapinis, & variis oppressionibus, quæ à supra dicto tyranno exercebantur, laborabat. Sola civitate *Tyro* superstite, quæ propter sui firmitatem, & propter adjacentis maris latitudinem spatiosam, expugnari non potuit. Veruntamen miserator, & misericors Dominus, misericordiam sum in ira sua non continens, qui nunquam obliviscitur misereri, cum populo suo, quem quia diligit, corripit & castigat, in hac severitate piè ac misericorditer egit, multa fidelium millia, magnorum Principum & nobilium catervas innumeras, ad agendam pœnitentiam de commissis, plures eorum ad vitam præsentem termino laudabili concludendam, terræ illius amissionis occasione clementer invitans. In hoc utique facto ad illius Evangelici Samaritani exemplar, Christiano populo propter varias plagas criminum, in illis partibus Jerosolymitanis quasi semivivo relicto, conveniens antidotum cælestis medicus renovavit: severitatis vinum simul & oleum pietatis apponens: ut qui in arca tabernaculi virgam, & manno poni præceperat; unde plebem suo charactere insignitam in amissione terræ sanctæ, virga percuteret, inde in agnitione suæ fragilitatis ac cognitione proprii creatoris, eam quasi baculo sustentaret.

CAP. II.

HÆc ideo huic opusculo credidimus inserenda, ut facilius clarescat, quantis malorum perturbationibus illo tempore totus ubique pæne concussus fuerit orbis, cum neque Regio aliqua, vel provincia nec civitas quidem existeret, quæ non bellis vel seditionibus coram positis, laboraret, vel venturas formidaret. Nam sicut omnia corporis membra solo capite reguntur, &, infirmato capite, cetera membra ægritudinis incommoda sentire necesse est, ita postquam civitas Jerusalem, ubi Christianæ religionis exortæ sunt primitiæ, prophani principis tyrannidi subjacuit, per omnes fere fines, in quibus unius Dei frequentatur cultus, & maxime, apud *Saxoniam* provinciam, rapinarum, incendiorum, aliarumque enormitatum, exercebatur impietas; ut duris passionibus capiti suo gravato, reliqua sanctæ Ecclesiæ membra non immerito condolere viderentur. Tunc igitur data est libertas, & resoluta legum frenis ira ruit, ut si vir ille facundissimus ab inferis emergeret, aptius hoc ævo quam suis diebus exclamaret: *O mores, ô tempora!* Hac igitur inexplicabilis adversitatis instantia totus fere *Hildenesemensis Episcopatus* destitutus jacebat. Verum supra memoratus Romanæ sedis Legatus, tam diræ cladis violentia coactus, in præfato monasterio per dies aliquot commoratus est. Nam quidam saniori usi consilio illum affectuose præmonebant, ne sine potentis personæ conductu procederet, ne forte per quosdam malitiæ ministros, insidiarum jacula & laqueos absconditos, qui sibi tenderentur, incurreret. Eorum igitur monitionibus & consiliis acquiescens, Legatos ad Imperatorem pro litteris conductitiis ab eo impetrandis direxit, quia Hildenesemensis Episcopus in multis Imperialibus obsequiis detentus erat, & ideo ei in talibus auxilio esse non poterat. Quibus ad Imperatoriam Majestatem profectis, vir honorandus in loco jam sæpe nominato persistens amplius quam trium hebdomadarum spatium complevit, nullis aliis nisi sacræ lectionis studiis invigilans, ut jam illius Orthodoxi nostri magnæ videlicet sanctitatis viri Hieronymi spiritalis exercitii videretur imitator, aut legendo semper aliquid aut scribendo.

CAP. III.

AD hunc, quotiescunque, qui publicis sceleribus implicati essent, veniebant rogantes, quatenus de injuncta eis pœnitentia ex concessa sibi auctoritate aliquid relaxaret; in his discretè

cretè & prudenter se agebat, & primo causam modumque delicti diligentius perquirens, juxta culparum quantitatem condonationis gratiam temperabat. Sæpius etiam ad conventum fratrum accedens eos, ut erat vir mitissimus, humiliter salutabat, cum quibus Monasterium ingressus huc illucque deambulando situm ejus & honestam per omnia dispositionem mirabatur. Accidit ergo, ut una dierum oratorium solito ingressus, à fratribus, qui præsentes erant, requireret, quis tam magnifici operis fundator extitisset. Cui à fratribus responsum est, quod à quodam Episcopo, magnitudine virtutum egregio, qui ante tempora sanctæ recordationis *Godehardi Episcopi Hildenesemensis Ecclesiæ regimen* tenebat, idem locus constructus, consecratus, & de possessionibus, quæ sibi hæreditario jure cesserant, dotatus esset. Præterea, quod in crypta ejusdem Cœnobii sacræ corporis ejus essent reliquiæ reconditæ, adjicientes, quod quædam quæ de probata ipsius conversatione conscripta essent, apud eos haberentur volumina. Qui, dum super tanti viri nomine studiosius requireret, audivit, quod *Bernwardus* ei nomen fuerit, & quod de *claro Saxonum sanguine* extiterit oriundus. His auditis, Deum qui sanctos suos glorificat, benedicens, quædam de potioribus ejus miraculis in præsentia sui recitari præcepit, diligentius inquirens, si in eadem congregatione fratres existerent, qui aliqua de miraculis ejus celebrata viderent. Cui, plures è fratribus multa se de his frequenter vidisse, responderunt. Ad hos Apostolicæ Sedis Legatus; si hæc, ait, quæ dixistis, virtutum insignia in præsentia summi Pontificis audirentur, non dubium, quin rationabilem & honestam petitionem optatus prosequeretur effectus, si ab eo beati viri translationem peteretis.

CAP. IV.

Aliquantis de hinc evolutis diebus, cum fratribus capitulum (a) ingressus, post dulcia exhortationis ejus verba, universi genibus ipsius advoluti supplicabant attentius, ut quia sua inducti persuasione, pro translatione beati Confessoris promovenda, Legatos ad Romanam destinare proponerent Ecclesiam, eis apud summum Pontificem pius cooperator existeret. Illorum precibus admissis, consuluit, ut hi, qui certius aliquid de miraculis sancti viri vidissent, aut vera comperissent, relatione in præsentia sui & Domini *Bernonis*, qui eo tempore Pontificatus culmem gerebat, juramento confirmarent: Impossibile dicens, ut Ecclesia Romana facilem in hujusmodi negotiis assensum præbeat, nisi de veritate rei plenius antea fuerit instructa. Hic, dum in audientia omnium proposuisset, paratos eos & unanimes inveniens, cum ipsis pariter ad Episcopum accessit, ubi in facie ipsorum & totius Ecclesiæ fratres, quæcunque de virtutibus & signis beati viri viderant, aut per idoneos testes didicerant, Sacramento præstito, in sacro-sanctis Evangeliis vera esse contestati sunt. Quam attestationem præfatus Cardinalis in scriptum redigi, & tam suo, quam Episcopali sigillo, diligentius consignari, mandavit. His ita de consilio rationabiliter ordinatis, Dominus Cardinalis valedicens fratribus, & de impenso sibi ab eis puræ dilectionis obsequio quam plurimum regratiatus, profectus est; Domino Episcopo debita ipsum conducente reverentia, & in castro suo *Wincenburch* illum hospitio excipiente. Cum quo pater Monasterii usque ad idem castrum processit; & die sequenti, cum ab eo, benedictione petita, ad Monasterium redire pararet, fideliter consuluit, ut rebus & impensis præparatis, si forte pro sæpe dicto negotio Romanam visitare vellet Ecclesiam, eum quam citius posset subsequi, non differret. Qui ad conventum rediens, omnem consilii formam, quam ex ore viri venerabilis audierat, in communi proposuit. Deliberatione dehinc habita, quis ad hoc negotium exsequendum mitteretur, universis visum est, ut is qui Pater congregationis, Legatione fungeretur, congruum esse dicentes, ut super tam celebris negotii promotione, persona celebris & idonea mitteretur. Qui primò, infirmitatis suæ considerationem & itineris difficultatem opponens, ac imparem se huic labori per omnia judicans, quod petebatur humiliter, recusavit. Tandem ad ipsorum cohortationem, & precum instantiam, quod virium suarum robur sciebat excedere, concordi & pia petitione devictus, non dubitavit assumere.

CAP. V.

Ne quis autem ea, quæ de sacri corporis elevatione tunc temporis tractata sunt, casu, & non potius Dei præordinatione acta fuisse affirmare præsumat; non illa casu, sed ex divinæ dispositionis nutu, & de beati viri voluntate processisse, declarat revelatio cuidam religiosæ conversationis ostensa matronæ, quæ merito vitæ bonæ apud omnes opinionis, bonoque virtutum fragrabat odore. Hæc sancti Spiritus edocta unctione, quamvis habitu sæculari tegeretur,

(a) Capitolium.

tur, sæcularem tamen animum nullatenaus gerebat, sed potius jejuniis, vigiliis, eleemosynis aliisque Deo acceptis vacabat operibus. Hæc beati viri memoriam continuis orationibus frequentabat. Accidit ergo, ut nocte sanctissimæ Resurrectionis Dominicæ, dum solito precibus intenta noctem pervigilem duceret, tandem defatigata, sic, ut erat in facie prostrata, juxta Pontificale sepulchrum leniter obdormiret: vidit ergo, quasi aperto sanctuario tecto, & lapidum oppositione deposita, super sepulchri locum olei liquorem cælitus descendere largissimũ, adeo exuberantem, ut magnum Cryptæ spatium suo stillicidio videretur infundere, quæ de rei novitate mirata, subito, quod esset mirabilius, aspexit, personam videlicet reverendi vultus, pontificalibus præparamentis adornatam, de eadem tumba procedere, & talibus eam verbis affari: *Tempus adest, mea de terra quo membra leventur.* His dictis, expergefacta, quæ viderat & audierat, non passim omnibus, sed paucis Deumque timentibus ipsius cænobii fratribus, retulit. Quam visionem omni veritate subnixam subsequens visio conprobavit.

CAP. VI.

ANno eodem, quo sæpius dicta sancti Præsulis translati[illegible]celebrata est, quidam de ipsius monasterio seu collegio vir vita laudabilis, vidit per visum, quasi Cryptam ejusdem Cœnobii adoraturus intraret, cui apparuit, qualiter de loco, in quo sacri corporis reliquiæ servabantur, fons scaturiret purissimus, qui jam adeo excreverat, ut ad ostium Cryptæ suo cursu processit. Miratus ergo, & de ipso manibus hauriens & ore degustans, mellis dulcedinem sensit. Qui currens, ut Abbati & fratribus visa nuntiaret, ipsum monasterii patrem in conventu fratrum stantem reperit. Cui, dum de novi fontis eruptione narraret, nondum finito sermone, fons ipse ut sibi videbatur, effluxionis suæ largitate, ante faciem ipsorum apparuit; quem videns is, qui Abbati referre venerat; Ecce, ait, Domine, fons ille de quo dixi vobis. Qui utrique lacrymati præ gaudio, flexis genibus, Deum à quo, quicquid sanctis virtutis datur, venit, & quasi à lucidissimo fonte procedit, benedixerunt. Dehinc post longas gratiarum actiones, talem Abbas prorupit in vocem: Merito, frater, Deum de universis donis ejus benedicimus, quia indubitanter scio, quod de gratia largitatis ejus, qui dives est in omnes, meritis dilecti Patroni nostri suffragantibus, nil nobis de reliquo, si Deum timuerimus, deesse poterit. Evigilans, quæ viderat, utpote vir humanæ laudis favorem omnino declinans, paucis è fratribus retulit, rogans, quatenus audita silentio tegerent, donec certius cognoscerent, quid de suæ visionis mysterio divinæ ordinationi fieri complaceret. Nos vero, qui hominem novimus, & hæc de se ipso referente audivimus, fidenter quæcunque vidit, litteris mandamus, & cum ipso quasi cum viro, in quo dolus non erat, rei veritatem contestamur. Hæ geminæ visiones, sicut pene uno & eodem ordine prodierunt, ita sub uno interpretationis tenore intelligi possunt, quia unus & indissimilis ex his processit effectus. Nam sive olei largitas, vel fontis ubertas largitatem signabat miraculorum, quæ Salvatoris gratia & ejus electi merito sic exuberasse videmus, ut non jam tantum in sola *Saxonia* provincia, verum etiam in multis mundi partibus celebris ejus frequentetur memoria; de quibus, quia nos ad cœptum orationis ordinem properamus, in sequentibus plenius dicemus. Cum ergo, ut superius retulimus de sacri corporis elevatione, crebro fratres conferrent, paucis diebus post discessum Cardinalis evolutis, meritis beati Præsulis accidit res mira, pro sui magnitudinis dignitate silentio nullat[illegible]us occultanda.

CAP. VII.

IUvenis quidam non ignobiliter natus in Episcopatu Hildensemensi erat notissimus. Hic in ea, quam præmisimus bellorum instantia, captus ab hostibus, in civitatem *Bruneswich* adductus est. Qui, dum ab eo, quam non habebat, extorquere vellent pecuniam, pedes ejus compedibus onerantes, manus vinculis vinxere ferreis, non quidem eas constringentes, sed longius à se quasi in eculei suspensione ab in vicem extendentes, & clavis quibusdam solidis parieti domus tenacius affigentes, quem sic absque cibi exhibitione per triduum stare coëgerunt, diligenter, ne fuga elaberetur, adhibentes custodes. Anxius ergo, quid faceret, cum humano destitutus nullum nisi divinum præstolaretur subsidium; Deus, cujus misericordiæ non est numerus, qui erigit elisos, & solvit compeditos, notis & amicis suis hoc inspiravit, quatenus cum eo, qui tenebatur in vinculis, voverent, ut si à præsentis instantia periculi mereretur absolvi, beati Confessoris memoriam in habitu pœnitentiali visitaret; & tantum inopiæ pauperum largiretur, quantum appensum in statera proprii corporis pondus pensaret eleemosynæ; Voto facto, & sancti patris auxilio implorato, multa celeritate ruptis vinculis, & solutis compedibus, mirum in modum custodibus ut olim Helisæi hostibus cæcitate percussis, beati

viri patrocinio & fugæ confidens præsidio, die medio abscessit incolumis. Gratiæ dehinc circa se in tantæ necessitatis articulo exhibitæ non immemor, vota fideliter exsolvit; & taliter, ut diximus, rem circa se fuisse gestam, coram fratribus, aliisque, qui aderant fidelibus, in sacris reliquiis jurejurando contestatus est. Qui Clero & populo præsentatus, uno & eodem narrationis ordine; divinæ virtutis opus diligentius & sæpius de mera veritate requisitus, palam omnibus enarravit. Omnes igitur in communi Salvatoris gratiam, qui tali civitatem ipsorum dignatus est illustrare patrono collaudantes, hanc optabilem sancti viri translationem ulterius non debere differri, clamabant, præsertim cum illud Deo, qui in Sanctis suis honoratur, & ejus electo gratissimum esse, tam evidentis ostensio miraculi declararet. De hujus miraculi patratione fratres vehementer in Domino gavisi, decreverunt, quatenus hoc celebre factum litteris mandatum, suo signatum sigillo Apostolicæ sedis Legato præsentaretur, ut tanto ferventius ipsorum negotiis insisteret, quanto illud Sancto Dei gratissimum fore, novitate miraculi non dubitaret.

CAP. VIII.

His gestis Dominus Abbas rebus, & impensis, quæ ad præfatam Legationem erant necessariæ, præparatis fratrum se orationi attentius commendans, peregrinatione assumpta, præcedentem subsecutus est Cardinalem, eumque jam in confiniis Alpium apud monasterium *Schaphus*, quod latine *Luxovium* dicitur, reperit, ubi venerabilis pater Columbanus, ut ex gestis ejus colligitur, Deo dignam paucisque imitabilem conversationem duxit. Cujus adventu comperto, gavisus valde, in occursum ejus processit, exin amplexibus ejus diutius immoratus, gratissimum se viæ comitem habere, protestatus est. Qui pariter inde digressi, versus *montem Septimium* iter direxerunt. Quem, cum transituri essent, Andreas quidam *Marmoracensis castri*, quod huic monti vicinum erat, habitator armata eis manu occurrens; publicam itineris viam occupavit, eos & res ipsorum hostiliter invasit; mandatum se ab Imperatore fingens accepisse, ne personam Ecclesiasticam, Romanum adire Pontificem, quæ litteras illo deferret, nullatenus pateretur. Omnibus de hinc, sub gravis juramenti interpositione, comminatus est, nisi scripta, quæ apud se habebant, ipsius præsentiæ incunctanter exhiberent, eos mutilare non formidaret. Litteris ergo in communi prolatis, furorem furore cumulavit; & quod dictu nefas est, Vicarium ejus, cui ligandi solvendique potestas concessa est, captivare non timuit: quo in castrum Marmoracense contumeliose abducto, rebusque suis adversaria manu distractis, qui in comitatu ejus erant, eo relicto, montem Septimium pedites transierunt. At memoratus Abbas montem, in quo castrum idem situm est, difficulter ascendens, dictumque malefactorem de suæ legationis causa humiliter expediens, vix obtinuit, ut rerum suarum partem reciperet; data sponsione, ne ad partes adiret Italiæ, verum ad natale solum, sine retractatione rediret.

CAP. IX.

In tantorum igitur malorum positi discrimine, dum penitus quid facto opus esset, ignoraret; tandem his, qui cum eo erant visum est, ut ad *Curiensem Episcopum*, in cujus Diœcesi jam dictæ crudelitatis minister degebat, accederent, si forte ipsius authoritate ad satisfactionem, & rerum suarum restitutionem, inclinari potuisset. Qui non longè à castro digressi quosdam præcipuos ejusdem Ecclesiæ fratres, & Ministeriales obvios habuerunt, qui eos fama vulgante, sinistro casu turbatos, audierant; &, ut ea quæ relatu didicerant, oculata fide cognoscerent, ad locum patrati sceleris properabant. Hi compassione moti super eos, ad virum execrabilem cum ipsis accedentes, Romanæ sedis Legatum jam custodia ejectum repererunt; quem scelerati raptores instanter urgebant, ut celerius abscederet, paucis equis & rebus in parva quantitate sibi restitutis. Zelo igitur Dei vehementer accensi, firmum se pro domo Israel contra adversarios murum opposuerunt, graviterque nefariis invasoribus comminati sunt; quia nisi viros, quos in animæ suæ periculum turbaverant, satisfactione competenti placarent, excommunicationis in eos non differrent promulgare sententiam. Verum, cum obstinatam ejus, ut bestialem per omnia, mentem, nec lenitas monitionis, nec correptionis asperitas, permoveret, præpotens quidam, *Rotbolfus* nomine ex eadem provincia, audiens, quæ gesta sunt, commotus valde, præfato prædoni mandavit; quia, nisi rebus eorum restitutis, eos in pace, quo vellent pateretur abire, ipse tam enorme scelus non pateretur inultum; adiiciens, si jussis ejus non pareret, diu cum ipso habitum fœdus rescinderet, & castrum, de cujus munitione confidebat, funditus eversum solo adæquaret. Qui, contrario sibi accepto nuntio, importabile præsentiens, si gratiam sui demereretur Domini, prudenter apud se deliberans, quæ violenter abstulerat, magna ex parte restituens, eos ulterius detinendo, molestare non præsumpsit. Rebus ergo suis receptis, post dies paucos *Mediolanum* venientes, apud Ecclesiam beati

beati Ambrosii hospitium habuerunt. Ubi certius eis innotuit, *quòd gravis inter Romanæ sedis Pontificem, & Imperatorem verteretur discordia.* Per totam etiam Italiam *Imperatoris edictum* pendere, ut quicunque reperti fuissent, qui cujuslibet causæ obtentu, Romanam adire præsumerent Ecclesiam, contumeliis affecti, rebusque nudati, aut vinculis arctari debere, aut ad propria redire, compelli. Quæ persecutionis procella, in tantum efferbuit, ut *Hostiensis Episcopus* à Francia rediens, apud *Senam* oppidum, à satellitibus Imperatoris, omnibus suis antea distractis, in custodia teneretur. Hoc nuntio satis exterriti, ratum duxerunt, ut ab invicem divisi, alius per *Papiam*; & alter per *Placentiam* transitum haberent, cautius esse judicantes hac separatione, si fieri posset, manum declinare adversariam quam pariter juncti hostiles denuo experirentur insultus. Qui cum lacrymarum & singultuum amaritudine segregati, post dies paucos, cum senior memoratus *Luccam* venisset, & nulla ei ulterius procedendi daretur facultas à publico peregrinorum declinans itinere, *Pisam* civitatem opulentissimam adiit; ubi cum nobilioribus civitatis de conductu locutus, ab eo aliisque diversarum provinciarum Clericis accepta pecunia, fideliter polliciti sunt, securum & nullius auctoritate infringendum, se ipsis præbituros conductum. Hos per loca maritima per iter dierum quatuor subsecuti sunt. Verum, cum eis per loca illa nulla penitus esset eundi securitas, eo quod dolo & proditione unius eorum ductoris, à Domino provinciæ ipsis insidiæ tenderentur, habito consilio, consultius visum est, propriæ habitationis larem revisere, quam feritate gentis illius & rerum suarum amissione, periclitari. Quid autem contrarietatis, & molestiæ in redeundo pertulerint, quam difficulter multitudinem militum, quam à tergo imminentem viderunt, evaserint, lectoris parcentes fastidio, sub silentio transeundum, putavimus.

CAP. X.

Post diversos tandem sinistrorum eventuum casus, post solutam cujusdam castri, in quo se, ut hostiles devitarent impetus, receperant, obsidionem, *Pisam* reversi, plures eorum causis, pro quibus jam plurimum laboris & rerum expenderant, renunciantes, infectis negotiis ad propria repedabant. Verum jam sæpe dictus Senior, juxta illud viri sapientis eloquium, * *jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet*; spem omnem & fiduciam in Deo figens, & sacri Præsulis, ob cujus honorem in terris ampliandum, *Exul in ignotis errabat partibus orbis*, se se credens protectioni, dum, quid sibi faciendum restaret, anxio corde revolveret; nutu Dei, negotiatores quosdam ejusdem civitatis mercimonii sui gratia in proximo versus *Neapolim* civitatem Apuliæ navigaturos, audivit. Ad hos accedens, & causam suæ peregrinationis aperiens, tutissimum sibi existere affirmabant, ut labore navigationis assumpto, eorum societati se jungeret, eo quod per vicina Romanæ civitatis, pæne ad ipsas Tyberis fauces applicare deberent. Qui gavisus, Deoque, qui non derelinquit sperantes in se, grates exsolvens uberrimas, eorum acquiescens consilio, primo quidem periculis latronum, periculis fluminum, periculis in falsis ductoribus, postremo periculis in mari pene usque ad defectum corporis attritus, Deo tandem Duce, *urbem Romanam* ingressus est. Sed, quia sedis Apostolicæ Legatus, de quo supra retulimus, dum nec adhuc redierat, ipse litteris ejus, quas ad Cardinales, qui ei specialis amicitiæ vinculo annexi erant, exhibitis, ubi ex earum serie intellexerunt, quantum ei præfatus Abbas dilectionis, ac reverentiæ impenderat, quam plurimum regratiati, polliciti sunt se causam, pro qua Romanam visitasset Ecclesiam, omni qua possent instantia promoturos. De hinc post paucorum dierum cursum, idem Legatus, Dei cooperante gratia, totius pæne Romanæ civitatis exceptus occursu, cum in audientia summi Pontificis diligentius exposuisset, quanto dilectionis fervore in monasterio ipsius Abbatis, à fratribus tentus fuisset, maximum ex hoc favorem adeptus, non modicum, ut post patuit, honoris à domino Papa consecutus est.

CAP. XI.

Statuta postmodum die, summus Pontifex de adventus ejus causa inter Cardinales *librum* proponens, *qui de vita, & miraculis beati viri conscriptus est*, in audientia ipsorum recitari, præcepit. Qui, ubi sanctam ejus conversationem, & virtutum insignia, compererunt, Deum, qui in sanctis suis mirabilis, & gloriosus est, benedicentes, facilem in tam rationabili, Deoque accepta petitione, præbuere assensum. Ad hæc dominus Apostolicus præfatum Seniorem taliter alloquitur: Cum te, frater honorande, tibique subjectos in religionis fervore, & monastici ordinis observantia laudabiliter audiamus proficere; &, cum venerabilem virum Bern-

* Psal. 54.

Bernwardum, quondam Hildensemensem Episcopum Cœnobii vestri fundatorem, gloriosam & memoratu dignissimam in terris vitam duxisse, & multis coruscasse miraculis, textu vitæ ejus inspecto, indubitanter sciamus; auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, dilecti quoque filii nostri Cincii Cardinalis interventu mediante, qui legationis suæ tempore multa, ut asserit, à vobis benignitatis expertus est argumenta, jam dictum Reverendissimum virum in *Catalogo Sanctorum* à modo numerandum, decrevimus; & sacratissimum ejus corpus de terræ gremio erigendum & inter Sanctorum memorias, veneratione condigna, collocandum. Ad hæc, senior lacrymatus præ gaudio, pedibus ejus gratias acturus, prosternitur; sed assistentium manibus erectus, in oratorium beatæ Mariæ semper Virginis ducitur; ibique Deo laudibus exhibitis, tam à summo Pontifice, quam à Cardinalibus, & maxima Cleri, populique frequentia, beatus Confessor *in Sabbato ante Natale* Domini solemniter canonizatur.

CAP. XII.

Litteris dehinc testimonalibus, de his impetratis, aliisque suis negotiis expeditis, licentia, & benedictione à Summo Pontifice accepta, memoratus Abbas, ad propriæ habitationis locum redire maturabat. Cujus adventu, civitas tota spiritali exhilarata gaudio, jucundissimi negotii exsecutorem, jucundo satis excepit occursu, personæ dilectæ sospitati & prospero ad vota successui multo congratulata favore. Verum, cum ea, de qua supra retulimus totius Provinciæ nec dum sopita esset turbatio, propter multam rerum penuriam, & angustiam temporis, usque in annum sequentem placuit suspendi negotium. Sub hac dilatione, meritis beati Præsulis, ab antiquorum miraculis patrum, non differens, accidit miraculum, eximiæ sanctitatis ejus & pietatis immensæ manifestum satis præbens argumentum. In ipsa civitate Hildensemensi, puer non ignotis ortus parentibus, subita ægritudine præventus, immatura morte decessit; ut est moris in talibus, funeri exequiæ parabantur. Parentes charissima orbati sobole, post gemitus, & lacrymas interni doloris indices, vicinorum, qui aderant, instinctu, voverunt, ut si suffragio in proximo transferendi Antistitis defunctus vitam reciperet, ipsi cum oblationibus ejus honorabile sepulchrum, una cum suscitato gratias acturi, visitarent. Quid plura? parentes paruere consilio, vitæ redditur exanimis, vota solvuntur; & beatus Confessor debitis ab utroque sexu laudibus extollitur. Qui de facto hæsitaverit, multitudinis, quæ aderat, accipiat testimonium. Neque hoc reticebimus, quod anno eodem, sic maturè frugum aliorumque seminum accessit maturitas, ut solita metendi tempora longè prævenisse viderentur, in tantum, ut centenarii senes nunquam segetes adeo tempestivè suo collectas ævo, faterentur, hoc nimirum Deo, cujus omnia nutu reguntur, procurante, ut ad imminentem B. Præsulis festivitatem, actibus exoneratus necessariis longius latiusque liberior populus occurreret & expeditius feriaret: Frequentes etiam, anno toto, à fratribus aliisque fidelibus, orationes ad Deum porrectæ sunt, ut ea, quæ pro electi sui glorificatione facienda erant, ad honorem & laudem sui nominis, benigno prosequeretur effectu.

CAP. XIII.

Jamque sacratissimæ Virginis aderat assumptio, cum non solum propter specialem Hildensemensem festivitatem, verum etiam pro sanctarum reliquiarum sublevatione, quæ proxima die celebranda erat, cum diversarum Ecclesiarum prælatis, inæstimabilis multitudo non tantum de propinquis, & cognitis; sed etiam de remotis terrarum provinciis certatim confluxerant. Qua die, in Dei laudibus ob venerationem piæ matris ejus ritè peracta Dominus *Berno Episcopus*, cujus auctoritate & ministerio res erat promovenda, sub ipsius noctis crepusculo, secretius ad monasterium, ubi sacra pignora servabantur, venit; quonam ordine in re divina procedendum esset, cum fratribus aliisque gravibus personis, deliberaturus. Verum, cum pro nimietate popularis frequentiæ, qui præoptatam sacræ translationis horam, diligentius observabant, nulli penitus ad ipsum sepulchri locum aditus pateret; placuit, ut remotis omnibus, ipse Pater Monasterii cum aliquantis fratribus, aliisque viris religiosis assumptis, lapidem, qui eidem tumbæ superpositus erat, facerent removeri, ne postmodum in sacri corporis elevatione, maximus ille concursus, mora detineretur invita. Quo facto, januis Ecclesiæ firmissimè seratis, & lapide sublato, sarcophagum satis admodum idoneè sculptum videntur; quo, præmissis orationibus, patefacto spiritalem & antea incognitum exhalans odorem cælestis ille thesaurus, Regalibus utique divitiis incomparabiliter præferendus, apparuit. Nec defuit ille, qui in suo nomine congregatis nunquam deesse consuevit Jesus noster, Jesus bonus, cujus gratia visitante cæcitatis humanæ caligo detergitur; cujus illustratione, cordis impœnitentis, quo in spiritum ejus peccatur, duritia mollitur. Videres enim nonnullos eorum,

rum, qui aderant, dum suas examinant conscientias, in lacrymas resolutos; dumque se cognoscunt, à meritorum ejus longè distare præconiis, artus cælestium præceptorum olim jugo exercitatos, vix audere contingere. Sciebant enim virum nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomentum est, intuitu conditoris; & propriæ conditionis humilitate, calcasse: Accedebat memoriæ, hominem castitate Angelicum (nam castitas cum humilitate Angelicæ puritatis est particeps) adeo pudicitiam carnis intra cordis hospitia inviolatam conservasse, ut ab annis tenerioribus usque ad vitæ transeuntis occasum, casus nivei pudoris inexpertus, merito cum eis, (*) *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sequatur agnum sine macula, quocunque ierit.* Legerant nihilominus, Pastorem piissimum, pauperem quidem spiritu, æternitatis amore manus ad pauperes extendisse largissimas. Adverterunt geminæ *charitatis, in qua lex pendet & Prophetæ*, sic in ejus pectore convaluisse vigorem, ut non fratrum affectum tenerrimum, nec propinquorum lineam charissimam, non affinium aut amicorum nobilitatem, sed cæli Dominum, sui hæredem statuerit. Et nunc jure cum illis, quorum (**) *Dominus pars hæreditatis eorum, & quorum funes ceciderunt in præclaris*, centuplum accipiens, immortalitatis dote vestiatur. Sed quid multis moramur? Quod Deus faciendum præordinaverat, hominis erat devotione adimplendum. Excipiuntur tandem de tumulo membra loco celebriori collocanda, & ad instar Dominici corporis, famuli sui corpus syndone munda involutum, mane sequenti, Ecclesia, Prælatorumque præsente frequentia, reverenter de terræ pulvere sublevatur; & ea hora, qua spiritus veritatis in linguis igneis discipulos visitasse affirmatur, per medium deportatur Ecclesiæ; & tam Cleri quam populi universitas in ejus laudem accenditur: Casula etiam serica beati Præsulis, in qua tot annis, scilicet centum septuaginta duobus sepultus fuerat, adhuc recens & incorrupta apparuit, cujus etiam tactu, multi infirmi curati sunt.

CAP. XIV.

Affuit statim, quondam, ut præmisimus, per olei stillicidium præsignata circa languentes larga sanitatum operatio. Nam Dæmone dirissimò mulier quædam vexata, dum ad tumulum Deo digni Antistitis à viris octo, spiritu renitente maligno, vix deprimitur, illius mediante suffragio, multis præsentibus, & rei eventum præstolantibus, hoste fugato fœmina mundatur, ut liquido pateret, quod is, qui spiritu semper mundo, quo Deus videtur, pollebat, spiritibus potenter imperaret immundis.

CAP. XV.

Corpore dehinc sacro, cum laudibus & canticis spiritualibus ad principalem Ecclesiam deportato; ibique missarum solemniis, pro præsentia tanti Patris festivè celebratis, incredibili sexus utriusque stipatum caterva, denuo ad monasterium refertur. Interea munerum divinorum erga ægrotos multiplicantur beneficia. Nempe anus quædam, multo tempore visu privata, ob spem recuperandi luminis, beati viri præconium interpellabat attentius, statimque sanie ab oculorum loco largius prorumpente, multis intuentibus, & testimonium de diuturna cæcitate perhibentibus, visum recepit.

CAP. XVI.

Miles quidam Vdalricus de villa *Blithenem* principalis Ecclesiæ ministerialis, cum in oculo altero ex igne sacro tumescente, nihil eo videns gravissime torqueretur; ipso die translationis, aquam beati Pontificis brachio benedictam & intinctam sibi afferri devotius petivit, eaque oculi tumorem liniens, mira celeritate visu recepto, & tumore laxato, sedavit dolorem. Postmodum de rei veritate requisitus, eo quo diximus ordine, remedium consecutum, lacrymis ubertim præ gaudio fluentibus, protestatus est.

CAP. XVII.

Item alius majoris Ecclesiæ ministerialis Gefungus nomine, ad idem solemne festivitatis gaudium scilicet translationis, cum uxore & liberis advenerat. Qui, cum post divinæ servitutis officia, redire domum pararet, in sylva quadam hostium, quos plures habebat, incautius feritatem incidit, à quibus captus, & in interiora sylvæ deductus, ferro ponderoso satis ad ar-

(*) Apoc. 14. (**) Psalm. 16.

ad arborem eximiæ magnitudinis constrictus est. Cum ergo de viro arctissimè vincto, ne se ullatenus effugere posset, securiores existerent, & ipsi per nemus liberius passim vagarentur; captivus ille cum beati Patris, cui se attentius ea die commendavit, patrocinium obnixius imploraret, subito ferro, quo vinctus fuerat, divinitus confracto, & vinculis, quibus manus ejus à tergo ligatæ fuerant, disruptis, incolumis abscedens uxorem suam, quæ pro sui absentia nimia erat amaritudine confecta, ad propria rediens, sua ereptione consolatus est.

CAP. XVIII.

EAdem die, ad horam vespertinam, puer septennis, à nativitate cæcus, ad tumulum sæpe memorati Præsulis lumen recepit. Sed cum fratribus & pluribus, qui aderant, Ecclesiarum Prælatis, de facto non constaret, parentibus pueri, & eis, qui rem noverant, ad medium deductis, eorum testimonio plenius certificati sunt. (a)

CAP. XIX.

SAcerdos quidam Gerlacus nomine, Canonicus sancti Mauritii, cum nimium esset incredulus eorum, quæ de sanctitate & virtutibus sancti Bernwardi resonabant, ex divina dispensatione incidit in languorem. Tandem, cum peritissimi medici circumstantias morbi investigassent, suaserunt, ut potius de animæ quam corporis sanitate curam ageret, asserentes, quod hæc species morbi, aut vix aut nullatenus decidi posset. Presbyter itaque præfatus, mortem cum ante oculos audiret adesse, beatum cœpit invocare Bernwardum, ut ei à Deo spatium vivendi obtineret. Cumque hac precum instantia defatigatus, obdormisset: ecce postquam evigilavit, invenit se ab omni infirmitate liberatum.

CAP. XX.

QVidam miles devotus de *Padelburne* Odalricus nomine, ab inimicis suis captus, & in castrum quoddam sublimissimum, quod *Ravensberg* dicitur, perductus, custodiæ ac vinculis mancipatus est. Qui videns se in magno vitæ discrimine positum, nec ullum patere effugium, toto corde confugit ad divinum adjutorium, sanctumque Bernwardum specialiter invocans, lacrymis & suspiriis obsecravit, ut eum de præsenti liberaret angustia, quatenus per hoc amplius mundo innotescerent ejus beneficia. Quadam itaque nocte, ubi custodes obdormisse advertit, compedem manu tentavit, experiri volens, si qua arte vel industria eximi posset ab illa. Invenitque ferri duritiem, velut plumbi laminam præter spem emollitam. Tunc, nemine sciente & absque difficultate, dissolvens omnia vinculorum retinacula, cæpit quærere, unde facilius evadere posset: agnoscensque omnes exitus diligenter obseratos, committens se omnipotenti Deo, cum beati Bernvvardi patrocinio murum scandit, & ab alto desiliit; sed in nullo penitus eum, vel vallis profunditas, vel saxorum subteriacentium asperitas, læsit. Liberatorem ergo suum alacriter, & sine mora expetens, Hildensem venit, peractum circa se miraculum palam omnibus enarravit; atque in testimonium peractæ virtutis compedem secum delatam, super beati Pontificis tumbam, pependit.

CAP. XXI.

ORtus quidam puer in Hildensem Ezici filius, distortum habens pedem, ita ut longior pedica curvata plantæ videretur contigua, pro quo cum parentes votum fecissent beato Bernvvardo, puer recepto pedum officio, patrem ad sepulchrum sanctissimi præsulis est secutus.

CAP. XXII.

COntigit aliquando, ut reliquiæ beati Bernwardi ad villam *Brandesleve* deferrentur, in qua quædam virgo fuit, quæ ab ortu nativitatis unius cruris officio erat privata. Quæ, cum pro spe sanitatis ante reliquias prosternitur, cæperunt contracti cruris nervi cum tanta vi distendi, ut sonitus audiretur à multis. Ipsa vero doloribus nimiis cruciabatur; sed post unius horæ spatium, integram recepit sanitatem.

(a) Huc usque pertingit Translatio S.Bernwardi, quæ extat in Bibliotheca Guelfebytana Manuscripta, quæ vero sequuntur, ex Broweri sunt editione desumta.

CAP. XXIII.

ERat quidam miles in eadem villa, qui habebat filium, qui propter alterius cruris brevitatem, sine sustentamine impotens fuit ad eundum. Hic ad beati viri tumbam adductus, crure debili alteri æquato, salutem recepit.

CAP. XXIV.

OBsessa multo tempore à Dæmone mulier quædam, de *Trajecto* ad beatum Bernvvardum ducebatur. Diabolus autem, cum Hildensem appropinquaret, clamavit, se Bernwardi domum non intraturum, eo quod ipse hostis esset acerrimus magistri sui. Fideles verò, cum hæc audissent, trahendo & impellendo nihil penitus potuerunt proficere, donec ipsa de manibus trahentium se excutiens, in lacum luto repletum desilivit, ut dæmon ibi fœminam suffocaret. Quam extractam, ut mundarent extrinsecus, intellexerunt mundatam interius; & cum ingenti gaudio cum suis comitibus ad Beati Præsulis sepulchrum pervenit.

CAP. XXV.

NOtificatur hoc miraculum plurimis per sequens. In *Lubeck* quidam Henricus nomine sedit in mensa cum conjuge sua Mechtilda, hæc mox in furiam conversa, à multis funibus est ligata, Sacerdotes & Clerici verò reliquias apportantes, exorcismos & conjurationes legebant. Tunc Dæmon prorumpens in vocem, clamavit: Clerice, quid te fatigas, propter te hinc non recedam, quia in furore suo vir ejus mihi ipsam tradidit ad inhabitandum. Nam & ego decem & octo annos in alia muliere mansionem habui, sed quidam me ad quendam Bernwardum trahere volebant, unde me relinquere eam oportebat. His auditis, necessaria pro itinere ad beatum Bernwardum paraverunt. Omnibus itaque præparatis, Dæmon clamare cæpit: Bernwardum non audire, nec videre audeo, unde me fugere oportet; & hoc dicto, abscessit: statimque mulier sensum recepit, & gratias suo liberatori egit.

CAP. XXVI.

ERat in Thuringia in *Denstede* vidua quædam Adeldrud nomine, per viginti annos à Dæmone fatigata; quæ ad patrocinium beati Præsulis confugiens, liberata est.

CAP. XXVII.

MAtrona quædam in Magdeburch fuit, cujus filiæ cum in ultimo vitæ spiritu agonizaret, ex divino instinctu quædam devota inclusa eidem persuasit, ut in beati Bernwardi memoriam, pro filiæ sanitate faceret missam decantari. Cum autem missa decantaretur, ipsa infra missam beati Præsulis sedulò imploravit auxilium. Cui ab Ecclesia revertenti filia læta & incolumis occurrit; & continuò cum matre ad beati Bernwardi sepulchrum procedens, quàm celeriter esset liberata, patefecit.

CAP. XXVIII.

VEnerabilis quidam sacerdos in *Solschen* fuit, Reinerus nomine; qui, cum quadam die pecora *minaret* de domo, virgæ particula oculo ejus infixa, tanto eum dolore affecit, quod oculum se posse retinere, minimè credebat, qui abiens in aliam villam ad quandam Dei famulam, ut pro eo oraret, & votum beato Bernwardo faceret; completo itaque voto, ad villam suam cum rediret, pristinam sanitatem est in via consecutus.

CAP. XXIX.

ERat in civitate *Mindensi* pauper quidam Henricus nomine, qui quadam infirmitate, scilicet sanguinis fluxu, graviter tactus, ita ut ex hoc mortem sibi jam vicinam adesse formidaret, tandem meritis beati Antistitis Bernwardi, qui *Pastor & pater pauperum*, communi vocabulo vocabatur, in vita sua, cui se hic pauper cum devotione & oblatione cerei commendaverat, gratiose sanatus est. Qui beneficii accepti non ingratus, hoc quod foverat ad altare sancti viri, scilicet Bernwardi, cujus in Brachio argenteo servatur particula, cum debita reverentia cereo accenso, multis videntibus & Deum laudantibus persolvit fideliter.

CAP. XXX.

CIvis quidam *Mindensis*, in vigilia sancti Joannis Baptistæ ad devastandum castrenses de *Vorenholte* in *Dominio de Lippia*, Wiseram fluvium cum magna populi multitudine per vadum transiens

transiens ab aquis rapitur, & pæne, sicut alii septem ex suis, per aquam suffocatis submergitur. Ipse verò sentiens, sibi mortem imminere, beatum Bernwardum, cujus reliquiæ apud sanctum Paulum in Minda servantur, invocans, & suum humiliter implorans auxilium; & ecce subitò rota de curru exilivit, per cujus adminiculum & beati viri meritis, homo prædictus mortis horrorem, & periculum evasit. Domum igitur reversus, statuam sive imaginem ceream rotam manibus tenentem ad altare supradictum, prout voverat, devotè & humiliter portavit.

CAP. XXXI.

VIr quidam de *Oldendorp* de hac felici Festivitate rediens in foveam profundam *lapidei montis* cecidit; quo extracto, & in curiam delato, crus in partes confractum apparuit; qui nimio dolore cogente, se ad patrocinium beati Præsulis contulit; & ecce mox divinitus remedium sensit. Et quarto die ad tumbam rediens, Deo & beato Bernwardo gratias & laudes egit.

CAP. XXXII.

QVidam in Cellario Hildensem ferro constrictus habebatur; qui sub invocatione nominis sancti Bernwardi ferrum rupit, & surgens ostium, quo clausus fuerat, aperiri vidit; &, nemine se prohibente, vel vidente, ac detinente, prædicta die liberatus, ad tumbam sancti Præsulis cum laude processit.

CAP. XXXIII.

INfirmitate valida quædam fœmina per biennium fatigata, & ex sacro igne in tribus locis tantum infestata, ut auditu jam penitus esset privata, quæ voto facto ad beatum Pontificem Bernvvardum una parte recepit auditum. Sed, cum votum persolvere cæpisset, in altera etiam parte est servata.

CAP. XXXIV.

UXor cujusdam pauperis apud sanctum Michaelem in Hildensem porcellos octodecim dierum sub strue lignorum sine matre per hebdomadam amiserat; quæ voto facto beato Bernvvardo sine nutrimento porcellos per tot dies manentes, in domum suam sanos & incolumes recepit.

CAP. XXXV.

MIles quidam in *Elze* habitabat, qui per aliquot annos vitæ urinæ incommodo laboravit, nec medicorum remediis poterat adjuvari. Cujus uxor plena fide, & spe ad translationem novam ob spem salutis ab eo mittitur, & Ecclesiam sancti Michaelis ingrediens se ad patrocinium beati Bernwardi contulit; quæ post preces devotas domum rediens, ab omni priori incommodo reperit maritum penitus liberatum.

CAP. XXXVI.

DVæ mulieres ipso die translationis, spe recuperandi visum adductæ sunt; sed una in Præsulem sanctum quasi durius invecta, pro eo quod diutius clamanti spem parvam haberet, & propterea in uno oculo sanie prorumpente, quasi rupta vena visum recepit: alia autem multis videntibus, & orantibus illuminata est in oculis ambobus.

CAP. XXXVII.

VIr quidam satis famosus & annosus, *Hinricus* nomine, *de Hassia civis Caslensis*, pro negotiis suis civitate exiens, equester ad prædium quoddam, quod suum erat, visitandum in messis tempore. Hic ex improviso irruit in hostes civitatis nominatæ; & ab illis capitur, & captivus ducitur ad castrum incarcerandus. Sedit igitur mœrens in carcere cippo reclusus, & multum famelicus, quia in quinque diebus nihil sibi potus aut cibi ministrabant, debebat enim fame mori. Hic sic anxius, consolatorem nullum habuit: sed & mortem anxius expectavit. Venit autem eidem ad mentem, qualiter sanctus Bernvvardus noviter tunc canonizatus, consolatus est quam plures tribulatos ipsum invocantes. Ideo etiam ipse, devotione qua potuit, voto prius emisso, quod cum oblatione notabili nudipes sepulchrum suum visitare vellet, si eum de carcere dignaretur liberare, & nec carnes comedere proposuit, nisi votum esset adimpletum. Facto igitur hoc voto, dormire cæpit in mœrore suo, & sic quievit nocte illa. Denique evigilans, invenit se in campo peroptimè sibi noto non longe à *Casle* civitate sua, cujus erat civis; & compedes pedum ipsius prope eum. Unde lætus surrexit, & civitatem gaudens intravit, & narravit omnibus, qualiter per merita sancti Bernvvardi Hildenesemensis Episcopi esset

esset de carcere mirabiliter, & miraculosè liberatus. Et omnes, qui audierunt, cum eo Deum benedicebant, & sanctum Bernvvardum, cujus meritis restitutus erat pristinæ libertati.

CAP. XXXVIII.

IN *Drispenstede* puer quidam unicus filius parentum suorum, in foveam cecidit profundam, totoque corpore collisus, & mortuus, extrahitur, unde parentes multum doluerunt. Mater autem ipsius sepulchrum sancti Bernvvardi, maxima cum festinatione & devotione petiit, & ibidem se prosternens, humiliter supplicavit sanctum Bernvvardum, ut filium suum defunctum, precibus & meritis suis resuscitare dignaretur; & facta oblatione ad domum rediit; & filium, quem mortuum planxerat, vivum invenit, & sanum. Deinde parentes una cum puero resuscitato ad sepulchrum venerunt, & Dominis sancti Michaelis, nec non & aliis utriusque sexus hominibus, rem gestam in puero planè narraverunt, & Deum in Sancto suo laudaverunt.

CAP. XXXIX.

VIR quidam civis Brunsvvicensis, dictus *Henricus de Bultzem*, illo tempore, quo reliquiæ sancti Bernvvardi ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum ibidem sunt delatæ, filium habuit, morbo caduco valde conturbatum; hic audiens prodigia & signa, quæ Deus meritis sancti Bernvvardi operari dignatus est in mortuis & infirmis, venit cum filio suo infirmo ad Ecclesiam ante dictam; & ante reliquias sancti Bernvvardi prostratur in oratione, petiit ab eo cum lacrymis, filii sui sanitatem. Denique surgens ab oratione, obtulit super altare argenti partem non exiguam; sicque cum filio suo ad propria reversus, nunquam deinde morbum caducum passus est. Quapropter parentes ipsius grates maximas Deo & sancto Bernvvardo retulerunt.

CAP. XL.

EOdem etiam tempore scilicet *anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto*, erat quidam prædives in Brunsvvich nomine Joannes Grube; hic oculorum dolore sic turbatus est, ut cæcitatem incurreret; & in quatuor annis manus suas minimè videret; hic ut percepit, quia reliquiæ de corpore sancti Bernvvardi ad fratres Prædicatores delatæ essent, vocato ad se Priore informari petiit, qua reverentia vel honore sanctum Bernvvardum accedere posset, ut lumen oculorum recipere mereretur; qui à Priore informatus, illuc altera die cum uxore & filiis coram reliquiis sancti Præsulis humiliter opem suam flagitabat. Mira res & stupenda. Cum enim prædictus cæcus in annis quatuor manus suas non vidisset, nunc ab oratione surgens, clarè vidit omnia, & clarius quam unquam, ante cæcitatem viderat; & fratres ibidem præsentes sine baculo visitans, sine ductore, & loquebatur singulis, & unumquemque salutavit & nomine appellavit proprio. Unde omnes admirati sunt, laudantes Dei clementiam, qui meritis sancti Bernvvardi signum fecerat tam evidens atque mirificum. Ipse etiam, qui cæcus fuerat S. Bernvvardum, omnibus diebus vitæ suæ in reverentia habuit, & honore, & quicquid in eleemosynarum largitione & aliis piis operibus ob honorem sancti Bernvvardi expendere poterat, nunquam patiebatur neglectum.

CAP. XLI.

FOemina quædam fornicaria Hildesheim in lupanari fuerat aliquibus annis. Cui, Deo inspirante in Festo translationis sancti Bernvvardi ad mentem venit, ut prandio peracto, visitaret Ecclesiam & audiret verbum Dei, quod & fecit. Compuncta autem in illo sermone, de peccatis suis cœpit amarissimè flere. Sed, & finito sermone surrexit, & flens, ad sepulchrum sancti Præsulis properavit, & prostrata ibidem flet uberius, rogans sanctum Bernvvardum, ut eam de flagitiosa illa vita eripere & avertere dignaretur; possetque se cum emendatione in melius commutare. Et, completa oratione, surrexit, & prostibulum more solito est ingressa, & parvo post tempore elapso, quadam nocte, ipsa dormiente videbatur sibi astare quidam in Pontificali habitu, vultu decoro, sole splendidior; qui ait ad eam: Surge filia, & exi civitatem hanc, in locum quo te Deus direxerit. Quæ surgens mane exivit per portam indaginis, versus *Hanover* properavit, & ultrà per civitates interjacentes pergens, venit ad regalem civitatem *Lubeck*, & inde dirigens viam versus *Tuclandiam* se convertit. Habebat namque fratrem in una civitatum Yuclandiæ, quæ dicitur *Hadersleve*, quem visitare proposuit, ut ejus consilio ad vitam meliorem se disponeret. Venitque tandem in quandam villam non longè ab *Ulenseborch* distantem, & pernoctans ibidem, cum quodam divite Villano permansit. Qui videns eam obsequiosam, cœnam ei præparavit, & mane facto, eam alloquitur, & pro pretio satis competenti in suo ministerio retinuit. Hic autem Villanus privatus erat uxore,

xore, eratque ei substantia non modica. Qui videns eam virilem, & fidelem, in uxorem eam accepit, diligensque eam, dedit ei omnia, quæ habuit, & sic bono fine senio confectus, quievit. Quæ post anniversarium viri sui juvenem opulentum accepit maritum, cum quo habuit omnem charitatem. Sed & meritis sancti Bernvvardi hoc in se factum novit, qui eam etiam ab infamia fornicariæ suæ vitæ, quam prius habuerat, penitus præservavit. Prædicta autem fœmina hoc de se retulit cuidam sacerdoti in confessione *anno Domini Millesimo quadringesimo trigesimo primo*, sequenti sancti Michaelis die, ad quod Festum causa devotionis venerat, ut omni anno facere consuevit, ut Deo & consolatori suo sancto Bernvvardo debitas solveret gratiarum actiones.

CAP. XLII.

Cum puer quidam denarium in ore haberet, & more puerili ludendo, vel in ore volvendo deglutiret, repente præ nimio dolore, & anhelitus diminutione in gutture quasi suffocatus, morti appropinquare cæpit. Cumque candela pro exitu ejus accenderetur, & mortem protinus exspectarent, statim fœmina quædam subintulit, dicens: Sanctum Bernvvardum invocate, & offertorium ei promittite, & procul dubio relevamen percipiet. Quid plura? Mater pueri tali admonitioni acquiescit. Sanctus Bernvvardus invocatur, statim puer de clade mortis liberatus denarium ejecit.

Cetera Miracula sparsim scripta collecta, cum ad proxima nobis secula pertinerent, brevitati consulentes, omisimus.

XXXIII.

COMPENDIVM VITÆ S. BERNWARDI EPISCOPI HILDENSHEIMENSIS, ex Manuscripto.

Hildensem, *civitate Saxoniæ*, natali S. Berwardi, episcopi & confessoris, hic sanctus *claris ortus natalibus* fuit, ex filia *A.(*) Palentini Comitis Saxoniæ*, in timore Domini *in ecclesia Hildensemensi* est *educatus*, & sacris literis arteque sculptoria adprimè instructus. Ipse jam adolescens factus *domum avi senis* fideliter *gubernavit*, eique sicut castus & humilis fideliter ministravit. Tandem famæ ejus bonæ opinione comperta, *Otto Imperator* ad palatium eum vocavit, compertaque ipsius sagacitate *eum in aula*, licet invitum *detinuit*. Qui propter puritatem & sapientiam, quæ in eo refulgebat, *aulicis omnibus acceptus* erat. Defuncto autem beatæ memoriæ Gerdago, Hildensemensi episcopo, communi voto ab omnibus sanctus Berwardus est electus, & à Willigiso Archiepiscopo Maguntino devotè consecratus. *Factus Episcopus* cœpit omnimodo utilitati Ecclesiæ invigilare, & curam subditorum non segniter agere, omnibus omnia factus. Cùm vacabat, imo semper quando præsens aderat, horà capituli ad fratres intrabat, eosque de religione vitæque proposito ad obedientiam salutarem adhortabatur, *seipsum formam vivendi præbens*, stipendia fratrum plurimùm adauxit, ecclesiam palliis sacris, vestibus, aureis & argenteis calicibus vasisque diversis, *quæ propriis manibus fabricavit*, & libris, ditavit & ornavit. Plurima etiam ex hereditate paterna contulit, episcopo prædia multa etiam de fisco imperiali ex largitione Imperatorum acquisivit. In oratione assiduus, in eleemosynarum exhibitione profusus, humilis, affabilis, mansvetus. Præter pietatis ejus opera, quæ referre longum est, in civitate, cui præfuit, ad septentrionalem ejus plagam *monasterium* in honorem sancti Michaëlis omniumque cœlestium virtutum miròque opere decoratum *construxit*, dedicavit & dotavit, ibique monachos religiosos congregavit, quibus larga stipendia, ut Deo sine sollicitudine militare possent, contulit. Defunctò Ottone hujus nominis secundo Imperatore, ipse ei filium suum adhuc parvulum, scilicet *Ottonem tertium* cum matre Theophana adhuc vivens Imperiumque totum consensu Principum commendavit, ut filium *educaret* & *regnum suâ providentiâ gubernaret*. Quod & ipse non segniter, licet cum invidia magnorum Pontificum, Maguntini scilicet & Coloniensis, adimplevit. Ipse etiam *Herbenbaldum (**)*, *Maguntinæ sedis* electum, suum secundum carnem *cognatum*, *in Archiepiscopum consecravit*. Post consummatum sancti Michaëlis cœnobium, post labores, quos in Imperii provisione pertulit, post tribulationes, quas pro libertate & liberatione Hildensemensis ecclesiæ pertulit, *sub felicissimo Imperatore Henrico*

(*) A. id est Adelberonis. (**) Erkenbaldum.

secundo, fundatore Babenbergensis Ecclesiæ, *quem ipse nutrivit & in Ecclesia sua imbui fecerat literis sacris*, diuturno languore fatigatus in suo monasterio habitum monachi suscepit, & appropinquante horâ mortis se in *oratorium* B. Martini, quod ipse *construxerat*, ferri præcepit, ibique cilicio, cinere adsperso, superpositus, sumtô viaticô, inter assistentium manus transivit ad angelorum requiem. *Sepultus* est beatus Berwardus *in Ecclesia sancti Michaëlis* in sepulchro, quod sibi anteà foderat, ubi post ejus obitum ad ejus sacram tumbam cœci illuminati, dæmoniaci curati, infirmi sanati sunt. Hujus venerabilem memoriam exaltavit Celestinus Papa tertius, eumque transferri præcepit, promovente hoc Theodorico Abbate. Cujus translatio celebrata est decimo septimo Kalend. Augusti, præsidente Romanæ Ecclesiæ Celestino, *imperante Henrico*, hujus nominis sexto. Administrante pontificatum Hildesemensis Ecclesiæ Bernone, venerabili episcopo, à quo idem Sanctus translatus est.

XXXIV.

VITA S. GODEHARDI EPISCOPI HILDENSHEMENSIS,

ad S. viri familiarem scripta.

Summæ reverentiæ decore venerando Domino meo & Magistro *Albuino*, toto semper devotionis studio colendo, *Wolfherrus* (*) spiritu & corpore modicus, quicquid pro plurali subjectionis debito jure proprius. *Historiam de vita & institutione beatæ memoriæ Patris ac Pastoris nostri Godehardi Episcopi scripturus* inter spem & metum anxius diu multumque deliberando dubitavi, quia me ad tam arduum ac præclarum opus imparem, minusque idoneum non ignoravi. Nam quantum spe & delectatione virtutum, quas per illum Dominus ostendit, delectatus advocabar, tantum multiplici propriæ negligentiæ conscientiâ & metu territus, retrahebar; donec tandem præceptorum ac fratrum, maximèque beati viri & veri Dei cultoris *Athelberti Abbatis nostri* jussis, partim spontè, partim invitus, obediens tale fastigium attingere tentavi; tuæque clementiæ, ô *Præceptor* nobilis, secretius offerendum æstimavi, apud quem & pro erratis facilis locus esset veniæ, & pro demendis vel addendis, promptior, & non suspecta benignitas cautelæ; vel saltem indiffamata celeritas taciturnitatis æternæ. Nec etiam, Pater venerabilis, aut dedignando mireris, aut mirando dedigneris, quod tu solus ex generali Pontificum, Abbatum, ac Doctorum Collegio, quasi ad meæ nugacitatis inspectionem specialiter eligaris. Cum & hoc prudens prædicti monitoris, & impulsoris meâ industriâ providerit, maximè, quia tibi pro fidei & dilectionis tuæ merito, ejusdem Patris nostri vita, & ante & post Pontificalem promotionem, præ cæteris semper claruit. Et quia *ipse tibi secretius, ac familiarius*, exemplo Christi ac Discipuli, quem diligebat, *cordis sui arcana*, præ cunctis *aperuit*. Ideoque & me, ut prædixi, imparem, minusque idoneum ad idem opus præsertim impulit, quod *per adolescentiæ meæ tempora inter Herveldense & Altahense cænobium*, quasi *Orosii* more, *discursitaverim*, & *primæva ejus gesta, à Christi fidelibus & frequenter audierim, & etiam, pro parva adhuc ingenioli capacitate, libenter retinuerim*. Deum ergo, qui secreta cordium intuendo rimatur, testor, me nihil in ejus memoriæ laude descripturum, *nisi quod aut ipse & vidi, & audivi, aut à vere veridicis & etiam probatis agnovi*. Maxime tamen cum *Altaha studii causa exularem, cujusdam veterani presbyteri Reginoldi nomine, quem & tu melius noveras, familiaritate & colloquio sæpius utebar, & si Dominus quandoq; dignaretur, ejus veriloqua relatione ad hoc ipsum instituebar; qui certè ei ab ipsa infantia fideli ministerio semper adhærebat, eumq; sacræ eruditionis literam primus instruebat; & omnia ejus dicta & facta, usque ad Monachicam professionem, & etiam ad Pontificalem promotionem, ipse melius noverat.* Sed & ego solito priscæ obedientiæ more, si quid forte vel aptum vel ineptum compilare quiverim, primò sagacitati tuæ meritò offerendum decrevi; ut certè per te errata corrigantur, hiantia suppleantur, superflua diradantur, necessaria supponantur, &, ubi ubi deviaverim, quod, fateor, facile fit, stoliditas mea veniam consequatur; quin & contra insultantium irrisionem

(*) In Broweri editione plagiarius quidam & interpolator, ut sibi eo tutius attribueret historiam de S. Godehardo, *Albuini* & *Wolfherri* nominibus deletis, pro Albuino *Menghardum*, pro Wolfherro *Arnoldum*, suum scilicet nomen reposuit, aliaque nomina in sui temporis hominum nomina mutavit, quod conferendo eum Graeciensi Manuscripto Editores Antverpienses deprehenderunt.

risionem auctoritatis tantæ defensione muniatur. Cum tamen, Domino teste, pro hoc minime movear, si quis me talium elatus irriserit, vel inurbanum quicquam conflasse, verbosius objecerit, ut tantum studiosis & Deum timentibus simplicem veritatis sententiam construxerim; & his, si forte Spiritus Domini inspiratione annuente, post hoc, dum livor invidiæ, nubila prætendens, occiderit, prædicti Antistitis actus, & vitam condignâ reverentiâ, condecorare noverint & voluerint, rerum & temporum certum ordinem depinxerim. More siquidem sagacioris canis, qui annuente venatore vel nutu, vel signo emissus, tota die indesinenter, & quasi infatigabiliter laborat, non ut sibi solummodo, quod nec præsumit, prædam arripiat, sed, ut jubentis Domini ludicram voluntatem perficiat, rarum scilicet & insolitum quiddam capiendo, unde non solum dominus cum suis domesticis festivius lætetur, sed & superventuris forte amicis lautioris cœnæ jucunditas reservetur. Hujus, inquam, more me libenter laborare profiteor; non ut mihi laudem, quam in hoc non mereor nec dignor, acquiram; sed ut vel modernis vel posteris, sicut prædixi, æternam justi memoriam quamvis indocili taxatione, proponam. Quare ergo erubescam me canibus (qui certe majorem & excellentiorem inter bruta animalia, dono, puto, (Creatoris intellectum habent) assimulari, cum nec Evangelica illa Cananæa erubuerit, immò & gavisa sit, se à Domino canibus comparari, nec etiam Lazarus spretus à divite horruerit, his lingentibus, consolari? Nam quantum Brutis excellentiores, tantum rationalibus sunt propinquiores. Nec saltem super hoc fidelium quisque moveatur, quod à prædictis illusoribus fatuitati meæ objicitur, non decere tam præclari ac insignis viri quasi intimam (a) genealogiam diffamare, sed magis, ut ipsi putant, in laudem ejus silendo celare, cum quilibet sanum sapientes non adeò attendant vanam generositatis jactantiam, quam utiliorem divinæ inspirationis prærogativam, quibus certe nemo nobilis videtur, nisi quem virtus *nobilitare* (b) formatur, cum scriptum sit; *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Et Propheta dicit: *Dominus pauperem facit & ditat, suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Quod in illo veraciter impletum esse, tota sancta Ecclesia teste, describimus, quia eum *per vias rectas à Domino deductum*, & in conspectu Regum magnificatum, cum principibus gloriose consedisse, & inter principes sapientiam locutum esse, & solium gloriæ feliciter tenuisse vidimus. Unde & à nullo fidelium dubitatur, quomodo in sanctorum ordine Sacerdotum coram Christo, procul dubio, lætatur. Si ergo jam frivola loquacitatis meæ sententia ultra licitum vel placitum sermocinando processit, (quod certe timiditas, omnia etiam tuta timens effecit) tu Pater & Doctor egregie, qui hoc non solum prædicti præsulis memoriæ, sed & nostræ imperitiæ & debere crederis, & velle; tu, inquam, in quo est & approbandi peritia, & improbandi potentia, quorumlibet oblocutione contempta, sapienter provideas, ut & inepta & inutilia, æterna taciturnitate sepeliantur; & profutura, Domino donante, sine adulationis fuco proferantur. Quia, si quid à vero dissidet, non meæ imperitiæ, sed tuæ imputatur incuriæ. Sed si forte quid aptius erit, non mea sed tua pars erit, ut quidam se humilians ait: Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

CAP. I.

QVia Evangelica veritatis voce præcipitur, *ut lucerna accensa non sub modio, sed super candelabrum* ad illuminationem fidelium *constituatur*; & quia *secreta regum celari jubentur: opera vero Dei revelanda & magnificanda*, jure panduntur, ideo dignum & etiam gloriosum putavimus, Vitam beati, & venerandi Patris nostri Godehardi Episcopi, quantum divina clementia donaverit, in exemplum modernis & posteris proponere & gestorum ejus probabile magisterium dominum timentibus exponere. Verè etiam metuimus, nos culpa negligentiæ non carere, si patiamur ea, quæ ab eo laudabilia & vidimus & audivimus, sub silentio latere. Quem ergo Bajoaria olim ab initio, verbi Domini vomere exculta, & sacræ fidei semine sufficienter fœcundata, verum religionis eruditorem nobis, quibus opus erat medicus, concedente Christo transmisit, *nos Saxones* vel certè *Saxigenæ*, &, ut vera (proh dolor) nobis insultationis irrisione objicitur, verbo Domini diu indomabiles, periculo non caremus, si ejus gloriam, domestica desidia obdurante, silendo negligamus. Igitur *septingentesimo quadragesimo primo Incarnationis Domini anno*, quo Carolus primus filius Pipini primi, filii Anchisi, filii Arnolphi, ex hac vita demigrans, filiis suis Carolomanno & Pipino regnum reliquit, quo etiam sequenti anno iste Pipinus Carolum Magnum genuit, *Initium Alta-*

(a) MS. Græcens. *infimam*. (b) *probatur*.

Altahensis monasterii à Christi cultoribus sapienter inceptum, & in religiosa Monachica institutione - - - - feliciter est perfectum, *quindecim fere annis ante distributionem Episcopiorum, quæ post annum in Bajoaria à sancto Bonifacio Archiepiscopo facta est, Decreto Zachariæ Papæ, & consensu Pipini Regis;* cui ante tunc temporis triennium, frater Carolomannus Romæ tonsuratus, & monachizatus, hæreditariam partem regni & proprietatis dimisit, quando *Willibaldo Eichstadensis, Joanni Salisburgensis, Eremberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesia* commendatur, & Christiana ibidem religio digne Domino corroboratur. In prædicto certe cœnobio servimen Christi ab initio feliciter succrevit, & per centenos fere annos, in monachico proposito laudabiliter profecit, usque in detestabilem illam dissensionem, quæ cepit inter Ludovicum Imperatorem filium Caroli Magni, & filios ejus Ludovicum Lotharium, & Carolum, ac deinde, Imperatore defuncto, inter fratres ipsos per multos annos, ut Chronica testantur, permansit. In ea ergo tempestate Ecclesiæ plures dispoliabantur, cœnobia disturbabantur, inter quæ & ejusdem *Altahensis Ecclesiæ* proprietas ibidem à fidelibus collata, & eotenus inconvulsa diripiebatur: & huic sceleri militantibus, juxta debachantium voluntatem, beneficii, imo maleficii causa, dividebatur. Hac enim necessitate monachica ibidem norma defecit, sub regula tamen Canonicorum idem locus usque in tempora piæ memoriæ *Henrici ducis, quem postea Imperatorem vidimus*, item per centum annos perstitit. Quod & *Otto pius Rex filius Regis Henrici Saxonici* sæpius decrevit in aliquibus locis redintegrare; sed plurali infortunio obstante, maxime tamen fratris sui *Henrici ducis Bajoarici* machinatione præpediente, non potuit perficere. Qui certè sibi in prima regali ordinatione, in præsentia principum ac patris, quasi jocularia indignatione, se nobiliorem jactans, restitit; & in eadem vana voluntate, semper contra fratrem regem privatim, & subdolè contra *filium regis Ludolphum*, ut Bajoaria adhuc testatur, publicè perstitit. Præclaræ igitur indolis puer, *Godehardus* nomine juxta *Altahense monasterium* ex ejusdem Ecclesiæ familia in villa *Ritenbach* diœcesis Pataviensis, à verè Christianis, piis & honestis parentibus feliciter natus est, & nutritus. Studiis litterarum adhuc infantulus contra intentionem quodammodo parentum suorum se tradidit. Erant scholæ, quas visitavit, prope monasterium *Altach* trans flumen Danubium. Cum autem mane surgens sanctus puer, gratia visitandi scholas veniret prope Danubium, quod pons ibi non erat, ut posset fluvium pertransire, Deo dante, vadens ad scholas, aut inde rediens, quendam reperit, qui sibi per flumen continuum & sanum præbuit conductum. In eodem Monasterio puer prædictus fideliter à parentibus oblatus à fratribus devotè susceptus, litteralis scientiæ haustum, Domino tribuente, laudabiliter imbibit; & divinæ legis notitiam, pro parvulo adhuc ætatis ingeniolo, libenter accepit, juxta quod dicitur: Facillime discitur, ubi Spiritus Dei Doctor adest. Cœpit namque sanctus puer, in primævo ætatis seu juventutis suæ flore, vanitates declinare, atque levitates evitare, magis eligens jugum legis Dei subire, & virtutum tramites adire, quam [frui] vanitatibus hujus mundi, ut illa semper assolet ætas; cœpitque de bono in melius, de meliori in optimum non segniter se transferre. Ob hoc semper terebat Ecclesiæ limina, ut ibidem hauriret sacræ legis flumina, ut exinde mentem suam inebriaret sitibundam. Aderat ei Dei timor ipsum ab omni retrahens lascivia puerili. Sic igitur se omnibus exhibuit, ut organum quoddam Spiritus sancti esse, verissimè appareret. Unde & factum est, ut in habitu sæculari, quo inter religiosos manebat, multos de religiosis in vitæ sanctitate pelliceret evidenter. Cum autem bonam, moribusque honestis hujusmodi vitam laudabilem in dicto monasterio *Altach* per aliquot annos peregisset, & adolescentiæ annos attigisset & vitæ sanctæ fama per totam Bavariam se dilatasset eo tempore, beatus vir *Fridericus* (*) *Juvavensis Episcopus* idem monasterium beneficii causa gubernavit *tempore ducis Henrici prioris.* (c) Et fratres ibi in divino servimine coadunati, postquam ejusdem pueri laudabilem in timore Domini indolem cognoverunt, eum notitiæ Pontificis intimaverunt. Quo ille audito, & certe erat prudentissimus, Deo gratias retulit; illumque inde eductum in suam familiaritatem assumpsit; & cubicularium suum fecit. Quem, ubi de virtute in virtutem, gratia Christi provehente, scandere cognovit, amplius eum, pro collata divinitus industria gratulans amavit, ac [*Cancellariæ* (d) *officium eidem commisit: in quo officio talem se exhibuit, ut divinæ organum sapientiæ se omnibus exhiberet. Sic*] per triennium secum per diversa expeditionum, cæterorumque commeatuum diffi-

* Sic habet Græciense MStum. & bene; nam cum hic Fridericus Salisburgensis Archi-episcopus creatus sit an. 956. & mortuus an. 990. tempora congruunt. Broweri editio habet: *Christianus Pataviæ Episcopus*, at perperam; quia Christianus anno 991. electus & circa an. 1012. mortuus est. Quo tempore Godehardus jam adultæ ætatis esse debuit, qui anno 997. Abbas Altahensis constitutus fuit.

(c) qui fuit Frater Ottonis primi.

(d) id est scribam suum vel notarium fecit. Verba parenthesi inclusa apud Brovverum sunt: in Græciensi vero MS. non extant.

difficilliora itinera quasi prætentandi gratia, circumvexit, & sacræ fidei & religionis Catechismo devotius instruxit. (e) [Timuit autem sanctus juvenis Godehardus, ne quid in tantis, quibus præpeditus erat negotiis, vanum illaberetur animo. Ideo à dicto domino Patavienſi recedendi petitâ licentiâ, & vix obtenta is] eum eidem cænobio fratribus illum in supplementum divinæ servitutis obnixe repetentibus *Subdiaconii gradu decoratum*, remisit. Qui ibidem in sanctæ conversationis studio de die in diem per adolescentiæ tempus sagacius invigilans, communi etiam fratrum commodo & utilitati devotius intendens, *majores* scilicet juxta Apostolum honore *præveniendo*, coævos justis exemplis adhortando, subjectos sacris sæpius monitis ad meliora solicitando, & ita divina clementia comitante, in brevi veræ religionis disciplinam ad integrum consecutus, Diaconii quoque honore sublimatus, eidem monasterio, ut verè post patuit, Deo prædestinante *Præpositus* est constitutus. *Anno* deinde *post partum virginis 983. Ottone Imperatore secundo;* post periculosissimum, & etiam infelicissimum *Calabriæ bellum*, adhuc per orbem terræ clade & infamia notissimum ex hac vita sublato; & Romæ cum summo totius Christianismi mœrore, satis tamen honorificè, sepulto, certè post inconsideratam *Mersburgensis Episcopatus destructionem*, (f) & post innocentem, juxta vocem populi, *Geronis comitis* (g) *necem*, prædictus *Henricus Bajoariæ Dux Pater Henrici Imperatoris, ab Imperatore patruele certe suo, ante septennium* ob infidelitatē & tyrannidem, quam contra eum *paterno more* exercuit, ab honore summotus, tunc occasione justitiæ *in spem regnandi arrogantiæ furore, in cassum elatus, herilem filium dignum Dei ordinatione regni heredem opprimere, semetque in monarchiam regni*, suadente seductore, *conatur erigere.* Cujus tamen nugalis machinatio, à primoribus regni, Deum sanè timentibus, & maxime à *Willegiso Metropolitano Moguntiaco, & Bernardo duce Saxonico* pacifice sedatur, eique post multa apta & inepta, quæ modo melius silentur, quia in Chronicis plenius continentur, *priscus ducatus redonatur. In proximo* autem *Natalis Domini die Otto tertius puer coronam regni à prænominato Metropolitano, honorifice percepit;* & in omni Ecclesiastica perfectione feliciter, more avito, crescere cæpit. Cujus quidem laudabilis industriæ initiale fuit indicium, quod *septimo suæ ordinationis anno*, sæpe dictum *Altabense monasterium* Episcoporum consilio, auxiliante demum duce præfato in pristinum monachicæ religionis reformari fecit statum. Quidam igitur venerabilis vir *Erkanbertus* nomine, illic Abbas præponitur, per quem, auxiliante Domino, divinum ibi Ministerium, *juxta Regulam S. Benedicti*, religiose disponitur; ad cujus statim saluberrimam admonitionem, promptæ obedientiæ juvenis *Godehardus*, corde & animo a sæculi vanitate conversus, cum aliquantis ejusdem loci Fratribus, *Monachus est factus, anno, ut ipse nobis sæpius intimavit, ætatis suæ XXXI.* Pluribus tamen ex eodem Cœnobio, ut non ignotum postmodum memoriæ, Fratribus digredientibus, inter quos erat quidam *Dietricus*, quem postea *Mindensis Ecclesiæ*, sed non *Episcopum vidimus.* (h) Sed novellus novæ religionis tyro adoptatus melioris vitæ tyrocinio, ut in priori proposito solebat, toto cordis ac mentis affectu ad cælestis aulæ limen anhelabat; adeo, ut novus Præceptor novo auditori, quod certè in talibus insolitum est, considerata ejus probitate, omnem divini ovilis curam post se penitus commendaret, eumque sibi in spiritualis exercitii filiationem singulariter præoptaret. Erat enim charitate fervidus, in labore strenuus, in oratione devotus, meditatione profundus, contemplatione suspensus, corpore honestus, corde mundus, sibi rigidus, defectibus aliorum compatiens, humilitate præcipuus, in paupertate lætus, & in vera nitidus castitate. Qui tamen prædictus Abbas post triennium, vel causa infirmitatis, vel tædio curæ sæcularis, idem regimen reliquit; & ad secretioris vitæ solitudinem in conspectu interni arbitri vacare decrevit.

 His

(e) Verba parentheſi inclusa iterum non extant in Græcensi exemplari, sed in editione Broweri. In Græcensi codice vero post verbum *instruxit*, sequitur: *sicque eum eidem* &c.

(f) Anno 982. hæc destructio à Gisilario ad Archiepiscopatum Magdeburgensem translato perpetrata est. v. Ditmar.

(g) Gero 11. Aug. 978. jussu Ottonis decollatus est. vid. Ditmar. & Chronographus Saxo ad an. 979.

(h) Browerus legit: *quidam Thetmarus, quem postea Mindensis Ecclesiæ Episcopum vidimus.* Eadem de Dethmaro habet Chron. Mindense Leerbecii; sed quia Dethmarus 27. Mind. Ep. ibi an. 1180. factus esse probatur, non potuit scriptor, qui S. Godehardum in vita vidit, ejus meminisse. *Dietricum* igitur Græcensis MSti. probo; verum verba *sed non* mihi suspecta sunt. Fuit enim omnino *Theodericus Episc. Mindensis*, utpote qui anno 1008. Ramwardo successit & 1022. obiit, secundum Leerbecium, atque ita Godehardo coætaneus fuit, & Scriptori ejus vitæ *notus memoriæ* esse potuit. Unde illud *sed non* lubens delerem, contra Antwerpienses, qui Theodoricum Episcopum non noverunt.

CAP. II.

His etiam diebus præmemoratus *Bajoriæ Dux* (i) obiit, cujus loco, *pius Henricus filius ejus*, surrexit; non patris insolentiam; sed initium sapientiæ timorem Domini pleniter secutus; quia erat omni literarum studio principaliter imbutus, & totus sane fide & actu Catholicus. Qui statim ad divini famulaminis cultum succensus, prænotatum Cænobium iterum spirituali privari Pastore, indoluit; & eundem *Godehardum* tunc *Presbyterum*, (k) *Abbatem* ibi præponere voluit: cui ille, *per biennium*, justa satis excusatione restitit; quia sedem & locum pastoris sui, ipso superstite, usurpare non debuit. Sed postquam *Abbas* a Fratribus, & etiam ab *Episcopis* vocatus revenire recusavit, eisque licentiam, quem in locum ejus vellent substituere, mandavit, tandem Episcopali authoritate & Fratrum unanimitate victus, idem regimen, *juxta Ducis decretum*, suscepit (l). Qui statim in exordio suæ promotionis totum se Christo vigilanter mancipavit, & districtiorem regularis vitæ tramitem, cum consociatis sibi Fratribus ingredi, anxiè curavit; & in tali studio se ibidem per *octo annos* (m) indesinenter exercuit. Et præter hoc tamen, *manuali labore* multiplicem fructum, ac necessariam utilitatem acquisivit. Qui, & ibi in monte quodam, qui *Helingeresberg* dicitur, *Castellum firmum, & in eo Ecclesiam pulcherrimam in honorem sanctæ Matris Christi Mariæ*, in cujus speciale servimen futurus erat, cum condecenti ædificio construxit; & circumquaque, maximè tamen *in saltu Boëmico*, qui eidem provinciæ proxime astat, *ad triginta & eo amplius mansos labore tantum manuum cum Fratribus, Apostolico exemplo, silvis & vepribus erutis ad usum utilitatis informavit.* Interim *MII. Incarnationis Domini anno*, nobilis *Imperator Otto tertius* ex vita hac, immatura morte, discessit; in cujus regnum prædictus *Henricus Dux*, omni pietate perspicuus successit. Erat in illo tempore in *Herveldensi Monasterio sancti Wigberti* Bernhardus *Abbas* (n) venerabilis genere, & dignitate memorabilis; qui tamen, ut in pace dicatur, ultra sui propositi ordinem humano more popularis famæ laudi intentus, ejusdem Cœnobii Fratres, forte aliquanto debità conversatione fovit indulgentius, ita, ut more Canonicorum proprietates cibi tam in privatis ædificiis, quam & in equis & cultioribus quoque plurimis vestimentis, ac cæteris mundanæ gloriæ pompis vindicarent; & licentiam quoque dandi & accipiendi, cum illicitis ac superfluis conviviis, cæterisque talibus usurparent. Quo scilicet Abbate biennio ante finem sui ægrotante, & ultra *Fuldam* flumen in monte, quo ipse monasterium in honorem S. Petri Apostoli construxit, cum militibus ac cæteris sibi familiaribus, refrigerii lenitate commorante; fratres indignatione permoti, & quasi a Patre contempti, ad Regem, tam per semet ipsos, quam, & per literas ac legatos, sæpius diversas querimonias dirigunt, sibi victus & vestitus necessaria denegari, & illis cum cæteris Christi pauperibus esurientibus, res Ecclesiasticas per vana & inutilia prorsus dissipari. Quam eorum querimoniam Rex sapiens altius, quam ipsi opinarentur intelligens, sed & vitam illorum nonnesciens, diutius dissimulando distulit. Sed ad postremum importunitate eorum devictus, modificato sermone, respondit: libenter se patrem eorum, si Dei dono convaluerit, de talibus admoniturum; sin verò obierit, eis & sibi in præponendo Pastore in divinis & humanis, sapientum consilio, juxta timorem Domini provisurum. At memorato Abbate paulò post defuncto, prædictum *Godehardum* eis Patrem gubernatoremque Episcoporum consilio præposuit; quem etiam, ut in omni eis juxta Domini timorem & monachicam vitam provideret, solerter præmonuit. Qui illuc per Willegisum Archiepiscopum perductus, & per eum etiam, sicut Deo gratias, optimè noverat, ad benefaciendum sapienter instructus, in primo adventu, gratias divinæ pietati referens ejusque directionem in præteritis, præsentibus, & futuris solicitè quærens; primitus eis juxta regulare præceptum, duriora & aspera mandata proposuit, & licentiam eis ad preces Metropolitani, aut secum hæc celebrandi, aut quo vellent discedendi, contribuit. Qui statim unanimiter conspirati, simul omnes, paucis tantum senioribus, vel puerulis remanentibus, egressi, per diversa loca variè sunt dispersi. Quos tamen postea saniori consilio, & eorundem qui remanserant certe industriam ejus ac mansuetudinem intelligentium auxilio, quosdam citius, quosdam vero serius pene omnes ad ovile revocavit; eosque sub levi jugo Christi facile Domino gubernante coadunavit. Civitatem vero ipsam, & claustrales cohabitationes, a superfluis & ineptis pluribus ædificiis ilico purgavit, & in condignam monachicæ

(i) Anno 995.

(k) Hundius à S. Wolfgango sacerdotem consecratum Godehardum ait; debuit igitur id ante an. 994. contigisse.

(l) Factum id an. 997. Browero observante.

(m) Ad an. 1005.

(n) MS. Græcensis lectio confirmatur ex libello *de institutione Monasterii Hersfeldensis*, ubi eadem pene memorantur. Iterum ergo Broweri editio fallit, quæ Bernhardi loco *Bertholdum* substituit.

cæ necessitatis habitudinem honeste reformavit. Et, cum inibi inventis & aliunde acquisitis Fratribus in eodem Cœnobio *per septem annos* (o) digne Deo & hominibus laudabiliter ministravit, commendata sunt ei & alia *duo monasteria, Tegerense, & Chremsense* (p), quæ pari quoque diligentia in Christi servimine gubernavit. Hisdem temporibus fuit *in Thuringiæ* partibus quidam vir nobilis, *dignitate & meritis illustris*, nomine *Guntherus*: qui pro delictis juventutis ingemiscens, & considerata diligentius actuum suorum qualitate, faciem Domini in confessione præveniens, sed propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi *Herveldiam* ad *novum Abbatem*, digne, ut postea patuit, pœnitendo accessit; eique omne secretum cordis ac voluntatis suæ, funditus aperuit. Quem Abbas juste in Deo timoratus, blanda consolatione & condigna etiam provisione, pœnitentem suscepit, & ad Monachicam usque professionem, saluberrima sui commonitione, Domino cooperante, convertit; qui statim ad penitus abdicanda quæcunque sunt sæculi, multiplicem suæ hæreditatis proprietatem, quam acceperat à *progenitoribus Ecclesiæ sancti Wigberti* in usum Christo famulantium cum consensu *hæredum suorum*, firma traditione delegavit; ac semetipsum ibidem in regularem perseverantiam, spontanea promissione, mancipavit: primitus tamen sub testibus testamento pactus, ut Monachus factus, Monasterium, quod *Gellinge* dicitur, victus & vestitus gratia, ipse possideret, ac fratribus illic Christo servientibus, secum inde necessaria provideret. Sed Abbas, prudenti pertractans consilio, homini noviter converso talem pactionem, in via mandatorum Dei, maximo futuram esse periculo, & plus inde per dies animæ nasci dispendium, quam corporis, ut putabat, subsidium, interim illum provida mente ab incepto suspendit; & laico habitu adhuc usum ad *Altahense monasterium* secum perduxit. Ibidem prædictus vir corde tenus compunctus, petiit ab Abbate, ut ante professionem, liceret sibi *Romam* petere, & Apostolorum Christi, aliorumque Sanctorum intercessionem pro transactæ vitæ deviis, & pro novæ vitæ ingressu quærere, quo permittente it & redit. Tandemque ante altare sanctæ Mariæ (q) *cingulum deponens, caput & barbam totondit*; & facta, de more, petitione, susceptus, ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem Pastore monasticæ vitæ habitum est adeptus. Verum, post votum professionis, non immemor suæ, quam præscripsimus, pactionis, adiens Abbatem, licentiam petiit patriam repetendi, & locum, quem pepigerat, juxta condictum, incolendi: quod pius pater interim consensit, nolens eum obstinata contradictione ab effectu, quamvis iniquo, prohibere; donec, ratione dictante, illicita cupientem animum, paulatim posset mitigare. Venienti ergo ad locum, *Gellinge* dictum, & disponenti necessitates ibidem commanentium, ex occultis tentatoris insidiis; Domino, ut certè credimus, ad exemplum beati Job, permittente, multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ipse scilicet ante, paupertatis ac laboris insolens, ad Abbatem sæpius quæritando confugeret, ejusque pro talibus consilium & auxilium anxie perquireret, solicitus pater, fluctuationem mentis ejus profunde perspiciens, & subsecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blanda interdum consolatione, & suaviloqua commonitione, mæstitiam ejus mitigans, interdum verò, juxta Apostolum, *arguendo, obsecrando, increpando, opportunè, importunè* nutantem ejus animum castigans, ad viam salutis eum reducere studuit; quod tamen adhuc modicum profecit. Sed cum in hac altercatione sæpius luctarentur; & in hujusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum, quadam die suæ solicitudinis querelam suggerenti, vir Dei debito justitiæ Zelo permotus, turgente, ut ajunt, pulmone respondit; ut aut in promissa obedientiæ stabilitate Deo devotius serviret, aut certe ad solitam sæculi vanitatem, laqueis iterum Satanæ irretitus, abjecto habitu rediret; ad quam vocem stupefactus auditor intremuit; & erroris sui nimietatem sero tandem perhorrescens, ingemuit, omni prædicta pactione corde tenus oblita; & tota cujuscunque incommodi querimonia abolita, ad Altahense monasterium, ubi tunc sub ejusdem Patris cura (ut in gratia omnium loquar) singulare divini cultus studium fervebat, se contulit; & illic fratribus humillime subjectus, & in sacræ religionis districtione pleniter in breviori tempore divini roris infusione instructus, ultra regulare præceptum semet, etiam Prælatis admirantibus, afflixit. *Tertio* namque *suæ conversionis anno* in prædicto *Bohemico saltu* eremum petiit, in qua ad XXXVII. annos, in studio sanctæ religionis & in summa veraciter districtione spontaneæ paupertatis, cum sibi commanentibus vixit. Annona denique eorum erat varia: vario certe studio à *rege Ungarico*, & *de Bohemia* & *Polania*, & ceteris diversis provinciis, simul cum vestitu conquisita. De potu, ut omnibus notum est, nihil prorsus ibi nisi sola aqua habebatur; & ipsa, etiam hospitibus ad sufficientiam, fratribus vero ad mensuram, dabatur. Nam literas omnino, nisi tantum psalmos, non didicit; & tamen omnem rationem & intellectum Evangelii, Legis,

(o) Itaque usque ad ann. 1012.

(p) MS. Græcense: *Commendatum ei est & aliud Monasterium Tegarense, quod pari quoque* &c.

(q) MS. Græcense: *S. Mauritii.*

Legis, & Prophetarum & Historiarum quoque ex crebra fratrum relatione, & etiam avidiore verbi Dominici exauditione, mirabiliter percepit: adeo, ut sæpissime obscuriora mysticæ intelligentiæ, interdum jocando, interdum vero admonendo, stupentibus auditoribus, proferret. Quod nos quidem, *qui eum familiarius novimus, frequenter audivimus:* præcipue tamen, cum in summa sua festivitate, *in nativitate scilicet Sancti Joannis Baptistæ specialis sui patroni, sermoni ejus affuimus*; quo, in capitulari collatione, eodem die, fratres suos admonebat, dum eos de ejusdem patris vita & moribus, victu & etiam vestitu, & operibus ad paupertatis suæ Domino Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico, & coram Deo non mentior, quia omnes pæne qui aderant eidem sermoni ad uberrimam lacrymarum effusionem, dono Dei, sunt compuncti. Assedit ergo ibidem venerabilis *Abbas Altabensis Rathmundus, cum pluribus sui cœnobii fratribus, ex aliis multis insuper hospitibus, præter nos, quos in Canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen fratrum familiaritas & maximè Abbatis licentia circumquaque ad fenestras, concionatore ignorante, clanculo collocavit.* *Erat enim*, ut de S. Benedicto dicitur, quem post Deum, vita & moribus maxime sequebatur, *& scienter nescius, & sapienter indoctus*. Beatus itaque *Godehardus*, senio & labore jam fessus, & etiam tædio sæcularis curæ repletus, *annuente rege Herveldense* regimen præclaro viro *Arnoldo* suo prius eo loci Præposito; & *Bertholda*, æque venerabili suo Primicerio, *Degerense* commendavit: sicque ad *Altaba* remeavit; ubi, si Deo tantum placuerit, in finem vitæ suæ in debito ceptæ religionis studio perseverare decrevit. Idem enim monasterium omni devotione, ut vel hodie ibi liquet, adornare studebat, libris scilicet, & preciosissimis missalibus, vestimentis, cæterisque variis, & utilibus Ecclesiasticis ornamentis. Maxime tamen, quod ubique notissimum est, plurimos in eodem cœnobio fratres, scientia & moribus illustres, enutrivit; quos postea inter diversa monasteria Patres ac doctores, Regis ac Episcoporum petitione, dispertivit. Sed, cum jam in laboriosa, sibi tamen placita, illa sua quiete, *per decem annos* (r), in hujusmodi studio pausaret, totaque cordis intentione in regione vivorum Domino placere diurnis nocturnisque suspiriis, præoptaret, mirabile tandem somnium vidit, *ut ipse nobis sæpius intimavit*, post quam certe visionem se de hoc mundo, quo Deus jusserit, abiturum non dubitavit. Quadam igitur nocte, ut semper *per triginta jam annos* consuevit, post primam tantum noctis quietem, Ecclesiam ingrediens, psalmodiæ cæterisque talibus officiis intentus, pernoctabat; sed, & post matutinas in incœpto decreto perstabat. Jamque aurora irradiante, modice dormitans cubiculum intravit; seque super scamnum tantum inclinans hujusmodi somnium vidit. Nam oliva pulchræ magnitudinis ibi in claustrali atrio stabat, & putabat se sub eadem arbore lectionis studio sedere, & ad se quasdam graviores & ignotas personas accedere, quæ se *à rege eò missas* assererent; ut eandem olivam suffossam sibi in regale servimen deferrent. Nec mora, ut sibi videbatur, secures & fossoria arripiunt; eamque summa festinatione exstirpare contendunt; sed quanto altius infodiunt, tanto densiorem radicum tenacitatem inveniunt. Quod ipsi videntes; festinationis causa admotis securibus, radices secando præcidunt; sicque evulsam arborem secum auferentes discedunt. Et statim ut æstimabat ex relicta radicum densitate, innumera & speciosa virgulta succreverunt; quæ totum etiam atrium, sua multiplicatione repleverunt; ita, ut & vulgus diversi sexus & ætatis accesserit, & de eisdem frutetis *plantaria* plura evellens, per rura & compita disseminaverit. At ille evigilans Ecclesiam statim intravit; seseque & totum cogitatum suum in Dominum jactans, divinæ clementiæ attentius commendavit; quia se post idem somnium discessurum, certius æstimabat; quod tamen sapiens quisque alia evidenter portendere, patenter intelligit; qui multiplicem doctrinæ illius numerositatem solicite perpenderit; & illic in prioris religionis exercitio relictam, & postea ubi ubi per diversa divini roris dogmata salubriter dispersam.

CAP. III.

Quoniam quidem beati viri vitam, non propria scientiâ, quæ certe nulla est, sed divina clementia favente, ab Exordio hactenus permulta laudabilia descripseram, gratias pro scire condignas eidem clementiæ refero, tuumque venerande Pater auxilium, quem à fine usque in finem in omnibus, & in hoc præcipue negotio eruditorem, defensorem, correctoremque prælegi, tuum, inquam, tuique similium auxilium, & interventum ad Deum imploro, ut deinceps majora & laudabiliora, illius directione, sine mendacii fuco, veraciter & congrue describam. *Anno* igitur *post incarnati verbi Dei mysterium MXXII. Regni vero Domini Henrici XXI. Imperii autem IX.* fælicis memoriæ *Berwardus* venerabilis nostræ ecclesiæ Antistes, ex hac vita ad

(r) Ergo usque ad an. 1022.

ad perpetuam migravit. Cujus certe obitus totam regionem maxime contristavit. Erat enim, ut festinando omnem ejus vitæ historiam transcurram, in cuncto divinæ servitutis studio juste fervidus; & in tota mundanæ utilitatis sagacitate sapienter providus; contra rebelles & induratos jure severus; erga obedientes & modestos rite mansuetus; eleemosynis & miseratione conpatiens & largus; vigiliis, jejuniis, & orationibus convenienter intentus. Monasterium itaque nostrum, libris, serico, auro, argento, gemmis, picturis, aliisque Ecclesiasticis ornamentis pluribus decenter redimivit, Clericos auxiliante Domino multos, & etiam in divino servitio utiles enutrivit. Venerabile *templum S. Michaelis* proprio labore constructum, suaque hæreditate & acquisitione sufficienter dotatum, in monachicam religionem Deo consecravit. Turres munitissimas, & etiam honorificas cum adhærente muro in Orientali & Occidentali parte nostræ civitatis, in tuitionem civium construxit. Ecclesias multas, cum variis, & utilibus ædificiis per diversas Episcopii curtes, ædificavit; & omni prorsus Pontificalis provisionis honestate, in divinis & humanis solerter invigilavit. Eodem tempore Imperator *Gruona* (s) sedebat, & præmemoratum Abbatem, solito semper pietatis more, secum habebat. Adveniente ergo legato cum hac lugubri legatione, Imperator fidelem Christi, suique amicum condigno mœrore deflevit; & piam ejus animam Deo & sanctis Domini, Angelis, debita commemoratione commendavit. Deinde Abbatem secreto soliloquio convenit, eique suæ voluntatis arcanum de Episcopatu ejusdem sedis aperuit. Cui statim ille in faciem restitit, & se indignum tali ac tanto honore & officio respondit: quem item itemque ex abundantia cordis devotius admonuit. Ille vero in cœpta excusatione firmiter perstitit: dicens, certè se majora onera divitiarum ob hoc rejecisse, ut soli Deo liberius vacaret; & fragilis vitæ finem in solita dilectaque sibi paupertate, securius expectaret. Imperator verò per Episcopos duritiam cordis ejus emollire tentavit, eosque de talibus illum convenire rogavit: in quorum ille colloquio, solita fiducia restitit: & se tandem, si hoc tamen nomine dignus eis videretur, donec *Ratisbona* aut *Patavia* vacaret, ubi non sibi sed suis tantum prodesse possit, libentius expectare retulit. Sicque ibidem, per totam hebdomadam de hac inter eos causa tractabatur; sed ille semper in eadem suæ sententiæ tenacitate retinebatur. Tandem *in vigiliis S. Andreæ Apostoli*, quæ tunc *in quinta feria, ante adventum Domini* evenerant, item somnium vidit, quod tunc *soli Imperatori*, postea vero & nobis gratulando, & etiam lacrymando sæpius intimavit. Aspexit in visione post solitas nocturnas vigilias ac preces matutinas, ut sibi videbatur, in Atrio ejusdem Ecclesiæ, in qua post triduum Deo consecrandus erat, nimiam certe multitudinem inter se tumultuantem, & de Episcopio Hildenesheimensi serio concertantem. Tunc accessit ad eum in media multitudine, cum pulchra puellarum caterva, quædam Matrona venerabilis, vultu & habitu mirabilis; &, apprehensa manu ejus, de frequentia turbarum, eum in eandem Ecclesiam introduxit; &, extenta dextra, nutu tantum eum ad agendam ante crucifixum * *veniam*, admonuit, statimque ipso se ad preces inclinante ipsa cum circumstantibus clara voce ita Deo psallere cæpit: *Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus:* ad quam vocem ipse à somno evigilans, & ejusdem visionis mysterio compunctus. Ecclesiam intravit & coram altari Domini prostratus divinæ pietati se, suamque visionem commendavit. Facto autem die Imperatorem secretius convenit; & mentis suæ pertinacia remissa, visionis ei seriem aperuit: & tandem se divinæ prædestinationi, & ejus etiam consilio ac voluntati obsecutum, devovit. Nec mora, eodem die, diluculo Clerus noster cum *Militia* (t) advenit; quibus dum Imperator suum secretum, imo divinum decretum intimavit, tota eorum unanimitas gratanter dominum laudando, suscepit. Quamvis primo, quod nec mirum erat, vel ob ignotam ejus vitam, vel etiam ob auditam olim juventutis ejus nimietatem, ad tempus expavescerent, sibique tale aliquid pertimescerent. Sequenti vero die, in Natali Apostoli, cum summo Cleri plebisque tripudio, eidem pastoralis cura commendatur, qui in *proxima dominica Adventus domini ab Aribone Metropolitano Moguntiaco* digne domino *consecratur*. Sed tamen in ipso ejusdem honoris, sive, ut ipse putavit, oneris initio, justis à Deo, ut vere creditur, prædestinata, non defuit tentatio. Nam idem ejus consecrator *Aribo*, eodem die ante missarum solemnia secretius eum cum Episcopis convenit; eique in Gandesheimensi loco & circumjacente territorio omnem pontificalis officii provisionem, *Banni sui interpositione* prohibuit. Quem quidem bannum ipse, suæ simplicitatis more, nec approbavit, nec renuit, sed statim ad Imperatorem ab eo solummodo

(s) Antwerpienses putant esse opidum Thuringiæ. Sed Gottingam fuisse compertum habemus ubi castrum hodie dirutum *Gruona* dicebatur.

* *Venia*. Græcis μετάνοιαν ποιεῖν *Veniam agere* aut *facere* est hic Corpus reverentiæ causa inclinare.

(t) Nobilium clientum manu.

modo patrocinium, in talibus quærens, confugit. Qui confestim Archiepiscopo cum confratribus familiariter accersito, & dissimulata cordis molestia sui, hunc novum conflictum *Banno soluto* sapienter pacificeque diremit. Et sic, prædicta consecratione festive celebrata, eandem diem in timore Dei exultantes læte peregerunt; & ita in pace suum conventum dissolverunt. Non ergo vobis, ô lectores, incommodum vel fastidiosum videatur, si hujusmet conflictus initium, vobis certe in posteris necessarium, altius, necessitatis causa repetatur. Quidam *Dux Saxonicus Ludolphus* nomine *cum sua conjuge Oda* (u) cum consilio & licentia *S. Alfridi, IIII. nostræ Ecclesiæ Episcopi*, Romam petiit; & a beato *Sergio Papa reliquias sanctorum Præsulum Anastasii & Innocentii* impetratas detulit. In quorum honore Monasterium & cœnobium Virginum primo in *Brunestesbusen*: deinde quarto post anno in *Gandesheim* construxit. Et easdem villas, cum adjacente territorio, & omni sua hæreditate, illuc in utilitatem Christo militantium contulit, & filiam suam *Hathamudam Abbatissam* ibi primam, eodem Episcopo ordinante, constituit. Sic totum idem territorium ab initio semper ad Hildeneshemenses Episcopos *per CXI. annos* pertinuit; & nullus Moguntinus præsul quicquam inde vel sibi, vel suæ Ecclesiæ vendicavit, donec à Rabano duodecimus *Willegisus Metropolitanus* Moguntiacam cathedram insedit, vir certe in omni Catholica pietate præclarus, sed in hoc solo tantum periculosè temerarius; qui suadente, ut impune veritatem loquar, domina *Sophia* sorore Imperatoris Ottonis tertii, quæ juvenili jactantia, & generis dignitate elata, à *Palligero* tantum velari gestivit, eundem locum sibi usurpare tentavit; quæ tamen machinatio in conspectu Regis & principum, *Osdago octavo*, post Altfridum nostræ Ecclesiæ Episcopo, veritatis ei & justitiæ voce resistente disperiit; quando vix obtentu Regis, ejusque matris licentiam ab eodem Episcopo obtinuit, ut ibi in natali S. Lucæ Evangelistæ missam celebraret Archiepiscopus, & prædictæ Sophiæ velationem simul cum eo ageret; de cæteris vero velandis virginibus, noster Præsul suo jure provideret. Post pauca autem, prædicto *Osdago* Episcopo defuncto, & *Gerdago* etiam nobis electo, & *post biennium* functo, Dominus *Berwardus* regius Capellanus, eandem sedem obtinuit, quem idem Archiepiscopus consecravit; sed super eadem repetitione prorsus obticuit, donec domina *Gerberga* Abbatissa venerabilis novum monasterium, quod ipsa post incendium construxit, voluit consecrari. Sed, quia ipsa, infirmitate detenta, ea providere non valuit, prædictæ *Sophia* spirituali certe filiæ, ac etiam *nepti* hanc procurationem commendavit, quæ statim, solito more, proprium Episcopum contempsit, Archiepiscopum honorifice ad talia vocavit. Qui iterum pro hujusmodi suasione, juris oblitus, eundem locum invadere festinavit: sed Præsulis nostri literis commonitus, distulit. Iterum invitatur, iterumque auctoritatis jure repellitur. Ad tertiam vero invitationem Archiepiscopus illuc advenit, Ecclesiam, ut putabat, dedicaturus, quod certè *Eggebardus Slesuicensis Episcopus* vere fidelis nostræ Ecclesiæ filius, illuc cum Clero à nostro Domino missus, scripturarum auctoritate intercepit. Post multas autem, & varias hujusmodi disceptationes, eadem causa tandem ab Episcopis comprovincialibus, usque in præsentiam Romani Pontificis Imperatorisque comperendinatur. Sed eo tempore pius *Otto tertius* Imperator ad Christum migravit, cujus loco ut prænotatum est, *Henricus* in regnum intravit. Qui statim natalem S. Laurentii *Patherbronnæ* celebravit: Ubi Domina *Cunigunda* regalem coronam percepit. Prædictà etiam *Gerberga Gandenesheimensi Abbatissa* sæculo exemta, *Sophia* ei succedens solito iterum more ibidem principum licentiam Domini Bernwardi à Palligero benedicendi impetravit. Deinde novus Rex *primum sui honoris annum in natali Domini Palidi incohoavit*. Ibi coram eo per Principes sæpius dicta Episcoporum lite recitata, corde tenus indoluit; & ad illam sedandam, sæpe interceptam dedicationem Ecclesiæ Gandenesheimensis in Vigilia Epiphaniæ Domini destinavit. Illuc ergo, statuto die advenientes, & dedicationis officium inchoantes, intus sacro mysterio peracto, Rex cum Episcopis & Primatibus ante fores ad populum processit; Ubi *Willegisus Archiepiscopus* publico sermone æstimationis suæ culpam professus, juri & repetitioni ejusdem loci abrenunciavit: & in testimonium hujus abrenunciationis, *ferulam Episcopalem* Domino Bernwardo, ut postea *in Franconovordensi concilio* claruit, coram Clero & populo condonavit. Archiepiscopus vero, hac lite sedata, Præsulem nostrum, omni honore & charitate ultra dilexit, & in nostro cœnobio fraternitate honorifice acquisita, summam dilectionem & loco & fratribus providit; qui *quinto post anno* (x) plenus dierum & bonorum etiam operum ad Christum migravit. Cujus successorem *Erkanbaldum Fuldensis Cœnobii prius Abbatem* dominus Bernvvardus *Calen. Aprilis Moguntiæ consecravit*; qui ibidem *novem annos* præsidens ordinatorem suum, *consanguinitate etiam sibi propinquum* debita devotione percoluit, & supra dicta controversia omnino conticuit. Huic autem, *Aribo regius Capellanus* successit, quem *Impe-*

(u) Yda. (x) Anno Chr. 1011.

Imperialis annuli dono, regio more præsignatum, Bernwardus Episcopus ad principale altare, prænotatæ Gandenesheimensis Ecclesiæ Presbyterum ordinavit; eique in verbo Domini & *Banni S. Petri* auctoritate, ejusdem altaris & etiam loci vel circumjacentis territorii usurpationem invasionem quoque vel repetitionem, astante Imperatore cum Episcopis, publice interdixit. In hujus banni vindictam, ille novo nostro Patri intulit tentationem prædictam. Erat tamen, ut veritatem non occultemus, idem Archiepiscopus *genere & dignitate*, & probabili morum etiam gravitate, vere venerabilis; sed in hac tantum temeritate erga nos pro parte culpabilis. Hæc ergo hujus conflictus abbreviatio ideo hic adnotatur, ut subsequentis disceptationis de eodem Gandenesheimensi territorio veritas & ratio clarius cognoscatur.

CAP. IV.

Beatus igitur *Godehardus* Pontificatus infulis decoratus, *Nonis Decembris Hildenesheim advenit*; omnesque in suo adventu vere gratulantes invenit. Qui mox, ut *Cœnobii nostri* (y) religionem eotenus rationabiliter, Deo gratias, conservatam agnovit, condignas illico divinæ miserationi laudes persolvens, omni eam devotionis studio ampliare, & in divini cultus exercitio condecorare sategit. Forinsecus vero de Generali Cleri & populi gubernatione, Episcopali speculatione solerter invigilavit; pro qua etiam, die ac nocte, omni vitæ suæ tempore, indefesso gemitu, Domino indesinenter supplicavit. Semetipsum vero in sanctimonia solita, & in primitus incepta bonorum operum assiduitate non solum caute custodivit, sed etiam religiose dietim, augmentavit. In vigiliis & orationibus, ac continua & certe vix credibili jejuniorum frequentatione, & largissima eleemosynarum profusione, & in summa totius divini timoris gravitate, usque in finem, spiritu sancto corroborante, perseveravit. Fuit igitur, ut nulla prorsus virtutis ejus panegyrica prætermittam, Regibus & Primoribus & formidini & honori; cæteris vero, unicuique secundum se timori pariter & amori. Pro cunctis scilicet rite solicitus, & in Christo omnibus omnia factus, soli tantum sibi gravis, austerus perstitit, & parcus. Cœnobium suum Pastorali cura sapienter gubernavit, & fratrum commoda in victu & vestitu, cæterisque indigentiæ humanæ necessariis, sæpius adauxit; quos etiam ad sacræ religionis observantiam Apostolice, arguendo & obsecrando, multipliciterque informando conduxit. Juvenes quoque & pueros quos inibi bonæ indolis & sapidos invenit, per diversa scholarum studia circumquaque dispertivit; quorum certe postea servimine, variam ac multiplicem suæ Ecclesiæ utilitatem in lectione, scriptura, & pictura, ac plurali honestiori clericalis officii disciplina, conquisivit. Thesaurum nihilominus Ecclesiasticum, quem ibi numerosum invenit, tam decenter, quam & utiliter amplificavit; & quidquid in ædificiis Ecclesiasticis non solum principalis suæ civitatis, sed & in aliis suæ provisionis locis dirutum, vel veteratum reperit, totum summa celeritate distrahere, renovare, & meliorare festinavit. Inter quæ tamen omnia *baptismalem Ecclesiam*, quam felicis memoriæ *Otwinus X. noster Antistes* in honore S. Mariæ & *S. Epiphanii Episcopi, quem de Papia civitate*, dei dono, Patronum nobis *adduxit*, in *Australi* (z) *parte nostra Ecclesiæ* construxit, senio certe & negligentia delapsam, diruit; & in eodem loco Monasterium honestum, in prætitulato honore, *primo suæ ordinationis anno*, fundavit, *quarto* consummavit; & ibidem Congregationem Canonicam pluris sane honoris & utilitatis, in Domini timore coadunavit, quam concambii sui acquisitione, sufficienter vestivit & pavit, abundantemque illuc in futurum, ad talia sufficientiam, condonavit. Miraculum ergo primum, quod per eum Christi gratia ipso suo *primo anno* fecerat, in spem & gaudium lectorum hic interponendum merito opinor, quod ipsa veritate, quæ Deus est, teste, non mentior, ab ipso quidem usque in finem penitus celatum, sed à Clero & populo, qui intererant, divulgatum. *Eodem anno Aribo Archiepiscopus Imperatorem in Pentecoste Moguntiam invitavit*; ubi & *Concilium generale* coadunavit in quo Episcoporum consilio plura, quæ deviaverant, correxit. Præcipue tamen *Ottonem Comitem de Hamerstein* & (a), *Irmengardam* illicite commanentes separare disposuit, quod tamen penitus perficere non potuit; quia ille partim se regali timore, partim Episcopali commonitione utcumque correxit: Illa vero publice *bannos* prævaricans, ibidem jus legemque, ut vel hodie claret, funditus perdidit. Ad idem Concilium Præsul noster, & Imperiali, & Pontificali vocatione allegatus, pulchra cleri & militiæ frequentia, etsi non sponte comitatus, illò properabat. Et quadam die *in pago*, *qui Logingaha* dicitur, *juxta prædictum Castellum Gruona*, ubi, gratia Dei, & electus & consecratus est, iter carpebat; & contigit ibi in villa quadam, mulierem à spiritu vexari immundo; & à parentibus vel propinquis per Ecclesias

(y) Id est S. Michaelis. (z) Chron. Hildesh. ap. Antwerpienses; *in Orientali parte*. Ubi nota, quod *Australis* medii ævi scriptoribus est idem ac *Orientalis*. Ita *Austrasia*, Osterland/ terra orientalis ipse Oriens Ost/ Ital. Ostro dicitur. (a) Anno 1013.

as ad Sanctorum patrocinia circumduci. Qui, dum novum Episcopum illuc adventare cognoverant, in occursum ei, sancta ejus opinione fiduciati, simul cum infirma, concite properabant. Immundus vero spiritus, ipsa eorum festinatione pavefactus, per os infirmæ anxio clamore, quo duceretur, inquisivit. Cui, cum dicerent, quod in occursum *Godehardi Episcopi* traheretur, horrifico statim mugitu & ejulatu, cæpit miserabiliter refragari; &, ne ad Episcopum veniret, ipsis, qui eum ducebant, mirantibus pariter & pavescentibus, reluctari, ejulans & vociferans, Godehardum se nec audire nec posse videre. In eo certamine dum infirma, à fidelibus fide & spe, ut vere patuit, ferventibus, trahebatur, spiritus nequam tota violentia reluctabatur, tandem (Deo gratias) fugato Dæmonio, mulier liberatur; & ad virum Dei ubi sub quadam arbore refrigerii gratia consedit, sana corde & corpore perducitur. Qui cognitis rebus, timore pariter & gaudio conpunctus, lacrymans gratias divinæ pietati, in faciem prostratus, jure persolvit; eidemque manus imponens, eam benedictione pariter & prece in fide confortavit, & valentem, imo & gaudentem, cum gaudentibus civibus & amicis remisit, sicque iter, quod cæperat, peregit. Unde eum omnes qui eum eò comitabantur amplius & amabant & timebant, cujus coram Deo tale meritum cognoscebant, quibus tamen, super hoc facto, seria auctoritate silentium indixit. Sed nec ægra quæ sensit, nec turba, quæ salutare miraculum vidit, reticuit. Erat etiam in Orientali parte civitatis nostræ palus horrifica & circummanentibus omnino plurali formidine invisa, eoque ibi, ut opinabantur, tam meridiano quam & nocturno tempore illusiones quasdam horribiles vel audirent, vel viderent; quæ à *fonte salsuginis*, quæ ibidem in medio bulliebat, *Sulza* dicitur. Qua ille spectatâ, & illusione etiam phantasticâ, qua bruta plebs terrebatur, auditâ, eandem paludem, *secundo sui adventus anno* cum cruce & reliquiis Sanctorum invasit & habitationem suam ibidem aptavit; & in medio periculo Oratorium in honorem S. Bartholomæi Apostoli fundavit: quo, *sequenti anno* consummato, & dedicato, omne Dæmonum phantasma exinde funditus exstirpavit, & eundem locum omnibus, commorantibus vel advenientibus gratum, & sine qualibet tentatione habitabilem reddidit. Ubi Xenodochium Christi, in receptionem pauperum ædificavit, quod omni humanæ indigentiæ commoditate abundans, fideli cuidam suo Presbytero *Bernwardo*, cujus hic nomen, pro fidei merito jure interponitur, commendavit, per Christi nomen eum frequentius terribiliter obtestans, ut non solum illic commorantibus, sed & cunctis forte advenientibus victus & vestitus necessaria ita convenienter provideret, sicuti pro hac ipsa sua dispensatione Deo rationem reddere deberet. Quoddam tamen talium genus, illos scilicet, qui vel Monachico, vel Canonico, vel etiam Græco habitu per regiones & regna discurrunt, quos & Platonis more, Peripateticos, irridendo cognominavit, illos, inquam, prorsus exprobrando execrabatur; quos tamen propter nomen Christi, quod profitebantur, necessaria sustentatione biduo vel maxime triduo consolabatur: sicque præbitis calciamentis, vel vestibus, eos, ne cursus sui solitum oblivliscerentur, discedere hortabatur. Aliquibus vero cum eo diutius permanere cupientibus, illam Gregorii in dialogo sententiam ironice objecit: *quomodo stultum viatorem ad sacra loca properantem, inimicus per conviatorem suum, & per fontis vel prati amœnitatem, vel etiam ciborum dulcedinem decepit.* Interdum vero à suis familiaribus, quod nec ei displicebat, admonitus, quod inter tales sæpius veri Dei amici invenirentur, illud statim Hieronymi ridiculum opposuit: *Quia mendaces*, inquit, *faciunt, ut veridicis vix credatur.* Si quos tamen talium in Dei cultu vel timore stabiles agnovit, hos nimirum privatim potius quam publice, quod & ipsi malebant, in his, quæ ad Deum pertinent, adamavit. Sed & super delinquentes & noxios mira erat miseratione mitis & placabilis; ita, ut si quilibet talium confessionis & pœnitentiæ gratia ad eum confugerent, & delicta eis statim, promptâ clementiâ, indulserit, & vigilanti cura, eis, ne ulterius in talia necessitatis causa inciderent, omnem sufficientiam in posterum providerit, more quidem & exemplo sancti sui patroni Nicolai Episcopi, qui eleemosynarum auro, & virginum incestus, & patris earum inopiam, & totius familiæ detestabilem ademit infamiam, & quorumlibet pauperum ad se quoquo modo pertinentium pia clementia sedavit indigentiam. Hujus inquam exemplo, præsul noster satagebat inopes ubique semper consolari; cui & cordi erat cum talibus colloqui, cum eis ludificando & etiam convivando, jocundari. Eo etiam *anno à nativitate Christi MXXIV.* piæ memoriæ *Henricus Imperator ordinationis suæ anno XXII.* ad Christum migravit; cujus quippe obitus, totam Christianismi lætitiam, qui sub eo floruit, flebiliter conturbavit. Cui succedens vir nobilis & strenuus *Conradus, primum suæ felicitatis annum in natali Domini Mindæ initiavit.* Inde *post Epiphaniam Hildenesheim* venit. Ibi etiam prædictus *Aribo Archiepiscopus*, qui, vivente Imperatore jam *per biennium* obmutuit, iterum, inventa occasione, beatum *Godehardum super Gandesheim* inquietare cæpit. Quam tamen ejus machinationem novus Rex, Primatum consilio diremit. Sicque Rex peragrata compendioso itinere *Saxonia*, *quadragesimali tempore per*

Thurin-

Thuringiam Franciamque in Bajoariam progressus, *Reginesburg sanctum Pascha honorifice feriavit.* Et ea æstate, partes *Bajoariæ, Sueviæ & Carentinorum*, cum circumjacentium provinciarum terminis, pertransiens, *Natalem Domini Leodii celebravit; ad purificationem vero S. Mariæ Augustæ* (b) *mansit.* Inde iter suum ad *partes Italiæ* direxit. Et *proximum Pascha Versellis* (c) prosperè *celebravit.* Et ita contiguas circumquaque regiones in novo regis decore, visitando peragravit. *Tertio* quoque *suo anno*, Præsul noster *Montem speciosum* in occidentali parte civitatis incolere cæpit, quem *quinto post anno* titulo ac nomini *S. Mauritii*, summi sui Patroni dicavit. *Ecclesiam* etiam pulchram in *Holthusen* (d) *in honorem S. Benedicti Abbatis* monachicæ conversationi aptam dedicavit; & circumquaque per Episcopii sui terminum basilicas multas, vel ipse studiose ædificavit vel ab aliis fidelibus Christi constructas, gratanter Deo consecravit. Eo tempore prædictus *Aribo Archiepiscopus in natali S. Matthai Apostoli Selingenstadt Concilium generale Episcoporum duodecim concivit;* in quo Præsulem nostrum super prædicto Gandensheimensi territorio publicè convenit. Quam tamen Synodum unanimitas fratrum in futurum annum comperendinavit. *Rex autem Natale Domini festum Ipore* (dd) initiavit. Inde *ad limina Apostolorum tendens*, feriâ tertiâ ante Cœnam Domini *Romam*, felici prosperitate gaudens intravit; *& in sancto Resurrectionis Domini die coronam imperialis honoris à beato Ioanne Apostolorum Vicario* gloriose percepit: Inde in proxima dominica regressus, ac pervasa circumquaque potestativè ea regione, in pace repedavit; *Nativitatem sancti Joannis Baptistæ Impripoli* (e), *novus Imperator celebravit;* ubi, & defuncto in bona senectute *Henrico duce Bajoariæ* (f), *filio suo Domino Henrico eundem ducatum*, principum delectu, *commendavit. Eo* item *anno*, *Aribo Moguntinus Franconovordi Concilium Synodi coadunavit*, præsidente Imperatore cum Episcopis XXIII. in quo iterum beatum virum *Godehardum* de sæpius præventilata causa, more suo, inquietavit. Ibi præsul noster, tandem summa veritate, quæ Deus est, miserante pariter & adjuvante, Episcopatus sui proprietatem, super totum Gandesheimense territorium, testimonio septem Episcoporum, qui prædictam pactionem in Gandeshelm & audierant, & viderant, canonice retinuit; scilicet *Brunone Augustensi* concionante, *VVernero Argentinensi* decernente, ipso vero Metropolitano, vere invito, verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Episcopi, qui Seniori nostro suum testimonium, sicuti audierant & viderant præbuerunt, id est, *Bruno Augustensis, Eberhardus Ravenbergensis, Meinwercus Paderbronnensis, Meginhardus Wirceburgensis, Sigebertus Mindenensis, Hildiwardus Citizensis, Bruno Mersburgensis.* Pulchra enim erat ibi, & rationabiliter ordinata, *tam regalis, quam & Episcopalis consessio.* Nam, in orientali parte ante Altare Archiepiscopus *Aribo* cum suis suffraganeis, *Wernero Argentinense, Brunone Augustense, Meginwerco Patherbronnense, Everhardo Bavebergense, Meginhardo Wirciburgense, Godehardo Hildenesheimense, Branthio Halverstadense, Wiggero Verdense, Hazecone VVormatiense*, consedit. *In occidentali* vero *parte* Imperator consedit; & *à dextris ejus Piligrinus Coloniæ Archiepiscopus* cum sibi subditis, *Sigiberto Mindense, Sigifrido Mimigardense, Bennone Trajectense. A sinistris Hunfridus Parthenopolitanus Archiepiscopus cum suis, Hildiwardo Citizense, Brunone Mersburgense, Luizone Havesbergense, Thiederico Misnense. In australi* autem *plaga* Episcopi, *Rambrechtus VVirdunensis, Rodolphus Slesvicensis, Hiltolphus Mantuanus, Reginoldus Aldenbergensis* assederunt. *In aquilonari* etiam *Abbates, Richardus Fuldensis, Reginboldus Loresheimensis, Arnolphus Herveldensis, Gerbertus Moguntinus*, cum aliis etiam ejusdem ordinis sex adfuerunt. Subsequens etiam *natale Domini festum Imperator Leodii celebravit: Pascha* vero *Aquisgrani* festive feriavit, ubi & *filius ejus Henricus regalis nominis coronam à Piligrino Archiepiscopo*, Cleri, plebisque electione honori fice *percepit* (g). *Eo anno* iterum *Aribo Synodum suam Geizlice* concivit, ad quam item Seniorem nostrum *Godehardum* inquietandum, legatis & scriptis vocavit; quo ille ire dissimulans venerabilem virum *Tachilonem Decanum nostri cœnobii*, cum fratribus obviam ei misit; qui eum honorifice ex parte Senioris salutando, de præteritæ Synodi diffinitione commonuit, & plurali altrinsecus auctoritatum collatione profusa, Episcoporum auxilio eum ab ipsa repetitione, tunc tantummodo compescuit. *Sequenti* quoque nihilominus *anno Imperatore Palidi considente*, prædictus Archiepiscopus ibidem *Synodo habita*, (h) veterem querelam contra beatum virum, præsente Imperatore, incepit, sed post multa & varia disceptationum colloquia, vix tandem ab Episcopis commonitus destitit. *Hoc* etiam *anno Bruno Augustæ civitatis Episcopus obiit*, cui *Eppo* (i) successit. *VVernerus* quoque *Strazburgensis præsul* sustollitur, post quem *VVilhelmus* surrogatur. Proximo quoque anno *Imperator Mersburg Pentecostem celebravit;*

(b) Ann. 1025. & 1026. ineunte Augustæ fuit. v. Wippo. (c) Anno 1026. (d) Ad Visurgim fluvium. (dd) Antiquis *Eporedia*, Italis *Yurea*. (e) Id est *Ratisbona*. Contigit illud 1028. Wippone teste. (f) *Fratre Imperatricis Cunigundæ*, ut vita S. Meinwerci addit. (g) Wippo ad an. 1028. (h) Ann. 1029. (i) In MS. Græcensi *Ebbo*, in aliis etiam *Eberhardus* & *Gebhardus*.

vit; ubi prædictus *Aribo Archiepiscopus* & Senior noster *Godehardus* inter se invicem super diuturna eorum disceptatione, reconciliati sunt. Nam ipse Metropolitanus Patrem *Godehardum* secreto coram Episcopis convenit, seque super hac parochia errasse confitendo nunciavit, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem, sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio, promisit; sibique priora errata propter Dominum remitti suppliciter petiit. Istud ergo hic veraciter inscribitur, quia ipso domino Godehardo idem sæpius in suo sermone protestante publicè, verum esse comprobatur. *Eo anno Unewanus Archiepiscopus Hammaburgensis obiit,* cui *Liebizo* successit. Deinde *Imperator Natalem Christi Patherbronnæ egit,* ubi *Aribo Metropolitanus* in sancto die inter missarum solennia, publico sermone habito, *licentiam ab Imperatore & confratribus Romam pergendi rogavit;* simulque à Clero & populo indulgentiam sibi à Deo impetrari postulavit. Sicque post Purificationem sanctæ Mariæ iter assumens, *Romam* adiit. Inde verò digrediens *VIII. Id. Aprilis,* ah, ah, obiit, *anno ordinationis suæ XI.* cunctis certè Catholicis merito flebilis, quia in omni Ecclesiastica religione erat verè laudabilis. Cui vir simplex & rectus, *Bardo Herveldiæ Abbas* successit; qui, domino manifeste provehente, brevi ad culmen summæ perfectionis feliciter processit. Cujus pietatis vita & actus hic plenius ideo non inscribuntur, quia (Deo gratias) Moguntiæ pro sanctitatis suæ meritis inter Apostolicos Sacerdotes magnificè celebratur. Unum tamen perfectionis ejus privilegium dicam, quod ei in nostris confiniis à sanum sapientibus Clericis, honoris gratia, oblatum est; scilicet, ut æquivocato cum beato Joanne Episcopo cognomine, propter dulcisonam prædicandi melodiam Bardo *Chrysostomus* diceretur.

CAP. V.

Quodam etiam tempore cum more Episcopali beatus Præsul noster *Godehardus* visitandæ commissæ plebis gratia parochiæ suæ terminos circuiret, *Huginhusen* (*) curtem suam adiit; ibi, cum eleemosynarum largitate, qua præ cunctis studebat, pauperes reficeret, quædam vidua pauper ex eadem familia filium suum ejus conspectui detulit, puerulum pauperculum miserrimo infirmitatis genere debilitatum. Nam partim paralisi, partim lepra vexabatur, distortisque nervis membrorum à tota corporeæ formationis utilitate dissolvebatur. Manus enim cum bracheis, & genua cum pedibus, & tibiis, putrido tumore & profluenti sanie manabant, adeo ut nec gressum quoque modo movere, vel saltem reptando posset usquam prodire. Quem ille & vultu, & corde hilari, quasi verè donum Dei gratanter suscepit, & cubiculariis suis diligentius commendatum secum deduci præcepit. Potens est, inquit, Deus, qui ab initio non dedignabatur miseris & peccatoribus, diverso pietatis suæ remedio subvenire, nos etiam super hoc pauperculo, solito pietatis suæ more lætificare. Qui puer ad principalem nostram Ecclesiam cum Episcopo perductus, & non sine magno puerorum, qui eum servabant labore per aliquot hebdomadas sustentatus, tandem post quatuor vel quinque menses cæpit paulatim plane ex beati viri meritis & precibus convalescere, & sedato partim tumoris & saniei profluvio, interdum assurgendo, interdum proreptando, quasi ad gressum membrorum nervos exercere. Quod præsul pius agnoscens, præ gaudio sæpius illacrymans, divinæ miserationi grates debitas retulit, cui & intentius supplicare, ut postea, verè donante Deo, patebat, non destitit, nam intra anni spatium, ut certè apud nos omnibus notum est, puer fugata morborum multitudine, laxataque nervorum contractione in melius convaluit; & de die in diem ad quodlibet servitutis officium valenter profecit. Idem namque homo *Werinus* nomine jam per viginti & eo amplius annos in Capella Episcopali incolumis deservit, nisi quod quasi in testimonium virtutis Dei, in semetipso certè in cruribus & in manibus ipsas membrorum torturas, &, ut ita dicam, gibbos quosdam cunctis se videntibus ostendit. Aliis quoque permultis varia humanæ conditionis fragilitate laborantibus; quibusdam scilicet, quod & gravissimum est, peccatorum pondere pressis; quibusdam verò, diversa infirmitatum molestiâ detentis ad se confugientibus opem suæ intercessionis impertivit; eosqve infatigabili sanctarum precum instantia, & ab imminenti periculo liberavit, & in futurum Domino auxiliante, à talibus custodivit. De quibus quam multa multis planè cognita veraciter enarrare potuerim, nisi ea ab illis, tunc ipso cogente, dissimulata, ea maximè causa silendo modo præterierim, ne aut lectoribus altius fastidium ingeratur, aut ad talia pigris, incredulitatis peccatum augeatur. Unum tamen dicam, quod quasi joculari ridiculo *Goslariæ* effecit, quando ibi in *Curte Regali* in postremo ætatis suæ tempore, jussu & petitione *Gislæ Imperatricis*, Ecclesiam construxit. (k) Erat ibi matrona quædam in Laicali conversatione posita, sed in ti-

(*) *Engelhusen* Surio. (k) Non tamen, observante Browero, absolvit; quippe quam Leo Papa IX. deinde dedicavit; forte 1049. cum Saxoniam adiret.

in timore Dei intime devota, *Hathzeca* nomine, cujus filium ipse Episcopus pro fidei religione, quam in ea sentiebat, de sacro fonte suscepit, quam, quodam tempore contigit, gravissimo oculorum vexari dolore, & per aliquot dies adeo, ut nec cibum nec potum accipere, nec aliquam corpoream quietem habere posset, cruciari. Quæ tandem, cogente gravissima doloris anxietudine, filiolum suum ad Episcopum cum *eulogiis* transmisit; eique infirmitatis suæ nimietatem intimans, aliquid medelæ subsidium ab ejus pietate quæsivit. Quibus, Præsul, auditis, læta hilaritate subrisit, & flores quosdam rubicundos de arbore, quæ lingua Teutonica *Spinnelbaum* dicitur (l), ei forte in ipso momento à paupere quodam allatos, signo crucis munivit, & eidem puerulo dedit, dicens: Affer hos flosculos amicæ meæ, matri tuæ, ut illos in mei memoriam secum habeat, & à Deo salutis remedia poscat. Nec mora, *ut ipsa nobis sæpius jurando retulit*, ut ipsos flores ægris oculis admovit, omnem illicò totius infirmitatis dolorem à suo capite, mirabili celeritate diffugere cognovit. Et statim, apertis, vel ostiis vel fenestris cubiculi, quæ jam per aliquot dies diligentius ejus ægritudinis causa claudebantur, cæpit clarius videre, & nihil prorsus hujusmodi molestiæ amplius sentire. Quæ postera die ad Episcopum pervenit, & gaudens simul & lacrymans, gratias condignas divinæ miserationi, ejusque visitationi humiliter retulit: quam ipse benignè consolando suscipiens, & in Domino, corde firmo sperare, & indesinenter benefacere præcipiens, oculos ejus à Presbytero *sacro oleo*, quod *infirmorum* dicitur, ungi mandavit. Quæ certè unctio, ejusque pia deprecatio, eam ab eodem dolore, usque in finem integrè sanavit. Illud quoque quod in antepenultimo præsentis vitæ anno ei accidit, propono in exemplum & cautelam fidelibus, & timorem & formidinem negligentibus. Erat sane in nostra congregatione quidam Presbyter ex familia Ecclesiæ ortus, literalis scientiæ, ut in pace veritas procedat, penè ignarus, sed mundanæ sagacitatis subtiliter & supra modum gnarus. Qui ex infima paupertate ad summas divitias, cunctis mirantibus succrevit, qui primo à Domino *Bernwardo Episcopo* feliciter exaltatus, sed ab *Imperatore Henrico*, pro quibusdam causis, quæ modo melius silentur, humiliatus, iterum ab hoc beato viro, quia utilis ei ad res Ecclesiæ videbatur, pia miseratione sublevatus, variè tamen inter adversa & prospera sæpius habitus: postremo autem, in tantum sibi tanti Pontificis animum sua calliditate conciliavit, ut perplures ante fideliter ministrantes Episcopo abalienaret, eosque tam herili gratia, quod eis certè molestissimum erat, quam & dignitate & proprietatis utilitate, privaret. Sed ne hoc aliquibus mirum videatur, quia beato Gregorio teste, sæpius fit, ut occupato in pluribus & maximè in divinis animo facilè ab adulantibus subripiatur, tandem ille ab omnibus publice maledicitur, & etiam interdum Episcopo à sanum sapientibus hujusmodi insolentia objicitur: & ab his tandem qui insontes alienati sunt, in gratiam reducitur. Præsul tamen pius, post aliquot annos de talibus clarius certificatus, & super eos, qui injuste lædebantur, aliquando ad veniam inclinatus, die quadam convenire de nostra congregatione Præpositum & Decanum, cum aliquot fratribus, cæterisque suis primoribus *Holthusen*, ubi tunc forte manebat, mandavit, assidente etiam viro venerabili *suo ex sorore nepote Ratmundo Altabensis Cœnobii Abbate*, præsente eodem Presbytero, omnibus, qui se ab eo læsos querebantur, coram licentiam fandi donavit. Statimque sine mora, plura querelæ genera tam ab ipso Abbate, suisque, qui hospites intererant, quam & à nostris proferuntur; quæ contra eum publicè à cunctis quasi uno ore dicuntur. Querebantur enim omnes simul, primo generale Ecclesiæ & Episcopalis honoris scandalum, deinde cives & hospites quisque speciale injuriarum sui detrimentum. Quibus, ille, auditis quasi insultando, ut erat callidissimus subrisit, & velut admirans, quæ hæc essent, inquisivit, ac deinde commentis mundanæ suæ sapientiæ, quâ planè plenus erat, quæ verè ante Deum stultitia computatur, ut in ipso manifeste patuit, objecta quæque eloquenter repulit, omnesque sibi adversantes mirabiliter, quasi mutos & elingues reddidit. Pius Præsul, tandem Spiritu Sancto vere compunctus, & insuper etiam mirabili stupore permotus, considerans pariter & manifestam rerum veritatem, & fiducialem cordis ejus temeritatem, illico omnium voces compescuit, & modificato sermone, cunctis admirantibus, ita incepit: *Hildewine*, inquit, sic enim vocabatur, ecce omnes circumstantes, ut tibi videtur, vicisti, ecce omnes subtilitate tua, Deo veritatem inspiciente, quasi mendaces ostendisti, jam modo ad me convertere, & soli mihi per Christum adjuratus, veritatem responde. Evangelica, inquit, te sententiâ aggredior; &, quia sensum Evangelicum non plane sapis, te Teutonico sermone alloquor. *Hildewine*, inquit, diligis me? Ille statim fiducialiter, vere, ait, diligo te. Item Episcopus: Hildewine, inquit, diligis me? at ille, certe, ait, diligo te. Itemque Episcopus tertio: Hildewine, inquit, diligis me? tandem ille miser, Evangelico illo exemplo stupefactus, sed non rite, proh dolor, compunctus, irato pariter & flebili sermone, respondit: Deus, inquit,

(l) Quia fusis fabricandis optima est.

quit, qui omnia scit, ipse scit, quia vere diligo te. Tunc Præsul, ecce, inquit, siquidem verum dicis, mihi satis fecisti; sin autem desipis, temetipsum miserabiliter obligasti. Sed si me, ut dicis, fideliter diligis, pasce oves meas, id est, dilige fratres & amicos meos, etiam hospites & pauperes meos, dilige conservos & domesticos tuos. Unde & per Deum te commoneo, ut si vere jurasti, te in veritate custodias, si quo minus, digne pœniteas; & sub hoc pacto jam domum regredere, & dignitate pariter & beneficio, ac proprietate tua in gratia mea, siquidem Deus annuerit, utere. Sicque conventum illum cunctis admirantibus pariter & paventibus, dimisit. Illos tamen pariter ibi charitatis exhibitionem suscipere, & sic in pace discedere præcepit. Inter quos *Hilduwinus* lætus & hilaris, & quasi de victoria sua exultans, ad prandium consedit; & inde incolumis rediit. Ad vesperam vero domi cum suis consedit jucundus & epulans; & in eos sane, à quibus se læsum dolebat, convitia & minas intentans, sic lectum petiit; & sospes, ut sibi videbatur, quievit. Mane diluculo, ad providendum suum ministerium iturus, valenter surrexit, calceamenta citius induit; sed ad induendas tunicas assurgens, concitus corruit, & mirabili celeritate præoccupatus, miserabiliter expiravit. Plures tamen & amplissimas [opes] in sua proprietate in innumeris & pretiosis vestibus, & alia pecunia, & etiam peculio dimisit, quas tamen beatus præsul de ejus morte, ultra quam credi potest, condolens, totas pro animæ ejus remedio pauperibus penitus erogari præcepit; remissionemque ei peccatorum ex corde, etsi serò, indulsit; & pro animæ illius ereptione jejuniis & obsecrationibus sæpius insudare non destitit. Quia ergo nos eum modo, ultra debitum plus necessariæ veritatis, quam invidiæ vel odii causa reprehendimus, & ejus negligentiam nostra fortasse minorem, pluribus patefecimus, obsecramus (ô lectores) vestram dilectionem, ut cum hæc legeritis, indulgentiam ei & remissionem peccatorum pro nostra certè felicitate à Domino imploretis, & sic forte hæc nostra reprehensio fiet illi ante misericordiam judicis, venialis remissio. Erat quoque in nostra congregatione vir vitæ venerabilis, ac in omni canonicæ regulæ observatione jure laudabilis, nomine *Tadilo*, de quo etiam supra pauca retuli, primo sub Domino *Bernwardo*, pro fidei & industriæ prærogativa *Vicedominus;* sed ab hoc beato Pontifice pro utilitate Ecclesiæ Decaniæ, ac scholari Magisterio præstitutus. Et, quia ei pro pietatis & castitatis merito cordetenus complacuit, eum sibi in Consecretalem & Symmystam in Dei servimine adoptavit. Erat enim, tota Ecclesia, quæ eum noverat, teste, grandævus & emeritus, humilitate & dilectione præclarus, in regendis verò ac commonendis fratribus, media charitate severus; & in toto virtutum exercitio coram Deo solicitus. Nam in admonitione sua illo ridiculo proverbio sæpius utebatur: *Diligant*, inquit, *homines*, *oderint vitia.* Huic beatus Pontifex ante aliquot menses sæpius, ut nobis videbatur, jocando prædixit, quod aut secum, aut paulo ante se, ex hac vita esset emigraturus. Novissime vero ei in postremis decumbenti, per prædictum Abbatem nepotem suum, quem ad eum visitationis gratia sua vice direxit, serio mandavit, quod sacram olei unctionem vere pœnitendo, & commissa sua confitendo, plena fide susciperet, & corporis sanguinisque Christi Sacramento munitus, intrepidus præmigraret, promittens ei veraciter se superstitem pro ejus animæ remedio Dei gratiam indesinenter obsecraturum, & eum in proximo anno in pace Christi subsecuturum. Qui Abbas eundem dilectum, & jure semper memorandum Magistrum nostrum, cum astantibus fratribus sacro oleo perunxit, eique ex potestate & jussione Episcopi plenariam remissionem indulsit, qui felix post biduum vere ad Christum migravit. Cujus tamen obitus nos acriter contristavit, quia congregationem nostram tanti viri patrocinio & consilio magisterioque privavit. Verum certè, & clero, & populo teste, dicimus, quia nunquam ejus ordinis virum, in omni Ecclesiastica probabilitate honestiorem vel vidimus vel videbimus. Cujus certe memoriam jure nos cordetenus retinere debemus, quem vere ante conspectum Sanctorum nostri recordari non dubitamus. Sic ergo prophetiam beati præsulis liquido Deus adimplevit; qui eum post annum & tres tantum menses ex hac vita feliciter exemit. Jam autem beati patris *Godehardi* appropinquante manifestius fine, semper operum bonorum augmentis, de virtute in virtutem anhelabat, ut videre mereretur Deum Deorum in Sion. Et jam cessante practicæ plurali officio, in solo se indesinenter theoriæ affixit exercitio, tria tantum de generali specialiter eximens, *Psalterium*, *Eleemosynam*, & præ omnibus jugiter sibi sociam & amicam *abstinentiam*; adeò, ut si rarò festiviori tempore, cogentibus per obedientiam fratribus, aliquid lautioris cibi, vel fortioris potus contra morem stomachi perceperit, molestiæ magis corpori, quam refectioni fuerit. Et tunc supremum præsentis vitæ Natalem Christi *anno* scilicet MXXXVIIII. *Imperatore Goslariæ sedente*, ipse *Holthuisen* votivè celebravit, solvens certè secundum Evangelium, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei, Deo. Semet quippe, prædicto more, Christo spirituale sacrificium immolans, sed & suo nihilominus Clero sane & populo in divinis & humanis, pro ritu & etiam debito, juxta vires congratulans. Sacratissimos etiam XL. dies, & ut ipse sæpius jocundando proclamabat, saluberrimos,

berrimos, summo cordis ac mentis affectu hilaris expectabat, quos corporaliter quasi extra corpus mirabiliter transiens, vix cohærentibus nervis ad sacro-sanctum Pascha pervenerat; attamen Dominicam Palmarum, Cœnamque Domini; & festum Resurrectionis Christi, debito Episcopali officio, ultra vires collecto robore, peregit: Sicque Paschæ ferias, per circumpositas stationes, juxta solitam religionem, admonendo fideles visitavit. In quibus etiam diebus sæpius publice denunciavit, se modo cum illis ultima corporalis consortii lætitia jocundari; & in Ascensione Domini, quo Deus jusserit, invitari. *Nos vero hæc audientes, quasi derisimus*, quia eum jam quantoties *de regressione antiqua suæ patriæ videlicet Bajoariæ nobis minitantem, audivimus.*

CAP. VI.

Post Albas itaq; à nobis digressus cum prædicto *suo nepote Ratmundo Abbate, Adenstadt*, (m) quo inceptam jam noviter Ecclesiam consummare studebat, devenit. Nec infirmitati diutius reluctari valens, deficiente carne decubuit. Quo flebili rumore comperto, prædictus Abbas, vir certe corde & animo divinæ servituti mancipatus, & Præpositus noster ac Decanus cum prioribus, ad eum, visitationis gratia convenerunt; quem tamen dissimulato languore, solito more, Ecclesiastico labori assidentem circumstantiumque manibus sustentatum invenerunt: quos advenientes, solita charitatis hilaritate lætus suscepit, & quasi, oblita molestia, adventus eorum causam admirando perquirens, reportari se ad cubiculum præcepit. Ibi, admisso specialiter clero, primo singulos quosque de suæ obedientiæ procuratione solerter admonebat, ac deinceps omnes generaliter de sacræ fidei & religionis observatione tam salubriter, quam & terribiliter, obsecrando simul & arguendo, informabat, deinde se orationibus eorum, contra callidi tentatoris insidias, & fraudes commisit; eisque obitus sui diem & tempus, funerisque, & exsequiarum, & etiam sepulturæ ordinem, ut postea evenit, quasi alludens, liquido prædixit. Ite, inquit, & ad superventuram Dominicæ Ascensionis lætitiam vos quisque pro suæ obedientiæ qualitate, & etiam pro spiritualis prærogativæ quantitate, præparate, & meum adventum læti, & quasi vere mecum hic & in futuro congratulaturi expectate. Nam in vigilia Ascensionis in montem ad sanctum meum Patronum Mauritium adveniam; & ibi noctem diemque sanctam agam. Abbatem tamen vobis, qui vice mea processionis & Missarum solennia peragat, mittam; & sic elevatis oculis altiusque suspirans, quasi tamen arridens, nocte, inquit, illa, ut Christus voluerit peracta, in feria sexta diluculo ad sanctum Michaelem veniam, cum Abbate & fratribus pernoctaturus, inde Sabbato ad sanctum Andream oraturus, & inde vos adeam, vobiscum penitus permansurus. Diem vero dominicam, convocatis fratribus & amicis, solemniter celebremus, & ita totius nostri festi jocunditatem penitus terminemus. Et hæc dicens, benedictionem dedit; sicque nos mirantes pariter & stupentes dimisit. Habebat quoque beatus Pater in privato suo ministerio juvenem quendam illustrem, filium viduæ, pictoriæ artis opificem, qui vilia ejus vestimenta calceamentaque servabat, nomine *Bunonem*, cui ab initio ejusdem anni, quod secum patriam suam, id est, *Bajoariam*, perrecturus esset, sæpe præcepit. Nam, ut prædiximus, longe ante, sæpius se patriam suam revisitaturum seriò promisit, & pluribus cujusque ordinis se ultroneos offerentibus, ac pariter cum eo proficisci cupientibus, grates devotioni eorum retulit, & solum tantum Bunonem secum iturum prælegit. Eodem quippe die, ante adventum cleri, ut prædiximus, dum, more suo, in abditis vestimenta sua mutaret, eidem juveni præcepit, ut eadem vestimenta, quæ deposuit, indueret, & ad eum concitus veniret. Quæ verba ille, quasi deliramenta vel irrisione plena, contempsit; Præsul vero ac si dedignando cubiculariis dixit: Ite, & vestimenta, quæ deposui, induite ei, & ad me deducite: qui statim eum post velum cubiculi trahentes induerunt, & in conspectum, velut irridentes, reduxerunt. Quem ille diu intuens, ait: Vere scias, quia in eadem veste rumorem (n) invenies. His dictis, puer exivit; & in ipso momento, intolerabile eum frigus invasit, & hora eadem ægrotans, lecto procubuit. Quem cum post discessum fratrum, Episcopus requireret, dictum est, quod ægrotaret, qui statim, accersito Procuratore præcepit ei, dicens: Puerum illum caute, & sine molestia fac ad matrem suam deduci, ut in occursum meum paratus mecum possit proficisci, qui statim deducitur, & decrescentibus dietim viribus ad extrema præparatur. Deinde Præsul noster, ingravescente febri *Holthusen*, ubi confluenti Ecclesiastico more ad visitationem tanti viri multitudini sufficiens ædificiorum erat copia, provehitur. Ibi inter multam cleri populique frequentiam quadam die venerabilis domina *Sophia de Gandersheim* advenit; quæ tandem, ut in pace loquar, deposita priori pertinacia, plena se fide & devotione ad beati Præsulis familiaritatem convertit. Quæ tunc, occasione inventa, & populari turba remota, astante clero, de

(m) In præfectura Peinensi vicus. (n) Fortè *rumor* hic idem est ac *rheuma*.

frivola quadam pertinacia, quæ de suæ Ecclesiæ Clericis contra beatum Virum increvit, exordium fecit, & debitam satisfactionem promittere cæpit. Ad cujus verba ille, partim morbo cogente, partim verò, ut nobis videbatur, indignatione permovente, iracundè respondit, & in futurum talia suspendi, rogavit. Illa verò commotionem ejus dissimulans, & obitum ejus celeriorem formidans, item itemque in sua satisfactione, etiam lacrymando, perstitit; eamque, ut recipere dignaretur, obsecrando postulavit. At ille, Domina, inquit, per dominum paulisper reticete; & hæc, donec *in festivitate S. Mariæ* conveniamus, suspendite: ipsa autem, ut videbatur omnibus, finem ejus citius adventurum intelligens, & tamen, verba ejus vehementer expavescens; Utinam, inquit, ô Pater dilecte, tam diu nobis vita vestra supersit, donec hoc tempus venerit. Ille vero fortiter, collectis viribus, apertisque oculis, & omnibus diu circumspectis ait: In potestate quidem Dei vita nostra, exitusque verè consistit; in veritate tamen, quæ Deus est, dico vobis, quia in Festivitate S. Mariæ, ubi Deus voluerit, certè simul erimus, ibidemque coram, veraci testimonio, & de his, & de aliis etiam, quæ inter nos dissident, tractabimus. Et hæc dicens, compressis oculis, reticuit. At ipsa nimio stupore pavefacta, silentibus circumstantibus, ait: Heu me miseram, nunquidnam sum moritura, eumque in proximo subsequutura? Nec tamen amplius eum inquietare præsumpsit, sed humiliter sibi ab eo indulgentiam simul & licentiam petiit. Item ille, apertis oculis, eam breviter, imo & salubriter de sacræ religionis observatione commonuit, ac de plurali suæ obedientiæ provisione coarguit; & sic, elevata dextera, eam benedictione munivit; eique, pro tempore, remissionem indulgens, non sine magno, ut ipsa fatebatur, timore dimisit. Transacta autem hebdomada, beatus Pater, jam, deficiente funditus corpore, ab Abbate cæterisque fratribus sacri olei liquore, Ecclesiastico more, perungitur, & ita, ut prædixit, in Vigilia Ascensionis Domini, in montem S. Mauritii transvehitur. Ibi statim ad eum fratres flendo convenerunt, nec amplius amaritudinem doloris, quo corde tenus vexabantur, abscondere valuerunt. Cætera verò innumerabilis multitudo fidelium confluxit, quam non minor pro obitu charissimi Pastoris afflixit amaritudo, quos tamen ille, licet jam deficiente penè lingua, benigne consolando dimisit; & diluculo iterum advenire mandavit. Quibus discedentibus, & sacram noctem illam in magno dolore ducentibus, Beatus Pater, consueto sibi more psalmos semper, quasi pro dulci refectione nominabat; & in tali meditatione cursum suum consummans, pernoctabat. Summo verò diluculo, iterum Clerus, peractis matutinis advenit, quem ipse affatu item supremo breviter, attamen salubriter de sacræ religionis & obedientiæ observantia commonuit. Sicque confessionis versu cum eis communiter prolato, ad celebranda cum Abbate missarum solemnia, valedictione ultima dimisit. Præsul autem clemens, non immemor suæ promissionis, de prædicto suo cubiculario *Bunone*, requisivit solicitè; quem, ubi desperari corporaliter cognovit, ei per nuncium mandavit, dicens: Consolare puer meus in Domino, & confortare; quia jam tempus instat, quo mecum ad patriam æternæ beatitudinis debes vere pervenire. Quæ verba puer lætus audivit, & nil jam de vita præsenti meditans, in ipsa sacra Ascensionis Domini die, viaticum salutare petivit: quo percepto, gaudens promissionem beati Præsulis expectavit. Missarum igitur apud nos celebritate peracta, refectioneque festive percepta iterum Fratres hora jam diei decima ad Pontificem dilectum revenerunt, & pene linguæ officio cessante, *corde vero*, juxta Apostolum, *spiritu & mente psallente*, psalmos in solo pectore difficulter ruminantem invenerunt. Tunc, inito consilio, pueros quatuor scholares ex utraque lectuli parte statuerunt, quos psalterium à principio, aperte & distincte recitare fecerunt. Quibus, beatus Pater, auditis, quasi hac melodia delectatus, aliquantulum quievit; interdum & simul cum illis psallere gestivit. Versus tamen illos præcipuos, qui specialiter Domino ad supplicandum pertinebant, apertis elevatisque oculis altius ructitabat. Media autem nocte jam finito psalterio, jam imminente manifestius fine, matutinale officium incæperunt, & dum ad psalmum, Benedictus Dominus Deus Israel, pervenerunt, vir beatus in ultimo agone tunc desudans, vix dum, apertis oculis, clero cantante: *Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent*, ille, ad dirigendos, inquit, pedes nostros in viam pacis, & in hoc verbo dum à Clero, *Gloria Patri*, cum Antiphona *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum*, canebatur, ipse ab astantibus de lecto levabatur; sicque felix vere illa anima, quasi obdormiente corpore, carnali ergastulo solvebatur, consonantibus statim ibidem campanis. Fratres, qui in Monasteriis felicem ejus obitum solerti vigilantia expectabant, pro tam dilectæ animæ remedio preces exequiales devote frequentabant. Non ergo nunc æstimo silentio prætereundum primum meriti ejus indicium, in ipso beato obitu, Deo teste declaratum. Nam sæpe dictus puer *Buno* in domo matris suæ juxta Ecclesiam S. Michaelis eodem momento, membris præmortuis extremo tantum spiritu in solo pectore

ctore palpitante, desperatus jacebat; qui, resonantibus illico campanis, quasi à somno evigilans, quid hoc esset stupens exquisivit; cui cum mater dissimulans, matutinale officium signari, diceret, ipse, ac si indicans matris astantiumque fallaciam, cur me, inquit, fallitis? Cur veritatem celatis? Vere, cum hoc signo dilectus Dominus meus cælum scandit, & promissionum suarum, ah ah, immemor miserum me reliquit. Surgite, ait, & elevatis manibus, cordibusque, ejus dilectam animam divinæ clementiæ commendate, &, ut mei meminerit, obsecrate. Et elevatis, nisu quo potuit, ad cælum oculis; O Præsul, inquit, sancte, O Pater clementissime, per istum te adjuro, ad quem vadis, ut nunc mei memineris, & ne me in carne, jam post te relinquas, quem tecum ad patriam iturum sæpius promiseras. Illi stupentes pariter ac mærentes, dum jussioni ejus obtemperant, vix dum reflexis oculis, statim eum exanimem aspexerunt. Quem illico stratu deponebant, & omisso fletu, eum, quæ optaverat, obtinuisse congaudebant. Fratres verò à monasteriis, exequiarum debito, matutinalique officio peracto, Missarum celebratione, psalmorumque frequentatione Pastorem suum divinæ commiserationi tanto devotius commendabant, quantum se ab ipso commendandos fiducialius sperabant, adveniente autem felicis memoriæ *Brunone Mindenensis Ecclesiæ Episcopo* (quem ipse Pater venerabilis sibi in spiritualem filium adoptaverat, qui etiam cognita ejus infirmitate, juxta nostra confinia habitabat) hora ejusdem diei tertia totus Clerus cum populo militiæ certe & familiæ, & plurali civium comprovincialiumque & maxime pauperum frequentia ad montem, ubi specialis noster thesaurus servabatur, processit, eumque ad Monasterium S. Michaelis, ut ipse vivens prædestinavit, deduxit. Quo, dum appropiatur (*), ante portas atrii, funus defuncti juvenis, cum non modica parentum civiumque turba, profertur; quod & ante pedes Episcopi per dispositas Ecclesias à ministris circumfertur. Quantus verò planctus & lamentatio vel cleri, vel populi, vel etiam pauperum ibidem extiterit, ingenii nostri facundia certe ad enarrandum, non sufficit; quia in una cujuslibet mente, vel voce luctus, & lætitia pariter sonuit, dum pectora fidelium de præsenti mœror, de futuro gaudium perculit. Quia, sicuti de S. Martino canitur, *Pium erat flere, & pium gaudere.* Merito ergo flevimus, quia talem Pastorem amisimus, sed & jure gaudebamus, quod talem intercessorem præmisimus. Vigiliis ergo ibi, pro nostro modulo condigne peractis, beatum corpus mane ad S. Andream est honorifice delatum; ibique oblatis sacrificiis, inde in principali nostra Ecclesia cum debita veneratione collocatum. In crastinum vero, illucescente Dominica ex diversis per Saxoniam Cœnobiis fratres & sorores in obsequium tanti patroni convenerant; qui destitutionem cleri & desolationem populi, ac generale totius Christianismi damnum, debita lamentatione defleverant, sicque ab Episcopo missali officio devotissime peracto, sacrum beati viri corpus in medio nostro choro, Ecclesiastico more, terræ est collocatum; quod ibidem, usque in hodiernum à fidelibus Christi juxta humanæ fragilitatis possibilitatem condigna cum reverentia frequentatur. Prædicti autem pueri corpusculum ante Occidentalem templi introitum, ab eodem Episcopo prius est humatum. Domina vero *Sophia*, de qua etiam supra retulimus, jam de sua præmonitione magis magisque sollicita, sorores suas ac Presbyteros illo cum oblationibus transmisit, seseque beati viri meritis & precibus suppliciter commisit, sicque superventuram *beatæ matris Christi assumptionem* simul & *nativitatem* pavens expectavit; quæ tamen incipiente sequenti anno, triduo ante *Purificationem S. Mariæ* ex hac vita emigravit. Sic, & in hoc beati Patris prophetiam Deus liquido declaravit. Nos quoque, quantum, Deo annuente, possumus, merito ejusdem Abbatissæ animam divinæ miserationi sæpius commendare debemus, quæ congregationem nostram, dum vixit, omni semper dilectione percoluit, ejusdemque dilectionis certum testimonium posteris reliquit.

CAP. VII.

De miraculis igitur, quæ per beati Patris merita post dissolutionem ejus corporis, in salutem credentium divina pietas clementer ostendit; melius pauca quam plura scribenda putamus; ne aut studiosis fastidium, aut desidiosis vel etiam infidelibus incredulitatis periculum, narrationis prolixitate contrahamus. Præcipue tamen, propter quasdam vanæ mentis personas, *quæ in nostra patria, usitato more per sacra loca discurrentes, se aut cæcos, aut debiles, vel elingues, vel certe obsessos temere simulant, & ante altaria vel sepulchra Sanctorum, se coram populo volutantes, pugnisq; tundentes, sanatos se illico proclamant, ea scilicet sola vesana voluntate, ut sic tantum majorem stipem, vel quæstum à plebe percipiant: sicque fit, ut & beatum Virum sæpius de talibus dixisse præmisimus: Quia* men-

(*) Appropinquatur.

mendaces, inquit, *faciunt, ut veridicis vix credatur.* Et cum in hujusmodi fallacia tales liquido deprehenduntur, etiam veræ sanctorum virtutes in periculosam desperationem hac dubietate retrahuntur: vel certè & hi, qui vere sanantur, etiam non solum à perfidis, sed & interdum à fidelibus fallere creduntur. Sicut utique nobis de quadam muliercula palam evenit. *Primo* namque *prædicti nostri Antistitis Hezilonis* (*) *anno*, in speciali nostra festivitate, id est, in Assumtione S. Mariæ, anus quædam nobis ignota, velato capite, nubilata facie, ante sepulchrum beati viri se projecit, ibique, prædicto amentium more, diutius volutata, tandem prosiliens se per multos annos cæcam ibidem tunc illuminatam proclamavit. Quo statim rumore diffamato, *clerus populusque concurrit, ipse etiam Episcopus advenit; cumq; jam ad agendas publicè Domino gratias, properaret, cives illius, qui eam prius noverant, eamque in hujusmodi falsitate sæpius notaverant, venerunt, qui illam & modo, & sæpe etiam antea talia mentitam, veraciter dixerunt. In quam, cum jam populus merito ut male tractaretur, insurgeret, a clero tamen, pro beati Pontificis veneratione defensa, confusa discessit; & nusquam nobis postea comparuit.* Talibus ergo fallaciis cauta consideratione post hæc devitatis, pluribus ignotorum dictis, quæ certe vera esse poterant, dubitando dissimulatis, ad ea tantummodo sola, *quæ præsentes, veritate teste, vidimus, vel, quæ certè ab his audivimus, quos veraces in timore Domini cognovimus, narrationis nostræ seriem intendimus.* Primum namque fuit, quod & erat & est omnibus notissimum. Quidam de operariis nostræ Ecclesiæ nomine *Luidigerus*, cum in Ecclesiæ atrio ligna collocarent, graviori quadam trabe decidente, femore cum tibia & pede miserabiliter contrito, penitus debilitatus est; quem beatus Pater, quia prius eum fidelem & utilem cognovit, ante mensam quotidie cum pauperibus ad Eleemosynam sedere fecit, præcepitque. Qui miser super debilitatis suæ dolorem, graviori semet mœrore sæpius afflixit, quia ad opus, cui mancipatus erat, utilis esse non potuit. Quicquid tamen à pueris fieri vidit, quod vel sedendo vel proreptando agere potuit; in hoc se voluntaria utilitate studiosus exercuit, nec prorsus aliquod tempus, nisi cum somnum vel cibum caperet, transire sibi patiebatur, quin semper in aliquo utilis esse videretur. Consuetudo namque dilecto nostro Pontifici fuit, ut puerulos, vel etiam pauperes validiores sæpius per plateas, vel per defossas petrarum foveas ageret, *qui sibi lapillos minutos quosdam nivei coloris, vel nigri, vel rubri interdum, vel varii, deferrent: quos ipse elimatos, & politos variaq; collisione vel confricatione in similitudine pretiosorum lapidum redactos, aut in altaribus, aut libris, aut in capsis honestè collocavit.* In quo nimirum opere, prædictus ille pauper se privatim exercuit, & cæterorum industriam utiliter prævenit, & pro curiositate tali Episcopo penitus complacuit. Interdum autem & pictoribus, & eis, qui vitro fenestras componebant, se admiscuit; inter quos etiam utiliter operosus extitit. Beato verò Pontifice ex hac luce sublato, ipse detonsus & laneis indutus, carne & lautiore reliqua refectione abstinens, ad sepulchrum ejus contulit se, ibique tam custodibus, quam & cæteris fidelibus, quanta potuit fidelitate servivit, & postremò, consentientibus magistris, totam sepulchri custodiam penitus usurpavit: vix tamen debili crure, ligno sustentato, reliquo vero corpore baculo sublevato, tale obsequium exercuit. Attamen vires, quas invaletudo denegavit, obediendi devotio ministravit. Psalmos quippe non noverat, verba tamen, quæ fidelium narratione vel admonitione perceperat devotius invigilando, sæpiusque *in modum veniæ*, fidelium more decumbendo, sollicitus frequentabat. Quo ibidem in hac sedulitate firmius perdurante, & ad altiora, quantum ad se, proficere satagente, quadam die Sabbati ad vesperam, dum in choro vespertina laus canitur, ipse juxta sepulchrum pontificale prosternitur; & ibi diutius, aut somno aut extasi quasi immobilis detinetur; &, ut ipse præterea fatebatur, intolerabili quadam membrorum & nervorum distensione, vel contractione invisibiliter cruciatur. Sed, finita laude, quasi soporatus surrexit, & veluti plus solito

(*) Videtur aliquid deesse; nam nullibi ante mentio facta est Hezilonis Episcopi. Antwerpienses ajunt: *In Manuscripto Gracensi sub initium hujus capitis agitur de tribus S. Godehardi successoribus, quorum primus est* Thietmarus, septimo Episcopatus sui anno defunctus. *Huic* Akelinus *sive* Ezelinus; *& huic anno* 1054. *hic indicatus* Hezilo, *aliis* Echilo *&* Ettelo, Regius Capellanus & Romanus Cancellarius, in omni ecclesiastica religione perfectus successit; qui certe in hoc, quod dejectam sanctæ Dei genitricis ecclesiam redintegrare divina inspiratione decrevit, favorem condignum cleri ac populi laudabiliter promeruit: cui nimirum ad tam sanctum tamque salubre consilium tota sancta Dei ecclesia divinum indesinenter meritò postulat auxilium, ut & idem laudabile opus Deo dignum perficiat, ac pro devotionis & benevolentiæ studio in Sanctorum communionem in remissione peccatorum coram Deo feliciter proficiat, Amen. *Hactenus Manuscr. Gracense: esse autem* ipsius primi autoris hæc verba, persuadet eidem familiaris particula *certè.* Hæc Antwerpienses.

lito ægrotans, vix habitaculum repetiit, statimque lectulo sese collocabat, & per totam noctem in illa membrorum distractione durius laborabat. Sed paulo ante matutinum tandem sopitus, obdormivit; & somnium, in quo surgere, & ad Ecclesiam ad agendas gratias Domino properare jussus est, vidit. Somno tamen cito excitus surrexit, moxque remoto femorali sustentaculo, rejectoque baculo, matutinali hora & Ecclesiam intravit, & coram omnibus, Deum, evidenti professione lætus laudavit; & postmodum in finem vitæ incolumis, quanto diutius, tanto devotius ministravit. Mulier etiam quædam nomine *Mersuind*, omnibus nobiscũ commanentibus notissima, quæ per multos annos errabat cæca, ad idem Beati præsulis sepulchrum, in crastinum post assumptionem S. Mariæ coram Clero & populo est illuminata. Quidam quoque rusticus *de pago Ecclesiæ, qui Holtlaon* dicitur, nomine *Agino*(a) diutina infirmitate, miserabiliter fatigatus, contractione lumborum per multos annos est crurum officio spoliatus, qui tandem ad viri sancti memoriam baculorum sustentatione vix dum proreptando, pervenit, ibique in anniversario ejus diei, integram sanitatem, coram Clero & populo omnibus nobis intuentibus recepit. Nobilis vero quædam fœmina non ignota, de Episcopatu Mindonensi, *Siuve*, nomine, puellam fratris sui filiam nutrivit, quam in locum filiæ adoptatam, intime dilexit; quæ gravissima infirmitate præventa, periclitari cæpit, & quasi præmortua biduo exanimis jacebat. Propinquis vero cum familia & civibus assidentibus, & tantam puellæ elegantiam, pro multiplici miseratione amarè deflentibus, anus quædam, quæ ad Ecclesiam serviebat, de memoria nostri Præsulis, sermonem habuit; & qualiter ad ejus tumulum infirmi per divinam miserationem, sanarentur, exposuit. Cujus admonitione, domina ipsa compuncta, matutinali tempore Ecclesiam intravit; & coram altari prostrata, profusis lacrymis, Domino Sanctæque Mariæ, & beati etiam Præsulis animæ pro eadem sua nepte oblationes intima supplicatione devovit. Et continuo, ut ipsa nobis flendo juravit, regrediens, puellam jam videntem, jam loquentem reperit; quæ refectionem petiit, & accepit, & Christo pro Beati Viri meritis annuente, sanitatem integram recepit. Quam amita, quinta post die ad S. Mariæ altare, & ad tumulum Præsulis cum promissis oblationibus deduxit; & qualiter sanata sit, cum sufficienti civium & comprovincialium suorum testimonio, coram multitudine comprobavit. Frater quoque noster non ignotæ memoriæ *VVolchardus Presbyter*, eo tempore *Vice dominus*, postea *noster Præpositus*, postremo felix *Brandeburgensis Ecclesiæ Episcopus*, qui eidem patri nostro, *ut omnibus notum est*, & fideliter servivit, & intime complacuit, cum post obitum ejus, Episcopales curtes, more solito, circuiret, in villam, quæ *Aschgeresbusen* dicitur, devenit; & in domum quandam ad prandendum divertens, puerulum misera languoris infirmitate detentum, invenit; qui tunc per aliquot hebdomadas, & omni membrorum officio destitutus jacebat; & ad exitum dietim, ut omnibus videbatur, appropinquabat. Quem idem Presbyter, sicut semper erat super talibus miserans, lacrymando diutius intuebatur, languorisque tempus, & eventum, ex familia sciscitabatur. Quod, ut agnovit, flenti matri, ut ad tumulum S. pontificis candelas juxta pueri mensuras promitteret, persuasit; quod & ipsa statim libentissime fecit. Sed cum paupercula ceram ad talia non haberet, ipse ex lino lychum parari præcepit, & puerum per singula membra metiri fecit, ut certam mensuram secum deferret, & per se, præstita cera, candelas pro ægrotante ad Beati viri memoriam offerret. Quo facto, ad prandium consederunt, & quasi oblito puero, alia quædam inter se fabulari cæperunt. Interim vero puer mira celeritate quasi ex morte revixit, & in lecto, cunctis admirantibus, resedit; &, vocata matre, de stratu prorepsit, & refectionem petiit, & eodem momento percepit; & postea, pro Beati Viri meritis, incolumis permansit. Erat etiam in nostra congregatione juvenis quidam, ex laico conversus, *Desiderius* nomine; & eodem Beato viro jubente, in clero tonsuratus; & usque ad diaconatus ordinem promotus. Et, qui plenum officium cantando & legendo cum fratribus frequentare non potuit, eum, ne penitus vacaret, cum custodibus Ecclesiæ, ministrare præcepit. Tempore autem *Azelini nostri Præsulis, post miserabile incendium nostri monasterii*, dum idem frater noster, intra festivos dies Nativitatis Domini, quadam vespera in scholis cum pueris sermocinando consedit, subita cæcitate miserabiliter perculsus cecidit, & alia etiam infirmitate concrescente, tempore longo decubuit: quadragesimali vero tempore, cæcitate durante, ex infirmitate convaluit, & Ecclesiam debito more frequentans, ad pontificale sepulchrum, spe sanandi, sæpius prostratus, procubuit. Et contigit quadam feria ante Pascha, certe *in Cal. Aprilis*, quando celebramus *reliquiarum adventum Sanctorum Cantianorum Martyrum*, dum in matutinis ibidem procumberet, ilico, quasi pruriente dextro oculo, & durius manu confricato, sanguis non modicus prorupit; & statim in eodem oculo visum recepit; pro qua clementia, divina pietas ab omnibus in commune laudabatur; & pro reliquo solita miserationis Domini poten-

 tia

(a) MS. Rottendorfense; *Eniko*, Browerus: *Deniko*, Græcense MS. *Agino*, ut & nos in textu scripsimus.

tia expectabatur. Post Pascha vero in anniversario die sancti patris nostri, cum in ejus memoria, Missa pro defunctis ab Episcopo celebrata est, tempore oblationum, coram clero & populo, quasi infirmatus corruit, & prorumpente illico sanguine ex oculis & naribus, & etiam auribus, aperto oculo, visum liquido percepit. Missali denique officio peracto, Episcopus habito sermone, clerum & populum ad laudes debitas persolvendas domino, admonuit; & profusis unanimiter lacrymis, dominum pariter & ipse laudavit, qui frater eodem momento, gratias Deo agens, penitus convaluit; & post hæc in promissa professione usque in finem fideliter permansit. Plurima igitur Beati Pastoris nostri præconia, ea solummodo, quam præmisimus, ratione, præterimus; quæ, per divinam clementiam ab initio usque adhuc gloriose fieri sæpius sentimus. Nec tamen illud reticebimus, quod tota sancti Dei Ecclesia teste verum esse novimus, quia plures plerumque ad sepulchrum ejus cum oblationibus gaudentes adveniunt, quisese, suosque, à variis tribulationibus, vel infirmitatibus, celeri subventione, per virtutum ejus merita liberatos publice referunt; namque, ut alicui aliquid incommoditatis, vel molestiæ occurrerit, statim cum ad sancti hujus Patris memoriam, vel absens oblationis suæ votum ubicumque promiserit, procul dubio eodem momento, quamcunque consolationem in vera fide sperans obsecrat, eam celerius meritis ejus suffragantibus impetrat*.

APPENDIX

de miraculis à S. Godehardo in vita patratis & in actis prioribus non indicatis.

JOannes quidam civis Pataviensis, febris incommodo vexabatur per longa tempora; contigit autem ut Sanctus *Pater Godehardus adhuc Abbas* in suo Monasterio *Altach* pro negotio dicti sui Monasterii *Pataviam* advenerit; & infirmus ille, ipsius cognita præsentia, fratrem suum misit ad eum, rogans ut ipsum causa Dei visitare dignaretur. Quod & fecit. Visis autem ipsius in quibus decubuit febribus, ingemuit, & ait: O Pater Adam, quis te tam celeriter excæcavit, ut mandatis Dei Creatoris tui contraires, & tot malis nos omnes peccato tuo subjiceres. Ecce post hæc, quæ temporaliter hic patimur, nisi mandata ejus servaverimus, æternaliter pati formidamus. Et erit hoc malum temporale, initium nobis malorum æternorum. Hoc autem cum dixisset, accipiens scyphum quendam, & vinum in eum fundens, signo crucis signatum benedixit, & tradidit viro decumbenti, dicens: Bibe frater in nomine Domini nostri Jesu Chrsti; & in eo confortare. Qui bibit confidens in Dei clementia, & sancti viri meritis, illico surrexit, ab omni febris incommodo penitus liberatus, & ivit ad Ecclesiam S. Stephani laudans Deum. Vir sanctus Godehardus Monachum quendam de Monasterio suo *Altach* ad Monasterium *Herveldense* secum duxit; qui post ibidem febrium molestia decumbebat. Hunc sanctus Pater consolationis gratia frequenter visitavit. Quodam autem tempore dixit infirmo: frater mi, quomodo habes? & infirmus ait: Ecce, Pater, febrium molestia nimium me vexat, ita ut vita quasi nulla à modo sit in me. Et ait ei, vir Sanctus: Dominus noster Jesus Christus mojora pro nobis passus est, quam hæc febrium tuarum possunt esse incommoda. Cui decumbens ait: scio, Pater mi, scio quod multo graviora pro nobis passus est ad mortis amaritudinem tormenta. Et ait S. Godehardus: In nomine Jesu Christi, qui graviora pro nobis sustinuit, surge; & in fratrum tuorum Collegio psallens benedic eum, qui te suo sanguine abluit, & redemit. Et infirmus ait, surgam in nomine Jesu Christi, & ibo *ad Patrem meum, qui & pater est* Domini mei Jesu Christi, & dicam ei: *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, sed fac mecum misericordiam tuam, quasi cum servo tuo, sed à via tua deviante; & ad te clementer suscipe revertentem. Et, inter hæc verba, surrexit, & ad chorum ivit, & omnibus admirantibus, cum astantibus laudans Deum & cantans benedixit. Iuvencula quædam in oppido *Teckendorff*, in *territorio Bavariensi*, cum febrium molestia nimium gravaretur, astabant ei quædam honestæ fœminæ, referentes ei qualiter prædictus in *Patavia* meritis beati *Godehardi* post haustum vini per eum benedicti à febrium rigore fuerat liberatus. Quibus auditis, dixit infirma patri suo: O mi, dilecte pater, rogo te per Jesum Christum, ut mittas ad S. virum *Godehardum*, petendo eum, ut benedicat parum vini in *cupha* vel *scypho suo*, & mittat ad me, ut bibam ex eo, ut *alleviar* à fervore febrium, quibus incessanter affligor atque uror. Pater autem his auditis, misit, ut voluit, & vinum benedictum accepit à S. Godehardo, quod juvencula bibit infirma in nomine Jesu Christi; & subito sanata, & surrexit laudans

* Hic est finis vitæ & Miraculorum in MS. Græcensi antiquissimo &, in iis, quos Bernard. Rottendorfius itemque Regina Sueciæ quondam habuere; nec non & in Codice, quo Surius usus est. Evidens ergo est, sequentia miracula à posterioris ævi homine adjecta.

dans Deum; qui meritis Sancti Godehardi eam clementer à vi febrium liberavit. Servus Dei Godehardus, quia erat ex corde misericors, & super afflictos pia gestabat viscera, infirmorum sive decumbentium, vel per se, aut per alios, semper visitavit domicilia. Contigit autem quodam tempore, *cum adhuc in Abbatia Altabensi præsideret*, quendam scholarem cujusdam viduæ pauperis, febrium molestia graviter infirmari; quem pietate solita sæpius visitavit. Cui & quodam tempore dixit: Fili, viriliter age sustinens flagella Domini ac confortetur in eo cor tuum. Ipse enim est, qui percutit & medetur, atque sanat, suos castigans electos, ne morti tradantur sempiternæ. Et juvenis ait: quæ est fortitudo mea, ut hæc gravia sustineam, & patienter agam? Et pater sanctus ait: Confide, fili, sciens *quod non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et *libenter gloriari* velis cum Apostolo *in infirmitatibus tuis, ut in te*, sicut in eo, *habitet virtus* Christi: *nam virtus infirmitate perficitur*. Cui infirmus ait: Peto, sancte Pater, ut Deum pro me misero suppliciter exores. At pater sanctus, pomum in manu habens, (quod forsan secum tulerat, aut juxta lectum infirmi invenerat) benedixit, & dedit infirmo dicens: Accipe fili; & manduca pomum, in nomine Iesu Christi, &, si est voluntas ejus, de lecto surge sanus; sin autem, maneat hæc infirmitas tibi, & patienter age, ut à Deo præmium vitæ æternæ, in quo æterna est sanitas, valeas promereri. Comedit ille, & surrexit sanus laudans Deum. Iuvenis quidam de castro *Stauwenborth* in *Bavaria prope Danubium fluvium* pertransire volens, procellis navem subvertentibus, mergitur in flumen, ubi plusquam tribus horis remansit incognitus, tandem corpus exanime ad littus ejicitur, & mortuus ad domum parentum deportatur. Lacrymantur proximi, & gemunt affines ob mortem tam subitam juvenis tam famosi. Sanctus autem Abbas Godehardus casu transiens locum illum, & audiens voces ululantium, ait: *O mors quam amara est memoria tua homini*, quam subito & inopinatè extinguis; quæ & *peccatoribus es pessima*, justis autem nimis desiderabilis atque pretiosa. Cum autem hæc, & his similia diceret, venit mater misera juvenis; & ad pedes procidit viri sancti, dicens: Domine, si quid potes apud Deum, miserere mei, & resuscita filium meum. Cui sanctus Pater: crede mihi mulier (ut verum est & experientia docet quotidiana) omnes subjacemus mortis imperio, ideoque Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Mors enim omnes, qui in mundo vivunt, non uno, sed quasi mille modis sternit. Beatus qui vigilat, & in adventu præmunitur. Et iterum mulier, ait, voce lacrymosa: En filius meus unicus & dilectus, in flumine suffocatus interiit subito; huic timeo damnationem, quia mundanus erat nimis. Rogo igitur, pie Pater, si quid potes apud Deum, resuscita filium meum; ut tantum sua confiteatur delicta, & sanctis Ecclesiæ Sacramentis muniatur, & post, si Deo placet, in pace, feliciter requiescat. Cui vir sanctus, Salvatoris utens verbis, ait: O mulier magna est fides tua, fiat tibi, sicut petiisti. Et transiens cum ea ad cadaver in *libitina* jacens, & tenens manum ejus dixit: Adolescens tibi dico surge; & juvenis surrexit incolumis atque sanus; & sanctum virum petiit, ut caussa Dei, confessionem ejus audiret, & pro peccatis suis sibi injungeret pœnitentiam salutarem, & annuit sanctus Pater petitioni ejus, & audita confessione ejus, sacris Ecclesiæ Sacramentis eum præmunivit. Quo facto, juvenis ait, jube me sancte Pater nunc iterum in pace quiescere; quod mundum nimis horreo, qui suos amatores mittit in Gehennam, cujus pœnam gravissimam ex parte sum expertus, & vir Dei ait: Dormi, fili mi, & quiesce feliciter in pace Iesu Christi, & ille respondit: Amen. Et inclinato capite, in gratia Dei feliciter obdormivit. Felix autem mater ejus, his auditis & cognitis, semota prorsus omni tristitia, cum gaudio corpus filii Ecclesiastico more tradidit sepulturæ, ac Deo, devotione, quanta potuit, animam ipsius lætissime commendavit. Sanctus Pater Godehardus, dum in cella sua post Vigilias matutinas orationis causa resideret, contigit, ut quædam mulier habitans in confinibus Monasterii partu laborando cruciaretur; cui compatiens vir sanctus, terræ procumbens orationi se dedit dicens: O Domine Deus omnipotens, adjuva plasma tuum, miserere filiæ Evæ in matris suæ maledicto laborantis. Et illico, modo quodam inopinato mulier conticuit; quia peperit filium; quæ postea obdormiens, ei revelatum est, quod precibus S. Godehardi à dolore partus sit liberata: quæ gratias egit Deo, qui eam sancti viri meritis tam clementer visitavit; filium autem suum Godehardum vocari fecit, & in puerili ætate, cum tradidit sancto viro regularibus disciplinis imbuendum. Hac igitur de causa mulieres regionis illius in dolore partus S. Godehardi patrocinium consueverunt invocare & multæ petitionis suæ sentiebant effectum adoptatum Cum S. Godehardus pro negotio forsitam sui Monasterii ad *Romanam iret curiam*, habens aliquos de suis Monachis secum in suo comitatu, inter quos quidam cæteris senior *Erkenfridus* nomine incaute præcedens, dum *montem, qui Godehardi* dicitur, ascenderet, equus cum eo cecidit, & crus ejus dextrum ex toto confregit. Qui gemens cum lacrymis, ait,

ait, contra sanctum Dei murmurando: ut quid, pater, me duxisti ad montis istius præcipitium, ut me interficeres. Cui sanctus Pater, ait: Scio, fili mi dilecte, quod invitè mecum iter hoc cæpisti; & intra te ipsum, murmurando, mihi detraxisti. Ideo nunc reddita est tibi merces tua. Pœnitere igitur & ora Deum, ut dimittat tibi offensam hanc, ut saneris. Qui, ait, adjuva pater infirmitatem meam, & remitte mihi, quod deliqui contra te: & cruciet me flagellum Dei, quantum libet. Vir autem Dei, audita ejus devotione, tetigit confractum os cruris ejus, & ait: *Sanet* te frater *Dominus Iesus Christus*: & tu, in nomine ejus surge, ut ambulemus. Qui surrexit ex toto sanus, & ultra profectus cum eo. Idem postmodum secutus est eum *Hildenesheim*, & mansit apud eum, usque ad diem mortis suæ. Contigit quadam vice, ut S. Godehardus pertransiret oppidum *Strawigen diœcesis Ratisbonensis*; & obviavit ei quædam cæca mulier mendica, ostiatim quærens panem, quæ forsan equorum nitebatur declinare strepitum, & in lapide, lædens pedem, cecidit graviter nimis. Sanctus Godehardus autem, hoc viso subito descendit de equo, & accurrens, amplexando eam relevavit, & quantum potuit, luti sorditiem de mantello mulierculæ tersit diligenter; & ait, quare cecidisti mater? & illa dixit: Cæca sum, amice; & ideo offendicula viarum cavere non valeo, nec possum devitare. Sanctus autem pater sibi ex corde compatiens, ait: O mi Deus meus, quot sunt in terra convitia & gravamina tui plasmatis! bene ergo dicitur: Væ, væ, væ habitantibus in terra. Et cum dixisset, *lutum cum sputo miscuit*, more nostri Salvatoris, *& linivit oculos ejus dicens*: O domine Iesu Christe, qui in conspectu discipulorum tuorum lutum ex sputo fecisti, linivistique oculos cæci cujusdam, & vidit; illumina etiam oculos hujus pauperculæ tuæ, ut confiteatur nomini tuo, & glorietur in prædigna laude tua. His sic actis, & dictis, mulier cæpit sanctum virum intueri, ceciditque ad pedes ejus dicens: *Viderunt oculi mei salutare* Dei, & prona osculabatur pedes ejus; & ivit ad propria laudans Deum pro virtutibus & meritis sancti viri. In civitate *Ratisbona*, quodam tempore S. Godehardus morabatur pro negotio forsan sui monasterii: ubi quædam obsessa à dæmonio ad eum ducebatur, ut sanaretur ab eo. Quam vir Dei inspiciens, ait: responde mihi, immunde Spiritus, ad ea, quæ à te quæro; quid hic agis in creatura Dei? At dæmon ait: pleno jure est anima ipsius mea, quod incantatrix est, & per eam multas animas lucratus sum. Et ait vir sanctus: quare propter incantationem tua est? Et Dæmon ait: nonne legisti quia dominus Pithones, divinos, & incantatores jussit exterminari? quid enim tales faciunt, nisi quod mihi meisque principibus deserviunt; Idololatræ enim sunt. Vix etiam aliquos tanto jure possidere possumus, quanto hujusmodi vitiis irretitos. Nunquid ignoras, quod inter mille incantatrices aut divinos, vix una invenitur, quæ vel qui, velit hoc vitium confiteri. Sic enim ora ipsorum claudimus, ut de talibus loqui nihil valeant quovis modo. Et, ait vir sanctus: Scio, quia magna est malitia tua & tuorum similium; nec tamen dubito, quod major bonitas Dei est & clementia. Ergo, immunde spiritus, da honorem Deo, & recede ab hac creatura ejus, ut redeat ad gratiam, quam tu ab ea abstulisti. Et Dæmon, ait: cur me in tantam agis violentiam? quid feci tibi? aut quid habes contra me? Et ille ait: audi proterve & immunde spiritus: In illa æterna patria, de qua tu superbiens cecidisti, tanta mihi erit lætitia de bono communi, ut de meo proprio: imo & multo major. Et ideo hic dolere convenit de malo alieno multo fortius, quam de malo proprio. Per hoc enim vitam æternam promerebor. Habeo ergo contra te justam causam, quod minus juste possides, & punis sororem meam, plasma Dei creatoris tui. Non enim ut asseris, ago tibi violentiam; sed pro gloria Dei & amore plasmatis ejus, pro quo unigenitus ejus sanguinem suum fundens, amarissimam mortem sustinuit, contra te non pugil, se victor gloriosus [decerto]. Ergo tibi præcipio, superbe & immunde spiritus, in nomine JESU Christi recede ab ea; & non præsumas ammodo creaturam Dei molestare. Et sic spiritus ille malignus abcessit: & mulier, ut mortua cecidit. Sed vir sanctus subitò eam erexit; recta vero publice vitium incantationis, quod dudum multoties perfecerat, cum lacrymis est confessa, quam & vir sanctus absolvit virtute passionis Jesu Christi. *In civitate Patavia* erat quidam civis dives valde, qui habuit filium, quem tenerrimè dilexit; qui puer adeo hebes erat, ut in tribus annis non potuit efficere, ut disceret *minus Alphabetum*. Unde pater ejus sanctum Godehardum adiit, retulitque ei duritiam cordis filii sui, petens obnixius, ut pro eo suppliciter orare dignaretur; quatenus Deus omnipotens eum illuminare dignaretur. Sanctus vero Godehardus, vocato ad se puero, super eum legit, quæ sequuntur: *Omnis sapientia à domino Deo est*, cum collecta, *Deus qui per coæternam tibi sapientiam, hominem cum non esset, condidisti, &c.* & addidit: *Vade fili, & ille magistrorum optimus, qui subito docuit Apostolos, te instruat, & in via recta ad agnitionem perducat clariorem.* Qui puer ita mutatus est, ut in brevi tempore omnes suos consanguineos, & omnes sibi coætaneos, imo seniores atque doctiores se, sapientiæ plenitudine anteiret; qui postea propter intellectus & sapientiæ

sapientiæ profunditatem, in *Episcopum Pataviensem est electus atque ordinatus*; unde sibi & subditis pro animarum salute instantissime laboravit. Sequens miraculum factum est, *cum esset Episcopus*. Accidit, ut sanctus Præsul Godehardus, quosdam de suis subditis, ob eorum rebellionem, post monitiones consuetas ex communicaret; quorum aliqui, malitiæ suæ veneno excitati, ipso celebrante, Ecclesiam intraverunt arroganter & proterve. Quo cognito, se divertit ab altari dicens: Præcipio vobis omnibus, qui estis excommunicati, in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, ut exeatis de Ecclesia. Rebelles autem & excommunicati hoc præceptum non curantes, perstiterunt, remanentes in Ecclesia. Sed quidam de mortuis, qui multis annis quieverant in monumentis, qui & forsan, ignorantibus eis, qui eos sepelierunt, in excommunicatione sepulti fuerant, surrexerunt, & de Ecclesia exierunt. Quod videntes illi rebelles, erubuerunt; & post mortuos exierunt. Sanctus autem præsul, finita missa, ad eos exiens dixit: Audite rebelles, & increduli; & videte justum Dei judicium contra vos. Ecce mortui Deo in suo vicario obediunt, vos autem superbo referti spiritu, obedire contempsistis. Surgent igitur mortui isti contra vos in judicio, & sententiam damnationis allegabunt contra vos, nisi plenam & condignam pœnitentiam egeritis. Et, his dictis, convertit se ad mortuos dicens: Ego vos, fratres, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, absolvo à sententia excommunicationis, qua hucusque fueratis innodati, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Ite, revertimini ad loca vestra, & in pace requiescite, adventum judicis præstolantes. Mortui autem, inclinatis capitibus, & junctis manibus, quasi gratias agentes ad loca sua remeaverunt, & quieverunt.

XXXV.

HISTORIA CANONISATIONIS S. GODEHARDI & TRANSLATIONIS EIVS CORPORIS

cura Bernardi Episcopi facta.

CAP. I.

GLoria summo Creatori, humani generis reparatori; qui non nostris meritis, sed sua immensa bonitate, dignatus est Confessorem suum Beatum *Godehardum Pontificem*, ad salutem omnium credentium hominibus nostri temporis revelare, & eum, qui pro longinquitate temporis, jam quadam nube oblivionis obfuscatus fuerat, ut tandem ab incolis nostræ Ecclesiæ veneraretur, voluit nationibus diversarum terrarum manifestare; vt gloria ipsius non tantum ad domesticos fidei attingeret, sed etiam in exteras nationes se dilataret. Qualiter autem, & quo ordine, translatio prædicti Confessoris nostri facta fuerit, non turgido eloquio, vel nitens grandi cothurno, sed simplici stylo aggredior describere: non confisus ingenii mei igniculo, sed illo Evangelico dicto: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Et iterum: *Non vos estis, qui loquimini; sed spiritus patris mei, qui loquitur in vobis.* Per scripturas enim res præteritæ, & brevi tempore in oblivionem tradendæ, ad memoriam revocantur, & per res virtuose in Ecclesia gestas, cum leguntur, fideles accenduntur, & torpores mentium discutiuntur.

Anno dominicæ Incarnationis MCXXVIII. obitus vero beati Godehardi nonagesimo, Bertholdus vir venerandus, & in omni Ecclesiastica religione perspicuus, utpote scientia literali admodum eruditus, & morum honestate valde decoratus, Cathedræ nostræ Ecclesiæ præsidebat, quam discrete gubernando, & religiosos viros undique ex diversis Ecclesiis ad se colligendo, adeo sublimavit, ut diversas Cellas suis temporibus, ædificaret, & in spiritali conversatione, dulci adhortatione, confirmaret. Quo residente, in communi conventu cleri sibi commissi, & de populi Ecclesiæ nostræ utilitate, uti mos ejus erat, semper pertractante, Deo faciente, uti post effectus indicavit, ex inproviso sermo de patrono nostro *beato*, scilicet, *Godehardo* exoritur; item atque item à pluribus replicatur, conquerentibus & condolentibus, se tam misericordem habere patronum, & condignum sibi in Ecclesia Dei non exhiberi honorem. Nam quan-

quantam misericordiam & quam manifestam gratiam prædictus Confessor fratribus nostris, suis meritis, apud Deum obtinuerit, ab ipsis viris auctorabilibus in prædicto conventu existentibus, omnibus manifestatur. Per quod mentes assidentium omnium non solum exhilarentur, sed qualiter laudes ipsius in Ecclesia Dei multiplicentur, unanimiter omnes accenduntur. Prædictus enim *Antistes noster Bertholdus* privatam gratiam sibi à patrono nostro concessam omnibus assidentibus indicavit, & qualiter eum pium intercessorem apud Deum esse cognoverit, non sine contricione cordis fratribus nostris enumeravit. Nam, tempore juventutis suæ, cum ipse inter cæteros adolescentes ludicris rebus esset intentus, contigit, vt ipse in suburbio nostræ civitatis, quendam laicum non voluntariè lancea perforaret, & eum, quasi mortuum ad terram prosterneret: qui, quasi semivivus domum deducitur, lecto affigitur, & usque ad mortem periclitatur. Sed præfatus Antistes noster dolens, & mœrens, in diversa rapitur, se sacris ordinibus, quasi homicidam esse repellendum, angustiatur; & ita in diversas cogitationes, animus ipsius invitatur. Tandem nutans quasi navis deprehensa in fluctibus maris, ad Patronum nostrum beatum Godehardum, ut ad portum tutum se dirigat, spem suam in eum quasi anchoram in firmum littus infigit, ut ab imminente anxietate eum eriperet, corde contrito & humiliato spiritu, postulavit: Sed vir vulneratus, dum jam esset in agone positus, ipse fide firmus ad sepulchrum S. Patroni nostri se prostravit, totamque noctem in oratione pernoctavit, & magis rugitu cordis quam propalatione vocis, misericordiam imploravit. Sed tandem prope termino noctis, vigiliis defatigatus, & dolore conturbatus, quietem intrare compellitur. In qua ei & statura & forma patroni nostri in visione, quam tamen nunquam in hac vita viderat, certissimè manifestatur. Nam dum adhuc esset inter vigilias & adultam quietem, persona Patroni nostri ei in visione apparuit, vt Missarum solemnia celebrari faceret, ei diligentissimè indixit; & ut officium, *Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua*, decantari faceret, continuo adjunxit. His visis, excitatus orationes suas magis ac magis continuare instituit: sed in via nuncium suscepit, qui certissimè ægrum evasisse mortem, nunciavit. His auditis, corde & animo exhilaratur, Deo cæli benedixit, qui nobis talem Patronum in Ecclesia nostra reservavit.

Fuit vero tunc temporis in conventu nostro Sacerdos quidam religiosus *Adelbertus* nomine, qui regulari vita in Cella beati Bartholomæi, quæ sita est in orientali plaga nostræ civitatis, vivebat; qui cum audisset, quæ Præsul noster narravit, videns tempus idoneum, & ipse gratiam à Domino collatam Patrono nostro, omnibus intimavit. Dum enim ipse quadam nocte patrocinia sanctorum implorando, altaria nostræ circuiret Ecclesiæ, tandem juxta sepulchrum beati Confessoris se prostravit: sed surgendo manu indiscrete, tenendo sarcophagum ejus, se sublevavit; & illico pollex ejus de propria junctura emarcuit. Videns autem jam sese manu debilitatum, supplex & gemebundus se ad terram postravit; veniam & misericordiam à beato Godehardo postulavit. Et statim in proprium locum sine mora & læsione, pollex resiluit.

Audiens hæc Magister quidam de monte S. Mauritii, *Reinardus* nomine, vir provectæ ætatis; & ipse manifestam gratiam Patroni nostri expertus, cum oportunum videret, non eam subticuit, sed omnibus in conventu nostro existentibus evidenter patefecit, dicens: Fuit enim puer quidam custodiæ ipsius addictus, in Clericali arte erudiendus, qui epileptico morbo, quem vulgari nomine caducum appellant, adeo vexabatur, ut quotidie sexies ad minus ad terram prosterneretur, & usque ad mortem, nimia fatigatione periclitaretur. Hic quadam die ad patrocinium beati Confessoris nostri deducitur, sed in via bis ad terram prosternitur. Orationes ad tumbam ipsius, pro eo funduntur; eleemosynæ pauperibus largiuntur, & perfectè sanatus in domum ipsius regreditur.

His tribus signis in communi conventu ab auctorabilibus viris recitatis, omnes hilari mente percipiunt, ipsum Antistitem nostrum, quod voluntarie per se faceret, instigant, ut omnibus modis elaboraret, qualiter beatum Pontificem nostrum Godehardum inter cæteros Sanctos Dei canonizaret. Sed dum in rebus minimis, ne dum in maximis, in quibus lætum exspectamus finem, divinum invocandum sit auxilium, placuit omnibus, ut speciales ubique in Ecclesia nostra funderentur ad Deum pro hac causa preces, ne quid incassum vel inconsultum, contra nutum Domini inciperemus, quod ad bonum effectum perducere non valeremus. Igitur statutum est, ut omnes tam majores, quam minores, finita matutinali hora ad tumbam ipsius Beati patroni nostri Godehardi convenirent & sese humiliter ad terram posternerent; & Psalmum, *Benedixisti, domine, terram tuam*, corde contrito & humiliato Domino decantarent. Statutumque est, ut in singulis cœnobiis, in territorio nostræ Ecclesiæ constitutis, speciales pro eo fierent orationes & eleemosynarum largitiones; quia impossibile est multarum non exaudiri voces orationum. His ergo, aliquanto tempore peractis, Ecclesia nostra nova tribulatione concutitur. Nam *prædictus Pastor noster*, prohdolor, nobis *ex hac vita subtrahitur*: & omnis Ecclesia

clesia nostra tanto Pastore desolata conturbatur. Sed qui consolatur miseros in tribulatione sua, Deus, non permisit Ecclesiam suam in fluctibus hujus sæculi sine gubernatore diu fluctuare, sciens quia ubi non est gubernator, corruet populus, nam omnis Ecclesia nostra simul coadunata *Bernardum* (a) *summum Præpositum*, virum omni clericali scientia eruditum, & moribus optimis decoratum, communi consensu cleri & alacritate populi, reclamantem, & omnibus modis renitentem, seque indignum vociferantem, in spiritualem Pastorem elegit; & usque ad cathedram summi sacerdotii perduxit. His ita gestis, causa Patroni nostri, quæ propter tribulationes nostras jam aliquantulum deciderat, redintegratur; & quo ordine ad effectum perduceretur, ab omnibus elaboratur.

Sed cum Canonica censura, propter illusiones dæmonum, quæ frequenter in Ecclesia Dei in talibus contigerunt, statutum sit, ne quis sine Apostolica autoritate, & vita ipsius, per viros auctorabiles approbata canonizaretur, quod tamen in præcedentibus, tum propter difficultatem, tum propter longinquitatem itineris causam nostram valde retardaverat, factum est, Deo annuente, ut quod ante, sine magna impensa, ac summo labore, non poterat ad effectum perduci, id nobis quasi ante ostium inopinatè deferretur. Nam in *Leodicensem civitatem curia indicta est*, ubi *Innocentius Papa* cum Romana Ecclesia, & magna parte Galliæ, cum *Lothario rege* & ferè universis Episcopis Theotonicæ regionis convenerunt; *ut de violentia Romanæ Ecclesiæ per Petrum Leonis* perpetrata, *qui tum temporis Papatum sibi violenter usurpavit, pertractarent;* & qualiter illud idolum in templo domini positum, destruerent, elaborarent. Factum igitur est, ut *ad Dominicam Lætare* (b) Jerusalem ad prædictam civitatem multi Catholici viri tam cum Apostolico, quam cum Rege convenirent, & de communi statu Ecclesiæ pertractarent. Inter quos præses noster *Bernardus* cum Majoribus nostræ Ecclesiæ assistens, videns opportunitatem ultro sibi collatam, ipsum Apostolicum cum omni curia Romana aggreditur, vitaque Pastoris nostri coram ipsis recitatur; & ut & per eum in Ecclesia Dei canonizetur, devotissimè preces funduntur.

Sed cum consuetudo sit Romanæ Ecclesiæ *in generali Concilio Sanctos Dei canonizare*, quod tunc temporis *in Remensem civitatem in festo S. Lucæ indictum fuerat*, accepto consilio, petitionem Ecclesiæ nostræ usque in prædictum locum distulit; ibique diffiniturum certissimè promisit. His ita gestis, Antistes noster, Apostolica promissione animatus, lætus regreditur, & ab omnibus devotè suscipitur & quæ sibi responsa sint, enarrantur. Tunc omnes audientes, quæ per Apostolicum promissa sunt, unanimiter lætantur, precesque apud Pontificem nostrum devotissimè funduntur, ne se tantæ promissioni subtrahat, sed licet laboriosum sit, ipse se tamen una cum Majoribus Ecclesiæ nostræ ad indictam Synodum repræsentet. Jam dies advenerat, in qua Synodus universæ *Ecclesiæ Citramontanæ* indicta fuerat. Tum vero præfatus Antistes noster *Bernardus* unà cum *Metropolitano Magdeburgense Norberto*, qui tunc temporis in Ecclesia Dei magni nominis fuerat, & Majoribus Ecclesiæ nostræ, ad præfatam Synodum iter instituit, &, Deo annuente, cum magna prosperitate & oportunitate *ad Remensem locum pervenit.* Ubi honorificè suscepti, dum jam Synodus aliquot dies esset celebrata, Antistes noster *Bernardus* Apostolicum *Innocentium* cum suis Cardinalibus convenit, & de causa Patroni nostri beati Godehardi usque eo *induciata* devotissimè submonuit. Sed Deo annuente, & id faciente, omnes unanimes, & concordes in sua petitione invenit, ut post ipsa res indicavit.

Nam postera die *cum in Synodo generali Apostolicus resideret*, nullo admonente, sed Deo faciente, Apostolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua disertissimè petitionem nostræ Ecclesiæ de Patrono nostro exposuit; & ut assensum præberent, devotissimè postulavit. His ita gestis, *Episcopus Tarraconensis* vir religiosus, & literali scientia eruditus, quo ordine *Translatio* fieri deberet exposuit; scilicet, si ea quæ dicebantur de Patrono nostro, Ecclesia nostra per legitimos testes ac juramento, comprobaret. His vero verbis, Apostolicus se interposuit, & se, à Principibus terræ nostræ adeo *in Leodicensi Ecclesia* certificatum fuisse, asseruit, ut non opus esset id secundo testificari, quod lucidius sole posset comprobari. Auditis autem, quæ ab Apostolico dicebantur, omnes unanimiter, ut canonizetur, assensum præbent; & ut laudes Domino persolvantur, admonent, qui dignatur servos suos ab infirmitate hujus carnis eripere, & inter sanctos & electos suos collocare. Continuò, *Te Deum laudamus*, canitur; laus omnipotenti Deo persolvitur; & sic demum coadunata Synodus terminatur. Tum verò Anti-

(a) Anno 1130. Bertholdo defuncto succedit Bernhardus. (b) Anno scil. 1131. quando in hac Dominica tum 29. Martii in Ecclesia S. Lamberti Lotharius, ante Dux Saxoniæ in Imperatorem coronatus est.

Antistes noster, munitus Apostolicis literis, ad nos usque regreditur, & à clero & populo benignè suscipitur: literæque Apostolicæ reserantur, quibus recitatis, Deo laudes persolvuntur. Tenor verò Apostolicæ concessionis sequitur in hæc verba:

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, Clero & populo Hildenesheimensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem; Veniens ad nos venerabilis frater noster Bernardus Episcopus vester, in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat congregata, attestatione fratrum nostrorum, Episcoporum & Abbatum & aliorum, qui secum venerant, sanctæ memoriæ Godehardum Episcopum vestrum, laudabiliter vixisse in mundo, & tam in vita, quam post mortem multis miraculis coruscasse, asseruit. Unde nos cum fratribus nostris, omnipotenti Deo gratias referentes, habito eorum consilio, & collaudatione, quia eundem in cælis cum Sanctis credimus coronari, ipsum inter Sanctos honorari præcipimus; mandantes vobis ut eidem beato viro, solennitatem in vestra Ecclesia statuatis; & ad eam annualiter convenire, curetis. Data Remis IV. *Kalend. Novembris.*

Sed quia tunc hybernum tempus imminebat, nec ad tantum negotium se expedire valebat, visum est congruum, quæ per Apostolicum concessa sunt catholicis & religiosis viris nunciari; & ipsam translationem in quartam Nonas Maji differri. Et jam tempus advenerat, cum tam celebris rumor, scilicet de translatione tanti patroni in nostram civitatem plures tam religiosos, quam promiscui sexus homines coadunabat. His visis, consilium in communi conventu capitur, qualiter cautè, sine turbatione transferatur; ne aliquod scandalum Ecclesiæ nostræ inde oriatur. Nam fuere quidam religiosi viri admodum timentes propter longinquitatem temporis, vel corpus non inveniri, vel nullum indicium sanctitatis reperiri. Sed tandem, post multas disceptationes, in hoc omnes conveniunt, ut remota multitudine, ante matutinales horas omnes conveniant. Mediæ ergo noctis tempore Antistes noster, una cum religiosis viris, tam Monachis, quam Regularibus sibi coadunatis, cum magno timore ac tremore, cryptam nostræ Ecclesiæ subiit, & sarcophagum, in quo positus fuerat noster Patronus, aperiri præcepit. Ipseque cum cæteris fidelibus, orationibus interea devotissimè institit; sed ubi summus labor in frangendo sarcophago antea visus fuerat, jam Deo faciente, illico se aperiebat, & aditum facillimum ad corpus præbebat. Tum verò, aperto sarcophago, quantas lacrymas astantium aspiceres? quos singultus audires? quam spiritalem dispositionem corporis ipsius prospiceres? quis vel sermone, vel stylo exprimere valeat? Quid plura? Divinus quidam, & incognitus odor fragrabat, qui quosdam astantes, quasi quadam spiritali dulcedine refocillabat; & in perfecta fide sanctitatis ipsius, eos corroborabat. Tum verò, videres omnes sese humiliter excusare, seque esse indignos tanti patroni corpus attingere; cum noverint, vitam suam longè ab ejus sanctitate discordare. Tandem omnibus cunctantibus, & longam moram facientibus, per fratrem nostrum *Præpositum Bertholdum* corpus sublevatur, & propter multitudinem populi, quæ ad tantam rem videndam convenerat, in secretum Sacrarii nostri deportatur.

CAP. II.

Sed hæc hactenus dicta sufficiant, qualiter sit beatus *Godehardus* translatus. Nunc superest charitati vestræ intimare, qualiter per eum mundus sit illuminatus, & usque ad remotissimas gentes & *paganissimas* exaltatus. Nam ex longinquitate temporis merita vitæ ipsius fuerunt pene abolita, & paucis tantummodo cognita, quæ per translationem corporis ipsius, evidentissime omnibus sunt manifestatæ. Tot enim Dominus per eum fecit miracula, ut nec lingua valeant exprimi, vel scriptura; quæ autem sunt notiora & manifestiora, aggredior describere, ut in eis posteritas de patrocinio tanti Patris possit confidere. Nam ipsa die translationis, cum corpus ipsius, usque *ad montem S. Mauritii* cum magna reverentia cleri & populi deferretur, contigit, quendam flumen, quod præterfluit civitatem nostram, incidisse; & longo tempore sub undis morantem omnino expirasse. Hic dum corpus Patroni nostri ad eum appropiat, vitæ priori restituitur; &, domino opitulante, sanus & incolumis à terra sublevatur. Qui postea per multa tempora in famulatu patroni nostri apparuit, & pro vita restituta non ingratus Deo extitit.

His verò auditis Ecclesia nostra non statim & indiscretè acquievit, sed aliud certius & manifestius miraculum humiliter expectavit. Postera vero die, cum dies anniversarius Patroni nostri illuxisset, finita missa, & horis constitutis, mulier quædam muta habens filium privatum lumine, subito, quasi in extasim rapitur, ac per horam parvam, in terra volutatur. Transacto verò aliquanto tempore, matri lingua reseratur, lumen puero restituitur: & manifestum esse miraculum, omnibus comprobatur. Nam fuere in civitate nostra tunc temporis quidam viri aucto-

auctorabiles de *Corbeia*, ipsius mulieris comprovinciales, qui eam cognoverunt, & verissimè eam mutam filiumque ejus lumine privatum, longo tempore fuisse, nunciaverunt. His auditis, Ecclesia nostra, tam clerus, quam populus, in unum coadunantur: laudes creatori persolvuntur, qui novit electos suos ab omni ambiguitate absolvere, & in perfecta fide solidare. *Signa enim debentur infidelibus non fidelibus, ut & per miracula & inusitata confirmentur in his, quæ à sensibus nostris & memoria sunt remota.*

Vix laudes de miraculo prædicto Deo persolvuntur cum claudus quidam, qui longo tempore contractus fuerat, se subito erigebat; & pedem, firmo gressu terræ affigebat. Sicque factum est, ut ipsa die anniversarii Patroni nostri, infra basilicam nostram quinque miracula contingerent, quæ omnibus manifesta fuisse, apparerent. Cæcus enim videt, mater ipsius loquitur. Claudi tres potestatem ambulandi receperunt. His ita gestis, rumor & fama patroni nostri propter frequentiam multitudinis, quæ ad Translationem tanti viri convenerat, magis & magis innotuit, & sese in omnes comprovinciales terras dilatavit. Unde factum est, ut tanta multitudo hominum, patrocinia Pastoris nostri implorantium, in civitatem nostram conflueret, quantam nullus hominum nec antea in Ecclesia nostra vidit, nec ut arbitror, deinceps videbit. Nam omnes habentes infirmos, languidos, claudos, surdos & mutos, nec non & dæmoniacos, vel quovis morbo detentos, usque ad Patrocinium Pastoris nostri pro recuperanda sanitate deferunt.

Contigit vero circa idem tempus, quod quidam viri auctorabiles de *Turingia* adveniunt, qui suum pastorem una manu debilem secum adduxerunt. Hi, ut patrocinium beati *Godehardi* imploraverunt, illico sanitatem recepit, & manum debilem erexit. Quo facto omnes unanimiter laudes Deo referebant, & in signum veritatis, manum manui comparabant. Nam manum, qua pastoralem virgam ante tenebat, rugosam & induratam invenerunt: alteram verò, cum qua non laboraverat, candidam & mollem repererunt.

His ita gestis, matronæ quædam ab eadem terra usque ad nos pervenerunt, ducentes secum mutum longo tempore loqui non valentem; quæ, dum orationibus insisterent, ac pro ipso, patrocinium beati Godehardi implorarunt, subito vinculum linguæ est ruptum; & officium ipsius per misericordiam est restitutum.

Fuit vero tunc temporis *Erpisfordiæ* Vicedominus, habens pro misericordia Dei claudum, & pæne omnibus membris debilitatum Eleemosynis suis addictum; quem, auditis miraculis, quæ per patronum nostrum fiebant, usque ad patrocinium ipsius in Ecclesiam nostram direxit. Et sicut credidit, sic per misericordiam Dei recepit. Nam quem debilem & omnino incedere non valentem, usque ad nos transmisit, Deo adjuvante, sanum & incolumem suscepit.

Fuit vero circa idem tempus *in Cella beatæ Paulinæ* multo tempore quidam claudus, omnibus notus & manifestus. Hunc potens quidam *de Turingia* per licentiam Abbatis ad se recepit; &, quæ corpori necessaria fuerant, pro misericordia Domini ipsi erogavit, hic ad patrocinium beati Godehardi pervenit, & integritatem corporis percepit.

Fuit etiam tunc temporis in Turingia puella quædam gibbosa, in dorso valde curvata. Hæc veniens ad patrocinium beati Godehardi, per misericordiam Dei est erecta, &, quod raro fieri solet, gibbo est omnino privata.

Vir quidam ab eadem terra natus, per misericordiam Domini & beati Godehardi, ab eodem morbo est liberatus. Iisdem vero temporibus fuit matrona quædam in *Hassia*, omnibus comprovincialibus nota, & maximis infirmitatibus per multa tempora detenta. Hæc cum nihil jam præter mortem speraret, tandem patrocinium beati Godehardi humiliter imploravit, seseque ad terram prostravit, & miro modo sanitatem recepit. Nam & in inguine, ubi antea caro sana fuerat, subito se aperuit, & duos lapides tantæ magnitudinis, quantæ in humano corpore nemo prius viderat, subito emisit. Quo facto, unum secum in signum miraculi, usque ad Patrocinium beati Godehardi in Ecclesiam nostram detulit, alterum vero in signum virtutis Dei domi reservavit.

Circa idem tempus contigit in Turingia insigne miraculum, & dignum memoriæ tradendum. Nam duo viri, proh dolor! mala societate conjuncti, furtum quoddam peregerunt, & pelles cuidam surripuerunt: factum est ergo, ut uterque caperetur, & ad judicium traheretur. Sed cum jam uterque convicti suspendio traderentur, alter ipsorum toto corde ingemuit, &, quod solum poterat, corde contrito, & humiliato patrocinium beati Godehardi imploravit: alter verò, quasi desperans nulli petitioni institit, vel vocem conpunctionis emisit. Factum est igitur, ut uno fune colligarentur, & uno ramo suspenderentur, quo facto, alter spiritum illico emisit; alter verò, qui patrocinium beati Godehardi imploraverat, sine læsione & molestia pependit. Sed jam longo spatio horarum transacto, ille cujus pelles fuerant, pro-

propius accedens, & videns alterum expirasse, huic, quem adhuc vivere putavit, in hæc verba prorupit: Quærebat enim, si viveret, aut si vitam retinere potuisset. Ille vero sperans sibi adjutorium advenisse, confessus est, & se vivere & nullum dolorem sentire. Hoc audiens qui eum suspendi fecerat, magnam inhumanitatem ei intulit; nam fune, quo suspensus fuerat tornato, firmo nisu, ad terram corpus depressit; & sic spondilia colli se fracturum speravit: quo facto, statim discessit: & omnem voluntatem suam se jam adimplesse non dubitavit. Factum est autem post discessum eorum longo tempore, ut prædictus vir, manus post tergum ligatas dissolveret, & pannum præ oculis ligatum disrumperet, & sic tandem funem, quo suspensus fuerat, confringeret. Ad terram verò prostratus, videns se nullam læsionem habere, in fugam se convertit, & sylvam, quæ vicina erat, cum festinatione introivit. Hoc videntes quidam, qui non remotè discesserant, eum admirantes prosequuntur, & rogantes eum sylvam exire, & nihil nisi bene de eis sperare. Qui tandem adhortatione ipsorum confortatus, sylvam exivit, & cum eis magnificans & glorificans Dominum, usque ad Ecclesiam pervenit. Hic postea, ad patrocinium beati Godehardi venit, &, quæ sibi per misericordiam Dei & beati Godehardi contigerant, contestantibus civibus suis, qui plures unà secum advenerant, nobis omnibus enarravit. Quot vero suspensos & jam in articulo mortis Deus per merita beati Godehardi liberavit, longum esset per singula describere, maxime cum funes, quibus suspensi fuerant, omnibus in Ecclesiam nostram adventantibus possint demonstrari.

Tunc temporis duæ mulieres de longinquo ad patrocinium beati Godehardi venerunt, quæ gratiam sibi ab eo collatam devotissime nobis omnibus narraverunt. Nam altera post immensam infirmitatem, omnem appetitum cibi & potus amisit, adeò ut nec cibum nec potum infra duos menses sumpserit. Videns autem se vitam sic longo tempore non posse retinere, misericordiam beati Godehardi imploravit, & pristinum statum recepit. Altera verò, cum longo tempore, lumine esset privata, in via, in qua ad patrocinium beati Godehardi pergebat, est illuminata.

Fuit vero iisdem temporibus in *Mindensi Episcopatu* vir quidam Dæmoniacus, adeò obsessus, ut vix plures eum retinerent, quin seipsum interimeret, & alios neci traderet. Hic tandem manibus post tergum ligatis, & pedibus concatenatis, per parentes suos ad patrocinium beati Godehardi deducitur, ejusque auxilium, ab omnibus humillimè imploratur. Dominus vero suus *Hezelinus* nomine, videns summam ejus vexationem ac maximam tribulationem, misertus ejus, ipsum manu misit, ac servum beato Godehardo tradidit; quo facto, statim sanitatem recepit, & cum parentibus suis, solutis vinculis, integer & incolumis, domum remeavit.

Sub eodem tempore venit in Ecclesiam nostram vir quidam magnæ pœnitentiæ & austeritatis, qui per multa tempora carnem suam vigiliis & jejuniis domaverat; adeò ut & loricam indutus ad carnem portaret. Hic, cum devotè coram Patrono nostro orationibus insisteret; multis videntibus, per gratiam Dei, lorica quasi tela araneæ dirupta est, & usque ad terram dilapsa. O virum omni laude dignissimum, cujus meritis & vincula peccatorum disrumpuntur, & ligaturæ ferreæ dissolvuntur.

Habebat tunc temporis *Abbatissa de Wunstorff* claudum quendam valde debilem, qui omnino os in genu amiserat, & crus, in quamcunque partem volebat, quasi sine junctura, vertebat. Tunc Abbatissa, cum tanta miracula per Patronum nostrum fieri perciperet, secum prædictum claudum usque ad limina Patroni nostri perduxit, & Deo faciente, sanum, & incolumem reduxit. Sed, cum ad Ecclesiam sibi commissam remearet, cum hymnis & laudibus eum reduxit, referens gratias Deo pro omni dono sibi collato.

Hæc videns mulier, quæ minus religiosa, nec Dominum timens, in hæc verba prorupit; se nunquam velle patrocinia beati Godehardi implorare, nisi puerum quendam omnibus membris debilitatum, quem tunc temporis in platea reptantem vidit, recto gressu videret incedere. Factum est igitur, ut parentes ipsius pueri post paucos dies ad patrocinium beati Godehardi eum deferrent, & factis orationibus pro ipso, sanum & incedere valentem reciperent. Quod postquam vidit præfata mulier, ex verbis temerariè prolatis corde contrito & humiliato, pœnituit, & se visitaturam Patronum nostrum, Domino vovit. Hoc facto, ex imo cordis suspiria duxit, considerans sibi necessaria viæ deesse, vel unde pueris ex se genitis domi possit providere; quæ dum sic anxiaretur, factum est, ut parvulus ipsius inscius domum egrederetur, portans panniculum, quem in platea invenerat; in quo mater novem nummos, quasi, nesciente puero, quid ageret, reperiebat. His ita gestis, laudes Deo & beato Godehardo persolvit, qui & ipsam ab anxietate eripuit, & omnem dubietatem à corde ipsius exstirpavit.

Circa idem tempus fuit puer *in Episcopatu Mindensi* in villa, quæ *Lanesberge* appellatur, claudus, & miro modo contractus; hunc parentes ipsius, licet pauperes ad patrocinium beati Godehardi adduxerunt, & pro ejus sanitate recuperanda, devotissimè misericordiam ipsius implora-

plorabant. Sed dum aliquantulum moram facerent, nec ullum profectum in puero viderent, ad proprias mansiones redire parabant, quia se exaudiri deinceps dubitabant. Sed dum propè ad villam, quæ *Runeberge* appellatur, venissent, & in quodam prato se quieturos disposuissent, in lacrymosa verba proruperunt; conquerentes, se in multa tribulatione ad patrocinium beati Godehardi venisse, sed nullam gratiam in puero suo percepisse. Qui dum sic colloquerentur, subito puer membra, quæ antea fuerant incurvata, extendit, & de curru, in quo vehebatur, lætus & ovans prosiluit. Quod postquam gens vicina viderat, illico unanimiter Dominum collaudabant, & ad proximam Ecclesiam puerum sanatum devotissime deducebant. Sed ne tantum miraculum in oblivionem traderetur, in prædicto loco casam quandam comprovinciales erigebant, ubi fideles prætereuntes, in reverentiam istius miraculi post multo tempore oblationes deferebant.

Fuit item claudus quidam illis temporibus in *Goslaria* omnibus notus, qui & ipse pro recuperanda sanitate ad beatum Godehardum se contulerat, & Domino adjuvante, sanitatem recipiebat, adeo ut scabella, quibus antea reptabat, quasi in signum memoriæ, in Ecclesia nostra dereliqueret; & ipse erectus incederet. Hoc plures religiosi illius civitatis viri omnibus fiducialiter affirmabant, qui per multa tempora, eum claudum agnoscebant.

Fuit verò tunc temporis, in loco territorio Ecclesiæ nostræ addicto, qui *Aulica* appellatur, vir tantæ ægritudinis in morbo, qui Fistula appellatur, ut jam omnino vitam desperaret, quia nodum femoris (c) in junctura ante positum amiserat, & cæteram partem jam se amissurum timebat. Hic ad patrocinium beati Godehardi sese deferri præcepit, & sanitatem corporis, Deo faciente, recepit. Post hæc nodum, quem antea manu ferebat, in signum miraculi & doni sibi à Domino collati in Ecclesiam suspendi jussit, ac deinde, lætus & alacer, domum remeavit.

Circa idem tempus fuit matrona quædam de *Hervordensi* loco genita, quæ omnino fuit paralytica & omnibus membris dissoluta: nullum enim membrum ipsius, proprium officium exercuit, sed nec per multos dies adimplere valuit. Hæc maximam partem substantiæ suæ in medicos expenderat, sed per eos sanitatem corporis recuperare non poterat. Audiens vero tantam gratiam per merita beati Godehardi hominibus à Domino concessam, spretis exterioribus medicis, totam se misericordiæ Domini commendavit, & ad patrocinium beati Godehardi deferri præcepit. Quæ dum aliquanto tempore moram faceret in nostra Ecclesia, tum per orationes fidelium, tum per beati Godehardi patrocinium sanitati est reddita, & omnia membra ejus pristino vigori restituta. Hæc postea frequenter ad limina beati Godehardi pervenit, & pro dono sibi collato, gratias non immodicas Domino persolvit.

Non multo post tempore venit vir quidam in nostram Ecclesiam, habens filiam valde dilectam, quæ gravi morbo laborabat, & jam morti propiabat. Nam gutturi ipsius, os immensæ magnitudinis, & ex utraque parte magni acuminis per sex dies adhæserat, quod nullus extorquere quavis arte valebat. Qui primum medicos in civitate nostra tunc temporis commorantes circuibat, & ab eis consilium, quid de filia esset acturus, requirebat. Sed nullum salubre consilium adinveniebat. Destitutus autem omni exteriori consilio ad patrocinium beati Godehardi se una cum filia contulit, ipsumque pro ea humillima devotione imploravit. Factum est ergo, ut ipsa die puella os sine læsione ejiceret, & integram sospitatem recuperaret.

Non multo post, eodem morbo quidam per septem dies laborabat, & jam certissime ei mors imminebat; hic veniens ad patrocinium beati Godehardi, statim liberatus est, & in pristinum statum restitutus.

Contigit vero circa idem tempus quod *Eckehardus* quidam *de Wigelevo*, cognatum quendam suum vi & injuriose captivavit, & contra jus & fas incarceravit. Qui dum aliquanto tempore in captivitate detineretur; contigit in ipsa nocte Pentecostes, dum matutinales horæ celebrarentur, ut ad terram se prosterneret, ac patrocinium beati Godehardi pro sua liberatione imploraret. Tandem ab oratione se elevans, foramen adeò arctum accessit, ut puer trium annorum pertransire [non] potuisset, sed cum caput applicaret, ut sibi visum est, foramen se dilatavit, & ipse sanus & incolumis pertransivit. His ita gestis, sine mora omnibus innotuit, captivum de carcere erupisse & omnia evasisse. Statim omnes unanimiter eum prosequuntur, vias, quibus evadere posset, custodiis muniunt, & qualiter eum apprehendant, omnibus modis elaborant. Sed Domino adjuvante, & beato Godehardo, factum est, ut omnium insidias pertransiret, & ipsos cognoscens à nemine cognitus est. Hic sine mora, ad patrocinium beati Godehardi se contulit, & pro sua solutione gratias Domino in Ecclesia nostra persolvit.

Fuit

(c) *Nodus femoris* hic est ossiculum illud rotundum, quo femur tibiæ committitur ad genu; *patellam* alii vocant.

Fuit vero tunc temporis in *Marchia Vngaria*, vir quidam in captivitate positus & fortissimis compedibus compeditus, qui nihil aliud sperabat, quam vel omnia sua amittere, vel mortem subire. Ad aures ipsius fama beati Godehardi intonuit, & quanta Dominus pro ejus amore operaretur, ipsi innotuit. Mox ad terram se prostravit, & ejus patrocinium devotissime imploravit: factum est igitur, ut, ipsa nocte, catena, qua ligatus erat, se dissolveret. Hunc omnes in Ecclesia nostra viderunt, & sic evenisse circa eum, veraciter perceperunt.

Iisdem vero temporibus, fuit quidam paganus de ulterioribus partibus *Sclaviæ* captus, & in Havelbergensi urbe incarceratus. Hic, fama revelante, de patrono nostro audierat, & quanta Dominus pro ejus amore operaretur quocunque modo, utpote Paganus, perceperat. Hic quadam nocte mortis timore coactus, inter spem timoremque pendulus, orationem ex imo cordis ad beatum Godehardum direxit; & ut sui misereretur, devotissime exoravit. Quo facto, sine mora, ex trunco magnæ molis & fortitudinis, quo conclusus fuerat, integro remanente, quasi ex liquida re, sine læsione pedes eduxit: & qualiter id sibi accidisset, ignoravit, nec fugam ullatenus iniit. Die vero illucescente, custodes advenerunt, & non sine admiratione magna eum repererunt. Sciscitantes vero, qualiter id sibi ad invocationem nominis beati Godehardi accidisset, admirati sunt, dominoque suo retulerunt, & quid deinceps essent acturi, quæsierunt: Dominus vero compunctus tanto miraculo, gratiam impendit, ipsumque captivum sine læsione abscedere jussit. Quantos vero & quot incarceratos, & maximis compeditos compedibus Dominus per patrocinium beati Godehardi, à summa tribulatione absolverit, longum est, per scripta enumerare; cum quivis ipsa tormenta in Ecclesia nostra pendentia possit cognoscere. Quapropter non supervacaneum duximus, plurima ex his, quæ longa forent scribere, præterire, & ad alia innotescenda transire.

CAP. III.

NOn multo post ea, quæ diximus, fuit vir quidam habens filium unigenitum valde sibi dilectum; qui puerili more per campos cursitando ludebat, sed fortuito ad fossatum quoddam veniens, maxima multitudo terræ ex improviso super eum corruebat. Sed pater hæc ignorans, nec ipsum puerum domi reperiens, usquequaque quærebat; nec ullatenus eum invenire poterat. Unde factum est, ut quidam diceret, se circa fossatum puerum ludentem vidisse, nec postea comparuisse. Quo audito pater, cum festinatione, ubi ultimo puerum viderat prædictus vir, transcurrit, & magnam multitudinem terræ noviter corruisse, conspexit. Quo viso adjunctis sibi plurimis, terram cum magna festinatione retexit & puerum, nullum indicium vitæ habentem, invenit. His ita gestis, quia magnæ misericordiæ patronum nostrum beatum Godehardum fuisse audierat, illico preces devotissimas ad ipsum dirigit; adjiciens, si dominus per merita ipsius vitam pristinam restitueret, ipsum ei in perpetuum servum offerret. Quo facto, puer vitæ pristinæ restituitur, ac domum simul cum patre regreditur. Hunc postea cum patre in Ecclesia nostra vidimus; & ab ipso patre, sic de puero evenisse, certissime cognovimus.

Fuit verò tunc temporis vir quidam in loco, qui *Mindin* appellatur, adeo in hydropisi detentus, ut circiter annum in eo laboraret; & jam nihil nisi mortem speraret. Hic audito nomine beati Godehardi in adiutorium suæ infirmitatis eum suppliciter invocabat; & ut sibi in necessitate posito subveniret, humiliter exorabat. Factum est ergo non multo post, ut quidam, quem nec antea viderat, nec postea vidit, ad eum intraret; & facta incisione, tantam abundantiam aquæ ex eo manare faceret, quantam vix *tina* quis ferre potuisset. Quo facto, adhibitâ curâ, abscessit, nec deinceps comparuit. Hunc postea perfectè sanum vidimus, &, eo referente, sic circa eum evenisse, veraciter cognovimus.

Circa idem tempus, per beatum *Godehardum*, insigne contigit miraculum & dignum memoria retinendum. Nam quidam peregrinantes de *Ruzia* ad patrocinium beati Godehardi adventabant, & in die Palmarum quoddam desertum intrabant. Sed Christiano more cum divinum officium niterentur peragere; contigit, ut subito multitudo paganorum in eos irrueret, & quot quot poterant, neci traderent. Factum est ergò, ut Sacerdos, qui una cum ipsis fuerat, occumberet, & per passionem ad Dominum migraret: alii verò videntes se una interimi, licet inermes, resistere eis parabant; sed propius protectionem beati Godehardi devotissimè implorabant. Quo facto licet plures & armati contra inermes congrederentur, tamen Domino faciente, pagani se in fugam verterunt, & arma passim à se rejecerunt. Ipsi vero hoc videntes baculis, quibus utuntur peregrini, illos feriebant, & circiter sex morti tradiderunt, victoresque effecti, arma quæ à se latrones rejecerant, acceperunt, & tam scutum, quam gladium in signum victoriæ in Ecclesiam nostram detulerunt.

Non

Non multo post hæc contigit, piscatorem quendam cum puero suo *Weseram* velle transire; & solito more, utilitati suæ insistere, sed cum jam fere medium aquæ obtinuisset, tanta tempestas incubuit, ut vita [salva] se evadere dubitarit. Videns autem ventum magis ac magis insurgere, magister signum adjuotrii populo intonuit; puer vero orationem ad beatum Godehardum direxit. Factum est ergo, ut magister, qui natare noverat, confidens in populi adjutorio, submergeretur; puer vero natare nesciens per suffragium beati Godehardi liberaretur.

Tunc temporis venit quoque quædam paupercula, in civitatem nostram, de *Spirensi* loco genita, ducens secum puellulam omnibus membris debilitatam, nec prorsus incedere valentem. Quæ, dum circiter mensem in civitate nostra moram faceret, nec ullam gratiam in filia perciperet, tristis in terram suam redire instituit; quia jam se indignam audiri autumavit. Sed cum super ripam Weseræ, in loco qui *Mundem* appellatur, pervenisset, & asinum pastum misisset, filiamque de curru deposuisset, matre semota, puella, quæ antea fuerat debilis, subito se erexit, & in hæc verba prorupit: clamabat enim se gratiam beati Godehardi realiter percipere, & illum secum ibi manere. Quo dicto, omnia membra illius, quæ antea fuerant debilia, in naturalem statum sunt restituta; & ipsa integraliter est sanata. Hanc omnes in Ecclesia nostra sanatam vidimus, Dominoque de dono sibi collato laudes persolvimus.

Fuit circa principium translationis beati Godehardi quidam *Sclavus*, lumine longo tempore privatus, intra paganos moram faciens. Hic audiens virtutes, quas Deus in honore beati Godehardi operabatur, usque ad limina ejus pervenit, ac patrocinium ejus humiliter imploravit. Sed dum communes pro eo in Ecclesia nostra fierent orationes, quia noviter relicto errore gentilitatis venerat ad Sacramentum Baptismatis, factum est, peccatis nostris exigentibus, ut sanitatem non reciperet, sed omni spe destitutus post aliquot tempus domum remearet. Contigit autem, ut sui contribules, adhuc in sua gentilitate permanentes, eum visum non recuperasse viderunt, continuo in opprobrium & derisionem eum deduxerunt, scilicet quod Deum suum dereliquisset, & in alio nullam salutem invenisset. Hæc & his similia illis exprobrantibus factum est, ut prædictus vir pudore confunderetur & mortem sibi inferre niteretur. Sed, o virum omni laude dignissimum, qui & vitam temporalem ei conservavit, & à morte æterna eum liberavit. Nam dum adhuc in hac intentione permaneret, ut mortem sibi inferret, per merita beati Godehardi illuminatus, iis, à quibus prius contumeliosa susceperat, deos suos surdos & mutos exprobrabat, & se nunquam ab eis bene quid accepturos verissime confirmabat; hunc postea in Ecclesia nostra plures viderunt, & eum fuisse illuminatum verissime cognoverunt.

Contigit vero non multo post, quendam de *Polonia* ad patrocinium beati Godehardi adventare, sed dum jam ostium nostræ Ecclesiæ niteretur introire, subito à maligno spiritu est raptus, & ad terram, horribili modo, dejectus; qui dum in Ecclesiam vi duceretur, & ad tumbam beati Godehardi applicaretur, tanto furore cæpit debachari, ut quivis posset admirari. Tandem corpus beati Godehardi ad eum defertur, & signo sanctæ crucis benedicitur; & sine mora, statim cum indicio magni fœtoris liberatur.

Fuit vero tunc temporis in *Trajectensi Episcopatu*, vir quidam arti mercatoriæ deditus, qui frequenter mare transivit; & quæ sibi necessaria erant, conquisivit; hic quodam tempore maxima tempestate in medio mari deprehenditur, ab omnibus conclamatur & nil jam, nisi ultimus vitæ terminus timetur. Tandem finito aliquanto tempore resumptis viribus animæ, auxilium beati Godehardi implorabant; & argenteam navim delaturos, si evaderent, devoverunt: hos in Ecclesia nostra navim argenteam deferentes postea vidimus, & sic eis evenisse verissime cognovimus.

Contigit etiam tunc temporis in *Hollandia*, quod quodam tempore mare per inundationem influxit & infinitam multitudinem populorum submersit. Hoc quidam percipientes, in basilicam quandam in honorem S. Mariæ dedicatam sese receperunt; in qua mortem se evasuros speraverunt. Sed cum jam mare magis ac magis efflueret, & jam ipsum murum basilicæ impingeret, videntes se non posse evadere, auxilium beati Godehardi imploraverunt, quod statim evidenter perceperunt. Nam continuo mare ad solitum locum relabitur, & ne deinceps locum habeat evagandi, divinitus inhibetur. Factum est igitur, ut Dominus noster patrocinium beati Godehardi nobis non tantum in terris ostenderet, sed etiam in mari certissime manifestaret: nam, quot naves in magna tempestate deprehensas Dominus per eum liberarit, testantur adhuc cereæ naves in Ecclesia nostra pendentes. Circa idem tempus *Lotharius Imperator Romanorum legatos suos*, (f) scilicet *Eilbertum Præpositum Goslariensem* fratrem nostrum,

(f) Videtur id factum ante annum 1135. quo Legatos Imperatoris Constantinopolitani in Merseburg Lotharius excepit, & cum eis Anselmum Havelbergensem Episcopum remisit, qui anno sequenti 1136. reversus est. Obiit Lotharius 4. Dec. 1137.

ſtrum, *ad Imperatorem Conſtantinopolitanum dirigebat*, & antiquum fœdus Imperatorum, quod jam pene neglectum fuerat, inter ipſos reparabat. Hic dum mare tranſiret, & jam proſpero curſu pergeret; contigit, ut quidam famulus ipſius reſupinus de puppi caderet, & longo tempore ſub undis maris exiſtens, nulli appareret. Factum eſt ergo, dum ab undis maris eſſet abſorptus, & omnis vox eſſet interrupta, ſola intentione, qua poterat, patrocinium beati Godehardi implorabat, & ut eum à mortis periculo liberaret, devotiſſime rogitabat. Eo ſic cogitante, apparuit ei quidam *canuta* facie; educensque in ſuperficiem maris, quod ante non noverat docuit natare. Videntes autem, qui in navi fuerant, velum relaxabant, & minori nave, quæ eos comitabatur, usque ad eum pervenerunt. Sic prædictus famulus à morte, jam pene abſorptus, eripitur, & miro modo vitæ reſtituitur. Hunc omnes poſtea in Eccleſia noſtra vidimus, & circa eum ſic eveniſſe, veris aſſertionibus cognovimus.

Non multo poſt tempore contigit, in *Ungaricis regionibus* celebrari miraculum, & dignum memoria retinendum. Nam Comes quidam illius regionis, filium habuerat, in quo omnem ſpem temporalem & fiduciam poſuerat. Contigit vero eum ægrotare, & jam usque ad mortem periclitari. Factum eſt igitur, dum omnes ſolicite, nocte dieque circa eum vigilarent, & inter ſpem timoremque hæſitarent, ut puer morti appropiaret; & quadam die, circa horam primam expiraret. His ita geſtis, dum omnes luctum lamentaque geminarent, & quæ exequiis erant neceſſaria præpararent, forte quidam vir de *Bavarica regione* advenerat; qui & ipſum puerum de ſacro fonte levaverat. Hic igitur videns incomparabilem dolorem patris & matris miſertus eorum, cæpit eis nomen beati Godehardi intimare; & quantam gratiam fidelibus in eum ſperantibus Dominus adminiſtret, devotiſſime annunciare. His auditis, ſine cunctatione pater & mater, firma fide ad terram ſe proſternunt, miſericordiam beati Godehardi devotiſſimè implorant, ſeſeque devovebant, cum ſuis oblationibus ad limina ipſius iter inſtaurare, ſi ad priſtinam vitam per ejus patrocinium filium ſuum poſſint recuperare. His finitis, jam veſpertinum tempus advenerat, cum inſperato modo, puer ad vitam priſtinam redit; &, quod mirabile dictu eſt, ſine indicio læſionis de lecto ſurrexit ægritudinis. Votum vero quod prædictus pater & mater fecerant, ſine mora adimpleverunt, & oblationibus non modicis limina beati Patroni noſtri Godehardi viſitaverunt. Nos in Eccleſia noſtra honorifice ſuſcepimus, & ſic eis contigiſſe, veraci relatione cognovimus.

Circa idem tempus, dum tanta miracula per beatum Godehardum florerent, contigit duos viros, nimia potatione ingurgitatos civitatem noſtram exire, & ad proximam villam velle tranſire; qui dum medio campo conſiſterent, alter ipſorum fortuito os invenit, quod ſublevans manu, per horam ſecum portavit. Sed videns ipſum *os eſſe magnæ pulchritudinis, & candoris, dicebat ſe terram velle pertranſire, & omnibus notificare, ſe Reliquias noſtri Patroni deferre & ſic temporale lucrum, ut cæteri, acquirere.* Quo dicto, ſine mora in veſaniam raptatur, & loquens aliena, domum deducitur, & mala morte proxima nocte traditur. His auditis maximus terror hominibus incutitur, &, ſi qua dubietas cordibus ipſorum de noſtro patrono irrepſerat, omni modo ab eis eliminatur.

Fuit temporibus illis, piſtor fratrum, *Adelwardus* nomine, ad cujus hoſpitium peregrini quidam declinaverunt; & hoſpitali more, ſecum nocte permanſerunt: qui, dum equos ſuos ad aquandum deducerent, filium eius adhuc parvæ ætatis exiſtentem, caballo impoſuerunt, & patre ignorante, abduxerunt: qui dum equos adaquarent fortuito infans exterritus, de caballo præcipitatur, & ſine mora undis ſubducitur: &, ubi quæri poſſit, ab omnibus ignoratur. Sed peregrini non valentes puerum reperire, triſtes domum redeunt, patrique, quæ circa filium evenerant, nunciaverunt. Quibus auditis, pater concito ſurgit triſtis ad aquam pergit, navimque longe ſubductam requirit; &, ut filium ſaltem mortuum, cum non poſſet vivum, advenire elaboravit. Qui dum diu puerum in loco, ubi deciderat, quæreret, nec inveniret, ad terram rediit, uncum quæſivit; quo reperto, poſt longum ſpatium puerum invenit. His ita geſtis, in domum proximam declinavit; ibique puerum mortuum & nullum vitæ ſignum habentem, depoſuit, tantumque, quæ exequiis neceſſaria erant, ſolicite quæſivit. Dum hæc ſic geruntur, mater pueri cum cæteris mulieribus, quarum magna multitudo domum introierat, miſericordiam Domini & beati Godehardi implorat; & ut ſolitam benignitatem, quam omnibus impenderat, non ſibi ſubtrahat, devotiſſime exorat. Quid plura poſt? parvum tempus, puer ſingultus emittit; aqua, quam hauſerat, cum magno impetu effluxit; & tandem vitam priſtinam reſumpſit.

Fuit vero circa idem tempus vir mercatoriæ arti deditus, qui negotiando, diverſas terras pertranſibat; & ſibi ſuisque victum difficulter quærebat. Contigit vero, ut hic quodam tempore cauſa mercaturæ, cum pluribus aliis inter paganos tenderet, & poſſeſſionem non modicam ſecum deferret. Qui dum proſperato itinere, pergerent, contigit eos vaſtam ſolitudi-

nem

nem introire: ubi non modicam multitudinem paganorum obviam habuere. Quod videntes, ad arma concurrerunt, defensacula undique sibi præparaverunt, sed multitudini illorum resistere non valuerunt. Tunc vero quosdam ex ipsis morti dederunt, quosdam corpore truncaverunt, quosdam captivaverunt; bonaque ipsorum diripuerunt. Inter quos captivos prædictus vir, cum quodam puero, filio fratris sui, captivatur, & in remotissimas partes paganorum deducitur; ibique in quadam *Insula Oceani* detinetur. Vbi, cum diu servili opere desudaret, & unde eriperetur, non haberet; utpote ubi mare undique circumflueret, nec ullum locum evadendi inveniret, tandem se ad patrocinium beati Godehardi Patroni nostri iturum devovet, si, per quam partem manus illorum effugere posset, illi demonstraret. His ita gestis, quadam die, dum circa littus maris angustiando & orationibus insistendo deambularet, cymbam parvam in obscuro loco littoris invenit, in qua se mare transire, Dei adjutorio speravit; sed quia mare magnum, & spatiosum fuerat, tantum periculum attentare trepidabat, seseque orationibus beati Godehardi commendabat, petens, ut animo illius inspiraret, & competentia adminicula ei præpararet, quibus tantam tribulationem evadere potuisset. His finitis jam nox advenerat, cum jam fixo animo se ad fugam præparabat, acceptis igitur duabus lanceolis, & panno de calcitra abstracto, ad puerum filium fratris sui, qui in alia villa morabatur, pergit eumque secum abduxit. Sed cum ad naviculam venisset lanceolis & panno, quem secum portavit velum adaptavit, & sic se misericordiæ Domini & beati Godehardi commendavit. Quod videntes, qui in Insula commorabantur, eum subito prosecuti sunt: sed Deo adjuvante, eum comprehendere nequibant; domumque infecto negotio, remigabant. Prædictus vero vir, non immemor, quod Deo voverat, sine mora ad patrocinium beati Godehardi veniebat, & lanceas & pannum, unde velum fecerat, in memoriam tanti miraculi in Ecclesia nostra suspendi rogabat.

Interea hæc dum aguntur, & memoria beati Godehardi valde celebris habetur, contigit, ut *Archiepiscopus Coloniensis Henricus* (g) nomine, civitatem nostram, cum non modica manu cleri & populi pertransiret: & prædicta miracula, quæ per eum fiebant, cognosceret. In conventum ergo fratrum nostrorum venit, & fraternitatem nostram devote postulavit. Ad cujus fraternitatis confirmationem, dari sibi de reliquiis beati Patroni nostri humiliter petiit, promittens se facturum, ut in omni diæcesi sua celebris haberetur, & congruus honor tanto viro exhiberetur. Sed quia petitionem ejus propter absentiam Pastoris nostri distulimus; & tunc nos satis facturos voluntati ipsius polliciti sumus, ubi is adesset, non multo post tempore dominus noster cum in conventu nostro hæc supradicta cognovisset, petitioni Archiepiscopi acquievit, & quæ ab eo postulabantur, sibi donari præcepit. Mox Abbas beati Godehardi ad eum cum portione reliquiarum transmittitur, & ab eo devotissimè suscipitur. Hanc vero portionem Archiepiscopus in terram Nativitatis suæ, id est, in *Sueviam* transmisit, *ibique quandam Ecclesiam in honorem ipsius instituit*, ad quam cum multi confluerent, & certissimam salutem animæ & corporis recuperarent, contigit, ut quadam die, cuidam viro manus abscinderetur adeo, ut nec minima particula corpori jungeretur. Videns ergo mancum se esse, manum arripuit, & fide firmata eam ad truncum apposuit, & ad eandem Ecclesiam ad patrocinium beati Godehardi migravit; ubi, cum devotissimè misericordiam ipsius imploraret; contigit celeberrimum miraculum, ut trunco manus conglutinaretur, & in pristinum statum restitueretur.

Vir quidam honestus, cujus nomen *Theodoricus*, civis Hildeneshemensis. Hic devotione singulari motus, *fraternitatem* instituit *S. Godehardi*; & in eam utriusque sexus homines induxit, tribuens de propriis eleemosynam pauperibus satis largam in festo dicti Pontificis Godehardi. Hic in infirmitate quadam decumbens, quæ phthisis dicitur, à medicis derelinquitur, qui de vita ipsius desperabant. Quadam vero nocte, quam pene duxit insomnem, apparuit ei S. Godehardus in habitu pontificali, dicens ei: Quid agis frater? Cur sic jaces prostratus in lecto? Cui Theodoricus respondit: Infirmitate gravatus valida, aliud non possum, quam prostratus jacere; sed rogo te, sancte Godeharde, ora pro me. Cui vir sanctus ait: Surge in nomine Domini nostri Iesu Christi; & vade ad Ecclesiam, & ostende te Confratribus tuis; & dic eis, quia Dominus Iesus meritis meis te sanavit, eo quod honorem meum in hac infirmitate procurasti. Insuper dic eis, ut in inceptis perseverent; & ego frater eorum ero, & defensor ab hoste maligno, & ab omnibus, quæ honorem, vitam sive famam eorum lædere possunt; & apud Deum intercessor ero semper. Dictus autem infirmus surrexit, & quod ei dictum fuerat, fecit. Et omnes, qui audierant verbum, Deum benedicebant, qui talem eis patronum dedit, & intercessorem. Dictus autem Theodoricus sanus & hylaris postea vixit annis multis; devote Deo & S. Godehardo se commendans.

(g) Henricus Comes de Molenark S. Engelberti successor, electus est anno 1225. mortuus 1237.

Magister *Joannes* Decanus *Aquensis*, (h) cum scholaris esset, tam graviter quodam tempore infirmatus est, ut confessus & inunctus, nihil ei nisi mors videretur. Qui cum materia rapta esset in cerebrum, solus jacens in *excessum* venit; Viditque homines sibi ignotos intrare, qui lances, quas manibus portabant, cum lignis brevibus & quadratis ante ipsum ponebant, stantibus ipsis ex una parte lectuli, contemplatus est introire tres inclitos Confessores, sanctum videlicet *Martinum Turonensem*, & *S. Godehardum* Episcopum Hildeneshemensem, beatumque *Berwardum*; qui eum parte ex altera circumstetere. In quorum conspectu puer Joannes uni imponitur Lanci, & *ligna ponderis* (i) alteri. Cumque elevata statera juvenis æger minus habens inventus est, prædicti confessores puerulum parvum & mendicum sinui ejus imposuerunt, qui simul lancem adversam mox suspendentes, lignis graviores apparuerunt. Statimque Joannes qui mihi hanc visionem retulit, in sudorem erumpens crisin fecit, & de eadem infirmitate citius convaluit.

Postremum miraculum editionis Lipsianæ, vitæ brevioris.

ANno Domini MCCCXXXVIII. *Civitas Pataviensis* per *Episcopum Pataviensem* (k), cum multa armatorum militia circumvallata sic artabatur, quod populus in ea desperatus de salute, hostibus suis se tradere volebat. Contigit autem ut unus inter eos in S. Godehardo specialem gerens fiduciam, & inter majores civitatis residens diceret: Audivimus multa pietatis insignia, & salutaris auxilii augmenta non modica, quo modo S. Godehardus hac nostra ortus terra, immo de hac nostra diœcesi multis adstitit tribulatis, & consolationem ab eo receperunt, ut multis est notissimum. Expedit ergo, ut & nos ipsius adjutorium imploremus, petentes devotione supplici, ut clementer nobis adsistat & iram Dei, per quam meruimus hanc calamitatem, à nobis avertat. Placuit omnibus verbum senis; ejusque omnes favent hortamento. Et votum fecerunt unanimiter, se missuros aliquot de civibus cum oblationibus, petentes, ut eis in necessitatibus suis citius subveniret. Quo voto emisso, mira ubertate se invenerunt consolatos. Nam generosus Princeps *Dux Bavariæ* (l) veniens, negotium intercepit; & inter Episcopum Pataviensem, & cives dictæ civitatis ab eo obsessæ, treugas constituit amicabiles. Sicque præsul abcessit, & civitas pace gaudebat insperata. Sed & medio tempore dictus *Dux Bavariæ* pacem inter Episcopum & civitatem inceptam confirmavit, & consolationem hominibus utriusque sexus condonavit. Cives autem dictæ civitatis, suos, ut voverant, ad sepulchrum miserunt S. Godehardi, cum votivis oblationibus, omnibus ibidem narrantes, qualiter suffragiis S. Godehardi de tribulatione maxima subito fuerint liberati.

Appendix, alia manu asscripta de miraculis, quæ ad reliquias Sancti longius exportatas acciderunt.

SCire volentibus quæ, & quanta Dominus operari sit dignatus per merita beati Godehardi. Cum essemus in Provincia Trajectensi, & in aliis locis, habentes nobiscum venerabiles reliquias ejusdem, breviter quædam annotare curavimus.

Honorabilem virum *Abbatem in Dokinge* curatum evidenter cognovimus à fluxu sanguinis, quo vehementer & diu laborarat. Per ejus suffragium matronam etiam quandam, quæ bona spe easdem reliquias ad se deferri petiit, Deus à duplici morbo, hydropico, & podagrico, quo diu laboraverat, ejusdem meritis potenter atque evidenter liberavit.

Præterea zonis multorum applicatis ad easdem reliquias & appositis ad membra infirmorum tam sæcularium, quam claustralium, in continenti sanitatem recepisse noscuntur; videlicet infirmi laborantes quotidiana, tertiana, dolore capitis, oculorum, dentium, & cæterorum membrorum.

Cum fæmina quædam inter concives suos, dantibus nobis confraternitatem, more solito, ab ipsa se absentaret, monita per visum à beato Godehardo, cur se tanto beneficio privari vel-

(h) Antvverpienses putant hic non Aquisgranum, sed locum Westphaliæ, *Aken* vocatum intelligi.

(i) En *lignea* pondera; cum hactenus sola plumbea, ferrea aut lapidea in usu fuisse sciverimus.

(k) Erat is Albertus Saxoniæ Dux ex Agnete Rudolphi Habspurgii filia natus, cui suus amitinus Albertus Austriacus occupatam Patavinam sedem cessit an. 1322.

(l) Existimant Antvverpienses indicari Ludovicum primogenitum Ludovici Bavari anno 1314. Imperatoris electi contra Fridericum Austrium. Certe congruum est, illum, dum pater Imperatorem se diceret, Ducis titulum gessisse; cui & Marchionis Brandenburgici appellatio accessit.

vellet? Et respondens, quod nihil offerendum haberet, audivit, ut mane surgens, quicquid apud se inveniret, offerret; sicque in bursa duos gravioris monetæ nummos inveniens, obtulit, & idem factum coram populo professa est.

Vir etiam quidam magnus, nobis valde contrarius existens, cum populum à nobis avertere, & negotium nostrum omnimodis impedire studeret, ita per inflationem gutturis, & totius capitis periclitari cæpit, ut jam pene deficere videretur; donec in se rediens & corde pœnitens, per suffragia beati Godehardi ab ipsius mortis faucibus liberatus, errorem suum devotione & humilitate correxit.

Quædam mulier cum geminos generaret, uno soluta, ante nostrum adventum, tribus diebus cum altero periclitari cæpit, sed nobis advenientibus attactu zonæ sanctis reliquiis appositæ in continenti enixa dinoscitur.

Præterea cum *major Ecclesia Trajectensis suspensione divinorum longo tempore nimis turbaretur* (m); *propter adventum reliquiarum beati Godehardi divina resumpsit:* & toti populo ingens gaudium tribuit, in dedicatione videlicet ipsius Ecclesiæ.



XXXVI.

VITA MEINWERCI EPISCOPI PATERBRVNNENSIS

I.

POsteaquam Mediator Dei & hominum carnem sumere, & crucem subire pro salute dignatus est omnium: discipuli ab ipso electi & dilecti, post ejus gloriosam ascensionem, Spiritus sancti visitatione & consolatione confortati, & omni scientia veritatis sunt imbuti, secundum ipsius promissionem: ut per eos salvarentur ante mundi consummationem, qui salvandi per gratiam præordinati erant ante mundi constitutionem. Quorum prædicationis instantiâ, conversa sunt ad Deum innumerabilia multorum hominum millia; agnitaque fide Christianæ religionis, respuerunt cultum antiquæ superstitionis. In cujus unitatem fidei, cum diversarum terrarum & linguarum alacriter & salubriter convenirent populi, convenit quoque magna clementis Salvatoris clementia, sedulaque magni Karoli multimodi laboris instantia, gens Saxonica: quam ad credendum eo compulit difficilius, quo id genus hominum natura animi erat ferocius. Subjecta autem jugo fidei, facta est sacerdotibus tributaria, quæ tributa aliorum exegerat temeraria; cœpitque sua pro Christi amore Christianis tribuere, quæ raptu aliorum solebat vivere. Destruuntur hinc fana idolorum, & exstruuntur oratoria Sanctorum; designantur parochiarum termini; constituuntur Episcopalium sedium in locis congruis tituli; in quibus rudis adhuc in fide populus, ne ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus monitis imbueretur, & servientium Deo multitudo, numero & merito quotidie augeretur. *Inter omnia vero loca principalibus Ecclesiis constituendis destinata, speciali quadam dignitate Patherbrunnensis sedes præeminebat; quæ semper magnorum titulis signata virorum*, præ cæteris terris undique secus circumjacentibus, frequenti & varia nemorum diversitate, agrorum ubertate, cum omnium frugum fertilitate, saluberrimorũ fontium in unum locum inibi latitudine & amœnitate incomparabili confluentium, aliorumque multorum per quasque vicinias id locorum concurrentium numerositate excellebat. Cujus jocunda amœnitate, placidaque aëris temperie *Rex* delectatus, *pro publicis disponendis negotiis inibi sæpius est moratus: positisque regali magnificentia principalis Ecclesiæ fundamentis*, magno erga Deum suæ dilectionis indicio, talem locum jure belli acquisitum, magis Ecclesiastico quam proprio deputavit servitio. Cum autem noviter factæ conversionis messis multa, novellæ vero plantationis operarii essent pauci, *locum eundem tuitioni Præsulum Wirciburgensis Ecclesiæ commisit*, sub quorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa viæ intercapedine, publicaque variorum negotiorum necessitudine, proficere potuit. Unde Rex cum suis habito & inito consilio, eundem locum

(m) Qua de causa Trajectenses jussu Papæ per Abbatem Insulæ S. Mariæ anno 1428. excommunicati fuerint, vide ap Hedam.

proprii Pastoris vigilantia tuendum & gubernandum adjudicavit: præposuitque ei anno, Salvator mundi postquam de virgine nasci dignatus est, *septingentesimo nonagesimo quinto*, præfatæ Wirciburgensis Ecclesiæ Canonicum, rus rudis in fide adhuc populi exculturum *Hathumarum*: cujus pontificatus anno quarto, Dominicæ vero Incarnationis *septingentesimo nonagesimo nono*, beati Petri Apostoli vicarius *Leo*, ejusdem nominis *tertius*, injusta civium suorum perpessus odia, in *Patherbrunna Regem Karolum* adiit; susceptusque ut par erat, cum ingenti honore & gloria, religiosum ac salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Apostolica authoritate firmavit; atque in crypta ibidem noviter constructa, quoddam altare consecrans, adorandas in eo protomartyris Stephani reliquias, quas Roma secum attulerat, in privilegium Apostolicæ consecrationis collocavit. Tale fundationis Patherbrunnensis Ecclesiæ, tam Apostolica benedictione, quam imperatoria sanctione, incrementum per seculorum secula, virtutum omnium cum dilectione Dei & proximi accipiat augmentum; sitque ei Petrus Petra Ecclesiæ, contra portas errorum omnium firmamentum, ut *in templum sanctum in Domino crescat ædificatio constructa super* ipsius *fundamentum*. Eph. 2. v. 21.

II. Beato vero *Hathumaro* nono Episcopatus sui anno, Dominicæ Incarnationis *octingentesimo quarto* è hac luce subtracto, atque ad perennem, ut credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius nomine *Baduradus*, qui ex nobili Saxonum prosapia ortus, ex prædictæ Wirciburgensis Ecclesiæ clero fuerat electus. Qui præclaræ morum, nobilitatis, magnanimitatis, & industriæ merito, familiaritatem Karoli Regis intime consecutus, tantæ dignitatis & dilectionis apud eum locum promeruit; ut ei non minor facultas quam voluntas amplificandæ, provehendæ, atque adornandæ Ecclesiæ sibi commissæ suppeteret. Unde nihil laboris studiique sui subtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad laudis divinæ augmentum, atque utilitatem Christiani populi pertinere agnovit; Ecclesias videlicet per omnem parochiam suam sub celeritate construere; principalem basilicam, ingenti decore, & grandi opere extollere; res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare; augmentare Clerum; disciplinam monasterialem instituere; pueros, tam nobiles, quam inferioris conditionis in scholam congregatos in divinæ legis eruditione nutrire. Ejus Pontificatus anno decimo, Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo quarto, gloriosus Imperator *Karolus* Pater Patriæ, Apostolus gentis Saxonicæ, anno regni sui quadragesimo sexto, ab urbe Roma condita millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, ab hac luce migravit; æternæ vitæ gloriam, & perpetuam futurorum habiturus memoriam, pro multimodis indefessi laboris studiis, quibus fines Christianæ religionis promovit & dilatavit.

III. *Baduradus* autem venerabilis Pontifex virtutum imitabilis artifex, utiliter cæpta feliciter consummans, anno Episcopatus sui quadragesimo octavo migravit ad Dominum: rexitque post eum annis viginti sex *Luithardus* jam dictæ dicendæque civitatis populum. Cui succedens *Biso* nomine, præfuit viginti tribus annis ipsi Ecclesiæ; rexitque eandem post eum *Thiedericus* annis novem. Sexto loco succedens *Vnwanus* fuit novendecim annis Episcopus, septimoque *Dudo* nomine, annis viginti quinque, virtutes octo beatitudinum docturus populum. Octavo loco viginti septem annis præfuit *Folcmarus*; successitque annis viginti octo consilii sui excellentia dispersa collecturus *Retharius*. Decimo loco magnorum operum auctor & patrator sibi suisque *Meinwercus* successit utiliter; qui decalogi legalis vel gratiæ spiritualis perfectionem, per Dei & proximi dilectionem adeptus est feliciter. Hujus laudum & meritorum præconia cum aliis, & præ aliis suscipiat Ecclesia: ejus amori insistens & devotioni, cujus illi honori institit & promotioni. Hæc ergo veraciter posteris intimari, animosque fidelium exemplis priorum decet excitari: ut qui virtutum culmina adipisci desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant.

IV. Germania post Scythiam inferiorem sumens initium, à flumine Danubio, desinit in Rheno: terra dives & populosa, quæstuosa pariter & bellicosa. Hæc majorum solertia, divisione distincta bifariâ, superiorem habet terminum juxta septentrionalem Oceanum; inferiorem circa *Renum*, finem sui faciens in mari, quod Galliæ Britanniæque prætenditur littoribus, ex quo quaque versus omnium terrarum patet exitus. Ad hujus inferioris Germaniæ septentrionalem tractum *Trajectensis diœcesis* est terminus, locus navium & vectigalium commeatibus quæstuosus; magnorum & nobilium virorum gloria, quam in defensione gentis suæ & patriæ magnanimiter adepti sunt, insignis & famosus. De quorum nobili prosapia ortus est *Imed* in eadem provincia: qui virtutis & probitatis majorum suorum factus hæres legitimus & strenuus, *Comitatum* suo tempore in ejusdem provinciæ administravit partibus. Qui tantæ nobilitatis lineam propagari, nominisque sui memoriam & posteritatis gloriam cupiens nobilitari; cum multiplici divitiarum apparatu, ac possessionum prædiorumque reditu, nobilem duxit uxorem de terra Saxoniæ, *Athelam* nomine: de qua processu temporis genuit *Thiedericum*

dericum & Meinwercū; Glismod & Azelam. Thiedericus autem paternæ dignitatis & facultatis hæres designatus; *Meinwercus* in Ecclesia beati Stephani protomartyris in civitate Halverstadensi ad clericatus officium à parentibus est oblatus. *Azela* vero castitatis æmulatione agnum secutura, Sanctimonialium cœtui in Ecclesia pretiosi Martyris Viti *Eltenæ* associatur. *Glismod* autem tricesimum fructum pudicitiæ matronalis adeptura, cujusdam nobilis principis in Bajoaria matrimonio copulatur.

Meinwercus igitur liberalibus studiis & spiritualibus imbuendus disciplinis, in præfata Halverstadensi Ecclesia tenerioris ætatis rudimenta; provectioris vero in Ecclesia Hildeneshemensi peregit: Ubi *Heinricus filius Ducis Bajoariæ Heinrici*, cum aliis plurimis, honori & decori Ecclesiæ Christi suo tempore profuturis, secum theoriæ studiis continuam operam dedit. Quàm liber autem & integer à vitiis, & in puerili & in juvenili ætate vixerit; qualis quantusve inter coævulos, vitæ sinceritate morumque probabilitate, conversatus fuerit, variis hinc inde quæsitis laudationum fucis eum colorare non convenit; cum indiciis operum evidenter postmodum claruerit, quale fundamentum domus suæ in eo sapientia Dei collocaverit. Acceptus autem de scholis, vixit in prædicta Halverstadensi Ecclesia sub Præposito canonicæ legis, omnibus carus & amabilis, aspectu & colloquio affabilis, actu & eloquio irreprehensibilis.

V. Eo tempore monarchiam Romani Imperii *Otto* ejusdem nominis *secundus* strenue gubernabat; armis strenuus, fide Catholicus; non minus divinis, quam humanis rebus deditus. Qui postquam *III. Idus Iulii* contra Saracenos in Calabria periculosissime dimicans, multis suorum amissis, ipse vivus vix evasit, *septimo Idus Decembris sequentis anni, Dominicæ Incarnationis videlicet nongentesimo octogesimo tertio, regni sui decimo, indictione duodecima, obiit*, & filium suum ejusdem nominis successorem dereliquit. *Heinrico* Duce Bajoariæ, qui priori anno, mortuo patre suo *Ottone* Duce, ducatum obtinuerat, regnum invadente, sed victo, desistente. Rex autem puer in proximo natali Domini, ipsa sancta die, unctione *Joannis Ravennatis Archiepiscopi* Aquisgrani Rex consecratus, paternæ virtutis & industriæ vestigia per omnia est imitatus: non minus Christianæ religioni humiliter inserviens, quam regni negotiis solerter insistens.

VI. *Meinwercus* autem regia stirpe genitus, regio obsequio, morum elegantia idoneus adjudicatus, evocatusque ad palatium, regius Capellanus efficitur, ut Deo ordinante longius innotesceret, qui longius expetendus erat; fieretque in negotiis tam spiritualibus quam sæcularibus ætate doctior, usu tritior, processu temporis sapientior. In quo, cum irreprehensibiliter conversaretur, & regalis celsitudo, & procerum multitudo eum reverebatur; utpote cujus benevolentiæ ancillabatur humilitas, gravitatem temperabat affabilitas; in cujus ore veritas & dulcedo; in cujus corde pietas & mansuetudo; in cujus moribus & scientia verborum & operum regnabat concordia. Omittantur extrinseca, licet enim in consideratione singularitatis præterire communia. Præ participibus suis in domo Domini exaltandus, participio Sancti Spiritus erat primitus exornandus: ut videlicet esset discretione providus, actione præcipuus, moribus approbatus, virtute perfectus, humilitate communis, compassione singularis, mansuetudine lenis, auctoritate gravis, patientia amabilis, vindicta pro zelo justitiæ terribilis. Qui pectus haberet consilii, acumen vivacis ingenii, Atticos flores vernantis ingenii, præter alia innumera his similia, quibus immorari non convenit, ne quid præter veritatem, mera veritatis assertio intendisse videri possit. Rex autem hujusmodi virtutum insignia sapienter animadvertens, & eum regia liberalitate honorare dignum ducens, interventu Geptæ venerabilis Abbatissæ duos Mansos regales in *Lutterun* in pago *Wentsgoi* dicto, in Burwardio quoque *Dalehèim*, in comitatu *Herieldi* comitis, ei donavit, de quibus sibi regiæ concessionis & confirmationis præceptum conscribi & contradi mandavit; suæ sinceræ dilectioni perhibens testimonium relatu dignum; quod videlicet suam vitam diligeret ut propriam.

VII. Eo tempore *Rethàrius Paterbrunnensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus*, inter alios quamplures, qui scientià præditi, moribus adornati, secundas partes regni strenuè adjuvabant, enituit: qui nomen Episcopi officio tenuit, moribus implevit. Denique cura pervigili, intendens commisso gregi, in collectione dispersorum, in conservatione congregatorum, operam continuam dedit: & ab eodem *Ottone Rege* aliisque fidelibus donaria non modica diversis temporibus acquisivit. Volens autem Ecclesiam suam, super Apostolicam petram fundatam, Apostolicæ tuitionis præsidio artius communire, privilegium Apostolicæ confirmationis super bona & jura Ecclesiæ suæ à *Joanne Papa* ejusdem nominis *octavo decimo*, anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXC. episcopatus illius tertio, Indict. quartà, petiit & obtinuit: ut si aliquando mundanæ turbulentiæ eam cornibus suis impeteret aries, tantæ auctoritatis rejectus fortitudine dissiliret ut glacies. Electionem quoque Episcoporum inter ejusdem, & ab ejusdem Ecclesiæ filiis faciendam, quam eis diversi Reges diversis temporibus liberaliter & legaliter concesserunt,

runt, (*Karolus* videlicet *Crassus*, interventu *Bisonis Patherbrunnensis Episcopi*, sexta Id. Decemb. an. Dominicæ Incarn. DCCCXXCV. Indict. quarta, anno, ex quo patre suo *Hluthowico* ejusdem nominis secundo mortuo, cum fratribus suis *Karlmanno* & *Hluthowico* de regno altercari cœperat, nono; ex quo *Karlmanno* mortuo, à *Joanne* Papa in Imperatorem unctus fuerat, quinto; ex quo fratre suo *Hludowico*, XIII. Kal. Febr. mortuo, totius regni Monarchiam, nullo resistente suscepit, quarto: *Otto* ejusdem nominis secundus, XV. Kal. Febr. rogatu *Folcmari ejusdem civitatis Episcopi*, an. Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIV. electionis suæ XIV. Imperii primo, Regni septimo,) Indict. quarta, idem Papa eodem privilegio confirmavit: ut si unquam aliquis in ovile ovium aliunde, quam per ostium introiret, excommunicationi subjaceret.

VIII. Qualis autem in hujusmodi studiis Episcopi intentio fuerit, adversitas probavit: quæ non segnius, immo multo instantius in adversis quam prosperis, Ecclesiæ eum commissæ in omnibus fideliter & utiliter prospicere, veraciter demonstravit. Denique quocunque Dei Judicio, sive malitia inhabitantium exigente, sive saluti mortalium Deo per id consulente, anno dominicæ Incarnationis millesimo, Ordinationis ipsius *Rhetarii Episcopi nonodecimo*, regni *Ottonis* III. decimo septimo, Imperii quarto, Indict. XIII. *civitas Patherbrunnensis* primum incendio vastatur; nobileque principalis Ecclesiæ Monasterium præcipui operis & decoris, à *Karolo* M. fundatum, à beatæ vero memoriæ *Badurado* Episcopo consummatum, & XIV. Kal. Novemb. dedicatum, cum libris, privilegiis, plenariis, aliisque Ecclesiæ ornamentis propemodum conflagravit.

IX. Ipso anno Imperator tempore quadragesimali causa orationis ad S. *Athelbertum* Slaviam intravit, ibique, coadunata Synodo, *septem Episcopia* dispósuit; & *Gaudentium* Monachum, fratrem B. *Athelberti Archiepiscopi*, qui ante triennium à *Prucis* martyrizatus fuerat in *Prago*, *Archiepiscopum* ibidem constituit. Inde Italiam pertransiens *Romam* intravit, ibique Natale Domini condecenter celebravit. *Rhetarius* ergo Episcopus captâ loci & temporis opportunitate, quo tam apud Apostolicæ sedis authoritatem, quam apud imperialem majestatem Ecclesiæ suæ calamitates defleret, missis nuntiis, utrisque quæ acciderant, innotuit: &, ut antecessorum suorum constituta super immunitate Ecclesiæ ejusdem renovarent, & renovata præceptorum suorum auctoritate confirmarent, expetiit. Qui incendio Ecclesiæ & civitatis audito intimè condoluerunt, & roganti benignissime annuentes, omnia, quæ eidem Ecclesiæ eatenus honori vel usui servierant, confirmaverunt. Videlicet de Episcopatus statu; de tuitione atque mundiburdio S. Dei Ecclesiæ, & perpetuæ Virginis Mariæ; de decimis; de omni proprietate ad eandem Ecclesiam pertinente; de electione Episcoporum inter Clericos ejusdem Ecclesiæ facienda; de ejus hominibus tam liberis quam & servis nulla judiciaria persona constringendis, nisi coram Advocato, quem ipse Episcopus elegerit; de proprietate Clericorum, si quis illorum sine hærede obierit, (eidem Ecclesiæ concessa) de Comitatibus super pagos *Patherga*, *Aga*, *Threveresga*, *Auga*, *Sorethfeld*, datos pro decimis Novæ Corbejæ, ad Monasterium pertinentibus; de tribus mansis in *Thiusburg* & in *Trutmannia*; de foresto, quod incipit de *Delchana* flumine, & tendit per *Osnig*, *Ardennam* & *Sinethi* usque ad viam, quæ ducit ad *Herisi*. Hæc ergò & alia omnia, quæ Ecclesia illa die, quando combusta est, habuit, vel deinceps habitura erit, confirmantes, confirmata per manus Notariorum suorum & Cancellariorum sub firma adstipulatione, sigillorumque suorum impressione roboraverunt; & Romæ data Kalendis Januarii Episcopo suæque Ecclesiæ, anno Dominicæ Incarnationis MI. Pontificatus *Sylvestri* Papæ secundo, regni *Ottonis* III. Regis decimo octavo, Imperii quinto, Indictione XIIII. transmiserunt.

X. *Anno illo* Rex in partibus Italiæ commoratus, mortis periculo est præventus: quo profecto illo tempore caruisset, si beati *Heriberti Coloniensis Archiepiscopi* monitis obtemperare voluisset. Mortis autem illius occasio hæc fuit. Ante quinquennium, Dominicæ incarnationis videlicet annum *nongentesimum nonagesimum sextum* Rex ad mitigandam sævitiam Crescentii Romam venit, & tumultu oborto decenter sedato, *Brunone* Papa defuncto, *Brunonem* cognominatum *Gregorium*, *Ottonis Ducis filium*, in sedem ejus locavit, & ab eo imperialem unctionem accepit. Imperatore autem Romam egresso, proximo anno, consiliante Crescentio, *Joannes Placentinus Episcopus* contra velle Imperatoris sedem Apostolicam invasit. Unde iterum Imperator Romam veniens, proximo anno prædictum Joannem invasorem cæcatum, & nasu truncatum deposuit, & Crescentium cum duodecim suis decollatum ante urbem suspendi jussit. *Bruno* autem, qui & *Gregorius*, ab eo restituitur, sed post discessum ejus à Romanis expulsus, ac deinde veneno peremptus: postquam annos fermè duos & menses novem Romanam Ecclesiam rexerat, *quartâ Idus Martii* moritur; eique *Gerbertus*, qui & *Sylvester* dictus est, successor eligitur. Rex ergo cum isto Sylvestro Papa Natali Domini *Tudertinæ* celebrato,

cum

cum confusionem tam in beati Petri Ecclesia, quam in Republica factam decenter composuisset, incidit in insidias mulieris malæ, ejus videlicet, cujus virum Crescentium sibi rebellantem captum jusserat capitalem subire sententiam: quam formæ elegantissimæ nimis insipienter thoro suo socians, ab ea non præcavens, quamvis à sancto viro *Heriberto* sæpius esset admonitus, veneno intra cubiculum dormiens, infectus est. Et sequenti die, beato Heriberto pestem quam perceperat, confessus, cum se mori sensisset, ut corpus suum *Aquisgrani* sepeliendum transferret, petiit: & sic *Paternum* ingressus, cum generali omnium dolore *nono Kalend. Februarii* obiit.

XI. Ante successionem autem futuri Principis confusum est regnum nimis; insonuitque inter principes tempestas validæ commotionis propter ambitionem inanis dominationis: de quibus *Ekkihardus Marchio* usurpator regni *Palithi* interfectus occubuit, & Cuonradus unus de primoribus regno expulsus, aliquamdiu ab eo exultavit *. *Herimannus* quoque *Dux Suevia* non expers fuit tantæ discordiæ, qui dum ipse regnare voluit, electioni generali impedimento fuit. Quidam etiam princeps, *Bruno* nomine, regni fastigium obtinere voluit, sed effectu carens, multis votis ejus non faventibus, & præcipue beatæ memoriæ *Berenwardo Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo*, in hominibus & bonis ejus multa mala intulit, sed serenante Altissimo & mediante *Willigiso Magontiensi Archiepiscopo*, *Heinricus dux Bajoaricus* secundum seculi dignitatem locupletissimus, & litterarum studiis non tenuiter instructus: & quod his majus est, vir in omni perfectione Ecclesiastica præcipuus, eligitur: &, redditis regalibus à sancto *Heriberto Coloniensi Episcopo*, qui ideo electioni non interfuit, quoniam in humando corpore defuncti principis occupatus fuit, *Magontia* dominica octava Pentecostes, à Willigiso ejusdem civitatis Archiepiscopo ordinatur.

XII. Eodem anno, novo rege Nativit. Laurentii in civitate Patherbrunnensi celebrante, domna *Chunigunda*, ipsius, ut putabatur, uxor, re autem vera castitatis æmulatione soror; à prædicto Willigiso Magontiensi Archiepiscopo inibi regiæ consecrationis dominium adinvenit: quod eidem Ecclesiæ in augmentum honoris & profectum magni decoris, Dei misericordia, provenit.

Ipso anno *VVetelolffus Osneburgensis Episcopus* obiit, eique *Thetmarus* vir bonus & justus, fortis, pius & moderatus successit.

Hic Præsul factus implevit præsulis actus,
Ut patet in factis, ipsius ibi quoque scriptis.
Denique Baptistæ fundans in honore Joannis
Ecclesiam quandam, supplex dedicavit eandem,
Anno milleno bis quino desuper uno,
Ex quo sermo Patris sumpsit præputia carnis.
Osneburgensi quæ scitur proxima sedi
Continuis horis tribuens sibi pignus honoris.
Hic apud Ecclesiam per se tam sedule factam
Constituit cunctis post hæc instantibus annis,
Adveniente sui sacro natale Patroni,
Lætitiæ sacræ fraternum fœdus haberi,
Ac in amore Dei miseros inibi recreari,
Et de collata de fratrum munere cera
Candelam fieri Baptistæ in honore beati.

XIII. *Meinwercus* autem novo regi tam *carnis propinquitate* quam vitæ synceritate jam dudum notissimus, de Karo fit Karissimus; factusque est ei in negotiis publicis & privatis comes irremotissimus. Rex autem non habens nec habere disponens liberos, Ecclesiarum Dei exaltationi continuè invigilavit; & æternitatis flagrans desiderio, temporalia bona pro acquirendis æternis liberali manu eis erogavit. Quo regni sui partes solerter circuiente, & necessaria & utilia quæque ubique sapienter disponente, occurrit ei XVII. Kalendas Octobris *Rhetarius Episcopus* in loco, qui *Bochbardun* dicitur, & Ecclesiæ suæ ruinas innotescens, forestim, quæ incipit de *Delchana* flumine, & tendit per *Osninge* & *Sinithe* usque in viam, quæ ducit ad *Horbusen*, & de hominibus Ecclesiæ commissæ tam liberis quam & servis, nulla judiciaria persona constringendis, nisi advocato ab Episcopo electo, regiæ tuitionis defensionem, ipso primo anno regni ejus, Dominicæ Incarnationis millesimo secundo, Indictione XV. obtinuit.

XIV. Sequenti dehinc anno Dominicæ Incarnationis *millesimo tertio*, Indictione prima, veniente Rege *Quidilingaburg* obvius fuit iterum Episcopus, & Ecclesiæ suæ incendium lamenta-

* Legend. *exulavit*.

mentabiliter conquerens, quæ domnus Apostolicus & prædecessor ejus confirmaverant, confirmari, & confirmata præceptali pagina roborari obnixè petiit, & obtinuit. Quia ergo domino placuerunt viæ ejus, convertit ad gratiam inimicos ipsius: de quibus *Herimannus* Dux Suaviæ se ei subdidit, & interventu principum in suo honore permansit, & plures alii, qui non consenserant ejus electioni. Ducatum autem Bajoariæ dans *Henrico*, *fratri domnæ Chunigundæ* contectalis suæ, incurrit offensam fratris sui *Brunonis*, qui inde plus justo commotus cum *Heinrico filio Bertoldi comitis* cum ambobus *Bolizlavonibus*, *Polianico* scilicet & *Boëmico*, à Rege infideliter defecit. Sed *Heinricus* ad Regem refugiens, in *Gevikanstein* custodiæ datur; *Bruno* verò proximo anno, interventu domnæ *Gislæ matris suæ*, Regi reconciliatur.

XV. Anno post hæc secundo, Dominicæ Incarnationis *millesimo quinto*, Indictione tertia, octavo Kal. Novembr. venit Episcopus ad Regem in loco, qui dicitur *Corbeja*; & Ecclesiæ penuriam nimiam conquerens, & Regii solatii opem suppliciter deposcens. Rege autem in promptu, quod daret, non habente, *Meinwercus* Capellanus ejus jam flammas dilectionis intimæ operum exhibitione demonstrans, prædium situm in villa *Bochinevordi* in comitatu *Ludolphi comitis* Regi contulit: quod ipse Rex Episcopo suæque Ecclesiæ in proprium donavit, ea ratione, ut prædictus Episcopus, quam diu viveret, in sua potestate atque servitute hoc possideret: finitis vero suis temporibus, ad stipendia fratrum in Patherbrunnensi Ecclesia Deo sanctoque Liborio famulantium pertineret. Cum igitur his & talibus misericordiæ instaret operibus venerabilis Episcopus, anno Dominicæ Incarnationis *millesimo nono*, Episcopatus sui XXVIII. Heinrici Regis septimo, *pridie nonas Martii*, quæ illo anno extitit sabbatum ante *Invocavit*, eductus est de ergastulo carnis & de valle hujus miseriæ & tribulationis, assumptus, ut credimus, ad gaudium sempiternæ consolationis.

XVI. Eo tempore, Rege consistente in *Goslaria*, ilico legatos suos ad eum direxit Ecclesia, qui & obitum Episcopi denunciarent, & clementiæ ejus solatium de successore idoneo suppliciter implorarent: qua lugubri Rex audita legatione, talem tantumque virum condigno mœrore deflevit, & Missarum eleemosynarumque debita commemoratione animam ejus divinæ pietati commendavit. Posthæc, ascitis Episcopis & Principibus, qui aderant, de successore tali loco & tempore idoneo consilium habuit: & diu scrutatis perspectisque plurimis, *Meinwercum* tam nobilium natalium magnitudine, quam rerum & facultatum temporalium multitudine idoneum perhibuit. Ilico, faventibus & congratulantibus omnibus, *Meinwercum* advocavit; & consueta benevolentia ei arridens, sumpta chirotheca, *Accipe*, ait; Quo, quid esset accepturus percontante? *Episcopatum*, inquit Rex, *Patherbrunnensis Ecclesiæ*. Illo autem dicente, quid sibi Episcopatus ille deberet, qui de bonis propriis excellentiorem construere valeret? Quia hoc, inquit Rex, veraciter considero, ideo te inopiæ illius misericorditer subvenire desidero, ut illius in cœlo cohæres fieri merearis, cujus piam matrem in terris hæredem tuum feceris. At ille hilariter, ego, inquam, ea spe & conditione Episcopatum suscipiam. Ostendens liquido, se non despectu paupertatis vel appetitu eminentioris sedis aut dignitatis, sed affectu majoris utilitatis, simpliciter contradixisse. Ibidem ergo in Goslaria, proxima Dominica ab Willigiso Magontino Archiepiscopo & ceteris Episcopis, qui aderant, consecratur; electioni ejus & consecrationi congruente officio: quod item Dominicæ intitulatur. Ea namque est Dominica quadragesimæ secunda, quæ in ordine & ratione septem Dominicarum, septem mundi ætates significantium, quinta extat, & pulchra rationabilique dispositione vacat: significans quintam mundi ætatem, quando templo Dei diruto, & populo ejus in Babyloniam abducto, Sacerdote, duce, altari legitimo carens, à laude Domini vacabat, non habens quæ, vel quibus, aut ubi verba canticorum Domini decantaret. Cui captivitati in Evangelio ipsius Dominicæ aptissimè congruit à dæmonio vexata filia mulieris Chananææ. Quia sicut Nabuchodonosor typum tenens diaboli, templum Dei spoliavit & populum ejus captivavit: ita diabolus per se filiam Chananææ, templum utique Dei, captivavit, & suo atrocissimo dominio & ludibrio mancipavit. Interveniebat fides Patriarcharum & meritum Danielis ac sociorum ejus, ut populus ille à captivitate Babylonica solveretur: clamabat fide & voce magna mulier Chananæa, intervenientibus sanctis Apostolis, ut filia ejus à dæmonio liberaretur. Tam captivitatis ergo Babylonicæ, quam mulieris Evangelicæ per totum officium Missæ illius formam rectissimè repræsentavit Ecclesia Patherbrunnensis; quæ incendio vastata, solicitudine pii Pastoris viduata, in necessitatibus suis pro successore idoneo fideliter clamavit: & instanter clamando eum, qui secundum voluntatem Dei *à fornicatione abstinens, vas suum in sanctificatione & honore possederat*, interventu & consultu principum feliciter impetravit, per quem non tantum de micis, quæ cadunt de mensa dominorum, recrearetur, verum etiam largissimis epularum deliciis abundantissimè reficeretur. Solenniter ergo consecratus, condigno honore Patherbrunnon concursu & occursu omnis ætatis & dignitatis deducitur & excipitur: & vere,

via

via regia in ovile ovium per ostium ingressus, episcopali sede inthronisatur. Pontificatus itaque decoratus infulis, continue invigilavit curæ commissæ gregis; timensque notam mali servi & pigri, qui reposuit in sudario pecuniam domini sui, nihil remisse faciebat. Cordi suo & corpori, forinsecus pro generali cleri & populi gubernatione, Episcopali speculatione sollerter insudavit; intrinsecus autem pro omnium salute vigiliis & jejuniis precumque hostiis Deo indesinenter supplicavit. *Lucerna namque in domo Domini supra candelabrum posita, arsit* in se Dei & proximi dilectione; luxit aliis ejusdem lucis sedula exhibitione: denique pro adipiscenda immortalitatis corona, contulit Ecclesiis, quæ hæreditario jure possederat, vel multimodo jugis servitutis labore obtinuerat, temporalia bona; quæ, sicut alios, usu malo, à salute præpediunt; ita alios, usu bono, ad salutem promovent.

XVII. Principalem Ecclesiam sumptu ingenti & magnificentia singulari construxit: quam tertia die adventus sui, dejecto opere modico à prædecessore suo inchoato, & usque ad fenestras negligenter consummato, à fundamentis celeriter atque alacriter erexit. Operariis autem sollerter operi instantibus quadam die advenit quidam vir incognitus, qui Episcopum astantem salutavit suppliciter, suumque servitium obtulit ei humiliter: quem Episcopo, quam sciret servitii artem, percontante? & cæmentarium & carpentarium se profitetur; & mox ab Episcopo clavum tunc fortuitu lignis compingendis necessarium facere jubetur. Quo celeri velocitate velocique corporis agilitate facto, decenter & convenienter, cooperaturus operantibus, artisque suæ scientia probatus & approbatus omni experientia, ab Episcopo omni operi præponitur. Quo non multo post mortuo, advenam suum Episcopus digno sepulturæ commendavit officio, fieri mandans ei in crypta juxta murum monumentum, ponens ad caput ejus trullam ejus & malleum ad posteritatis monumentum; per tantæ humilitatis & pietatis excellentiam magnam sibi acquirens operantium sibique famulantium benivolentiam. Præpositis autem operi singulis magistris, ipse ad reliqua episcopi negotia disponenda convertitur, suæ videlicet diœcesis terminos frequenter lustrare; si fidelium fides spei, si spes concordaret rei sollerter investigare; bene acta confirmare, neglecta reformare, bene agentes, ut in melius proficerent, admonere; negligentibus, ut resipiscerent, oportunè instare; *denique omnibus omnia factus*, pro cunctis animæ & corpori eorum necessariis erat sollicitus. Primoribus & majoribus exhibens se formidini & honori; subditis, secundum uniuscujusque meritum timori pariter & amori. Oculatus autem ante & retrò ut sic internorum & spiritualium sollicitudinem gereret, ut tamen exteriorum providentiam pro subjectorum necessitatibus supplendis non negligeret, regni negotiis, ut compellebatur, inservire cœpit: *reddens Deo, quæ sunt Dei; & Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, Ecclesiæ commissæ prodesset, ubi se oportunitas obtulisset loci & temporis. Continue autem Regi insistens, ut Ecclesiæ sibi commissæ lamentabiliter incendium passæ, secundum sponsionem, quâ sibi eam commiserat, succurreret. Rex misericorditer annuit, & Ecclesiæ præfatæ miseratus paupertatem, multa ei bona tam in prædiis quam facultatibus aliis, larga manu & plena caritate pro Dei amore dilectique sibi Episcopi assiduo & devotissimo obsequio contulit. Sæpius autem in civitate Patherbrunnensi commoratus, operum & studiorum ejus adjutor & cooperator extitit, favente & instante per omnia venerabili *Chunigunda Regina*, cui non minor voluntas quam facultas in Ecclesiis Dei amplificandis & meliorandis semper fuit.

XVIII. Quodam itaque tempore inibi commorante, beatus *Heimeradus de Suevia oriundus*, voluntaria paupertate pro Christo exul, & peregrinus eò advenit: eumque lurida facie & proceri corporis macie ac vestium vilitate deformem Episcopus ut vidit, unde ille diabolus emergeret? inquisivit. Ille autem, cum se Diabolum non esse, humiliter & patienter dixisset, quæsivit Episcopus, an Presbyter esset? ubi autem eo die divina mysteria eum celebrasse cognovit; protinus sibi libros, in quibus cantaverat, deferri mandavit. Quos incomptos & neglectos & nullius ponderis aut pretii aspiciens, eodem momento in ignem projici fecit: eumque jussu Reginæ, Episcopi justo zelo, ut videbatur, compatientis, verberibus cædi præcepit. Post hæc quidam *Comes*, *Duodiche* nomine, de monte qui *Wartberge* appellatur, superveniente festivitate S. Andreæ Apostoli, Episcopum ad convivium invitavit. Cum autem Comes *B. Heimeradum* quoque invitasset, & in vigilia ipsius Apostoli eum ad cœnam Episcopo oppositum sedere fecisset: commotus Episcopus, quid vir tantæ prudentiæ sibi in illius præsentia vel consortio vellet? interrogavit: & multis injuriis verborum adversus illum exardescens, delirum & apostatam eum appellavit. Beato verò Heimerado pro Dei amore cuncta patienter & silenter ferente, respondit Comes, se nescisse, quicquam eum adversus illum controversiæ habuisse; cœpitque verbis lenibus & humilibus animum Episcopi mitigare, & Viro Dei, quoniam pro vitæ suæ merito eum valdè venerabatur, veniam obnixiùs postulare. Sed perstitit in sua sententia Episcopus, placari non valens ullis precibus, quatenus tantæ nimietatis pertinacia fieret ei

postmodum humilitatis custodia; & in tantæ nobilitatis & dignitatis viro, satisfactio inferiori voluntariè exhibita, ad exemplum humilitatis à discretis commendaretur, quæ vix majoribus à subditis jure subjectionis exhibenda imitabilis videretur. Denique, quoniam ab hominibus sanctus putaretur, experiri se velle sanctitatem illius dixit. Statimque coram omnibus, ut altero die *Alleluja* ad Missam cantaret, sub interminatione plagarum ei injunxit. Cumque Comes pro eo obnixius supplicando, & ei hujus actionis remissionem petendo, nihil ageret, nisi quòd oleum camino adjiceret: nocte finitis matutinis laudibus, assumpsit hominem Dei secretius, & consolans eum, obsecrabat, ut tentamenta, sanctorum virorum purgamenta, non refugeret, sed saltem in nomine sanctæ Trinitatis incipiens, cætera Deo committeret. Qui multum renitens, & se dimitti ad hospitiolum flagitans, multis precibus victus, tandem adquievit. Et veniente hora, cùm Episcopus nullo modo à propositi posset abduci sententia, processit: inchoavit, sollenniter & jucundè percantavit; adeo ut omnes, qui aderant, mirarentur, &, se ex nullius unquam hominis ore suaviorem modulationem audisse, faterentur. Episcopus autem, finita Missa, virum Dei secretiùs tulit; & ad pedes ejus ruit, & veniam pro commissis in eum humiliter postulans & celeriter impetrans, perpetuus ac fidelis ei postmodum amicus fuit.

XIX. Episcopus autem ipsum castrum, sui munimine vastum, Ecclesiæ Patherbrunnensi, in cujus diœcesi consistit, ornamento & munimento utile, situ vero loci in aquis, lignis, pascuis, omnimodis habile considerans, pro venditione sui vel voluntaria traditione variis modis Comiti instabat: sed ille filium de pellice, quam duxerat, natum, hæredem facere disponens, monitis salutaribus non obaudiebat.

XX. Pontificatus ejus itaque anno secundo, Dominicæ Incarnationis MX. Indictione VIII. *Ansfridus* venerabilis Trajectensis Episcopus, cujus mira laudum præconia in gestis suis inveniuntur, ad cœlestem vitam sustollitur, eique *Adelboldus* surrogatur. Sequenti anno VII. Kal. Martii, *Willigisus* Magontiensis Archiepiscopus omni memoria dignissimus, Episcopatus sui anno trigesimo sexto, post incendium Monasterii Magontiensis honorifice ab eo constructi, (quod III. Kalend. Septemb. accidit,) sancte ad Christum migravit, & in locum ejus *Erkinbaldus Abbas Fuldensis* subintravit. Quinta dehinc proxima Idus Februarii *Bernardus Dux pius Saxonicus, filius Herimanni ducis obiit* : & filius ejus *Bernardus* favente sibi Meinwerco Episcopo amicisque suis *ducatum obtinuit*, & homo Episcopi factus, juge obsequium in omni fidelitate sibi exhibuit. *Frater* quoque præfati *ducis Bernardi*, *Comes Luitderus* proxima IV. Kal. April. obiit, qui cum uxore sua *Emma* senatrice Christianissima, multa bona Ecclesiæ Bremensi contulit.

XXI. Posthæc IV. idus April. in festo B. Gregorii cum rege in villam regiam, quæ *Tribura* dicitur, Episcopus devenit, ubi comitatum, quem *Haold*, dum vixit, tenuit, situm in locis *Haverga*, *Limga*, *Thiatmalli*, *Aga*, *Patherga*, *Treveresga*, *Langaneka*, *Erpesfeld*, *Silbiki*, *Matfeld*, *Niterga*, *Sinatfeld*, *Ballevan* prope *Spriada*, *Gambeke*, *Gession*, *Siwardeshuhus* * cum omni legalitate Rex ei in proprium dedit. Post Pentecosten *Helmwardeshusen* venit, & Monasterium, quod *Ekkihardus Comes* in proprietatis suæ fundo construxerat, in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, sanctique Salvatoris, & victoriosissimæ Crucis, & S. Mariæ perpetuæ virginis, Sanctique Petri Apostolorum Principis, & omnium Apostolorum & Sanctorum omnium, Nonas Junii dedicavit.

XXII. Anno sequente pridie Non. Januar. *Lubentius* Bremensis Archiepiscopus obiit, eique *Vnwanus Patherbrunnensis Ecclesiæ Canonicus*, favente Meinwerco Episcopo, successit. Hic omnibus hominibus acceptus, & Clero adprime benivolus; inter innumera piæ recordationis monimenta, Canonicis Ecclesiæ B. Petri, eo loci patroni, curtem quandam *Borengun*, ut ejus servitium per natalitia esset Apostolorum, contulit. In australi parte chori altare in honore S. Liborii patroni sui construxit & dedicavit. Primus omnium congregationes, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis vel Canonicis conversatione degebant, ad Canonicam regulam traxit. *Lucos in Episcopatu suo, in quibus Paludicolæ regionis illius errore veteri cum professione falsa Christianitatis immolabant, succidit*; multos gentilium in Dania, & vicinis Borealibus partibus, ad Christum convertit; plures in diœcesi sua Ecclesias fundavit & dedicavit, & pro obtinendis æternæ vitæ gaudiis omni vigilantia & instantia insudavit, quamdiu in hoc fragilitatis corpore militavit.

XXIII. Octavo decimo Kalend. Febr. præfati anni Dominicæ incarnationis MXIII. Rex *Mulinhusen* devenit; Ubi interventu *Chunigundæ Reginæ*, *Everhardi Bavenbergensis Episcopi*, *Egilberti Frisingensis*, prædium *Hoenstide* situm in *Pago Rittiga*, in comitatu *Bernhardi Comitis*, *Meinwerco Episcopo* tribuit, cum omnibus utilitatibus & appendiciis, quibus id *Vnuwanus Bremensis Archiepiscopus* possederat, eique dederat legaliter. Inde Rex *Bavenberge*

* Leg. *Sivvardeshusen*.

berge iter divertit, ubi *Everhardus primus ejusdem sedis Episcopus* venerabile Monasterium, nobile ac speciale regiæ devotionis studium, cum conventu & suffragio omnium Cisalpinorum Pontificum, II. Non. Maji dedicavit. Rex autem eundem Episcopatum, quem ex integro in suo *domate* fundavit, terminis ejus ab adjacentibus Episcopatibus legitimo concambio commutatis, principibus Apostolorum Petro & Paulo, & pretiosissimo Martyri Georgio adtitulatum, speciali jure Romanæ Ecclesiæ tradidit, ut & primæ sedi debitum honorem divinitus impenderet, & suam plantationem tanto patrocinio firmius muniret.

XXIV. Eodem anno *Suitgerus* sanctæ *Mimigardevordensis* Ecclesiæ antistes egregius XIII. Kalend. Decemb. obiit, sepeliturque in loco, quo deguit. Hic genere Saxonicus in Halverstad & Magatheburg à puero est educatus; à tertio vero Ottone præfatæ civitati prælatus: quam cum divino munere fultus regeret cum omni diligentia, pollebat diversarum virtutum excellentia. E quibus hic duæ tantum referantur, per quas aliæ veraciter cognoscantur. Camerarius suus pilleum quendam furtive subtractum cælare volens, diligenter à pio Seniore interrogatus, nihil fatetur: sed cultellum supra mensam positum, & ex animo benedictum sumere coactus, quasi ignitum celeriter projiciens, reum se nimis esse coram profitetur. Quidam maligno spiritu arreptus, vi magna est captus, & in præsentiam prædicti Patris adductus. Quem solvi protinus jubens, baculo se solum irrumpentem viriliter amovit, & facto sanctæ crucis signo, divina potestate hostem exire imperavit. Tantus vir hoc non suis meritis, sed divinæ virtuti asscribens, vixit in Christo dies hujus vitæ sibi concessos, ministrans illi fidelis servus omni studio. Sedit autem in Episcopatu XVI. annis, magna infirmitate, quæ omnigenam virtutem perfecit, gravatus, & *Thiedericus* cognomen habens *Bonus* Are * pro eo est subrogatus.

XXV. Proximo anno expeditionem in Italiam Rex iturus, ut Cæsaris consecrationem à domno Apostolico perciperet; in Castello, quod *Gruona* dicitur, convenire Principes mandavit, & VIII. Kalend. Maji de statu regni inibi cum eis necessaria tractavit. Episcopus autem *Meinwercus* cum rege expeditionem iturus, Ecclesiæ suæ penuria conquestâ, itineris expensam labori suo congruam instanter petiit, & interventu *Chunigundæ* Reginæ *Heriberti* Coloniensis Archiepiscopi, *Athalbaldi* Trajectensis, *Thiederici* Mimigardevordensis, *Wigeri* Verdensis, *Thiederici* Metensis, *Bernwardi* Hildenesheimensis, *Thietmari* Osnebrugensis, *Herici* Havelbergensis, *Berneshusun*, situm in pago *Lisga*, in Comitatu *Udonis Comitis* obtinuit: tali præcepto sibi Ecclesiæque suæ, cum eo & de eo dato, ut quicunque ipsum Episcopum, vel aliquem successorum ejus super eo molestare, inquietare aut divestire præsumeret, perpetuo anathemate condemnatus, C. libras componeret. L. Regiæ Cameræ, L. eidem Ecclesiæ. Eadem quoque die, loco & anno, interventu sæpenumero dictæ & cum omni merito dicendæ Reginæ *Chunigundæ*, in idipsum etiam fraterna karitate collaborantibus, *Erchanbaldo* Mogontiacensi Archiepiscopo, *Bernwardo* Hildenesheimensi, *Arnoldo* Halverstadiensi, *Heinrico* Wirciburgensi, *Thiederico* Mimigardevordensi, *Hildiwardo* Citicensi Episcopis & sacerdotibus Christi, quandam regiam curtem *Moranga* dictam, in pago *Morangano* in comitatu *Bernhardi* Comitis sitam, obtinuit, quam *Unuwanus* Bremensis Archiepiscopus cum manu Advocati sui *Udonis* ipsi Regi, omnium hominum contradictione remota, tradidit; quamque ipse Rex pro remedio animæ sui prædecessoris tertii Ottonis divæ memoriæ Imperatoris Augusti, & incolumitatis suæ vitæ, ac spe futuræ, cum omnibus attinentiis suis tali conditione *Meinwerco* Episcopo concessit, ut eandem curtem, quamdiu viveret, in proprios usus potestative possideret; post finem verò vitæ suæ, ad vestitum Canonicorum in Patherbrunnensi sede Deo, sanctæque ejus genitrici *Mariæ*, nec non B. *Kiliano* ac *Liborio* servientium, annuatim meliorandum pertineret. Et si quis hanc donationem infringeret, C. libras auri persolveret: L. Patherbrunnensi Ecclesiæ, L. Cameræ Reg. O quantæ dilectionis indicium, simul & semel hæc tribuentis! O quam synceræ devotionis servitium, talia & similia accipere merentis! *Posteritas dantem commendet & accipientem, Per pia vota patrem placans his omnipotentem.*

XXVI. Episcopus itaque, quæ desideraverat, impetratis, *Patherbrunnam* revertitur; & rebus domesticis dispositis, & magistris idoneis operibus præpositis, tempore autumnali cum Rege proficiscitur. Rex autem subjectis omnibus & in deditionem redactis, quæ rebellare tentaverant, urbibus, proximum Natale Domini *Papiæ* celebravit: indeque profectus *Apuleam* à Græcis diu possessam, Romano imperio recuperavit, eidemque provinciæ *Ismahelem* Ducem præfecit. Cum autem civitates Apuleæ pertransisset, & quæ ad honorem & utilitatem regni pertinebant, ubique prudentissime disposuisset, infirmatus morbo calculi, nulla poterat medicorum arte curari. Remedio autem cessante humano, corde & animo se commisit divino;

 ascen-

* in Broweri editione tantum hæc leguntur: *& Theodoricus pro eo est subrogatus.*

ascendensque montem *Cassinum*, patrocinium S. *Benedicti* & B. *Scholasticæ* sororis ejus, pro sanitatis suæ adeptione suppliciter imploravit, & mirabiliter impetravit. Denique completa oratione ad hospitium se contulit, & lassatus ac debilitatus, in lectulo se collocavit. Quo obdormiente, S. *Benedictus* ei apparuit, & à Deo, in quem speravisset, eum exauditum asseruit. Et ferro medicinali, quod tenebat, partem illam, ubi calculus hærebat, aperiens, evulsum eum in manu Regis posuit, & hiatu vulneris subita redintegratione sanato, disparuit. Rex autem evigilans & calculum in manu sua considerans, advocatis Episcopis & Principibus ostendit eis in se facta Dei magnalia, & cum eisdem Deum digne collaudans, contulit fratribus inibi Deo sub regula S. *Benedicti* famulantibus, in prædiis, ornamentis pluribus, dona regalia. Ab eo tempore & deinceps Rex quadam speciali veneratione & devotione S. *Benedicto* & omnibus Monasticæ religionis cultoribus studuit deservire, & in amplificandis & protegendis rebus Ecclesiasticis benignus & devotus pater existere.

XXVII. Valedicto fratribus, lætus & hilaris inde discedens, Romam cum Domna *Chunigunda* cum triumpho magno intravit; ubi à beato *Benedicto* Papa benigne & honorifice susceptus, quantas miserationes & beneficia per servum suum *Benedictum* Dominus ei contulisset, enarravit. Papa autem Deo pro omnibus beneficiis suis gratias agens, pro salute Regis & totius populi Christiani sacrificium laudis Deo immolavit, & solemni benedictione cum universi populi inexistimabili exultatione Regem in Cæsarem & Imperatorem consecravit. Eodem ergo tempore, Bavenbergensem fundum Rex cum omnibus pertinentiis suis B. Petro contradens, Apostolico Præsuli jugiter defendendum commendavit. Et in commemorationem hujus pactionis, album ambulatorem cum faleris singulis annis Romano Præsuli dari constituit. Obtinuit autem magnis humilitatis & suæ devotionis precibus apud domnum Apostolicum, ut tempore oportuno ad Alamanniam accederet, & Bavenbergensis fundi novellam plantationem visitaret. Ibi domnus Apostolicus Meinwercum Episcopum, præconio virtutis & pietatis eximiæ ubique carum & præclarum habitum, & benigne suscepit, & ejus ardentissimæ in Deum dilectioni & devotioni congaudens & congratulans, de omnibus, quæ ab eo petiit, parata & devota Karitatis benivolentia satisfecit. Denique desiderium ejus de Reliquiis Sanctorum ad constructionem Monasteriorum audiens, tertium dimidium corpus septem fratrum filiorum S. *Felicitatis*, qui sub Antonino Imperatore passi sunt, *Philippi* videlicet, *Juvenalis* & *Felicis*; & craneum S. *Blasii*, qui sub Licinio anno Domin. incarn. CCCXXII. gloriosa passione migravit ad cœlos. Brachium quoque S. *Miniatis*, qui sub Diocletiano VIII. Kal. Novem. passus est, cum aliorum plurimorum Sanctorum reliquiis tribuit. Et privilegium de bonis Ecclesiæ suæ concessis vel concedendis, Apostolica auctoritate contulit: quod ad posteritatis monimentum & Patherbrunnensis Ecclesiæ stabile præsidium & firmamentum hic inseratur, ut ipsa exemplis tantæ devotionis ad augmentum suæ securitatis & utilitatis instruatur: raptorum verò quisque ad cumulum suæ damnationis videat & audiat, ut confundatur:

XXVIII. BENEDICTUS *Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Meinwerco venerabili Episcopo Patherbrunnensis Ecclesiæ suisque successoribus in perpetuum. Desiderium, quod ad religiosum propositum & sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua nostra, Deo auctore, dilatione perficiendum; & quotiens in quibusdam ejus utilitatibus & commodis nostrum assensum & solitæ Apostolicæ auctoritatis exposcit præsidium, id nostro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, & rati pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus & indemnitas, & nobis quoque lucri potissimum præmium à conditore omnium Deo in sidereis arcibus proscribatur. Igitur, quod postulatis à nobis, quatenus confirmaremus & Apostolica auctoritate corroboraremus tuæ Ecclesiæ tibique, & successoribus tuis in perpetuum, quæque pro redemptione animarum suarum ab Imperatoribus sive Regibus, Ducibus, Comitibus, vel ab omnibus magnis parvisque personis oblata sunt, sive commutata: seu omnia, quæ tu ductus amore Dei de propriis tuis hæreditatibus eidem tuæ venerabili sponsæ contulisti perpetualiter, inclinati precibus tuis, per hujus privilegii seriem confirmamus & corroboramus Ecclesiæ tuæ, tibi, tuisque successoribus omnia prædia culta vel inculta: nec non omnia, quæ ei pro redemptione animarum suarum ab Imperatoribus, maximeque à Christianissimo & serenissimo filio nostro dilectissimo ac sanctissimo Imperatore* Heinrico *oblata sunt, sive in Comitatibus, seu ubicunque fuerint: nec non omnia, quæ à Regibus, Ducibus, Comitibus, magnisque parvisque personis jam dictæ Ecclesiæ oblata sunt. Similique modo confirmamus ea omnia loca, quæ tu ipse pro redemtione animæ tuæ & parentum tuorum jam dictæ tuæ sponsæ de propriis hæreditatibus contulisti: nec non ea, quæ ab aliquibus commutata sunt. Statuentes Apostolica censura sub anathematis interdictione, ut nulli unquam magnæ parvæque personæ liceat contra hoc nostrum Apostolicum privilegium insurgere vel contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem pie à nobis promulgatam, venire agereve tentaverit, sciat se Domini nostri Apostolorum*

rum principis Petri anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & ejus atrocissimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi *in æternum igne cremandum, simulque & in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero pio intuitu, custodes & observatores hujus nostræ salutiferæ præceptionis extiterint, benedictionis gratiam cœlestesque retributiones ac æterna gaudia, ab ipso judice Domino Deo nostro consequi mereantur. Scriptum per manus Benedicti Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Martio, Indictione* XII. (Anno Dominicæ Incarn. MXIV.)

XXIX. Cum autem Episcopus inibi cum Rege aliquamdiu moratus, de lue gravissimæ mortalitatis, quæ immanissime exercitum depopulabatur, mœstus esset: accessit ad eum quidam Romanorum consilians ei, ut pro suorum incolumitate aliquam se venerationem in terra sua facturum sancto *Alexi* voveret. Qui ilico sublatis ad cœlum manibus & oculis, se Monasterium honori & amori ejus congruum facturum, si suis precibus suorum incolumitatem à Deo obtineret, sinceriter vovit. Et se ejus meritis à Deo exauditum, suorum omnium jumentorum & hominum incolumitatis receptione & conservatione veraciter probavit.

XXX. Novus autem Imperator, omnia, quæ volebat, à domno Apostolico impetrans, consolatione ejus & benedictione in Domino confortatus, *Alpes Penninas* transcendit. Et *Papiam* rediens sanctum Pascha ibidem feriavit.

Venerabilis autem Episcopus, tam materiali quam spirituali gladio Ecclesiam commissam muniri & tueri desiderans, Imperatorem inibi cum amicis suis & Regni Magnatibus adiit, &, ut talia bona imperiali auctoritate confirmaret, qualia domnus Apostolicus sua Canonica confirmaverat, suppliciter expetiit. Imperator autem ejus ardui itineris laborem, quem suæ dilectionis intuitu ad Apostolorum limina secum arripuerat, reminiscens, rationabili petitioni solita benignitate promptissime favit, & omnia ab eo de bonis hæreditariis Patherbrunnensi Ecclesiæ collata & deinceps conferenda, & alia, qualibet sua instantia & industria à quibuscunque fidelibus acquisita seu acquirenda, commutata vel commutanda, Regiæ auctoritatis præcepto aureo sigillo bullato confirmavit & corroboravit.

Dimisso autem Imperator exercitu in terram suam, Regni negotiis ubique prudenter dispositis, per omnia virtutis & pietatis vestigia dereliquit. Et ubicunque servorum Dei habitacula invenisset, eorum res adaugens & amplificans, omnium se orationibus commendavit. *Cluniacum* quoque inter alia ubique terrarum, pro suæ Religionis fervore & situ loci nominatum, cum domno *Meinwerco* Episcopo & paucis familiaribus suis adiit, & multa sanctitatis & Religionis indicia, quæ audierat, vera esse comprobans, coronam auream pretiosissimis gemmis adornatam, ad *Missam*, quæ de *Cathedra sancti Petri* celebratur, obtulit: & fraternitate Monachorum humiliter petita & accepta, cum maxima contritione cordis omnium se orationibus commendavit. Et in supplementum necessariarum rerum optima prædia in *Alsatia* eidem congregationi testamentaria auctoritate delegavit. Ibi Imperatore favente & suum in omnibus auxilium spondente, Episcopus *Meinwercus* ab Abbate & congregatione XXX. fratres ad construendum Monasticæ vitæ cœnobium petiit & impetravit. Cum quibus assumpta libra panis & potus, & *Regula*, & *Antiphonario* uno, & *Hymnario* festinanter repatrians, capellam in honore S. *Benedicti* in occidentali parte Patherbrunnensis civitatis fundavit, & celeriter consummavit. Monachorum autem æmulis adventum eorum causantibus, eisque utilius secundum nominis sui etymologiam à turba & civitate remotos fore; civitati vero honestius in eo loco Clericos vel Moniales degere affirmantibus, venerabilis Episcopus humiliter rationem reddidit, dicens: fœmineum sexum naturæ suæ qualitate fragilem esse, & infirmorum animas per eas scandalizare & scandalizari facile posse: Monachos vero convenientius vicinos & conjunctos esse Clericis quam Clericos; ut in variis lubricæ vitæ excessibus & eventibus, in divinis & humanis fraterna Karitate & unitate invicem succurrerent & consulerent, & cæteris regendis norma & forma facti, Episcopo, sub cujus umbra alarum requiescerent, in utriusque vitæ provisione & dispositione auxilio & consilio forent, adjiciens, id decere & debere fieri, ut ad servitium Laici, & ad consilium admitterentur Clerici. Qua ratione data & audita, quique boni & discreti dicta ejus & facta approbantes, rationabiliter cœpta feliciter prosperari & consummari optaverunt; similes autem similibus congaudentes, dissimilibus & melioribus invidere & derogare non cessaverunt.

XXXI. Ædificio ergo principalis Ecclesiæ magnifice consummato, frequentia & præsentia utriusque sexus & habitus, ætatis & dignitatis, solenniter eam dedicavit XVII. Kalend. Octobr. & Apostolici privilegio coram populo recitato & interpretato, in ejusdem soliditatis munimine suum ædificium collocavit & stabilivit. Episcopus autem sperans, se ab Imperatore *Ervete* impetraturum, eum dedicationi interesse postulaverat. Sed ille Polianiam contra

Boliza-

Bolizavum tempore æstatis ingressus cum valida suorum manu, interesse non poterat. Idem namque *Bolizavus* cum *Udelrico* Duce Boëmiæ ad Imperatorem in *Meresburg* venturus fuerat determinatus, sed ipse venire contemnens & rebellare disponens, ab Imperatore Dei misericordia, per Sanctorum patrocinia, quibus se suumque populum intimè commendaverat, est cum suis omnibus superatus.

XXXII. Episcopus autem de bonis hereditariis in Saxonia positis, urbem sitam in loco, qui *Plesse* dicitur, cum undecies centum mansis jam ante Ecclesiæ traditis, ipso die recognoscendo & reiterando, Ecclesiæ delegavit & confirmavit, quibusdam bonis Ecclesiis construendis designatis: tali conditione exceptis, ut si eo morte prævento Ecclesiæ imperfectæ manerent, post obitum matris suæ, cui ad temporalis vitæ subsidia hæc concesserat, Ecclesiæ ipsi attinerent. Cujus exemplum utriusque sexus, conditionis, & ordinis sequi cœperunt: & pro posse suæ facultatis, pro obtinendo bravio perpetuæ felicitatis, salutaribus Episcopi monitis instructi, bona sua Ecclesiæ contulerunt.

* 1. Rationabile itaque videtur ex parte quorundam devotionem intimare, non solum ad declaranda eorum beneficia, verum etiam ad profectum illorum, qui exemplis bonis ædificari merentur, pariterque ad confusionem illorum, qui licet optima quæque sciant, videant, audiant, in ore Dominum confitentes, factis autem negantes perseverant. Operæ pretium est etiam Episcopi diligentiam in singulis annectere & benivolentiam, quomodo nec fraude aliquem circumvenerit, & quod omnium saluti & devotioni se congaudere & congratulari beneficiis competentibus demonstraverit.

2. Ipso igitur anno dedicationis Ecclesiæ *Millesimo* XV. Incarnationis Dominicæ, quidam miles *Mainberi* dictus, divina ammonitione compunctus, ut se æternæ hæreditati associaret, atque inextinguibiles gehennæ ignis flammas evaderet, quicquid habuit proprietatis in *Burgnon* & in *Balbornon* & *Scarbeim* ad noviter ab Episcopo constructum & dedicatum Monasterium, & ad fratrum ibidem Deo famulantium utilitatem & ministerium tradidit, ea ratione, ut quisque fratrum ipsius Ecclesiæ per anniversarios ejusdem dies, unum panem & unam carnem & eminam mediam acciperet, & animæ ejus salutari commemoratione memor esset, *Amulungo* advocato Ecclesiæ astante & hanc traditionem omni contradictione & altercatione postposita coram multis testibus suscipiente. Hac traditione peracta venerabilis *Meinwercus* Episcopus, ut omnibus quibus hoc foret compertum, ad divini cultus augmentationem cor promptius attraheret, suæque voluntati animum uniuscujusque devotiorem, subnecteret, unam curtem *Sutheim* nominatam cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus & XXX. aratrorum decimas non in beneficium, sed ad vitæ suæ terminum concessit: hoc scripto decernens, ut si aliquis suorum successorum ista infringeret, ille sua reciperet.

3. Quidam alius nobilis ad distinctionem alterius *Junior Meinberi* dictus, humanæ fragilitatis memor quoddam prædium *Hengeldere* dictum, cum consensu uxoris suæ *Hazninnæ* & filiæ ejus *Odæ* heredis justissimæ, pro remedio animæ suæ Ecclesiæ dedit, & ab Episcopo *Meinwerco* XXX. aratra & C. maldros annonæ, quamdiu ipse viveret, accepit, & uxori ejus ad consentiendum IIII. libras denariorum detulit, quas in præsentia *Ekkihardi* & *Liudulfi* Comitum in *Asfieresbusun* Episcopus ei dedit cum XXX. solidis.

4. Quidam Canonicus ipsius Ecclesiæ, *Wirin* nomine, omne prædium, quod habuit in *Osdagbusun* & in *Rastberpe*, cum omnibus attinentiis & utriusque sexus mancipiis, cum consensu & voluntate justissimorum heredum suorum *Eizan*, *Irinches*, *Reinberi*, Ecclesiæ in proprium tradidit, eumque *Meinwercus* Episcopus pia misericordia motus Præpositum constituit, hoc decernens, ut si per infirmitatem Præpositi seu per aliam fortuitu accidentem causam constitutio ejus infringeretur, de Episcopatu una curtis cum XXX. familiis usque ad exitum vitæ suæ ei concederetur. Heredibus autem ejus uxorem *Hojan* cujusdam villici & filios ejus pro mercede dedit.

5. Quidam Subdiaconus ipsius Ecclesiæ Canonicus ejusdem nominis & devotionis, cujus præscriptus, quicquid habuit proprietatis in *Sneun* per suum Advocatum *Eilbrechtum* cum consensu sororum suarum heredum justissimarum *Ruæ*, *Bavike*, *Leppæ*, omni contradictione remota ad dominum Ecclesiæ in proprium dedit, & pro hoc benefacto ab Episcopo XL. aratra & unam decaniam accepit, *Udone*, *Herimanno*, *Bennone* Comitibus & aliis multis astantibus, & Episcopi de hac traditione mandatum taliter institutum audientibus, ut si aliquis successorum suorum concessa sibi infringeret, sua reciperet.

6. Alius

* Quæ sequuntur numeris minusculis sive Ziphris notata non extant in editione Brovveri usque ad verba: *Quia ergo aliquibus tædiosum & onerosum, non autem Patbebornensi Ecclesiæ otiosum esset aut infructuosum singularum beneficia describere* &c. &c. Quæ verba infra sub num. 99. extant.

6. Alius ex ejusdem Ecclesiæ fratribus nomine *Folcmarus*, Sancti Spiritus instinctu ammonitus, cum consensu & voluntate justissimæ heredis suæ *Siburg* nomine, per Advocatum suum *Amulungum* omne prædium, quod in marcha *Sturmethi*, *Gesike*, & *Stockeim* habuit, cum omnibus attinentiis ad altare Sanctæ *Mariæ* & SS. *Kiliani* & *Liborii* in proprium dedit. Excellentissimus autem *Meinwercus* Episcopus hoc piè accipiens, IIII familias quamdiu viveret, ei concessit, & omni anno unum lineum pannum sibi dari constituit, & super hoc ex parte confratrum curtim quandam *Bekinauvo* vocatam cum duobus litis, usque ad exitum vitæ suæ ei tribuit: ea videlicet ratione, ut ipse quamdiu viveret, vel si quis confratrum eandem curtem teneret, anniversiarum *Volcdagi* faceret: *Amulungo* Comite & multis aliis huic rei testimonium perhibente.

7. Alius Ecclesiæ ejusdem Canonicus nomine *Volcmarus* cum assensu fratrum duorum *Nithingi* & *Wirinhardi*, duo prædia *Holtheim* & *Aslan* in die S. Lamberti in quodam loco, qui dicitur *Ringhelmi*, dedit Patherb. Ecclesiæ, *Eilberto* in præsentia *Liudulfi*, *Erponis*, *Benne*, *Ekkikonis*, *Liudulfi* Comitum & aliorum multorum, omni contradictione remota, id accipiente.

8. *Nithingus* præscriptus sæpe dictæ Ecclesiæ Canonicus, memor humanæ fragilitatis, quædam loca *Holtheim* & *Burgnan* cum appendiciis omnibus & mancipiis utriusque sexus pro remedio animæ suæ parentumque suorum per advocatum suum, nomine *Wirinhardum*, Ecclesiæ contulit, & à venerabili Episcopo *Meinwerco* bannum super *Horohusun* & quendam locum *Waveri* nominatum atque *Bokinavordi* usque ad exitum vitæ suæ eâ ratione suscepit, ut si *Heinricum* Imperatorem superviveret, anniversarium ejus sicut unius Episcopi Patherbrunnensis de sola curte *Bokinavordi* faceret, & CCC. eleemosynas pro anima ejus daret, & in eadem die exitus ejus & anniversarii unum pauperem cum una camisia, una braca, uno cotte, una tunica, duabus caligis & unciunculis & calceamentis & chirothecis, pilleo & cingulo vestiret, & in natale S. *Kiliani* Martyris plenum convivium fratribus, sicut in natale S. *Liborii* de prænominata curte *Bokinavordi* similiter persolveret: & si quis confratrum post mortem domni Nithingi eandem curtim teneret, anniversarium *Heinrici* Imperatoris, & convivium in natale S. Kiliani, sicut prænominatus *Nith.* pleniter faceret: hoc testamento etiam decernens, ut si ipsi *Nithingo* aliqua de concessis à quolibet suorum successorum infringeretur, de Episcopatu unum Vorwerc cum XX. litis & XII. aratris ei concederetur. Super hæc omnia *Werunhardo* suo heredi pelles martherinas, III. uncias auri pro mercede tribuens.

9. Quidam Presbyter nomine *Waldier* cum assensu *Haoldi* heredis sui justissimi, quicquid in *Winnithi* prædii habuit, cum omnibus attinentibus pro remedio animæ suæ parentumque suorum, Hildiwardo advocato id accipiente in proprium dedit Ecclesiæ, accepitque ab Episcopo *Meinwerco* Ecclesiam in *Thietmelli* cum VI. aratris, & unum equum pro uno tal. usque ad vitæ suæ terminum, coram *Conrado* & *Thiederico* Comitibus & aliis pluribus, hac conditione facta, ut si aliquis sibi auferret concessa, reciperet sua.

10. Alius quidam Presbyter sanctæ vitæ Vulfdagus nomine, quicquid proprietatis in *Baddinhusun* habuit, *Meinwerco* Episcopo ad dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ per suum tutorem cum voluntate heredum suorum, *Tmmido* Patherbrunnensis Ecclesiæ Advocato id accipiente, in proprium tradidit, ea videlicet ratione, ut à domno *Meinwerco* Episcopo quædam Ecclesia in oppido *Pumissun* sita, quæ ad Episcopatum Patherbrunnensem pertinet, ei ad vitæ suæ terminum concederetur, & post obitum ejus matri suæ ex parte Episcopi omnibus diebus vitæ suæ in *Pumissun* annona daretur, & si istud beneficium aliquis infringeret vel minueret, sua reciperet.

11. Quidam Presbyter bonæ memoriæ de Rothun *Wecil* nomine, per advocatum suum *Hiddin* & voluntate ac desiderio sui heredis *Liutbrannes*, quicquid habuit in villa & in marcha *Holthusun*, in proprietatem Patherbr. Ecclesiæ ad altare S. *Mariæ* sanctorumque *Kiliani* & *Liborii* dedit, cum omnibus attinentiis, & ab Episcopo *Meinwerco* hanc traditionem pie accipiente I. familiam in *Ricwardessun* usque ad terminum vitæ suæ in præsentia Amulungi Comitis accepit.

12. Quædam sanctmionialis *Haburg* nomine, quoddam prædium *Bridi* vocatum, cum omnibus attinentiis & utriusque sexus mancipiis per advocatum suum nomine *Hamaka* cum consensu justissimæ heredis suæ *Ekkika* ad dominium Patherbr. Ecclesiæ in proprium dedit, omni postposita contradictione, & à domno *Meinwerco* Episcopo ejus devotionem clementer attendente IIII. tal. & unum Vorwerc *Hunwercushusun* & IIII. mansos ac XXX. aratra usque ad ultimum vitæ suæ terminum accepit, potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferret concessa.

13. Item quædam sanctimonialis *Hike* nomine, ammonitione & petitione *Meinwerci* venerabilis Episcopi cum consensu fratris sui *Wegonis* justissimi heredis, quicquid proprietatis

in *Spurca*, & in *Adana*, & *Bocla*, *Liudunburin*, *Rokincbusun* habuit cum omnibus attinentibus, Patherbrunnensi Ecclesiæ in proprium tradidit, eique Episcopus duas uncias auri & unum tal. denariorum dedit, & XII. aratra ad vitæ temporalis necessaria concessit, heredi ejus unum talentum tribuens.

14. Alia quædam sactimonialis de *Gesiker*, *Oda* nomine, pro remedio animæ suæ parentumque suorum, quicquid hereditariæ proprietatis habuit in villis ac marca *Colstidi*, *Astanholte*, atque in *Lanchel*, vel in omni *Patherga* cum consensu ac petitione fratris sui justissimi heredis *Richardi* cum omnibus appendiciis Ecclesiæ Patherbrunnensi in proprium tradidit. Unde *Meinwercus* Episcopus misericordia motus, in finitimis locis ad vitam ejus X. aratra dedecimationis ei concessit, & insuper unam libram inter aurum & argentum & I. poledrum, ac V. victimas, id est, Frisinga / fratri verò ejus unum equum dedit: *Hosado* Præposito, *Ecilino* Imperatoris Capellano, *Amulungo* Comite & aliis multis astantibus.

15. Ejusdem quoque professionis & conversationis *Tabake* nomine, cum assentatu *Tiazonis* heredis sui quoddam prædium in *Thietmeressun* & in *Cherdinun* & in *Sidessun* per petitionem Episcopi *Meinwerci* Ecclesiæ dedit, eique Episcopus omnibus annis de episcopali substantia XX. maldros frumenti & LX. modios brasii, & III. bacones, cum totis minutiis dari constituit, heredi ejus dans griseas pelles & pernam unam.

16. Altera quædam sanctimonialis *Atte* nomine, accepit à venerabili Episcopo *Meinwerco* V. talenta auri & argenti & unum pallium & coopertorium vulpinum, & unum pelliceum martherinum pro aliis VII. talentis, ut quicquid prædii in *Wesiga* possideret, ad dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ traderet. Super hæc XII. talenta dedit Episcopus heredi, qui & ejus advocatus fuit, II. talenta, ut suum consensum adhiberet, & traditionem ex parte ejus perpetraret, & *Hibilina* III. sol. *Acelina* pullum unum equæ *manican*, III. sol. amicis illius, ut ei apud eam auxiliatores essent, donavit. A quibus domna *Atta* ammonita suo heredi *Abban*, in mallo *Amulongi* Comitis suum prædium, ut per manus ejus ad dominium sanctorum daretur, in proprium reddidit, idemque *Abbo* in mallo eodem Comitis ejusdem curtem, quæ est in villa, quæ dicitur *Haspan*, & quicquid ipsa habuerat in villis inter *Suntal* & *Asnig*, Ecclesiæ coram testibus in proprium dedit. Venerabilis autem Episcopus in eodem mallo per suum advocatum *Amulungum* totum prædium eidem sanctimoniali in beneficium eo pacto præstitit, ut omni anno in festo sancti *Liborii* ad altare ejus II. denarios ad tributum de eodem prædio redderet. Quæ beneficium accipiens tributum devotè persolvit. Præcavens autem Episcopus, ne ulla postmodum eam anxietas vel molestia paupertatis gravaret, omni anno C & VIII. modios brasii, III. pernas cum omnibus intestinis, III. amphoras mellis, nonaginta caseos, V. porcos, V. oves, XX. malder dari constituit.

17. Quædam sanctimonialis *Attule* nomine, cum consensu heredis suæ justissimæ *Glismod* nomine, quicquid hereditatis jure suscepit de suis heredibus *Sicca* & *Verterun* nominatis in exercitu Angariorum. & in exercitu Orientalium, cum omnibus appenditiis & utriusque sexus mancipiis, *Thiadrico* advocato hoc confirmante, Patherbrunnensi Ecclesiæ in proprium dedit. Venerabilis autem Episcopus quendam locum nomine *Crammo* cum X. litis attinentibus, ad temporalis vitæ subsidia ei tribuit, & II. talenta omni anno dari constituit, decernens eam recipere sua, si auferrentur ei concessa.

18. Alia quædam sanctimonialis *Liudburg* nomine, quicquid in marca *Astheim* hereditatis possedit, per suum advocatum nomine Brun ad dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ proprium tradidit, eo pacto, ut ab Episcopo vel suo Vicedomno omni anno darentur ei XXXVI. modii sil. XXIV. modii brasii, LX. casei, IV. arietes, una perna, duæ camisiæ, unum corium hirci, una tunica lanea, pellicium ovinum duobus annis, quamdiu viveret.

19. Quædam sanctimoniales carne & spiritu sorores *Imike* & *Imuke* nominatæ, per suum advocatum prædium, quod habebant in *Karalasthorp* cum omnibus attinentiis dederunt in proprietatem Patherbrunnensis Ecclesiæ. Hac traditione legitime peracta Venerabilis *Meinwercus* Episcopus pia misericordia motus II. talenta eis dedit. Et insuper omni anno X. malder frumenti, XXXVI. modios brasii, unam pernam cum intestinis; vel porcum unum saginatum se illis daturum promisit, ea conditione facta, ut reciperent sua, si quis eis unquam minueret vel infringeret concessa.

20. Comes *Doudica* de monte *Wartberch*, ut prædictum est, pellicem duxerat, non quam de mala bonam, de fornicaria castam faceret cum propheta *Osee*, sed quam de sanctimoniali adulteram & filiam gehennæ duplo faceret quam se. Horum filius annos pubertatis attingens arma sumere disposuit, & ascenso equo repente dorso ejus dejectus, & morsibus ejus attrectatus, & calcibus contusus miserabiliter expiravit. Comes autem de solario hoc pro-

prospectans, pellicem illico advocavit, & quoniam literis adprime imbuta fuit, quæ virtutum omnium excellentior cæteris esset, ab ea inquisivit? Qua veluti sterquilinium pretiosam reddente margaritam, cum in omnium multimoda assertione & laudabili prosecutione & commendatione *patientiæ*, virtutem perseverantis *constantiæ* magnanimitatem dignis præconiis imitabilem affirmasset, eam inquit Comes virtutem, quam imitabilem dignitatis suæ merito adeo commendas, tu primitus serva, & accedens foras prospecta: qua prospectante filium suum obiisse vidit.

Tandem Comes divina inspiratione, & assidua Episcopi ammonitione compunctus, pro remedio & commemoratione animæ suæ tempore accepto ad altare sanctisimæ Dei genitricis *Mariæ* & S. *Kiliani* Martyris, & S. *Liborii* confessoris cum consensu matris suæ *Hildigundæ* heredis suæ primitivæ, fratrisque sui *Sigobodonis* assensu, suæ proprietatis prædia sita in his locis *Wartberge*, *Rainlesessun*, *Erungun*, *Radi*, *Radi in superiori Wurmlahun*, *Rotben*, *Garametti*, *Rotwardeshusun*, *Illandehusun*, *Silihem*, cum omnibus eorum appendiciis & octo molendinis, cumcunctis, quæ nominari queunt vel nequeunt, & tamen in eis sunt vel fieri possunt utilitatibus, exceptis ministerialibus ejus hominibus *Eilberth*, *Randuvigh*, *Acelin*, *Gela*, *Doda*, *Hoika*, *Isi*, *Ainza*, *Tamma*, *Ibuke*, *Hizule* cæterisque mulieribus ad gynæceum ejus tunc assumptis, non ulterius assumendis, in proprium dedit, ea ratione & pactione interposita, ut quousque Patherbrunnense Monasterium maneret incolume, pro eodem *Dodicone* Sacerdoti, Diacono atque Subdiacono cotidie missam publicam celebrantibus, stipendialis refocilatio, quæ convenit uni fratri constipendiali ejusdem Ecclesiæ dari, daretur: si autem ab Episcopo vel Præposito missa publica celebraretur, eadem stipendialis refocilatio pro animæ ejus remedio inter XII. egenos divideretur. Cum vero idem *Dodico* Comes obiisset, in omnigena recommemoratione, quam pro ejusdem Ecclesiæ Episcopo agere consuetudo est, pro eo celebraretur in missarum & psalmorum celebrationibus, luminumque incendiis, eulogiarumque donationibus, centenorumque pauperum refocilationibus, & in omnibus, quæ in ejusdem loci Episcopi annuali depositionis die convenit agere. Hac traditione & pactione coram altari sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, domnus *Meinwercus* Episcopus cum Advocato suo *Amulongo* pro eodem prædio eidem *Dodiconi* in precariam præstitit, quicquid in *Desburg*, *Astnedere*, *Westnedere*, *Dalpanhusun*, *Dueriun*, *Vslabun*, *Rasbike*, *Siliben*, *Wepplithi*, ad Patherbrunn. Ecclesiæ proprietatem pertinebat: atque eandem traditionem, quam ad altare dederat, concessit, ut uterque, dum ipse viveret, traditionis & precariæ usufructu uteretur: eo autem mortuo traditio & precaria Ecclesiæ similiter restitueretur, exceptis tribus ministerialibus viris *Tiaxone*, *Bennone*, *Mainzone*, ac duabus familiis in *Weplithi* habitantibus & ad *Hristelle* pertinentibus, quas ei in precariam non concessit. Hæc autem traditio tali tenore facta est, ut si aliquis ei de concessis aliquid infringeret, sua reciperet.

Meinwerc egregrie, Præsulum eximie,
Quæso vivas hodie in æterna requie.
Judex orbis cum veneris mercedem dare famulis,
Cum ovibus in dextera, non cum hedis hunc colloca.
Talis tui in tuis affectus sit Christe tibi acceptus,
Qui eos dilexit propter te, per eos non aliud adipisci sperans, quam te.

21. Comes quoque *Sigibodo* frater ipsius *Dodiconis* Comitis cum sua contectali *Weldilmod* pro remedio & commemoratione animarum suarum cum consensu heredis suæ *Hildigundæ* unam curtem, quæ nominatur *Liudulfingaroth* cum omnibus attinentiis Ecclesiæ Patherbrunnensi, in præsentia Imperatoris *Heinrici* tradiderunt, atque ante altare sanctisimæ genitricis *Mariæ* eandem traditionem cognoscendo reiterarunt. Episcopus autem *Meinwercus* cum suo advocato *Amulungo* quoddam prædium, quod nominatur *Curbike* cum XVII. familiis & I. molendino eis in precariam præstitit, ut quamdiu uterque viveret, precariæ usufructu uteretur; illis autem obeuntibus, in integrum ad altare prænominatum restitueretur, reciperentque sua, si aliquis unquam infringeret concessa.

22. Quidam nobilis homo *Northinc* nomine, quoddam prædium in *Biveran* cum omnibus appendiciis, annuente matre sua herede justissima *Eilkan* dicta, in proprium Patherbrunnensi Ecclesiæ dedit, & à Venerabili *Meinwerco* Episcopo hoc pie perpendente decimationem in *Warpessun* pro suo servitio in beneficium accepit, *Conrado*, *Amulungo* Comitibus cum aliis multis astantibus.

23. Alius quidam nobilis *Luithardus* nomine, quicquid habuit in villa & in Marca *Irixlevu* in exercitu *Asterluidi* & in pago *Hertboga* cum utriusque sexus mancipiis & omnibus attinentiis pro remedio animæ suæ parentumque suorum Ecclesiæ dedit, eique Episco-

pus *Meinwercus* pro dono pallium unum, pro IIII. libris, unam unciam auri, & X. libras denariorum tribuit, in præsentia *Vdonis*, *Bennonis*, *Amulungi*, *Herimanni* Comitum & aliorum multorum.

24. Item quidam nobilis *Hemuca* nomine quoddam prædium in *Curbike* pro spe suæ salutis & incolumitatis Ecclesiæ contulit. Post obitum vero ejus *Reinhardus* & *Humburga* heredes ejus legitimi traditionem factam infringere & infirmare voluerunt; sed acceptis ab Episcopo tribus talent. denariorum in vigilia S. *Bonifacii* in *Wartberge*, quod factum fuerat, ratum dimiserunt & fecerunt.

25. Alius itidem secundum sæculi dignitatem nobilissimus *Esic* nomine de Mesheri, cum consensu ac petitione patris sui heredis justissimi *Thiatmari*, quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villa *Nederi* ac Marcha cum omnibus attinentibus, in ædificiis, molendinis, mancipiis, exceptis his IIII. *Wicil Sicca, Becca, Asake*, Ecclesiæ Patherbrunn. in proprium tradidit. Episcopus autem ad tantam devotionem misericordia motus, in finitimis locis ad vitam tam filii quam patris XX. familias inter *Esiberg* & *Duergian* donavit: omneque etiam illorum beneficium, videlicet nummorum XXXIII. talenta in decimatione & aratris comparata sine servitio concessit. Atque omni anno de *Foresti Reinberishusun* duos porcos silvaticos & duos cervos & duas cervas dari constituit; & insuper XX. libras den. ei dans, patrem ejus in fraternitatem Patherbrunnens. Ecclesiæ suscepit coram *Amulungo*, *Herimanno*, *Thiadrico* Comitibus & aliis multis: potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferret concessa.

26. Quidam nobilis item *Wicbran* dictus, cum voluntate ac desiderio uxoris suæ *Tettan* ejusque justissima heredis *Eican* pro remedio animæ suæ parentumque suorum, quicquid proprietatis habuit in villa ac marca *Thiadwardessun* ad Ecclesiam dedit: Episcopusq; solita benignitatis suæ gratia præfatæ domnæ *Tettæ* duas martherinas manicas cum pallio ornatas, unum lineum pannum, & unum equum pro dono tribuit.

27. Ejusdem nobilitatis, fidei, & carnis quidam *Ridund* nomine cum assensu contectalis suæ *Siburg* fratrisque ejus *Rimisis*, quicquid proprietatis habuit in *Steinnem*, in pago *Hessiun* cum omnibus utilitatibus ad eundem locum pertinentibus, omni contradictione remota ad dominium Patherbrunnens. Ecclesiæ tradidit: Episcopus autem in Annunciatione sanctissimæ Mariæ, testimonio *Herimanni de Werla*, *Ekkika de Aslan*, *Bennonis*, *Tammonis*, *Herimanni minoris*, *Liutgeri*, *Sifridi*, *Bernhardi* Com. in *Milinhusun* unum equum, unum coccineum dorsale, & pelles griseas pro VII. talentis eidem dedit, & postea in *Goslaria* II. Id. Maji in Ascensione Domini duas uncias auri, duo pellicea grisea pro duobus talent. III. marcas & II. talent.

28. Item nobilis quidam *Volcwardus* nomine, consensu uxoris suæ *Verthewi* duos mansos in *Westnederi* pro remedio animæ suæ Patherbrunnensi Ecclesiæ *Erphone* & *Ekkika* Comitibus cum multis astantibus in proprium dedit, & in natali S. Magni martyris in *Wartberge* XXXIII. sol. den. & V. den. aureos, & unam pernam ab Episcopo accepit.

29. Quidam alius nobilis *Isier* nomine, in præsentia *Bernhardi* Ducis Ecclesiæ contulit, quicquid proprietatis in *Bennanhus* habuit, & pelles rufas ac XXXV. sol. den. Episcopo largiente accepit.

30. Quidam miles D. *Brun* nominatus, cum sua nepte *Ida* nomine, sua prædia in *Sutdesburch*, & *Betanun Wallenstide* cum omnibus appendiciis dedit quoque Ecclesiæ pro spe remunerationis æternæ, & pro remedio animæ fratris sui *Thiatmari*, eo videlicet pacto, ut quamdiu viveret, beneficium, quod ei Episcopus concessit, hoc est *Bossesun* & *Hemmedesun* cum omnibus appendiciis possideret, hac conditione *Tmmidi*, *Dodike*, *Volchardi*, Comitum testimonio interposita, ut si aliquis sibi concessa auferret, sua reciperet.

31. Quidam liber homo *Roddech* nomine, dedit Episcopo suæque Ecclesiæ Patherbrunn. quoddam prædium in *Uthihem*, & accepit ab eo equum unum pro I. talent. XXX. sol. denar. pelles & scutum unum.

32. Item quidam liber *Alfric* nomine, dedit Episcopo XX. agros & aream in *Aldenthorpe*, & ob hoc dati sunt ei & uxori suæ caballus unus, XII. sol. den. II. lanei panni, II. pernæ, VI. malder frumenti.

33. Miles quidam *Wigo* nomine, quoddam prædium in marca, quæ vocatur *Alieressun*, in proprietatem Patherbrunn. Ecclesiæ tradidit, & ab Episcopo in eo solo anno X. aratra decimationis & X. siclos den. in præsentia *Winonis Helmwardeshusensis* Abbatis, *Hosadi* Præpositi, *Amulungi*, *Erphonis* Comitum & aliorum multorum accepit.

34. Alius quidam miles *Bruno* vocatus divina inspiratione instinctus consensu *Wendelburgis* suæ conjugis, quicquid habuit in marcha, quæ vocatur *Ananroth* in mancipiis utriusque sexus & attinentiis omnibus, ad dominium & proprietatem Patherbrunnens. Ecclesiæ tradidit,

didit, & ab Episcopo hanc traditionem benigne suscipiente IIII. aratra in beneficium accepit, in præsentia *Hosadi* Præpositi & aliorum multorum.

35. Vir quidam *Bevo* nomine cum consensu uxoris suæ & filiorum suorum *Meinbardi*, *Liutgeri*, *Rodulphi* heredum ejus justissimorum quoddam prædium Patherbrunn. Ecclesiæ in proprium dedit, & ab Episcopo pro hoc benefacto misericordia moto V. talenta accepit. Postea domnus Episcopus per nuntium suum *Thundbertum* eidem *Bevoni* unam libram den. misit, *Bennone*, *Amulungo* Comitibus cum multis aliis huic rei testimonium perhibentibus.

36. Item vir quidem *Hola* nominatus, divina inspiratione præventus pro requie animæ fratris sui *Gerberti* mortui, & pro memoria filii sui *Rainoldi*, qui tunc in Ecclesia Patherbrunn. litteralibus studiis operam dabat, quicquid ipse *Gerbertus* vivens possederat in his locis, *Ammohusunet*, & in *Thumithi* & in *Langal*, & in *Maresvelde* & in *Salmingbusun*, Patherbrunn. Ecclesiæ dedit, Episcopus vero eidem *Rainoldo* pro suo servitio *Dudo* in beneficium postmodum præstitit.

37. Quidam nobilis *Ecilin* nomine, cum filio suo *Meinhardo* herede justissimo quicquid habuit hereditatis & proprietatis in *Harun* cum VIII. mancipiis & omnibus attinentiis, ad dominium Patherbrunn. Ecclesiæ tradidit. Episcopus autem prænominato *Ecelino* omni anno XL. malder frumenti, IIII. pernas sine minutiis, V. oves de Episcopali substantia dari constituit, & filio ejus unum caballum, unum lineum pannum, X. malder frumenti, II. pernas dedit, potestate sibi data recipiendi sua, si unquam aliquis auferret concessa. Homo quidam nobilis *Walberth* nomine, XLIV. agros & unam aream in loco *Bilisti* consensu heredis suæ *Adalgart* Ecclesiæ tradidit: Episcopus autem cum suo advocato Amulungo, cuidam libero homini *Wizo* nomine, & suæ uxori filiæ *Walberti*, & si ipsi filios vel filias genuissent, eisdem sub Mundiburdio præfati Episcopi vel successoris ejus permanentibus, ipsum prædium & ad hoc omne beneficium, quod idem *Wizo* habebat, concessit, hac conditione facta, ut si quis illorum sub Mandiburdio Episcopi vel successoris ejus servire noluerit, Episcopus vel successor ejus prædium cum beneficio recipiat, & insuper, quisquis illorum alium supervixerit, omni anno II. denarios Episcopo ad tributum persolvat.

38. Item nobilis vir nomine *Wilheim*, pro remedio animæ suæ parentumque suorum quoddam prædium in *Levardisbusun* Ecclesiæ dedit, & ab Episcopo equum I. pro XXX. sol. II. tal. & insuper X. sol. in præsentia *Vdonis*, *Sifridi*, *Amulungi* Comitum accepit.

39. Alius itidem nobilis nomine *Richardus* pro animæ suæ parentumque suorum remedio, quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villis ac merchan *Gladabiki*, *Hiridecassun*, *Hemmambus*, *Heristi*, *Perrenbus*, *Daillanbus*, aut in omni orientali exercitu, cum consensu ac petitione sui justissimi heredis *Wiris*, cum omnibus appenditiis dedit Ecclesiæ: & Episcopus hoc piè perpendens, astante *Bernbardo* duce *Conrado*, *Amulungo*, *Thiadrico* Comitibus & aliis multis, unam curtem, quæ vocatur *Betanun*, cum XVI. familiis & XX. aratra decimationis ei concessit omnibus diebus vitæ suæ; recipiendi sua dans ei potestatem, si quis ei cum attinentiis præfatam auferret curtem.

40. Alius quoque nobilis quidam *Liudulfus* nomine cum consensu fratris sui *Wickeri* & conjugis suæ *Suanebildis* quoddam prædium dictum *Welmithe* Patherbrunn. Ecclesiæ tradidit, & ab Episcopo pie hoc accipiente XV. talent. argenti & XX. aratra in pago *Wessiga* cum uxore sua accepit. Postea Episcopus eum ad militem suscipiens, XXX. aratra in prædicto pago in beneficium dedit, ea ratione, ut in expeditionem IIII. scuta transmitteret, & si à servitio se unquam alienaret, XXX. aratra redderet.

41. Item nobilis quidam *Liutthardus* nomine, & uxor sua *Norhsuit* consensu *Elsdaches* & *Badon*, *Wicballes* heredum suorum, quicquid hereditatis propriæ habuit in *Brochusen* in pago *Thietmelli*, Ecclesiæ contulerunt, & ab Episcopo ipsum prædium cum IIII. aratris in *Smithessun* in beneficium ad terminum vitæ suæ eo pacto receperunt, ut quam diu aliquis illorum viveret, II. den. pro censu daret.

42. Vir quidam *Ricmarus* nomine, consensu fratris sui atque heredis justissimi *Hrobtward*, quicquid hereditatis in *Volkieresbusun* habuit, cum omnibus attinentibus pro remedio animæ suæ Ecclesiæ tribuit, & ab Episcopo quendam locum cum IIII. mansis *Niganbrunnun* vocitatum, & decimationem super villa nomine *Dodanbusun*, excepta curte, quamdiu viveret, accepit, & I. caballum & unciam auri, & I. scutum & I. lanceam, illi & fratri suo super hoc dedit, scripto decernens eum recipere sua, si quis ei auferret concessa.

43. Alter quidam Christianæ Religionis cultor & amator mansum unum vel quicquid proprietatis in *Silon* habuit, annuente *Bennone* Comite & filia sua, ad dominium Paterbr.

Ecclesiæ tradidit: Episcopus autem misericordia motus eidem de *Heristelli* mansum unum & II. aratra ad terminum vitæ suæ concessit, & insuper I. pernam & poledrum unum, in præsentia Amulungi Com. & aliorum multorum tribuit.

44. Quidam vir *Erp* nominatus devotioni aliorum est annumeratus, qui consensu uxoris suæ *Tettæ* & matris suæ Evusæ, quicquid hereditatis in *Esikessun* possederat, pro spe suæ salutis & incolumitatis Ecclesiæ obtulit, & ab Episcopo XX. aratra in *Eliceressun* & finitimis locis in beneficium suscepit: gratuitò sibi ab Episcopo datis uno caballo & LX. maldris; uxori vero suæ duobus talentis in præsentia & testimonio *Amulungi* Com. & aliorum multorum: hoc decernens, ut sua reciperet, si quis ab eo concessa sibi abstraheret.

45. Alius vir quidam *Bennaka* consentientibus hereditatis suæ legitimis heredibus, fratre suo videlicet *Godica* & filio *Godiscalco*, quoddam prædium *in villa Wiriesi situm in pago Auga in Comitatu Bennonis Comitis*, pro remedio animæ suæ parentumque suorum ad Patherbr. Ecclesiæ dominium delegavit. Unde Episcopus dedit ei ad temporalis vitæ subsidium XI. aratra in *Baddanhusun*, in *Ahus* VIII. in *Heleckieressun* X. aratra, in *Baduellun* V. aratra & dimidium, in *Bodekerithorpe* VIII. in *Cuadian* X. in *Geradessun* VII. insuper II. tal. denar. III. cervisias, IV. pernas, XX. mald. avenæ, Comit. *Erp* in Wartberge cum multis præsente, & his rebus testimonium perhibente.

46. Item quædam *Imuca* nomine, consensu & voluntate filiæ suo *Herisuithe*, quicquid hæreditatis in villa & in marcha *Asthem* & *Ecla* habuit cum omnibus attinentibus, Ecclesiæ contulit. Et ab Episcopo cum præfata filia IV. familias in beneficium accepit, & omni anno de Episcopali substantia unam plenam cervisiam, VI. maldros, unam pernam. De hac autem traditione talis conditio coram *Hosado* Præposito, *Hecelino* Capellano, *Amulungo* Comite & advocato aliisque multis facta est, ut si filia ipsius superviveret, prædium Ecclesiæ recognosceret & dimitteret, & IV. familias cum prædio & maldris obtineret usque ad terminum vitæ suæ: & si aliquis hoc infringeret, illa sua reciperet.

47. Quidam vir *Ranward* cum laudatione fratrum suorum *Volckieres* & *Ekkionis* quoddam prædium in *Bikihusun* Ecclesiæ tradidit, & ob hoc illis Episcopus equum unum, II. boves, IIII. solid. denariorum in præsentia *Amulungi*, *Gerberti*, *Ekkikæ* Comitum donavit.

48. Duo fratres *Wira* & *Hemuca* nominati, consensu & voluntate parentum suorum mansum unum in *Stenlari* cum uno viro, cujus nomen est *Buna*, ad Ecclesiam tradiderunt, & ab Episcopo cappam martherinam, II. equos, XXII. solid. denariorum, multorum testimonio acceperunt.

49. Vir quidam *Ethelier* nomine, cum voluntate uxoris suæ *Wicsuithe*, quicquid proprietatis in *Diesna* habuit cum omnibus attinentiis, in proprietatem Patherbrunn. Ecclesiæ tradidit, & Episcopus misericordia motus eisdem pallium unum pro VII. libris, & VI. uncias auri, XVII. libras argenti, IV. solidos denarior. astante *Amulungo* Com. & aliis multis in *Ekwardinchusun* pro mercede illis tribuit.

50. Quidam bonus laicus *Tidierus* nomine, quicquid proprietatis habuit in *Bulihem* in pago *Soratvelde* cum omnibus attinentiis, pro remedio suæ animæ parentumque suorum, sine omni contradictione cum assensu & voluntate heredum suorum dedit Ecclesiæ, accepitque ab Episcopo in beneficium in præsentia *Hosadi* Præpositi, *Amulungi*, *Thiedrici* Comitum VI. aratra decimationis in prædicta villa *Bulihem* & *Vurmessun* usque ad terminum vitæ suæ.

51. Duo fratres *Liudric* & *Becelin* nominati, cum *Wicilino* quicquid proprietatis in *Halogokircan* habuerunt, cum voluntate domnæ *Helmburgæ* heredis justissimæ ad Ecclesiam dederunt, & IV. libras denariorum à venerabili Episcopo pro mercede acceperunt.

52. Vir quidam *Tiedi* nomine, LXX. agros in *Bilivelde* hereditario jure possedit, quos cum duabus areis assensu & voluntate matris suæ *Wilburgæ* in proprietatem Patherbrunnensi Ecclesiæ contulit. Episcopus autem propter illam traditionem ipsum *Tiedi* ad nutriendum in suum Mundiburdium suscepit, & matri suæ omni anno unam laneam tunicam, unam camisiam, unam pernam, I. malder caseorum, VII. maldros frumenti, XXX. modios brasii, & in IV. anno unum pellicium ovinum in festivitate S. *Andreæ* se daturum promisit, in præsentia *Amulungi*, *Ekkika* Comitum, & aliorum multorum.

53. Alius vir quidam devotionis ejusdem, *Radulf* nomine, pro remedio animæ suæ parentumque suorum cum consensu & affirmatione *Richbrechtes* heredis justissimi quendam litum *Burghardum* nomine, cum omni sua familia & manso uno in loco, qui *Weni* dicitur, *in pago Almunga, in Comitatu Ekkikonis* in proprium dedit Ecclesiæ: Episcopus autem pro æterna remuneratione concubinæ prædicti *Radulfi*, quæ *Atholoch* dicebatur, omni anno in die Circumcisionis Domini V. sol. den. dari eo tenore constituit, ut si ipse vel aliquis successorum suorum præfatam pecuniam non persolveret, ipsi *Atholoch* prædictum mansum restitue-

tueret, & si nec censum ei solveret nec familiam restitueret, in extremo examine æternis gehennæ ignibus cruciandus perpetuæ damnationi subjaceret.

54. Quidam bonus Christianus nomine Verthumundus, cum voluntate filii sui *Alfdeches* heredis legitimi XXIII. agros & I. aream in marcha *Calriki* Ecclesiæ tradidit, eisque Episcopus ad vitam amborum I. mansum in *Ovoranduergian* ea ratione concessit, quatenus in natali S. Liborii III. den. inde persolverent, *Amulungo* Comite cum aliis huic rei testimonium perhibente.

55. Quidam item vir nomine *Hathamarus* divina inspiratione commonitus, quicquid proprietatis habuit in *Erpessun in pago Lacbni, & in Comitatu Herimanni Comitis*, cum favore matris suæ *Bezzulan* heredis justissimæ, eo tenore in proprietatem Ecclesiæ tradidit, ut sibi soli, quamdiu superstes esset, omni anno de Episcopali substantia III. talenta darentur, & si quis Episcoporum Patherbrunn. sedis hoc pactum renueret, eidem *Hathamaro* prædium suum restitueret: Episcopus autem dedit illi ad conductionem I. equum, I. cuspidem, I. clipeum, vulpinas pelles, griseas pelles, LI. sol. denar. matri vero ejus domnæ *Bezzulan* in Cathedra *S. Petri* unum talent. ut laudaret, *Udone, Herimanno, Benna, Sifrido* Comitibus & aliis multis astantibus.

56. Vir quidam *Hidda* nomine, quoddam prædium in *Burchusun* dedit Ecclesiæ, & ob hoc dati sunt ei & uxori ejus II. caballi, II. boves, duo lanei panni, III. pernæ, pelles griseæ, VIII. sol. denar. III. sol. XII. modii frumenti, solidus unus.

57. Alius vir quidam de loco quodam, qui vocatur *Wittisungan* nomine *VVicil* dedit Episc. *Meinwerco* prædium quoddam in *Othibem*, & ob hoc accepit ab eo I. martherinam tunicam pro L. sol. & IIII. talenta den. & X. sol.

58. Vir quidam *Herimannus* nomine de *Holthusun*, accepit in Patherbrun. XXX. sol. quos dedit cuidam viro nomine *Tada* pro domo una, quam dederat Ecclesiæ.

59. Alius vir quidam nomine *Amulung* accepit de Episcopo *Meinwerco* X. sol. & unam mulierem ad deferendum cuidam sanctimoniali in *Meschethi* pro duobus pueris, quos ab ea obtinuit.

60. Item *Adalward* in *Hechti*, & *Rumold* in *Heingahusun*, & *Benna* sua prædia in *Immedeshusun* Episcopo tradiderunt, & hanc traditionem testimonio *Hermanni* Comitis & aliorum multorum legitimam & firmam fecerunt.

61. Vir item quidam *VVicbrandus* nomine, consensu contectalis suæ *Tettæ* quoddam prædium in loco, qui dicitur *Hemmicanhusun* cum omnibus attinentiis, ut deleret peccata sua, II. Nonas. Nov. Ecclesiæ Patherbrunn. dedit, eique Episcopus pelles martherinas & unum pallium pro VIII. talent. tribuit, & quamdiu viveret, XV. aratra sub tali conditione dari constituit, ut si aliquis sibi concessa infringeret, sua reciperet.

62. Quidam fidelis *Godescalcus* nomine, cum consensu heredis suæ *Hemmedessun* nomine, Patherbr. Ecclesiæ VII. mansos in proprium dedit, accepitque ab Episcopo unam cappam griseam, XII. tal. C. maldros, VIII. pernas *Thiedrico, Ekkika* Comitibus cum aliis multis in *Nihem*, ubi hæc traditio facta est in vigilia S. *Gertrudis* virginis, astantibus.

63. Item fidelis quidam *Aethelhardus* nomine, cum sui heredis justissimi *Luicican* assensu & voluntate I. mansum in marcha *Listungun* cum omnibus attinentibus dedit Ecclesiæ, eique Episcopus misericordia motus VI. marcas cum IIII. libris in præsentia *Hosadi* Præpositi, *Amulungi* Comitis & aliorum multorum pro mercede restituit.

64. Quidam item fidelis *Hildelin* nomine, per consensum suæ contectalis *Odæ* & heredis justissimi ipsius *Arnoldi* anam aream & XL. jugera cum omnibus appendiciis in pago *Nitherga* in villa, quæ dicitur *Holthuson*, & *Arnoldus* cum consensu suæ matris ejusdem *Odæ* & prædicti *Hildelini* unum litum in pago *Almunga* in villa, quæ vocatur *Barghusun* & sua uxore & filio, & cum omnibus, quæ tunc habuit in area quoque & prædio & omnibus ejusdem prædii appendiciis, pro acquirenda decimatione super villam *Emiggarothun* Ecclesiæ in proprium tradidit. Quod Episcopus pie accipiens prædicto *Hildelino* & suæ contectali *Odæ* & *Amaldæ* omnibusque posteris ejus eandem decimationem pro prædicto prædio per suum advocatum *Amulungum* dedit. Hæc traditio III. Nonas Nov. primum facta, IIII. Non. Jan. iterata & confirmata est, consedentibus ibidem Archiepiscopo *Hunfrido, Siberto, Hildiwardo* atque *Liuzone* Episcopis, & astantibus *Fritherico, Gerberto* & *Thiadrico* Comitibus.

65. Item quidam fidelis Christianus nomine *Araca* de *Corbeja* fuit, qui cum voluntate filii sui *Titballes* heredis justissimi unum agrum in orientali littore fluvii *VVisaræ* prope *Huxeri* omni contradictione remota Ecclesiæ dedit.

66. Quidam vir nomine *Vulfheri* XV. agros, quos cum uxore sua in loco, qui *Vulfereshusun* dicitur, proprietario jure possedit, nimia paupertate constrictus cum consilio & voluntate

tate

tate uxoris suæ & heredum suorum Ecclesiæ contulit, eisque Episcopus pro amore Christi pro illis XV. agris unam libram denariorum persolvit.

67. Quidam vir *Thiadold* nomine, unam aream & XVIII. agros in quodam oppido, quod dicitur *VVicbernesbusun* habuit, & nimia egestate compulsus, propter inopiam ipsam aream cum ædificiis & ipsis XVIII. agris cum omni utilitate attinente, cum consensu & voluntate uxoris suæ *Redmodæ*, & filii sui *Athalwardi* justissimi hæredis Ecclesiæ in proprium tradidit, & Episcopus pro amore Dei prænominatis XXX. sol. & I. pernam cum totis minutiis dedit.

68. Quidam pauper vir de *Halogokircun* cum sua contectali I. aream & XX. agros Episcopi *Meinwerco* dedit, & ob hoc ab Episcopo aream I. pernam I. tal. I. den. V. malder frumenti, & II. laneos pannos accepit.

69. Quidam vir *Alsdagus* nomine, nimia penuria coactus, quicquid heriditatis, in marcha *Hodanbusun* possederat, cum voluntate filii sui *Liudulphi* Ecclesiæ tali tenore tradidit, ut quamdiu viverent ambo, de Episcopi eleemosyna alerentur: Episcopus autem hoc pie rependens, constituit eis dari cotidie II. panes, II. bicarios de cervisia, sabbato dimidium caseum, dominica & aliis festis diebus II. carnes, & omni anno II. laneos pannos, unum siclum denariorum.

70. *Thietmarus* senior, frater *Bernhardi* Ducis Saxoniæ, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantum vitiis plenus, quantum rebus, superbia tumidus: in acquirendis rebus avaritiæ facibus accensus. Denique contra jus & fas ubique fidelium res invadens & diripiens, inter cætera tyrannidis suæ opera quodam tempore iter suum ad Monasterium *Herivordia* direxit, faciensque ibi magnam munitatem, sanctorum ibidem requiescentium & suæ sororis abbatissæ nomine *Godesti*, & congregationis Sanctæ Mariæ thesaurum confregit, & inde plus justo pecuniæ detraxit. Postea ad Synodum, secundum Canonicam constitutionem ab Episcopo Meinwerco vocatus, ad corrigendum commissa est ammonitus. Quo salubriter compuncto & utiliter correcto constitutum est, eum Episcopo dare XXX. tal. denariorum. Illo autem pecuniæ pondus tantum non habente, omne prædium, quod habuit in *Bruninckthorpe* cum omnibus appendiciis, cum consensu & voluntate sui heredis Bernhardi Ducis atque fratris sui, ad dominium Patherbr. Ecclesiæ pro reconciliatione illius pecuniæ in proprium dedit. Hanc traditionem Episcopus banni sui munimine firmavit, *Udone*, *Herimanno*, *Bernhardo*, *Liudero* Comitibus & aliis multis assistentibus.

71. Quidam viri de *Sterue Æthelbern*, *Ecilin*, *Heriward* nominati, hominem quendam pertinentem, *Herisi* casu fortuitu occiderunt, & ne publice proscriberentur, & res eorum diriperentur, se cum omni substantia sua ad dominium Patherbrunn. Ecclesiæ in proprium tradiderunt. Venerabilis autem Episcopus, factus eis turris fortitudinis à facie inimici, dissidentes legitime pacificavit, & homicidium factum ad Ecclesiam *Herisiensen* cum octo libris persolvit.

72. Vir item quidam *Sigibodo* nomine, adversus Ecclesiam fortuitu plus justo excessit, sed Dei favente gratia compunctus & correptus, pro emendatione legitima, cum assensu & voluntate uxoris suæ *Embilan* & heredum suorum, quædam prædia *Vilisi*, *Vesperdun*, *Hodingabusun* in proprietatem ejusdem Ecclesiæ contulit.

73. *Retharius* venerabilis Episcopus, præsulis venerandi *Meinwerci* prædecessor, quendam mansum cuidam viro nomine *Isica* in beneficium dederat, quem, quamdiu vixit, in quieta mansione & legitima possessione tenuit, filiusque ejus *Ecelinus* nomine, post eum quasi hereditarium accepit, quousque peccatis exigentibus de sacrilegio quodam convictus, fugam iniit. Quo comperto Episcopus *Meinwercus* à filio *Ecelini* & uxore ejus *Demoda* atque cognatis supradictam hereditatem Ecclesiæ requisivit: quibus, prout possibilitas eorum fuit, diu resistentibus, & ad ultimum convictis, juste & spontanee, quod per multa tempora injuste tenebant, reddiderunt, & insuper VIII. agros, quos hereditario jure possederant, Ecclesiæ dederunt: Episcopus autem consueta sibi benivolentia devotioni eorum congaudens, unam cappam martherinam, I. pannum lineum & VII. sol. denarior. in præsentia *Amulungi* Comitis, & aliorum multorum eis tribuit.

74. *Ekkibrath* quoque miles marchionis *Bernhardi* quoddam prædium juri suo vendicavit, quod coram duce *Bernhardo*, marchione *Bernardo*, *Thiatmaro*, *Thiedrico*, itemque *Thiedrico*, *Luidulfo*, item *Luidulfo*, *Tancmaro*, *Sifrido*, *Esico*, *Liudero*, *Heinrico*, item *Heinrico*, *Vertherico* Comitibus, *Thiedrico* quoque Comite milite Episcopi, in *Mersburg* curte regali Episcopo *Meinwerco* remisit.

75. Quidam itidem vir *Ibo* nomine, cum uxore sua quoddam prædium dedit Ecclesiæ, recepitque ab Episcopo post assumptionem sanctæ Mariæ duas familias, duos equos, duos boves,

ves, duas vaccas, decem oves, duo pellicea, pelles vulpinas. XIII. den. auri, III. pernas, unum pannum lineum ac duas familias.

76. Vir quidam nomine *Reinhardus* & sua contectalis *Ricmod* traditionem de quodam prædio in *Sidiginchusun* infringere voluerunt; sed acceptis ab Episcopo in reconciliationem III. libris denariorum, & una familia in *Suinvellun*, omni contradictione postposita pacati quieverunt.

77. Suprema quoque reconciliatio prædii, de quo diutissime rixati sunt Episcopus & *Godebold* & uxor sua *Liutrud*, facta est XVII. Kal. Octobr. in *Withem*, ubi Episcopus unum clericum nomine *Redbern* & unam mulierem eis in reconciliationem dedit, ipsique cum voluntate filii eorum *Godoboldi* coram *Amulungo*, *Gerberto*, *Thiadrico* Comitibus prædio omnimodis renunciaverunt.

78. Quædam nobilis mulier *Idrke* nominata, prædium in *Essiki* & *Liutburgam*, quod ei quidam vir nobilis nomine *Thiedericus* in proprium delegavit, per consensum justissimi heredis sui *Roddaches* filii ejus, omni contradictione remota cum omnibus illuc pertinentibus in proprietatem Paterbrunnens. Ecclesiæ tradidit. Episcopus autem *Meinwercus* misericordia pro hoc benefacto motus prædictæ *Idikan* III. tal. pro zaritate dedit, & per interventum ejus & petitionem præfato Thied. *Liutburgam* in beneficium ad terminum vitæ suæ concessit; insuper omnibus annis III. tal. dari constituit.

79. Alia quædam nobilis fœmina *Vizuca* nomine, in villa, quæ vocatur *Haldugon* suum prædium cum consensu suæ heredis unicæ, videlicet filiæ suæ, ad Monasterium Patherbrunnens. Ecclesiæ dedit, quod domnus *Meinwercus* Episcopus absque ulla contradictione, illa superstite, possedit. Illa autem ex hac vita subtracta *Godoboldus*, ipsius Episcopi miles, eandem traditionem irritam fieri cupiens, sine generali legum placito & judicii contradictione. Reliqui vero milites Episcopi inter utrumque paci & karitati providentes, ad hoc usque Episcopum consiliis deduxerunt, ut daret ei placando pallium unum, pelles martherinas; IIII. uncias auri, VII. libras argenti, equum unum, aratra quoque quædam. Quod in natali S. Agathæ in Herisi coram idoneis testibus fecit, sicque traditio illa deinceps inconcussa permansit.

80. Quædam item nobilis mulier *Reinike* nomine, divino ut credimus ammonita instinctu, cum consensu fratris sui *Haoldes* heredis justissimi, & uterque cum alterius laudatione, pro remedio animarum suarum parentumque suorum, quicquid proprietatis in *Dodanhusun* & in *Thincherdinchusun* habuit, cum omnibus appendiciis, ædificiis, molendinis & mancipiis, quorum nomina hæc sunt, *Wecil*, *Doda*, *Becelin*, *Reinhald*, *Azule*, *Gerburg*, item *Azule*, *VVanikin*, *VVeldelburg*, *Engize*, *Thiezike*, *Eile*, *Ode*, *Ikike*, ad dominium Patherbrun. Ecclesiæ in proprium delegavit. Episcopus autem *Meinwercus* hanc traditionem pie accipiens præfatæ *Reinikan* illam curtem in *Thincherdinchusun*, & omnem decimationem in *Thinkilburg*, & in *Lellebiki*, & in Rian, & VI. familias usque ad exitum vitæ suæ, & insuper VII. talenta donavit, & fratri ejus *Haoldo* ad conductionem II. talenta dedit: Hac conditione in præsentia *Hosadi* Præpositi, *Amulungi*, *Gerberti* Comitum, & aliorum multorum Canonicorum & laicorum facta, ut si aliquis constituta infringeret, domna *Reinike* data reciperet. Quidam vero nobilis *VVega* nomine, quicquid contradictionis in hac traditione habuit, coram Episcopo *Gozmaro* ad ultimum voluntarie dimisit, & acceptis ab Episcopo per Presbyterum de *Gesmeri*, nomine *Vnnca*, II. tal. den. in præsentia *Amulungi*, *Benna* Comitum, quæ facta & data fuerant, stabilivit atque firmavit.

81. Nobilis item quædam mulier *Godruna* nomine, prædium quoddam *Gelanthorp* dictum, in Comitatu *Bernhardi* Ducis, & in pago *Tilithi* situm, hereditario jure possedit: quod cum omnibus suis appendiciis, XVIII. videlicet mansis & utriusque sexus mancipiis, cæterisque lignorum aquarumque utilitatibus, pro spe suæ salutis & incolumitatis, pro obtinendo gaudio sempiternæ jocunditatis, Ecclesiæ contulit. Cum autem hæc traditio sine voluntate filii ejus, nomine *Hoda*, facta fuisset, Episcopus XII. *Kal. Aprilis in Mulinhusun* placitum cum eo habuit, & adjuvantibus se *Sifrido*, *Amulungo*, *Ekkiko*, *Thiederico*, *Tancmaro*, item *Ekkiko*, *Tamma*, *Liudolfo*, *Hamuke*, *Wiza* Comitibus, *Eizone* Præposito, *Geza*, *Hiaza* villicis, *Geza* pincerna, *Tamma* advocato de *Hildinesheim*, domna *Sophia* & aliis multis, quæ data fuerant, ab eo renovari & stabiliri obtinuit, & ei pro mercede pelles bonas, & VIII. talenta tribuit.

82. Episcopatus autem ejus anno nono, Dominicæ vero Incarn. MXVIII. quædam vidua nomine *Fretherun* pro gravedine suorum peccaminum, & pro remedio animæ filii sui *VVidikini*, per advocatum suum *Thiathmarum* cum consensu heredis suæ *Ancia*, curtem *Nederi*, & curtem *Assiberg*, & curtem *Haldugun* & Ecclesiam, & quicquid in his tribus locis possedit in villis, areis, aquis, piscationibus, agris, pascuis, silvis, & in omnibus appendiciis & mancipiis, in *Nederi* videlicet novem, in *Assiberge* XVIII. in *Haldugun* X. ad dominium & proprietatem Patherbrun-

therbrunnensis Ecclesiæ contulit. Ista traditione peracta, Episcopus *Meinwercus* eidem viduæ curtem *Haldugun* cum omnibus suis appendiciis, & curtem *Heristalli* cum V. equis, & VI. bubus, & XXX. ovibus cum pullis, & XXX. porcis, & cum XX. litis, & XX. aratris concessit, & ad hoc XII. pernas, & XX. maldros tritici, & XXX. urnas vini ei dedit, & omni an. hæc eadem in Pascha se daturum illi promisit, & insuper dimidium talentum auri, & vulpinum coopertorium, & canum pelliceum donavit, & adhæc *Anciæ* filiæ suæ V. litos ad terminum vitæ suæ dedit.

83. Alia quædam matrona nomine *Fritberun*, cum assensu filiæ suæ *Annæ* per advocatum suum *Thietmarum* quandam curtem *Haldungun* & in *Essiberge* & in *Nederi*, cum omnibus appendiciis, pro remedio animæ suæ parentumque suorum Ecclesiæ Patherbrunnensi omni contradictione procul remota in proprium tradidit. Episcopus autem tantæ benivolentiæ & devotioni congaudens, soli domnæ *Fretberun* omni anno in nat. sancti *Georgii* Martyris, VI. pernas sine minutiis, XX. maldros tritici, XX. maldros alterius frumenti, V. cervisias, unam carradam vini, X. agnas cum agnellis, V. oves sine agnellis, V. porcos, X. sol. denariorum, ad victum dari constituit, & insuper totam decimationem in *Astnederi*, & unam optimam familiam in oppido eodem, & aliis locis XVI. aratra, usque ad exitum vitæ suæ ei permisit: filiæ vero ejus *Annæ* totam decimationem in *Overonbeverungun*, quatenus traditionem firmaret, concessit. Hæc III. K. *Febr. in VViriesi* tali tenore facta sunt, ut, si prædictæ decimationes cum concessis ab aliquo unquam auferrentur, tam matri quam filiæ prædia sua restituerentur, &, qui violenter his contrairet, divinæ ultioni in examine extremo subjaceret.

84. Quædam domna nomine *Dudica*, nimio dolore affecta pro morte viri sui, quicquid proprietatis habuit in *Dorstedi* & in *Lanwardeshusun* & in *Ebanhusun*, cum omnibus illuc pertinentibus, exceptis XXX. agris & una area, filiis suis heredibus justissimis *Thiadrico* & *VViduloni* in proprium dedit; quo facto illi prædicti pueri, Dei ammonitione instincti, pro salute corporum & pro remedio animarum suarum ipsa prædia cum utriusque sexus mancipiis, & ceteris omnibus attinentiis, in præsentia *Gerberti* Comitis & aliorum multorum, ad dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ in proprium tradiderunt.

85. Alia quædam domna *Aldun* nomine, dedit Episcopo III. mansos: Episcopus in nat. S. *Mariæ* perpetuæ virginis per *Ethelredun* presbyterum de *Gudulmun* unam libram argenti ad IIII. annos dedit, postea vero X. quoque solidos, ut omnino prædiis datis absisteret, per omnia dans ei II. libras argenti, auri vero unciam unam.

86. Item domna quædam *Geppe* nomine de *Halthorpe*, quicquid hereditatis in *Forsti* habuit cum omnibus suis appendiciis, consensu heredum suorum sine omni contradictione Ecclesiæ dedit, eique Episcopus *Meinwercus* misericordia motus, XXV. libras denar. pro mercede tribuit.

87. Alia domna quædam nomine *Luiza*, spe retributionis æternæ prædium quoddam dedit Ecclesiæ, & Episcopus *Meinwercus* dedit *Amulungo* & *Erphoni* Comitibus IIII. libras inter aurum & argentum, & VII. sol. denar. ut ipsi hæc darent *Luidbronno* & *Ekkikan* & *Haican* & *Rothwerco* heredibus illius, ut traditionem factam laudarent & firmarent.

88. In *Hemmedessun* prædium quoddam dedit *Evike* Patherbrun. Ecclesiæ, pro quo dedit Episcopus domnæ *Becelan* & filiabus ejus in *Herivordi*, in præsentia *Bernhardi* Ducis, *Amulungi*, *Bernhardi*, *Ekkikonis* Comitum & aliorum multorum, IIII. uncias auri, ut omni contradictione deposita facta sinerent esse rata.

89. De *Embriki* domnæ *Ibican* dedit Episcopus X. malder decimationum, XXIV. modios brasii, II. pernas & duo aratra decimationum.

90. Mulier quædam *Miribild* nomine, quicquid hereditatis in *Heringi* possedit, per suum advocatum & heredem nomine *Avican* Episcopo & suo advocato in proprium tradidit, & ab Episcopo in præsentia *Dodiconis*, *Tmidi*, *Brun* Comitum XII. siclos nummorum & unam libram, quod est talentum, accepit.

91. Alia quædam mulier *Enike* nomine prædium unum in *Hardincthorpa* per suum advocatum *VVidikindum* Ecclesiæ contulit, & ipsum prædium in beneficium tali tenore, ut omni anno unum denarium inde solveret, ab Episcopo recepit, & insuper V. aratra ab eo accepit.

92. Item quædam mulier *Oda* nomine, quicquid hereditatis in *Siwardessun* habuit, Ecclesiæ contulit, & ab Episcopo in præsentia *Conradi*, *Amulungi*, *Erp*, *Thiedrici* Comitum XX. sol. denar. accepit.

93. Quædam sorores *Bosan*, *Christina*, *Ebbican* nominata prædia sua in *Thesli*, *Sidessun*, *Vssanhusun*, *Essiberch*, *Ananroth*, *VValieressun*, *Suthem*, *Erpessun*, quæ hereditario jure possederunt, per manum *Bernhardi* Ducis ad altare S. *Mariæ*, sanctorumque *Kiliani* & *Liborii* pro remedio animarum suarum dederunt, & ab Episcopo astantibus *Nithingo*, *Ranwardo* Præpositis, *Haica* Decano, *Amulungo*, *Bernhardo*, *Ekkika*, *Tiamma*, *Benna*, *Uda*, *Herimanno* Comitibus, & Cano-

Canonicis ac laicis quam pluribus unum martherinum pelliceum pro VI. tal. unam zebelinam tunicam pro aliis VI. tal. & insuper inter aurum & argentum inter caballos XVIII. talenta pro mercede acceperunt.

94. Item mulier una *VVennikin* nomine, assensu matris suæ *Hamoda* & advocati earum *Tadican*, XIV. agros & aream unam in *Hilimeri*, Ecclesiæ dedit, eisque Episcopus II. boves, unam vaccam, duas libras lanæ, unum caballum tribuit.

95. Quædam item mulier *Oda*, cum consensu matris suæ *Bechtilda*, & filiorum *Gerhardi* & *Thietbaldi* unam familiam & LX. agros in *Asopo*, Ecclesiæ tradidit, eique Episcopus *Meinwercus* II. talent. & dimidium tribuit, & ad finem vitæ suæ filiorumque ejus G. & T. unam domum cum XXX. agris in Patherbrunno distribuit, & ad hæc omnia, ei in inventione *S. Stephani* XXX. denarios auri, & talent. denariorum dedit.

96. Alia quædam mulier *Hathaburgis* nomine, omnem hereditatem suam contulit Ecclesiæ: quam *Atholfus* miles Coloniens. Archiepiscopi cum uxore sua nomine *Hicila* infringere & infirmare laborans, ab Episcopo pro negotio proprio Romam ituro XV. talenta & IV. mansos, cum XX. mancipiis, quorum unusquisque V. siclos argenti solvebat, dedit: Episcopo autem Roma reverso, prædictis in reconciliationem pelles martherinas tribuit, & sic traditionem factam pleniter & legaliter stabiliri obtinuit.

97. Vir quidam de *Rangun* nomine Alvericus, duo prædia in *Vfflan* & *Ricwardessun* proprietario jure possedit, quæ venerabilis Episcopus gravi pecunia ab eo acquisivit.

98. Comparavit quoque apud *Thiedricum* & suam uxorem *Geppan* in *Goslaria* duas familias in *Lanchel* per advocatum suum *Amulungun*, qui præsente *Benna*, *Udone* Comitibus & *Hecelino Calvo*, VII. unc. auri, & III. libras denariorum eis pro eis dedit.

99. Hæc quoque prædia, sua instantia precando comparando, à subscriptis acquisivit, & Ecclesiæ utilitatibus addidit: unum in *Ananfie* de *Thiethardo* Diacono; in *Nedere* de *Voltbardo*, & *Lammertbrun*; in *Scetbeke* de *Bandan* & suo servo *Brunmanno*; in *Holthuson* de *Waltberto* & *Etheldago*; in *Ethelerdinchusun* & *VVeni* de *Tiaza*; in *Atfrithesbem* & *Hosissim* de *Ekkikan*; in *Rotbrachtessun* de *Bunican*; in *Heinthorpe* de *Bechttiero*; in *Hodanhusun* de *Brendeke*; in *Ettidessun*, & *Hippanhusun*, & *Nedderi* à domna *Hian*; in *Holthuson* & *Emingarothe* de *Hillino*; in *Ricwardessun* de *Eilican*: & alia nonnulla, per quæ Pastoris idonei sollicitudinem debitam liquido declaravit, memoriamque sui dignissimam posteris dereliquit. Quia ergo aliquibus tædiosum & onerosum, non autem Patherbrunn. Ecclesiæ otiosum esset aut infructuosum, singulorum beneficia describere particulariter: qualis populi vovendi & offerendi integritate actionis, simplicitate intentionis, tranquillitate devotionis fuerit puritas; quanta Episcopis rectitudine actionis, affectu mutuæ dilectionis, effectu congruæ retributionis, & omnis & ad omnes extiterit liberalitas, quæ in hæredum rationabili approbatione, testium probabili adstipulatione, advocatorum legali executione fuerit servata æquitas & auctoritas, perpendatur universaliter: quia, quo vicaria dilectionis relatione in alterutrum lætarentur affectu, quantum utrinque de Ecclesiæ gratularentur profectu, facilius à sapiente ejusmodi indiciis poterit sufficienter æstimari, quam alieno ore & stylo convenienter narrari.

XXXIII. Cum ergo, ut prædictum est, anno Domin. Incarnat. MXV. capellam in honorem S. *Benedicti* Episcopus inchoasset: tanto citius, quanto devotius eam consummavit, & in capite jejunii proximi anni, XVI. Kal. Martii solenniter eam consecrans, in dotem ejus domum unam in *Northurgnon* cum decima delegavit, de qua eidem Ecclesiolæ provideri luminaria, & infirmorum usibus administrari necessaria ordinavit. Domus autem infirmorum postea ita constructa est, ut unus murus utrumque, capellam & domum conjungeret, & Sacerdos assistens altari per fenestram muri infirmum communicaret. Ipsa autem die Dedicationis, per salutarem confessionis pœnitentiam, generalem absolutionis Episcopus populo tribuit indulgentiam, proponens eis in sermone ad exemplum pœnitentiæ, vitam pœnitentium & pauperum voluntarie. De fratribus autem, quos adduxerat unum, *Sigebardum* nomine, in Abbatem consecrans, aliis præposuit: & quosdam pueros *Ministerialium*, & civium suorum regulari norma inbuendos inibi contradidit, qui, cum mundi contemptu & virtutum appetitu regulariter incederent, & odorem bonæ opinionis & sanctæ conversationis longe lateque in populos spargerent: de conversione eorum & conversatione non modicè Episcopus lætabatur: illum prosequens gratiarum actione, *de cujus munere venit, ut ei à fidelibus suis digne & laudabiliter serviatur.* Unde Monasterii fundamentis positis, & claustralibus officinis congruè dispositis, inchoata consummari accelerabat eò instantius, quo ad alia inchoanda ferventius anhelabat. Terminum autem claustralem quieti & utilitati monasteriali congruum latè præfixit: & quicquid in gyro per circuitum Monasterii à via publica (quà in urbem iter est rectum usque in coquinam Episcopi) adjacet, juri ipsius Ecclesiæ addixit. Areas autem versus Occidentem ex

 utraque

utraque parte *Pathera* contiguas, diversis curiæ servitoribus & artificibus & ad mandatum pauperum in cœna Domini deputavit: & in cotidiani ministerii necessitatibus, in alimentorum vestimentorumque utilitatibus, non minus decenter quam utiliter filiis suis prospicere curavit. Quoties autem claustrum introisset, relictis foris popularibus, assumptis gravibus & religiosis personis, quæ sciebant & sua tegere, & aliena non publicare, claustrum introivit. Et hoc deinceps faciendum, tam canonum traditione, quam sua institutione mandavit.

XXXIV. Inter hæc opus creatoris admirabile, in Episcopo quidem in honorem, in ejus matre vero in contumeliam factum contemplemur, & ineffabiles divitias bonitatis ejus pro modulo humanæ valetudinis admiremur & veneremur, qui, sicut peccata patrum in filiis & nepotibus, peccata eorum propriis cumulantibus, & longanimi patientia Dei ad augmentum suæ perditionis abutentibus, in tertiam & quartam generationem reddit: ita malitiæ paternæ expertes, tanquam ex sterquilinio pretiosam margaritam producit. Deum itaque Episcopus in omnibus, & super omnia diligens, proximo eandem dilectionem exemplis & monitis exhibuit, & ad vitam salutis unumquemque informare, quantum temporum qualitati & personarum utilitati congruebat, non destinit. Unde patre suo mortuo, matrem, ut secunda recusans matrimonia, sexagesimum vidualis continentiæ fructum assequi niteretur, sedule admonuit; exemplum sui ei proponens, qui *carnem suam crucifigens cum vitiis & concupiscentiis* sponso cœlesti, mente, actu & habitu applicari maluit. Illa autem, quæ carnis sunt, sapiens, salutis suæ monita contemnebat, *ingressa latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem* eo infelicius, quo voluptuosius eam incedebat. Infamia denique suæ malitiæ & nequitiæ ubique nota & abominata, ad filium suum Episcopum in Patherbrunnon venit, & oblatis ei bonis ad temporalis vitæ subsidia sibi delegatis, *Novam Domum* cum attinentiis ejus, quamdiu viveret, sibi ab eo concedi petiit. Ille autem veluti colubrum intra sinum, pietatis intuitu, suscipere renuens, & ne tacta pice ab ea inquinaretur, præcavens, consortium ejus vel commercium omnimodis recusavit, & se bonis ejus non indigere vel curare protestans, Deum vero, cui se suaque omnia devovisset, ampliora daturum affirmans, ab omni suo Episcopio vel allodio eam quantocius recedere mandavit. Quæ repulsa cum ignominia, majori adversus eum exarsit invidia: ad ejus interitum omnem fœmineo furore quærens aditum. Ad ejus itaque contumeliam & majorem invidiam *Baldericum* Comitem, licet hominem fortem, divitem & potentem, non tamen ejus matrimonio congruentem, maritum accepit: & ejus consilio filium proprium, Comitem *Thiedericum*, Episcopo quasi animam suam dilectum, eo in Longobardia cum rege *Heinrico* manente, VII. Idus Aprilis *Uplage* urbe munitissima juxta *Eltene* sita, ab hominibus ejus occidi præcepit. Et multa nefanda dictu & relatu horrenda, quæ ullo modo potuit excogitare & investigare, non erubuit probare & perpetrare. Igitur *fama malum, quo non aliud velocius ullum, mobilitate viget*, volat per populos; pavore & horrore pro innocentis nece concutit universos: tinniunt audientium præ immanitate sceleris aures: stupent omnes, à remotis & ignotis innocentia & modestia occisi auditur, in communi ab omnibus de parricida ultio expetitur. Amplius autem Episcopo post reditum Imperatoris cum principibus, non nimietate doloris, sed sinceritate Dei amoris & canonici rigoris instante, illa maledicta per legales inducias cum suis fautoribus *Drotmanniam* vocatur, & majestatis rea filiique proprii parricida morti adjudicatur. Quibusdam autem inhumanitatem Episcopi erga matrem suam falsa compassione causantibus, & pro correctione culpæ veniam & vitam postulantibus, Episcopus diu multumque restitit, & carnem, quæ peccaverat, temporaliter puniendam, *ut spiritus salvaretur in die* Domini, asseruit. Tandem victus instantia postulantium vix acquievit, & accedens ad Imperatorem ejus judicio & arbitrio quomodo terminaretur, secundum quod honori imperii congrueret, & animæ ejus expediret, commisit. Consulentibus ergo, qui aderant: prædia quædam in Saxonia, quæ hæreditario jure possederat, quæque ei ad temporalis vitæ subsidia post mortem patris sui Episcopus concesserat, inter quæ principales sortes sunt istæ: *Immedeshusan*, *Walmontheim*, *Hauverlon*, *Hukelhem*, *Mondelbike*, *Golzbiki*, *Dodonhuson*, *Hokisneslevo*, *Wakereslevo*, cum manu *Balderici* Comitis mariti sui & Advocati, cum consensu hæredum suorum Imperatori potestativè contradidit. Et sic interventu omnium, vitam carnis obtinuit, & æternam mortem animæ incurrit. Imperator autem prece & devotione admonitus Episcopi venerabilis, dilecti sui nepotis, quem se suaque omnia divino servitio mancipare cognovit, eadem prædia cum suis appendiciis, quæ dari solent, vel nominari valent, utilitatum omnium attinentiis, ei suæque Ecclesiæ, omnium hominum contradictione remota, IV. Idus Januarii anno Dom. Incarn. MXVI. Indictione XIII. in *Drotmannia* tribuit; regali auctoritate decernens, ut nulla persona aliqua judiciaria potestate in eisdem prædiis se intromitteret nisi advocatus, quem ipse Episcopus vel suorum quilibet successorum elegisset: & si quis hoc præceptum infringeret, C. libras

libras auri persolveret, L. regiæ cameræ, L. Patherbrunnensi Ecclesiæ. De his prædiis *Dodonhusun* & *Golthbeke* Ecclesiæ novæ, quam summo studio construxit Episcopus, contulit, cætera sibi ad majoris Ecclesiæ dominium retinuit.

XXXV. Plurimorum autem negotiorum gratia ibi demoratus, multis suis in vinea Domini cooperariis tam ad constructionem novorum, quam ad reparationem collapsorum apud Imperatorem interventu usus fuit. Ipseque aliorum obtentu videlicet *Erchanbaldi Magontinensis* Archiepiscopi, Episcoporum quoque *Heinrici Wirciburgensis, Wicgeri Verdensis, Arnoldi Halverstadensis, Bernwardi Hildenesheimensis, Thiederici Mimigardevordensis, Hildiwardi Citicensis, Gregorii atque Azzonis* Romanorum & aliorum multorum, *Berneshusun*, ab *Vnwano Bremense Archiepiscopo* Imperatori legaliter traditum, & Comitatum in *Haverga* locisque prædictis situm, & ab eodem Imperatore, pro remedio animæ suæ parentumque suorum, nec non tertii *Ottonis* bonæ memoriæ Imperatoris dilectæque contectalis suæ Chunigundæ Imperatricis Augustæ, eidem Episcopo *Meinwerco* suæque Ecclesiæ ante quinquennium datum, quæ invasione quorundam erant turbata, eis manentibus in Longobardia, XIX. Kal. Febr. ibidem in *Drotmannia* renovari & confirmari obtinuit.

XXXVI. *Baldericus* quoque Comes prædictus, per consensum suæ contectalis *Athela*, petente *Meinwerco* Episcopo, in præsentia *Heinrici* Imperatoris, Archiepiscoporum quoque *Meingoz Treverensis*, *Heriberti Coloniensis*, Episcoporum etiam *Athalbaldi Trajectensis, Thiederici Mimigardevordensis, Thietmari Osnebrugensis, Arnoldi Halverstadensis*, Laicorum quoque *Bernhardi* Ducis, *Liudolfi, Thiederici, VVicmanni* Comitum & aliorum multorum, prædium quoddam in comitatu *Udonis* præsidis in *Himmerveldun* ei in proprium tradidit: quod ejusdem Episcopi advocatus nomine *Herimannus* ad Patherbrunnensis Ecclesiæ proprietatem suscepit.

XXXVII. Eodem anno magnæ molis grando venit, & plurimi fulmine interierunt. Episcopus vero, secundum quod scriptum est, *flagellato pestilente sapiens sapientior erit*, aliorum interitum suæ correptionis æstimavit profectum, eo intentius anhelans ad æterna, quo sui cursus mutabilitate perpendit non subsistere terrena. Mater autem Episcopi, existens ingrata de misericordia collata, iniquitati apposuit iniquitatem, modis omnibus quærens alienare filio omnem hæreditatem. Qua mentis vesania fœmineo furore debacchata, X. mansos, in monte *Lare* juxta *Heimmeberg* in inferiori terra, Ecclesiæ S. *Viti* in *Eltene* quasi sub specie religionis contulit, & alia alias conferre disposuit, quæ sæcularium, timore Imperatoris & Episcopi (quibus cor unum & animam unam esse omnes sciebant) accipere nemo ausus fuit. Quo celeri nuntio Episcopus comperto, velociter partes terræ inferioris adiit, eamque in monte *Lare* depræhendens, volentem fuga evadere, ad aquam *Emme* de monte salientem comprehendit, & deteriorem qualibet creatura protestans, quæ filios uterinos non solum occideret, verum etiam exhæredaret, capi eam fecit. Hominibus autem matris ejus, parti dominæ suæ faventibus, & X. mansos, quos *S. Vito* dederat, licite eam dedisse & dare potuisse asserentibus, Episcopus nihil præter justitiam se exigere dixit; & eis ad suæ justitiæ ostensionem Reliquias Sanctorum expetentibus, ipse non renuit. Ilico allatis Reliquiis de Ecclesia vicina *Rene*, constructa in honore sanctæ *Cuneræ*, in quibus jurare consueverant, Episcopus eas abjecit: & prolatis de apothecis suis Reliquiis sanctorum Apostolorum *Petri* & *Pauli*, & *S. Blasii*, super eas jurare fecit. Qui votis dominæ suæ temerariis satisfacere volentes, VII. viri ad reliquias accesserunt, & manus, ut jurarent, apponentes, mox cœlesti plaga percussi, quatuor ex eis oculos amiserunt, aliis tribus erectæ manus obriguerunt, & omnibus diebus vitæ eorum tali plaga multati permanserunt. Manifestam ergo virtutem Dei, matri proponens, tandem aliquando eam resipiscere hortabatur, & se bonis beati *Viti* non indigere dicens, quæ ei dederat, rata fecit; ne ullam occasionem pereundi matri dedisse videretur.

XXXVIII. Quia ergo Deum intime dilexit, plures ad eum exemplo suo attraxit, qui de bonis sibi temporaliter collatis providere sibi studuerunt mansionem perpetuæ claritatis. Quidam denique liber homo, nomine *Cuono*, lignorum suorum proprietatem in loco, qui *Are* nomen habens usque hodie *Cononbusc* dicitur, ei contulit: quoniam omnia, quæ agebat, à Deo prosperari & ab eo omnia ad divini cultus augmentum fieri veraciter intellexit. Item quidam in *Helessem* molendini aquam, & alii alia, fideliter sperantes, ea in futuro sibi reddi centuplicia.

XXXIX. Divertens inde Episcopus *Radinchem*, quoddam dorsale in cubiculo matris suæ suspensum dejici, & suum pallium suspendi mandavit: & pie violentus ipsum dorsale occulte caballo impositum, novo suo monasterio *Patherbrunno* quantocius deferri imperavit. Ipsum autem dorsale ad nominis sui memoriam, pariterque in honorem *Balderici* Comitis, quem duxerat mater ejus, fieri fecerat: picto in eo ob insigne virtutis ad monimentum posteritatis, quod draconem in loco quodam interfecerat. Post discessum igitur Episcopi mater

 ejus,

ejus, unde proficere debuit, deterior efficitur, & fœmineo possessa furore, quicquid in prædiis vel rebus habuit aliis, distrahere non moratur. Denique villam in *Reinwic* cum attinentiis ejus, itemque Ecclesiam & villam in *VVic*, cum ipsius appendiciis *B. Heriberto Coloniensi Archiepiscopo* ad monasterium, quod in *Tuiciensi castro* in honore sanctæ *Mariæ* perpetuæ Virginis construxit, vendidit: & manutergium altaris pretiosum, serico contextum, ei tradidit, & principali Ecclesiæ beati Petri Apostoli *emporium* in *Resse* cum sibi adjacentiis, ut ibi sepeliretur, dedit: quæ Episcopus non solum non requisivit, verum facta grata habens, fratrum amator, devotionis eorum adjutor & cooperator factus, ea laudavit & stabilivit.

XL. *Baldericus* autem Comes, cum se quasi innocentem de nece innocentis humana fefellisset sapientia, cœpit quasi potens de inani gloriari potentia, cœcatusque mundi divitiis, & captus amore nefariæ mulieris, sprevit mentis suæ fastu Deum altissimum, largitorem divitiarum suarum & virium. Denique quadam die in *Radincheim* de solario eminentiori quaqua versus prospectans, & loci qualitatem situsque sui multiplicem utilitatem considerans, *Cum*, inquit, *Deus omnia posse dicatur, quomodo me in tanta gloria sæculari, in tanta omnigenarium rerum copia, ad inopiam redigere posse credatur? nam Renus præteriens abundanter visui & usui delectabilia; saltus adjacens volucrum & bestiarum sufficienter necessaria administrat: & de tantis divitiis subjici posse inopiis opinari, frivolum constat.* Quam bene & congrue par convenit pari, dum vir talis mulieri jungitur tali! Cum igitur talibus & similibus voluptatibus & vanitatibus inservirent, & in sordibus positi, merito suæ iniquitatis amplius sorderent, directis ad eos ab Imperatore duobus nobilibus viris, discedentes ex insidiis peremerunt, & sanguine innocentum vindictam à Deo expetente, justo judicio publicis legibus damnati & proscripti, jus legemque omnem perdiderunt. Nam, qui Deum impotentem, ut ad inopiam eum redigeret, æstimabat, profugus & nec servorum propriorum consortio vel colloquio usus, in aliena terra mendicando stipem petebat: & illa *Coloniam* divertens, habensque aliquandiu de Ecclesia principali, itemque de Ecclesia *Tuiciensi* præbendam, ibidem moritur, & ante Ecclesiam B. Petri sepelitur: sed tempestate adeo sæviente, ut totius civitatis interitum minitaretur, effossa in Renum projicitur. Ipseque Renus sui inundatione & fluctuum collisione plurimis diebus ita efferbuit, quasi se maledictam illam non posse ferre manifeste protestaretur. Mortua igitur matre sua hoc modo, Episcopus cum sorore sua bona hæreditaria in inferiori terra divisit, & illa partem suam sancto *Vito* in *Eltene* conferente, ipse suam cœnobio, quod in civitate *Patherbrunnensi*, ut prædictum est, inchoaverat, delegavit.

XLI. Anno autem Dominicæ incarnationis MXVII. *Meingoz* Trevirensis Archiepiscopus obiit; & *Athelbero Præpositus Monasterii S. Paulini Treveris*, ortus de *Lucelingeburch*, vir potens & dives valde, habens inter alia bona hæreditaria Castella hæc, *Sarburg*, *Berencasdel*, *Rudiche*, ea spe & fiducia, qua soror ejus *Cunigunda* Regi nupta fuit, Episcopalis cathedræ dignitatem affectavit & usurpavit. Imperator autem Christianissimus pro multorum salute, spretà illius affinitate, ausibus temerariis nulla ratione acquievit, & variis modis per Episcopatum debacchantem compescere non valens, Episcopatum *Popponi* viro venerabili, secundum carnem nobili, contulit, *Athelberonique* dixit: *Talem virum debeo dirigere, qui tuæ vesaniæ valeat resistere.* *Poppo* autem Episcopatum adeptus, *Berencasdel* castellum, à prædonibus *Athelberonis* defensum, destruxit; & aliud castellum cujusdam tyranni *Athelberti*, quod dicitur *Sisitra*, ad terram similiter dejecit. Qui videlicet *Athelbertus* castellum Treveris, quondam in honore Sanctæ crucis constructum, possidebat, unde frequenter cum multitudine militum erumpens ad curiam Episcopi, quicquid ibi ad ejus obsequium parabatur, violenter auferens abducebat. Cujus rei ignominia confusus Episcopus, videlicet quod hostem cotidianum sibi tam proximum ob munitionem castelli non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis, ad hujuscemodi infamiam depellendam consilium & auxilium cœpit inquirere. Erat autem in exercitu ejus eo tempore vir potens divitiis & viribus fortis, *Sicko* nomine, qui promisit, se tentaturum, siquo modo posset invenire hujus mali medicamentum. Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille occasionem nacturus, quomodo periclitanti subveniret. Quadam ergo die pergit ad portam castellique fores, rogat sibi ab *Athelberto* ad refocillandum poculum mitti. Quod cum celeriter allatum ebibisset, tanquam nimium sitis fervorem patiens, pincernam alloquitur, dicens: *Domino tuo, ex parte mea magnas gratiarum actiones nuntiato: pariter & hæc verba narrare curato, quod vita sospite, hoc poculum rependam sibi citissime grata voluntate.* Et his dictis abiit. Captato deinde oportuno tempore triginta hamas præparat, singulos milites electos, loricatos & galeatos, ensibusque præcinctos in singulis collocat, & desuper linteis opertos, funes, quibus vectes ad portandum insererentur, aptat. Deinde LX. viros nihilominus electos & plebeja veste amictos, ensibus eorum in hamis reconditis gestatores constituit, nulloque hominum hujus fraudis, præter prædictos, conscio, ipse *Sicko* cum his & aliis paucis

paucis militibus vallatus ad castellum tetendit, fores pulsavit. Servo sciscitante, quis sit & quid velit? *Dic Domino tuo*, ait, *me sibi vinum magnæ dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum non piguit mihi sitienti poculum dirigere*. Jussu ergo *Athelberti* illi sunt intromissi, & *Sicko* post alios intrans jubet auferri linteorum velamina: rogat *Athelbertum* suscipere dilectionis munera. Portitores sicut erant docti, uno pariter momento omnia hamarum velamina dejicientes, gladios suos arripiunt, insidiæ de hamis exilientes gladios stringunt: fortiter undique ferientes, ipsum *Athelbertum* occidunt: cæteros æditiuos crudeliter mactantes, castellum in solitudinem redigunt. Sic Dei misericordia Episcopus à Tyrannide *Athelberonis* mirificè est liberatus, & *Sicko* pro victoria ab Episcopo beneficiis magnifice est illustratus. Simili modo per alios principes suos multa castella, partim vi, partim dolo cepit, tyrannorumque insaniam diu impune debacchantem ex parte maxima refrenavit. Monasteriis sane, eorum violentia pene exhaustis, prout potuit, misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo. Hic audiens Prophetam de Christo dicentem, *Et erit sepulchrum ejus gloriosum*, orationis causa Hierosolymam ivit; & monachum quendam in Ecclesia beati Maximini sub Abbate *Richardo* peregrinum & advenam, nomine *Simeonem*, comitem viæ assumpsit. Reversus autem Episcopus eundem monachum in turri, quæ antea *Porta Nigra* appellabatur, in festivitate S. Andreæ Apostoli reclusit; ubi postmodum gloriose mortuus & sepultus, multimoda signorum frequentia, in magna fidelium veneratione est habitus. Hic rogatus a quodam Danorum Comite *Ottone* Daniam venit, gentemque Danorum adhuc idolis servientem, ad Christum convertit. Ubi incredulis repugnantibus chirotecam ferream jussit fieri eamque igniri, qua manu sua vestita nec læsa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem intravit, indeque panno combusto illæsus exiens Christum Dei filium verum esse Deum hoc indicio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, à quibus & Anscharius vocatur; quo nomine ejus memoria ab eis V. Idus Septemb. celebratur, sepulchrumque ejus Treveri à Danis frequentatur.

XLII. Anno prædicto factus est celebris conventus principum in loco, qui dicitur Liezgo præsente Imperatore *Heinrico* cum Archiepiscopis *Erchanbaldo Magontiense*, *Poppone Trevirense*, *Gerone Magetheburgense*, *Unwano Bremense*; Episcopis quoque *Arnoldo Halverstadense*, *Eppone Bavenbergense*, *Thiederico Metense*, *Heinrico VVircibungense*, *Thiederico Mimigardevordense*, *Heinrico Parmense*, *Thiederico Mindense*, *Thiemmone Mersebургense*, *Herico Havelbergense*, *Meinwerco Paterbrunnense*; *Laicis* etiam *Bernardo Duce*, *Sigifrido atque Ezicone* Comitibus, cum aliis multis nobilibus, ad honorem & dignitatem Imperii plura necessaria disponentibus. Ibi Imperator à domno *Meinwerco* Episcopo fundationem novi monasterii, singularis quodammodo ejus studii, audiens, & devotioni ejus congaudens, gratiarum actiones ei retulit, & prædium quoddam situm in pago *Hesse Saxonico*, *in comitatu Herimanni Comitis in villa Nedere* nominata, cum mancipiis utriusque sexus, & omnibus, quæ ullo modo inde provenire possent utensilibus, quod quidam, *Redialdus* nomine, ad manus imperiales legaliter & capitulariter hæreditaverat, fratribus in eodem monasterio Christo servituris VI. Idus Julii contulit. Sequenti die ibidem ab hæredibus *Ekkibardi* Comitis de Abbatia *Helmwardesbusun* querela habita, & diu multumque inter principes ventilata, tandem regno est adjudicata. Et quia nec in facultatibus nec *ministerialibus* regno servitio esse potuit, interventu & consultu Episcoporum & Principum prædictorum, Episcopo *Meinvverco* suisque successoribus à Patherbrunnensi sede Episcopaliter secundum regulam S. Benedicti regenda & possidenda est collata.

XLIII. Ipso quoque anno Imperator rursus *Polianiam* cum exercitu intravit. Dei clementia, ea ac *Boëmia Moraviaque* subjecta, pro intuitu misericordiæ ac pietatis, conculcationem & destructionem *Merseburgensis* Ecclesiæ miseratus, ob reverentiam S. *Laurentii*, in ædificiis, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in Ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum Pontificalis dignitatis eam restauravit. Inter hæc, cum Episcopus tam regni necessitatibus, quam Ecclesiæ commissæ utilitatibus sollerter insisteret, fortuitu *Corbejam* transivit, & recordatus B. *Stephani* Protomartyris eo loci patroni, pro se suisque omnibus in memoriam ejus, hostiam salutarem Domino Deo immolare eo divertit. Eadem autem Ecclesia in ripa fluvii *Wiseræ* sita, à *Luthevvico* filio *Karoli* Imperatoris Magni constructa, à beato vero *Badurado Patherbrunnensi Episcopo* est dedicata, temporum incrementis tam religionis quam temporalis possessionis proficiens & succrescens augmentis: sed cum deliciæ rigorem exolvissent disciplinæ, *Meinwercus* Episcopus factus ad eam venerat, ut secundum canonicam auctoritatem corrigeret, quod irregulare inibi animadverterat. Sed expulsus cum grandi sua suorumque injuria, regem *Heinricum* adiit, &, ut Abbate *VVal* nomine deposito, alius nomine *Druthmarus*, per quem religio claustralis reformaretur, succederet, obtinuit. Quod, ut religiosis eum commendabilem, ita irreligiosis reddidit eum odibilem: adeo, ut durante odii & invidiæ livore,

vore, ejusdem Ecclesiæ custos, nomine *Boso*, præparato altari stomachando accurrens præparaturam dejiceret, & secundum auctoritatem ejusdem loci & libertatem, divina celebrari nisi sua permissione interdiceret. Quod Episcopus audiens conventum intravit, & habito ad fratres verbo de Prælatorum reverentia, de subjectorum inobedientia, ad satisfactionem & injuriam facientem & consentientes provocare humiliter curavit, dicens: *debere & decere eos honorem deferre sedi, in cujus consisterent diœcesi, cujus Præsides, etsi non caute interdum incederent, eorum enormitas devitanda, pervicacia esset arguenda: non autem potestas cathedræ, quæ non sacris locis propter personas, sed propter sacra loca personis conceditur*, *constaret evertenda.* Qui cum ad eum audiendum segniores haberentur, pulpitum ascendit, & pauca pro re & tempore ad populum locutus, omnibus, quæ facta fuerant, innotuit: eumque, qui injuriam irrogaverat, ad satisfactionem publice coram omnibus vocavit. Qui cum tertio vocatus non venisset, non vindictæ voto, sed prophetiæ præconio ei præcepit, *ut quocunque die ipse de corpore exiret, ille secum ad tribunal Christi, sibi responsurus de illata injuria, migraret.* O sancta anima! O pura conscientia! quæ adhuc carnis adamicta velamine, animas ligabat coram divino examine. Episcopo autem taliter discedente, Abbas cum fratribus eum in civitatem *Patherbrunnensem* prosecutus, plenariam reconciliationem obtinuit: sed pro eo qui contumeliam fecerat, sæpe & multum rogatus, *decretum Dei* non posse immutari, perhibuit.

XLIV. Quia ergo constantiam ejus, qua in justitia sua ut leo confisus est, audivimus; humilitatis pietatisque ejus insignia breviter audiamus. Curtes dominicales episcopii sui circumiens frequenter collapsa reparabat, reparata sui munimine firmabat sollerter: sicut in acquirendis utilis, sic in conservandis fidelis. Duram antiquæ servitutis Litonum justitiam, per novam paternæ pietatis relevavit gratiam; constituens, à villicis adminiculari eis in cibi potusque necessariis, quod antea non fiebat, tempore messis. Quodam autem tempore ad curtem suam *Barghusun* venit, & experiri volens fidelitatem & dilectionem famulorum erga villicum, præcepit comitibus viæ suæ, ut super frumentum, quod in domo tribulabatur, equos propellerent: dicens, *servos, si fideles essent, eos repellere; si non, quasi defectui villici congratulantes, eos sinere.* Servis autem quasi ad obsequium Episcopi discurrentibus, equi frumentum tribulandum consumere & conculcare cœperunt. Unde servi infidelitatis & incuriositatis vitio multum incusati, jussu ejus gravissime virgis sunt flagellati: quos postmodum ciborum copiis abundantissime reficiens, de servanda villico suo fidelitate paterne admonuit. Veniensque sequenti anno, & exclusus ab introitu, gratias quasi de contemptu suo egit: & intrans occulte per superius ostium, matremfamilias, quod operarii modica farinæ sorbitiuncula alerentur, submurmurare audivit: &, ut servitoribus ejusdem curiæ, duæ pernæ annuatim darentur, exceptis his quæ à villico dabantur, misericordia paternæ pietatis constituit. *Nihem* quoque veniens, hortum urticâ & erucâ aliisque herbis adopertum noxiis, excepto modico spatio in medio invenit. Et mox uxorem villici ambitiosis suis vestibus spoliari præcipiens, donec germen noxium, quod in altum excreverat, terræ coæquaretur, per totum hortum eam trahi mandavit: quam tristem consuetis blanditiis consolans, solita liberalitate exhilaravit: sequentique anno omni diligentia & abundantia totum hortum excultum inveniens, majori gratiarum actione & munerum largitione eam remuneravit.

Ad aliam curtem quandam veniens, matrem familias, cur pullis & gallinis careret, culpavit: & penuriam pastus eâ conquerente, mandavit ei, ut fieri faceret, quod ad pastum pullorum de loco ad locum per curiam moveri per temporum intervalla provideret. Quo facto, veniente iterum ad eandem curtem Episcopo, abundantibus pullis, qui creverant de pastu minutorum vermiculorum, gratias egit, & de cætero devotiorem eam obsecrans fieri, laboris ejus studium donis & bonis suis recompensavit.

Quodam tempore in adventu Domini, quando porcos dare solent villici, stans in lobia domus Episcopalis, mulierem quandam cum filio suo unico porcum sequentem & amarissime vidit flentem: & mox accersita ea causas tanti fletus studiose ab ea inquisivit. Illa autem viro suo mortuo se humano adjutorio destitutam conquerente, & porcum illum de pane, quem filius mendicando petiisset, violentia villici de *Enenhus*, quo pertinebat, pavisse asserente, Episcopus graviter ingemuit: & pectus propriis manibus tundens, - - - - *Lacrymis ita fatur obortis:*

Væ tibi miserime Meinwerce Episcope! Quomodo infelices homines quæstus sui gratia animam tuam demergunt ad Tartara? Sciens ergo scriptum: *Domino fœneratur, qui pauperi miseretur;* vocato villico, mansum viduæ ei resignavit, & ab ejus magisterio cum filio suo eam absolvens, de sua eleemosyna eos sustentari omni vitæ suæ tempore mandavit.

Facta in diebus ejus fame valida, missis nuntiis frumentum comparari fecit in *Colonia*, & duas naves onustas ad inferiorem terram deferri, & dispensatione villicorum super *Velve* in *Te-sterbant*

sterbant taliter mandavit erogari, ut una pars propriis, alia familiæ indigentiis, secundum numerum domesticorum distribueretur: tertia ad proventum seminis, quarta mendicis erogaretur. Quod episcopi mandatum villicus super *Velve* devote paragere studuit. Ille vero in *Testerbant* partem pauperibus ordinatam fraudari perniciose non timuit. Quod Episcopus audiens, non fraudato sed fraudanti vehementer condoluit: &, quia nemo successorum suorum honorem prædecessorum post quartam generationem habiturus esset, prædixit.

XLV. Quodam tempore officinas monasterii sui novi, more solito, circumiens, fratribus ad Capitolium consedentibus, coquinam intravit, & servis fortuitu vacantem inveniens, invento frusto panis in ollas igni appositas trusit, nullius autem pinguedinis vel admixtionis speciem præter aquam & cibum animadvertens simplicem, tempore loquendi Conventum introivit, & causatus filiorum suorum & fratrum aridum cibum, quæ in coquina vidisset & fecisset, retulit. Abbate autem ob virtutum custodiam servandam afferente parsimoniam, respondit venerabilis Episcopus; *ut si ipse religiosus esse vel videri vellet, circa vitam propriam severus, erga subditorum benignus existeret:* Evangelicis & Apostolicis documentis propositis, quomodo laborans agricola mercede operis sui dignus esset. Et data auctoritate, quomodo Dominus Ecclesiæ claves B. Petro Apostolo tradiderit, & Ecclesiæ tantam habens potestatem, generali synodo Monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedium esum, sed carnibus cognatum adipem indulserit: advocatis villicis, porcos dari ordinavit, de quorum sagimine & pinguedine cibum fratrum parari mandavit. Ecce quomodo *diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, & regnum Dei & justitiam ejus* rigore claustralis disciplinæ in capitulo *quærentibus,* exterioris vitæ *necessaria adjiciuntur.* Laudabilis sane pii pastoris erga oves creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione & executione claustralis disciplinæ profectus.

XLVI. Probare autem volens Episcopus dispositionis suæ observantiam, quadam die indutus cappa laicali, coquinam iterum fratrum introivit, & quasi advena ignotus, de situ, statu, habitu Monasticæ conversationis, claustralis religionis, cotidianæ refectionis curiose quæritans; beatam vitam, quantum ad Deum, inibi duci: miseram vero, quantum ad corporalis indigentiæ usum agi, à coco audivit. Unde festinus ad cubiculum rediens, Abbatem advocari velociter mandavit, & de segni dispositionum suarum executione eum graviter incusans, novem pernas optimas secum ad claustrum deferri mandavit.

XLVII. Succensus autem igne divini amoris, nihil subterfugit terreni laboris, quin pro subjectorum salute, Ecclesiæque suæ utilitate insisteret omnibus modis & horis: affectans denique imaginem cœlestium, sprevit speciem terrestrium; nec pro Christo humiliari, nec pro ipso erubescens injuriari. *Minor namque in oculis suis factus, sibi se, subjectorum fidelitatem, singulorum spem & devotionem in Deum experiri voluit per se: assumensque cujusdam mercatoris cum mercibus habitum, circuibat sedulus explorator episcopatum. Quia vero juxta Salvatoris sententiam, nihil opertum, quod non reveletur, cito hoc quibusdam propalatur: de quibus villicus de* Balhorn *uxori suæ hoc innotuit, & quid in adventu Episcopi diceret vel ageret, docuit. Episcopus autem ubique veniens, & diversa à diversis accipiens,* Balhorn *quoque venit, & matrem familias suppliciter salutans, ei de mercibus suis quæque concupiscibilia comparanda obtulit. Quæ quasi vehementer inflammata adversus eum, ilico advocavit virum, & seductorem quendam advenisse, sibique cum mercibus suis proclamat institisse, ut cum rebus creditis infidelitate sua exhibita domino, cum temporali dispendio animæ subjacerent periculo.*

XLVIII. Recordatus autem Episcopus voti sui, quod *Romæ* sancto voverat *Alexi*, Monasterium cum congregatione in honore ejus in loco, qui *Sulithe* dicitur, ædificare disposuit: sed timens humanæ mutabilitatis incertitudinem, interim ei perspicui operis capellam in introitu urbis, juxta novum Monasterium construi fecit; eamque decimo tertio Kal. Febr. consecrans provisioni ejusdem Monasterii deputavit, & in commemoratione beati *Alexis,* tali jure misericordiæ dotavit & insignivit: *ut quicunque forensi lege convictus & sententia damnationis addictus, capellam contigisset, addictæ pœnæ obnoxius non esset.* Iuxta principale quoque Monasterium capellam quandam, capellæ in honore sanctæ *Mariæ* perpetuæ virginis *à Geroldi Caroli Magni Imperatoris consanguineo & signifero* contiguam, per Græcos operarios construxit, eamque in honore *sancti Bartholomæi Apostoli* dedicavit. In plerisque parochiis misericorditer subvenit populis in difficultate longissimi Ecclesiarum itineris, sive parochiis novis in divisione aliarum factis, sive capellis in eis constructis. Inter quos populo de *Sudburgnon*, ad parochiam forensis Ecclesiæ in *Patherbrunnensi* civitate pertinenti Ecclesiam construere concessit, eaque super terram pertinentem ad curiam ab eo Monasterio suo novo attributam fundata, banno Episcopali ad jus majoris Ecclesiæ conservato, eidem Monasterio proprietario jure eam possidendam delegavit: ubi postmodum à beatæ memoriæ *Wolfgango* Ecclesiâ lapidea constructa,

Episcopus *Rotho* successor Episcopi *Meinwerci*, anno Domin. Incarn. MXLIII. XVII. Kal. Novemb. in honore S. *Galli* confessoris Christi eam dedicavit.

XLIX. In *Herivordia* Basilicam S. *Mariæ*, quæ vocatur *ad Crucem*, dedicavit: quam ipsa unica spes mortalium ad singulare inibi miserorum refugium sibi construi mandavit. Siquidem Ecclesia *Herivordensis*, sicut Ecclesia *Corbejensis* in Episcopatu *Patherbrunnensi* sita, à *Luthuwico* filio *Coroli Magni* constructa, & à beato *Badurado Patherbrunnensi Episcopo* constat dedicata, quæ omni pristini honoris & decoris ornatu tam Ungariorum devastatione quam *Thietmari* fratris *Bernardi* ducis Saxoniæ invasione spoliata, propemodum fuerat destituta.

L. Cuidam itaque fame & nuditate afflicto pauperi, in die natalis sanctorum martyrum *Gervasii* & *Protasii* ad præfatum *Herivordense* Monasterium propter auditam inibi Sanctimonialium munificentiam ire volenti, ipsa piissima virgo *Maria* facie ad faciem apparens, Abbatissæ & sororibus ejusdem Monasterii nuntiare mandavit, *ut mutata pristina vita, tantum spirituali insisterent exercitio, quantum temporali instabant ædificio*: dicens, *se per hoc sedem suam revisuram, & invocantes se perpetua tuitione custodituram*: adjiciens, *se locum, in quo ei apparuit, ad sui nominis venerationem & Christianorum prælegisse intercessionem: ut, si quis eam ibi fideliter quæsierit, inveniat, & quod juste petierit, se adeptum gaudeat.* Paupere autem tantam visionem indicare trepidante, & ad suæ legationis veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expetente: *Hoc erit tibi signum*, ait Virgo piissima, *quod nullius illata pœna, ne cicatricis quidem ullius aliqua te contingat molestia.* Quo ad majus veritatis indicium aliud adhuc expetente signum: *Præcide*, ait Dei genitrix, *baculum, & faciens inde crucis signaculum, pone, ubi meorum statum cognoveris esse pedum; & si non credunt verbo signi prioris, credant ostensioni sequentis: quia, quocunque tempore ad locum hunc veniunt, me super eandem quam facturus es crucem, in columbæ specie sedentem videbunt.* Abbatissa ergo nomine *Godesti* cum sororibus, hoc nuntio accepto, Episcopus *Meinwercus* cum vicinis proximorum Monasteriorum clericis accersitur; consultu omnium jejuniis & orationibus à Deo res inquiritur, nuntius judicio aquæ ferrique igniti examinatus, securus declaratur: columba in loco ostenso inquisita, super crucem sedere invenitur: & maxima omnium devotione & veneratione basilica fabricatur & dedicatur, & nomen *Ad Crucem* sortitur.

LI. Murum quoque in circuitu urbis in civitate *Patherbrunnensi* construxit. Domum Episcopalem à fundamentis erexit: & non solum ipsius civitatis mœnia restaurare & innovare curavit, sed &, quicquid in aliis suæ provisionis locis dirutum vel veteranum invenit, destruere, renovare, meliorare festinavit.

LII. Studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia: & bonæ indolis juvenes & pueri strenue instituebantur *normâ Regulari*, proficientes haud segniter in claustrali disciplina omniumque litterarum doctrina. Claruit hoc sub ipsius sororio *Imado* Episcopo, sub quo in *Patherbrunnensi* Ecclesia publica floruerunt studia: quando ibi *Musici* fuerunt & *Dialectici*, enituerunt *Rhetorici* clarique *Grammatici*; quando *Magistri artium* exercebant *trivium*, quibus omne studium erat circa *quadruvium*: Ubi *Mathematici* claruerunt & *Astronomici*, habebantur *Physici* atque *Geometrici*: Viguit *Horatius*, magnus & *Virgilius*, *Crispus* ac *Salustius*, & *Urbanus Statius*: Ludusque fuit omnibus insudare versibus, & dictaminibus jocundisque cantibus. Quorum in *scriptura* & *pictura* jugis instantia claret multipliciter hodierna experientia; dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum. Præfatus quoque *Imadus* Episcopus tempore suæ pueritiæ tanto disciplinæ claustralis rigore ibidem est nutritus, ut nunquam patrem suum videre extra conventum specialiter, vel ei colloqui fuerit permissus: dicente Episcopo, *pueros & adolescentes cum districtione debere erudiri, & non nocivis blandimentis deliniri: quoniam audaciæ & ferociæ nutrimenta eis ministrarent blandimenta.* Adolescebant quoque secum in tyrones militiæ cælestis *Anno Archiepiscopus Coloniensis*, *Fritbericus Monasteriensis*, & perplures alii strenui postmodum in vinea Domini operarii.

LIII. Thesaurum Ecclesiasticum & ornatum, sub prædecessore suo ignis depopulatione conflagratum, multipliciter innovavit: & inter alia magnificentiæ suæ dona spectabilia, tabula pretiosissimi auri, & tribus calicibus æque auri examinati & optimi *Gazophylazium* Ecclesiæ tam decenter quam & utiliter ampliavit & decoravit. Coronâ spectabilis magnitudinis & magnifici operis faciem templi ornavit, exteriorique ornatu & tanto talique Ecclesiasticæ dignitatis & utilitatis apparatu interioris hominis habitum, Dei & proximi dilectione condecoratum, mirificè declaravit.

LIV. Quem in sanctorum plurimorum devota veneratione amplius illustrans, diem sancti *Bonifacii* & sociorum ejus celebrari per totum Episcopatum *Patherbrunnensem* annua observantia instituit. Festiva celebritate Natalem sanctorum septem fratrum venerari disposuit. *S. Alexem* magna devotione coluit. *S. Longinum* Martyrem, qui lancea latus Salvatoris in cruce penden-

pendentis aperuit, cum aliis plurimis, quos longum est singulariter prosequi, in mira veneratione habuit.

LV. Largissimarum eleëmosynarum ejus, quas in domo regia omni vitæ suæ tempore, cotidiana devotione exhibuit, eadem domus testis extitit, quæ anno Domin. Incarn. MLVIII. omni civitate *Patherbrunnensi* cœlesti judicio incendio depopulata, sola superstes, cum una domo forensi fuit. Quam humilis, liberalis & munificus; quantum cum his qui oderant pacem, fuerit pacificus, ex aliis ejus operibus perpendatur: ne hujus rei vera relatio plus favorem intendisse, quam virtutes ejus commendasse videatur. Canonicorum inopiæ usque ad tempora sua albo pane in cotidiana præbenda carentium, de bannis parochiarum, quos successor ejus *Rotho* præposituræ, ejusdem causa negotii attribuit, subvenire disposuit: sed cum nulla re apud eos elaborare potuisset, ut beneficia Ecclesiastica æqualiter inter eos dividerentur, huic intentioni supersedit. Unde virtus in eo non inveniens, quod argueret, invidia comes alienæ felicitatis habuit, quod reprehenderet: quæ virtutes morum non sui dignitate, sed verborum urbanitate pensitans, occasione ex negligentia Missæ, ut dictum est, accepta, idiotam eum vocavit: & duplicitas favorabilis arrogantiæ, irridens simplicitatem ejus benivolentiæ, qua pro temporum qualitate infirmis condescendit, (*Lacte rigans parvos, pane cibans solidos*) joculatorem appellavit. Contra quæ superfluum est verborum exaggeratione plura argumentari in beati viri commendationem, cum ejus scientia operum efficacia claruerit, & benivolentia multis via salutis fuerit. Quod cum luce clarius ex relatis possit videri, amplius ex referendis *Illius mores, studium, data, velle, labores,* onerosum non sit intueri. Tendens itaque vir totus ex virtutibus semper ad meliora, invigilavit Ecclesiæ commissæ profectibus omni cura: sperans se pro compassione proximi perventurum ad dilectionem Dei.

LVI. Episcopatus ergo ejus anno nono, Dom. Incarn. MXIIX. *Berenwardus Hildenesheimensis Episcopus* tempore quadragesimali synodum in *Goslaria* habuit; in qua præsidente Imperatore cum Episcopis cæterisque regni primoribus, *Godescalcum Ekkibardi* Comitis filium, & *Gertrudem* filiam Comitis *Ekkiberti* separavit. Proxima itaque octava Idus Aprilis, solemnis sacrosanctæ Dominicæ Resurrectionis Episcopus *Meinwercus Patherbrunnæ* celebratis, ad Imperatorem *Noviomago* perrexit; & in *Dominica*, qua tunc *Albæ* deponebantur, videlicet Idibus Aprilis, interventu *Chunigunde* Imperatricis & *Archiepiscoporum*, *Popponis Treverensis*, *Erchanbaldi Magontiensis*; Episcoporum quoque, *Everhardi Bavenbergensis*, *Athelbaldi Trajectensis*; item *Fopponis Abbatis Vultensis*; *Godefridi*, *Bernhardi Ducum*, *Becelini Comitis*, prædium *Siburgehuson* in comitatu *Udonis* Comitis, in pago *Hemmerfeldun* situm obtinuit.

LVII. Anno proximo Imperator cum exercitu contra *Bernhardum* Ducem Saxoniæ ad castellum *Scalkaburg* perrexit; ibique mediante domno *Meinwerco* Episcopo, cum amicis suis in pace omnia constituit.

LVIII. Septimo decimo autem Kalend. April. Imperator *Goslariam* veniens, interventu ac petitione *Chunigundæ* Imperatricis & Episcoporum *Adalbaldi Trajectensis*, *Meinwerci Patherbrunnensis*, *Everhardi Bavenbergensis*, & *Godefridi Ducis*, Abbatiam *Lisbernensem* sitam in Pago *Driene*, in comitatu *Herimanni* Comitis, *Thiederico Mimigardevordensis Ecclesiæ Episcopo* suisque successoribus tali modo contulit, ut ipsius Ecclesiæ Episcopi in prædicto loco imperiali auctoritate exinde servitium Dei ordinandi penes divinum amorem atque timorem, liberam facultatem haberent: & de Advocatis, in prædicto loco secundum voluntatem eorum advocatiam in ipsorum militia, juxta quod illis melius visum fuerit, ad utilitatem ipsius *Lisbernensis* Ecclesiæ agerent & ordinarent.

LIX. Eodem loco & anno, proxima XIII. Kalend. Aprilis, Sabbato ante Palmas, interventu *Chunigundis* Imperatricis, Episcoporum quoque *Geronis*, *Unuwani*, *Arnoldi*, *Dietrici*, *Hiltiwardi* & *Erici*; optimatumque regni, *Bernhardi* Ducis, *Sigifridi*, *Herimanni*, *Ekkihardi* Comitum consilii ventilatione, Abbatiam *Sceldize*, sitam in Pago *Wessaga* in comitatu *Fritberici* Comitis, Episcopo *Meinwerco* dedit.

LX. In proximo Pascha domnus *Apostolicus Benedictus* ab Imperatore & universis Principibus *Bavenbergæ* gloriosissime susceptus; secundum sponsionem suam ipsius Ecclesiæ novellam plantationem visitavit: & octavo Kal. Maji Basilicam in honore *S. Stephani protomartyris* consecrans, pretiosissimis reliquiis, quæ ibi conservantur, adornavit. Ubi inter missarum solemnia, adoperatione quadraginta Episcoporum & unanimi consensu principum, Episcopatum illum ab omni sæculari potestate liberum esse constituit; & cuncta, quæ Pontificali dignitati & utilitati congruebant, præsentiæ suæ authoritate & privilegii sui attestatione, Bannique sui firmitate, roboravit. Episcopus ergo *Meinwercus* gaudii sui in Domino de Ecclesiæ commissæ promo-

promotione Apostolicum participem fore * cupiens, quanta bona Imperator ei contulisset, innotuit: &, ut ejus interventu ampliora percipere mereretur, suppliciter expetiit. Cui annuens paternæ pietatis devotio, fuit ei apud Imperatorem precum suarum obtentu non minimo adminiculo; uti postmodum magnarum rerum approbavit larga exhibitio.

LXI. Post hæc, quarta Kalend. Julii ipsius anni, *Heimeradus sanctus presbyter* in monte *Hasungo*, in quo beneplacitum fuit altissimo habitare eum, ad Christum migravit; & Episc. *Meinwercus* morte ejus audita, animam ejus Missarum eleemosynarumque celebri commemoratione Deo commendavit.

LXII. Sequenti anno post Natale Domini Imperator, commodo exercitu, comitem quendam Ottonem sæculi dignitate non minimum præpollentem in castro, quod dicitur *Hamerstein*, (situm supra Reni litus,) obsedit: quoniam idem comes Episcopatum Moguntinum multa infestatione sæpius pervagans, ferro & igne devastavit; odio magno contra ejusdem civitatis Præsulem vehementer inflammatus, quoniam ab illo propter illicitum connubium judicio Concilii generalis fuerat anathematizatus. Cum ergo querimonia ejusdem Præsulis Imperator excitatus, in prædicto castro illum obsideret: venerabili *Heriberto* Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo demandavit, ut ipse in auxilium sibi cum suis festinus veniret. At ille immensis febribus tunc fatigatus, quod imperabatur, implere non valuit; & propter hoc commotus Imperator, exosa eum imperii sui tempora habere credidit: antiqua namque suspicione scandalizatus, quoniam, ut prædictum est, in humando prædecessoris ejus corpore deditus, electioni ejus non interfuit; invidis, qui nunquam deerunt, si sint, quibus persuadeatur, occasionem sancto deroganti nactis, plus justo aurem præbuit, & responso ejus accepto, cum magno furore, *si*, inquit, *ipse ad me dedignatur venire, ego illum quia ægrotat, habeo visitare.* Atque cum hac iracundia mox, ubi hostem expugnavit, Coloniam properavit, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis, qui satis ardentem furoris ejus ignem magis ac magis perflabant linguis malivolis, detrahentes innocenti viro Dei. Ipsa autem nocte, qua Imperator Coloniam ingressus, officiosissimè à viro Dei fuerat susceptus, cum se sopori dedisset, vidit in somnis quendam quasi venerabilem virum Pontificali veste ornatum sic eum alloquentem: *Cave*, inquit, *ô Imperator, ne post hac pecces in conservum meum Heribertum: scito, illum virum Deo esse acceptum; in quem, si quid admiseris, tu sine dubio portabis judicium.* Nimirum gratia Dei miserentis taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ ejus pepercit: quia videlicet in eo, quod ejusmodi virum suspectum habebat, non malitia sed ignorantia peccabat. Siquidem ejus Imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scientes disponere aut judicare quicquam cupiebat, per quod cœlestis offenderetur Majestas. Denique cum aliquid de regni negotiis disponere aut judicare intenderet, dispositiones sive judicia sua precibus & eleemosynis præveniebat: quatenus mens ejus & actus cœlesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo, vel judicando, quod divinis legibus contrairet.

LXIII. Mane ergo facto, cum Imperator mente mutatus, virum Dei ad se vocasset, & id, quod cœlitus evenerat, quod superno respectu Rex compunctus fuerat, vir sanctus ignoraret, ac proinde lachrymosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tam diu infestus existeret; repente Imperator exsurrexit, & virum Dei amplexatus in oscula illius ruit. Ille admirans hæc, pariter consolationis ab eodem dicta suscepit: *Ex quo*, inquit, *ad Regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimium credulus, fateor, venerande pater, te exosum habui: & hanc odii trabem in oculo gestans, & ideo nihil videns, iniquum de te judicium habui, tuamque justitiam, immò Dei gratiam in te fulgentem videre non merui. Porrò, te tacente, cœlum clamat super te, tuamque caussam defendit apud me: nam ipse, qui de Sanctis suis curam habet, semper & habuit, sicut scriptum est: Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, Psal. 104. Ipse me pro te corripuit, ut sciam, quod inter electos ejus computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus sum, vel quod te servum Dei tangere deliberavi: quia peccatum meum cognosco, nec amplius addam adversari tuæ sanctitati.* His dictis, semel, iterum & tertio sanctum Pontificem deosculatus est, triplicem nimirum nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Nec moratus, virum Dei jam amicus, amicum *prope* se residere fecit. Hæc videntes adversarii in fugam versi sunt: cæteri verò fideles benedixerunt Dominum.

LXIV. Nec contentus hac satisfactione religiosus Rex, adhuc de divino judicio erat sollicitus: & præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis matutinorum sole-

* Brow. *participem facere.*

ſolemniis, aſſumpto uno ex Clericis, cubiculum Pontificis adiit; ſed non ibi quieſcentem, verum in proximo S. *Joannis* oratorio vigilantem, ut ſolebat, & orationibus inſiſtentem reperit. Protinus abjecta chlamyde ſolo ſtratus ante pedes ejus, in ſpiritu humilitatis & in animo contrito ſe ſuſcipi poſtulat, & ea poteſtate, quam ſacerdotibus ſuis Dominus contulit, veniam ſibi dari cunctorum, quæ in eum commiſerat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem à terra proſtratum ſublevat, & ſecundum fidem regis, culpæ veniam relaxat. Erat autem hoc ſervo Domini initium ſempiternæ conſolationis, quippe, qui de iſta valle lachrymarum protinus aſcenſurus erat ad gaudium divinæ viſionis. Etenim idem vir Domini, revelante ſibi ſpiritu, hoc prænoſcens, ait in illo ſecreto inter cætera ad eundem Imperatorem: *Noveris certisſimè; quia poſt diſceſſum tuum, quo nunc ſeparandi ſumus, noſtras invicem facies in hoc ſæculo nequaquam videbimus.* Eo magis Imperator corde compunctus iterum in amplexus & oſcula Epiſcopi ruit: flens pariter & cuncta penè membra, manus & oculos, collum quoque fixis demulcens oſculis. Hoc facto, clam ad cubiculum rediit, mœſtam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quam & poſtmodum, tranſitu ejus ſubſequente, veram fuiſſe comperit, & ipſe, ut audierat, ore proprio denarravit.

LXV. Venerabilis autem Epiſcopus *Meinwercus* de reconciliatione mutuæ dilectionis, quam inter eos reformare ſæpè laboraverat, non modicè lætabatur; &, ut peccata ſua, quæ in ſanctum virum, licet ignoranter, commiſerat, miſericordiæ operibus plenariè coram Deo dilueret, Imperatorem hortabatur. Imperator ergò Chriſtianisſimus, eruditus omni ſcientia litterarum, & per ſe id expedire ſibi intelligens, & conſulenti libenter obaudiens, per interventum ac indefeſſum ſervitium ipſius Epiſcopi *Meinwerci*, pro redemtione animæ ſuæ dilectæque conjugis ſuæ *Cunigundæ* Imperatricis, quandam regii juris curtem, *Triburi* nominatam, in pago Saxonico *Weſtfala* ſitam, in *Comitatu Herimanni Comitis,* cum omnibus appendiciis, ſervis & ancillis, liberis quoque, cum tali ſervitio & cenſu, qualem regi perſolvebant & agebant, & cæteris omnibus ad eundem locum pertinentibus, ad Abbatiam in *Patherbrunno* à prædicto Epiſcopo inchoatam & ſtabilitam, ibidem in Colonia XII. Kal. Martii teſtamentaria authoritate dedit: & inde divertens *Bavenberge*, quadrageſimam ibidem celebravit. Sic Dei miſeratione in *Patherbrunnenſi* cœnobio, creſcente religione crevit & cenſus ipſius Eccleſiæ, formam dans poſteris normæ rectisſimæ, ut & pro cunctis animæ & corpori neceſſariis *patri cœleſti, ſcienti, quid nobis neceſſe ſit*, devotè ſerviatur: ne dum religio parit divitias, divitiæ religionem deſtruant, & ſic ambo pereant, diſcretè caveatur.

LXVI. Proximo ergò XVII. Kal. April. beatus *Heribertus* Colonienſis Archiepiſcop. mortalem vitam in angelicam mutavit, & in locum ejus *Piligrinus* regius Capellanus ſubintravit.

LXVII. Eadem verò nocte, qua S. *Heribertus* poſt emeritam vitæ hujus militiam, ſupernum donativum accepturus ad cœlos migravit, *Eppo* vir memorabilis Bavenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopus, præclaris moribus, & non contemnendis florens virtutibus, hujusmodi viſionem vidit. Ingrediebatur quaſi quoddam magnum ſplendidumque Capitolium; & ecce illic reſidebat innumerabilis concio perſonarum venerabilium, Epiſcoporum, Abbatum, Regum atque Imperatorum, cæterorumque cujuscunque ordinis virorum illuſtrium, ſecundum ſuum quique ordinem veſtiti, & omnes pulchri ac reverendi, quaſi ad agendum generale concilium congregati. Porrò in medio conſidentium, loco evidenti ſella poſita videbatur Epiſcopalis, ſeſſorem nondum habens, verumtamen ad hoc parata, ut in illa reſideret aliquis. Ut ergo tantæ amplitudinis locum, tamque venerandæ multitudinis conventum introſpiciens vidit, admiratione pariter & timore compreſſus, nequaquam introire præſumpſit. Cum ergo ita ſtaret ſtupefactus, ecce unus de illo ſancto ſenatu, tantoque quaſi Patriciorum cœtu ſurgens, & usque ad eum pro foribus ſtantem procedens, (quem & ipſe, ut ſibi videbatur, dudum noverat,) apprehenſum manu introduxit: &, ut ſuper ſedem vacantem reſideret, annuit. Ille veritus hoc facere recuſavit, ſciens eandem ſellam viro reverentiæ majoris, & dignitatis amplioris poſitam. Nec mora, qui conventus ejusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodem conſeſſu venerabilibus Epiſcopis præcepto edixit, ut foras exeuntes eum quem primum invenirent ſtantem & paratum, introducerent, & in ſede illa media, quoniam ſeſſioni ejus præparata fuiſſet, digne collocarent. Fecerunt illi, ut imperatum fuerat: & ecce, quem adducebant, domnus *Heribertus* Colonienſium Archiepiſcopus erat, ſacro redimitus ornatu, tanquam in die ſolemni ad celebranda miſſarum ſolemnia. Eum in illa ſede medium ſedere fecerunt. Verumtamen unum ornatui ejus, ſcilicet baltheus, deeſſe videbatur. Cum ergo tanti Principes conſidentes illum vidiſſent, baltheumque illi deeſſe animadvertisſent, quaſi vehementi admiratione concitati, ſciſcitabantur, quisnam ille eſſet, qui tanti Pontificis ornatum diminuere præſumpſiſſet? Ad hoc ipſo tacente, prælocutus eſt unus de

primoribus, dixitque: quod is esset Imperator *Heinricus*. Hanc visionem Episcopus Imperatori mane narravit, ipseque Imperator non incredulus visioni, recordatus verborum ultimæ collocutionis, Episcopo respondit: *Si baltheo caruit me prædone sanctus ille & venerandus vir, Domino adjuvante, meque operam dante, rapina hæc restituetur illi.* Igitur Imperialem manum largius extendens, dona Christi Ecclesiis pauperibusque distribuit, sacrisque missarum solemniis psalmis, & orationibus transitum beati Præsulis celebrari edixit, cui ipse baltheum sustulisset, id est, quem viventem longè minus, quàm decuerat, honorasset.

LXVIII. Inter innumera ergo, quæ pro animæ ejus remedio liberaliter erogavit, interventu domni *Benedicti Papæ* patris sui spiritualis, *Cunigundæ* Imperatricis, *Erchanbaldi Magontini Archiepiscopi;* Episcoporum quoque *Everhardi Bavenbergensis*, *Engelberti Frigisinensis*, quandam curtim *Hammonstide* dictam, sitam in pago *Rittega in Comitatu Udonis Comitis*, ibidem in *Bavenberge* in sabbato Paschalis ebdomadæ, IX. videlicet Kal. Maji, in Festo S. *Gregorii* Martyris, Episcopo *Meinwerco* Imperator tribuit, ob juge suum & indefessum servitium: ut ipse nullius æmuli opprobriis subjaceret, quin plus omnibus serviens, præmia honoresque plures acciperet, exemplisque sui emolumenti alios ad suum fidele servitium Imperator provocaret. Hanc curtem quidam Comes, nomine *Godiza*, proprietario jure possidens, cum omnibus appendiciis ad eundem locum pertinentibus, cum consensu conjugis suæ *Addilæ* ac sororis suæ heredis justissimæ, ipsi Imperatori in proprium ea ratione tradiderat, ut prædictus locus in beneficii usum, & insuper centum mansi cum familiis, quamdiu viverent, sibi concederentur. Quo facto, Imperator divino admonitus instinctu assiduitateque servitii venerabilis *Meinwerci* Episcopi non multo post, prædictorum interventu, pro remedio animæ suæ, cum chirographo ipsum prædium in proprietatem & dominium Patherbrunnensis Ecclesiæ, ut dictum est, eo pacto dedit, ut si prædicta domna *Addile* eum superviveret, & quisquam ei prædictum beneficium abstraheret, vel aliquid incommodi faceret, Episcopus beneficium ex substantia Patherbrunnensis Ecclesiæ restitueret, & si ipse id recusaret & renueret, illa domna potestativè sua reciperet. Episcopus autem *Meinwercus* manuscriptum hoc de *Hammonstide* in præsentia *Thiederici Mimigardevordensis Episcopi*, *Liudolfi*, *Udonis*, *Hiddonis*, *Acca* Comitum, & aliorum multorum legi fecit, omnemque inferendæ inquietudinis occasionem in futurum pastorali vigilantia solerter præmunivit.

LXIX. Post hæc Kal. Junii Episcopus cum Imperatore *Confunga* venit, ubi interventu *Geronis Magetheburgensis Archiepiscopi*, *Dodiconisque Comitis de Wartberge*, quandam Regiæ proprietatis forestim in Comitatu ejusdem Comitis *Dodiconis* sitam obtinuit. Hæc forestis initium sumit de *Rothalmingahusun*, rectoque tramite protenditur in *Wisaram* fluvium: sicque ascensum ducit in fluvium, qui vocatur *Fulda;* inde verò servat continuatim sui ascensus tenorem juxta eundem fluvium *Fuldæ* usque in rivum, qui dicitur *Crumelbecke*, nec non ad oppidum, quod *Holthusun* vocatur, viam tendit; simul graditur in *Uthilanbam* & *Riginberishuson*, atque ad *Rothieresbusun;* mox pergit ad *Kikillahusun* atque ad *Beverbiki;* sicque protenditur in viam, quæ ducitur ad Wulfredeskisikun; itemque in alteram viam, quæ extenditur ad *Gunnesburin*, & ad viam *Monnesbusun:* sicque gyrando circuit quandam viam, quæ pervenit usque ad prædictum oppidum *Rothalmingahusun.*

LXX. Ipso quoque anno *Erchanbaldo* venerabili *Magontiensis* Ecclesiæ Archiepiscopo, episcopatus sui anno nono, mortuo, *Aribo regius Capellanus* successit, qui inspirante Dei gratia, inter alia suæ devotionis & dilectionis erga Deum indicia, super montem, qui dicitur *Hasungun*, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in commemoratione *beati Heimeradi* supradicti Monasterium construxit.

LXXI. Comite quoque *Dodicone de Wartberge* eodem anno, IV. Kal. Sept. mortuo, Episcopus Imperatorem post Natale Domini *Patherbrunno* invitavit: & Comitatum, quem idem *Dodico* Comes, dum vixit, tenuit, situm in locis *Hessiga*, *Netga*, *Nitterga* XIV. Kal. Martii ab eo impetravit. Die quoque Kal. Martiarum proximarum, alium quendam Comitatum in *Immedisbuson*, interventu *Benedicti Papæ*, *Cunigundæ Imperatricis Augustæ*, *Everhardi Bavenbergensis Ecclesiæ Episcopi*, *Piligrini ejusdem Ecclesiæ Præpositi*, *regiique Cancellarii* obtinuit: quem situm in locis *Sorathveld*, *Sinuthveld*, *Almunga*, *Treveresga*, *Burclaun*, *Liudolfus* Comes, dum vixit, tenuit: ea ratione, ut nec ipse *Meinwercus* Episcopus, nec aliquis successorum suorum ullam potestatem haberet alicui suo militi vel extraneo eundem Comitatum in beneficium dandi, sed Ministerialis ipsius Ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, præsit prædicto Comitatui, ac de ejus utilitatibus provideat, ad restaurationem constructionis ipsius Ecclesiæ, ut inde muri releventur, tecta reparentur; & quicquid oportunum fuerit ad corporalem formam ipsius domus Domini, ibi inde administretur.

LXXII.

LXXII. Ingens terræ motus IV. Idus Maji in partibus Bajoariæ eodem anno contigit. Quidam vero propinquorum *Dodiconis* Comitis *Bern* nomine, traditionem, quam idem Comes & frater ejus, Comes *Sigebodo*, in bonis hæreditariis, ad Patherbrunnensem Ecclesiam hortatu & rogatu venerabilis *Meinwerci* ipsius Ecclesiæ Episcopi fecerant, infirmare judicio sæculari attentavit: & multis conciliis habitis, ad ultimum in natali S. *Damasi* Papæ in Ermenneswerethe, in præsentia *Heinrici* Imperatoris, *Aribonis Magontini Archiepiscopi*, & Episcoporum *Wizelini Strazeburgensis*, *Adalbaldi Trajectensis*, *Udonis*, *Herimanni* Comitum & aliorum multorum, omni querela postposita, plenaria reconciliatione pacatus, cessavit, & octoginta tres libras ab Episcopo accepit; in Ganderesheim XX. uncias auri; XLVI. libras argenti; unum pallium pro IV. libris; & XXX. equas; astantibus *Wizelino* Episcopo prædicto, *Rainwardo*, qui Advocatus fuit, *Udone*, *Sigifrido*, *Ezzikone*, *Liudolfo*, *Bezelino de Suevan* Comitibus; *Conone filio Ducis Ottonis*, ejusque milite *Zeizulfo* & aliis multis. In capite autem jejunii proximi anni, præsentibus *Udone*, *Bennone*, *Sifrido* Comitibus, aliisque plurimis cum *Rainwardo* Advocato, dedit Episcopus *Meinwardo* militi *Bernonis*, duas uncias auri, & duas libras argenti: datisque omnibus promissis, exceptis duobus talentis.

LXXIII. Eodem anno *Thiedericus Mimigardevordensis Episcopus* obiit, & *Sigifridus Parthenopolitanus Abbas* ei succedens, X. annis eidem Ecclesiæ laudabiliter præfuit. *Thiedericus quoque Mindensis* præsul præsentem vitam finivit, post quem *Albericus* ejusdem Ecclesiæ Præpositus electus: sed morte præventus nec consecrationem accepit nec in cathedram pervenit; *Sigebertus* vero Episcopatum obtinuit. Piæ memoriæ etiam *Berenwardus* Hildenesheimensis Episcopus XII. Kal. Decembr. ad Christum migravit, in cujus locum domnum *Godehardum*, *Altahensem prius Abbatem*, sancta Ecclesia sibi suisque utiliter subrogavit. Anno dehinc succedente *Gero Parthenopolitanus Archiepiscopus* ab hac vita decessit, cui *Hunfridus* Wirciburgensis Ecclesiæ Præpositus successit. *Thietmarus* piæ memoriæ *Osnebruggensis* Episcopus ad Christum migravit, & in sedem ejus subintravit *Moncherus*.

LXXIV. *Arnoldus* quoque Halverstadensis Episcopus moritur, & *Brantoch* quondam Fuldensis Abbas substituitur. *Bernardus* similiter *Haldenburgensis* Episcopus sustollitur, post quem *Reinboldus* subinfertur.

LXXV. Ipso anno *Aribo* Magontinensis Archiepiscopus in Pentecoste Imperatorem Magontiam invitavit, ubi & concilium generale coadunavit, in quo Episcoporum consilio plura, quæ deviaverant, correxit: præcipue tamen *Ottonem* Comitem prædictum *de Hamerstein* & *Irmingardam* illicitè commanentes, separare disposuit, quod tamen perficere non potuit; quia ille se partim regali timore, partim Episcopali commonitione utcumque correxit. Illa verò publicè bannos prævaricans, ibidem jus legemque omnem funditus perdidit.

LXXVI. Proxima III. Idus Augusti ipsius anni, prædictus *Aribo Magontinæ sedis Archiepiscopus* Synodum in *Salingenstad* coadunavit; in qua præsentibus Episcopis, *Burghardo Wormatiense*, *Werinhardo Argentino*, *Brunone Augustense*, *Everhardo Bavenbergense*, communi eorum consilio atque consensu multimodam divinorum officiorum atque synodalium legum dissensionem composuit, & disparilitatem singularium consvetudinum honesta consensione in unum redegit. Inconveniens quippe sancto conventui visum est, quod membra capiti discordarent, & ulla diversitas esset in unius corporis compagine: ideoque propter lamentabiles dissensiones communi decreto concilii hæc capitula sancita sunt, hoc ordine.

Cap. 1. Ut XIV. dies omnes Christiani ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, in abstinentia sint carnis & saginimis; nisi infirmitate impediente aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Natale Domini similiter, & in vigilia Epiphaniæ & in omnium vigiliis Apostolorum, & in vigilia Assumptionis S. Mariæ, & in vigilia S. Laurentii, necnon etiam in vigilia omnium Sanctorum: adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, & nisi aliquis sit, qui proprio voto majori abstinentia uti velit.

*Cap. 2. De incerto autem jejunio quatuor temporum hanc consuetudinem statuimus: ut si Kalendæ Mart. in IV. feria sive antea evenerint, eàdem celebretur. Sin autem Kalendæ Mart. in V. feriam aut VI. aut sabbatum dividuntur, * in sequentem ebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kal. Junii in IV. feriam aut antea evenerint, in sequente ebdomada jejunium celebretur. Et si in V. feria aut VI. aut sabbato contigerit, jejunium in tertiam & quartam ebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est: quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa ebdomada solemni Pentecoste; & tunc propter solemnitatem S. Spiritus diaconi Dalmaticis induantur, & alleluja*

* Brow. *distenduntur*.

luja cantetur; & flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, ut, si Kal. Septemb. in IV. feria evenerint aut antea, jejunium in III. ebdomada celebretur; & si V. & VI. aut Sabbato contigerint, in IIII. ebdomada erit. In Decembre vero illud observandum erit, ut proximo Sabbato ante vigiliam Nativitatis Domini celebretur jejunium; quia si vigilia in Sabbato evenerit, simul jejunium & vigiliam celebrare non convenit. **

Cap. 3. De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini usque in Octavas Epiphaniæ; & à Septuagesima usque in Octavas Paschæ; nec in supra notatis XIV. diebus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.

Cap. 4. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut Presbyter aliquis post Galli cantum bibens æstivis noctibus, proximo die missam non celebret; hiemalibus similiter, nisi cogat necessitas.

Cap. 5. Conquestum est etiam in eodem S. Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temerariâ præsumptione in ignem projiciant. Ideoque decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

Cap. 6. Interrogatum est ibidem, si duo in adulterio inculpati fuerint, & unus profiteretur & alter negaret, quid inde agendum esset? Decretum est autem à S. Concilio, ut ille, qui negaverit, probabili indicio se expurget; & qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

Cap. 7. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantum excepto.

Cap. 8. Statuit etiam S. Synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes penè jam inolevit, omninò prohibeatur; hoc est, quod colloquia sua in atrio alicujus Ecclesiæ constituunt habenda; & tunc ea in ipsa maxime exercent Ecclesia, ubi orationes & divina tantum fieri æquum est officia.

Cap. 9. Quidam etiam laicorum & maximè matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, In principio erat verbum, *& Missas peculiares, hoc est, de S.* Trinitate, *aut de S.* Michaele; *& ideo sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium pro reverentia S. Trinitatis velit audire, non pro aliqua divinatione; & si voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas; vel pro salute vivorum aut defunctis.*

Cap. 10. Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hoc autem statuit S. Synodus, sicut etiam ab antiquis Patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos & neptis, id est, filius fratris ac filia sororis primi habeantur.

Cap. 11. Statutum est etiam, ut ædificia laicorum, quæ Ecclesiis adjuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Presbyterorum.

Cap. 12. Item decretum est, ut nullus laicorum alicui Presbytero suam commendet Ecclesiam, præter consensum Episcopi: sed eum prius mittat suo Episcopo vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, ætate & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

Cap. 13. Statuit quoque S. Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint; & orant sibi concedi, ut alter illorum utrosque divino purget judicio; si unus in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

Cap. 14. Decretum est etiam, ut omnes bannitum jejunium, in quocunque Episcopio celebratur, diligentissimè observent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

Cap. 15. Decrevit quoque S. Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi vel ejus Vicarii.

Cap. 16. Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus Presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam dividere præsumat; si infirmitas non intervenerit.

Cap. 17. Quia multi tanta falluntur mentis suæ stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à Sacerdotibus suis suscipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam & literas ad Apostolicum ex hisdem rebus deferendas accipiant.

Cap. 18. Decretum est etiam in eodem Concilio, ut omnis pœnitens, dum carinam suam jejunat,

** Sequentia Synodi capitula in Browero omissa, usque ad hæc verba: *Hæc quidem Synodi huus decreta* &c.

junat, de loco ad locum non migret; sed permaneat, ubi suam acceperit pœnitentiam, ut proprius Sacerdos sibi præbeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles insidias jejunare non poterit; suus Sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacificè possit jejunare, diligentissime commendet.

Cap. 19. In eodem quoque Concilio decretum est, ut nullus Presbyterorum quenquam nisi jussu Episcopi, in Ecclesiam introducere præsumat, cui pro aliquo delicto ingredi non liceat.

Hæc quidem Synodi hujus decreta, temporis, ut dictum est, necessitate exigente sic ordinata; sed in dispositione jejunii quatuor temporum, salva auctoritate non bene considerata. Unde Romana Ecclesia, supra fundamentum divinæ dispositionis rationabiliter ordinata, & contra novitatum adinventiones, rationi & authoritati contrarias, magisterio Petri in omnibus & de omnibus pleniter informata, hanc de jejunio quatuor temporum constitutionem refutavit: *utpote, quam auctoritati sanctorum Patrum contraire, & rationi legitimæ Lunationis non convenire manifestè recognovit.* Leo *namq; primus, in ordine Pontificum quadragesimus septimus, cujus authoritate congregatum & confirmatum est sanctum* Chalcedonense *Concilium, &* Gregorius Junior *in ordine Pontificum nonagesimus, jejunium vernale in Quadragesima, & jejunium æstivale in Pentecoste celebrari instituerunt; in quibus beatus* Gelasius Papa *in ordine Pontificum quadragesimus nonus, ordines fecisse & fieri instituisse, in decretis suis invenitur. Ipsa quoq; quadragesima, cum in Februario plerumq; occurrat, sicuti in decem annis cycli decennovalis, videlicet sexto decimo, quinto, decimo, tertio, secundo, decimo, decimo octavo, septimo, decimo quinto; quarto, duodecimo, sæpe contingit: in quo scilicet Februario Patres reverendi, sanctitate & Apostolica autoritate præcipui,* Simplicius, Gelasius, Symmachus, Felix, *ordinationes fecisse leguntur: contra rationem quadragesimalis Lunationis concilium hoc de jejunio vernali in Kalendis Martii disposuisse constat: cum sabbatum* XII. *lectionum vernalis jejunii, aliquando decimo tertio Aprilis occurrat. Concordia quoq; officiorum, summopere servanda in jejunio æstivali, confunderetur: cum cantus quadragesimalis cum orationibus suis, lectionibus de Spiritu Sancto in Pentecoste improprie adjungeretur. Unde* Gregorius *Papa ejusdem nominis* septimus, *qui &* Hildebrandus Monachus, *ejusmodi varietatem & confusionem, secundum Apostolicæ normæ consuetudinem informare cupiens, anno ab* Incarnat. Domini MLXXIIX. Indictione prima, *habita Romæ Synodo in Ecclesia Domini Salvatoris, quæ dicitur* Constantiniana, *præsentibus Archiepiscopis & Episcopis numero ferè centum, cum innumerabili diversorum ordinum multitudine, inter cetera Canonicæ executionis negotia, quæ renovando confirmavit & confirmando innovavit, jejunium, quod Martio ascribitur, omni anno in prima ebdomada Quadragesimæ secundum lunationis observationem, sicut & Paschæ, celebrari disposuit, sicut prædecessores suos constituisse claruit. Jejunium æstivale infra ebdomadam Pentecostes, jejunium autem autumnale juxta statuta sanctorum Patrum* Leonis *&* Gelasii *& aliorum plurimorum in septimo mense debemus celebrare: & secundum Ecclesiasticam consuetudinem in tertio sabbato Septembris jejunare. Hoc observato, ut si Kalendæ Septembris secunda, tertia, vel quarta feria intrant, in tertia ebdomada; si quinta, sexta feria, vel sabbato intrant, in quarta ebdomada celebretur. Hæc minus capacibus enucleata, ingenio sagacibus non sint ingrata, quæ cum antiquitatis notitia conferant eis studii florentis exercitia.*

LXXVII. Episcopus autem Meinwercus Monasterium inchoatum accelerans consummare, sanctuario testudinato, Imperatorem in Nativitate Domini *Patherbrunno* invitavit, & sperans, eum Imperiali magnificentia aliqua daturum prædia, in præsentia ejus hoc dedicare proposuit; ex inopinato autem sanctuarium, casum ipsius Ecclesiæ futurum præsignans, cecidit: & ita Episcopo, domi forisque negotiis regni multipliciter occupato, Monasterium hoc usque ad annum Dominicæ Incarn. MXXXI. indedicatum permansit.

LXXVIII. Invitatus autem Imperator adventum suum denuntiavit Episcopo, præcipiens necessaria suo præparari balneo. Episcopus autem per omnes curtes suas Dominicales agnas fœtas occidi faciens, de velleribus agnorum, infra uterum earum inventorum, pelles fieri mandavit, quibus pallio novo adopertis, & gulis martherinis in circuitu ornatis, Imperatorem post balneum vigiliæ vestivit. Magnates autem regni, qui plures aderant, accedentes, pallium consideraverunt, & rem, ut suspicati erant, deprehendentes, Imperatori innotuerunt. Qui advocato Episcopo, *cur pelles ovinas sibi dedisset?* inquisivit, & honoris & amoris ignarum, dignitatisque Romani Imperii eum oblitum proclamavit. Episcopus autem optimum genus indumenti cuique ordini, conditioni & dignitati conveniens, se dedisse asserens, mercatores advocavit; eosque per gratiam suam hac de re contestatus, eorum testimonio, quæ dixerat, vera approbavit. Et accedens ad Imperatorem: *Ego,* inquit, *Henrice, pro corpore tuo mortali vestiendo, pauperem B. Mariæ semper Virginis Episcopatum, à te mihi collatum, devastavi: Canonicos ejus, villicos ac mendicos, de velleribus ovium occisorum fovendos, de lactis eorum copia cibiq; varii alimonia alendos fraudavi & spoliavi, cujus mali coram Deo reus*

tu eris, si non velociter & pleniter Ecclesia ablata restitueris. At Imperator arridens, *Ego*, inquit, *si quem defraudavi, vel mei causa defraudatum novi, reddam quadruplum;* & sic pro hujus damni restitutione contulit ei prædium in *Steini*.

LXXIX. Cantatis autem vesperis in sacris vigiliis, misit Imperator scyphum suum mirifici operis cum sicera Episcopo, commendans & præcipiens nuntio, ut non rediret visurus faciem suam sine scypho. Episcopus autem condigna gratiarum actione, missa suscipiens, diutina & varia verborum alteratione & dilatione cum ferente habita, scyphum non reddidit (*), egressoque tandem eo, obseratis firmiter post eum januis, ascitisque aurificibus suis *Brunhardo* & filio ejus *Erphone*, ipsa nocte Nativitatis Domini calicem de scypho fieri jussit. Matutinorum autem solemniis apud Monasterium novum, Imperatore præsente, celebratis, inter Evangelium subsequentis Missæ matutinæ Episcopus perfectum calicem consecravit: & ut in præsenti divina mysteria in eo celebrarentur, ministris tradi mandavit. Capellanus autem Imperatoris ad eam Missam subdiaconi functus officio, epigrammata calicis legit, & lecta Imperatori ad legendum obtulit: quibus ab Imperatore quoque lectis, ad Episcopum accessit, & furti eum reum arguens, *Deum rapinam illam odio habere in holocausto*, dixit. *Ego*, inquit Episcopus, *non rapinam, sed avaritiam tuæ vanitatis cultui mancipavi divinitatis. Tu ad augmentum tuæ perditionis aufer Deo, si audes, oblationem meæ devotionis. Ego*, inquit Imperator, *Deo mancipata non auferam, sed quæ mea sunt, ei suppliciter offeram: tu de tuis justis laboribus honora Dominum, dignatum in hac nocte pro salute nasci omnium.* Mox ergo, inchoato offertorio, Imperator calicem ad altare solemniter obtulit; animæque ejus & corpori imprecatus Episcopus prospera, non modicas gratiarum actiones retulit. Ad offertorium autem Missæ de luce, Episcopus ab Imperatore instanter Curtem regalem *Ervete* exigens, oblationem ejus suscipere recusavit; Imperatricis autem suscipiens, sibi apud Imperatorem eam fore auxilio pro obtinendo *Ervete* obsecravit. Deus autem omnipotens, *in cujus manu sunt corda Regum*, meritis Episcopi, cujus devotio complacuit sibi, convertit in bonum cor Imperatoris: qui sciens, se in die injuriam ab Episcopo habiturum, ascitis primo diluculo Notariis occultè fieri fecit de *Ervete* privilegium. Ad offertorium igitur principalis missæ Imperator, frequenti Principum stipatus caterva, Deo oblaturus divinis debitum beneficiis, qui se pro humano debito Deo Patri obtulit in ara crucis, ad Episcopum venit; sed ille averso vultu & manu repetitis vocibus instanter *Ervete* expetiit. Imperator autem congrua reverentia & disciplina repulsam sui dissimulans, præcedentem Episcopum sequebatur, & ut oblationem suam suscipere dignaretur, humiliter precabatur. Diu autem uno præcedente altero subsequente, Imperatrix Christianissima interventu magnatum regni, qui ad hoc spectaculum gratulabundi astabant, accessit, & ut petitioni non nisi, quæ Dei essent quærentis, satisfaceret, Imperatorem suppliciter petiit. Qui diu multumque renisus, tandem Episcopi perseverantia, Imperatricis Primatumque coactus instantia, privilegium protulit, & accedens ad altare, *B. Dei genitrici & perpetuæ Virgini Mariæ*, sanctisque *Kiliano* & *Liborio*, & astanti *Meinwerco* Episcopo suisque successoribus, curtem *Ervete* sitam in pago *Westfalon*, legaliter obtulit. Episcopus autem gaudio repletus ineffabili, Rex omnium Sanctorum, exclamat, retribuat tibi. Et Imperator averso vultu occultè submurmurans; *Tu*, inquit, *odium Dei omniumq; Sanctorum ejus habeas, qui me bonis concessis cum detrimento regni spoliare non cessas.* Episcopus autem privilegium cum manu in altum exaltans; *Beatus es*, ait, *Henrice, & bene tibi erit, cui pro hac oblatione cœlum patebit, cujus anima cum Sanctis sempiterna possidebit gaudia. Videte*, ait, *omnes populi, considerate fideles universi: talis oblatio peccatorum fit abolitio; hoc sacrificium Deo acceptabile animabus fit propitiabile. Hoc quiq; fideles pro posse suæ facultatis imitari studeant, ut pro temporalibus æterna, pro transitoriis mansura obtinere valeant.* Universi autem magnis vocibus Dei collaudabant magnalia, gaudentes super omnibus, quæ audierant & viderant eidem Ecclesiæ collatis donariis.

LXXX. Quarto autem Nonas Januarii cryptam in novo suo Monasterio in honore *S. Stephani Protomartyris* consecravit, & lapidem quendam altaris, spectabilis magnitudinis, à B. *Leone Papa* consecratum, de Ecclesia *Thietmelle* allatum in ea collocavit, & adorandas ejusdem Protomartyris reliquias cum aliis multorum Sanctorum in eo reposuit.

LXXXI. Variis autem modis & temporibus Ecclesiæ commissæ prospiciens Episcopus, oportunè importunè Imperatori institit, & nunc gratuito oblata cum gratiarum actione suscipere, nunc negata piè violentus præripere non destitit. Quodam denique tempore Imperator in Ecclesia principali missam auditurus, regali præparatura altare fecit ornari, admonens suos, Episcopi solitam invasionem cautius præcaveri. Episcopus autem eandem missam

(*) Brow. cum nuncio habita, ferenti scyphum non reddidit;

ſam celebrans, poſt *Agnus Dei*, pulpitum aſcendit, & differentiam inter Imperii poteſtatem & Sacerdotii aſſerens dignitatem, res divini juris non eſſe humani honoris; & divino cultui conſecratum ad jus pertinere Sacerdotum, Canonica auctoritate oſtendit. Unde eccleſiaſtica ornamenta & ſacerdotalia indumenta, ſuper quæ & per quæ ea hora in Eccleſia divina celebrata erant Sacramenta, ejusdem Eccleſiæ proprietati & utilitati, Pontificali auctoritate & banno confirmavit; & omnes ſuæ Canonicæ autoritati reniti præſumentes, cum ſuis fautoribus, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate anathematizatos ſequeſtravit.

LXXXII. Epiſcopus autem quoddam Imperatoris tegmen egregium, præcipui decoris & mirifici operis pallium, ſæpenumero obtinere deſiderans, effectu caruit; donec quadam die Imperatori pluribus intento illud fortuitu rapuit. Imperator verò Epiſcopum de rapinæ incuſans vitio, talionem debitam ſuo ſe tempore redditurum perhibuit: ille verò pallium hoc convenientius in templo Domini pendere, quam ſua membra mortalia tegere affirmans, minas ejus ſe vili pendere aſſeruit. Sciens autem Imperator, Epiſcopum ſæcularibus negotiis multipliciter occupatum, tam in Latinitatis locutione quàm in lectione barbariſmi vitia non ſemel incurrere, de miſſali in quadam collecta pro defunctis, *Fa*, de *famulis* & *famulabus*, cum Capellano ſuo delevit, & Epiſcopum pro requie animarum patris ſui & matris miſſam celebrare rogavit. Epiſcopus igitur ex improviſo miſſam celebrare accelerans, ut ſcriptum reperit; *mulis* & *mulabus* dixit: ſed errorem recognoſcens, repetitis verbis, quod malè dixerat, correxit. Poſt miſſam inſultans Imperator Pontifici, *Ego*, inquit, *Patri meo & Matri, non mulis & mulabus meis miſſam celebrari rogavi.* At ille, *per matrem, ait, Domini, tu more ſolito iterum illuſiſti mihi, & non quoquo modo, verum in Dei noſtri ſervitio. Cujus ero vindex, en promittit meus judex. Namq; ſibi factum non pertranſibit inultum.* Illicò Canonicis in *Capitolium* principalis Eccleſiæ convocatis, Capellanum Imperatoris, hujus rei conſcium, duriſſimè verberibus caſtigari juſſit, caſtigatumque novis veſtibus indutum ad Imperatorem, nuntiaturum, quæ facta fuerant, remiſit.

LXXXIII. Miratus autem Imperator multiplicem Epiſcopi erga cultum Dei devotionem, experiri propoſuit, ſi ſynceriter ex DEO eſſet, ejus intentionem: & aſcitis Notariis ſcribi fecit litteris aureis in ſcedulis, *Meinwerce Epiſcope, diſpone domui tuæ, morieris enim quinta die.* Epiſcopo autem in domo hyemali ad menſam conſedente, de ſuperiori æſtivali domo per poſtes ſcedula per hujus rei conſcium occultè dimiſſa ante Epiſcopum corruit. Ipſeque ea accepta & perlecta, uſu corporeæ fragilitatis primo ſtupens inhorruit. Deinde ad naturæ neceſſaria iturus, alias per loca diſperſas invenit, & certiſſimæ ſuæ vocationis indices credens, Deo gratias egit; & aſcito ſuo Vicedomno, omnia, quæ in pecuniæ vel diverſarum eſcarum copia habuit, Eccleſiis & pauperibus erogari præcepit. Vix autem quibusdam vilibus indumentis ſepulturæ ſuæ retentis, expeditus à curis omnibus, horam vocationis ſuæ gaudens expectabat, & precum laudumque inſiſtens hoſtiis, vigiliis & jejuniis dies noctibus continuabat. Itaque tranſacta die quinta, cum in crypta ſolo proſtratus, usque in mediam noctem exitum ſuum præſtolando nihil corporalis moleſtiæ ſenſiſſet, tandem in ſe reverſus eſurire cœpit: & Imperatoris ſuſpicatus, ut revera erat, machinamenta, ad cubiculum rediit, & cibariis de foro mutuo allatis corpus jejuniis & vigiliis attenuatum cibo ſomnoque refecit. Mane facto, Imperatore cum principibus quaſi de reſuſcitatione Lazari gratulante, & prolixiora vivendi ſpatia ad exemplum & profectum aliorum à Deo ſibi conceſſa affirmante; Epiſcopus, antequam Miſſarum ſolemnia initiaret, pauca pro re & tempore ad populum locutus, Epiſcopalem irriſionem & rerum Eccleſiæ diſtractionem omnibus innotuit, & ejus rei auctores & fautores Apoſtolica auctoritate anathematizatos à ſanctæ Eccleſiæ gremio omniumque fidelium conſortio, usque ad condignam ſatisfactionem ſegregavit. Imperatore protinus cum Imperatrice cæterisque facti illius conſciis monaſterium egrediente, & exceſſum humanæ levitatis humiliter recognoſcente; diſcalceatus & cilicio indutus adventum Epiſcopi ante fores monaſterii publice pœnitens expectavit. Et poſt miſſarum ſolemnia egreſſuro Epiſcopo, in animo contrito & ſpiritu humilitatis proſtratus, abſolutionem anathematis, interventu, qui aderant, cum ſuis difficulter impetravit. Imperialem igitur largius extendens Imperator manum in opus miſericordiæ, diſtracta multipliciter reſtituit, & deinceps cordetenus Epiſcopo unitus, ad omnia, quæ tam in propriis quam in conſervorum & coëpiſcoporum ſuorum neceſſitatibus expetiiſſet, benigniſſimè annuit. Admiretur ergo & veneretur à fidelibus, ut meretur, Epiſcopalis auctoritas, & Imperalis*, & commendetur in eis commendanda vitæ ſinceritas & meritorum tanta ſublimitas.

LXXXIV. Devotiſſimus igitur Imperator circa memoratum locum *Patherbrunnon* multis donis piiſſima largitate celebratis, quaſi ſpiritu quodammodo præcognoſcens, ſe eò amplius

* Brower. *& humilitas Imperialis.*

amplius non venturum, erga Deum & eundem locum, dilectumque sibi Episcopum suæ dilectionis indicia non minima dereliquit. Interventu namque venerabilis *Cunigundæ* Imperatricis, assidue monentis atque incessabiliter ei in memoriam revocantis, quod Episcopus *Meinwercus* plus cæteris fidelibus suis jugi devotione in servitute regia sudasset, contulit ei prædium quoddam *Hvensile* dictum, in pago *Westfalon* situm, in comitatu *Bernhardi* Comitis, quod Episcopus Ecclesiæ suæ novæ mox tribuit cum omnibus ejusdem prædii appendiciis. Die quoque eadem aliud prædium, dictum *Steni* situm in pago *Westfalon in Comitatu Bernhardi Comitis*, ei Imperator dedit, quod sibi suisque successoribus, ad majoris Ecclesiæ dominium Episcopus retinuit.

LXXXV. Ipso die, videlicet XIX. Kal. Februarii, Ecclesiam ab Episcopo noviter constructam Imperator ab omni sæculari violenti exactione vel invasione stabilivit & communivit, Imperialis edicti autoritate decernens, *ut nulla persona quemlibet Abbatem ipsius Ecclesiæ cum suis fratribus super bonis concessis vel concedendis inquietare, molestare aut divestire præsumat, aut aliqua judiciaria potestate se intromittat, excepto advocato ab Abbate & fratribus in defensorem electo:* adjiciens hoc in præcepto, *ut, si quis hoc infringeret*, C. *libras auri componeret*, L. *regiæ cameræ*; L. *eidem Ecclesiæ.*

LXXXVI. Monasterio quoque *Cousunga* nominato, in honore sancti *Salvatoris* sanctæque ejus Genitricis, nec non victoriosissimæ Crucis atque beati Petri, Apostolorum principis, constructo, quoddam prædium regii juris *Hardinchusun* dictum, pro remedio animæ suæ dilectæque conjugis suæ *Cunigundæ* Imperatricis Augustæ, nec non pro animabus fidelium suorum, quorum corpora ibi requiescunt, *Erphonis* Comitis atque *Cononis*, eadem die ibidem in *Patherbrunno* contulit, ea videlicet ratione, ut venerabilis ejusdem Ecclesiæ Abbatissa, Outa nomine, sibique post hinc succedentes, proprietario ipsum jure possiderent. Tali similique studio regiæ devotionis profecit S. Ecclesia augmento sacræ religionis, & in suo statu vigente capite, viguerunt in suo profectu membra Ecclesiæ.

LXXXVII. Illius quoque temporis Episcopi sapientia & scientia præditi, subjectorum profectibus continue erant dediti, secundas Imperii partes sancte & juste adjuvantes, sacerdotii rigorem nullatenus relaxantes. Inter quos vitæ merito eminebant Trevirensis Metropolis, ex qua primum sonus Evangelicæ prædicationis intonuit partibus Teutonicis, *Meingoz & Poppo; Coloniensis quoque Heribertus & Piligrinus; Maguntiensis Ecclesiæ Willigisus & Erchanbaldus, Aribo & Bardo; Burchardus Wormatiensis, studio suo in collectione Canonum in Ecclesia laudabilis; Trajectensis Ansfridus & Athalbaldus; Mimigardevordensis decor Thiedericus & Sigisfridus; Osnebruggensis Thietmarus; Hildenesheimensis Berenwardus & Godehardus; Mindensis Sibertus & Bruno; Werinharius Argentinæ civitatis; Meinhardus & Bruno Wirciburgensis; Parthenopolitanæ Gero & Hunfridus; Bremensis Vnuvvanus*, & alii quam plures pontificii * dignitate venerabiles, sanctitate incomparabiles: quorum meritis adeo illo in tempore floruit Ecclesia, ut non sit hodie aliqua, quæ nobis ejus temporis non portendat suorum meritorum insignia. Hi, ut *Cherubin*, *virtutum suarum alas alter ad alterum concutiebant*, & in laude Dei orbem terræ commoventes, meritorum qualitatibus, tanquam discreti vultibus, & in corporalibus & in spiritualibus *oculati ante & retro*, tam in prosperis, quam in adversis populum commissum strenue gubernabant. Tales erant Episcopi *Meinwerci* contemporales. Per hos Dominus triumphato mundi principe, propagavit Ecclesiam, suo sacro redemptam sanguine. Hi *Meinwercum* pro vitæ suæ innocentia magna venerabantur reverentia, cui tam in Ecclesia quam in curia magnam pariebat dignitatem temporalium rerum opulentia. Porro *Meinwercus* digniores & provectiores inter eos filiali reverentia venerabatur ut patres, coætaneos & juniores amplectebatur ut fratres: majorum admonitionem & institutionem humiliter percipiens, eandemque similibus & junioribus salubriter impertiens. Mira ei ad omnes Karitas, inæstimabilis morum & verborum suavitas, ut amorem Dei in eo interius ferventer flagrantem quodammodo intelligeres per gratiam exterius coruscantem. Erant quoque tunc monachi quaqua versus religiosi; in vigiliis, orationibus & divinis meditationibus studiosi, præsentia contemnentes, cogitatione & omni aviditate cœlestia desiderantes.

LXXXIX. Postquam autem tali Imperatore, tantarum virtutum haud segni executore, mundus non erat dignus, ipseque pro consummatis gloriosissime hujus vitæ laboribus cœlesti bravio erat donandus, *Gruona* decumbens cum totius Christianitatis inæstimabili mœrore, anno vitæ suæ LII. Regni XXII. Imperii X. Dominicæ Incarnationis clↄ XXIV. est defunctus, & *Bavenberge* translatus, *in Ecclesia B B. Apostolorum Petri & Pauli* honorifice est sepultus, tumulusque ejus tali Epitaphio insignitus:

Henric

* Brow. *pontificia.*

Henric Augustus virtutum germine justus,
Hæc servat cujus viscera putris humus,
Splendor erat legum, speculum, lux, gemmaque Regum;
Ad cœlos abiit, non moriens obiit.
Idibus in ternis vexantem pondera carnis,
Julius æthereo sumpserat imperio.
Abbatissa pia (quod reddat sancta Maria,)
Hildigarda sibi jusserat hoc fieri.

XC. Episcopus autem, obitu ejus audito, per totam civitatem Patherbrunnensem omnemque Episcopatum, transitum ejus agi sollenniter mandavit; & pro animæ ejus remedio eleemosynas non minimas tam in alimentis quam in vestimentis, pauperibus erogavit. Quamvis autem gauderet de patrono præmisso, doluit de solatio amisso; transfixusque doloris nimii gladio, non potuit imperare sibi, quin doleret corde & animo. Et Imperator quidem, perceptis laborum suorum præmiis, inter cives cœlestis Hierusalem gaudio æternæ claritatis ineffabiliter tripudiabat: Episcopus autem, ut congregata à luporum incursione conservaret, & pro acquirendis aliis operam daret, inter cives Babyloniæ aliquandiu commorari habebat.

XCI. Post obitum igitur Imperatoris soli Saxones in quodam castello, quod *Werla* dicitur, convenerunt; & tam de Regis electione, quam aliarum rerum necessaria dispositione, tractare cœperunt. Ibi domnus *Meinwercus* Episcopus & *Thietmarus* frater Ducis Saxoniæ *Bernhardi*, quicquid injuriarum vel controversiarum de Abbatia *Helmwardeshusun* aut aliis rebus ad invicem habuerunt, penitus dimiserunt: & intervenientibus *Sigifrido* avunculo ejus, *Herimanno de Westfalan*, *Bennone*, *Amulungo* Comitibus, aliisque præsentibus, plenarie reconciliati; hujusque reconciliationis testes litteris sunt mandati.

XCII. Beneficium quoque domnæ *Addila de Hammonstide* concessum, Imperatore mortuo mox ad eum rediit locum, ex quo prius fuerat acceptum. Episcopus autem, ut sapiens, semper sapienter fecit, & ex substantia Ecclesiæ beneficium domnæ *Addilæ* secundum velle ejus, ut Imperator constituerat, restituit, concedens ei ad terminum vitæ suæ *Liuduliungaroth, Haverlaun & Dalheim* cum LXXX. familiis. Hoc insuper constituens, ut non solũ corporeæ utilitatis & necessitatis remunerationem, sed cum dies vitæ ejus extremus venisset, saluberrimam animæ suæ experiretur commemorationem; ita, ut à fratribus die XXX. obitus ejus omnibusque anniversariis, Missæ & Psalmodiæ celebrentur, & eleemosynæ, sicut in anniversariis ejusdem Ecclesiæ Episcoporum pauperibus erogentur, & fratres ibi Deo servientes duo & duo quatuor panes, duos triticeos, duos siligineos vel avenæ, X. carnes, unam amphoram cervisiæ, unam eminam plenam medonis * accipiant. Scholastici vero duo & duo, duos panes & quatuor carnes, & unam eminam plenam cervisiæ inter se dividant. Hæc in præsentia *Sifridi, Udonis Bennonis* Comitum, *Wiric, Liudwig, Wicilini, Huvike* villicorum, & aliorum multorum sunt facta & ad memoriale perpetuum litterarum serie firmata. O Episcopum idoneum, de Ecclesiæ commissæ profectu in tantum sollicitum! qui & corporibus utiliter prospicere, & animabus salubriter novit consulere.

XCIII. Principibus autem pro electione Regis diffidentibus, Octo ebdomadibus solium regni vacavit, & sic *Conradus*, unus ex regni primoribus, sed regno antea per rebellionem adversus, faventibus sibi *Aribone Magontiense Archiepiscopo*, *Everhardo Bavenbergense* An. Dom. Incarn. MXXIV, ab U. C. MDCCCLXXV, octogesimo quinto loco ab Augusto, VI. Idus Sept. illud obtinuit, & *Magontia* Regiæ consecrationis dominium accepit. Proxima Idus Septembris, facto iterum conventu Principum præsente *Meinwerco* Episcopo in loco, qui *Hirtveldun* dicitur *meritis sanctissima Ida insigni*, *Hildigunda Abbatissa de Gesike* cum *Bernhardo* nepote suo & advocato, prædia *Vilisi, Vesperdun*, *Hoddingahusun*, quæ olim à *Sigebodone* & à sua uxore *Embilan* pro quadam emendatione *Patherbrunnensi* Ecclesiæ tradita fuerant, infirmare voluit. Sed in præsentia *Bernhardi* Ducis Saxoniæ, *Herimanni* Comitis & filiorum ejus *Heinrici*, *Conradi*, *Athelberti*, *Bernhardi*; Comitum quoque *Ekkike de Aslan*, *Erph*, *Amulungi*, *Thiederici Fresoniæ*, *VVidikindi*, *Ekkike*, *Tiamma* fratrisque ejus *Esici* & aliorum multorum justò judicio convicta, ab omni executione penitus cessavit.

XCIV. Conrado igitur Rege in regno confirmato & corroborato: mutato regno, mutatis etiam, ut solet, amicis & consiliariis, per suggestionem *Aribonis* Magontini Archiepiscopi Comitatum quondam *Dodiconis* Comitis, quem prædecessor suus Imperiali munificentia *Patherbrunnensi* Ecclesiæ dederat, ab ea tulit, & in jus *Magontina* Ecclesiæ, rudis adhuc in regno, injusto persuasus consilio, irrationabiliter transtulit & transmutavit. Venerabilis autem

* Brow. *medonis vulgo Meth.*

Meinwercus Episcopus, Imperatorum devotissimus servitor & amator, *Marthæ* sedulus satagens obsequiis, non cessavit, non quievit suo tempore supplicando, serviendo, quoadusque idem Rex Imperator factus omnipotentis Dei, in cujus manu corda Regum sunt, instinctu fideliumque suorum interventu, ablata restituit, & alia quam plura regali magnificentia ei tribuit. Sciens itaque Episcopus, æquum esse serviri Regibus & Dominis, *Ut Christi famulis ad verum prosit honorem, Dilexisse bonos & tolerasse malos*, ad Regem se contulit, & dilata sapienter interim omni querela, obsequio amicitiam, benivolentiâ novi Principis gratiam adipisci proposuit. Rex autem tantæ dignitatis & nobilitatis virum debita veneratione suscipiens, amoris & honoris congrua exhibitione eum tenuit: profectusque Romam secundo electionis suæ anno, in negotiis tam privatis quam publicis fidelem & utilem viæ comitem habuit.

XCV. Eodem anno MXXVI. in natali S. *Mathæi* Apostoli *Aribo Magontinus Archiepiscopus* in *Selinganstad* concilium generale XII. Episcoporum concivit, in quo beatæ memoriæ *Godehardum*, Hildenesheimensis Ecclesiæ Episcopum, super *Gandinesheimensi* parochia publice convenit: quam tamen synodum unanimitas fratrum in futurum annum, in præsentiam Regis comperendinavit.

XCVI. Rege autem in *Longobardia* manente, *VVolffgangus Patriarcha Aquilegiensis* ei obviam venit, imprecatusque novo Regi prospera, Episcopum *Meinwercum* consanguineum suum salutavit. Episcopo autem ad constructionem Monasteriorum reliquias Sanctorum expetente, Patriarcha gratanter annuit; *& corpus S. Felicis*, qui sub *Diocletiano* Imperatore, *Heronio* Præside, cum *Hilario* Episcopo & *Taciano* diacono post equuleum atque alia tormenta, cum *Largo* & *Dionysio* Martyrium consummavit, postmodum misit.

XCVII. Rex autem natalis Domini festum *Yporeæ* initiavit. Inde ad limina Apostolorum tendens, feria III. ante cœnam Domini Romam felici prosperitate gaudens intravit, & in sancto die Resurrectionis Domini cum *Gisla* Regina coronam Imperialis honoris à beato *Joanne Apostolorum vicario* gloriose percepit. Imperator autem ab Apostolico de Ecclesiis Dei meliorandis propagandisque admonitus salubriter obaudivit, & perpendens hoc, se multum posse juvare ad divini honoris & gloriæ majestatem, Ecclesias intra Imperii sui contiguum constitutas sublimare & de rebus suis ditare: pariterque sciens, ad Imperialis potentiæ dignitatem pertinere, bene sibi domi vel militiæ servientibus condignam servitutis remunerationem exhibere, interventu *Gislæ* Imperatricis, suæ contectalis, & filii sui *Heinrici*, *Brunonis* Augustensis Episcopi, *Herimanni* Marchionis fratrisque ejus *Ekkihardi*, quandam curtem ad jus Imperiale pertinentem, *Ervete* dictam, *in pago Engere in Comitatu Marcwardi Comitis* sitam, cum omnibus appendiciis & universis utilitatum, quæ inde provenire poterunt, attinentiis, cum banno & mercato etiam, quod apud eandem curtem solet haberi, domno *Meinwerco*, qui sæpe & multum frequenter & fideliter sibi servierat, ibidem in Roma, sabbato sancto Paschalis ebdomadæ, VII. videlicet Idus Aprilis donavit. Proxima die Dominica regressus, ac pervasa circumquaque potestative ea regione, in pace repatriavit, & nativitatem S. *Joannis Baptistæ* novus Imperator in *Imbripoli* celebravit. Ubi in bona senectute defuncto *Heinrico Duce Bajoariæ*, *fratre Imperatricis Cunigundæ*, filio suo *Heinrico* eundem ducatum, Principum delectu, commendavit.

XCVIII. Imperatore ergo reverso, ipso anno facta est generalis synodus *Franconovordi* Episcoporum XXII. in qua præsidente Imperatore, beatus *Godehardus Hildenesheimensis Episcopus* diœcesin suam super *Gandenesheimensi* parochia, canonica synodalique censura judicio VII. Episcoporum, contra *Aribonem Magontinum* retinuit. In eadem synodo domna *Sophia* Nonnas suas, cogente synodali decreto, ab Archiepiscopo recepit: & *Gebehardus* juvenis, frater Imperatoris, ibidem arma deponens, Clericalem tonsuram invitus accepit.

XCIX. Proximo anno *Heinricus*, filius Imperatoris, unctione *Piligrini Coloniensis Archiepiscopi Aquisgrani Rex factus*. Ipso anno *Aribo Magontinus Archiepiscopus* in *Gezlethi* synodum generalem; cum suis suffraganeis Episcopis habuit, in qua inter cætera Ecclesiastica negotia quidam homo ingenuus, de homicidio *Sigifridi Comitis* incusatus, candenti ferro se expurgavit, & ex decreto synodi post duas noctes illæsus apparuit.

C. Eodem etiam anno *Misaco* Sclavorum Princeps Orientales partes Saxoniæ cum exercitu violenter invasit, & incendiis ac deprædationibus peractis, virorum & mulierum parvulorumque innumerabilem multitudinem, miserabili & inaudita mortificatione, trucidavit.

CI. Episcopo autem sedulo domi forisque Imperatori obsequente, Imperator ei ad omnia, quæ expetisset, favit, & inter cætera, quæ rationabiliter expetitus liberaliter annuit, XIII. Kal. Sept. in *Walabuson* talia bona, qualia ab ipso vel ab ullo antecessorum suorum Regum, Imperatorum seu cæterorum hominum *Patherbrunnensi* Ecclesiæ collata sunt in Abbatiis, in Comitatibus, in forestis, in teloniis, in monetis, in mercatis, in bannis, in immunitatibus, in omni

omni districtu, in prædiis majoribus & minoribus, in mancipiis utriusque sexus, sive in omnibus pertinentiis, ad hoc jure ac legaliter aspicientibus, interventu suæ conjugis *Gislæ* Imperatricis & amantissimæ prolis *Heinrici Regis*, imperiali præcepto stabilivit & confirmavit, ut nullus temerario ausu aliqua de rebus Ecclesiæ auferre, aut sine præfati Episcopi *Meinwerci* suorumque successorum permissione se intromittere præsumat: Sed ejusdem Ecclesiæ provisor tali jure ac lege, quali Archiepiscopi & cæteri Episcopi res ad suum Episcopium possident, omnium hominum contradictione remota, bona concessa vel concedenda potestative possideat.

CII. Decimo octavo Kal. Octobr. sequentis anni, qui fuit post obitum Heinrici Imperatoris sextus, facto in *Hirutveldun* conuentu Principum, Episcopus *Meinwercus* aderat, ibique veniens *Brun* Comes cum uxore sua *Ida*, infirmare voluit traditionem, quam in prædiis *Sudesburch*, *Betanun*, *Wallenstedi*, fecerat. Episcopus autem quasi sapiens, tanta prædia perdere nolens, domnæ Idæ usque ad exitum vitæ suæ LXXX. aratra in reconciliationem dedit, & astantibus legitimumque huic rei testimonium perhibentibus *Bernardo duce*, *Hermanno Comite*, *& filiis ejus Henrico*, *Conrado*, *Athalberto*, *Bernardo*; Comitibus quoque *Ekkika de Aslan*, *Bernardo*, *Erphone*, *Theodorico Fresonia*, *Widukindo*, *Eckika*, *Amulungo* & fratre ejus *Ecberto*, legali jure hæc firmata obtinuit: hoc fideliter decernens, ut si aliquis aratra, domnæ *Idæ* concessa, auferret, illa omnia prædia sua sine contradictione reciperet.

CIII. Nobilis quoque quidam *Hathamarus* nomine, prædium quoddam in loco *Limoneshus* dicto, hereditario jure possedit, quod cuidam Haoldo seniori suo, promissionibus illius illectus, absque voluntate heredis legitimi tradidit: Postea *Hathamarus* imperante Domino obiit, & prædium ei matrique suæ injuste abstractum, prædictus *Hathaldus* suæ concubinæ, filiæ videlicet *Bernardi* Comitis, quasi pro dotis causa donavit. *Hathaldo* quoque post longum tempus mortuo, *Berthilt* mater *Hathamari* in præsentiam *Conradi* Imperatoris ejulando venit, suumque prædium injuste sibi ablatum multum conquerens, regali clementia sibi restitui suppliciter petit. Imperator vero misericordia motus, vim patienti benigne condoluit, & interventu *Gislæ* Imperatricis, consilioque *Udonis*, *Hermanni*, *Eckihardi Comitum* aliorumque multorum, eidem *Berthildi* prædium injuste ablatum potestative restituit: *Berthildis* vero memor salutis æternæ, ipsum prædiũ per advocatum suum *Reinberium* cum consensu & voluntate uxoris suæ *Modunnæ*, justissimæ hæredis suæ, Ecclesiæ *Patherbrunnensi* in proprium tradidit: eique Episcopus *Meinwercus* quandam decimationem in villa *Thesli* ad terminum vitæ suæ concessit. Huic rei *Herimannus*, *Udo*, *Eckihardus Comites* & alii plures, testimonium legitimum dabant: & insuper omnes majores & nobiles, qui eo tempore in Lacni vivebant.

CIV. Pauper quoque quidam *Daja* nomine, ad Imperatorem veniens, se cum matre sua prædiorum *Uflan* & *Ricwardessun*, quæ Episcopus ab *Aluerico de Ragun* gravi pecunia comparaverat, legitimum perhibuit hæredem. Episcopus autem pro amore Christi eidem *Daja* unum equum & V. solidos, unum laneum pannum, ad reconciliationem dedit: & præsentibus *Hunfrido Magethebergensi* Archiepiscopo, *Cadologo* Episcopo, *Lutgero*, *Burchardo*, *Alverico* Comitibus V. aratra ad X. solidos denariorum, in beneficium usque ad exitum vitæ suæ ei concessit.

CV. Anno autem Dom. Incarn. MXXX. *Conradus* Imperator difficili periculosoque itinere regionem *Hungariorum* pervasit, & devote sibi Episcopo ubique obsequente, interventu *Gislæ* Imperatricis filiique ejus *Henrici Regis*, Kal. Junii in *Mersiburg*, quondam *Bernardi* Comitis prædium *Patberch* dictum cum X. mansis, circa eundem montem adjacentibus, in pago *Niterga* in comitatu *Haboldi* Comitis situm, testamentaria auctoritate ei contulit; quod ideo *Hereditario* jure in Imperialem potestatem successit, quia idem Comes *Bernardus* spurius, (quod vulgo Manbürtich dicunt) fuit. Episcopus autem pro collatis gratias non minimas egit, & videns, se laborem suum non in vanum consumere, magis ac magis pro obtinendis aliis insudare cœpit. Miranda autem in tantæ dignitatis & nobilitatis viro, continuæ servitutis & laboris pro Ecclesiæ commissæ profectu instantia; ac notanda & laudanda in eo maxime amoris Dei flagrantia, digna sane Episcopalis dignitatis, quæ propter Deum majori se subdens, Dominum in potestate eminentiori, quæ ab eo est, venerari novit: digna quoque Imperialis majestatis, qui laboris & amoris sibi exhibiti negotia esse nescivit.

CVI. Ubique ergo fidus & individuus comes Imperatori Episcopus existens, proximo anno secum *Alstede* venit, & prædia, quæ habuerunt *Bernardus* & uxor ejus *Hazeka*, in locis *Alfflaan* & *Eltinun* in pago Paterga, in comitatu *Amulungi* Comitis, XIII. Kalend. Feb. ab eo obtinuit. Post hoc *Goslariam* divertit XI. Kalend. Martii, ubi prædia *Bennanhusun*, *Walaborch*, *Dadan*-

Dadanborch, sita in pagis *VVetiga*; & *Tiliti in Comitatu VVidikindi Comitis* ei Imperator contulit. Ibidem die eodem, interventu *Gisla* Imperatricis & filii sui *Heinrici Regis*, & juge servitium * Episcopi sæpissime & fideliter impensum sibi, prædium *Heinhuson*, *VVinidun*, *VVindilinroderod, Aldentborpf, Rurbercessun, Smideressun, Illisa, Hameressun*, situm in pago *Auga* in comitatu *Conradi* Comitis, cum attinentibus: *Haiconem* & *Ricardum* etiam cum suis omnibus Imperator *Patherbrunnensi* Ecclesiæ tradidit.

CVII. His actis quidam vir *VVittilo* nomine, Imperatoris *Conradi* serenitatem adiit, humiliter exorans, ut prædium *Sannanabiki* dictum, situm in istis villis *Hornan*, *Frotinctorp*, *VVinesbiki*, *Rasseti*, *Knechtabusun*, *Bukinbusun*, *Bennanbuson*, *Scuni*, *Berchem*, *Homan*, *Holthuson*, sua uxorisque suæ *Odæ*, filiæque eorum *Cæciliæ*, nec non *Gerburch*, filiique ejus *Odonis* petitione ac collaudatione, ad suam Imperialem manum accipere curaret, & prædium *Zuerezi*, quod Regiæ fuit proprietatis, illorume contra ditioni subjugaret. Quorum desiderio Imperator, primatum suorum satisfaciens consilio, id quod illorum erat, ad suas manus recepit, & in illorum jus hoc, quod sui erat juris, amicabiliter remisit. His omnibus ita transactis, prædictum prædium *Sannanabiki*, quod tunc Regiæ judicabatur esse propietatis, in Comitatu *VVidikini* Comitis in pago *VVettiga*, interventu *Gislæ Imperatricis*, *Heinrici Regis*, dilectæ suæ prolis, nec non *Herimanni Marchionis*, *Meinwerco* Episcopo suisque successoribus ad utilitatem *Patherbrunnensis* Ecclesiæ III. Non. Aug. in proprium Imperator tradidit: *recordatum* se dicens, *non in hoc tantum sed in aliis sibi adhuc, Deo volente, ab eo tradendis prædiis, quod suum assiduum servitium devotius & ceteris Pontificibus frequentius, non quasi uno, sed fere in omni tempore anni habuerit.* Magnæ devotionis & fidelitatis servitium, tam evidens Imperialis majestatis habens testimonium!

CVIII. Tempore autem autumnali Imperator Sclavos cum parva Saxonum manu invasit, & *Misaconem* diu sibi resistentem, *Lutizi* cum aliquot urbibus & præda, quæ prioribus annis in Saxoniæ partibus facta fuerat, restituere, pacemque juramento firmare coëgit.

CIX. Monasterio autem, quod in Occidentali parte *Patherbrunnensis* suburbii Episcopus inchoaverat, pleniter & decenter cum omnibus claustralibus officinis consummato, ab Imperatore hoc dedicandi & consummandi licentiam petiit & accepit: regressusque dedicationi attinentia cum summa abundantia præparari præcepit. Misso autem à *VVolffgango Patriarcha Aquilegiensi* corpore S. *Felicis* cum duobus palliis, V. Non. Octob. Episcopus in eodem Monasterio, cum maxima Cleri totiusque civitatis populi frequentia illud excepit. Et experiri volens Salutis ipsius auxilio, si sibi suoque succurrere posset populo, rogum maximũ in medio claustri sub divo fieri præcepit, in quem, cum tertio corpus misisset, totiensque in favillam redactus ignis extinctus fuisset, cum maxima omnium exultatione & laudum jubilatione corpus manibus propriis excipiens super principale altare detulit, & omnium venerationi solemnem sanctum illum deinceps haberi instituit.

CX. Oblationis ergo, quam pro spe suæ salutis & incolumitatis, pro remedio animæ suæ omniumque parentum suorum Deo offerre disposuit, testes & cooperatores idoneos adhibuit, ascitisque *Hunfrido* Archiepiscopo Parthenopolitano, & Episcopis bonæ memoriæ *Godehardo* Hildenesheimensi, *Siberto* Mindonense, *Sigifrido* Monasteriense, aliisque quatuor, eos nuptiis suis festivis interesse petiit. Maguntinus autem Archiepisc. Aribo eodem anno Romam profectus orationis causa, in reditu VIII. Idus April. obierat, & *Bardo Werthenensis Abbas*, qui Imperatricis machinamento subintraverat, quique ante paucos menses Arnoldo, à Herveldensi regimine deposito, successerat, variis negotiis occupatus secundum desiderium Episcopi interesse non poterat. Solennitate ergo omnium Sanctorum Kal. Nov. in civitate *Patherbrunnensi* cum prædictis Episcopis, & innumerabili multitudine promiscuæ ætatis & dignitatis festive celebrata, sequenti die Episcopis præsentibus & sua auctoritate faventibus, Monasterium suum in honore B. *Mariæ perpetuæ Virginis, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, atque omnium Sanctorum*, devotissime consecravit; & in dotem ejus prædia hæc solenniter delegans, *VVithun*, *Gelondorph*, Merebeke cum Ecclesia, *Rimi*, *Driburi*, *Goltbeke*, *Dodenhuson*, *VVaIdmanninckhuson*, *Havergo*, *Nedere*, *Balehornon* cum decima, *Lessete* cum decima, *VVanbeke*, *Hoënsile*, *in Radinchheim* curtem cum familia, cum Capella & decima super dimidiam villam. In *Putten* curtem cum familia, Ecclesiâ & decima super omnem porochiam; Capellam in *Vorthusen* ad eandem Ecclesiam pertinentem. In *Testerbant* curtem cum tota familia. Matrem Ecclesiarum in *Tuilon*, cum quatuor Capellis attinentibus *Niuvela*, *Helve*, *Hasten*, *Gamberem* cum decimis earum. *Burgnon*, item *Burgnon*, *Andepo*, cum omnibus suis pertinentiis, & ceteris omnibus, quæ quomodocumque donari possunt, utilitatibus,

* Forte: ob juge servitium.

utilitatibus, in mundiburdium & tuitionem omnipotentis Dei, omniumque Sanctorum commisit; admonens & contestans sub nomine Domini nostri JESU Christi, ut nullus successorum suorum, sive alia aliqua persona magna vel parva contra Ecclesias Dei sæviens foris aut intus, eidem Monasterio rebusque sibi concessis seu concedendis, aliquam violentiam seu rapinam ulla temeritate inferre, vel de præfato Monasterio aliqua auferre, vel minuere de thesauris vel prædiis; vel monachis ibidem constituis vel constituendis, vim aliquam sive molestiam irrogare præsumat. Ecclesiam quoque in *Haldinghusen* cum banno Episcopali & tribus capellis attinentibus eidem Monasterio delegavit: & ne quid Ecclesiasticæ dignitatis aut temporalis in aliquo ei deesset, solerter prospicere curavit.

CXI. Iste est autem ornatus, quem eidem Monasterio tradidit, quemque frater *Andreas*, consignante *Abbate Sigebardo* in custodiam recepit. *Tabula ante principale altare argentea; Calix aureus VIII. marcarum examinati auri, LXXII. lapidum decoratus ornatu; Calix fusilis argenteus XXX. marcarum, in quo opere passio S. Stephani protomartyris continebatur; Calix argenteus minor XXII. marcarum; Calices minores diversæ qualitatis & quantitatis purissimi argenti VI. Cruces argenteæ duæ cum baculis; Candelabra duo, tertiam dimidiam marcam examinati argenti habentia; Coppa argentea; Ampullæ argenteæ V. Dalmaticæ V. Casulæ XIV, Stolæ auro textæ VII, ex quibus una habuit XXVII. tintinnabula, alia XXI,* adjunctis *cingulorum & mappularum pertinentiis. Item aliæ VII. Stolæ, Subtilia III, Cappæ XXV, Pallia coccinea XII. Coopertoria altaris varii generis VI, Mappulæ coccineæ IX, Offertoriola coccinea duo, Dorsalia lanea V, Choralia V, Cortinæ V, Bancalia VII, tapetia XIII, Albæ L cum superhumeralibus suis & Zonis: Coopertorium analogii coccineum, lapides crystallinos XXXIII, Coronam argenteam ante principale altare, continentem in festis præcipuis XII. candelas in honore omnium Apostolorum: Aliam coronam æque argenteam in medio Monasterii, continentem candelas in memoriam LXXII. Christi discipulorum,* & alia multa ac diversa, ad Ecclesiasticum apparatum pertinentia.

CXII. Liberam quoque potestatem Abbatem eligendi secundum timorem Dei ad regularis auctoritatis firmamentum, sua Episcopali concessione ejusdem Ecclesiæ filiis stabilivit & confirmavit: ita ut damnationem & ultionem invasoribus Ecclesiarum à Deo prædestinatam incurrat, quicunque in hac re per aliquam violentiam, vel per malignum consilium eis obstiterit, & suam traditionem & constitutionem atque licentiam liberalem infringere vel permutare quolibet ingenio tentaverit.

CXIII. Super his atque aliis Monasterii utilitatibus facto testamento, ipse piissimus pater & cæteri Episcopi præsentes, sibi in confirmatione singillatim ad pulpitum succedentes, sua illud pontificali auctoritate & banno terribili ac formidabili stabilire, firmare & roborare curaverunt: ut videlicet, si quis contra hujus testamenti seriem cœnobio ipsi quodlibet dispendium sive injuriam irrogare tentaverit, omnipotentis Dei Sanctorumque ejus iram atque offensam incurrat; & in die judicii, si non emendaverit, divino maledicto subjaceat: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.

CXIV. Constituit autem non census vel debiti, sed inviolabilis causa dilectionis, ut Abbas prænominati Monasterii omni anno in Dedicatione Ecclesiæ suæ Episcopum, si præsens est, Canonicosque suos ad convivium invitet: nihilque aliud aliquid, præter quod karitas dictaverit, aliquando persolvere cogatur. Hanc traditionem Comes *Amulongus* summus matris Ecclesiæ Advocatus manu sua de altari suscepit, & Regiæ potestatis banno in comitatu suo stabilivit. Super his præsentium atque futurorum orationes sibi apud Deum Episcopus prodesse obsecravit, ut ipse sibi mercedem in die judicii restituat, pro cujus amore se incepisse dixit & perfecisse. De prædiis autem eidem Ecclesiæ collatis, *VVithun*, *Rime*, *Merebeche*, *Goltbeke*, *Dotenhuson*, *VValtmannichuson*, *Havergo*, *VVanbiche*, & bona in inferiori terra hereditario jure possederat: *Nedere* vero & *Driburi*, ac *Hoensile*, Imperator *Heinricus* ei ad ipsum Monasterium dederat; *Gelantorph* quoque, ut prædictum est, à domna *Godrunna* & filio ejus *Hodan* obtinuerat. *Lessete* vero quædam nobilis mulier ad ipsum Monasterium dedit: de quo Episcopus cœnam fratribus provideri dispositione Cellerarii instituit. Decimas autem super curtes, infra Episcopatum suum constitutas eidem Monasterio delegatas, ei concessit, & super mansos attinentes, quo prius solverant, solvi permisit: nolens maculare alterius juris imminutione, tanta à se constructum devotione. *Ab omni autem hostilicio & secularium exactionum negotio, ipsum Monasterium liberum & immune esse constituit:* & ad innuendam futuris & prædia ipsius transituris tam construentis devotionem, quam constructi in crucis tropheo speciem & defensionem, per omnia prædia eo pertinentia crucem, sive in portis seu aliis eminentioribus locis figi præcepit.

CXV. Monasterio ergo hoc anno Dom. Incarn. MXXXI. *Indictione* XIV. IV. *Nonas Novembris*, ut dictum est, solenniter consecrato, post festum proximum natalis Domini Episco-

pus Imperatorem *Patherbrunnon* invitavit, ubi interventu *Gislæ* Imperatricis, suæque amantissimæ prolis Heinrici Regis & Egilberti Frisingensis Episcopi, quæ eidem Monasterio in quibuscunque rebus Episcopus contulerat, imperiali præcepto Imperator stabiliens, XVII. Kal. Feb. confirmavit & corroboravit: eo videlicet tenore, ut sub plenissima immunitatis tuitione hæc consistant, & sub imperialis auctoritatis defensione præfatæ Ecclesiæ fratres ea possideant: ita, *ut nullus judex publicus, vel quislibet aliqua judiciaria potestate præditus, loca vel possessiones eidem Ecclesiæ concessas vel concedendas ad causas judicario more audiendas, vel freda, tributa exigenda, mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsorum tam litos quam & ingenuos super terram eorum commanentes, contra rationem distringendos, ullo unquam tempore ingredi audeat, nec ullas publicas functiones aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere ullo modo præsumat: sed prænominatæ Ecclesiæ Abbas cum suo advocato, quem communicato fratrum suorum consilio in defensorem elegerit, causas rerum agendarum sagaciter providens & sapienter disponens, suis suorumque fratrum utilitatibus in omnibus fideliter & utiliter prospiciat. Hominibus autem liberis, eidem Ecclesiæ collatis, qui Saxonicè dicuntur Malman, eandem regiæ auctoritatis defensionem concedens quicquid fiscus regius de eis consequi debuit, eidem Monasterio contulit*; quæ Episcopus diversis usibus assignans, censum horum Lessete solventium, ad provisionem luminis in dormitorio deputavit.

CXVI. Taliter vir Dei spe cœlestium bonorum animatus, & consilio ac auxilio Christianissimi regis *Heinrici* ejusdem nominis secundi, Imperatoris primi, venerabilisque *Cunigundæ* Imperatricis in omnibus adjutus & confortatus, Monasterium hoc, ubi novissimam tubam expectare disposuit, monasticæ vitæ amore, maxima devotione, inchoavit, & Episcopatus sui anno XXIII. Regni Conradi ejusdem nominis secundi septimo, Imperii quarto, ut dictum est, consummavit, & ad alia construenda licentiam ab eodem Imperatore petiit & impetravit.

CXVII. Imperator autem à civitate *Patherbrunnensi* cum Episcopo divertens, *Hiltiwardenbusun* venit, ubi primo mane sequentis diei, scilicet Kal. Februarii, interventu *Gislæ* Imperatricis, & filii sui *Heinrici regis*, & præfati *Egilberti Frisingensis Episcopi*, & ob frequens devotumque servitium suum, quandam regiæ proprietatis curtem, Gardenebiki nominatam, in pago *Lacni in comitatu Herimanni Comitis sitam*, cum omni sua integritate, vel quicquid prædii habuit in villis *Huvinadal, Moldugavel; Liudelveshuson* situm in eodem pago & in comitatu ipsius Comitis, cum omnibus attinentibus, Episcopo dedit, ut ipse fidelis suus, sive longe sive prope esset, suæ devotissimæ servitutis eum non immemorem esse recognosceret. Tale testimonium suæ servitutis & fidelitatis veraciter decuit eum, qui in omnibus & super omnia sinceriter dilexit Deum.

CXVIII. Imperator autem à *Hiltiwardesbusun* progressus, Fridislare tetendit, ubi benivolentia ejus prædictorumque instantia interpellatus, Comitatum *Herimanni* Comitis, situm in istis tribus pagis, *Auga, Netega, Hessega*, eodem die ei contulit.

CXIX. Tempore vero autumnali Saxoniam ingressus, Magetheburg devenit, ubi interventu Gislæ Imperatricis, & carissimi sibi filii *Heinrici* Regis, ei Ecclesiæque commissæ sibi VI. mancipia, quorum hæc sunt nomina *Thiethart Presbyter, Luiza, Heregrim, Ethilier, Athalwart, Wicburg*, cum omnibus eorum substantiis dono suæ magnificentiæ XII. Kalend. Septemb. delegavit. Beata & beatificanda æterna memoria dantis & accipientis anima, quæ cum Christo Domino sempiterna possideant gaudia!

CXX. Episcopus ergo pro obtinenda cœlesti Hierusalem, Ecclesiam ad similitudinem sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ facere disponens, *VVinonem Abbatem de Helmwardesbusun* quem de Monachis civitatis suæ ibi præposuerat, ad se accersivit: eumque Hierosolymam mittens, mensuras ejusdem Ecclesiæ & sancti sepulchri deferri sibi mandavit.

CXXI. Nactus autem oportunitatem temporis, comitatum *Dodiconis* Comitis, ab eodem Imperatore ablatum per suggestionem Maguntini Præsulis, eodem Præsule mortuo, opportune importune cœpit requirere: timens, si perdita negligeret, se ante Deum in acquirendis aliis parum proficere. Imperator autem multimoda ejus erga Deum comperta devotione, justis ejus desideriis gratuito in omnibus annuit; & quærens oportunum tempus voluntati ejus satisfaciendi, proximo anno III. Idus Maji *Noviomago*, prædium in *Marsvelde* in pago *Rittega in Comitatu Udonis Comitis* situm, interventu Gislæ Imperatricis & dilecti filii sui *Heinrici Regis*, ob servitium suum secundum votum suum sæpissime sibi impensum, cum omnibus attinentibus & mancipiis utriusque sexus, quorum hæc sunt nomina, *VViga* & uxor ejus *Olika*, & filius ejus *Albern*, & soror ejus *Æthelinth; Volclach*, & filius ejus *Buna*, & soror ejus *Gele*; alia quoque tria mancipia sub eâdem præcepti auctoritate, quorum hæc sunt nomina, *Emma, Sicca, Verthubrebt*, interim ei contulit: Et sic subsequente IIII. Nonas Augusti totum Comitatum *Dodiconis* Comitis, situm in locis *Hesse, Nitergo, Netgo Bohteresge*, quem tunc *Bernardus* Comes posse-

possedit, in *Lintburg* Patherbrunnensi Ecclesiæ reddidit: & præcavens, ne aliqua disceptatio postmodum fieret, Comitatum, qui situs est in *Cluvinga* Maguntino contulit: hoc decernens, *ut si quis diabolica suasione seductus hæc infregerit, sciat, se odium Dei Sanctorumque ejus habiturum, & mille libras auri puri compositurum: medietatem regiæ cameræ & medietatem Patherbrunnensi Ecclesiæ.*

CXXII. Reverso autem *VVinone* Abbate de Hierosolymis, & mensuras ejusdem Ecclesiæ & sepulchri sancti reliquias deferente, cœpit Episcopus ad similitudinem ejus *Ecclesiam in honore S. Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, ac beatorum Apostolorum Petri & Andreæ,* extra Patherbronnensem civitatem in orientali parte construere, in qua Canonicos Deo servientes congregavit, quibus victum & vestitum de bonis propriis ministravit. Celeriter autem constructa Ecclesia, sentiens diem mortis sibi imminere, Archiepiscopos *Bardonem Magontinum, Herimannum Coloniensem & Brunonem Episcopum Wirciburgensem* ascivit, eorumque testimonio anno Dom. Incarn. M.XXXVI. Indict. IV VIII. Kal. Junii eam dedicavit. In ipsa autem die sanctificationis Ecclesiæ, benedictione peracta, ante Missarum solemnia, sermone ad populum finito, more aliarum Ecclesiarum Deo consecratarum eam dotavit; dans ei curtem unam in *Theldun*, quam ex hæreditate paterna possedit; duas precarie acquisitas, unam in *Wallithi*, alteram in *Asbiki*, & unum *Vorewerck* in *Affiki*, unam curtem in *Valle*. Quia vero de prædiis in confinio tantum non habebat, ut sufficere posset ad usus Ecclesiæ ac Deo servientium in ea, consilio fidelium suorum accepto decimas subterscriptas de dominicalibus curtibus ad Episcopatum pertinentibus, eidem Ecclesiæ dedit. Quarum prima est: *Enenbus* & XIII. *Vorewerc* ad eam pertinentes, *Stidinān*, Bennidisla, *Colstidi, Dedinghuson, Heddighuson, Dal, Henghilari, Hilimari Suasthanon, Berghusen, Brochuson, Balhornon, Patherbrunnon; Sutheim* & tres *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Kyrcthorpe, Holtheim, Siwardassan; Nigenhus*, & quatuor *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Ilasan, Ascha, Bruch, Tuna, Bekinum*, & quatuor *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Henghi, Elinere, Brochuson Aslan. Berghuson*, & quinque *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Uralanchuson, Meginchuson, Burghuson, Hepin, Ikamanninchorpe. Bikesethon*, & tres *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Hisi, Unrecasson, Ekama. Helagankyrcan*, & duo *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Aldanthorpe, Bardingthorpe. Luthithe* & duo *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Dadenbrocke, Breca, Heginhuson* & quatuor *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Rothbehtusson, Berga, Holtisminni duo. Aginhuson*, & sex *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Sandenebike, Homa, Saftincthorpe, Stenhem, Hardincthorpe, La. Nihem*, & quatuor *Vorvverc* ad eam pertinentes. *Malrede, Lieverincthorpe, Pummassan, Baddanhuson, Hiristalli,* & quinque *Vorevverc* ad eam pertinentes: *VVirigisi, Thesli, Brecal, Hemmadasson, Bussasson. Dasburg* & duo *Vorewerc* ad eam pertinentes: *Dasburg, Asnedere. VVardburg*, & tria *Vorewerc* ad eam pertinentes, unum in ipsa villa, *VVesnederi, Asdagasson, Culite* & tres *Vorevverc* ad eam pertinentes: unum in ipsa villa, *Vorsti, Rothun. Hirisvvithuson*, & tres *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Aslan, Bilinchuson, Tevinchuson, Kurbike*, & quatuor *Vorevverc* ad eam pertinentes: *Dalvvic, Anasi*, item *Anasi, Lenghivelde. Vilisi*, & unum *Vorevverc* ad eam pertinens: *Vernethi Asbiki*, quæ est juxta *Hursti*. Ipsis autem villicis, qui domos has prædictas inhabitabant, vel his, qui post eos ponendi sunt, nihil omnino nisi XV. jugera pro vestitu prætermisit: alia vero omnia, quæ laboraverint in agro, vel nutrierint in domibus, tam propria sua, quæ habent aut postea Deo annuente possessuri sunt, quam ad Episcopalem potestatem pertinentia, quadrupeda sive pennata, more solito absque ulla contradictione addecimari constituit. Ut autem nulla ex his prætermitteret, quæ sibi à Deo data essent, dedit & decimam in *Sinithi* super armenta sua & super examina apum; fideliter Deo & Domino nostro *Jesu* Christo, Sanctoque Spiritui offerens vota sua. Constituit autem, ut si quis eorum, qui videntur his omnibus præesse, præsumtuose hanc traditionem per malam voluntatem aut propter nequitiam cordis sui irritaverit, & secundum ejus dispositionem decimam non dederit: dicens, se juste non daturum; & hoc à procuratore fratrum, vel ab ipso Præposito loci, vel quod majus est, à communi fratrum querimonia proclamatum fuerit; si *Ministerialis* hujus rei rector est, juramento se in Reliquiis purgabit; si Lito, judicio ferri igniti synodali sententia se liberabit. Ne autem alicui successorum suorum non bonæ voluntatis viro, neque amorem Dei in corde suo retinenti, mensæ suæ stipendia Episcopus diminuisse videatur, sciat, eum has decimas & de hæreditariis & de acquisitis bonis centies restituisse. Ponebat etiam terminum, ut unaquæque solet habere Ecclesia, audiente Clero universo, & confitenti coram omni populo congregato, hæc omnia sine ulla contradictione posse fieri. Imprimis villam hanc, quæ dicitur *Aspithara*; aliam, quæ vocatur *Hildelinghuson*. III *am*, quæ vocatur *Hassuithehuson*; Quartam Hahensili, quæ vulgari verbo dicitur *Quadin*; Quintam *Asbetinchuson*. Super hæc omnia cum non possent habere ullam utilitatem sylvarum, potestate Episcopali dedit eis in *Benvidisla & in marchiis Thurnithorum, Renghithinchusorum, Hildelinchusorum, Aspetharorum,* in

in unaquaque ebdomada pondera VI. plaustrorum. Dedit quoque ad honorem & utilitatem Ecclesiæ ejusdem partem *Sundera* suæ in Orientali plaga viæ, quæ vadit ad urbem *Patherbrunno* usque in *Asbetbinchuson*. Harum rerum privilegium propriis manibus sigillatum ejusdem Ecclesiæ filiis dedit, ut testimonio scripturarum veritas approbetur, si quando tribulatio vel contradictio rerum prædictarum ab aliquo facta fuerit, *anathemate cum Juda proditore feriendum decernens, quicunq; successorum suorum, aut consanguineorum seu posterorum eorum, à quibus precario partem quandam acquisierat, hæc infringere tentaverit.*

CXXIII. Talia viri Dei pro spe æternitatis opera! hæc circa civitatem sibi commissam dilectionis indicia! qui si vixisset, in civitatem honoris & decoris eam in regno promovisset. Nam sicut in occidentali & orientali parte civitatis congregationes servorum Dei construxerat, ita in australi parte in *Campo*, in aquilonali *Sulithe* (*), in modum crucis construere disposuerat: ut sicut ab eo de nimia paupertate, tam hæreditaria traditione quam jugi instantia & servitio, à regibus aliisque fidelibus acquisitione fuerat dilata & promota, ita à Crucifixo servientibus, & eam orationum suarum armis defendentibus, contra omnia inimici jacula esset munita & insignita.

CXXIV. Feria itaque tertia ante Ascensionem Domini hac dedicatione peracta, sollemnitateque Ascensionis Domini celebrata, cœpit aliquantulum infirmari: sentiensque diem suæ vocationis instare, precibus & eleemosynis continuè cœpit operam dare. Erant autem duæ capellæ ad domum Episcopalem, una in transitu, una super columnas facta in honore SS. Primi & Feliciani ante Ecclesiam principalem. In hanc ante altare hora diei prima, in Vigilia Pentecostes Nonis Junii, se deferri mandavit; & Dominici corporis & sanguinis perceptione munitus, sublatisque ad cœlum manibus & oculis, hora diei tertia, ea inquam hora, qua Spiritus Sanctus super Apostolos in linguis igneis descenderat, quique in ejus mente gratuitam mansionem habuerat, inter verba orationis animam suam in manus Patris commendavit. Dies ille à Sabbato, cujus vespera in prima lucescit Sabbati, (cujus sacratissima nox, tam semper floret gaudio præteritæ Christi Resurrectionis, quàm expectatione venturi, ut creditur, eadem nocte judicis) eo anno quinquagesimus habebatur: qui numerus tam decalogi legalis quàm gratiæ spiritualis indulgentia ac remissione sacer habetur ac prædicatur. Annus hic verè jubilæus Episcopo extitit, quo absoluto originali & actuali debito, *libertati gloriæ filiorum* Dei restitui meruit. Eadem autem die & hora, quâ Episcopus ex hac vita migravit, *Boso* Corbejensis Ecclesiæ Monachus, cum raderetur in claustro, sanus & incolumis, intuens intuentes, alloquens alloquentes, repente expiravit: & non irritandum Spiritum Sanctum, in cordibus fidelium habitantem, exemplo sui terribiliter declaravit. Corpus autem Episcopi *in Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli* delatum, ibidem, ut ipse vivens disposuerat, sepelitur: *ubi quid apud Deum promeruerit, fideliter deposcens salubriter experitur.* Tanta autem omnium generum escarum abundantia in Episcopi reperta est substantia, ut speciali quadam magnificentia pauperibus de omni provincia accurrentibus septem noctibus erogaretur eleemosyna. Beatus verò *Godehardus* Hildenesheimensis Episcopus, per revelationem obitu ejus agnito, animam ejus divinæ pietati attentius commendavit, & hora diei III. dispensatore ejus prandium paratum nunciante, ipse, *ut parata paratis ad prandium apponeret*, mandavit: dicens *se nuncium quendam accepturum, & ante prandium Missarum solemnia celebraturum.* Mox veniente nuntio obitus Episcopi, hostiam salutarem Domino pro animæ ejus remedio immolavit, regressusque ad prandium, accepta ambabus manibus similâ apposita, *O beate*, inquit, *Meinwerce Episcope, quomodo te lata tua simila à morte communi non liberavit? Et ego*, inquit, *quamdiu superstes fuero, de albo pane non gustabo:* & biennio, exceptis quatuor ebdomadibus & tribus diebus, quo supervixit, complevit, quod dixit. *Ecce virum probabilem, perfectis per omnia imitabilem, in quo habet monachus, quod admiretur, clericus & laicus, quod imitetur, omnis deniq; fidelis anima, quod veneretur. Omni ergo prædicandus gloria, digna posterorum veneretur memoria, sitq; memor memorum apud Jesum Christum Dominum: cui est honor & gloria per omnia seculorum secula, Amen.*

XXXVII.

(*) Brow. *aquilonari Sulthe.*

XXXVII.

VITA B. HEIMERADI

Presbyteri & Confessoris,

Auctore

EGBERTO.

Prologus.

Domino ac Patri suo *Hartwigo*, veræ virtutis exemplari unico, *Egbertus* ultima portio gregis Dominici, quod scit, quod valet, si cujus est ponderis aut pretii. Revera, Pater egregie, unicum te præbes exemplar, quid sit patrem esse: cùm tam affectuosè imitaris in filio morem evangelici agricolæ, *qui omnem palmitem fructum afferentem purgat, ut fructum plus afferat.* Nam quæcunque occasio tibi oblata fuerit, quidquid nugarum animo tuo occurrerit, his occupare pergis mentem meam, ne quod tempus otio aut quieti concedam: id autem eâ gratiâ facis, quia dedita opera extirpare niteris silvam urticarum, quæ replevit agrum mei cordis, ut revera pigri hominis. Sed cùm sedulò uterque nostrum suum facit officium, tu imperando, ego modestè parendo: tandem, quod pace illius dixerim, majestas tua imperandi excessit modum. Præcepisti namque mihi, ut vitam sancti Heimeradi Confessoris literis mandarem: materiam scilicet rudem, meisque viribus majorem, utpote fructibus, quos manens in Christo hic attulit palmes, uberem: quorum ubertas, quorum suavitas me pene subterfugit, nisi quod vix parum quid gustavi de his, quæ in profectu positus, vel quæ post virtutum consummationem grandævus jam peregit. Horum enim mihi aliqua comperta sunt, partim referente meo patre, quæ se olim audivisse, commemorat ab ejusdem servi Dei ministro; partim ipsis auctoribus, quorum adhuc superstes fovebatur hospitio, humanitate & obsequio. At verò qualiter vitam suam instituerit, quomodo, ut cedrus Libani multiplicatus sit in domo Domini; vel certè de qua stirpe pullulaverit, quos terrenæ propaginis parentes habuerit, indagare non potui: ea verò, quæ mihi comperta sunt, eruditioris ingenii vindemiatorem exposcunt. Nam cùm sim nullius artis nulliusque facundiæ, tam grandis materiæ silvam non præsumebam aliquando attingere: sed in humilium rerum arbustis scribendi operam insumere consueveram. Unde nonnihil timeo, ne mihi ante sub fasce cadendum sit, quam levandum. Verùm ego pretium ob stultitiam fero, qui in agro absconditum nullius ponderis, nullius momenti thesaurum ventosus prodidi; qui scientiam ingenioli mei non cinere pauperis conscientiæ operui. Eorum enim est, talentum terræ non subfodere, qui sciunt illud operando lucrifacere; qui evaserunt in virum perfectæ scientiæ, quorum est solidus cibus; qui frangere norunt panem pueris petentibus; qui parati sunt proferre de thesauro suo nova & vetera; qui occidente litera callent spiritum vivificantem excludere; qui sciunt sapere ad sobrietatem, & inflantem scientiam refundere ad charitatis ædificationem. Ecce illic invenies pretiosam, quam quæris, liberalis ingenii margaritam; illic mna non *in sudario posita* est, cùm nummulariis data fuerit; vel quinque, vel decem mnas ad mensam domini sui reportabis. Illic sedens Dominus conflans purgabit filios Levi, in speciem mundissimi auri & argenti. Tales videtur hoc dictum respicere Salomonis: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quid utilitatis in utrisq; est?* in me verò nihil est tale. Sed quoniam omnis labor volentibus facilis existit; sed è contrario, ut Comicus ait: *Nulla res tam facilis est, quin, si quis eam invitus facit, sit difficilis;* libens experiar, quid possim: præsertim cùm idipsum studii me olim devoverim arrepturum, siqua rerum ab eo feliciter gestarum investigare possem, quamvis hucusque distulerim. Unde & satis credo, non sine divini numinis instinctu tibi in mentem venisse, ut inter tot præclara ingenia, inter tot filios matris *Hersfeldiæ,* qui educati sunt in faustis penetralibus philosophiæ, mihi, qui sum corpus sine pectore, id operis injungeres, ne fortè contingeret, me voti reum existere: quia tutius erat non vovisse, quàm post votum non reddere.

Vita venerabilis Heimeradi Presbyteri & Confessoris.

I. Incipiente matutina luce, fugientibus tenebris, videmus etiam stellas rarescere, non quod omnino evanescant, sed quod earum splendor vicini solis prævia luce victus cedat, utputa longè inferior: Sic qui oculos videndi habemus, haut multum dissimiliter modò in sanctis Dei, veris quippe luminaribus cœli, fieri videmus. Nam quanto finis sæculi appropinquat, quanto veri solis adventus vicinus imminet, tanto splendor horum luminarium cœli mundo subducitur, ut jam penè nullus esse electorum credatur, cui gratia sanitatum & miraculorum distributa sit per dividentem singulis, prout vult, Spiritum. Absit autem, ut hanc causam vero soli Christo, videlicet Domino nostro, asscribamus, quasi vasa electionis ex vicinitate adventus ejus minoris incipiant esse virtutis: qui quo vicinior est, eo majore necesse est jubare claritatis suæ suos, qui in mundo sunt, sanctos illustret: quin potius nobis, adversum quos jam finis sæculi evigilavit, quos invenerunt illa periculosa tempora, iniquitas & refrigescens charitas; nobis inquam, quorum lumen tenebræ sunt, obtenebrantur etiam hæ stellæ cœli à caligine malitiæ nostræ. Nam divina & humana promiscua habentes, sacra profanis miscentes, eos, qui latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, ambulant, beatificamus, & hos alicujus momenti æstimamus; arctam verò & angustam viam, quæ ducit ad vitam arripientes, nullius ponderis aut pretii computamus. Præterea, cum per tales servos suos Dominum moderno tempore antiqua miracula resonare audierimus, dedignamur fidem accommodare; taliumque auctores non solum mendacii arguimus, sed & injuriis & contumeliis afficimus. Unde, dum se circa finem sæculi sub modio infidelitatis nostræ sic obscurandam Ecclesia prævidit, quasi vicem ejus dolentibus, zelo fidei ferventibus ait: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol;* tanquam diceret: non vos moveat, quod appropinquante mundi fine, propè secundum adventum Christi, propter pusillæ fidei homines bonorum operum flammas exerere non valeo; quia non idcirco in virtutum profectibus, licet sub modio, licet in tenebris, ardere desisto. Supersunt multi adhuc magni meriti apud Deum, sed lucernæ non sunt positæ super candelabrum. Verùm; ut tandem explicemus, cujus rei gratia hoc sermonis exordium arripuerimus; Sanctus, de quo hic nobis deinceps sermo habendus est, unum erat ex supra dictis cœli luminaribus.

II. Beatus igitur Heimeradus eximios sanctitatis suæ radios vità comite passim spargebat in mundo, sed propter credentium penuriam *Lucerna* Domini *lucebat sub modio.* Hic de *Suevia* oriundus extitit de loco, qui dicitur *Messankircha*: de cujus conditione supervacuum visum est scribere, cùm eum Dominus quotidie illustret virtutum & signorum nobilitate. *Vbi enim Spiritus* Domini, *ibi libertas: & non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina;* omnes enim in Christo unum sumus. Denique cum esset in obsequio cujusdam matronæ, & illa alterum quoque Presbyterum secum haberet, ipse libertati se donari petiit, sicubi rebus suis melius prospicere posset: quâ concessâ, quasi mandato cum *Abraham* divinitus accepto, *egressus est de terra & de cognatione sua*, & unicum prædicandæ sanctitatis exemplar effulsit in *Hassonum* provincia. Igitur inter suos nullius ponderis aut pretii æstimatus, eò quòd non intenderent lucernæ in caliginoso loco lucenti; salubre sidus, ut ita dicam, visus est aliis gentibus. *Nemo enim Propheta*, testante Domino, *acceptus est in patria sua.*

III. Ea tamen res primos aditus difficiles habuit, videlicet, ut hominibus, talium virorum desuetis, cujus fuerit sanctitatis, inculcaretur. Nam ubi primùm vita illius dissimilis aliorum apparuit, juxta quod scriptum est: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, non verâ eum viâ ad virtutem niti; hypocritam esse, exterminata facie hominibus jejunantem apparere, sed corde tumido popularis auræ mercedem quærere existimabant: & Spiritum Sanctum, cujus vocem audiebant, cujus virtutes cernebant, in eo spirare non credebant. Servi revera inutiles & pigri, qui operari de accepto ingenii talento gravabantur, & propriâ illum conscientiâ metiebantur. Unde accidit, ut pene, quocunque locorum devenisset, non sine contumelia evaderet: usque quò ascendit in illum montem, *in quo beneplacitum erat Deo, ut habitaret in eo.* Sed hæc enucleatius, cùm rerum ordo poposcerit, explanabimus.

IV. Ergo, ubi patriam parentesque deseruit, *Romam* peregrinationis simul & orationis gratiâ iter direxit. Ibi Sanctorum assiduè terebat limina; ibi cum *Clavigero cœli* precum suarum mercimonia paciscebatur, de aperienda sibi vitæ januâ; ibi *electionis vas;* ibi reliquos omnes cœlestis curiæ Senatores in extremo examine patronos sibi parabat, & testes non

non neglectæ vitæ suæ (dum comes vita fuit) rationis. Inde postliminiò reversus, cùm in patriam suam devenisset, nec precibus nec lacrymis suorum flecti potuit, ut domum suam, vel quemqam ex familia sua visitaret, aut saltem respiceret: memorans illum sermonem Domini, *quia nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Et illud, *dimitte mortuos sepelire mortuos suos: tu autem vade & annuncia regnum Dei.* Deinde Hierosolymam petiit; ibi *pedes Jesu lacrymis rigavit;* ibi *caput ipsius recumbentis, cordis contriti & spiritus contribulati* unguento cum Evangelica unguentaria perfundens, domum, in qua recubuit, psalmodiæ & orationum bono odore implevit. Crucem quoque post Jesum cum improperio ejus portans, crucifixum Dominum suum extra castra secutus est, in *Calvariæ locum*, ut videret salutiferi tropæi titulum, Domini sui cruore inscriptum; quin etiam peractis suæ devotionis aromatibus, *sepulchrum Domini* sui invisere cum devotis curavit mulieribus.

V. Sic oliva fructifera in domo Domini, cognatum sibi montem, *in quo Deo habitare in eo beneplacitum erat;* montem, in quo nobis pax nostra *ea, quæ pacis sunt,* rogare Patrem consueverat; & euntem in cœlos Jesum forti pectore secutus, *adoravit in loco, ubi steterunt pedes ejus:* sicque bonam spem reportavit domum, scilicet se caput suum, ut revera membrum ejus, quandoque secuturum. *Bethlehem* quoque *domum panis*, ut *gustaret, quàm suavis est Dominus*, cum Evangelicis transiit pastoribus, & panem Angelorum in præsepio adoravit, piis appositum pabulum animalibus, asinæ scilicet spirituali & pullis ejus, quorum insidere dignatur cordibus. Quicquid autem in eleëmosynam accipiebat, eâdem horâ eodemque momento, cum se pauper obtulisset, in simile opus expendebat. Quam maximè verò semper laborabat salva tamen pietate, quantum poterat, ut injuriis quibuslibet & contumeliis afficeretur castigandi videlicet corporis gratia: sciens scriptum esse, *curatio cessare faciet peccata maxima.* Et cùm alia se injuriandi occasio deesset, quidquid inter se & alios dividendum evenerat, eam partem, quæ præponderabat, ipse usurpabat, ut eos sic ad contumeliam sui provocaret. Nihil autem erat, quod non statim pauperibus erogaret, nec quidquam sibi ex omnibus reservans, de crastino non cogitabat.

VI. Sanctus etiam *Heimeradus* omnem cogitationem suam, omnem spem, omnem animum suum illò intendit, ubi misericordes beatitudinem misericordiæ consequentur; usque adeò, ut præsens illi & dies & cibus & vita simul sæpe de memoria tollerentur. Cum autem socius itineris ejus, functus ipse ministerio *Marthæ*, dum ille fungebatur *Mariæ*, nonnunquam tentandi gratia diceret: *Domine Heimo,* (nam id ei proprium nomen erat) *quid hodie manducabimus? nihil residui in marsupiis; cras enim jejunandum est nobis:* respondere solebat: *ergo jejunemus hodie, cras manducemus.* Sic carni, sic spiritui consulebat. Canes etiam ad lacerandum se invitabat: verè martyr, quia ipse magis ullo carnifice semetipsum sponte propter Dominum cruciabat.

VII. Igitur emensis tot tantisque terrarum spatiis, satis jam in camino fatigationis, sicut aurum in fornace, excoctus, demum cùm psalmista optabat sibi *pennas dari sicut columbæ, ut volaret & requiesceret* in solitudine. Quem *Herveldensis Abbas* nomine *Arnoldus* in uno cœnobiorum suorum, *Mimilebo* nomine, invenit: sciscitatusque patriam, gentem caussamque adventûs ejus; *Hersveldum* eum ante se præmisit, statimque subsecutus, ei *sanctæ conversationis habitum* tradere voluit: sed ille nullo modo consensit. Cumque tamen in *Regulari proposito* regiâ viâ, neque ad dextram neque ad sinistram incederet, animo & oculis semper in cœlum intentus, ut peritus siderum nauta, cùm vela ventis commiserit: una die, nihil minus suspicantibus Monachis atque Abbate, in conventu fratrum ad Capitulum, (ut est consuetudinis,) terræ postratus licentiam abeundi petiit. Interrogatus ergo, quid caussæ haberet? hoc tantum respondit: *quòd animam suam ibi pro voto salvam facere non posset.* Igitur iratus Abbas, & objiciens illud de trivio, videlicet, *pedem eum rursus titillare:* invitis fratribus ejecit eum cum indignatione. Qui ejectus, cùm in cella hospitum ad portam equum suum exspectaret, quem Præpositus monasterii, profectus in obedientiam suam, secum habebat; fertur interea in hanc vocem prorupisse: *non rectè se nec satis honorificè pro natalibus suis tractatum fuisse à Monachis atque Abbate; latuisse illos generis sui nobilitatem: Imperatoris fratrem se esse.* Quod verbum, ut insonuit rimosis auribus discipulorum portarii, statim cum irrisione: *Itane* (inquiunt) *res est domine?* At ille affirmavit, *ita se rem habere. Et quare*, ajunt, *hoc tam diu celatum habuisti, nec jam olim sub divum protulisti, ut congruus honor tuæ habitus esset nobilitati?* Nec mora, proripientes se ad eundem Abbatem, ei exposuerunt sermonem, camino adjicientes oleum, qui mediastinus incanduerat adversus eundem virum, cujus favillæ longè in posteros essent duraturæ. Nam peccans Abbas in Deum & in animam suam, admisit in sanguinem innocentem, quod & sibi in scrupulum cordis & in

in singultum animæ suæ, & succedentium Fratrum foret posteritati in laqueum & ruinam. Ut enim hic sermo, *velut cancer serpens*, ejus non obturatis auribus irrepsit, (non enim meminerat sententiæ Salomonis, ut *aures suas sepiret spinis*) continuo evocatum Dei servum exactori, qui carnificibus præerat, contradidit; eumque per sacramentum, quo se ipsi obligaverat, admonuit, *ut illum taliter sibi adornaret, qualiter sibi placeret, cum eum ipse inspicere vellet.* Qui mox susceptum, prô dolor & prô nefas! ad sepem alligatum verberibus crudeliter per suos officiales macerari fecit. Verum ipse sibi has plagas castigandi corporis causâ ultroneus adscivit: rem tamen altiore sensu pertractantibus inventus est nihil falsum dixisse; neque enim fas est vasis electionis, in quibus mansionem facere solet Spiritus veritatis. Denique, Apostolo teste, *sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus.* Et ipsius Domini testimonio, *unum patrem omnes in cælis habemus.* Ideoque & ab ipso DN. JESU CHRISTO unum fraternitatis vocabulum omnes de Evangelio sortiti sumus. Quâ etiam appellatione nos dignatur in Psalmis: *Narrabo*, inquiens, *nomen tuum fratribus meis.* Qui autem missus ab Abbate huic ejus macerationi intererat, *Anzo* Monachus, referre solebat, quia inter flagella nihil aliud ex ore ejus resonabat, nisi L. Psalmus, *Miserere mei Deus*: quem tamen ad finem usque non perduxit. Usque adeo enim in eum sævitum est. Erat autem prædictus frater *Anzo* tantæ religiositatis tantæque morum gravitatis, quod sibi vel ab incredulis fidem extorqueret. Cum hac ergo contumelia de Monasterio ejectus, tuguriolum cujusdam pauperculæ mulieris foris murum est ingressus; quam, cum inconsolabiliter plorantem vidisset, & causas percunctatus, super illatis sibi tam crudelibus plagis commotam audisset; *cessa*, inquit, *mulier, meam vicem dolere, magisque super tuis peccatis compungere; hæc enim poterunt tibi pluris esse.*

VIII. Igitur *Hersfeldiâ* egressus, imo expulsus, ad augmentum suæ futuræ gloriæ, quæ in illo revelanda erat, villam *Kirchberg* nomine, in *Hassia* sitam petiit: Ubi cum aliquamdiu commoratus fuisset, accusatus, quod conscius esset fractæ ibidem capellæ & facti in eâ sacrilegii: cum neque fateri, neque se expurgare vellet, (memor illius versiculi; Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me,) inde quoque à villanis expulsus est cum injuria.

IX. Post hæc venit in villam *Dietmelle*, ubi cum essent duæ ecclesiæ, una baptismalis & altera vetus neglecta, hanc sibi *Heimeradus* à Presbytero loci illius impetravit ad celebranda ibidem divina mysteria. Res ita non multum temporis transiit, cum adeo cunctis per circuitum populis fama sanctitatis innotuit ejus, ut omnes viri ac mulieres jam dictum Presbyterum negligerent, & ad hunc certatim cum oblationibus suis convenirent. Inter quos & uxor Vicarii illius Presbyteri una die veniens, suam quoque viro Dei oblationem obtulit, quam ille respuens accipere noluit. Tunc illa facie rubore perfusa animoque consternata cæteris supervenientibus matronis supplicare cœpit, ut ei causam indicaret suæ refutationis. At ille respondit: *se non sponte vel ipsi confusionem vel populo scandalum facere*: ut palam daretur intelligi, aliquid ei revelatum esse de illa, quod non libenter proderet, secreti. Cumque adhuc illa non quiesceret, sed eo magis explicandi sui reatus causa ei instaret: *sciens*, inquit, *scito, quod nec anima nec oblatio tua Deo curæ sit, nisi vitam tuam moresque correxeris.* Videns autem supradictus Presbyter se despici, illum amari; se negligi, illum studiose ab hominibus visitari; multis eum primo aggressus injuriis, postremo eum canibus expulit de locis illis.

X. Itaque proceritas corporis & facies lurida propter crebra jejunia, & vilitas vestium quandam deformitatem viro effecerant, sed difficile est dictu, quantum ei decoris & dignitatis intus præpararint: *& si exterior noster homo corrumpitur*, inquit Apostolus, *interior tamen de die in diem renovatur.* Qui cum Paderburnon venisset, & eum Episcopus *Meginwerc* in cute, non intus, vidisset; interrogavit, unde ille diabolus emergeret? ille gratulabundus crucem contumeliarum post JESUM portans, (nam & ipsum Judæi dæmonium habere dixerunt) humiliter respondit, *se dæmonium non habere.* Solido nimirum gaudio triumphabat, quod socius factus sit Dominicæ passionis, cum procul dubio sciret, Apostolo teste, socium se futurum consolationis. *Sed ut probatio patientiæ ipsius inveniretur multo pretiosior auro, quod per ignem probatur*: perseveravit Episcopus asserere, *illum diabolum esse.* Percunctatusque, *an esset Presbyter?* postquam audivit, ipsum eodem die mysteria divina celebrasse, jussit sibi libros dari, in quibus cantasset: quos eodem momento in ignem projicere jussit, eo quod incompti essent & neglecti, & nullius ponderis viderentur aut pretii: quem etiam ipse verberibus cædi jussit. Audivimus etiam, eum *CUNIZÆ IMPERATRICIS* jussu vapulasse, quæ ibidem tunc aderat simul cum D. Imperatore Hinrico; (qui fundator extitit *Babenbergensis* Ecclesiæ, suæ religionis & flagrantis in Deum animi evidens ibidem dans indicium, ipsum videlicet locum ædificiis, opibus, magnitudine, gloria; præterea, quod primum est, divinis laudibus die noctuque ibi personantibus reddens florentissimum.) Sed admirabilis patientiæ vir sanctus *Heimeradus* omnes corporis plagas omnesque injurias ita æquo animo tulit, ut ne mutiret quidem contra, imo gauderet, se pro nomine JESU propter-

que

que spem cœlestium præmiorum à falsis fratribus perpeti talia; edoctus à Domino, *regnum cœlorum vim pati*, & non nisi à violentibus diripi. Porro multorum veridicâ relatione comperimus, quod nonnulli, qui hominem Dei calumniati sunt, ad sepulchrum ejus impetrandæ veniæ causâ accedere avide cupierunt, (postquam lucerna sanctitatis ejus super candelabrum posita lucere cœpit omnibus,) sed nullo modo montis ascensum promereri valuerunt. *Judicia DEI abyssus multa!* Ecce ad sepulchrum unius justi calumniator ejus pœnitens accedere non meruit, *super quo majus gaudium esse Angelis Dei in cœlis, quam supra nonaginta novem justis* Dominus ipse promisit. Et tamen absque ulla ambiguitate credendum est, quod Dominus illis pœnitentibus peccata dimiserit: quia non potuit nisi verum esse, quod dixit. Sed quia non erant defuturi, qui virum Dei jam in cœlis cum Christo regnantem, jam in terris miraculis coruscantem blasphemarent, uti post liquido clarebit scilicet exemplo: ad ampliorem his incutiendum terrorem, si forte quiescerent, (dum nullum opus Dei vacat à mysterio) tali in eos usus est sententia. Verum hoc conjiciendo protulerimus, non affirmando; quia sicut præmisimus supra, *judicia Dei abyssus multa*: & sicut confabulator sapientiæ dixit, *Sensum Domini quis cognovit?*

XI. Non multum temporis fluxit (postquam *Abbas Hersveldensis* Arnoldus, nesciens, quid faceret, beatum virum sic indigne tractari fecit,) cum dissilientibus membris à capite, tumultuantibus pueris contra senem & servis contra dominum suum, tunica Christi inconsutilis, quam milites pagani scindere voluerunt, discissa est à fratribus atque Abbate. Rerum autem potiebatur tunc temporis *Conradus* pater *Hinrici II.* Imperatoris. Hic zizania discordiæ, quæ inter fratres & Abbatem succreverant, (inimico homine seminante,) acutâ sententiæ falce taliter demessuit, ut eundem Abbatem *Arnoldum* deponeret, & piæ memoriæ *Rudolphum* de Monasterio, quod dicitur *Stabulaus*, postea Paderbornensem Episcopum, loco ejus subrogarent. Qui cum totum se divinæ religioni mancipasset, fratrum studiis erga divinum servitium & sanctum, quod professi erant, propositum adeo congratulabatur, ut quæcunque posset charitatis officia, ac si indulgentissimus pater, eis impenderet. Depositus vero Abbas *Arnoldus* reliquam ætatem suam degebat privatus: cum tamen nunquam ad mentem reduceret, quod pro injuria, quam viro Dei ingesserat, deponi meruisset. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus*, inquit Apostolus, *non utique judicaremur.* Sed præcipitium, in quod ceciderat, ideo Abbas videre non poterat, quia *lucerna sub modio latebat*; quia nullus meritorum adhuc viri Dei splendor emicuerat; quia *oleum*, *quo lampades suas reficere solebat*, in vasis conscientiæ, usquequo veniret sponsus, *reservare studebat* juste. Ne autem ipse Arnoldus cum hoc mundo damnaretur, sed à Domino correptus hic judicaretur; credimus illum meritis *S. Joannis Baptistæ* adjutum, cui monasteriolum venustissime construxerat versus Australem plagam urbis in monte, qui exinde appellatur *Mons S. Johannis*. Sed & ille locus celeberrimus, ubi beatus *Heimeradus* tam crudeliter verberibus est actus, *Hersfeldia* scilicet, non longe post obitum ipsius Arnoldi, cum basilica & universis simul ædificiis, incendio conflagravit: sive ob injuriam hominis Dei, sive etiam aliis culpis exigentibus. Verum non ab re est, si inusitatum & inauditum miraculum ad medium deducamus, quod Dominus ad consolanda fratrum ibidem degentium mœrentia corda ostendere est dignatus. Nam cereus, qui in Sabbato sancto consecratus est, in initio incendii, ut solet, ad propulsanda pericula coram altari fuerat accensus; sed altera die, cum totum ædificium in cineres consedisset, integer inventus est atque illæsus, carbonibus atque semiustis roboribus adusque summum cacumen circumdatus: qui exinde per singulos annos, donec aliquid superfuit, paticulatim novo cereo est adjectus.

XII. Sed, ut ad propositum revertamur, hucusque vir Dei *mortificationem* JESU *in corpore suo circumferens*, tandem ad montem *Hasungen* pervenit, ubi deinceps & *vita Jesu in corpore ejus manifestanda* fuit. Ibi ergo decrevit circuitioni suæ ponere modum; ibi post tanti laboris fatigationem quiescere; ibi expectare eum, *qui se salvum faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate; ibi cœlum sibi vidit apertum*, sicut ipse referre solebat: quia scilicet, cum primum montem illum intueretur, non aliter sibi visum fuerit, quam si interiora cœli contemplaretur. Haud dubitamus, eum tunc (utpote in litterarum studiis satis exercitatum) non immemorem illius Jacob versiculi: *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi Domus Dei & porta cœli.* Certus igitur ex hâc visione, locum hunc sibi cœlitus prædestinatum fuisse, petiit ab incolis, ut sibi jus concederent inhabitandi montis. Quod cum libenter annuissent, quid ibi laboris, quid sudoris insumpserit; quam totus in servitio, quam creber in oratione, quam assiduus in lectione, quam largus in eleëmosynis, quam compatiens miseris, quam omnibus affabilis extiterit; quomodo corpus suum jejuniis & vigiliis maceraverit, qualiter carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerit; interrogent miracula, qui nobis fidem derogant: respiciant etiam Dominum, suos incredulos ad miracula mittentem. *Si mihi non vultis crede-*

re, inquit, *operibus credite: & opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.*

XIII. Quoties, cum incentiva carnis titillabant, cum psalmos caneret aut aliquid aliud divini officii persolveret; subito non sine miraculo intuentium proripiens se de ecclesia, quanto citius saltum dedit in piscinam, quæ ibi erat, ibique tamdiu vadabat, donec stimulus carnis ejus quiesceret. Fertur etiam una vice nudum corpus suum per spineta traxisse; sicque, dum pœnaliter arderet foris, restrinxisse incendium, quod exitialiter vivebat in medullis. Peractis vero Missarum solemniis officiis, hæc ei erat consuetudo, ut populum, qui convenerat audiendi gratia divinum officium, talibus exhortaretur monitis, ut domum reversi, quæcumque haberent, omnia in eleemosynam expenderent. Cumque aliqui subridendo interrogarent, expensis omnibus, *quid de se futurum esset, quibus rebus vitæ indigentiæ consulerent? Bonus homo de bono cordis sui thesauro* protulit verba bona, verba consolatoria; *reposita eis esse in cœlis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Tum ne morderentur his curis, *Dominum esse sollicitum pro eis; nunquam exhauriri posse fontem divinæ misericordiæ.* Qualis arbor, tales fructus! doctrina concordabat cum vita: non enim ipse vel sibi vel rebus eleemosynarum gratia parcebat: certum tenens, quod mercedes suas non *in saccum pertusum congregabat.* Ipsa quoque fœmoralia sæpe in usum eleemosynarum distrahebat. Verum hanc vicissitudinem pulchre sibi fœneratam vidit etiam super terram, brevi quippe fama sanctitatis ejus totam evocavit provinciam ad videndam, quæ in finibus illis apparuit, novæ claritatis stellam; ad considerandam, *quæ abscondi non poterat, civitatem in monte positam.* Nemo sibi deerat, nullus sexus, nulla ætas, nulla conditio; non nobilitas, non dignitas domi se continebat; quasi ad nundinas, sic quisque post alterum cum mercibus oblationum ruebat, ut præoccuparet benedictionem servi Dei, ejusque Deo complacitæ se commendaret orationi. Pene nullus dies, nulla hora, nullum momentum præteriit, quod non aliquis visendi hominis Dei gratia concurrerit.

XIV. Interea *Comes quidam Dudecho* nomine, *de monte, qui vocatur Wartberg*, superveniente festivitate S. *Andreæ Apostoli, Paderbrunnensem Episcopum Meinwercum* invitavit ad convivium. Erat enim capella in eodem monte sita, in honorem *S. Andreæ Apostoli* consecrata. Cumque in vigilia ipsius Apostoli ad cœnam convenissent, & prædictus Comes beatum *Heimeradum* simul invitatum, contra se ad mensam sedere fecisset: indignatus Episcopus, interrogavit, *quid sibi vir tantæ prudentiæ hoc facto vellet?* cœpitque in ore suo beatum virum injuriare, eumque delirum apostatam appellare: cum ille contra ne mutiret quidem, sciens scriptum esse: *Patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissiones.* Confusus itaque vice illius Comes, qui vocaverat eum, valde enim venerabatur eum: respondit, *se nescisse, quod adversus illum quidquam haberet controversiæ:* cœpitque animum ejus mitigare, & viro Dei veniam postulare. At Episcopus in sua perseverans sententia juravit, quod ab hominibus sanctus putaretur, debere eum die altera sine dubio *Alleluja* ad Missam cantare, ut in hoc sanctitatem ejus experiretur: statimque ei coram omnibus sub interminatione plagarum id injunxit officii. Cumque Comes pro eo obnixius supplicando & ei hujus actionis remissionem petendo nihil ageret, nisi quod oleum flammæ adjiceret, noctu finita matutina, tulit hominem Dei secreto, & consolans eum obsecrabat, *ut prima tentamenta non refugeret, sed saltem in nomine sanctæ Trinitatis incipiens, cetera Deo committeret.* Qui licet multum renitens, seque ad hospitiolum dimitti flagitans, tamen non cessante à precibus Comite, tandem consensit. Veniente itaque hora, cum Episcopus nullo modo abduci posset a sententia: processit ille, & incipiens, tam solenniter, tam jucunde Alleluja cantavit, & ad finem usque perduxit, sicut ipsius loci Clericus testatus est; ut omnes mirarentur, seque ex nullius unquam hominis ore suaviorem modulationem audivisse faterentur: ut Episcopus finita Missa, eo secretius assumpto, ad pedes ejus corrueret, & veniam postulans, deinceps perpetuus fieret ei amicus.

XV. Reverso demum *B. Heimerado* ad hospitiolum suum, finito convivio, cum ei sublimes quoque & in fascibus agentes personæ, onerantes jumenta quantum portare poterant, munera transmitterent, (ut etiam ratiunculas suas pro Christi amore derelictas, hic videatur recepisse centuplicatas,) ipse tantum pane cum sale & aqua, (raroque leguminibus,) contentus, nihil in proprios usus servabat, sed omnia pauperibus; ut sæpe numero jam inculcatum est memoriæ. Quod cum pergeret facere, una vice jam inclinata ad vesperam die, cum nihil ei superesse minister ejus vidisset, cœpit tumido ore debacchari, & baculo contumeliæ aures ejus tundere: *cur & secum ea, quæ offerebantur, non sine sudore vultus sui impenderet: ipsum vero universa in alios profundere, de se autem prorsus nullam curam habere.* Tum & columba, licet sine felle, sæviens, eum cum jurgio tacere præcepit, dicens: *non id circò mittit ea nobis Dominus, ut omnia à nobis devorentur. Ecce pedes missi à Domino ad januam, qui deferat nobis de rore cœlis & de pinguedine*

pinguedine terræ abundantiam : inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono. Sed sive hoc ſpiritu prophetiæ providerit, ſeu ſola fide obtinuerit; (quam maxime Dominus in ſanctis ſuis laudare conſuevit,) pollicitatione ſua fraudatus non eſt. Nam ecce eo tempore, quo ſolent homines nocte interceptis laboribus propria corpora curare, & domeſticis ſuis proſpicere, ſupervenit homo cum jumento, vario ciborum genere, quantum portare poterat, onerato. Tunc increpata puſillanimitate diſcipuli, ex omnibus ſufficienter tribuit ei. Erat autem ibi vas, modicum fabæ continens, hoc eum igni apponere, ſibique, dum reverteretur, parare juſſit; eccleſiam intravit, ibi more ſuo plurimum noctis tranſegit. Demum reverſo cum miniſter menſulam appoſuiſſet, & ille corpus inedia maceratum reficere cœpiſſet, ſubito ſcintilla igne crepitante proſiliens menſale percuſſit. At ille quanto citius ſurgens iter ad eccleſiam acceleravit, ibique reliquum noctis ad gallicinium usque perduravit. Cumque miniſter jam reditum ejus deſperaſſet, & cubitum ire decreviſſet, ex inſperato adveniens denuo, menſa appoſita cibum ſumpſit. Interea, qui ei miniſtrabat, cœpit eum modeſte interrogare, *cur leſo ab igne menſali tam feſtinus eccleſiam intraſſet?* at ille, angelus Domini, ait, cum ſcintilla me vocatum advenit: cumque eccleſiam intraſſem, ita omni genere decoris ornatam, ita ſuperno lumine illuſtratam inveni, ut decuit revera palatium Domini. Ibi *S. Martinum* & *S. Mainulphum* inveni, qui & meæ fidei montem iſtum commendaverunt, & ſi eum bene cuſtodirem, me in regnum cœlorum ſe introducturos fide mutuâ promiſerunt.

XVI. Jam in medio diſcurrentium pedes nomen ejus ad exteras quoque nationes deportaverant, multumque venerationis ei apud Saxonum gentem conquiſierant. Habebat autem unū ex vicinis familiarem, & excepta una re, quæ modo introducenda eſt, alias ſibi fidelem, qui frequenter ejus legatione fungebatur, quocunque res poſtulaſſet. Huic nomen erat *Temmo*, quem, dum ex more cum mandatis ad *Abbatem Corbejenſem* direxiſſet, miſit ei Abbas duo ſagmata, omnium, quorum uſus indiget, plena: qui unum domi abſcondit, alterum viro Dei attulit. At ille gratias agens, interrogavit, *ſi quid ei amplius miſerit?* quo negante: *vade*, ait, & *iſtud, quod mihi attuliſti adde illi, quod domi abſcondiſti, habens utrumque.* Qui licet aliàs fidelis extiterit, tamen, quia in hoc uno prævaricatus eſt, prævaricationis ſuæ pœnas juſtitiæ cenſuræ debuit. Scriptum eſt enim: *quicunque totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, factus eſt omnium reus.* Verum, quoniam viro Dei, alias ut dictum eſt, familiaris & fidelis permanſit, meritis ipſius hic recipere meruit, quidquid in legem familiaritatis deliquit: denique non multo poſt dexteram maxillam ejus, & ita deorſum usque ad humerum, vermis adeo depaſtus eſt, ut os nitens & dextera arteria nuda appareret. Æqua vero lance illam partem vermis abſumpſit, qua ille, quod furatus fuerat, abſumere habuit.

XVII. Cum una vice jacens in atrio eccleſiæ quieſceret, ſubito, qui ſimul aderant, viderunt formicarum gregem de terra, ut ſolet, ebullientem, ſupra eum aſcendere, quas cum abigendo nihil proficerent, ſed eo animoſius, quaſi conjuratæ in bellum acies, conſerto agmine ſuper eum irruerunt; turbati his monſtris, ſuſcitato ei rem indicaverunt. At ille inquit, *Nihil periculi eſt, nolite turbari; ſicut enim videtis nunc formicarum gregem, præſagium ſcilicet futurorum, ſuper me irruere: ita paulo poſt diſceſſum meum viſuri eſtis homines de cunctis per circuitum nationibus gregatim montem iſtum cum votis & oblationibus ſuis aſcendere.*

XVIII. Erat quoque ibi Clericus in juvenili ætate vernans, ſed ſuperbus admodum & arrogans. Hic jam à principio multas viro Dei ob invidiam faciebat injurias. Quadam itaque die, cum pergeret illi moleſtus eſſe, vir Dei dixit ad eum: *propius medullis accipe, quæ prædico tibi: dives quidem futurus es; ſed poſtquam omnia congregaveris, veniet ſatanas, & omnia tibi, teque ſimul auferet.* Utinam jam in ipſo non impleta ſit iſta prophetia, quod pace hujus ſancti, ſalva verborum ejus fide, optaverimus: quam impletam rerum exitus docuit in ipſius ſubſtantia. Nam poſtquam vir Dei rebus humanis exceſſit, cum jam multa Clericus coacervaſſet, ad ultimum ancillam cujusdam præpotentis hominis, ejusdem loci indigenæ, corrupit: qui ſtatim domum ejus omnemque ſuppellectilem invaſit, nihilque ex omnibus præter miſeram vitam relinquens, inſuper ad Frieteslar apud generalem ſynodum eum accuſavit. Cumque in eo eſſet, ut Epiſcopus ad degradandum eum baculum levare debuiſſet, ſubito prorumpens ſanguis de naribus ejus, cum impetu ſuper Epiſcopum venit; ilico ejectus tam diu ſanguinem fudit, usquequo aliis, quæ introducenda erant, introductis & determinatis, eo oblivioni tradito ſynodus illa ſolveretur. Quis ambigat, eum in tantæ neceſſitatis articulo beati viri miſeratione liberatum? qui profecto, cum vidiſſet prophetiam ſuam in rebus ſuis eſſe impletam, ne amiſſo pariter ſacerdotali gradu funditus omni ſpe nudaretur, ſubveniendum ei cenſuit exemplo Domini ſui, qui, *cum iratus fuerit, miſericordiæ* recordabitur.

XIX. Quidam ex habitatoribus ejusdem loci, cum jam ſenex eſſet, & plenus dierum, rarum admodum ſed jucundum prodidit miraculum, ſibi ad beneficium, Deo ad laudem & gloriam

gloriam, ab eodem servo Dei gestum. Nam cum homo idem esset junior tempore, & erga virum Dei miro flagraret amore, ejusque sedulo fungeretur obsequio: quodam die duxit eum ad proprium hospitium, & ostendit ei suum gallum extinctum, quem quidam malæ mentis adolescens misso lapillo occidit deambulantem in atrio. Cumque nimium querulosis vocibus suum casum exponeret, quod scilicet jam non esset, qui sibi gallicinia caneret, qui se profestis diebus ad suum officium, matutinalibus horis ad divinum officium excitaret, quod non esset, quo domum in parte juvaret; pullos educeret, sobolis fœturam suppleret; tandem motus his querelis Dei servus, elevata dextera signum crucis contra jacens cadaver edidit, statimque gallus, quasi nihil læsionis pertulisset, sed de somno excitatus esset, nimia velocitate surgens abiit. Quod ideo signum non nisi major natu, non nisi perfectioris ætatis, sub divum proferre prudenter cum animo suo statuit; eo, quod vix his annis parum quid fidei sit; eo quod mendacium inundaverit; eo quod omne verum à terris ad superos remeaverit.

XX. Cum quadam die in villa *Elbeno*, quæ monti vicina est, divinis mysteriis insisteret, & his, quæ præcedere solent, finitis, evangelium legi rationis ordo depoposceret: dum tenacius inhæreret Deo, subito raptus in extasi, *unus quoque spiritus*, ut ita dixerim, *effectus est cum ipso*. Diu vero populo exspectante, ut is, qui *mente excesserat*, juxta Apostolum, *DEO, sobrius fieret illis*: jamque omnibus fatigatis, cum domum reverti placuisset, is, qui ad impendendum Christi Sacerdoti adjutorium adstabat, Diaconatus officio functus, stola sumpta legit evangelium; ne, cujus causa advenerat populus, divini officii penitus expers rediret. Deinde aliis digredientibus, remansit unus *Hemmo* cum sua uxore; qui, ut tenaces anchoræ, familiarius & propinquius viro Dei adhærebant, quique illi propensius servitium impendere solebant. Cum vero jam inclinata esset ad vesperam dies: ad se reversus, quod reliquum fuerat missæ, percelebravit; sicque simul cum ipsis ad hospitium illorum intravit. Cui, cum ex more mensam apposuissent, ac si dominum non in suis membris, sed in se ipso excepissent, & altera *Martha circa frequens ministerium satageret*, cœperunt ab eo humiliter exposcere rationem, cur in medio Missæ tam diu fuisset moratus? Tunc ille, ut nihil erat, quod illorum charitas ei non extorqueret, *haud*, inquit, *tunc temporis aderam*: *videbar quidem vobis præsens corpore*, *sed spiritu Dei legatione functus eram.* O admirabilis sanctitatis virum! licet adhuc corporaliter cum hominibus conversantem, jam tamen inter illos cœlestes spiritus superne deputatum; quos cum Domino libuerit, Psalmista testante, *Angelos facit*.

XXI. Solebat idem Hemmo fascem lignorum, domui suæ arefactam, propriis humeris ad hospitiolum sancti *Heimeradi*, absente ministro ejus, circa vesperam deportare; focum accendere, aream purgare, sedile ponere, aquam afferre, vasa mundare, lectum sternere; dumque ille his, quæ secundum Deum sunt, vacaret, ipse, quæ secundum hominem sunt, ei providebat; sicque omnibus, quæ usus postulabat, rite perfectis, ad sua regrediebatur, cum alacri spe recipiendæ à Domino vicissitudinis. Quod cum una die ex more faceret, jam ascensurus in montem vidit, diabolum levato ingenti saxo, arbores ibidem stantes lapidare. At ille signaculo sanctæ crucis se undique muniens, alacriter cœptum iter pergebat: certus, quod ejus orationum clypeo tutus erat ab omni periculo, cui humanitatis officium impendebat. Non eget, nisi fallor, admonitione, quid veternosus serpens hoc facto voluerit: videlicet, ut incuteret homini terrorem, si vel sic eum posset à pietatis officio, quod intenderat, impedire: dum unius charitati, alterius invidebat utilitati. Videbat enim hominem, charitatis loricam & galeam salutis indutum; ideoque pugnam cominus lacessere, & frontem fronte conterere metuebat: quia toties sibi male tentatum, adversus hujusmodi viros armaturam Dei indutos, certamen secus cesserat. Cognovit autem idipsum vir Dei per spiritum, accitumque tantæ devotionis erga se hominem admonuit, ne formidaret, siquid in sylva adversi deprehenderet: sed signo crucis fronti suæ impresso, securus pertransiret; dicens, contra hoc signum nullum stare periculum.

XXII. Cum autem instaret tempus resolutionis ejus, per aliquot dies in stupore mentis videbatur, adeo, ut à supradictis flagrantis erga se studii hominibus sollicite custodiretur. Triticum enim in horrea Domini aggregandum non poterat absque tribulis & ventilabro separari à paleis. Jam vero in ultimo positus spiritu, cum devotas, ut solent, mulieres circa se congregatas, totas (ut ajunt) effluere videret in lacrymas: interrogavit, *quænam causa esset tanti ploratus?* quæ cum respondissent: pro ejus morte se dolere. *Imo*, ait, *gaudete, quia patronum me habere meruistis, & juge gaudium, quasi ad perennes nundinas ac festivitates, a modo in monte hoc celebraturi estis. Præterea non post longum tempus videbitis Monasterium hoc loco constructum, & coadunatam in sancto proposito non parvam fratrum catervam ad divinum servitium solemniter explendum.* Igitur quarto Kalend. Julii rebus humanis exemptus, indutus est cœlestibus, ut luce clarius constat ex signis & virtutibus, quas per eum solet operari Dominus.

Quidam

XXIII. Quidam enim *de gente Hassonum*, *Benno* nomine, prætergrediebatur locum, in quo sancti confessoris Christi *Heimeradi* requiescit corpus, undecima post obitum ejus die. Hic, quoniam scutum fidei abjecerat, sagittà diaboli cor ejus penetrante, sancto illi detrahere & vitam ejus cœpit derisui habere, qui statim invasus à diabolo, totus in prædam cessit, ut pote abjectis militiæ suæ armis spiritualibus, quibus ei resistere debuit. Quem illico sui ad sepulchrum viri Dei adducentes, ac pro eo jejuniis & orationibus die noctuque insistentes: & corporis ei sanitatem hoste depulso, & pristinam mentis obtinuerunt libertatem. Sed quasi unus non satis dedisset exempli, quantum peccet in Deum & in animam suam criminator sanctorum Dei; alius quidam occurrens duabus mulieribus, sacros cineres trigesimo die cum oblationibus suis invisere vel currentibus, vel volentibus: causasque itineris cognoscens, cum imitari studium earum deberet, hoc miser non fecit, sed immittente satana, turpibus dictis & factis ipse etiam hominem Dei injuriavit. Quapropter perpetua ariditate statim mulctatus in crure coram omnibus, claudicando satis vel ipse de hujusmodi sceleris enormitate indicii dedisset, nisi quoddam genus hominum induratà cervice & indomabili corde esset.

XXIV. Igitur quasi nihil actum sit, una infelix mulier, *Bethzcba* nomine, iterum studium & devotionem quorundam circa sanctum sepulchrum deridere cœpit; sed sicut temeritas culpam, ita & culpæ auxit vindictam: ut videlicet in eam illata correptio omnem deinceps adimeret injurandi sanctum Dei præsumptionem. Nam tam diu inimicus sua in eam usus est potestate, quousque omnibus longe lateque innotesceret, quod propter illatam Christi sacerdoti injuriam huic sævæ subjaceret sententiæ.

XXV. Tandem post exclusas pestes animarum, post eliminata infidelitatis impedimenta, via facta est fidei ad excludendas & eliminandas quoque ægritudines corporum. Siquidem duo paralytici, vir unus scilicet & mulier, diverso tempore sepulchrum viro Dei cum mercibus fidei adierunt, & suffragantibus meritis sancti, commutationis suæ pretium, plenam scilicet sospitatem reportaverunt. Viro nomen erat *Poppo*, *Machtilt* fuit nuncupata mulier t ejusdem loci oriundo, originem trahens de *Fresonum* provincia.

XXVI. Pari modo duæ aliæ mulieres provinciales de *Saxonia* diversis incommodis detentæ, (nam una oculorum, altera linguæ carebat officio,) diverso tempore, licet pari devotione, sanctum locum adierunt, & ope beati viri, quod eis de humana natura defuit, fidei commercio reparare meruerunt. Prior erat de *Geitzlacher* villa, quæ sic appellatur; altera vero de *Leimbach*. Item claudus quidam adolescens ex servitiis *Bertæ Comitissæ*, ad prædictum portum salutis scammellis est deportatus: adeo enim totus dimidius naturæ vitio sibimet erat inutilis. Sed meritis viri Dei adjutus, mutato officiali, relictis ibidem scammellis, propriis pedibus suis est reversus.

XXVII. *Berngerus* presbyter de *Willichashuson*, quæ villa sita est in Hassia provincia, incertum quo reatu dæmonium incurrit, permittente illo, qui etiam beatum Job, quanquam longe diverso modo, satanæ tentandum concessit: qui & ipse ad commune propugnaculum, viri Dei quippe sepulchrum adductus, citius dicto ab obsidente peste est liberatus. Quid verbis opus est? si singillatim personas, loca, tempora ponere velimus, ad coacervanda testimonia nullus modus erit, nulla mensura. Tres cœci, duo muti, claudus unus, vel negatam naturæ vitio, vel corruptam, ad sacros cineres meruerunt recipere, quisque suo tempore, integram sanitatem.

XXVIII. Accidit interea, *Præfectum Magdeburgensem Meginfridum* cum multis aliis Hierosolymam tendentem, vento sibi contrario Laodiceæ diu esse moratum. Denique primo, secundo, ac tertio die & sæpius navigia repetentes, cum in altum processissent, subito mutatà aurà, quasi quadam vi detenti divina, nusquam promovere potuerunt. Cumque res in desperatione esset, præfectus *Meginfridus* & nonnulli alii decreverunt domum reverti. Sed *Roding* miles ejus & *Bebo* & *Sibertus* cum aliis plerisque constanter agentes definierunt apud se rem, potius per terram pedibus tentare, & extrema omnia, persecutionem etiam infidelium, si immineret, experiri, quam iter cœptum relinquere. In hac igitur diffinitione supervenienre nocte cubitum itum est. Tunc *Roding*, ut ipse asserebat, nondum in somnum resolutus vidit clare virum veneranda canitie, in vestitu candido sibi assistere, suæque remorationis causas prædicere; quod videlicet idcirco detenti essent, quia beatum *Heimeradum* domi sibi in vicino positum, in monte videlicet *Hasungen*, eatenus neglexissent. Quapropter, inquit, si obstinato animo *Hierosolymam* decrevistis petere, crastino mane ecclesiam sancti *Georgii* in hac urbe ingressi, voto vos constringite, quod petita *Hierosolyma* nullus vestrum, qui indigenæ estis, prius domum suam ingrediatur, quam hujus sancti viri visitet sepulchrum, ejusque patrocinio vos committite: quia, nisi vobis ipse apud Deum obtinuerit, nullus vestrum *Hierosolymam* videbit. Quam visionem, cum ille cæteris retulisset, in tantam consolationem & mentis alacri-

tatem devenerunt non solum ipsi, sed & alienigenæ, qui se illis conjunxerant, ut altero die primo diluculo omnes pariter supradictam ecclesiam adirent, & illi, quibus jussum fuerat, in prædictam urbem intrantes, non solum sibimetipsis, sed omnibus suis sociis in salutem fierent. Nam vix vota impleverant, cum ecce nauclerus adfuit, & prosperum ventum venisse nuntians, eos ad naves invitavit: quas ingressi, per illud dimidium, quod super fuit, diei spatium, sicut ipsius naucleri relatione cognoverunt, quatuor dierum cursum impleverunt. Et deinceps adeo prospera fuit navigatio, ut (quod mirum dictu est) iter, quod ante se alii vix duodecim hebdomadis mari terraque cucurrerant, isti sex tantum diebus currerent: & illi præcessores, duorum intervallo tantum dierum Hierosolymam, priores illis, intrassent. Itaque peractis Hierosolymæ votis, *Meginfridus* præfectus, Roding, Sibertus & qui cum illis erant, postquam domum suam reverterentur, promissa factis exequentes *Hasungen* petierunt, & visitato beati viri sepulchro, hæc omnia proprio ore narraverunt.

XXIX. Quædam mulier, dum linum carperet manibus, sicut mos est mulierum, tertio die post anniversarii sancti hujus commemorationem, repente contraxit se utraque manus, digitis in volam arctius defixis. Accurrerunt, qui aderant, ut linum ei de manibus arriperent, sed non erat facultas. Tandem vi doloris cogente, accessit mulier ad altare sancti viri, seque perpetuo mancipans ejusdem ecclesiæ, ita demum manus reseratas ad consuetum usum meruit accommodare. Quod miraculum pro gloria Dei & propagandis beati viri meritis constat factum; cum neque legitimæ essent feriæ, in quibus nullum servile opus fieri liceret; neque aliud quodlibet peccatum mulieris neque parentum ejus, in illius temporis articulo manifestius appareret.

XXX. Duo contracti, unus de eadem regione, alius de villa, quæ appellatur Geitzlade, dum corde credunt ad justitiam, ore autem confessionem faciunt ad salutem: statum rectitudinis, quem natura negaverat, ibidem exteriori homini, fide obtinuerunt interioris.

XXXI. Similiter duæ mulieres, una paralytica, alia oculorum sensu mulctata, fidei suæ pretium ad eandem memoriam obtulerunt, nec aliquanto tardius salutis dono ditatæ, gaudio triumphantes redierunt: quarum altera de villa, quæ *Weidere* appellatur; alia de *Grincenbach* procreata dicebatur.

XXXII. In vigilia Natalis Domini duæ ibi candelæ sunt divinitus accensæ, una in absentia, altera in præsentia cleri, qui ibidem congregatus fuerat ad agendas sacras excubias in tabernaculo Domini.

XXXIII. Quidam ex fratribus de eodem cœnobio admodum religiosus, in adolescentia sua gravem inciderat ægritudinem, quam nullo modo evadere potuit, usquequo suum votum, modo fidelium devotorum S. *Heimerado* devovit. Quo facto, visus est ei vir Dei in somnis adesse, eumque utrisque manibus complecti. Evigilans vero sensit se melius habere, statimque non mediocri accensus est desiderio, ut totum se Deo in servitium devoverit & S. *Heimerado*; quo crescente desiderio crescebat etiam valetudo, usquequo abrenuntians sæculo desiderium suum implevit, & sic omni ægritudine illa deinceps in perpetuum caruit. Missus deinde cum mandatis in *Wormatiam*, cum vidisset ephebos studio deditos liberali, delectabatur rursum in sæculum redire, seque ludo reddere liberali. Qua re definita, in Parasceve ante Pascha invasit eum tentatio diaboli in tantum, ut & ipso die lecturus lectionem, cujus initium est, *In tribulatione sua mane consurgent ad me:* (nam lector deerat, ipse autem Levita erat) & postea quoties evangelium lecturus esset, videretur sibi pagina quasi nigro quodam panno obducta, nullamque litteram poterat cognoscere; seque sentiret à quodam totis viribus abstrahi à lectione, ut ipse rejecto libro confugeret ad altare, seque prosternens sacerdoti, cum summo populi totius, qui assistebat, terrore se postularet adjuvari. Cubitum etiam iturus, cum signo salutari se undique muniret, cantando illum versum, S. *Spiritus adsit nobis gratia:* audiebat vocem altius dicentis sibi, *quod se non deberet signare, eo quod sibi traditus esset.* Nonnunquam vero sedens inter alios repente videbatur sibi quasi ab aliquibus ad infernum trahi, ita ut tremeret, clamaret & omnes in terrorem verteret. Hoc stimulo colaphizabat eum angelus Satanæ sine intermissione diu noctuque à Parasceve usque ad Pentecosten. Tunc vero frater ille in se rediens, intellexit, ideo se talia perpeti, quoniam ad sæculum reversus Deo ausus sit mentiri, cœpitque pœnitere facti. Jam inde rarius quidem, interpositis videlicet aliquot diebus; ipsa tamen passione per duos & semis annos graviter est afflictus, nec ullis remediis sive orationibus, sive jejuniis, seu veniis, seu confessionibus creberrimis, his curari potuit infestationibus. Solebat accedente passione hymnum Athanasii, *Quicunque vult salvus esse*, & sequentiam, *S. Spiritus adsit nobis gratia*, adversus imminens periculum decantare: sed utrumque satanas novissime ita funditus ei, velut lethargum passo, è memoria eliminaverat,

rat, ut non nisi vix primum versum utriusque carminis animo retineret. Tandem reversus jam ad cœnobium suum, confugiens ad nota præsidia, seque prosternens juxta sanctum sepulchrum, multis lacrymis & precibus beati viri flagitabat auxilium, tota devotione promittens, se deinceps stabiliter in eodem loco permansurum, & nunquam ulterius ad sæculum reversurum. Cumque hoc votum corde & ore promsisset, visum est ei, quasi aliquis clara voce, *Amen*, responderet. Nec mora, omnis tentatio illa diabolica evanuit, & sanus factus illa peste in perpetuum caruit. Referebat nobis idem frater, in præsentia sui circa sepulchrum viri Dei mulierem primo sanguinem ex oculis fudisse, & visum recepisse. Quo hæc referente, intulit alius frater de eodem cœnobio, alio tempore suis obtutibus in alia muliere miraculum simile factum fuisse.

XXXIV. Successu temporis in anniversario *S. Heimeradi*, quod est in vigilia SS. Apostolorum *Petri & Pauli* innumerabilis multitudo ibidem confluxerat juxta prophetiani viri Dei, quæ totum montem occupaverat. Plenum tunc erat de languentibus templum omni genere morborum, dæmoniacorum, leprosorum, cœcorum, claudorum, aridorum. Appropinquante autem divinæ visitationis hora, erat videre miseriam, quomodo (ut solent dolore correpti) per atrium ecclesiæ volutarentur se invicem complexi: cum quisque collum alterius, quasi gulam ei fracturus, brachiis constrinxisset, & terram manibus foderet, dentibus roderet: tamen, qui fortiores erant in populo, densato agmine columnis se circumposuerunt, ne quis ad patientes accederet de vulgo. Eo die triginta duo sanitati donati sunt, Clero spectante & populo. Est vulgi pia & non contemnenda, imo fidelis opinio, quod SS. Apostoli *Petrus & Paulus* in virtutibus cooperatores existant B. *Heimerado*: sive quod in eorum Vigilia maxime se prodat in his operibus divina virtus, sive quod eorum honori & patrociniis sit attitulata & consecrata ejus loci Ecclesia. Cum taliter soleat Dominus suos beare amicos, facilis conjectura est, quantam illis gloriam contulerit jam in cœlis secum regnantibus. Unde oportet, ut tanto impensius studium circa illorum obsequia exhibeamus, quanto constat iram Dei adversum nos excitari, si negligamus; maxime ubi eos corporaliter requiescere voluit Dominus, beneficii gratia civibus, interim moram dum facit sponsus. Nec est ambigendum, quin tanto vicinius, tanto familiarius quisque, illorum & in præsenti beneficio & in ultimo futuro perfruatur consortio; tanto facilius & celerius, si fides non titubaverit, divinam impetret misericordiam urgente necessitatis articulo, quanto illis plus reverentiæ, quanto plus studuerit exhibere honoris, quanto majorem operam in illorum expenderit famulatu. Finem scribendi facere me compellit styli & linguæ tardioris imperitia, non miraculorum penuria; quæ pene quotidie profluunt ex eadem virtutum divite vena, ad laudem & gloriam Domini nostri JESU CHRISTI, qui cum DEO Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Epitaphium S. Heimeradi Confessoris.

Anno milleno Christi, decimoque noveno
Morte fuit victus Heimeradus benedictus,
Luce Calendarum quartâ mensis Juliarum.
Qui prece, mente pia quærunt solatia dia,
Ejus per merita capiunt relevamina scita.

FINIS.

XXXVIII.

XXXVIII.

ACTA PONTIFICVM ROMANORVM GENTE SAXONVM, GREGORII V. & CLEMENTIS II.

ex Annalibus in Saxonia Sec. XII. scriptis & Augerii de Biterris Catalogo Paparum nondum editis. Accedit Fragmentum Hamerslebiense, quod inscribitur : GREGORIVS *Papa V. natione Saxo, natus in Melwerode.*

I. COMPENDIVM VITÆ GREGORII V. PAPÆ,

ex Amalrici Augerii de Biterris Catalogo Paparum Manuscripto.

GREGORIVS V. natione Saxo & ex patre Ottone post dictum Johannem sextum decimum in Romanum Pontificem fuit assumtus & post beatum Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & quadragesimus nonus, anno à nativitate Domini nonagesimo octuagesimo sexto. Item quod ipse Johannes prius *Bruno* vocabatur & erat consanguineus Ottonis tunc Imperatoris tertii, ad cujus instantiam ipse in Papam fuerat electus, sed postea ipse Johannes à sua sede per quendam Crescentium Consulem urbis Romæ fuit expulsus, & in loco quendam Episcopum Placentinum in Papatum intrusit, & postmodum propter hoc dictus Otto Imperator de dicto Crescentio magnam ultionem recepit. Item quod ipse Gregorius post multas tribulationes de hoc seculo migravit & rexit Ecclesiam duobus annis & quinque mensibus & tunc vacavit sedes Apostolica per quindecim dies, dicto Imperatore Ottone tunc regnante.

2. COMPILATORIS HAMERSLEBIENSIS GREGORIVS PAPA V. SAXO, natus in Melwerode.

GRegorius quintus Saxo genere, Othonis III. propinquus* pulsus à *Crescentio Consule*, suffecto Pseudo-Pontifice quodam *Johanne*, ab ipso Othone restituitur : qui primo in arce Crescentium Consulem & Johannem obsedit. Illi spe veniæ supplices ad imperatorem adeuntes, alter in via trucidatur; alter Johannes exoculatur. Hic instituit, *ut deinceps Imperatores Romani à sex Germanis viris, addito Rege Bohemiæ legerentur.* Hi sunt: *Coloniensis, Maguntinus* & *Treverensis* Præsules; *Duces Saxoniæ, Comes Palatinus, Marchio Brandenburgensis*, anno MII. Sedit annos II. menses VIII. Hujus elogium sepulchri conditi apud aram D. Gregorii in basilica Petri, vitam ejus testans legitur hodie his versibus barbaris:

Hic, quem claudit humus, oculis vultuq; decorum,
    Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen *Bruno* Francorum regia proles.
    Filius *Othonis* de genitrice *Judit*.
Lingua Teutonicus, *Wangia* doctus in *urbe*,
    Sed juvenis cathedram sedit Apostolicam,
Ad binos annos & menses circiter octo,
    Ter senos Februo commemorante dies.
Pauperibus dives per singula sabbatha vestes
    Divisit, numero cautus Apostolico.
Vsus *Francisca, vulgari* & voce *Latina*,
    Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ovile,
    Cognatis manibus unctus in imperium.

Exuit

Exuit & postquam terrenæ vincula carnis,
AEquivoci dextro substituit lateri.
Decessit XII. Kal. Martii.

3. EXCERPTUM DE FAMILIA & ACTIS CLEMENTIS II. PAPÆ *ex Annalibus Sec. XII. in Saxonia scriptis, nondum editis.*

ANno Dom. 1040. Eberhardus piæ memoriæ Babenbergensis Episcopus obiit, cui Rex Heinricus *Suitgerum* suum Capellanum boni testimonii Diaconum generali piorum omnium electione successorem destinavit. Hujus mater fuit Amulrada soror Waltardi Magdaburgensis Archiepiscopi, quæ nupsit Conrado *de Maresleve & Horneburch*, genuitque ei hunc Suitgerum, qui erat Canonicus S. Stephani in Halberstad, postea Episcopus in Babenberch, tandem Romæ Papa; & Conradum, qui ut dicitur, fuit Canonicus S. Mauricii in Magedaburch, postea Aquilejæ Patriarcha, & Adalbertum. Hic quandam fœminam, quæ sua propria extitit, sibi in matrimonium conjunxit, quæ sorori suæ, quæ Dignamenta (a) vel Margareta dicebatur, nimiam intulit injuriam. Unde ejus consilio & jussione in eadem urbe Horneburch dicta occisa est. Propterea ipse Adalbertus eandem urbem cum prædiis illuc pertinentibus tradidit Halberstadensi Ecclesiæ precaria vicissitudine, ne videlicet ipsa aut filii ejus eandem hæreditatem sortirentur. Ipsa autem Dignamenta vel Margareta nupserat cuidam Theoderico, cujus frater Hanulf dicebatur de *Ameneslеve*, peperitque ei filiam nomine Amulradam. Hanc igitur Amulradam prius duxit uxorem Ekbertus de Hertbike & Mesburge, genuitque ei filias quatuor Bertradum & Margaretam Moniales; Idam quoque & Biam. Ida genuit ex Gevezone de Thuringia Ekbertum, Canonicum S. Stephani in Halberstad, quo defuncto nupsit Meinhardo de *Orlagemunde*, genuitque ei Meinhardum & alios; quo item defuncto Kizo filius Arnoldi de *Warmonestorp* sortitus est eam. Bia nupsit cuidam, cujus nomen Dedi (b) fuit, illoque defuncto item Dedi de *Crozok* accepit eam, genuitque ex ea Guncelinum & filiam nomine Machtildam, quam duxit Verinherus de *Veltheim*, peperitque Verinherum. Prædictam vero Amulradam defuncto Ekberto accepit Theodericus filius sororis *Herimanni Regis*, cujus Dedi prædictus frater fuit, qui filiam Amulradis Biam primus duxerat, genuitque ex eodem Theoderico Milonem Comitem & fratres ejus, filias quoque Odam & Gislam. Milo Comes duxit Liutburgam filiam Ottonis Comitis & Adelsindis Comitissæ de *Eilikistorp*, genuitque ex ea Comites Herimannum & Ottonem de *Hildesleve* & Biam, quam desponsavit Burchardus de *Conradesburk*, genuitque Burchardum & alios. Oda soror Milonis nupsit Gevehardo de *Quernevorde*, peperitque Conradum Magedaburgensem Archiepiscopum, & Burchardum ejusdem urbis præfectum, & Gisla conjuncta est Waloni de *Vakenstide*.

Anno Dom. 1041. Heinricus Rex Natale Domini Mimigardevorde festive celebravit. Ibi Dominus Suitgerus Babenbergensis Præsul Pontificalem promotionem à Venerabili Mogontino Archiepiscopo Bardone in Natali Innocentii die Dominica, Rege cum aliis primoribus astante, gloriosè percepit.

Anno Dom. 1047. Rex Heinricus Romæ Natale Domini celebravit, & Suitgerum Babenbergensem Episcopum Papam constituit, à quo ipse & conjunx ejus Agnes Regina eadem die Imperiali benedictione sublimantur. Imperatrix vero inde revertens apud Ravennam genuit filiam. Imperator vero per Apuliam multasque provincias feliciter ducens exercitum cum magno honore revertitur. Interea Petrus Ungariorum Rex à quodam Tyranno Pannonico captus & cœcatus est. Ille autem, qui eum expulit, regnare cœpit; Corpus S. Vidonis de Italia allatum est Spiram Imperii sui anno I. Regni autem IX. Indictione XV. Suitgerus Papa eodem anno, quo constitutus est, obiit, pro quo Poppo Aquilejensis Patriarcha ordinatur, mutato nomine Damasus. Eodem anno Otto Dux Svevorum obiit, in cujus locum Otto Marchio de Suinvorde Marchionis Heinrici & Gerbergæ Marchionissæ filius surrexit. Damasus Papa qui & Poppo eodem anno, quo constitutus erat, decessit.

Anno Dom. 1048. Imperator Natale Domini Polithe celebravit. Bruno qui & Leo, Tullensium Antistes post Damasum Romanæ Sedis Pontifex ordinatur. Hic Conradi Imperatoris consobrinus, fuit oriundus de Alsatia ex Castello, quod dicitur Egenesheim, qui cum ad capes-

(a) leg. *Dna Clementia*, ut patet ex Chronico antiquo Brunsvicensi Autoris incerti.

(b) Qui natus ex sorore Hermanni Regis seu Anti-Cæsaris, ita mox.

capessendam sedem Apostolicam Romam tenderet, audivit nocte voces Angelorum in sublimi canentium: Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Invocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem vestram de cunctis locis. De hoc inter cætera legitur, quia, cum pauperem leprosum ante fores domus suæ offendisset, eum fotum & curatum diligenter in lecto suo collocavit: quem reserato ostio, cum non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit. Hic undecunque doctissimus, cantus dulci & regulari modulatione composuit de aliquibus Sanctis, Gregorio scilicet Papa, Cyriaco Martyre, Gorgonio Martyre & aliis. Fecit & scripsit multa alia Ecclesiæ utilia. Hic etiam in Galliæ & Germaniæ Synodis Canonicè habitis statum Ecclesiæ meliorabat. Quodam tempore ad invisendum Regnum Teutonicum ingressus, ad filium sororis suæ, Comitem Adalbertum in Sveviam venit, & illum sub comminatione tremendi judicii Dei admonuit, ut Hirsaugiense Cœnobium ab eo injuste possessum relinqueret, & Sacræ Regulæ observatores in eodem loco restituere studeret; quod ipse Comes confestim opere complevit. Idem Papa in cœnobio Virginum, quod nominatur Andela in Alsatia, corpus S. Richardis Imperatricis de tumulo honorificè elevavit & in Ecclesia recondidit. Heinrico Imp. filius IV. Heinricus natus est.

4. COMPENDIVM VITÆ CLEMENTIS II. PAPÆ *ex Amalrici Augerii de Biterris Catalogo Paparum Manuscripto.*

CLemens Secundus post dictum Gregorium Sextum per violentiam est intrusus, in Romanum Pontificem fuit assumtus, & post B. Petrum Apostolum extitit Papa centesimus & sexagesimus anno à nativitate Domini millesimo quadrigentesimo nono secundum unam Cronicam, sed secundum aliam dicitur de quinquagesimo. Item quod iste Clemens prius Suidegorius vocabatur & quod ante suam promotionem Ecclesiæ Bambergensis Episcopus & per violentiam ab Henrico Imperatore fuit coronatus, prout latius continetur in Cronicis Benedicti Papæ IX. supradicti. Sed ipse Clemens rexit Ecclesiam novem mensibus & septem diebus & tunc vacavit Sedes Apostolica triginta diebus, Henrico Imperatore tunc secundo regnante.

XXXIX.

GVILIELMI APPVLI

HISTORICVM POEMA *De* REBUS NORMANNORUM In Sicilia, Appulia & Calabria gestis, usq; ad mortem Roberti Guiscardi Ducis,

Scriptum ad filium Rogerium.

LIBER PRIMVS.

GESTA Ducum veterum veteres cecinêre Poëtæ;
Aggrediar vates novus edere gesta novorum:
Dicere fert animus, quo gens Normanica ductu,
Venerit Italiam: fuerit quæ causa morandi,
Quosve secuta Duces Latii sit adepta triumphum.
Parce tuo vati pro viribus alta canenti,
Clara, *Rogere*, *ducis Rodberti* dignaq; proles,

Impe-

Imperio cujus parere parata voluntas
Me facit audacem: quia vires quas labor artis
Ingeniumq; negat, devotio pura ministrat.
Et *patris Vrbani* (a) reverenda petitio, segnem
Esse vetat: quia plus timeo peccare negando,
Tanti Pontificis quàm jussa benigna sequendo.
Postquam complacuit regi mutare potenti
Tempora cum regnis, ut Græcis Appula tellus
Jam possessa diu non amplius incoleretur:
Gens Normannorum feritate insignis equestri
Intrat, & expulsis Latio dominatur Achivis.
Hos quando ventus, quem lingua soli genialis
North vocat, advexit boreas regionis ad oras,
A qua digressi fines petiere Latinos:
Et *man* est apud hos, homo quod perhibetur apud nos
Normanni dicuntur, id est homines boreales:
Horum nonnulli *Gargani* (b) culmina montis
Conscendêre (c), tibi, Michael Archangele, voti
Debita solventes. Ibi quendam conspicientes
More virum Græco vestitum nomine *Melum* (d):
Exulis ignotam vestem capitiq; ligato
Insolitos Mythræ mirantur adesse rotatus,
Hunc dum conspiciunt, quis, & unde sit ipse, requirunt.
Se Longobardum natu civemque fuisse
Ingenuum Bari, patriis, respondit, at esse
Finibus extorrem Græca feritate coactum; (*)
Exilio cujusdam Galli compaterentur,
Quam facilem reditum, si vos velletis, haberem,
Nos aliquot vestra de gente juvantibus, inquit.
Testabatur enim cito Græcos esse fugandos
Auxiliis horum, facili comitante labore:
Illi donandum patriæ munimine gentis
Hunc celeri spondent, ubi forte redire licebit.
Ad fines igitur postquam redire paternos,
Cæperunt animos mox solicitare suorum
Italiam secum peterent: narratur & illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti. (e)
Sola quibus peragi possit via, ferre monentur;
Ductor ibi prudens promittitur inveniendus:
Quo duce de Græcis facilis victoria fiat:
Arrectis igitur multorum mentibus ire
Pars parat, exiguæ vel opes aderant quia nullæ,
Pars quia de magnis majora subire volebant:
Est acquirendi simul omnibus una libido.
Aggrediuntur iter, sumptis quæ cuique videntur
Ferre necesse viam pro viribus ad peragendam.
Postquam gens Romam Normannica transit inermis,
Fessa labore viæ Campanis substitit oris.
Fama volat Latio Normannos applicuisse.
Melus ut Italiam Gallos cognovit adisse,
Ocyus accessit, dedit arma carentibus armis:

(a) Vrbanus II. PP. electus anno 1088. iisdem temporibus regnabat Rogerus Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis filius.
(b) Garganus mons in Apulia ad mare Hadriaticum.
(c) Volaterranus lib. 3. Geog. scribit Robert. Guisch. expulisse Sicilia Saracenos, qui anno Salut. 914. Apuliam, Calabriam, Neap. & Garganum montem occupaverant.
(d) Meles legitur apud Th. Farell. posterioris Decad. lib. 6. cap. 1.
(*) Circa 1011. motus in Calabria & Apulia excitarat.
(e) Scribebatur in margine *Græcis*, quæ lectio forte verior est.

Armatos secum comites properare coegit.
Hactenus insolitas hac tempestate Latini
Innumeras cecidisse nives mirantur & harum
Casibus extinctæ pleræq; fuere ferarum:
Nec fuit arboribus fas inde resurgere lapsis.
Hujus portenti post visum, Vere sequenti
Emptis Normannos Campanis partibus armis
Invadenda furens loca duxit ad Appula Melus. (*)
Hunc habuêre Ducem sibi gens Normannica primum
Partibus Italiæ, Gallos tremit Appulus omnis,
Quorum prævalido multi periere rigore.
Turnicii (**) tandem rumor pervenit ad aures,
(Qui *Catapan* fuerat Græcorum, missus ab urbe,
Cui Constantinus nomen dedit editor urbis,
Et Constantinus, pariterque Basilius (***) illi
Tunc dominabantur) Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normannos loca depopulanda monebat.
His ita Turnicio fama referente relatis,
Agmina Græcorum propere direxit in hostes.
Non etenim per se certamina prima paravit,
Sed per legatum cognomen, cui *Pacianus*
Et *Leo* (f) nomen erat, qui juxta fluminis undam
Nomine Fertorii (locus est & Arenula (g) dictus)
Deduxit secum multos ad bella Pelasgos:
Maji mensis erant aptissima tempora marti,
Hoc ad bella solent procedere tempore reges,
Fortunaque pari primo pugnatur utrinque.
Auctis militibus comites fuit inde sequutus
Turnicius, sed terga dedit, victusque recessit.
Conflictu belli Pacianus corruit hujus.
Normannis auget validas victoria vires,
Expertis Græcos nullius roboris esse,
Quos non audaces, sed cognovere fugaces:
Imperii fama insinuat rectoribus arva
Appula Normanos Melo duce depopulari.
Hunc, his auditis, sibi curia judicat hostem,
Si capitur, capitis fieri cæsura jubetur.
Multa Græcorum cum gente *Basilius* (h) ire
Jussus in hunc audax anno movet arma sequenti:
Cui Catapan facto cognomen erat *Bagianus* (i),
Quod *Catapan* (k) Græci, nos *juxta* dicimus *omne*:
Quisquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris,
Dispositor populi parat omne, quod expedit illi,
Et juxta quod cuique dari decet, omne ministrat.
Vicinus Cannis qua defluit Aufidus (l) amnis,
Circiter Octobris pugnatur utrinque Calendas: (****)
Cum modica non gente valens obsistere Melus,
Terga dedit magna spoliatus parte suorum:

Et

(*) Anno 1017. vel paulo ante.

(**) An Tumitius vel Tomitius, usitatum Græcis nomen. Leo Tomitius 1046. à militibus Imperator salutatus.

(***) Basilius & Constantinus filii Romani junioris.

(f) Leo Pacianus.

(g) *Arena*, fluvius est in meridionali Siciliæ latere, ita dictus, quod ad fauces circumjacentes albas teneat arenas. Th. Facell. lib. 6. c. 4. decad. prioris.

(h) Basilius Constantinopolitanus Imper. regna recepit anno salutis 977.

(i) Sigonius hunc *Bubaganum* vocat, qui Basilii Imperatoris Catapanus erat.

(k) Catapan apud Græcos generalis totius Exercitus præfectus.

(l) Aufidus fluvius in Apulia, Italis Lofato.

(****) 1019. ut creditur.

Et puduit victum patria tellure morari,
Samnites adiit superatus ibique moratur.
Post *Alemanorum* petiit suffragia *regis*
Henrici, (m) solito placidus qui more precantem
Suscipit, auxilii promittens dona propinqui.
At Melus regredi præventus morte nequivit.
Henricus sepelit rex hunc, ut regius est mos:
Funeris exequias comitatus adusque sepulchrum,
Carmine regali tumulum decoravit humati. (*)
Defuncto Melo, cujus suffragia Galli
Affore sperabant, spe tota deficientes
Campanæ mœsti redeunt regionis ad oras:
Atque locis nullis figunt tentoria certis.
Perterrebat eos plebs paucificata suorum,
Viribus & validis circumstans plurimus hostis.
Quare nullus eis tutus locus esse videtur.
Montibus interdum, nunc vallibus inde remotis.
Sed cum jam nullum sperarent posse parari
Auxilium, victis incommoda quippe videntur
Omnia: victores fors creditur ipsa juvare.
Cumque vagi, instabiles, jam per loca multa vagantes,
Nullis sede locis possent insistere certa,
Consilium tandem dat rixa propinqua morandi;
Nam Longobardo norant cui robur adesse
Majus, adhærebant, aderantque fideliter ejus
Auxiliis: hujus quo per famulamina tuti
A reliquis fierent, & eorum nacta secundos
Successus belli clarescere fama valeret,
Hac ratione loco metantur castra decenti;
Qui limphis, herbis, simul arboribusq; redundans
Omne ministrabat, populo quod habere necesse est.
Egregium quendam mox elegere *suorum*
Nomine *Ranulfum* (n), qui princeps agminis esset,
Cujus mandatis fas contradicere non sit.
Cumq; locum sedis primæ munire pararent,
Undique densa palus, nec non & multa coaxans
Copia ranarum prohibet munimina sedis:
Haud procul, inde suis alium stationibus aptum
Invenêre locum, quem nullo dante juvamen
Cultorum patriæ, pro se munire tuendis
Conantur, sic se, facto munimine, cuidam, (**)
Qui Princeps Capuanus erat, conjungere gaudent.
Principibus Latii prior atque potentior ipse
Tunc erat; affines properant hoc principe tuti
Devastare locos, hostesq; viriliter angunt.
Sed quia mundanæ mentis meditamina prona
Sunt ad avaritiam vincitque pecunia passim,
Nunc hoc nunc illo contempto, plus tribuenti
Semper adhærebant, servire libentius illi
Omnes gaudebant, à quo plus accipiebant:
Bella magis populi quam fœdera pacis amantes,
Servitiiq; vices pro viribus & ratione
Temporis expendunt, plus dantens pluris habebant.
Illis principibus dominandi magna libido
Bella ministrabat: vult quisque potentior esse.

 Alter

(m) Henricus cognomento Sanctus.
(*) In vita S.Henrici l.22. memoratur Ismaelem(corruptum,puto, & nomen notum, pro *Mele* ignoto positum) ab Imperatore Apuliæ præfectum in Bababerg obiisse & in capitulo majoris monasterii tumulatum esse.
(n) Ranulfus Normanorum Dux primus.
(**) Pandulfo quarto.

Alter & alterius molitur jura subire.
Procedunt litis hoc fomite, prælia, mortes,
Inter mortales ideo mala plurima crescunt.
Heu miseri, mundo quicquid conantur, inane est.
Innumeros vana passi pro laude labores
Plus cruciabuntur, postquam mundana relinquent.
Nunquam Normannis, ne pœna rediret in ipsos,
Longobardorum placuit victoria prorsus.
Funditus everti discordem quemque vetabant
Nunc favor additus his & nunc favor, additus illis:
Decipit Ausonios prudentia Gallica: nullum
Plena lance capi permittit ab hoste triumphum.
Sic desperatos Latii discordia Gallos
Ad spem, quæ fuerat prius extirpata, reformat.
Et vires & opes augmentum sic capiebant:
Si vicinorum quis pernitiosus ad illos
Confugiebat, eum gratanter suscipiebant:
Moribus & lingua quoscunq; venire videbant,
Informant propria, gens efficiatur ut una.
Post annos aliquot, *Gallorum exercitus urbem*
Condidit Aversam. (o) *Rannulfo consule* (p) tutus.
Hic opibus plenus locus, utilis est & amænus;
Non sata, non fructus, non prata, arbustaq; desunt,
Nullus in orbe locus jucundior: hunc generosi
Consulis elegit prudentia præmemorati.
Hujus præclara processit stirpe (*) *Richardus*
Qui post successit; quo non animosior ullus:
Nemo magis largus; qui non virtute minorem
Jordanem genuit: Jordanis & inde *Richardum*,
Jamq; viro vires condignas fert adolescens:
Mœnibus *Aversa* Rannulfus ab urbe peractis,
Ad patriam misit legatos qui properare
Normannos facerent, & quàm sit amœna referrent
Appula fertilitas, inopes fore mox opulentos,
Divitibus, multo plus polliceantur habendum:
Talibus auditis, & egentes, & locupletes
Adveniunt multi, properat quo fasce tenetur
Paupertatis inops, ac quærat ut optima dives.
Interea multo decurso tempore, nullus
Partibus Ausoniis Gallorum terror habetur,
Ex quo Normannos Catapan abscedere fecit,
Imperii Melum superando Basilius hostem.
Aversam subito venit *Hardoinus*, & illum
Pluribus adductis secum, tremit Appulus omnis.
Is Lombardus erat Græcosque fugare volebat.
Cur inimicus eis, cur Gallos duxerit, edam.
Dum sedi *Michael Epilepticus* (q) Imperiali
Præsidet, in Siculos hostes jubet arma moveri,
Qui fines Calabros non cessant depopulari.
Dirigitur Michael Dochianus ad id peragendum,
Qui multis equitum peditumq; potenter in arma
Undique collectis, Siculos compescuit hostes.
Inter collectos erat Hardoynus, & ejus
Asseculæ quidam Græcorum cæde relicti.

Plebs

(o) Aversa urbs inter Neapolim & Capuam posita.
(p) *Consul* pro Comite.
(*) Consentit Wilhelmus Gemeticensis, lib. 7. c. 43. sed Leo Ostiensis lib. 2. c. 67. narrat Ascilittinum Normannum duxisse sororem Ranulfi, eique in Comitatu Aversano successisse, & filium Richardum, patrem Jordani, avum Richardi II. genuisse. Ranulfum Pandulfus Capuæ princeps Aversæ Comitem fecerat, Richardus I. postea Capuæ Principatum occupavit 1053. vid. Leo Ostiens. lib. 3. c. 16.
(q) Qui vulgo Paphlago, Imperator factus 1034. obiit 1041.

Plebs Lombardorum Gallis admixta quibusdam
Qui profugi fuerant, ubi bella Basilius egit.
Cumque triumphato rediens Dochianus ab hoste
Præmia militibus *Regina* (r) solveret *urbe*.
Græcis donatis nihil Hardoynus habere
Donorum potuit, miser immunisque remansit.
Convenit inde suos iratus, & arguit Argos
Turpis avaritiæ, populo quia dantur inerti
Munera danda viris, cum sit quasi fœmina Græcus,
Iratus Michael propter convitia jussit
Græcorum ritu, cædendus ut exueretur,
Corrigiis cæsum graviter peccasse puderet:
Dedecoris tanti cruciatibus exagitatus,
Multæ commissum non dimissurus inultum
Clam cum gente sua Græcorum castra reliquit,
Missa Pelasgorum manus hunc ut persequeretur,
Repperit in campo cum quo confligere tentans.
Cedit, & occisis decies ibi quinque Pelasgis
Aversam properat: Normannis omnia narrat
Quæ sibi contigerant vehementer & increpat illos.
Appula multimodæ cum terra sit utilitatis
Fœmineis Græcis cur permittatur haberi,
Cum genus ignavum sit, quod comes ebrietatis
Crapula dissolvat minimo sæpe hoste fugatos,
Vestituque graves, non armis asserit aptos.
Normani quamvis Danaûm virtute coacti
Appula rura prius dimittere, rursus adire
Hoc stimulante parant: numero cum viribus aucto
Omnes conveniunt & bis sex nobiliores,
Quos genus & gravitas morum decorabat & ætas,
Elegêre duces: provectis ad *comitatum*
His alii parent; *comitatus nomen honoris* (s)
Quo donantur, erat. Hi totas undique terras
Divisêre sibi, ni fors inimica repugnet,
Singula proponunt loca, quæ contingere sorte
Cuique duci debent & quæque tributa locorum:
Hac ad bella simul festinant conditione.
Nullus tunc Italis exercitus imperialis
Partibus audiri, Græcorum tota quieta
Res erat, & solum tranquillo tempore bellum
Adversus Siculos agitari fama ferebat.
Appula Normannis intrantibus arva, repente
Melfia (t) capta fuit, quicquid prædantur, ad illam
Vrbem deducunt: hac sede Basilius ante,
Quem supra memini, modicas fabricaverat ædes,
Esse locum cernens inopinæ commoditatis.
Accessu populi nunc urbs illustris habetur,
Finibus Italiæ celeberrima, dives amœni
Fertilitate loci, Cereris nec egena nec amnis
Et qua parte sita est, insignis honore ducali:
Audito reditu Siculis Michaelis ab oris,
Sese ad bella parant Normanni copia quamvis
Multa sit Argorum, sua quam paucissima gens sit.
Nam pedites tantum *quingentos* turba pedestris,
Et *septingentos* comitatus habebat equestris;
Obtectos clypeis paucos lorica tuetur.

Arma-

(r) Regio, Calabriæ urbe. (s) Sed & ditionis, nam Comitatus cuiq; simul assignatur.
(t) Melfis aut Melfia urbs in Apulia.

Armati pedites dextrum lævumque monentur
Circumſtare latus: aliquot ſociantur equeſtres,
Firmior ut peditum plebs ſit comitantibus illis:
His interdicunt omnino recedere campo,
Vt recipi valeant, ſi forte fugentur ab hoſte:
Taliter inſtructis illis & utrinque locatis,
Digreditur cuneus longe paulisper equeſtris,
Contra quos cuneus Græcorum mittitur unus.
Non etenim totas Danai laxare cohortes
Primo marte ſolent, legionem ſed prius unam,
Inde aliam mittunt, ut virtus aucta ſuorum
Hoſtes debilitet, terroremque augeat illis.
Sic equitum princeps obniti dum videt hoſtes,
Cum magis electo, qui reſtat milite ſecum,
Proripitur ſubito, vireſque retundere prorſus
Sic ſolet hoſtiles, animos reparando ſuorum:
Vtrorumque acie conſerta, maxima pugna
Fit, juxta rapidas *Lebenti* fluminis undas.
Vincuntur Danai, Gallorum exercitus illos
Fortiter inſequitur, cæſorum corpora multa
Appula planicies, Fluvius ſed plura, recepit.
Gens Argiva quidem nimio perculſa pavore,
Dum tremebunda fugit non aſperitate locorum,
Non prohibetur aquis vehementibus, ut fugitiva
Non ſe præcipitet; plures in flumine merſos
Alveus involvit, quam morti traderet enſis.
Hos jaculis, illos gladiis gens Gallica ſtravit,
Fitque modis variis Græcorum maxima cædes.
Cum paucis montem Michael elapſus adivit,
Vicinos montes ſuperare cacumine viſum
Gallorum vires victoria mentibus auget,
Nec contra Danaos jam bella gerenda paveſcunt,
Haud ſecus accipiter ſolitus captare minores
Indubitanter aves, dubitans majoris inire
Alitis aſſultum, poterit ſi ſorte vel unam
Exuperare gruem, non inde timebit olorem,
Et magnis avibus jam nil obſtare pavebit.
Agmine collecto Græcorum, rurſus ad amnem
Cannis affinem qui dicitur *Aufidus*, omnes
Quos ſecum potuit Michael deducere, duxit.
Ad pugnam Galli redeunt, ut ceſſerat ante,
Cedit eis Michael, victi fugêre Pelaſgi,
Cæduntur multi, labentis equo Dochiani
Armigeri auxilio ſervatur vita fugacis.
Corruit offenſo pede forte caballus ad amnis
Ingreſſum. *Michael* manibus jam pœne tenendus
Hoſtilis turbæ, proprium ducente miniſtro
Eſt elapſus equum, Normanni plus animantur,
Quo magis augetur fœlix ſucceſſus in armis.
Peluſii montis Michael petit ardua victus:
Hinc exercitui Græcorum nuntia mittit,
Qui Siculis inerat tunc partibus, ut reparandis
Viribus accedat, quibus hoſte fugatus egebat.
Melfia, Normannis victoribus, ut repetatur,
Complacet, hic ſpoliis collectis gentis Achææ,
Stant aliquantiſper tranquilla pace quieti.
Pro numero comitum bis ſex ſtatuêre plateas,
Atque domus comitum totidem fabricantur in urbe.
Sed quia terrigenis terreni ſemper honores

Invi-

Invidiam pariunt, comitum mandata recusant,
Quos sibi prætulerant Galli servare feroces.
Indigenam Latii propriæ præponere genti
Dilexere magis, *Benevent principis* hujus
Nomen *Adenolfus*, quos forsitan ipse vel aurum
Dando vel argentum, pacti mutare prioris
Compulerat votum: quid non compellit inire
Ambitio census? sanos evertere sensus
Hæc valet, ac fidei rigidos dissolvere nexus.
Postquam delatos *Dochiani* exercitus audit
Partibus in Siculis apices, & de reparandis
Viribus admonitus, Dochianum novit egentem
Auxilio, properat Calabrisq; virisq; quibusq;
Vndique collectis, it ad ulciscenda suorum
Corpora, quæ campis & aquis inhumata jacebant.
Cum Græcis aderant quidam, quos pessimus error
Fecerat amentes & ab ipso nomen habebant,
Plebs solet ista patrem cum Christo dicere passum,
Et fronti digito signum crucis imprimit uno,
Non aliam nati personam quam patris esse,
Hanc etiam sancti spiraminis esse docebant.
Hi simul ad bellum properant, mens omnibus una,
Vires, quas Michael amiserat, ut reparentur:
Hunc tamen esse ducem vetat amplius agminis hujus,
Imperii sub quo Romani cura manebat:
Contra Normannos, quia nullum prosperitatis
Successum obtinuit, jubet, *Exaugustus* ut hujus
Officium subeat, Danaos in prælia ducat.
Dicitur hunc victor genuisse *Basilius* ille,
Qui duce sub Melo Gallos dare terga coegit.
Inde redit Siculas Michael Dochianus ad oras.
Exaugustus eos, quorum sibi tradita cura est,
Taliter alloquitur: prudentia vestra virili
Conditione vigens, non vos permittat habere
Cor muliebre, viri: quæ vos ignavia semper
Cogit inire fugam, memores estote priorum
Quorum strenuitas totum sibi subdidit orbem.
Hector Achilleis fortissimus occidit armis.
Troja Michænei (x) ruit ignibus usta furoris.
Philippi quantus fuerit vigor, India novit;
Hujus Alexander proles fortissima, nonne
Fortia multorum subjecit regna Pelasgis?
Partibus occiduis, Græcorum fama timori
Omnibus, & mundi regionibus esse solebat.
Quæ gens audito Græcorum nomine, stare
Audebat campo? vix oppida, castra, vel urbes
Reddebant tutos ab eorum viribus hostes.
State, precor, validi memores virtutis avitæ:
Degeneresque pedum non vos fiducia reddat.
Hosti adimit vires, qui stare viriliter audet.
Procurate sequi vestigia prima parentum,
Jam fuga displiceat: Totus vos sentiat orbis
Fortes esse viros: Non est ad bella timendus
Francorum populus, numeroq; & viribus impar.
His dictis Animos Græcorum accendit, & omnes
Præcipit Argolicos montana relinquere, campi
Quærere planiciem: campis & castra locavit.

 Explo-

(x) Mycenæi.

Exploratores Galli misère, paratûs
Vt Danaum videant. Referunt ad bella paratos:
Et non mutata mutatum mente magistrum:
Nil metunt multi sociis in monte relictis
Quo tuti redeant, fuerit si forte necesse,
Indigenæ Danais descendunt auxiliari.
Campi planicie populus convenit uterque:
Pugna fit inde gravis, ut vincat uterque laborat.
Nunc hi, nunc illi fugiuntque fugantque fugantes
Cumque diu pugnam Gallis patientibus Argi
Acriter instarent: victores jam prope facti
Proripitur subito Medios *Galterus* in hostes,
Normannos hortans ad bella redire fugaces:
Ipse electorum comitum fuit unus, Amici
Filius insignis: nullum certamen Achivi
Experti gravius, sed plurimus hic quia miles
Occidit, heroes multi simul interière.
Ductus Adenolfi miser *Exaugustus* ad urbem,
Præcedebat equum victoris ab hoste ligatus
Ostentare sui pompam cupiente triumphi,
Ter Gallis illo victoria contigit anno,
Confusis Danais jam spes est nulla trophei,
Omnia præclarum super Appula mœnia *Barum*,
Illis temporibus, *Monopolis* & *Juvenacus*,
Atque urbes aliæ quam plures fœdere spreto
Græcorum, pactum cum Francigenis inière.
Inde manere Deo nolente diucius ejus
Imperium, *moritur Michael* (y), *Michaele nepote*
Succedente sibi, qui *Constantinus* & idem
Nomine dictus erat: quendam, solamen ut inde
Auxilii caperet gens Appula, *Synodianum*
Destinat, hic veniens & primo appulsus *Hydruntum*,
Legatos socias Francorum misit ad urbes
Se recipi rogitans: nolunt parere roganti.
Militiam reparare cupit, sed milite multo
Cæso ac disperso, paucos retinere valebat:
Synodianus ob hoc muros non deserit urbis,
Hunc tamen edictum facit Imperiale reverti.
Multa per hoc tempus sibi promittente *Salerni*
Principe Guaimario, Normanica gens famulatum
Spernit Adenolfi: sed se tantummodo cives
Aversæ dederant ditioni Guaimarianæ:
Nam reliqui Galli quos Appula terra tenebat,
Argiroo Meli genito servire volebant.
Nam pater ipsius prior introducere Gallos,
His & in Italia studuit dare munera primus.
Argirous pauper licet audax & generosus
Se tantæ genti dominari posse negavit:
Cum nihil argenti valeat præbere, vel auri.
Hi se non aurum profitentur amare, sed ipsum,
Cujus eis placidus fuerat pater: Ipse precantem
Exaudit populum: nocturno tempore secum
Deducit Barum natu sensuque priores,
Quos Sancti ductos Appolinaris ad ædem
Taliter affatur: pretii cum nulla facultas
Sit mihi, quo possim populum donare potentem:

Cur

(y) Michaeli Paphlagoni successit ejus nepos ex sorore Michael Calaphates salutis anno 1043. Huic Constantinus Monomachus eodem anno.

Cur populus vester me vult sibi præfore, miror:
Vos etenim novi diversis rebus egere,
Quas cum non dedero, me non dare posse dolebo.
Illi respondent. Nostrûm te principe nullus
Pauper erit, vel egens: duce te fortuna favebit:
Consiliique vias dulce quas genitore solebat
Pandere, te nobis effecto principe pandet.
Hoc ubi dixerunt, *sublimant* protinus *illum*
Omnes unanimes: communi fit prece princeps.
Interea magno Danaûm comitante paratu,
Nequitiâ plenus venit (z) *Maniacus* Hydrontum
Imperio Latium jussus Michaelis adire;
Is præter formam nil dignum laude gerebat:
Mente superbus erat, dira feritate redundans.
Classibus Hydronti dimissis, agmen iniquum
Francis compactas invadere commovet urbes:
Et Monopoleis primum diffunditur arvis.
Interimit multos Maniacus, & arbore quosdam
Suspensos, alios truncatos vertice mactat.
Cœdis inauditum genus exercere tyrannus
Audet in Infantes, viventis adhuc, quia capti,
Corpus humo sepelit pueri, caput eminet extra.
Sic perimit multos, & nulli parcere curat.
Posthæc *Materam* (f), qua fixa fuisse feruntur
Pœni castra ducis, cum subderet Hannibal Afris
Italiam, Maniacus adit; campisque ducentos
Agricolas captos furibunda mente trucidat.
Non puer aut vetulus, non monachus atque sacerdos
Impunitus erat: nulli miseretur iniquus.
Interea *Michael*, qui miserat hunc Maniacum,
Captus cæcatur (g): cæcatus ab arce fugatur.
Hoc fecêre *Zoe* simul & *Theodora* sorores,
Prima fuit Patruî conjunx Michaelis, adusque
Hujus successum, cum qua quia noluit ipse
Partiri regnum, ratus hanc prohibente senatu
Exhæredandam, privatus lumine captus,
Est *Constantino* sociata Zoe *Monomacho*. (h)
Huic inimicus erat Maniacus, & hic Maniaco, (i)
Alterius quoniam fuit alter abusus amica:
Zelotipo imperii Monomacho tradita sedes
Concussit mentem nimio terrore tyranni
Et probrosa refert odiis agitatus & ira;
Omnibus & secum quos duxerat, imperat Argis,
Principe se facto, jam nullus obediat illi.
Assumens habitum sibi perfidus imperialem
Imperii sancti non nomen adire veretur.
Postquam suscepit solii Monomachus honorem,
Argiroo mandat studeat convertere Gallos,
Procuretque suis sociare fidelibus illos,
Et promittat eis se præmia magna daturum.
Argirous nolens sibi desit ut imperialis

(z) Maniacus, is est Georgius Maniacus Byzantinus, Siciliæ præfectus.

(f) Mathera urbs in Apulia, quæ Acherontus Livio dicitur.

(g) Zoë Michaelis Paphlagonis vidua, Michaelem Calaphatem in filium adoptavit, qui cum fascibus susceptis, ingratus, matrem suæ majestatis autorem relegasset, à conspirante populo captus est, oculorumque usu privatus, restitutâ ad imperium Zoë.

(h) Constantinus Monomachus tertius Zoes maritus fuit.

(i) Dissidia vult Fazellus orta inter Maniacum & Monomachum ex odio, quod Romanus Sclerus exercebat cum Maniaco.

Gloria, Normannos compescit ab obsidione
Trani, quod solum tunc agmina græca fovebat
Confinesque locos desistit depopulari.
Nuncius interea qui venerat imperialis
Maxima dona ferens capitur miser à Maniaco,
Diversas pœnas adhibent & stercus equinum
Purgamento immixto naribus, auribus, ori
Hunc facit affligi graviter, stabuloque necari.
Ipse videns auri tantum se pondus habere
Extolli nimium cœpit, redit inde Tarentum:
Atque auri multum (quo plus sibi concilientur)
Erogat Argolicis, assumitur imperialis
Purpura, pes dexter decoratur *pelle rubenti*,
Qua solet imperii qui curam suscipit, uti.
Inde venit multo vallatus milite Barum,
Argiroum sperans promissis fallere posse:
Vt collega suus fieret contra Monomachi
Imperium, Gallos etiam sibi pacificare
Tentabat, quorum si posset habere juvamen,
Cedere posse suis sperabat viribus hostem:
Et Constantino facili diadema labore
Ablatum retinere sibi; quod sperat, inane est.
Nam neque Normannos nec eorum avertere mentem
Principis evaluit, contemptus at inde recessit.
Vnde furore gravi plenus, quia spretus, abibat,
Quatuor in partes diviso milite, mandat
Pergere prædatum; circumcursantibus ipsis,
Est hominum, pecorum pars maxima ducta *Tarento*.
A Constantino sub eodem tempore missis
Argirous multis auri argentique talentis,
Normannos donans sibi postulat auxiliari,
Auxiliis horum Maniacus ut occidat hostis
Imperii sancti: Sic plurima promerituros
Hoste triumphato pro votis asserit illos.
Quam plures igitur Normannos non amor æris,
Sed ducis *Argiroi* Maniaco reddidit hostes.
Aversæ comites & jam cum pluribus ultro
Advenere suis *Tancredi filius*, horum
Maxima spes, aderat *Guilielmus* ad arma paratus
Hunc Drincanocto comitem comitante *Rodulpho*,
Qui post Ranulfi decessum præfuit urbi. (k)
Terrebat Danaos Guilielmi nobile nomen;
Is quia fortis erat, est *ferrea* dictus habere
Brachia (l), nam validas vires animumque gerebat.
Hujus *Robertus* frater fuit, ille ducatum
Qui post obtinuit, *Guiscardus* (m) *ad omnia prudens.*
Tantorum comitum comitatu fisus in hostem
Argirous properat *Tarani* Maniacus ad amnem
Venerat his inibi metatus castra diebus.
At non audito tantæ subsistere gentis
Prævalet adventu conclusus in urbe Tarenti.
Ad fluvium Galli veniunt: castrisque receptis
Græcorum vacuis loca pontis adusque propinquant.
Hunc utrinque maris circumvolat unda, sub altis
Rupibus objectis sic interciditur æquor,

Pon-

(k) Aversanæ.
(l) Guillielmus Ferrabrachius Tancredi filius.
(m) Guiscardi cognomen prudentem notat; wys/ est sapiens, wissen scire. Et editor Rothomagensis observat *Guisbard* suo tempore astutum vulgo significare. Ex Roberto Guiscardo & Rogerio Tancredi Altavillæ in Gallia filiis stirps Principum Normannorum in Italia propagata est.

Pontis ut auxilio transiri possit ad urbem,
Quæque viatori via nunc brevis esse videtur.
Longa videretur giranti littoris oras;
Namque mari septum majori parte Tarentum
Insula mox fieret, modicus nisi collis adesset.
Mœnibus inclusos pugnæ *Guilielmus* Achivos
Provocat, at nunquam dimissis mœnibus illi
Conseruere manus: non fluminis impetus ulli
Plus est quam tanti ducis hostibus hasta timori.
Sic incantator studiosus pro capienda
Aspide, multimoda conatur ut abstrahat arte
Visceribus terræ, quibus abdita tuta moratur
Auribus hic ne quid grave sentiat, obstruit unam,
Affixa cauda defigitur altera terræ.
Dissimulant Danai Gallos audire cientes
Ad pugnam, positisque seris remorantur in urbe.
Ad bellum postquam procedere nolle Pelasgos
Galli conspiciunt, & mœnibus in capiendis
Spem gravitas adimit, quia munitissimus urbis
Est situs, abscedunt. Post hæc remoratus in urbe
Per tempus modicum repetit *Maniacus* Hydrontum:
Rursus & *Argirous* nec non *Theodorus*, at iste
Milite cum multo, cum multis classibus ille,
Imperii jussu properare paratus in ipsum,
Hostilem quatiunt varia formidine mentem:
Et titubans animo, nunc huc, nunc fluctuat illuc:
Vrbe metu tandem nimio prodire coactus,
Rupibus incisis juxta maris alta locavit
Difficili sua castra loco: qua pervius ulli
Non aditus fieret scopulis hærere carinas
Impositas gradibus faciens, ut pacificato
Æquore transiret; quosdam, quos æquora credit
Perturbasse magis, cruciat, succendit & igni,
Nec dum sedatis tranquillo tempore prorsus
Fluctibus æquoreis, naveis petit & mare transit.
Transitus ille tamen, misero nil profuit illi,
Occurrente quidem Monomachi milite stratus
Occidit, & scelerum persolvit corpore pœnas.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT SECVNDVS.

ARgirous Latii dimoto finibus hoste,
Vadit Idrontinam multis comitatus ad urbem.
Traditur urbs illi, cives hoc principe gaudent.
Hinc Barum repetens Gallos permittit abire:
Illi *Guaymario* vadunt servire Salernum.
Guaymarius princeps, confisus viribus horum,
Hos secum Barum deducit & obsidet illud.
Imperat Argiroo sibi pareat urbe relicta,
Transeat ad Græcos; monitis parere monentis
Abnuit Argirous: confligere non tamen audens
Invalidus pugnæ se custodivit in urbe;
Depopulans agros & amœna novalia Bari,
Mœnia Guaymarius propriæ repedavit ad urbis.
Constantinus eo qui tempore jura regebat
Imperii, mandat, properet quantocius ad se
Argirous, jussis favet imperialibus, ille

Æquoris Adriaci transvectus fluctibus urbem
Appetit imperii placidus, qui præsidet urbi
Suscipit egressum magnis & honoribus illum.
Promovet interea populus, quem rexerat ipse;
Pars *comiti Petro*, pars est sociata *Drogoni*
Tancredi genito, modicq quia vixerat ejus
Tempore germanus, vir ferrea dictus habere
Brachia Guilielmus, cui vivere si licuisset,
Nemo Poëta suas posset depromere laudes.
Tanta fuit probitas animi, tam vivida virtus.
Vnfredum totus cum fratre Drogone tremebat
Italiæ populus, quamvis tunc temporis esset
Ditior his *Petrus consanguinitate propinquus*:
Edidit hic *Andrum* fabricavit & inde *Coretum*.
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.
Fama super comites alios excreverat hujus,
Sed comes *Vnfredus* cum fratre Drogone superbam
Deponunt mentem, quia dum certamen inire
His parat, infœlix fœlicia tempora pendens
Vincitur & capitur: curru fortuna rotato
Tancredi natos sublimes reddere cœpit:
Imperii rector scrutatur præmemoratus
Argiroum, Gallos depellere qualiter oris
Italiæ valeat, neque ut jam posse fugari
Comperit: Ergo alios molitus adire paratûs
Consilii, quia quos fortes ad arma, nec armis
Vincendos novit, promissis fallere sperat:
Audit enim, quia gens semper Normanica prona
Est ad avaritiam, plus, qui plus præbet, amatur.
Traditur Argiroo portanda pecunia multa,
Argenti multum, pretiosaque vestis & aurum,
Vt sic Normanni fallantur, & egredientes
Finibus Hesperiæ, propere mare transgrediantur:
Magna sub Imperii famulamine promerituri;
Imperat hic etiam, quod si transire negarent,
Hæc aliis, illis quæ danda fuère, darentur,
Opprimeret quorum gravis infestatio Gallos.
Paruit Argirous loca transit ad Appula, jussus
Francorum comites vocat, & se magna daturum
Munera promittit, si transgrediantur ad Argos,
Dimisso Latio, grave qui certamen habebant
Cum Persis, & eos jurans promittit ab illo
Qui regit imperium gratanter suscipiendos,
Et magnis opibus ditandos affore spondit.
Callida Græcorum promissio, calliditatem
Non latuit gentis Latium superare volentis,
Et dimissuros loca se non Appula dicunt,
Dum conquirantur, nisi forte potentior illis
Turba superveniens depellat & opprimat illos.
Vir *Leo* (o) mirificus hac tempestate regebat
Romanam sedem, tanti gens Appula Papæ
Audit ut adventum, varias deferre querelas
Cœpit & accusat diverso crimine Gallos:
Veris commiscens fallacia nuntia mittit
Argirous Papæ, precibusque frequentibus illum
Obsecrat, Italiam quod libertate carentem

Liberet

(o) Leo PP. nonus hujus nominis anno salutis 1049. pontificatum iniit. Antea Bruno vocabatur, & Tallensis Episcopus erat.

Liberet, ac populum discedere cogat iniquum:
Cujus pressa jugo pessundatur Appula tellus.
Hoc *Normannorum Drogo Gaymariusq; priores*
Tempore defuncti fuerant, à civibus alter
Et consanguineis occisus fraude (p) Salerni:
Alter ab indigenis, nimium quia credulus illis,
Pontilari cæsus (q): se gens rectore carentem
Gallica conqueritur. Papæ tamen obvia venit
Cum quantis equitum valuit peditumque catervis,
Advenisse quidam Latii cum milite multo
Audierant Papam, comitantibus hunc *Alemannis*
Innumeris & *Teutonicis*, ad bella paratum.
Normanni licet insignes fulgentibus armis,
Agminibus tantis visis obstare timentes
Legatos mittunt, qui pacis fœdera poscant:
Quique rogent Papam, placidus famulamen eorum
Suscipiat, sese Papæ parere paratos
Omnes testantur, non hunc offendere velle
Ac quæsitorum cognoscere munus ab ipso:
Si placet hunc dominum poscunt, sibi seque fideles.
Teutonici, quia cæsaries & forma decoros
Fecerat egregiè proceri corporis illos,
Corpora derident Normanica, quæ breviora
Esse videbantur, nec eorum nuntia curant.
Vtpote nec numero populi nec viribus æqui
Conveniunt Papam verbis animoque superbi:
Præcipe Normannis Italas dimittere terras
Abjectis armis, patriosque revisere fines.
Quod si noluerit, nec fœdera pacis ab ipsis
Suscipias, volumus, nec eorum nuntia cures.
Nondum sunt gladios experti Teutonicorum,
Intereant gladiis, aut compellantur abire,
Invitique solum, quod nolunt sponte, relinquant.
Papa licet tumidis varia ratione renitens,
Non animos gentis potuit sedare superbæ,
Spem dabat his Italiæ fex indignissima gentis,
Gens Marchana probis dignè reprobata Latinis.
Cum plures Itali magna virtute redundent,
His erat innatus pavor & fuga luxuriesque,
Teutonici populi non copia magna videtur.
Turbati redeunt Normanni pace negata
Atque Alemannorum responsa tumentia pandunt.
Tempus erat jam triticeis confine metendis
Frugibus, at virides nondum legere maniplos
Agricolæ, quos Francigenæ, quia pane carebant,
Igni torrebant & vescebantur adustis:
Talem degebant ob castra rebellia vitam,
Vndique Teutonicis famulantia nec sibi quidquam
Dantia, corporeæ vitæ quod postulat usus.
Frater defuncto qui fratre Drogone superstes
Extitit *Unfredus*, procerum de Francigenarum
Vnus habebatur majoribus, inde *Richardus*
Aversa paulo ante *comes delectus in urbe*,
Paulisperque suos fratres erat ante secutus
Robertus, qui magnanima virtute priores

Transcen-

(p) Guaimarus per seditionem à Melphitanis est interfectus.

(q) Drogo dum dominii ampliationi studet, dum Apuliæ urbes munit, Longobardorum & Apulorum insidiis ad Montolium oppidum, circumventus à Visone genere Apulo proditione occiditur.

Transcendit fratres, hic bello interfuit illi:
Cognomen *Guiscardus* erat, quia calliditatis
Non Cicero tantæ fuit aut versutus Vlisses.
Inter eos aderant *Petrus* & *Galterus* Amici
Insignis soboles, simul *Aureolanus*, *Vbertus*
Muscaq, *Ranialdus*, *comes Hugo*, *comesq*, *Girardus*.
Hic Beneventanis prælatus, at hi Thelesinis
Hos *Bonianensis comitis* comitata *Rodulfi*
Est virtus & consilio pollentis & armis.
Vix proceres istos equites ter mille sequuntur,
Et pauci pedites, triduo quia panis egentes
Arma petunt, cuncti magis, ut moriantur honestè
Bellando, cupiunt, quam corpora tanta virorum
Opprimat esuries inhonestæ funere mortis.
Gens Alemannorum stipata satellite multo,
Longobardorum frustra confisa fugacis
Auxilio turbæ Normannos terga daturos
Credebat primis conflictibus, aut perimendos
At non in numero, nec equis, nec gente, nec armis,
Sed cui de cœlo datur, est victoria belli.
Inter Teutonicos Normannorumque catervas
Collis erat medius, gens innumerabilis illi
Appula, Balbensis, Campanica, Marsa, Thelensis
Venerat auxilio; *Guarnerus Teutonicorum*
Albertusq, Duces, non adduxère *Suevos*
Plus septingentos, *hac gens animosa feroces*
Fert animos, sed equos adeo non ducere cauta,
Ictibus illorum, quàm lancea, plus valet ensis:
Nam nec equus doctè manibus giratur eorum,
Nec validos ictus dat lancea, præminet ensis,
Sunt etenim longi specialiter & peracuti
Illorum gladii, percussum à vertice corpus
Scindere sæpe solent, & firmo stant pede, postquam
Deponuntur equis, potius certando perire,
Quam dare terga volunt, magis hoc sunt Marte timendi,
Quam dum sunt equites: tanta est audacia gentis,
Italiæ populo, qui se sociaverat illis.
Germani comites præsunt Transmundus & ATTO,
Et *Burrellina generata propagine proles*.
Hi simul ad bellum properant campique marini
Accola Maldrefiis Molinensisque *Rodulfi*
Rofredus socer: hujus Castrum *Guardia* nomen
Et plures alii, quorum non nomina novi.
Huc quoque Romani, Samnites, & *Capuani*
Auxilium mittunt, nec opes *Ancona* negavit.
Huc *Spoletini*, simul accessere *Sabini*,
Huc quoque *Firmani*: non evalet enumerari
Carminibus nostris, quam multus venerit hostis,
Francigenæ gentis nomen delere laborans.
Hi cum Teutonicis ad ripam fluminis omnes
Nomine Fertorii tentoria fixa locarant,
Proxima nomen habens erat urbs à civibus ipsis.
Postquam Normanni pacisque, fugæque negatam
Spem sibi cognoscunt, nil quo fugiatur habentes
Collem conscendunt, ut castra hostilia spectent.
Spectatis castris, armantur & agmine dextro
Aversanorum comitem statuere *Richardum*,
Qui Longobardos adeat: prior hunc comitatur
Clara cohors equitum, mediæque cohortis agendæ

Vnfredus contra fortes ad bella Suevos
Eligitur ductor: cornu servare sinistrum
Robertus frater Calabrâ cum gente jubetur,
Vt succurrendum cum viderit esse, paratus
Auxilio properet sociis, viresque reformet.
Teutonici dextrum contra duo cornua cornu
Armarant: Itali simul omnes conglomerati,
Parte alia stabant: etenim certamine belli
Non aptare suas acies recto ordine norant.
Hos contra cepit prior arma movere *Richardus*,
Et petit audacter: non sustinuêre petentem
Viribus aversis Itali, tremor arripit omnes,
Inque fugam versi per plana, per ardua, cursim
Diffugiunt, multos cogit succumbere stratos
Impetus ipse fugæ, jaculis cæduntur & ense:
Qualiter aërias, ubi convenêre palumbes,
Dum petit accipiter fugitivo summa volatu
Et scopulosa facit celsi juga quærere montis,
Quas tamen ipse capit, non possunt amplius ullum
Quærere confugium: Sic dantes terga, *Richardus*,
Diffugiunt Itali, sed quos capit ipse, vel ipsi
Hærentes socii, fuga nil juvat: occidit illuc
Plurima gens Latii bello, pars maxima fugit:
Vnfredi contra non segnis ad arma Suevi
Bella parant aciem, telis hostilibus ipse
Rursus & appetitur: tandem concurrit uterque
Ad gladios populus, mirabilis ictus utrinque
Fit gladiis, illic humanum à vertice corpus
Vidisses, & equos hominis cum corpore cæsos:
Postquam Robertus fratri tam conspicit hostes
Acriter instantes, & ei nullatenus ullo
Cedere velle modo, comitis comitante Girardi
Præditus auxilio, Calabrisque sequentibus illum
Quos conducendi fuerat sibi tradita cura,
Irruit audacter medios animosus in hostes;
Cuspide perforat hos, gladio detruncat & illos;
Et validis manibus horrendos incutit ictus,
Pugnat utraque manu nec lancea cassa, nec ensis
Cassus erat, quocunque manum deducere vellet;
Ter dejectus equo, ter viribus ipse resumptis
Major in arma redit, stimulos furor ipse ministrat:
Vt leo cum frendens animalia forte minora
Acriter invadit, si quid reperire, quod obstet,
Cœperit, insanit: magis & majoribus ira
Accensa stimulat, nil jam dimittit inultum:
Hoc trahit, hoc mandit, quod mandi posse negatur,
Dissipat affligens pecus exitialiter omne:
Taliter obstantes diversa cæde Suevos
Cædere non cessat Rodbertus, & hos pede truncat
Et manibus quosdam, caput huic cum corpore cædit,
Illius ventrem cum pectore dissecat, hujus
Transadigit costas abscisso vertice, magna
Corpora corporibus truncata minoribus æquat,
Virtutisque docet palmam non afore tantum
Corporibus magnis, qua sæpe minora redundant:
Nullus in hoc bello, sicut post bella probatum est,
Victor vel victus tam magnos edidit ictus,
Patrata rediens ingenti cæde Richardus
Ausoniæ gentis, cujus pars altera fugit,

Altera pars gladiis & cuspide cæsa remansit.
Dum sic Teutonicos sociis obstare videret.
Proh dolor! exclamat, quam credebamus adesse,
Finito bello, nondum victoria finem
Obtinet, & medios ruit incunctanter in hostes.
Hi, quia spes jam nulla fugæ spes nulla salutis,
Acrius obsistunt, sed nil obsistere prodest:
Tot circumveniunt acies præclara Richardi
Addita victoris magnæ fit caussa ruinæ
Hostibus, & miseri diversis interimuntur
Cædibus, & tanta superest de gente nec unus.
Exitus hic belli Papam mœroribus implet,
Afflictusque gravi luctu confugit ad urbem,
Sed cives Papam non excepêre decenter,
Normannis veriti grave ne victoribus esset:
Hunc genibus flexis Normanica gens veneratur
Deposcens veniam, curvatos Papa benignè
Suscipit, oscula dant pedibus communiter omnes.
Vocibus ille piis hos admonet, ac benedicit,
Conquestusque nimìs, quia pacis spreta fuêre
Nuntia, defunctis lachrymans pro fratribus orat.
Audito tantæ successu prosperitatis
Normannis habitæ, non sollicitudine parva
Angitur *Argirous*; nec enim vel fraude, vel armis
Posse sibi peragi videt Imperialia jussa,
Vt Francos Latio moveat, vel cogat abire.
Copia tanta quidem, quibus hi non marte repugnent,
Non erat Argiroo, nec eos promissa movere,
Vt fines alios peterent, vel dona valebant.
Hoc meditans Bari dimissa transfretat urbe.
Ad dominum rediit, populi responsa ferocis
Ordine cuncta refert, & belli gesta recentis
Contra Teutonicos: Jam Constantinus amare
Desinit Argiroum, nec (ut ante solebat haberi)
Est jam consilii comes intimus imperialis.
Exilium passus, longo post tempore vitam
Degit in ærumnis, & corporis anxietate
Vexatus misere vitam finisse refertur.
Crescit Normannis animus victoribus ingens,
Jamque rebellis eis urbs Appula nulla remansit.
Omnes se dedunt aut vectigalia solvunt,
Tunc *comes Vnfredus* fraterni funeris ultor
Funesto cunctos, fuerant qui participati
Consilio punit, hos truncat, perfodit illos,
Multos suspendit, memorata morte *Dragonis*
Parcere vult nulli, jacet alto pectore fixus
Fraternæ mortis succensus fomite major.
Omnibus horrendus multas sibi subdidit urbes,
Solvere Trojani Comiti cœpêre tributum.
Hunc & *Barini*, *Tranenses* & *Venusini*,
Cives *Hydronti* famulantur & urbs *Aceronti*
Roberto fratri Calabras acquirere terras
Concedit juvenis, patiens erat iste laboris,
Vir prudens & habens ad quæque negotia promptas
Exercenda manus. Robertus & ingeniosus
Semper celsa petens, & laudis amans & honoris.
Si contingebat sibi palma vel arte vel armis
Æquè ducebat, quia quod violentia sæpe
Non explere potest, explet versutia mentis.

Clarus

Clarus in eloquio dabat hic responsa repente
Optima, consultus si quis quærebat ab illo
Consilium, sapienter ei dare noverat illud.
Hic sibi concesso Calabrorum munere gaudet,
Secum nonnullos equites collegerat ante,
Qua poterat, sed præcipue regionibus illis
Multiplicem prædam peragens, quas frater habebat.
Quodque capi poterat, dum dividit omnibus æque,
Omnes sunt chari sibi, charus & omnibus ipse:
Captus ab Vnfredo secum prandente, volebat
In fratrem gladio consurgere, sed *Gocelinus*
Comprensum manibus tenuit, custodibus inde
Traditur, & multa non tempestate retentum
Dimisit frater, Calabræ regionis & urbes
Castraque concessit, equitum suffragia præbens:
Ille capessundæ cupidus telluris, amorem
Omnibus ostentat, non plus affabilis illo
Aut humilis quisquam studuit dominator haberi:
Vndique gens clarum Normannica nomen habebat,
At non experti virtutem, nominis hujus
Terrentur Calabri tanta feritate repleti:
Ad ducis ingressum Robertus milite fultus
Non modico, prædas, incendia jussit ubique
Terrarum fieri, quos appetit & spoliari:
Quodque metum incutiat cultoribus, omne patrari
Militibus remorans dimi[illegible] fratris abire
Non multo Calabros sed atroci milite vexat.
Qui cum discedens huc predabundus & illuc
Non aliquod castrum posset captare vel urbem,
Arte locum quendam molitur adire, sed ejus
Difficilis conscensus erat, quia plurimus hujus
Accola grex habitans, etiam monasticus illic
Non alienigenam quemvis intrare sinebant:
Vtile figmentum versutus adinvenit, atque
Mandat deffunctum quod quemlibet esse suorum
Gens sua testetur, qui cum, quasi mortuus esset,
Impositus feretro, pannusque obducere cera
Illitus hunc facie jussus latitante fuisset,
Vt Normannorum velare cadavera mos est.
Conduntur feretro sub tergo corporis enses.
Ad monasterii subhumandum limina corpus
Fertur, & ignaros fraudis quos fallere vivi
Non poterant homines, defuncti fictio fallit:
Dumque videretur simplex modus exequiarum,
Erigitur subito, qui credebatur humandus:
Evaginatis comitantes ensibus illum
Invasere loci deceptos arte colonos.
Quid facerent stolidi nec se deffendere possunt,
Quo fugiant nec habent, omnes capiuntur: & illic
Præsidium castri primum, *Roberte*, locasti;
Non monasterii tamen est eversio facta,
Non extirpatus grex est Monasticus inde.
Agmina magna legens castro *Robertus* in illo,
Charior esse suis cœpit, quia strenuus armis
Consilioque sagax *comes* hac regione vocatus
Est, & ab his habitus, præsertim quos comitati
Sunt equites aliquot, *Torstenus* dicitur unus,
Alter *Arenga*, valensque gerenda ad bella *Rogerus*:
Hic sibi concessæ quædam dedit oppida terræ

Appulus hoc *princeps* infirmans tempore mandat
Vnfredus fratri veniat velociter ad se.
Robertus properat, fratrem dum conspicit ægrum
Compatiens plorat, solatia magna dat ægro
Adventus fratris, deposcit & advenientem,
Rectorterrarum sit eo moriente suarum,
Et *geniti tutor puerilis* quem vetat ætas
Rectorem fieri, frater favet anxius illi;
Et se facturum, quæ præcipit, omnia dicit.
Non infirma valens jam reddere membra saluti
Interit Vnfredus, (u) lachrymans Appulia tota.
Flet patris interitum: patriæ pater ille benignus
Hanc placide rexit, vitam decoravit honestas:
Non studuit populum vexare tyrannide dira,
Justiciamque colens quam lædere, parcere multis
Maluit offensis: *fratres prope præmemoratos*
Est monasterii Venusini sede sepultus.
Funeris obsequiis, Robertus rite peractis.
Ad Calabros rediit, *Cariati* protinus urbem
Obsidet, hac capta reliquas ut terreat urbes.
Interea *Papæ Nicolai* forte *secundi*
Comperit adventum, dimittitur obsidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum.
Melfia suscipit hunc, & ibi susceptus honore
Magno Papa fuit: hic ecclesiastica propter
Ad partes illas tractanda negotia venit:
Namque *Sacerdotes*, *Levitæ*, *clericus omnis*
Hac regione palam se conjugio sociabant:
Concilium celebrans ibi Papa faventibus illi
Præsulibus centum jus ad Synodale vocatis
Ferre sacerdotes monet, altarisque ministros
Arma pudicitiæ vocat, hos & præcipit esse
Ecclesiæ sponsos, quia non est jure sacerdos
Luxuriæ cultor: Sic extirpavit ab illis
Partibus uxores omnino Presbiterorum,
Spretores minitans anathemate percutiendos.
Finita Synodo, *multorum Papa rogatu*
Robertum donat Nicolaus honore ducali.
Hic Comitum solus concesso jure ducatus
Est *Papæ factus jurando jure fidelis.*
Vnde sibi Calaber concessus & Appulus omnis
Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.
Romam Papa redit, cum magno *Dux* equitatu
Obsessum repetit *Cariatum*, quo sibi fida
Maxima pars equitum dimissa remanserat ante
Gens Cariatensis, duce perturbata reverso,
Non obstare valens, illi se dedit, & urbem;
Prima ducem vocat hunc gens ista, ducemque salutat:
Partibus in Calabris hinc ad loca cætera transit.
Tunc *Rossana* potens, *Cossentia* fortis in armis,
Tum quoque dives apum *Geracia* subditur illi,
Et subjecta illi fit pene Calabria tota:
Cumque potentatus cœpisset crescere nomen
Virtutisque suæ, legatos mittere cœpit,
Qui sua deferrent generoso verba *Gisulpho*
Guaymarii genito, *germana nobile poscens*
Conjugium, quia conjugio tunc ipse carebat,

Prima

(u) Vnfredi obitus circiter annum salut. 1052.

Prima conjuge (a) *pro conſanguinitate repulſa*,
De qua natus erat Buamundus ſtrenua proles,
Inſignis nimia virtute potensque futurus.
Primo Roberti ſprevit mandata Giſulphus,
Non quod majori poſſet vel nobiliori
Conſociare viro Germanam, ſed quia Galli
Eſſe videbantur gens effera, barbara, dira,
Mentis inhumanæ, primoque (b) repulſio facta
Conjugis, alterius producit tempora dandæ.
Aſſentit tandem princeps, natuque priorem
Tradit in uxorem tibi, *dux Roberte*, ſororem.
Gatelerina minor, hæc *Sichelgata* (c) vocatur,
Nupſit Jordani poſt *Gatelerina nepoti*,
Qui *Capuæ princeps* utriusque ducisque, patrisque
Virtutes animi virtutibus æquiparavit,
Conjugio ducto tam magnæ nobilitatis,
Augeri cœpit Roberti nobile nomen:
Et gens quæ quondam ſervire coacta ſolebat
Obſequio ſolum jam debita juris aviti,
Nam proavis & avis ſubjectam conjugis hujus
Noverat Italiam gens Longobarda fuiſſe.
Dedit hæc *pueros* ſibi *tres*, & *quinque puellas*
Egregiam ſobolem ſexus utriusque futuram.
Gloria Roberti, quæ tanta augmenta ſubire
Cœperat, invidiam, laus unde adhibenda fuiſſet,
Non modicam acquirit, quia dum virtutibus ejus
Invidere viri, Comites à plebe vocati
Qui numero bis ſex fuerant communiter illum
Morti tradendum conjuravère doloſe:
Tempus ad hoc aptum fieri cum forte viderent:
Horum *Goffridus*, *Gocelinus*, & *Abagelardus*,
Filius Unfredi, ſibi jura paterna repoſcens
Præcipui fuerant actores conſiliorum.
Dux igitur poſtquam ſibi conjuratio nota
Facta fuit Comitum, bellum molitur, in omnes
Acriter exarſit, capit hos, & projicit illos,
Afflixit variis quorundam corpora pœnis:
Iratum metuens fugit Gocelinus ad Argos,
Peluſii montis caſtrum pavefactus adire.
Goffridus properat *Dux*, quod non evalet armis
Arte capit caſtrum, promiſſis decipit hujus
Cuſtodem caſtri Godefridum, dans ſibi quædam
Pluraque pollicitus caſtrumque valentius ipſo.
Peluſii montis Dominatio non Godefridi
Ex toto fuerat, mediam conceſſerat illi
Goffridus partem, ſed Dux quia nobilioris
Caſtelli totum promiſerat huic dominatum,
Scilicet *Ojani*, ſolus cupiens dominari
Mandat Roberto deſiſtat ab obſidione
Diſſimulans reditum: ſed mox ut novit abeſſe
Goffredum, redeat caſtrum ſecurus & intret
Clavibus acceptis, Ojanum confert illi,
Hac illi caſtrum Godefredus tradidit arte:
Accipit Ojanum, ſed quis poſt crederet illi?
Traditor eſt Latii populo vocitatus ab omni:
Sic ducis aſtuti prudentia, quod ſuperare
Non armis potuit, ſuperavit ſœpius arte.

(a) Cujus nomen Abderada erat. (b) *Primaq.* (c) Aliis *Sengregaita*.

Hostibus edomitis & captis undique castris
Contra Barensem populum parat obsidionem.
Appula nulla erat urbs, quam non opulentia Bari
Vinceret, hanc opibus ditatam robore plenam
Obsidet, ut victis tantæ primatibus urbis,
Nondum subjectas repleat terrore minores.
Vrbibus illa quidem quas continet Appula tellus,
Major habebatur, dux munit milite castra,
Atque replet Calabris advectis navibus æquor.
Imperii sancti cives suffragia poscunt,
Qui conjurati fuerant cum civibus illuc
Legatos mittunt, simul imperiale juvamen
Omnes deposcunt, dux mandat civibus ædes
Argiroi sibi dent, quas noverat editiores
Contiguis domibus, quas sic conscendit adeptus,
Vrbem Robertus totam sibi subdere sperat.
Barenses austera Duci responsa dederunt.
Ille repugnantes oppugnat fortiter urbis
Indigenas validos non ad certamina segnes.
Ad portarum aditus Crates prudenter adorsus,
Sub quibus armatos obstantibus insidiantes
Ordinat, & turrim fabricat, quæ lignea muris
Prominet, ac juxta de quaque petraria (*) parte
Ponit, & adjuncto muros quo evertere possit
Diversi generis tormento, nec minus urbem
Cives defendunt, non inter mœnia clausi
Cum duce pugnantes adstant pro mœnibus urbis,
Hos pugnando fugant, prosternunt ictibus illos,
Vt mos est belli: fugat hostis & hoste fugatur:
Et petit & petitur repetens ferit & referitur,
Vt duo cum certant productis dentibus apri
Alter ab alterius profunditur ore saliva
Dentes exacuens, ut acutos inferat ictus,
Ictibus & validis feriunt sua terga vicissim,
Nunc pede, nunc costis læduntur, uterque resistit
Acriter, & neuter vult cedere, saucia donec
Membra fatigatum fusis clamoribus aprum
Velle subire fugam doceat victusque recedat.
Acriter insistunt Normanni, nec minus acres
Obsistunt cives, diversaque machina muris
Additur, eversis ut mœnibus urbis apertæ
Normannis aditus pateat, quem clausa negabat
Vndique septa mari, quod non est insula, terræ
Exiguæ diodus: Ex hac tentoria parte
Fixa ducis fuerant: objectis molibus æquor
Parte replens alia naves prodire vetabat
Barinas, portumq; suis pontemque paravit,
Atque super pontem posito munimine terris
Vrbanis nusquam prodire licebat ab urbe,
Tutaque servabat classis Normanica portum.
At cives turrim capiunt, & maxima pontis
Æquorei cecidit pars, evertentibus illis;
Vrbem Barenses terraque marique tuentur.
Post ubi Robertus desperat mœnia Bari
Posse capi pugna, cœpit promittere multa
Nobilibus patriæ, quorum pollebat in urbe
Nobilitas potius, quorumque potentia major.

Et

(*) Petraria tormenti genus.

Et sic collectis majoribus, alliciendos
Promissis credit fore muneribusque minores
Sæpe minas faciens ut civibus incuteretur
Terror, & omnimodis pro deditione laborat
Vrbis, cujus erat capiendæ magna libido.
Venturum auxilio *Gocelinum* fama ferebat,
Multis imperii cum navibus ad capiendum
Exploratores posuit dux callidus, illum.
Prætor erat *Stephanus* Barensibus imperiali
Traditus edicto, cognomen cui *Pateranus*, (d)
Vir probus, & largus, studio laudabilis omni,
Præter quod tanti studuit ducis edere mortem.
Miles erat Bari, cui dedecus à duce quondam
Illatum fuerat grave, partibus ex alienis
Promptus ad omne malum, levis, iracundus, & audax:
Castra ducis Stephanus monet hunc solerter adire,
Incautumque ducem nocturno tempore, morti
Tradere lethiferi percussum cuspide conti,
Pollicitus multum, si dux occumberet, auri:
Dedecoris memor illati, cupidusque lucrandi
Miles abit noctu, circumspicit undique castra,
Nil obstare videt, Roberti pervenit usque
Ad ducis hospitium, quod culmo texerat ipse,
Frondibus & sepsit, fieret quo frigore tutus
Temporis hyberni: cœnatum vespere facto
Venerat, explorat ducis ille sedile sedentis
Ad cœnam, mediis & contum frondibus illam
Intulit in partem qua sederat ille, sed ori
Flegmatis ubertas superaddita fecerat illum
Sub mensa curare caput, locus unde repertus
Est conto vacuus, cassos & protulit ictus;
Ille redit fugiens, it totam fama per urbem
Occubuisse ducem, cives lætantur & omnes,
Congaudens populus clamorem tollit ad astra:
Hi dum clamarent, dux advenit, atque salutis
Ipse suæ testis, clamores fundere frustra
Civibus exclamat: Clamantis vocibus hujus
Auditis, clamor cessavit, lætitiæque
Finis verborum datus est cum fine suorum.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS. INCIPIT TERTIVS.

INterea *Michael* (e) Romani jura regebat
Imperii *cum fratre suo*, qui nomine dictus
Constantinus (f) erat, quorum dominatio Græcis
Pernitiosa fuit, quia bellis otia semper
Postpositis studuère sequi, luxusque dolosi
Illecebris captos fœdarat inertia turpis.
Horum temporibus Turcos orientis ab oris
Ingressos fugit gens territa Christicolarum,
Qui Romaniæ loca delitiosa colebant.

Maxima

(d) Stephanus Pateranus, quem alii *Sebastoforum* appellant.

(e) Michael Senior Constantinopolitanus Imperator 1058. Et eo Imperium abdicante Isaacius Commenus obtinuit.

(f) Constantinus Ducas Const. Imp. anno salutis 1063. ann. 7. regnavit. Huic Eudochia tres liberos peperit, Michaelem, Andronicum & Constantinum successores; qui Michael & Constantinus hic intelliguntur ab autore.

Maxima pars horum ruit interfecta nefandis
Turcorum gladiis, & captis urbibus, omnis
Subditus his populus dans vectigalia fugit:
Hos contra nullos equites ignavia misit
Rectorum, quare decreto nupta Senatus
Est equiti egregio *Romano* mater eorum: (g)
Pectus amans plus quam genus Eudochia mariti,
Diogenes cognomen erat, quia barba bifurcis.
Is regimen subiens sibi quæque negotia belli,
Ocia privignis, elegit inire paratus
Cum Persis bellum miseros populantibus Argos:
Est belli variis eventibus usus in illos.
Sæpe quidem victor Persas bellando fugavit,
Sæpe pari populus fortuna pugnat uterque.
Postremo comites dum dirigit ipse tuendis
Vrbibus innumeros, quarum famulatus ad ipsum
Transierat fama probitatis ubique probatæ,
Castris cum paucis melioribus ipse remansit.
Multus Persarum populus cum rege repente
Illum conclusit, disrumpere castra laborans:
Prælia committunt immania, dum capiendis
Imperii castris inhiant, primo atque secundo
Depulsi cedunt bello: prudentia tandem
Anxia Romani desperans castra tueri;
Quam sibi plus hominum vitæ studiosa suorum,
Quos graviter fessos belloque fameque videbat,
Præcipit, ut quicquid castris inerat solidorum,
Omnis vestitus pretiosus, & omnia vasa
Auri aut argenti, castris spargenda ferantur:
Vt si contigerit Turcis irrumpere castra
Horum prospectu desistant lædere Græcos.
Invità profugis collecta pecunia servis,
Insomnem Danai coguntur ducere noctem:
Adveniente die venit innumerabilis ille
Persarum populus, circumdans undique castra:
Vndique tela volant, circumtegit aëra totum
Grando sagittarum: non fere valentibus Argis,
Irrumpunt Turci, munitio rumpitur omnis.
Sed plures prædæ quam militibus feriendis
Intenti Persæ faciunt evadere multos
Indiciis Aquilæ (quod plus dabat omnibus armis
Aurea conspicuum lorice innixa nitorem)
Græcorum dominus cognoscitur, ense recidens
Hostiles hastas, neque se deffendere cessans.
Forte sagitta volans incauti sauciat artus:
Sic tandem capitur quadam cum parte suorum.
Direptis castris Romanum Persica ducit
Ad sua castra phalanx, & eum statuere sedili
Egregio, juxta Persarum rege sedente.
Rex percontatur, si forte fuisset ab illo
Captus, quid faceret: Romanus retulit illi
Si mihi sive meis ita subjicerére, juberem,
Vel truncare caput, vel te suspendere furcis,
Ille refert facinus nunquam sibi tale patrandum:
Sed secum posthac fruiturum pace perenni,
Quam per legatos jam sæpe poposcerat ipse,
Et baptizatam natam pro conjuge natam

Se

(g) Eudochia una cum liberis imperavit anno salutis 1070. mens. 7.

Se concessurum, quo, sic pax firmior esset.
Fœderibus tali firmatis conditione
Ad sua Romanum dans maxima dona remisit
Persarum rector, captos & reddidit omnes
Longo terrarum spatio comitatus euntes
Duxit honorificè, ductum permisit abire.
Sed non privignis firmatæ commoda pacis
Conditio placuit, minus ad tutanda peritis
Agmina Græcorum, nec enim decernitur ultra
Arcis ad augustæ Romanus jura redire.
Hos ubi Diogenes factos sibi comperit hostes,
Auxilio fisus Persarum tentat in illos
Civilis belli varios agitare paratus:
Privigni se non obsistere posse videntes,
Illum conantur seducere pace dolosa:
Ignari fraudis portantes nuncia pacis,
Bis sex Pontifices mittuntur cum Gocelino,
Cujus Romanus toties expertus amorem,
Non dubitabat ei se credere sicut amico.
Credit Romanus pastoribus & Gocelino,
Securus factus jurando jure, fideque,
Vt petit ipse data, misero placet imperialis
Incassum reditus, quia mox ubi pervenit ille
Heracleam, capitur: privatur lumine captus,
Cujus & Imperii fuerat tam nobile nomen,
Monachus efficitur: Securi jam duo fratres
Regni tranquillis agitant moderamen habenis.
Non tamen omnino sua restat inulta tyrannis,
Namque sibi socios Romani filius addens
Armenios, Persas, terras Orientis, eorum
Subtrahit imperio ferro populatus & igni.
Tempore Persarum gens perfida cœpit ab illo
In Romaniam consurgere cæde, rapinis,
Imperii nec adhuc redigi sub jura valeret,
Gens nisi Gallorum quæ gente potentior omni
Viribus armorum nutu stimulata superno
Hanc libertati superato redderet hoste,
Quæ spirante Deo sanctas aperire sepulchri
Est animata vias longo jam tempore clausas.
Consiliis quorum fuit excæcatio tanti
Perpetrata viri, miseri capiuntur, & aula
Depulsi meritas coguntur solvere pœnas:
Hi quibus insontem puniri consuluerunt
Puniri sontes vario cruciamine mandant.
Nuncius imperio Bari legatus ad urbem
Suplicat, ut miseris jam civibus auxilietur
Piratis aptæ naves ex more parantur,
In quibus efferri frumenta jubentur & arma:
Classe quibus tuta transiri possit ad urbem.
Nautarumque metus pellatur & urbis egestas.
Navibus his jussu proponitur imperiali
Quem ducis Italia timor expulerat *Gocelinus*,
Exosus fuerat, quia conjuratus in ipsum
Navibus armatis celer advenit, ut tremebundos
Hortetur cives, & erat jam proximus urbi,
Ingressum sperans nocturno tempore tutum:
Cum subito Danaûm classi venit obvia *classis*
Roberti, cujus reparare advenerat hostes
Nocte ducis pugnam. Naves iniêre libenter

Esse sibi levius loca cognoscentibus illis
Certamen gravius, minimè quia gnara locorum
Gens erat illa rate: multo superata labore
Postremo capitur Gocelini navis, & ipse
Ante ducem captus deducitur: Altera navis
Mersa fuit Danaum, vix evasere sequentes.
Gens Normannorum navalis nescia belli,
Hactenus ut victrix rediit, spem principis auget:
Sensit enim Danaos non tantum civibus urbis
Præsidii ratibus vexisse quod obsidionem
Impediat, multum simul & novitate triumphi
Æquorei gaudet: Securius unde subire
Jam cum Normannis navalia prælia sperat.
Inclusus longo Gocelinus carcere degens
Vitam infelicem, vitæ cum fine laborum
Excepit finem, diversa pericula passus.
Tertius obsessa jam venerat annus ab urbe
Multiplici tandem superatur fessa labore.
Plus tamen esurie, tunc *Argiritius* urbis
Primus habebatur, quem Dux ubi deditionem
Vrbis inire facit, reliquos non ardua cives
Vincere pœna fuit: majores namque minorum
Ad quam corda volunt partem deflectere possunt.
Civibus exhibuit placidum Robertus amorem,
Et quia dilectos sibi quos allexerat omnes
Semper habebat, erat dilectus ab omnibus ipse:
Plurima quæ fuerant vel vi subtracta vel astu,
Reddidit urbanis dux agros, prædia, fundos,
Perdita restituit: nil civibus intulit ipse:
Nil alios permisit eis inferre molestum.
Et circumpositis solitos deferre tributum
Normannis donat jam libertate quieta,
Canitiem Stephani (i) tractare misertus, ut hostis
Noluit, imo suæ, de qua tractaverat ille
Oblitus cædis, studet hunc tractare benigne.
Cum Baro captum multis mirantibus Argis
Hunc impunitum custodia libera servat:
Perque dies aliquot hac victor in urbe moratus
Mandat cum sumptu Barensibus arma parari:
Vt properent secum quo se properare videbunt.
Hos cum gente sua *Reginam* ducit *ad urbem*:
Piscem fama refert à littore non procul esse.
Fluctibus Adriacis horrendo corpore magnum
Forma incredibili, qualem non viderat ante
Italiæ populus: quem verni temporis aura
Propter aquas dulces properare coëgerat illuc.
Per varias artes ducis hunc prudentia cepit,
Qui cum delabens in retia funiculosa
Retibus innexo cuncto cum pondere ferri
Ille maris mersus mersis sed ad usque profundum
A nautis tandem vario jam culmine cæsus,
Littore vix tractus populo spectabile monstrum
Cernitur, inde ducis jussu per frusta secatur:
Vnde sibi atque suis longus datur usus edendi,
Et populo Calabris quicunque manebat in oris,
Hoc etiam passim gens Appula participatur
Os spinæ sectum palmorum quatuor orbe

Mensu-

(i) Pateranis de quo supra.

Mensuram obtinuit: Paulo post inde moratus
Dux ibi Robertus Reginam tendit ad urbem:
Dumque moratur ibi, Pons est quia conditus unus
Pons modo *Guiscardi* totus locus ille vocatur.
Actu Barenses hujus præcepta secuti
Quæque paranda parat Reginæ mœnibus urbis.
Dux ibi militibus sumptis, ratibusque paratis
Transvehitur Siculum multis comitantibus æquor:
Quod licet angustum tamen est grave prætereundum:
Scilla, Caribdis ibi diversa pericula præbent:
Vna rotat naves, illidit & altera saxis.
Partibus in Siculis conserta juvamina fratris
Jam conquisitis ex magna parte Rogeri
Spem ducis accumulant: Erat hac ætate *Rogerus*
Non virtute minor, nullus de fratribus ejus
Quamlibet egregius iniit tam nobile bellum: (n)
Nam contra Siculos Divini nominis hostes
Semper pugnavit, sanctam qua vivimus omnes
Exaltare fidem cupiens, operamque juventus
Hanc sua præcipuè coluit, dum digna quietis
Caussa suæ fieret Siculæ subjectio gentis.
Hoc sibi dux socio confisus & agmine multo
Secum deducto non obsidione *Panormum*
Vincere desperat, Siculis quam nobiliorem
Vrbibus audierat. *Roberti* milite multo
Vrbs vallata pavet, muros turresque reformant,
Arma virosque parant, detecta foramina claudunt,
Ponitur & vigilum custodia crebra per urbem.
Dux jubet armatos equites accedere portis
Vt sic inclusos ad pugnam provocet hostes:
Omne, quod incutiat pœnam pariterque laborem
Civibus inferri versuta potentia mandat.
Procedunt portis Siculi non stare ferentes.
Egressique foras audaci mente repugnant:
Verum Normannos nequeunt tolerare feroces.
Cultores Christi, dum gens Agarena resistit,
Non perferre valet: fugiunt, nostrique sequuntur,
Multos prosternunt gladiis, & cuspide multos,
Mœnibus è summis volat undique missile telum.
Saxaque cum pilis jacientia lædere tentant
Corpora nostrorum, nostri vi mœnibus urbis
Hos impellentes, læti sua castra requirunt.
Inde Panormenses Affros accire laborant
Auxilio, quorum sibi viribus associatis
Quod non sunt ausi terra committere bellum,
Commisêre mari; bellantibus hoc elementum
Commodius credunt: Instructis ergo carinis
Exigit ut belli navalis rite paratus
Proque repellendis saxorum vel jaculorum
Ictibus obtectis rubicundis undique Philtris,
Ad pugnam veniunt sub conditione virili,
Vt quo jure viri vel vivant vel moriantur,
Mandat Normannis, Calabris, Barensibus, Argis
Dux à se captis muniri corpore Christi:
Quo jubet accepto cum sanguine bella subire.
Tali tuta cibo procedit turba fidelis,

(n) Rogerus Bossus ex filiis Tancredi minor in Siciliam à Messanensibus evocatus Saracenos ad Messanam bis fudit & superavit & tandem eam cepit.

Navibus aptatis quo prævaluere paratus;
Perfida gens totum litus sonituque tubarum,
Magnarumque replet vocum clamoribus æquor,
Christicolæ contra suffragia sola petentes
Principis æterni, cujus sunt carne refecti,
Nullo terrentur clangore, sed acriter illis
Obstant, & feriunt, quassantque viriliter hostes:
Principio naves Affræ Siculæque resistunt:
Nutu divino tandem cessère coactæ,
Cumque fugam peterent, aliquot capiuntur earum;
Quædam submersæ pereunt, pleræque frequenti
Remorum ductu vix evasere fugaces,
Dum portum subeunt, mox opposuere catenas,
Cum quibus æquoreos aditus prohibere solebant:
His etiam fractis quasdam de navibus horum
Christicolæ capiunt, flammis plerasque perurunt:
Dat validas animo ducis hæc victoria vires:
Hinc pervadendam solers intentus ad urbem
Molitur variis conatibus, ut capiatur:
Muniri pedites fundis facit atque sagittis,
Armatos equites secum procedere jussit.
Accedunt muro pedites, & mœnia saxis
Ac telis quatiunt: egressus iniquus ab urbe
Obstat eis populus, quem non perferre valentes
Diffugiunt pedites, quos Dux ut cedere vidit
Diffusos campis, legiones, protinus omnes
Bella dato signo monet incunctanter adire,
Voce manuque suos sicut dux strenuus hortans:
Paulisper Siculi commixto marte morati,
Ad ducis aspectum tremefacti terga dederunt:
Dux ferit, atque suos hortatur terga ferire
Perversæ gentis, nec cædere desinit hostes
Adversæ portas dum perveniatur ad urbis.
Gens comitata ducem diversis sauciat hostem
Vulneribus quosdam gladiis, & cuspide quosdam
Multos fundali jactu plerosque sagittis,
Vnde supergrediens cæsorum corpora, tentat
Cum Siculis portas fugientibus urbis adire,
Vt finem tanto præberet capta labori.
Sed cives portis adhibent dum claustra seratis
Non modicam partem foris exclusère suorum:
Impetus hostilis tantis terroribus urbem
Implet, ut exclusos cædi permiserit omnes.
Robertus quanquam longo certamine vidit
Diffisos equites, ceptis insistere poscit.
Virtus vestra viri varios experta labores
Vel modo laudis, ait, vel erit modo digna repulsæ.
Vrbs inimica Deo, divini nescia cultus,
Subdita Dæmonibus veteri spoliata vigore
Jam quasi fracta tremit: Si vos instare potenter
Viderit, obstandi nullos meditabitur ausus:
At si deficitis, cras viribus hæc reparatis
Acrius obstabit, dum tempus adesse videtis,
Currite, dura capi, Christo miserante, patebit:
Difficilem quemvis facilem facit ipse laborem,
Hoc duce confisi bellis imponite finem,
Atque invadendam cuncti properemus ad urbem.
His animat dictis Robertus corda suorum:
Ascensis scalis properant conscendere muros,

Seque

Seque voluntati promptos ducis affore spondent:
Sic auriga bonus veloces cædere cursu
Dum cognoscit equos, parcit patiturque morari;
Inde reformatos reparatis flatibus, ire
Cœptum cogit iter, stimulisque frequentibus urget,
Dum cursum peragant & eos præcedere victi,
Vincere qui soleant cauto ducente magistro.
Dux ubi persensit capiendis mœnibus omnes
Insudare suos, insudat & ipse ferendis
Solicitus scalis, ut progrediantur ad alta
Præcipit inde suis: Illi conscendere muros
Vnanimes properant: è contra tota Panormi
Gens adstat muris per propugnacula sparsa:
Vnus utrique labor populo, diversa sed illis
Caussa fuit; cupit hic urbem capere, ille tueri;
Altera pars pro se, pro natis, conjuge, constat;
Altera grata duci fieri studet urbe subacta.
Dum tanto populus confligit uterque labore,
Prospera Roberto fuit & miserabilis urbi
Actio fortunæ, subito quia cœtus equestris
Egressus, scalis murorum dum petit alta,
Propugnatores Siculi dant terga frementes.
Vrbe nova capta veteri clauduntur in urbe.
Gens Agarena videns se viribus omnibus esse
Exutam, tota spe deficiente salutis.
Suppliciter poscit miseros miseratus, ut ejus
Respiciat casus, neque dux condigna rependat:
Cuncta duci dedunt, se tantum vivere poscunt:
Deditione sui facta meruére favorem
Exorare ducis placidi (o): promittitur illis
Gratis cum vita, nullum proscribere curat,
Observansque fidem promissi lædere nullum,
Quamvis gentiles essent, molitur eorum:
Omnes subjectos sibi lance examinat æqua,
Glorificansque Deum templi destruxit iniqui
Omnes structuras, & qua *muscheta* solebat
Esse prius, matris fabricavit Virginis aulam,
Et quæ Machamati fuerat cum dæmone sedes,
Sedes facta Dei, fit dignis janua cœli.
Munia castrorum fecit robusta parari;
Tuta quibus contra Siculos sua turba maneret,
Addidit & puteos alimentaque commoda castris:
Obsidibus sumptis aliquot castrisque paratis.
Reginam remeat Robertus victor ad urbem,
Nominis ejusdem quodam remanente Panormi
Milite, qui Siculis datur *Amiratus* haberi:
Omnes cum *Stephano Paterano* protinus Argos
Qui Bari fuerant capti, permisit abire:
Sic impunitos quia dux placidissimus hostes
Dimittebat, eis ut amantibus ipse placebat:
Barinis, Calabris, Dux, obsidibusque Panormi,
Militibusque suis vadit comitatus ad urbis
Mœnia Melfensis, caput hæc erat urbibus illis
Omnibus, est & adhuc quas continet Appula tellus
Illius comites regionis, & undique clari
Confluxére viri, vult quisque revisere tanti
Principis aspectum: *Petro genitore creatus*

 Præ-

(o) Panormus capta anno salutis 1071.

Prædicto solus *Petrus* huc accedere sprevit.
Hujus deffuncto *Goffrido* fratre priori
Jus patrium manibus successerat atque nepotum,
Donec provectus soboles fraterna *Richardus*
Esset ad ætatem dominandi legibus aptam.
Dux Petro suspectus erat, quia prorsus eunti
Ad fines Siculos, vires adhibere negarat.
Dux tamen ablata formidine convocat illum
Et sibi concessum dicens à fratre Tarentum
Fraterni repetit jus muneris: ipse negavit
Reddere, quæ fuerant armis superata paternis:
Hac gravis inter eos oritur dissentio caussa.
Ac veniens Andrum varios ad bella paratus
Cœpit inire Petrus: nova præcipit arma parari,
Auget militiam, suffragia poscit, ubique
Quæque sui juris servari tuta laborat.
Interea Tranum præclari nominis urbem
Divitiis, armis & multa gente repletam
Obsidione parat Dux subdere. Petrus ad urbem
Electos bis sex equites agit, ut sibi cives
Alliceret monitis, confortarentur & ejus
Aspectu viso; quidam sua verba loquendo
Protrahit in longum, subito Robertus, & ejus
Diffusus campis apparuit undique miles.
Obsessi cives decies jam quinque diebus
Convenere Petrum simul intra mœnia clausum:
Orant ut faveat comes urbis deditioni:
Damna quidem nequeunt perferre diutius urbis:
Hic primo fieri nimio mœrore gravatus
Ille negat tandem lachrymans, cogentibus illis,
Poscit cum sociis, ut liber abire sinatur,
Sicque duci fieri concessit deditionem:
A duce non patitur discedens urbe videri,
Atque ducem voluit nullatenus ipse videre,
Tam ducis horrendum ducebat cernere vultum,
Trani cujus erat laus clarior urbe recepta
Se *Juvenacenses* dedunt & *Buxilienses*,
Buxilia Petri fuerant *Juvenacus* Amici,
Cui *patruus Petri pater* extitit: hunc, quia fratri
Contulit auxilium, Dux oderat, & quia fines
Dalmaticos sine velle suo tentavit adire.
His Dux expertis, cupiens sibi subdere Petrum
Obsidione parat circumvallare *Coretum*:
Petrus, ut hunc audit castrum circumdare castris,
Non audens armis contendere, mœnibus *Andri*
Excipitur tutus: qui dum prodisset ab Andro,
Tranensi prædam deferre profectus ab urbe,
Atque equites essent decies hunc quinque secuti,
Guido quater denos equites induxerat urbi.
Ex ducis edicto *Germanus conjugis ejus*
Egreditur subito diffuso milite campis:
Inde Petrum capiunt & se prius inficiatum
Præsentare duci vel præsentare coactum;
Imposuit finem ducis hæc captura labori.
Sed tandem fidei jurando jure ligatus
Solvitur, & recipit quæ perdidit omnia Petrus,
Liber abit, solo Trani privatus hosti. (*)

Interea

(*) leg: *honore*. Ita certe infra Gisulfus dicitur: *Spoliatus honore Salerni.*

Interea Ducis egregii populosa frequenter
Poscit *Amalfis* opem, cui vectigalia dudum
Annua detulerat nimis impugnante *Gisulfo*,
Semper turbatam terraque marique reclamans.
Robertus quæstu populi stimulante, Gisulfo
Mandat Amalficolas cesset vexare tributum
Ferre sibi solitos, veteris corrumpere nolit
Fœdus amicitiæ, cessare *Sororius* illum
Cogat *amor*, meritasque vices se reddere spondet.
Hæc sibi legatis mandata ferentibus, ille
Dicta superba refert, negat esse sua fruiturum
Pace ducem, nisi digna sibi famulamina solvat.
Non perferre valens tanti responsa tumoris
Fervidus innumera comitatus gente *Salernum*
Dux adit, & terræ parat & maris obsidionem
Quartus erat mensis completus ab obsidione:
Tanta fames miseræ cives invaserat urbis,
Vt canibus vel equis vel muribus, aut asinorum
Turba cadaveribus vix vivere posset edendo.
Egressus quidam patre civis in urbe relicto
In castris aderat, canis hunc rimata sagaci
Nare petit, laribus fuerat quæ fota paternis
Huic dabat ille cibos, & postquam sufficienti
Pasta cibo fuerat, circa præcordia quosdam
Apposito sacco panes inferre solebat,
Quorum commoditas vitæ foret apta diurnæ:
Hos celeri cursu rediens (mirabile dictu)
Et nusquam remorans canis ad sua tecta ferebat,
Sic alimenta sagax dominoque sibique parabat:
Esuriem tantam quidam non ferre valentes
Egressi cives octavi tempore mensis
Interrupta duci Roberto mœnia pandunt,
Aptior ingressus potuit qua parte videri.
Terruit urbs animum Roberto capta Gisulphi
Conscendit turrim, quæ facta cacumine montis
Præminet Vrbanis, natura cujus & arte
Est gravis accessus, non hac munitior arce
Omnibus Italiæ regionibus ulla videtur;
Expugnat validis Robertus viribus arcem:
At valido cum forte ducis petraria saxi
Ictu dimissi perculsa fuisset ab alto,
Anulsum lignum Roberti nobile pectus
Sauciat incauti, sed non post tempore multo
Auxiliante Deo recipit caro læsa salutem.
Redditus incolumis magis expugnare *Gisulphum*
Nititur: ille suam fortunam dum videt esse
Casibus extremis positam: quia multa salutis
Spes erat, arbitrio sese ducis & sua dedit:
Orat sola sibi libertas detur eundi.
Jusque duci proprium dimittens liber abivit:
Gregorium Papam spoliatus honore Salerni
Appetiit primum venientem Papa benigne
Suscipit, & *regio Campanica traditur illi.*
Vrbe triumphata gaudet Robertus & arce,
Et ne posterius sibi gens infida repugnet
Munivit summam fidis custodibus arcem:
Inferiore situ fit inexpugnabile castrum,
Quo sibi subjecti valeant consistere tuti:
Vrbs Latii non est hac deliciosior urbe,

Fru-

Frugibus, arboribus vinoque redundat, & unda
Non ibi poma, nuces, non pulchra palatia desunt:
Non species muliebris abest, probitasque virorum:
Altera planiciem pars obtinet, altera montem,
Et quodcunque velis terrave marive ministrat.
Hac acquisita simul acquisivit *Amalfim*
Vrbs hæc dives opum, populoque referta videtur,
Nulla magis locuples argento, vestibus, auro,
Partibus innumeris, hac plurimus urbe moratur
Nauta, maris cœliq; vias aperire peritus. (t)
Huc & Alexandri diversa feruntur ab urbe
Regis & Antiochi: hæc freta plurima transit
His Arabes, Indi, Siculi noscuntur & Afri:
Hæc gens est totum propè nobilitata per orbem
Et mercanda ferens & amans mercata referre.
His sibi subjectis, quæ disponenda fuere
Omnia disponit, *Trojam* Dux ipse revisit
Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advenit *Lombardus marchio quidam*,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum,
Axo (x) vocatus erat, *secum deduxit Hugonem*
Illustrem natum: ducis huic ut filia detur,
Exigit, in sponsam: Comites proceresq; vocari.
Quaque facit super his dux consulturus ab urbe.
Horum consiliis Roberti filia nato
Traditur Axonis, tædas ex more jugales
Et convivando celebrans & multa ferendo.
Cunctis, conjugii, quæ postulat ordo peractis,
Sollicitat comites dux & quoscumque potentes
Dona petens, læti quibus & vir & uxor abire
Donati valeant: nec enim prius *Imperiales*
Altera cum proles thalamos Michaelis adisset (y)
Quodlibet auxilium dederant: communiter illi
Omnes tristantur, quasi vectigalia posci
A duce mirantes sed non obstare valentes:
Et mulos & equos diversaque munera præbent.
Iis genero (*) donans addens sua, classe parata
Ad sua cum magno patremque remisit honore.
Normanni comites conquesti sæpe vicissim
A duce tractari se tam male tamque moleste,
Occulüere diu malefidi pectoris iram:
Tandem consiliis *Jordanem patre Richardo*
Participant *natum, patruo* simul omnia pandunt
Rannulfo comiti, quorum sibi consociatis
Jisi præsidiis *Petrus* & *Goffredus* aperta
Mentis fraude ducem cœpere lacessere bellis.
Amissæque nepos terræ memor *Abagelardus* (z)
Filius Vnfredi toto conamine tentat
Infestare ducem, socio *Guidilone*, *sororem*
Cui dedit uxorem nec *Balduinus* eorum
Defuit auxiliis, & lingua doctus & armis.

His

(t) [Debemus Amalphitanis *pyxidis nautica inventionem* & *Digesta Justiniani.*]

(x) *Azonem* vult dicere, magnam Longobardiæ & Liguriæ partem tenentem, à quo descendunt Principes Brunsvicenses & Estenses.

(y) Michaelis scilicet Ducæ qui cum 1071. regnare cœperit & anno 1078. imperium amiserit, medio tempore hoc contigisse oportet.

(*) Generum.

(z) Mortuo Vnfredo Bagelardum illi successisse plures scribunt & eum à principatu dejectum à Rob. Guiscardo Patruo fuisse.

Doctior his aderat *Robertus de Scabioso*
Monte comes dictus, *Goffredi frater*, & *ambo*
Orti germana fuerant ducis: ira nepotes
Accendebat in hunc cunctis præstare volentem,
Omnes hi privare Ducem conantur honore:
Hæc dissentio non loca concutit Appula tantum,
Sed Calabris etiam ac Lucanis regnat in oris,
Nec non Campanis, metus est hostilis ubique,
Latronum rabies passim bacchatur, & omnes
Per partes Italas raptorum copia crevit,
In partes varias Normannica concio tendit:
Sed quamvis hostes essent ducis agmine plures,
Pars bello melior Roberto semper adhæret.
Redditur urbs Petro Tranensis & Abagelardo
Conjuge, prole data, dedit Argiricius urbem
Egregiam Bari, quam Dux commiserat ipsi:
Non tamen urbibus his hac tempestate remotis
Gens ab amore ducis *Juvenaci* fida recedit:
Vnanimes optant parere fideliter illi:
Argiricius hos monet, ut reddatur *Amico*
Vrbs, sua quæ fuerit, quam si non reddere vellent
Obsidibus natis hunc se donare minatur
A duce commissis dudum sibi, non tamen illi
Postposuère fidem, contempto prolis amore,
Seque Duci dicunt servare perenniter illam.
Hanc adipiscendam multis stipatus ad urbem
Cum *Petri comitis* comitatu vadit *Amicus*.
Affuit obsessæ simul *Argyricius* urbi
Cum populo *Bari*, *Trani*, pariterque *Choreti:*
Andrenses etiam, cum *Buxiliensibus* assunt.
Gens Juvenacensis non obsidione vel armis
Territa stat fortis: deffendere mœnia curat,
Et ponit vigiles, obsistit & acriter illis,
Qui fortis (d) insistunt: hi pugnant, illa repugnat,
Impugnata licet terra marique fuisset.
Arte capi nulla voluit. Legatus ab urbe
Forte *Betontina* fictos deferre jubetur
Rumores; caute, *Guilielmus* at invenit illos
Filius Ivonis, cui Dux concesserat urbem.
Ecce *Rogerus* adest *Roberti filius*, inquit
Nuncius, & multas equitum peditumque catervas
Dux sibi ducendas dedit: hunc properasse putantes,
Diffugiunt cuncti, quos urbis ad obsidionem
Duxerat, ut captam sibi subdere possit *Amicus*.
Dux licet audierit tot convenisse rebelles
Nullo concutitur terrore, sed arte vel armis
Omnes exsuperat, monitis quàm dulcibus illos
Allicit, hos bello domitat, versutus & audax
Novit utrosque modos, adimit sua castra quibusdam;
Quosdam blanditiis verborum commonet ultro
Tradere, quæ nequeunt violento Marte parari:
Sic juxta *Bradam* dimissa flumen equestri
Gente sua Calabras cum parte profectus ad oras,
Et *Cusentinos* sibi pacificavit, & illos
Deduxit rediens ad bella pedestria promptos:
His comitatus abit, tamen erogat ante sequaci,
Quod potuit, populo: properat confligere contra

(d) Foris.

Omnes infidos: Juvenacus fida recepit.
Hinc equites aliquot, qua noverat Abagelardum
Esse, petit primum violento robore Barum.
Barensis populus numero confisus, & ejus
Quem sequitur ductu, ducis utpote marte valentis,
Cum duce congreditur: Lorica sed Abagelardi
Cuspide perfoditur: Corpus perfossa tueri
Non valet armati: bellorum faucius ultra
Vim perferre nequit, sua gens fugit urbis adusque
Mœnia, Robertus Juvenacum victor adire
Mox parat: huic properat procedere turba fidelis
Obvia: quis posset tantas exprimere grates,
Quantas cuique refert: Laudat communiter omnes
Pignoribus caris, quia præposuêre tenorem
Promissæ fidei: Tunc omnibus oscula præbens:
Ne timeatis, ait, non deformabit *Amicus*
Quemlibet ex pueris: Omni quia postulat arte
Vt mea reddatur sibi gratia. Taliter illi
Respondet populus: tua nos præcepta paratos
Crede sequi: totam Domino committere curam
Natorum; quia nullus amor removere valebit
Nos ab amore tuo: Tantum servator amoris
Sis petimus, nostri dominator & esto benignus.
Auditis populi precibus favet ille precanti.
Annis tota sui tribus est solvenda tributi,
Pactio dimidii concessa perenniter illis:
His ita dimissis properat remeare *Salernum*;
Dum redit hostiles vicos & castra subacta
Donat militibus, faciebat prælia sæpe
Diversis diversa locis. Fortuna favoris
Auxilium præbebat ei, cui dum male fida
Astolus appetitur, certamine captus equestri
Est *Balduinus*, castellum nomine *Vicum*
Vi capit: hic *Gradilo* privatur lumine captus,
Testibus exuitur: sed Balduinus habere
Illæsos artus permittitur, hunc tamen arcent
Carcere custodes, quia faverat Abagelardo.
Pervenit his gestis, quo cœperat ire, Salernum.
A Jordane Duci poscentes fœdera pacis
Assunt legati: Dux ni discordia cesset,
Dilapsura brevi, quæ plurima præmeditatus,
Commoda, legatis placido respondet amore:
Inducias ponit: fit sponsio colloquiorum,
Constituitque diem: Legati non sine magna
Lætitia redeunt, quia tam gratanter ab ipso
Suscepti fuerant, & nuntia læta reportant:
Jordani placuêre satis, quæcumque recensent.
Hinc infra tempus Juvenacum mittere quosdam
Dux equites lectos procurans, præcipit illi
Non tantum prodesse suis, sed obesse laborent
Hostibus, hosque modo poterint quocunque molestent.
His postquam longo (nec enim fas pergere recto
His erat) adveniunt Juvenacum tramite ducti
Callibus obliquis, aderat quia plurimus hostis,
Infestare ducis cœpere viriliter hostes:
Quique prius soliti fuerant inferre rapinas,
Se doluêre pati: nequeunt incedere tuti:
Jordanis Princeps & Dux studuêre statuto
Ire die *Sarnum*: pax firma fit inter utrumque,

Est cum *Rannulfo* simili firmata tenore,
Alter erat patruus Jordanus, avunculus alter.
His ita sedatis Dux Apula castra requirit,
Et *Spinaciolum*, muro quod *Amicus* & armis
Munierat castrum, quo non cum milite pauco
Filius ejus erat, equites comprendit & omnes
Filius est solus fugiens elapsus *Amici*.
Perdere plura timens pacem deposcit Amicus.
Dux illi placidus favet, obsidibusque receptis
Lætificat mœstos reddendo pignora Patres,
Et Juvenacenses desistunt plangere matres:
Perterrent tumidos hæc fœdera facta *nepotes*
Roberti comitis, dux *Goffridi*que *nepotum*,
Non mala respexit tolerata, sed immemor iræ,
Dum veniam poscunt, indulget *avunculus* illis.
His fisus sociis comitatus milite multo
Obsedit *Barum socer Argiricius hujus*
Qui solus pacem vitaverat *Abagelardi*:
Vrbe ducem recipit, genero qui pacis & urbis
Extorri facto ducis est reparatus amori.
Sic quia pace ducis non fungitur Abagelardus
Et patrii juris loca deserit, & Danaorum
Exul adit terras, cum *rector Aleius* (*) esset
Imperii, clemens hunc suscipit ille benignè,
Tractat honorifice, dat multa, sed invida nulli
Parcere quæ curat, juveniles mors subit artus:
Quique regressurum se credidit esse potentem
Diversi generis cum fascibus atque triumphis,
Exul apud Danaos & mortuus est & humatus.
Dux sibi conjunctis Barensibus obsidet auctis
Agminibus *Tranum Petro* stimulante rebelle,
Hac dux uxorem dimittit in obsidione:
Non sine militibus multis petit ipse *Tarentum*,
Protinus obsessum terraque marique recepit.
Hunc positis castris castellum victor *Aneti*
Obsidet, inde *Petrum comitem* miserabilis angit
Anxietas, quia visa duci fortuna favere
Est inimica sibi, pacem veniamque requirit:
Dux per legatos, quos miserat, ille relegat,
Vt sibi cum Trano castellum donet *Aneti*,
Ni dabit ista frui non pace merebitur ejus.
Vestibus incultis Petrus est ad castra profectus,
Subintrat veniam pacis cum fœdere poscens,
Custodes castri vocat & descendere jussit
Turribus, hi jussi Roberto mœnia tradunt,
Tradidit & *Tranum*, ducis ut sibi gratia detur,
Efficiturque suus jurando jure fidelis.
Cervices rigidas sic *dux astutus* & audax
Flectere, sic finem bellis imponere novit.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.
INCIPIT QVARTVS.

His *Michael* (h) solii dejectus ab arce diebus,
Cujus in insontem *Romanum* dira voluntas

 Arserat

(*) Alexius.
(h) Hic Michael Parrapinacæus vocabatur, Constant. Duc. filius erat, qui imperio dejectus est & in illius locum Nicephorus Botoniates suffectus anno salutis 1081.

Arserat indignè, socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur. *Roberti filia* mœret
Deponi socium, miser exulat ille coactus
Vrbibus & castris sibi circumquaque subactis,
Appula dimittens loca Dux parat ire *Salernum.*
Partibus Esperiæ, quem *Barcilona* tremebat,
Venerat insignis comes hanc *Raymundus* ad urbem,
Vt nuptura *ducis* detur sibi *filia* poscens.
Huic major natu nuptum datur: altera nupsit
Egregio comiti Francorum stemmate claro:
Ebalus hic dictus succumbere nescius hosti,
Belligeras acies ad prælia ducere doctus
Et facundus erat, linguaque manuque vigebat.
Illis *Gregorius Beneventum Papa* diebus
Advenit: Vrbs erat hæc Romano subdita Papæ,
Atque sui juris; quia Dux obsederat urbem,
Ægrè Papa tulit, veniam Robertus ut hujus
Impetret offensæ, Papæ properavit ad urbem,
Suplicat & pedibus (k) dans oscula patris,
Suscipitur; tanti persona vigoris honore
Digna videbatur, *considere Papa coegit.*
Soliloquum cunctis astantibus inde remotis
Consilium tenuêre diu, tum Papa fideles
Convocat: ex Papæ secretum jussibus horum
Panditur, allatus *liber* est *evangeliorum:*
Dux Papæ jurat, fuerit dum vita superstes,
Observaturum fidei se jura perennis
Ecclesiæ sanctæ, totus cui subjacet orbis:
Romani regni sibi promisisse coronam
Papa ferebatur: quia *rex Henricus* ab illo
Damnatus fuerat propter commissa nefandis
Accumulata modis; nec enim venundare sanctas
Ecclesias veritus perversum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat pontificali
Culmine, præter eos, qui maxima dona tulissent.
Incestus etiam turpes & turpe subire
Ausus adulterium, vitam ducebat iniquam,
Sacrilegus, mœchus consortia nulla proborum,
Sed reprobi cætus collegia semper amabat.
His vitiis virtus sancti contraria *Papa*
Gregorii, regno deponi judicat illum,
Saxonibus mandat perhiberi rex apud ipsos
Desinat ulterius, totis & viribus obstent:
Accitosque *duces Guelfumq; ducemq; Rodulphum*
Admonet, *Henrico* Petri pro parte resistant
Et Pauli, Simon quibus insurrexerat alter.
Esse putabatur concessa corona *Rodulfo.*
Is sibi Saxonibus multo cum milite junctis
Indixit bellum Papæ venerabilis hosti,
Et populus regi damnato multus adhæret
Jus patrum recolens aliumque inducere nolens
Hæredem regno: grave fit certamen utrinque.
Dura quidem gens est & cedere nescia magnis
Ictibus inter se; hinc *Lotharingi, Saxones* inde
Certatim feriunt alternis vulnera reddunt
Vulneribus: Stat quisque studens obstare vicissim,
Et perhibentur ibi triginta cæsa virorum
Millia,

(k) Deest: *sancti.*

Millia, ſed neutro populo cedente *Rodulphus*
Occidit, & feſſus populus defecit uterque.
Se quaſi victorem percepta morte Rodulphi
Gaudens *Henricus*, quem regni depoſitorem
Noverat eſſe ſui, Papam infeſtare laborat,
Romam obſeſſurus magna cum gente venire
Nititur hoc prudens comperto Papa favorem
Curat habere Ducis, ſuccurrat ut ipſe labori
Promptus ad arma ſuo, vires & deprimat hoſtis:
Pacis perpetuæ Beneventi fœdere pacto
Gregorius Romam remeavit, duxque *Salernum*
Hac, Mathae, tibi conſtruxit in urbe decoris
Eccleſiam miri, ſibi nobilis aula paratur.
Dedecus illatum *genero (*) proliq;* repulſæ
Sedibus auguſtis, non ſollicitudine parva
Cor Ducis accendit: gravis hæc injuria multis
Eſſe videbatur Ducis, hanc deſiderat ultum
Ire. Senex quidam regni *Nicephorus* (p) habenas
Sumpſerat ignavus bello, tamen ingenioſa
Mente ſagax, contra furtiva pericula cautus,
Imbellis metuens plus quam metuendus habetur:
Militiæ princeps ſuſtentat *Alexius* illum
Aſtuta ratione vigens & ſtrenuus armis,
Pectore clarus erat clariſque parentibus ortus:
Annos iſte ſuæ plures ætatis ab ipſo
Flore juventutis primævo duxit in armis:
Si quid oportebat fieri grave, non dubitabat
Imperio ſancto ſibi præcipiente ſubire
Hoſtes imperii, *Baſilachius* atque *Brienus*.
Inſignes Græci, bellis opibusque potentes,
Hoc duce ſunt victi, victori ceſſit uterque:
Nam ſibi non longè dum congrederetur ab urbe
Bellando victus cedit, capiturque Brienus.
Victus Alexina ceſſit Baſilachius arce:
Alter in alterius congreſſum dum properaret,
Proxima caſtra die cedente locantur utrinque,
Nocte fugam prudens ſimulavit Alexius illa
Caſtris dimiſſis, neque tota remota ſupellex
Ejus erat, quædam tentoria fixa manebant,
Hæc dimiſſa fugæ, jumentaque, luce ſequenti
Effecêre fidem, caſtriſque relicta ſuppellex
Contra ſe nullos ubi vidit adeſſe paratus
Hoſtilis belli, caſtris ſine gente relictis
Circumquaque ſuis Baſilachius imperat ire,
Si quos excipiunt ab equis vel gente tumultus,
Vt ſibi notificent, muſſantis nulla cohortis
Vox, nullus potuit ſonus aut hinnitus equorum
Audiri: Sperat Baſilachius omnia tuta
Atque ſuis hoſtem pro viribus expaveſactum
Credit iniſſe fugam: cœnantem crapula ſomno
Aggravat, & caſtris gens tota quieta jacebat:
Callibus occultis advectus Alexius hoſtes
Irrumpens ſubito perterruit, his quia noctis
Obſtabant tenebræ: nuſquam loca tuta patebant;
Spes eſt nulla fugæ, capiuntur & interimuntur,
His ſopor & vini dederat violentia multa
Segnitiem, nec abire valent nec ad arma reverti.

(*) Michaeli Ducæ. (p) Botoniates.

Lumine privatus Basilachius & tibicaptus
Legatur, nihil ipse videns *Nicephore*, videndus,
Imperio cujus præsumpserat esse rebellis.
Impiger, & cautus sic victor Alexius hostes
Imperii multos armis superavit & arte.
Dux transire volens mare præcipit arma parari,
Militibusque suis se præstolentur *Hydronti*
Imperat, aptari naves facit, ipse Salerni
Vndique dona petens & supplementa moratur,
Huc illuc apices non cessans mittere secum
Navibus armatis fidas monet ire cohortes:
Insolitum multis iter illud & arce videtur,
Præcipue quibus uxores & pignora cara
In domibus fuerant, non exercere volebant
Militiam talem, sed verba minantia blandis
Dux addens, precibus multos properare coëgit.
Conveniunt omnes sicut mandatur Hydronti,
Dalmaticas naves oneri dux eligit aptas
Auxilio sibi quas gens miserat illa petitas:
Has armis & equis sumptuque virisque repletas
Ad *Corisum* (*) mittit, hæc insula non procul urbe
Distat Hydrontina, placidis spirantibus auris:
Huc cito transitur, dimissis navibus illam
Acriter invadunt equites Ducis, atque timorem
Omnibus incutiunt, qui circumquaque morantur.
Regni sede Senex hac tempestate repulsus
Prædictus fuerat, bellator *Alexius* (r) illum
Expulit iratus, quia non injuria fratris
Propter eum dimissa fuit, qui viribus auxit
Imperium totis, tot nactus ab hoste triumphos:
Omnibus imperii legionibus huic comitato
Præsidiis vacua facilis labor urbe reperta
Est superare senem, fit monachus ille coactus:
Deprædanda tribus datur urbs invasa diebus
Dux quibus extiterat; manibus quoq; sancta nefandis
Atroces per se loca non violare verentur:
Ducit Alexius, hos magis ut timeatur, ad urbem,
Imperii regimen bellis bellator adeptus:
Roberti genitæ non parvum blandus honorem
Exhibet, audierat quem velle venire, laborans
Pacificare Ducem, quo sic avertere mentem
Posset ab incœptis, sed mens Ducis ardua nescit
Cedere proposito, modico remoratus Hydronti
Tempore, præstolans adventum conjugis, atque
Multorum comitum, quos noverat ipse futuros
Esse viæ socios, *mentitus se Michaelem*
Venerat à Danais quidam seductor ad illum
Immerito raptum jus Imperiale reposcens,
Se profugum lachrymans; lachrymantem dux & honestè
Suscipit & tractat: placidoque favore benignum
Exhibet obsequium, populus quoque credulus omnis
Assurgebat ei flexa cervice salutans:
Hunc adhibens socium sibi Dux ut justior esset
Caussa viæ, secum dum transfretat, ipse reducit,
Ante tamen paulo quàm transeat, accelerare
Hunc *regis mandata* monent, *quem Papa notarat*

Regno

(*) Corfu hodie, olim Corcyra. (r) Alexius Comnenus Imperium Constant. adeptus est anno salut. 1085.

Regno privari censens: ut conferat illi
Auxilium, contra Papam tumidosque Quirites,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore *rex Romam* veniens *obsederat* illos.
Dux quanquam placidi dederit responsa favoris;
Legati redeunt sine quolibet emolumento,
Gregorio Papæ cui pura mente favebat
Omnia notificat, damnati nuncia regis;
Seque fatetur iter nullatenus illud inisse,
Adventum hostilem prænoscere si valuisset:
Sed quia jam tantos compleverat ipse paratus,
A tantis se posse negat desistere cœptis.
Advenit interea conjux, comitesque rogati,
Egregiam sobolem multo spectante *Rogerum*
Accersit populo, cunctisque videntibus illum
Hæredem statuit, præponit & omnibus illum,
Ipse quibus prælatus erat (u); dignissimus hæres
Iste patris tanti patruelibus atque paternis
Moribus ornatus, quantæ foret indolis, ipso
Primævæ cultu virtutis significabat:
Jus proprium Latii totius & Appula quaque
Cum Calabris Siculis loca dux dat habenda Rogero,
Roberto comiti committitur atque Girardo:
Alter fratre satus, fidissimus alter amator
Et virtutis amans erat & probitatis uterque:
Hos rogat ut papæ solatia, siqua valebunt,
Non adhibere negent, quod cœperat ipse subire
Acceleravit iter, decies & quinque *Liburnis*
Adria sulcatur, *Corisi* tremit insula, tanti
Principis accessus electo milite fulti:
Illa, *Botrontinam*, gens quæ præcesserat, *urbem*
Ceperat: hinc Corisi genialibus urbs operumque
Prædita præsidiis, in deditione recepit,
Obsidibusque datis, vehit insula tota tributum.
Bundiciam nautæ vi captam depopulantur:
Magnæ mentis eques *Boamundus filius alter*
Qui fuerat, *prima natus de conjuge*, cunctis
A duce deductis equitum peditumque catervis
Militiæ princeps præponitur, imperat ipse,
Vt populus totus jussis obtemperet hujus:
Dyrrachium pater hinc, & filius obsidet illinc.
Obsessum superare mari terraque laborant.
Hortatus fuerat jam sæpe *Georgius* illuc
Accelerare ducem: quia qui commiserat urbem,
Audierat solii Nicophorum sede repulsum:
Sed ducis æstivo perpessæ tempore naves
Naufragium impediere viam, navique procellis
In qua dux aderat vehementibus undique fracta,
Vix evadendi fuit impertita facultas.
Delati panes pro corporibus recreandis
Perfusi pluviis in frusta teruntur, & undis
Littore projectis olidi cumulantur acervi:
Dux tristatur iter peragi non posse paratum.
Aëris atque maris non fracto turbine, longas
Hoc agitante moras multos *Palialogus* Argos
Dyrrachium duxit, pulsusque Georgius urbe

Fraude

(u) Robertus Rogerum filium hæredem ac Ducem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ instituit; & eo in Italia relicto in Græciam proficiscitur.

Fraude fuit, missum sibi gaudet Alexius hostem.
Dux tamen à ceptis, ubi comperit affore tempus,
Noluit avelli, Corifi prior insula cessit:
Hinc *Avellona* simul, urbibus atque quibusdam
Littoreis captis, munitius esse quod audit,
Dyrrachium obsedit: quondam fuit urbs opulenta
Magnaque præcipue tegulosis obsita muris,
Rex Epirotarum dicier hanc (a) *Epiduarum*
Pyrrhus præcepit, quia fortia ferre Quiritum
Bella Tarentinis sociatus non dubitavit:
Inde frequens bellum varios & passa labores
Evacuata viris fuit, ad nihilumque redacta:
Destructam spatio post composuêre minori
Zetus & *Amphion*, & præcepere vocari
Dyrrachium: ducis hoc circumdatur obsidione:
Fit pavor obsessæ non parvus civibus urbis,
Et vigiles statuunt, custodia fida per urbem
Ponitur, Imperio factam Ducis obsidionem
Notificant, & opem legatis poscere curant:
Oppugnare modis Dux nititur omnibus urbem,
Atque operis miri fabricatur lignea turris:
Hanc super est ingens erecta petraria magnos
Projiciens jactus, ut mœnia diruat urbis:
Assiduè cives augeri castra videntes,
Omnia vastari, prædas accedere magnas,
Hybernique domos pro frigoris ædificari
Incursu, vana spe, quæ deceperat illos
Hostilis reditus, cœpêre carere coacti:
Stare Ducem credunt, & non abscedere velle
Dum sibi subdat & hanc, alias qui subdidit urbes:
Legatos mittunt, cur venerit, ipse requirunt:
Dux venisse refert se, regni sede repulsus
Immerito Michael ut restituatur honori.
Illi promittunt, urbis quos ipse petebat
Ingressus, nunquam viso Michaele negandos:
Cornicinum sonitu circumdatus atque tubarum
Et plectris, qui se Michaelem finxerat esse,
More coronatus deducitur Imperiali,
Circumvallatus cantantibus undique turbis.
Vnanimi cives hunc ut videre, cachinno
Visum derident dicentes, iste solebat
Crateras mensis plenos deferre Lyéo,
Et de pincernis erat inferioribus unus.
Postquam Robertum cognovit *Alexius* urbes
Invasisse suas, veritus ne subdat & urbem,
Dux sibi Dyrrachii magna cum gente paravit
Occursare duci: bellis navalibus illi
Præmonuit sociam pugnando resistere gentem:
Non ignara quidem belli navalis & audax
Gens erat hæc: Illam *populosa Venetia* misit,
Imperii prece, dives opum divesque virorum,
Qua sinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo; sunt hujus mœnia gentis
Circumsepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius transire potest, nisi lintre vehatur:
Semper aquis habitant, gens nulla valentior ista
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ducta.

Civibus

(a) [*hanc dicier Epiduarum.*]

Civibus obsessis hortatur Alexius illos
Auxilium conferre suas & ducere naves,
Et pugnare Ducis cum navibus, ut superatis
Hostibus his bello, facilis labor esset inire
In terris bellum: populo Ducis extenuato,
Imperio parent, Ducis & cum navibus ire
Pugnatum properant: jam vesper adesse diei
Cœperat, occurrunt naves Ducis, at quia noctis
Hora propinquabat, bellum differtur utrinque:
Crastina progrediens Aurora fugaverat umbras,
Ad bellum populus navale paratur uterque.
Amplius hujus erat quia gnara Venetica belli
Gens ruit audacter: classis Ducis expavefacta
Ad portum fugitiva redit, sic pugna remansit
Ter redeunte die, Gens multa Venetica portum
Appetit & naves Roberti marte lacessit
Gens comitata Ducem cum Dalmaticis *Ragusea*
Telorum densis consternit jactibus æquor:
Non tamen à portu procul audent ducere naves,
Castrorum dederat tutum vicinia portum.
Funibus incisis quasdam violenter ab ipso
Littore propulsat vi turba Venetica ducit:
Non hoc terretur Ducis imperterrita casu
Mens aliud meditans, & adhuc certare parata
Majori statuens aliasque adducere naves
Quæ plus ferre queant & plus inferre laboris,
Facta libens turbæ victricis Alexius audit
Roberto soliti, quos insula quæque fovebat,
Ferre tributa, maris naves minus esse valentes
Dum Ducis accipiunt: æqua feritate rebelles
Proponunt fieri: laus (*) personat imperialis
Imperii jussu, ne belli præscius hostis
Cautelas adhibens ventura pericula vitet,
Montibus & fluviis munitur transitus omnis.
Irruere incauto sic sperat Alexius hoste,
Invictumque Ducem assultu superare latenti,
Innumeras ducit varia de gente catervas:
Maxima barbaricæ cum Græcis copia gentis
Hunc comitabatur: tamen ire *Basilius* ante
Electorum equitum secum duo millia ducens
Castraque Roberti Ducis explorare jubetur:
Mesopotamites erat hic, bellique labores.
Expertus varios, sequitur præcepta jubentis,
Cumque Botrontinæ fieret jam proximus urbi,
Rumor adest, equites Ducis haud procul ire ferentes
Non modicam prædam, cùm pars jam multa fuisset
Saucia *Turcorum*, quos duxerat ille, sagittis:
Marte mori potius, quam cedere turpiter Argis
Vnanimes statuunt, & convertuntur in hostes
Gente coarctata, quo prævaluêre paratu:
Turci terrentur conversis hostibus illos
Acriter obniti, graviterque ferire videntes,
Agmine stare nequit fugiente *Basilius* horum
Et capitur fugiens: Acies Normannica captum
Præsentare Duci properat: Robertus ab illo
Omnia perquirit: quid tentet Alexius in se,
Vel quid inire velit, quantas ad bella cohortes

 Moverit:

(*) Edictum.

Moverit: adventum postquam Dux esse propinquum
Hostilem didicit, quantis & Alexius illum
Impetat agminibus: proceres quos duxerat omnes
Convocat, accitis, quæ noverat omnia, pandit
Et quid opus facto sit, contulit: effera quorum
Mens erat, audaci dimittere castra quibusdam
Consilio placuit: venientibus indubitanter
Hostibus occurrens, ut terreat impetus illos,
Esse refert melius Dux, non abscedere castris,
Copia dum propius conspecta sit Imperialis,
Et frustra quæri vincendi prædicat artem,
Cum nisi de cœlo nulli victoria detur.
Is licet egregios equites sibi sciret adesse,
Nil ineundo tamen temerarius esse volebat:
Congressura quidem gens innumerabilis esse
Dicebatur ei: nec adhuc natura virorum
Nota sibi fuerat; catus unde sagaciter omnes
Ordinat ante suos & quæque paranda coaptat,
Non à Dyrrachio procul expectare volebat
Hostiles cuneos, subito venientibus illis
More locustarum montes & plana teguntur.
Proximus Oceano jam sol erat: unde nec illis
Bella subire, nec his placuit: dant membra quieti.
Dyrrachii populo mandarat Alexius omni
Hostis congressi post terga venire studeret,
Vt tutus fieri nec retro nec ante valeret:
Castra cremat veniente die Dux providus horum
Vt Duce digresso sit fas irrumpere nulli:
Commovit prior ipse suas ad bella cohortes:
Agmina plura movens occurrit Alexius illi:
Cum Langobardis Calabri terrentur & omnis
Pene fugam petiit, fuerat qui sub Duce nauta,
Ipsaque concursu primo terretur equestris
Gens Ducis, hostilis dum prægravat impetus illam,
Venit ad angustos transgresso flumine quosdam
Hæc incauta locos: Dux, ne quis ab urbe venire
Contra se posset, vel ad urbem pergere, pontem
Fecerat everti, loca dum sic arcta suorum
Impediunt aditus, vehementi nube teguntur
Vndique telorum, nec major visa refertur
Grando sagittarum, locus & quia tutus abesse
Cœperat interea, cum nec pugnare valerent
Cedere nec retro, se dilatare laborant
Præcipitando mari, quia non minus hostibus ipsa
Turba coarctatis sibi plebibus officiebat
Aspera Normannis angustia tanta videtur:
Imperialis eos exercitus exsuperatos
Defecisse putans, classisque Venetica victos
Quod caperet sperans, quæ proxima nabat in undis
Aggreditur spoliis inhians agitare rapinas,
Arripiuntur equi diversaque sarcina rerum,
Quas Ducis accelerans ad prælia spreverat agmen.
Interea digressa mari vix se sociare
Turba Duci valuit, qui prætergressus iniqui
Exitiale loci multo sudore periclum,
Inprimis aderat; quem jusserat hic acierum
Ordo prior mutatus erat, miseranda locorum
Omnia mutari sic arctatura coegit,
Gaudet adesse suos, & paucis vocibus illos

Dux

Dux prior hortatur, solum tutamen in armis
Affore conclamans, & si dant terga Pelasgis,
Quemque trucidandum pecorino more minatur,
Captivis vitam morti prænunciat æquam,
His hortamentis accendit corda suorum;
Et licet innumeras videat properare catervas
Partis Alexinæ, vixillo (d), quod sibi Papa
Ad Petri dederat summi pastoris honorem,
Et meritis Sancti, cujus fabricaverat ædes,
Matthæi fidens, non diffidenter in hostem
Irruit, atque ferox obsessa non procul urbe
Commisit bellum, *superatur Alexias*, atque
Terga dedêre sui, quia plus quam millia quinque
Argolicæ gentis sunt hoc certamine cæsa,
Pars quoque Turcorum cum Græcis interit ingens,
Captus & armorum varius nitor est & equorum,
Captaque sunt Danaum diversi signa decoris:
Vix equites de gente Ducis potuêre perempti
Cerni triginta: lachrymatur Alexius hostem
Prævaluisse sibi, cui nec par copia gentis,
Nec par census erat, discedit saucius ipse,
Cogitur & lachrymans inglorius ille reverti,
Gloria cui fuerat frustra sperata triumphi:
Vxor in hoc bello Roberti forte sagitta
Quadam læsa fuit, qua vulnere territa nullam
Dum sperabat apem se pene subegerat hosti,
Navigio cujus se commendare volebat
Instantis metuens vicina pericula lethi,
Hanc Deus eripuit, fieri ludibria nolens
Matronæ tantæ tam nobilis & venerandæ,
Occidit hoc bello regni spoliatus honore
Constantinus & est subhumatus honore decenti,
Dyrrachii proceres amisit Græcia multos,
Quorum per campos inhumata cadavera tabent:
Dux in Alexinis remorari tempore castris
Non multo propter putrefacta cadavera curat.
Imperii jussis gens fida Venetica servat
Vrbem Dyrrachii: Dux hac digressus ab urbe
Pervenit ad quemdam, cui nomen *Divalus*, amnem:
Hic sibi castellum fabricans loca se comitatos
Per diversa locat, quibus incumbente pruina
Temporis hyberni securi vivere possent.
Gens cruciat variis plerosque Venetica pœnis
Cum Duce transgressos, non hunc ad bella secutos,
Qui profugi fuerant, studiis servilibus illos
Addicunt; alios ergastula carceris arctant
Ad patriam missos, alii traduntur Achivis.
Dyrrachii quidam, quem terra Venetica misit
Vir præclarus erat nomenque *Dominicus* illi,
Oderat hic quendam, quia non se participabat
Consilio, sociis quod pluribus insinuabat
Hunc quasi primatem gens illa studebat habere:
Dux dicebatur genuisse *Veneticus* illum,
Primatu tentat privare Dominicus illum,
Quendam de profugis Barinum convocat ad se
Qui sibi charus erat fideique tenore probatus.
Hunc monet, ut noctu Roberti castra requirat,

(d) [*Vexillo.*]

Et se velle Duci sua commoda pandere dicat,
Et properare loco maneat qui petra vocatur:
Ecclesiæ sancti Nicolai proximus iste
Est locus, hunc Robertus adit cum milite pauco,
Accitus, profugo redeunte, Veneticus illum
Convenit & facilem promittit deditionem
Dyrrachii, nisi Dux sibi, quod petit, esse daturum
Abneget: ille libens jurando jure spopondit,
Quod petit explendum, *neptim pro conjuge dandam*:
Colloquio facto remeavit uterque latenter:
Constituêre prius, quo tempore deditionem
Is foret acturus, quo tempore Dux rediturus,
Jamque dies aderat consensu utriusque statuta
Dux Cusentinos quosdam, quos præfore cursu
Noverat, elegit: quosdam simul his sociavit
Electos equites, & ad urbem nocte quieta
Accelerans, cautè profugum præmittere curat,
Vt quod opus facto sit, ab urbe renunciet ipsi,
Non modica noctis jam parte *Veneticus* illum
Præstolatus erat somno correptus, at illum
Perfuga Barinus mox evigilare coegit.
Indicat adventum Ducis, imperat ille, fideles
Absque favore suos celer introducat in urbem,
Ille redit, peditesque Ducis facit ire priores,
Munia tradidit his custode carentia terris,
Tempore nocturno nullos fecère tumultus,
Albescente die variis clangoribus hostes
Percipit ingressos urbs tota, Veneticus omnis
Arma capit, præter quos ille domesticus hostis
Roberto monitis allexerat, incola quisque
Hoste supergresso, fodit infra munia vallum,
Hostibus ut facilis non sit descensus ad urbem.
Jusserat à castris Dux illa nocte cohortes
Accelerare suas, auditis iste suorum
Vocibus accurrens, has porta mittit ab omni.
Sic habitatores intusque forisque videntes
Se se impugnari, malefida Venetica clamat
Agmina turbatus, fugit inde Veneticus omnis.
Quidam cæduntur, quidam capiuntur, ad æquor
Pars fugit Adriacum, sic evasêre fugaces
Navibus impulsis. Quicumque Veneticus armis
Obstiterat, nec non *Ducis horum filius*, urbe
Sunt capti capta, dimotaque littore classis:
Sic *sibi Dyrrachium Dux subdidit*, atque quod armis
Vincere non potuit, victoria subjugat artis,
Et quæ pollicitus fuerat, post deditionem
Cuncta sibi gaudet completa Veneticus esse.
Interea populus *Trojanus* & *Ascolitanus*,
Alter jus soliti nolens explere tributi
Amplius, atque dolens eversis mœnibus alter,
Vnanimes studio Ducis invasêre *Rogerum*
Hæredem egregium, qui sensu clarus & armis
Cum quantis poterat Trojana clausus in arce
Viribus obstabat: Tandem properantibus illi
Auxilio sociis, patrisque suique quibusdam
Dimissa ruit arce furens, populumque rebellem
Diversis punit cruciatibus, huic manus, illi
Pes erat abscissus: hunc naso, testibus illum
Privat, dentibus hos, deformat & auribus illos:

Sæpe

Sæpe solet captæ sic tigridis ira latenter
Dum nullos agitare potest inclusa furores;
Quæ si forte valet ruptis excedere claustris,
Quod videt omne vorat, rapit, insolitumque furorem
Exerit, occursus leo perfugit ipse furentis,
Quamvis ista minor sit corpore, fortior ille.
Robertus geminis exacto navibus anno
Adriacis undis loca rursus ad Appula transit:
Is *primogenito* populum commiserat omnem,
Cui nomen *Boamundus* erat pariterque *Brieno*.
Dux postquam *Cannas* sibi comperit esse rebelles,
Obsidet, obsessas evertit humotenus illas.
Rex (e) *erat his genitus genitrice Hermanus eadem*
Onfredi fuerat qua filius Abagelardus:
Non tamen unus eis pater extitit, illa duobus
Est sociata viris: miles præclarus in armis
Frater uterque fuit, sed cessit uterque potenti
Roberto, cui vix par orbe potentia toto.
Cannis destructis *Romam* molitur adire
Contra Gregorii Romani præsulis hostem
Henricum, cujus jamdudum obsederat urbem
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit
Et turres multas invictæ diruit urbis.
Jamque sibi fuerat pars subdita Trans-Tyberina,
Gregorius quadam fuerat conclusus in arce (f),
Quæ munita satis, non expugnabilis ulli
Esse videbatur miri structura laboris.
Hanc & munierat fidæ custodia gentis:
Robertum tantos ubi novit inisse paratus,
Et sibi cum tantis inferre paratibus arma:
Rex fugit *Henricus*, Ducis hunc audacia terret
Et virtus totum jam notificata per orbem,
Expectare verens hunc ad loca tuta recessit.
Robertus Romam properans vi perforat urbis
Egregiæ muros: Tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, inde quibusdam
Ædibus exustis, violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore Papam:
Hunc secum magno deducit honore *Salernum*.
Henrico rursus cupidi cessere Quirites
Post Ducis abscessum, *Papam* concesserat illis
Ipse *Ravennatem Guibertum*, qui scelerata
Mente pari insurgens regnum præsumsit adire
Sedis Apostolicæ, *Clemens* à plebe vocatus.
Agmina Romulea Dux urbe reducta Salerni
Dimisit, nunquam par huic exercitus hæsit:
Millia sex equitum, triginta millia Romam
Duxerat hic peditum: sic uno tempore victi
Sunt terræ Domini duo, *Rex Alemanicus* iste,
Imperii rector Romani maximus ille:
Alter ad arma ruens armis superatur, & alter
Nominis auditi sola formidine cessit.

(e) [*Rex* hic pro rectore sive gubernatore ponitur.] (f) Adriani mole.

EXPLICIT LIBER QVARTVS. INCIPIT QVINTVS.

POst ubi Robertum cognovit *Alexius* esse
Æquore transvectum, vires reparare minutas
Nititur, absentisque Ducis perfringere castra:
Hæc duo servabant vi consilioque potentes,
Filius ille ducis Buamundus, & iste Brienus:
Haud procul à *Jamna* non parvi nominis urbe,
Partis Alexinæ populus sua castra locarat,
Multiplici partem præmunit *Alexius* illam
Obice plaustrorum, quam pervia planiciei
Ad pervadendam facilem vicinia reddit,
Ferrea cum tribulis omnes *Saliunca* viarum
Præpedit accessus, ut laxis hostis habenis
Dum dimittet equos, pedibus figatur equorum.
At nebula Danaum prospectus præpediente,
Illuc Normanni per vitibus aspera densis
Plenaque carectis loca pervenêre latenter:
Obstat congrediens paulisper Alexius illis,
Sed non instantes sufferre diutius illos
Evaluit, petiitque fugam victusque recessit:
Vrbem Thessaliæ superatus marte secundo
Appetit egregiam, vulgus vocat hanc *Salanichin* (m),
Et quia bellorum varios non ambigit esse
Eventus, conatur adhuc ad bella redire.
Gaudens audaci magis agmine quàm numeroso,
Exultans capti Boamundus honore Civisci
Obsidet insigni *Larissam* nomine claram,
Ad quam delatos thesauros Imperiales
Quamque opibus magnis audiverat esse repletam;
Prodiit hac auctor Trojanæ cladis Achilles.
Obsidione suæ turbatus Alexius urbis
Innumera cum gente venit, pugnamque virilem
Contra Normannos exercuit; obvia namque
Pugnando cedit sibi gens comitata Brienum,
Non modicum spectans Boamundus collibus agmen
Imperii pariter rectorem credit adesse,
Irruit, & trepidos hostes, ut nisus alaudas
Insequitur, populo, Græcorum exercitus, hujus
Terga dat, at tantus contexit pulvis utrumque,
Vt neuter videat quorsum pars altera tendat:
Abdita sylvarum victi petiêre Pelasgi.
Occisis victor redit ad montana quibusdam,
Siqua parentur adhuc ipsi certamina spectans;
Hostes digressos ubi novit Alexius esse,
Larisſêa petit multo cum milite castra.
Dimissi castris pedites majoribus hostem
Viribus urgentem non armis ferre valentes
Vincuntur, major pars occidit & fugitiva
Pars minor abscedit: spoliorum quicquid ab omni
Victrix turba loco contraxit, Alexius effert.
Nuncius ad montem Boamundo pandere casus
Adversos properat, qui se speraverat esse
Victorem, victam partem dolet esse suorum:
Nil tamen ipse pavens, comites sibi dissociatos
Associare studet: nequeunt incommoda mentem

Per-

(m) Thessalonicam.

Perterrere viri, magis obsidione solutam
Vrbem conqueritur, jam victam jamque subactam.
Marte fatigatos jam nox admota quieti
Tradere membra monet, vallem Boamundus opacam
Haud procul inde petit, quæ cuncta sibique suisque
Apta ministrabat, sua dant ibi membra sopori.
Plurima post triduum duo conduxêre potentes
Agmina Græcorum Boamundo bella parantes:
Alter *Germanus*, *Augusti Melisianus*,
Alter *cognatus*, nomen fuit huic *Adrianus*.
Normanni solitæ memores virtutis ad arma
Concurrunt celeres solitique fugacibus Argi
Elabi, pedibus redeunt properanter ad urbis
Mœnia Larissæ, qua clausus Alexius ipse
Non procul audebat toties superatus abire,
Nec minus & Turci clauduntur in urbe fugaces.
Taliter obsessus populus Normannicus illis
Non remanere diu valuit, quia terra labores
Passa rapinarum, victus alimenta negabat.
Et nuper captis fuerant sua perdita castris,
Milite diviso vitæ Boamundus ad usus,
Quærit *Ebellonæ* loca *Castoreæ*que Brienus:
Dimissa magna Salonice parte suorum
Ad propriæ sedem remeavit Alexius urbis,
A Constantino quæ sumpsit condita nomen.
Gens redit interea Venetum ratibus reparatis
Atque requisitam nullis prohibentibus intrant
Vrbem Dyrrachii, quia rarus in urbe manebat
Civis, egestatis disperserat undique cives
Insolitæ casus: remorans ter quinque diebus
Gens studet utilibus vacuare Venetica rebus
Dyrrachium, sed præsidiis municio tuta
A duce dimissis, castelli jura negavit:
Hoc non posse capi postquam videre, recedunt.
Audito reditu *geniti ducis* advenientis
Ingressique rates communiter æquore multas
Erexêre trabes, & parvæ fit modus urbis:
Castro composito de lignis, omnia classis
Instrumenta suæ gens provida seque locavit.
Sicque sub ædiculis algenti tempore contra
Nymbosas hyemes remorantur in æquore tuti.
Jam cedebat hyems, & verni temporis auræ
Spirabant placidæ, cum navibus omnibus omnes
Ad Corifum properant, hæc complacet insula cunctis,
Classis Alexinæ dux *Mabrica* venerat illuc.
Inde placet nautis repetenda Venetia multis,
Mutuus ut fieri valeat redeuntibus illis
Abscessus, comitum patriam sic quisque revisat.
Hoc statuunt fieri, Roberti namque regressus
Protrahitur nimium, diuturna negotia rerum
Absumendarum sint illis caussa suarum.
Tempore *Robertus* multis intentus in illo
Præcipuas *contra Jordanem* bella gerendi
Curas, infectum nil dimissurus, habebat,
Propterea Latio non ipse redire volebat.
Jordanis Princeps perterritus advenientis
Henrici fama, non armis obviat illi
Vt sese finesque suos tuteur ab illo:
Sed firmæ secum componens fœdera pacis

Illi

Illi se subigit, *genitus* conceditur obses,
Et cum prole dedit solidorum munera multa,
Hoc ne privetur, dominatus jure paterni
Fecit, si Regi sit ad Appula transitus arva.
Et quia Jordanis ditioni cesserat ejus,
Dux hujus terras ferro populatur & igni.
Inde *nepos* petiit pacem, recipitque petitam
Gregorio Papa, sedatis omnibus ante
Quam repetat fines Græcorum, supplicat orans,
Dedicet Ecclesiam, quam fecerat hic *ad honorem*
Matthæi Sancti, placidus favet ille precanti.
His ita completis animos intendit ad illud
Propositum, quod mente diu tractarat agendum.
Electos igitur nautas, & quos magis aptos
Militiæ novit secum facit ire *Tarentum:*
Huc cum gente sua navis convenerat omnis,
Classis magnificos ibi militiæque paratus
Instruit, expensis naves implentur & armis.
Portum *Brondisii* qui tutior esse videtur
His comitatus adit: Transire veretur Hydronti,
Quo brevior transcursus erat, quia tempus adesse
Cœperat autumni, tranquilla recesserat æstas.
Vnde timens ratibus, mora ne qua noceret Hydronti
Ex tempestatis subitis incursibus orta;
In portu tuto fit tutus classe recepta,
Expectat flatus prudenti mente secundos:
Inde valefaciens uxori littore stanti
Restantique simul populo cum conjuge, cœpit
Finibus Ausoniis jam non rediturus abire.
Armatis centum viginti navibus æquor
Transfretat Adriacum *genito comitante Rogero*;
Qui patris esse sequax armorum strenuitate
Et placida cunctis affabilitate studebat.
Duxit præterea naves, oneraria quarum
Lex erat, has & equis sumptuque replevit & armis
Et variis rebus quas æquoris exigit usus.
Æquore transvectus exercitus ille, coegit
Quem Ducis egregii servabat filius alter.
Exegere fere menses in littore binos,
Tempestate gravi bellum differre coacti.
Temperie placida portum redeunte relinquunt,
Et contra Venetum naves Danaumque *Chelindros*
Certamen navale parant, Dux quinque triremes
Ducit, ducendos commisit quinque *Rogero*,
Roberto totidem *fratri*, totidem *Boamundo*.
His aderant Ratium suffragia juncta minorum,
Innumeras bello Danai duxêre chelindros:
Altera turba novem confisa triremibus altis,
Quas habiles bello magis esse Venetia novit.
Roberti naves dum conspicit inferiores
Esse suis, audacter eis congressa resistit,
Atque interpositis Danaum præfulta Chelindris,
Jactibus innumeris telorum desuper hostes
Sauciat, & ferri se pondera magna minatur.
Jacturam, ne classis eis inimica propinquet.
Vix in ea navi, quæ fert ad bella Rogerum
Quilibet illæsus reperitur, & ipse lacerto
Saucius, obstanti stat cedere nescius hosti,
Immemor illati sibi vulneris, ardor honoris,

Quan-

Quantus adesse solet victoribus, incitat illum.
Hinc pater insigni decoratus sæpe triumpho
Accit, & accitum majori classe chelindros
Dissociare jubet, patris impiger ille jubentis
Jussa sequi properans, cum quinque triremibus illis,
Quæ sibi commissa fuerant, inferre chelindris
Bella parat, Danai nihil hoc pugnante repugnant,
Sed passim fugiunt, ut aves obstare volanti
Non audent Aquilæ, cursuque latere fugaci
Coguntur lepores, dum, ne rapiantur, aduncis
Vnguibus & rostro metuunt cibus esse voraci.
His ita dimotis stat sola Venetica classis.
Robertus genitique sui dum stare fugatis
Græcorum ratibus solas videre triremes
Invasêre suis cum navibus acriter illas,
Tamque fuit vehemens impulsus impetus harum,
Vt septem mersis non posse Venetica classis
Elabi speret, solis sed stare duabus
Navibus ad bellum nil profuit, hostibus omnes
Cedere coguntur: solito Dux more triumphat:
Classe triumphata secum duo millia victor
Ad portum ducit depugnatoribus istis,
Qui magis obstiterant, quorumque audacia major,
Præter eos alios quingentos annumeravit
Qui capti fuerant septem, fugientibus Argis,
Argolicæ naves sunt hoc certamine captæ:
Qui castrum Corisi servare fideliter illi
Solliciti fuerant solvuntur ab obsidione
Quam passi fuerant Dux dum metuendus abesset
Exin victrices & victas ducere naves
Procurat, tutis stationibus ut locet illas
Temporis hyberni Dux incumbente pruina.
Has ratione sagax *Clicæum* ducit ad amnem:
Naves & nautas ibi collocat & remorari
Dum placidæ redeant æstatis tempora, jussit.
Ipse suos equites hyemali tempore secum
Bundiciam ducit mansurus, ibique moratur
Clicæo populum, fuerat qui proximus amni,
Asperior solito languere pruina coegit:
Frigoris atque famis pars maxima passa labores
Interit, & tantæ crescunt incommoda pestis,
Vt prius exactus mensis quàm tertius esset,
Sint præventa decem quasi millia morte virorum,
Nec reliquis tantæ necis est exercitus expers.
Namque brevi morbus communi clade peremit
Quingentos equites, nec non immobile vulgus
Magna parte ruit: nec eques nec nauta nec ullus
Vir valet instantis leti vitare ruinam:
Nulla tamen frangunt Ducis infortunia mentem;
Fortis & in casus manet imperterritus omnes.
Filius ægrotans poscit Boamundus, ut ipsum
Italiæ remeare pater permittat ad oras,
Quæ medicis multis medicaminibusque redundat:
Ille licet nolens consentit abire volenti,
Tam claræ sobolis cupiens reparare salutem.
Danda recessuro dedit, hoc abeunte *Rogerum*
Jussit adire suo cum milite *Cbephaloniam*,
Vt, tanta fuerat quæ tempestate rebellis,
Victa refrenetur, hæc insula dum capietur.

 Vndi-

Vndique terrendas Græcorum noverat urbes:
Jussa patris sequitur, jussamque Rogerus ad urbem
Cum Ducis agminibus properavit & obsidet illam:
Dux repetit positas Glicæo flumine naves,
Et studet inclusas abducere, non minus undis
Quam terris avidus Græcos domitare tumaces.
Bella parare ferox & equis & classe laborat,
Navibus abductis turbetur, ut insula quæque
Conferat & fisco Ducis Imperiale tributum:
Temporis æstivi reditu defecit aquarum
Copia, nec tantis jam defluit alveus undis,
Vt fluvio nautæ valeant deducere naves.
Dux qui difficilem facilem facit arte laborem,
Dum fluvium solitis cognovit egere fluentis.
Namque meatus aquæ brevis arcta fauce fluebat,
Multos afferri palos & ab amnis utraque
Margine configi connexos vimine jussit:
Et multis multa præcisis arbore ramis
Composuit crates, & arenis desuper implet,
Sic aqua lascive dispersa refertur in unum.
Alveus altior hinc, cœpitque capacior esse,
Cogitur unde viam præbere meabilis unda
Navibus, illæsæque maris revehuntur ad undas.
Vir venerabilis hoc in tempore *Papa Salerni*
Gregorius moritur, quem nec persona nec auri
Vnquam flexit amor, justum servare rigorem
Semper proposuit, non cor dare læta valebant
Absque modo lætum, nec tristia reddere mœstum:
Solator mœsti, lucis via, doctor honesti
Legibus arcebat tumidos, humilesque fovebat:
Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum
Atque salutiferi spargendo semina verbi,
Numquam cessavit populum revocare fidelem
A vitiis ad eos quibus itur ad æthera mores,
Vitaque doctrinæ non discordare solebat,
Non fuit instabilis vel arundineæ levitatis.
Dux non se lachrymis audita forte coërcet
Morte viri tanti: non mors patris amplius illum
Cogeret ad lachrymas, non filius ipse, nec uxor,
Extremos etsi casus utriusque videret.
Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris,
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos,
Alter ab alterius nunquam discessit amore
Firmatæ quondam post mutua fœdera pacis,
Ecclesia sancti Matthæi Papa sepultus
Nobilitat tanti thesauro corporis urbem:
Hanc quia translatus Matthæus Apostolus alti
Nominis esse facit, meritumque vicarius iste
Auget ibi positus; præ cunctis urbibus unam
Dux elegisset, sibi vivere si licuisset.
Verum Gregorii post mortem præsulis illi
Ad loca non licuit Latii dimissa redire.
Continuis hujus soboles generosa *Rogerus*
Perterrere minis non cessat *Cephaloniam*:
Insula *Roberto* proponitur esse petenda,
Ad quam missus erat capiendam *filius ejus*:
Navim conscendens, quam castra revisere posset,
Febre prius capitur; flagrare Canicula fervens
Cœperat, æstiva cujus sævissimus ardor

Tempestate solet mortalibus esse nocivus:
Vxor ab Italia non multo venerat ante,
Et castris aderat, dum nati castra revisit
Dux, quibus exierat populo cum classe relicto.
Hæc ubi Robertum cognovit febricitare,
In quo tota sui sita spes erat, utpote tanto
Conjuge, discissis flens vestibus, acceleratis
Cursibus accessit, quæ defecisse maritum
Extremosque videns casus instare propinquos,
Vngue genas lanians, impexos scissa capillos
Proh dolor! exclamat quid inibo miserrima, vel quo
Infœlix potero discedere? nonne Pelasgi
Audita me morte tui natumque tuumque
Invadent populum, quorum tu gloria solus
Spes & robur erat, tua quos præsentia fovit,
Extremis positus quia te præsente tuorum
Hostis nemo minas, congressus nemo timebat:
Pluribus & quamvis acies adversa catervis
Obsita non paucis, tua quos animatio tutos
Fecerat, audebant committere bella, nec unquam
Te viso potuit mundana resistere virtus:
Filius ecce lupis sinitur rapiendus & uxor,
Et populus nunquam sine te securus habendus,
Te quia, qui populi fueras audacia nostri,
Amisso populus non audax esse valebit:
Quodlibet ignavum poterit præcellere vulgus;
Impia mors homini, quo tot pereunte peribunt,
Parce precor, precibus quæ condescendere nescis,
Expecta saltem dum nos ad nostra reducat,
Vt locus excipiat nos post sua funera tutus.
Ah miseram! frustra precor hanc, ingrata precanti
Cum semper fuerit nulliqué pepercerit unquam:
Nec minus & flenti flens cum genitrice *Rogerus*,
Magnos cum gemitu clamores tollit ad astra,
Se prius orbatum lachrymans patre, quam vel habendi
Parta, vel ad plenum sit gnarus habenda parandi,
Sectarique sciat virtutis facta paternæ
Astantis populi lachrymas quis lumine sicco
Inspiceret? quis tam patiens, tam ferreus esset,
Vt non mœstitiam tot passis compateretur?
Inter tot lachrymas cum corpore sanguine Christi
Accepto, moriens vita spoliatur amica:
Sic & in exilio robusti principis artus
Spiritus exutos dimittit & exanimatur, (t)
Qui fortes animos aliis inferre solebat,
Se præsente suis nil passus adesse timoris:
Non remanere viri Græcorum partibus uxor
Corpus passa, suis conatur reddere terris,
Quamque magis celerem cognoverat esse *galeram*
Scandit, ibi posito Roberti corpore transit,
Mortuus ut rediens latio solatia præstet,
Cui non fas vivo fuit ad sua regna reverti.
Castra *Rogerus* adit patris, interitusque paterni
Notitia populum communicat anxius omnem,
Consiliumque petit, privandum namque fatetur,
Ni redeat properem, se juris honore paterni,
Hæredem cujus pater hunc indixerat esse:

(t) Robertus Guiscardus obiit anno salut. 1085.

Illi promittunt omnes se corde fideli
Sicut servierant patri servire paratos,
Sitque coadjutor transgressibus æquoris illis
Vnanimes rogitant, populo favet ille roganti:
Se tamen expectet, dum *Cephalonia* petatur
Insula, qua socios dimiserat, obsecrat omnes
Et nullius, ait, fidei me jure vocare
Deberet populus dimissus in obsidione,
Abscedens ejus si castra revisere nollem,
Et patris interitum, quem vobis notificavi
Discessumque meum non illis notificarem.
His dictis ad castra suæ redit obsidionis,
Defunctumque patrem se velle recedere pandit:
Acturos referunt se quisque quod egerit ille
Obsequiique sui cœptis desistere nolle,
Si condigna tamen sibi convenientiæ detur:
Taliter amoto sua castra petente Rogero,
Gens aliis castris tanto remorata pavore
Concutitur, quod se nulla tenus emerituram
Elapsum sperat, quasi vita salusque negetur:
Omnes si Danai, gens Persica, gens Agarena
Hos invasissent, & ab omni climate mundi
Afflues & populus, peteretque armatus inermes,
Non illa hac formido foret formidine major,
Mors unius erat multorum caussa pavoris:
Innumeras gentes, duce qui vivente solebant
Vincere, defuncto paucis obstare timerent:
Millibus esse decem sic sæpe valentior unus,
Atque fugare viri duo millia mille probantur.
Hostis ne subeat majori classe cremata
Territa gens studuit naves servare minores,
Æquor ut Adriacum transvecta pavore levetur:
Tantus erat terror, nec opes nec pallia curant.
Omnia postponunt & corpora sola carinis
Supplicibus precibus poscunt inducere nautas,
Atque licet naves à terra longius essent,
Pars conscendit equos, ut perveniatur ad illas,
Dimissis & equis imponunt corpora tantum,
Pars natat ut nando valeat conscendere navem:
Pars tamen illorum major, quia non remeare
Navibus evaluit, remanens se mancipat Argis,
Quique timebantur, timidi servire Pelasgis
Incipiunt, animi pulsa feritate ferocis:
Jamque rates fuerant secus Appula littora ductæ,
Tempestas tumidum quatit intolerabilis æquor:
Naufragium passi quamplures sunt ibi nautæ:
Pars hominum cum classe perit, fractaque procellis
Qua fuerat corpus transvectum nobile, navi,
In mare delapsum non absque labore cadaver
Extrahitur, fœtor ne prodeat inde nocivus,
Viscera corq. Ducis subhumari jussit Hydronti
Prædita consiliis semper prudentibus *uxor*,
Et multo reliquum condunt aromate *corpus*,
Hinc *deportari Venusinam fecit ad urbem*,
Qua fuerant fratrum constructa sepulchra priorum:
Hos prope cum magno Dux est subhumatus honore,
Vrbs Venusina nitet tantis decorata sepulchris
A Charoli Magni vel tempore Cæsaris unquam
Nullos terra pares produxit fratribus istis.

Hic

Hic subhumatorum fabricata jussibus horum
Ecclesia, cujus decor urbis prænitet hujus,
Det veniæ munus Rex illi trinus & unus.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

NOstra, *Rogere*, tibi cognoscis carmina scribi
Mente tibi læta studuit parere Poëta:
Semper & auctores hilares meruêre datores,
Tu Duce Romano Dux dignior Octaviano,
Sis mihi, quæso, boni spes, ut fuit, ille Maroni.

XL.

VITA MATHILDIS, CELEBERRIMÆ PRINCIPIS ITALIÆ

Carmine scripta

à Donnizone Presbytero, qui in arce Canusina apud ipsam vixit.

Accessit Chartula Comitissæ Mathildis super concessione bonorum suorum facta Romanæ Ecclesiæ. Item Relatio de Thesauro Canusinæ Ecclesiæ Romam transmisso, & recompensatione facta.

INCIPIT EPISTOLA.

MVnificentissimæ atque Dei gratia Invictissimæ inter Orthodoxarum Choro associandæ MATHILDI, infimus omnium Presbyterorum *Donizo*, piis meritis quicquid valet humanitus, & quicquid est sibi divinitus.

Cum ad clarorum Principum Mausoleum jam per quinque lustra resideret humilitas nullamque ex eis videret memoriam, quod apicum commendaret perpetuitas, accidit quando nuper vestri honoris sublimitas (*) *Canossam* deduci *arcas* jussit *marmoreas ad tumulandum dignius eorum corpora*, ut ea, quæ ex eis à senibus, & veracioribus nostris temporibus viris nostra audierat parvitas, ferventi zelo, carmine heroico, nostra tentaverit (**) caraxare imperitia; ne tantorum heroum laterent acta fortia & illustrissima, quod ad effectum perduximus Christi adminiculante benevolentia.

Et quia, largiente superno opifice, vos eis imparem in nulla esse gratia, ad totius Regni pervenit notitiam, quamvis Rex sapiens dicat, ne laudes quenquam in vita sua, tamen quia nullo deteriorari inde arbitramur vestram auream dignitatem, seu scientiam, reperiamusque à præcipuis poëtis antiquis potestatibus exhibita carmina laude dignissima, ut poëta Horatius Octaviano Augusto scribit: *Præsenti tibi maturos largimur honores*, id est, te vivente, scribimus de te carmina, & ut doctissimus Poëtarum eidem Augusto detulit gratissima ex ipso carmina, à quo libertate accepta iterum exultans in laude ejusdem Cæsaris metra protulit talia,

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

 Quod

(*) Canusium. (**) Charaxare, exarare, conscribere. [in *antiquo Codice Vaticano* est, caracare.]

Quod æquè de te conjicere possumus benignissima Domina, & ut liber Reginæ Hester de Rege Assvero indicat, qui noctem duxit insomnem totam intentè audiens scriptas de se historias, donec legentes audivit, quod Mardocheus nunciarat ei vitæ suæ insidias, quem & protinus ob id remuneravit retributione Regia. Scripsimus de vobis etiam utilem venturis temporibus historiam, quæ probatissimum erit exemplum diligentibus Deum sanctamque ejus Ecclesiam. Vita salusque vestra, nostra est securitas, & lætitia; infirmitas autem debilitas, & tristitia. Det vobis vitam, salutemque continuam. Salvatoris omnium misericordia. Amen.

Incipiunt Capitula Primi Libri.

Expliciunt Cap. Primi Libri.

INCI-

(*) Codex recentior Vaticanus *Curtiliolum*, antiquus habet *Cuviliolum*, quod rectiùs quia & inferiùs summa capitis ita habet.

INCIPIVNT CAPITVLA SECVNDI LIBRI.

PROLOGVS ISTE DOCET QVORVM FIT NOMINE CODEX.

FRancorum prosa sunt edita bella sonora;
Italiæque stilus, quod pingit prælia scimus;
Longobardorum vernantia facta priorum;
Impia multorum, seu vilia dicta virorum
Addita sunt libris, ne possint mente recidi;
Malo sub exemplo tanto depromere metro
Ardua facta Ducum nostrorum, sim licet usus
Tantum plana sequi nudisque referre loquelis.
Historiam fingam cum carminibus tamen istam,
Inspicimus grossis saccis subtilia condi.
Larga colonus hebes dat terræ semina sæpe.
Ditius excrescunt præbente Deo sibi tempus.
Interior campus, grossus meus undique saccus,
Semina si qua gerit, subtilia, si qua recepit,
Brachia nam nobis summi tribuere satoris,
Optimus iste sator proprios dum seminat agros,
Non tribulos gignunt, sed præbita grana remittunt,

Est melius grano, granum veruntamen agro,
Fossor agro semen ponit, quod congruit æquè,
Alter habet linguas plures, alterque sophiam
Curat & hic fessum: discretor & alter habetur,
Ignis divinus sua dat, vult munera, sicut
Irradiat splendens doctas sapientia mentes,
Blesa quidem recta facit ora, docetque modesta;
Et res eximias monstrat dictare sophia;
Alta poli tractat, quem pleniter hæc amat alma;
Tangere summa nequit, qui non sibi prorsus adhæsit.
Regula sed præstat cui non datur edere celsa,
Illa tamen promat, quæ continet atque laborat,
Cumque labore calet, succedunt maxima planè;
Inde meus sensus animatus fingere versus
Spe meliorandi volo terrea scribere saltim.
Nec titulo vera, quæ condidit esse poëta,
Vincit cuncta labor, si permanet improbus atrox.
Non cessabo quidem quæ qui (a) inscribere scire
Censuit infelix mea stulta scientia, metris
Actis perfectis nulli dare, ni sapienti
Nectareæ nostræ MATHILDI scilicet, orbem
Cujus habet nomen repletum propter honorem
Illius immensum, quem servat more parentum,
Latius ista viget, virtutes quatuor illæ
Largifluæ degunt omni quia tempore secum;
Alta regens justos regit hanc prudentia cunctos,
Discretè vadit, sua temporat acta Ducatrix,
Exercet valdè pietatem justitiamque,
Judicis observat cœlestis jura timenda,
Fortis in adversis, minus est elata secundis,
Inque fide vera deitatis credula sperat.
Lumine ceu fidei sic factis pollet amœnis,
Iccircò fructus centeni colliget usus.
Alter terdenam, sexagenamque coronam
Dum tenet alter, habet centenam grandior alter;
Ista legit totas probitatis jure coronas,
Gymnasii mensæ sint hæc recitata decenter,
Noscat ei, grandis quod calliditas manet anguis
Aligeri planè comitatur simplicitatem.
Posteritas nostra tantam Dominam volo noscat:
En ego dictabo ceu quibo, postque rogabo,
Tutius, ut verbum si curreris hic inhonestum,
Respiciat, parcat veneranda Mathildis amanda,
Ipsius hi versus dant nomen, dantque parentum.

Explicit Prologus.

PRINCIPIUM LIBRI, DE PRINCIPIBUS CANUSINIS.

Plurima scribentur metra de quibus ut memorentur.

VIvus si Plato foret hactenus ipseque Maro,
Innumeros versus daret illis fingere tempus
Istud de nostris Ducibus, quos totus hic orbis

Funditus

(a) Codex Vaticanus antiquus, (quem postea simpliciter sub *Cod. ant.* nomine citabimus,) habet *qua quivi.* Rectè, ut ferè semper.

Funditus esse catos non solum fatur & altos,
Immo testatur de talibus, ac lachrimatur,
Egregiis unquam sibi quod plaga nulla redundat,
Temporibus priscis nullus melior fuit istis:
Nam Priami proles his non sint nobiliores,
Ulterius nemo par his nascetur in ævo.
Hi velut astra nitent de lumine quippe sophiæ,
Ceu Phebus terras omnes illustrat, & herbas
Confovet ac nurit, quin mature scit, & urit,
Horum sic ultra rutilabat curia culta,
Aulas nempe Ducum, comitum transcendit & usum
Regia dona dedit, docuit bellare, peremit,
Quos male conspexit patrare, bonisque pepercit.
Judicio justa, locuples, habilisque, venusta,
Jurgia si qua sonant, hæc finit curia sola,
Hostibus hi nunquam sua norant volvere dorsa,
Regnum (a) signiferi vincebant bella periti;
Ipsorum frameæ resecabant noxia sæpè,
Justitiæ palmam gestabant semper & arma,
Ut vehemens grando segetes devastat in agro
Damnant *fellones*, cruciant furcisque latrones,
Temporibus quorum viguit pax ordoque morum;
Catholici fortes genuerunt Catholicosque.
Clavigeri Petri normam sancti quoque Cleri
Semper amaverunt, coluerunt, & timuerunt
Ex propriis rebus sanctis hi multa dederunt;
Escas, & vestes miseris tribuere libenter;
Cultores Christi tumulati sunt simul isti
Præsidijs firmis cunctis nunc carior illis,
Alba Canossa fleat, referat quoque nomina vera,
Nomina ritè canat, ne fiant hæc metra vana.

Narrat Canossa, qui fuerint, & quis eam ædificaverit, & à quibus regibus obsessa fuerit, & qualiter cum grandi victoria evaserit.

II.

Atto fuit primus *Princeps* astutus ut hidrus,
Nobiliter vero fuit ortus de *Sigefredo*
Principe (b) præclaro *Lucensi de Comitatu*,
Quique duos natos alios genuit bene claros.
Est primus dictus *Sigefredus*, & *Atto* secundus,
Filius & parvus vocitatur quippe *Gerardus*.
Amplificare volens proprium *Sigefredus* honorem,
Longobardiam cum natis venit in istam,
Se sicut late vitis distendit & altè,
Hic prope sic valde distendit se procul atque.
Nam sub se terras, & gentes rite gubernat,
Ac sub tutela propria multos retinebat.
Illius error (c) natorum maxime ferro
Gentes diversas prostraverat atque catervas:

 Cum

(a) f. *Regum*; signiferi erant, velut Magistri Equitum, qui proximam ab ipso principe potestatem in exercitu habebant. Talis Conradus (postea Rex) sub Lothario Saxone *regni vexilla tenebat*. Godefrid. Viterb.

(b) *Atto Princeps*, nempe Comes; nam illis temporibus & multo adhuc post, etiam Comites sub *Principum* nomine comprehendebantur; natus ex Sigefredo principe, id est dynasta potente, qui allodium seu territorium proprium habebat, & si nullum forte feudum regale teneret, aut certæ dignitatis nomen gereret; quod nonnulli etiam tanquam nobilitati sive libertati derogans, dedignabantur, ut ex Guelforum historia patet.

(c) *terror*. Cod. antiq. Vat.

Cum major nimium *Sigefredus* hic esset opimus,
Istud more patrum seclum dimisit amarum
Ipsius nati locupletati, falerati
Divisi prorsus cæperunt stare seorsum.
Fiunt *Parmenses* duo fratres ambo potentes,
Dat *Guibertinam* minimus, primus *Baratinam*:
Progenies ambo grandes & honore micantes,
Alpibus in magnis abies ceu robora transit;
Atto sic longe fratres transcenderat omnes,
Crescens exultans, & multis rebus abundans;
Prospiciens nudam silicem me stare *Canossam*
In proprium castrum me suscepit Comes *Atto*:
Has strinxit Turres, munivit me super urbes,
Ne timeam Reges magis at me quique potentes,
Rexque *Latinorum* sapit hoc, & *Theutonicorum*,
Rex *Berengarius* probat hoc, & Filius ejus,
Hi Longobardi fortes noscuntur in armis
Esse, sed extincti per me sunt, ac peregrini (d)
A regno facti: credebant me quia Franci.
Hi Reges ambo dum Princeps viveret Atto,
Me circundare (dd) quod opus sibi fecit amarum,
Res ut sunt gestæ recitentur, frivola cessent.
Ex populo bruto *Rex* optimus extitit *Hugo*,
Ex Allobrogibus Patribus fuit ipse creatus,
Quem fecit Regem gens Longobarda decenter,
Atque pie juste Regnum regit Italicumque;
Colloquium publicum vetuit fieri sine jussu
Imperioque suo Rex cunctis inclitus Hugo;
Ausus erat nullus minimus (e) vi tollere sumptus;
Mortem post ejus regnavit filius ejus.
Lotharius prudens, sapiens Attonis herusque,
Huic erat, & Conjux *Adeleita* splendida prorsus;
Ex hac subtractus vita Lotharius altus
Absque suæ nutu laudatur Conjugis unus
Rex Longobardus, *Berengerius*, vir amatus (ee);
Cæpit Reginam præfatam victus ab ira:
Hunc fieri Regem nuncquam placuit sibi nempe.
Propterea capta, super arcem denique *Gardam*
Misit eam, famulam sibi tantum præbuit unam
Præsbyterumque bonum *Martinum* nomine solum.
In turris fundo jacuerunt tempore multo,
Clam senior murum ferro confregit, in unum
Quippe locum tandem Dominam pariter famulamque
Extraxit fugiens, tribuit vestesque viriles,
Illis ne visæ caperentur denuo binæ;
Usque lacum veniunt, quem servat Mantua vivum;

Inveni-

(d) *Peregrini à regno facti*, id est extorres. Totius loci sensus ita habet: Quam munita ego sim (Canossa loquitur) sensit *Latinorum* Rex Berengarius, & *Teutonicorum* Henricus IV. Nempe *Berengarius hoc probat & filius* ejus Adelbertus, qui *fortes quidem in armis Longobardi* fuisse *noscuntur*, sed *per me*, (dum me evertere conantut) eversi sunt, & regno pulsi ab Ottone Magno. Quia hi *Reges* ambo *Franci*, Berengarius & Adelbertus (collegæ in regno, ut diplomata ostendunt) originem ex Francis trahentes, vel Francorum regnum in Italia tenentes; *credebant me circumdare* vel obsidendo expugnare, *quod opus sibi* (id est, ipsis) *fecit amarum*, id est, quod ipsis male cessit, *dum princeps viveret Atto*, id est Atto Comes.

(dd) Cod. ant. circundār. id est *circundarunt*.

(e) Cod. ant. *minimis*, id est nemo ipso vivente plebem spoliare ausus est. Ita etiam Cod. et antiquus.

(ee) *vir amarus*. Dicitur hîc *Rex laudatus* seu electus defuncto Lothario, absque consensu seu *nutu* Adelheidis. Sane etsi vivo jam Lothario, imo Hugone quoque rerum potens fuerit, tamen non, nisi à morte Lotharii annos regni computavit, ut diplomata ostendunt.

Inveniunt navem piscatoremque suavem.
Presbyter invitat quem, se pariter quoque binas
Naviget ut socias; cui quid possit dare, dicat;
Piscator dicens; si scires Presbyter, inquit,
Qui nos essemus, tu statim maximè lætus
Transires gaudens citius pretio sine nos tres.
Dicite qui sitis, nunc si transire velitis.
Nobis si jures, quod celes, nos tibi pure
Pandimus arcanum, valde quod erit tibi carum.
Non aderat codex, baculos Crucis ilico more
Rusticus in terra binos posuit, nihil errans
In baculis, jurat velut esset crux ibi pulchra.
Tunc Dominus dixit Martinus Presbyter illi:
Dicere care modo tibi tutius omnia cogor;
Hæc est Regina, quam dudum cæpit ob iram
Rex Berengerius, fugimus, sis fidus amicus.
Laudans ille Deum transivit eos cito secum,
Obtulit & piscem non parvum rusticus ille
Atque memento mei, Reginæ dixit, habebis,
Si tibi forte potens Dominus Deus addet honorem:
Navita Reginam tunc deposuit prope sylvam
Contiguam lacui præfato, quæ stetit illic
Hebdomada tota Christum fidenter adorans;
Presbyter absconsæ panem quærebat ut hospes.
Tandem suspirans dixit Regina perita;
Me captam semper reor, hic mihi quid juvat esse?
Præsul Reginus solet esse fidelis amicus
Noster *Adalardus*, cui si referas mihi quantus
Sit fletus, forsan trahet hinc nos, Domne Geronta; (f)
Mox quamvis fessus, tamen ivit Presbyter exul.
Præsul ut agnovit, de Regina rogat; ô quid
Est factum? quæso mihi narra, discere spero.
Presbyter infit hero, defunctam carcere tetro.
Plausibus emissis deflebat Præsul in istis
Verbis, dicrimen magnum, constat quoque crimen,
Presbyter agnoscens ex hoc, quod præsul abhorret
Reginæ lethum, de vita sat fore lætum;
Ipsi privatim patefecit vivere statim
Reginam, vellet quo, præsidium sibi ferret.
Gaudeo, quod vivit, vehementer, Episcopus inquit,
Arcem securam sub me vero scio nullam;
Atto meus *miles* (g) habet unam, si velit idem,
In qua Regina persistere Regis ad iram,
Tempora per longa poterit, fit dicta *Canossa*,
Accipe cras nostros equulos, equita, velut hortor,
Attonem forsan rogitabis, habebis, ut optas.
Luxit cumque dies, equitavit Presbyter idem;
Verbo quem largo Princeps interrogat *Atto*,
Quid de Regina factum sit, quo sibi dicat.
Intimat hanc senior defunctam carcere diro,
Atto dolens valde lachrymas fundebat amarè,
Cumque palam vidit, quod fleret, clam sibi dicit,
Vivit, & erepta per te cupit esse recepta.
Quærit equos Princeps, mox cursim pergit ibique;
Tertia tunc terris clarebat & hora diei,
Æstus erat quippe, sed non stetit impiger iste;

 Alterius

(f) Id est: mi care *domine* presbyter, seu *Senior* Martine.
(g) *Miles*, id est vasallus.

Alterius venit dum denique sexta diei,
Reginam claram, sumptam simul ejus & *Abram* (h)
Alta Canossa tenet, vel eas se laudat habere.
Hæc nova clam Romam, mox Papæ dirigit orans
Atque petens ipsum, quo consilium sibi dignum
Ex hac re præstet, dare Reginam quia vellet
Ottoni Regi, cui *gens Alemannica* (i) *servit*;
Scripsit ei magnæ probitatis *Papa Joannes*; (k)
Quæ gessit laudans, agat hoc, ut vult & adoptat.
Nuncius Attonis post hæc conduxit in oris
Veronæ Regem, cum parva denique gente.
Ad quod Rex Otto venit, sibi cum tulit Atto, (l)
Reginam duxit, quæ Regi tunc quoque nupsit:
Conjuge suscepta redit ad propriam cito terram,
Attoni spondens quod de se maxima posset.
Rex Longobardus nondum cognoverat actus
Istos Reginæ, neque quo confugerat idem
Reppererat, donec quod Rex fuit Otto Veronæ
Audivit, tandem quod & Atto fecerat hanc rem:
Iratus, frendens, coadunans ilico gentes;
Venit *Canossam*, putat illam frangere cunctam:
Sum Petra, non lignum, manet Atto desuper intus,
Secum prudentes homines sunt, & Sapientes;
Rex *Berengeri*, quantumvis, percute telis.
Ante perire potes, quam nostram rumpere molem,
Non *Aries*, *vulpis*, (m) neque *machina* prævalet ullis
Ictibus excelsis nostris pertingere tectis,
Confortans hostes Rex me circundat in orbem,
Sæpe petens bello, qui Rex stetit in *Lavadello*, (mm)
Donec me teneat non inde recedere sperans,
Hinc prope gignit aquam *Mons Branciana* vocata;
Turris de summo descendere sæpe deorsum
Cœperat *Atto* loquens his, qui fuerant meliores.
Hoc ubi cognovit Rex illum prendere ponit;
Quidam de notis hoc eminus nunciat ori
Attonis, clamans, ut ei de Turre per arctam
Ipse fenestrellam loqueretur; protinus extra
Atto caput jactans audivit verba beanda.
Ventre famem gestans Ursus suspensus ad escas,
Quod languore dolet, crevi componit amore, (n)
Visitet infirmum cervus, mandavit, ut ipsum.
Ivit cervus, ei, dum loqueretur, adhæsit
Auriculæ cervi discerpens unguibus, & sic
Dimittens ipsum, direxit denuo missum,
Ut veniat, mandans, dabo, si veneris, tibi magna.
Cervus oblitus erat, quæ fecit bestia sæva
Accessit juxta, trahit unguem belua cruda
Abstrahit auriculam, quam cervo liquerat unam;
Qui deturpatus rediit miser infatuatus,
Ursus amans cervum, mittit sibi denuo verbum,
Ut tute currat, quia vult sibi pandere multa,

Amens

(h) *Abra* Græcis ancilla, pedissequa.
(i) Jam tum ergo (licet rarius) *Alemanni* pro Germannis, ut etiam apud Guilielmum Apulum.
(k) Joh. XII. Sed tunc sedebat Agapetus II. qui post nuptias Ottonis & Adelheidis adhuc vixit, successoremque habuit Iohannem XII.
(l) Fabulosum & Romanisca Historia dignum, Ottonem M. clam ad Adelheidem liberandam venisse.
(m) *Vulpis*, machina, sub qua tecti milites, &, ut sic dicam, cauti.
(mm) Cod. ant. *Lavaclello*.
(n) Cervi habendi amore fingit se langvere.

Amens & stultus perrexit cervus ad ursum,
Aspicit, arridet venienti, fatur eique
Dente repente furens captivum dissecat ungue:
Vita privatus, vulpi datur igne cremandus,
Vulpis eum torrens, post urso detulit omnem;
Cor retinens tantum, sciat Ursus illius astum;
Ursus habens carnem, cor cervi quæritat ante;
Respondit Vulpis, cor non habuit, neque sumpsi:
Dixit ei rursum; cor mox vo[illegible], *Vulpis* ad Ursum,
Dum quæsitus adest ter, corde carere probatur.
Hæc tibi sit cara, meus *Atto*, fabula plana.
Atto recognoscens cur hoc referebat, ob hoc se
Constrinxit sursum, non amplius ipse deorsum
Descendit, donec Rex mansit ad obsidionem.
Rex firmans gressus, nec non exercitus ejus,
Pergere non usquam, capiar (o) nisi, cogitat unquam.
Circa me factis semis simul & tribus (p) annis,
Attonem tædet tam longam ferre quietem;
Stabat enim sursum, faciebat nil nisi ludum,
Nocte foris missum pepulit, mandans breve scriptum,
Ottoni Regi, rogitans ut non pedetentim
De prope fidenter sibi sed succurrere tentet;
Commemorans illi, quod dudum sponderat ipsi.
Otto videns missum lætatur sat super ipsum,
Fortes armatos collectos, venit ad agros
Veronæ, pensans *Berengerio* dare bella;
Transivitque Padum cupiens reperire relatum (q)
Regem *Canossæ*, secumque suos simul omnes.
Ad *Ligurem Regem* pervenit fama repente
Ottonis, quem propter ab obsidione recessit.
Armis ac turbis circundatus undique multis
Obviat *in prato Fontana* Rex sibi; clamor
Fit subito grandis, frameis lacerantur & hastis,
Ensibus incidunt se, longe personat ictus,
Gens Alemanna capit *Berengerium*, superatis
Tunc Longobardis; campum legit Otto, retraxit
Illico frena retro; gaudens de Rege retento,
Quam citius quivit fines proprios repetivit,
Compedibus regem gravibus stringebat inermem:
Donec enim vixit Berengerius stetit illic (r).
Posthac *Albertus* laudatur Filius ejus
A Longobardis Rex, fortis hic extitit armis,
Stans in equo, dextra si percussit sua quemquam,
Mox cecidit longe concisso (rr) sæpius osse.
Attonis pacem penitus contempsit amarè
Sumptibus, *Atto* sagax arcem propriam satis armat.
Rex equitans acer circundedit illius arcem
Tempora per bina ternos mensesque per iram.
Incassum certas, pater, ô Rex, ut tuus erras,
Non capiar quippe, nisi, donec vixeris, hic stes.
Atto videns usquam Regem discedere nunquam

 Otto-

(o) *capiat nisi*

(p) Cum Lotharius Rex Adelheidæ maritus anno 950. Novembri mense obierit, & Otto M. ann. 951. vel 952. in Italiam cum exercitu veniens Adelheidem in Canusina arce [illegible]fessam liberaverit, ejusque conjugio sit petitus tribus annis cum dimidio obsidio Canusina durare non potuit. Etsi Chronicon quoque Novaliciense Reginam tribus pene annis in castro fuisse scribat.

(q) Dictum Regem.

(r) Poëta confundit primam Ottonis expeditionem, qua Berengarium in fidem suscepit Regina Adelheide contentus, cum secunda, qua captum Regno privavit & in Germaniam transtulit.

(rr) Cod ant. *conciso*.

Ottonis rursum petit auxilium, cito cursu
Si nequit ipse suus veniat vel filius unus,
Nomine *Litulphus*, mittatur; & absque tumultu
Mille viros promptos cum nato dirigit Otto (s)
Italiam notam, cautè venitque *Veronam*:
Canossa degens Rex audiit hunc ut adesse,
Dante sonum cornu porrexit *Bagisium*; mox
Linquens Veronam *Litulphus* venit ad horam
Vespertinalem *pratum Bottonis*, & ante
Quàm nox tetra foret, fuit *Atto* locutus ad aurem
Regis Litulphi; salveris, ait, sibi, jungit;
Stat male cum Gatto, mus in sacco simul arcto.
Hoc ænigma peto, mihi narra, Rex ait, ergo.
Reges *Atto* duos Comitatu dixit in uno
Non decet esse simul: Tu consilium cape primum,
Quid faciam pro me, quidquid tu dixeris, hoc me
Spondeo facturum. Respondit eique Litulphus;
Atto bellator comedamus in hoc, ait, agro,
Nocte quiescamus modicum, post hæc gradiamur.
Nuncius, ut videat, de nostris ilico pergat,
Qualiter *Albertus* manet, ac exercitus ejus.
Regi cuncta libent, quæ dixerat *Atto*, facitque;
Principio Lucis fuit in pratove paludis
Missus ab *Alberto* rediens, *Attone* reperto,
Dixit ei, certe pecudes hi, si simul essent,
In subito possent per eos comedi, puto, Domne,
Tanti sunt. Istis, dicat, jubet Atto sibi nil.
Atto loquens Regi mutavit verba ferentis:
O si Rex essent inimici forte bidentes
Assati, sane possemus rodere carnes;
Indue loricam, capiti galeam quoque firma,
Et clipeum jacta collo, manibus refer hastam,
Irrue confestim super ipsum, nunc stat inermis.
Thoracam, parmam, galeam, Rex sumpsit & hastam,
Theutonici fortes sumpserunt arma, vel omnes,
Ibant privatim, quantum poterant, glomerati.
Sensit eosque phalanx Alberti sparsa perampla.
Plures (ss) curreruńt, & hoc Regi retulerunt;
Ad matutinum Rex jam surrexerat Hymnum,
Nil stupefactus, ait, volo, quot sunt, ut videatis,
Nostros atque vocet tuba spargens undique vocem,
Interea cantet, volo, Missam presbyter ante:
Officium Sacrum dum psallitur, hi remeare,
Jam prope, dicentes, sunt mille, videntur & esse.
Rex vix armatus cum paucis & galeatus
Exiit ad bellum, *Lytulphus Rex*, sibi ferrum
Porrigit extemplo, *Rex Longobardus* in ipsum
Extendens hastam, Thoracam membraque damnat
Litulphi, vitam qui statim perdidit ipsam (t).

Gens

(s) Ludolphus in Italiam contra Berengarium expeditionem suscepit anno 957. ibique obiit antequam Berengarius ab Ottone caperetur, quod factum demum anno 964. Capto autem patre tantum virium Adelberto non fuit, ut Canossam obsidere posset, nec post patrem, sed cum patre regnavit. Male igitur noster *post hac* (id est capto patre) *laudatum à Longobardis Regem* scripsit.

(ss) Cod. ant. *currenr.* id est currerunt.

(t) Fabula. Ludolphus morbo obiit, Hepidannus ait febre correptum ao 957. præ dolore, id est mœrore, Ditmarus lib. 2. Sigonius suspicionem acceleratæ mortis Berengarium sustinuisse affirmat. Unus Widikindus Donizonis narrationi favere videri possit lib. 3. his verbis: *quo* (Ludolpho) *agente* (in Italia) *annum fere totum diem extremum obiit, toti Francorum imperio relinquens suo vulnere vulnus durum*; sed *vulnus* hîc pro jactura, læsione, accipi potest, nisi forte legendum *suo funere*. Hermannus contra-

Gens Alemanna dolens tremuit, nimioque timore
Atto levat vocem, confortat Theutonicosque:
Ad cujus vocem totum sprevere timorem.
Partes tunc ambæ grave damnum sustinuere;
Quamvis cum damno, campum tenuit tamen *Atto*,
Rex procul *Albertus* studuit discedere certus,
Quod non in Regnum requiesceret amplius, exul
A regno factus, pertransivit mare magnum,
Partibus in nostris non ultra venit hic hostis;
Si dilexisset me, sic male non hic abisset.
Ex *propria gente*, non ulterius sibi Regem
Longobarda petit gens, constituit neque quærit.
Tunc etiam mensis Madius florebat in herbis
Anni *nongenti quindeni* (u) tunc quoque Verbi.
Atto cadaver habens *Litulphi*, viscera plane
Illius extraxit de corpore, quem sua planxit
Gens, ea tunc tumulo posuit condigniter uno.
Dicitur Ecclesia *Prosper* sanctissimus illa,
In qua conduntur, nec non locus *Antonianum*,
Corpus aromatibus conditum quippe deintus,
Patri confortans ipsum direxit, & hortans:
Ne nimium plangas, poteris quia vincere magna,
Si veneris statim, Longobardos superabis;
Illorum fugit quoniam Rex, si modo curris,
Longobardorum Regnum dominaberis horum.
Otto de nato nimium doluit, tumulato
Ipso, confestim multos Rex ipse revexit
Italiam secum, quem pacifice petierunt
Cuncti Lombardi, sibi dantes oppida gratis,
Cum quibus & Romam petiit, Regnique coronam
A Papa cœpit fæliciter indeque crevit.
Muneribus magnis *Attonem* ditat & altis,
Cui nonnullo (x) Comitatus contulit ultro,
Per quem regnabat, nil mirum, si peramabat.

Refert Canossa amorem Attonis erga se, & quomodo acquisivit Corpora Martyrum Victoris, & Coronæ & S. Apollonium Episcopum, & Confessorem.

II.

Ditescens *Atto* mea Mœnia duxit in altum,
Per me dives erat, sua per me cuncta tenebat,
Ac ideo cuncta, veniebant quæ sibi pulchra,
Loricas, hastas, clipeos, enses mihi mandat,
Artubus ex sacris decoravit me, velut armis
Rex quidam donat, sibi Victoremque (a) Coronam.
Pœnam cervicis, nam pro diademate Cœli
Sustinuit miles Victor Sanctissimus iste,
Sancta fuit Lota secumque cruore Corona.
Duxit hic hos *Atto*, multos alios quoque sanctos,
Relliquias alias dedit illi *Brixia* magna;
Nam caput, ac humerum dextrum pariterque lacertum
Hujus Apollonii (b) vehementer honorificandi
Offert gratis ei: *Gotefredus Episcopus* egit
Hoc, quia de lumbis erat ortus Principis hujus;
Hic præsul sacram reseravit corporis arcam,

Ac

ctus Canisii ad h. a. commissa pugna *Ludolphum* vicisse, cunctisque sibi, cum Italiæ regno subjugatis eodem anno apud Plumbiam immaturo obitu vita decessisse

(u) *Quindeni*, id est quinquiesdeni; sed addendi sunt septem.

(x) et.

(a) Vid. Martyrol. Rom. 14. Maji.

(b) Vide Martyrol. Rom. 7. Julii.

Ac ſecuit membra, cruor & mox prodiit extra.
Unde bonus Princeps valde miratus, eidem
Continuo terræ propriæ, decimamque monetæ
Vovit, & hic ſecum ſacra duxit pignora lætus.
Poſt hæc excelſum ſtuduit ſibi fingere templum,
Divinasque ſcholas, (c) canerent quæ dulciter horas
Nocte die Chriſto, ſtatuit vir opimus in ipſo;
Organa Cantorum, fabrefecit vocibus horum,
Cum quibus in Sanctis jubilarent vocibus altis.
Ornamenta bona, rutilantes atque coronas
Ex auro claro ſimul argentoque probato
Obtulit, hæ vero numero ſunt bis duodenæ: (d)
Maxima thuribula, & calices; tabulas quoque ſculptas,
Pallia, planetas, pluvialia vel duodenæ
Exhibuit templo, ſincero cordeque recto,
Hoc prope veſtibulum proprium jubet eſſe ſepulchrum,
In quo more Patrum Princeps requieſcit humatus.

Quæ & qualis fuit uxor Attonis, & quot Filios habuit, & quod Tedaldus princeps extitit poſt ipſum, & quod idem Tedaldus ædificavit Monaſterium illud, quod eſt inter Padum, & Larionem.

III.

C*onjugis Attonis* non fiat oblivio nobis,
Ildegarda quidem fuit hujus nomen Amicæ,
Docta, gubernatrix, prudens, proba, conſiliatrix
Ad meliora virum ſuadebat ſæpius ipſum,
Cum quo *Birſellum* Monachis fabricavit habendum.
Ex his ſunt orti tres, quos miratur hic orbis:
Rodulphus valde juvenis pulcherrimus, atque
Mortuus ante Patrem; poſt quem ſequitur bonus alter
(e) Antiſtes magnus *Goteſredus*, & ille *Tedaldus*,
Qui poſt Attonem *totum ſervavit honorem*, (f)
Amplificans terras proprias, dives nimis extans,
Regibus exiſtit carus, notiſſimus illis,
Romanus Papa quem ſincere peramabat,
Et ſibi conceſſit quod ei *Ferrarea* ſervit;
Non genitore minus *caſtrum* coluit *Canuſinum*,
Iſte *Padum* juxtà, *Larionis* propter & undam
Cœnobium dignum Domino, ſanctum Benedictum
Conſtruxit, certe Monachos ibi maluit eſſe;
Felix iſte locus, nimis eſt quia relligioſus:
Non tamen eſt artus proprios ibi condere paſſus
Princeps Teudaldus, ſed cum Patre pauſat humatus;
Egit bella ſatis, ſunt maxima facta Tedaldi.

De Uxore Tedaldi, & tribus Filiis ejus.

IV.

U*Xor Tedaldi* fit *Guillia* dicta *Ducatrix*,
Hæc placuit parvis pietate, placebat & altis.
Hæc tres perſonas mundo genuit ſpecioſas,
Urbis *Aretinæ Tedaldi Præſulis*; inde
Atque *Ducis* celſi *Bonifacii* ſapientis
Militis, & docti *Chonradi*, ceu leo fortis.

O bona

(c) collegium hominum ſacris operantium.
(d) Videatur adjecta hic relatio de theſauro Eccleſiæ Canuſinæ.
(e) Parmenſis.
(f) Id eſt, ſolus ſucceſſit in ditiones & honores. Itaque merito *Sigebertus* rejicitur, quem Sigonius Atton filium, Thedaldo fratrem aſſignat, aut *Albertus Azo*, ſive *Albertatius*, quem Pigna.

O bona progenies, quam terris contulit ille,
Qui super astra sedet per quem sunt condita quæque.
Quidquid ad exemplum pulchrum valet esse repertum,
Repperit hæc proles armis seu relligione;
Nam Pater ipsorum moriens benedixit eorum
Personas, post se præcepit major ut esset,
Natus dilectus *Bonifacius* atque modestus,
Cui juravere Patre tunc vivente fideles
Servi, prudentes proceres, Comites pariterque
Mortem post Patris; dedit illis plurima gratis.
Cervinos plenos nummis saccos duodenos.
Liquerat in propria Camera genitor Canusina,
Quos penitus totos dedit uno tempore dono.
Ejus ubique sonat bonitas, & facta sonora.

De Episcopo Aretinæ Urbis, qui fuit Frater Bonifacii.

V.

PRæsul Aretinus, Christi *Tedaldus* Amicus
Relligionis erat, Domini gregis atque gerebat
Curam devotam, monstrans exempla decora.
Extat castus ita, quod quodam tempore quidam
Perversi vane pro quadam debilitate
Hortabantur eum stuprum committere; secum
Quod Præsul tractans jussit deducere partam
Quippe lupam quandam, prius ignem ponere mandans
Ante suum stratum; videt ignem flammiferatum,
Appropriаns juxtà dum flammas sensit abundans
In lachrimis clamat; væ væ mihi si modo raram
Flammiculam vilem nequeo sufferre, perire
Si me contingat, baratri flammam miser illam
Quomodo sufferre potero? scelus istud ad Ethnæ
Me puteum ducet; scelus hoc, ne funditus urar
Igne sub obscuro, sperno penitusque refuto.
Tale dat exemplum Tedaldus præsul agendum;
Cœpit hic adversum Simoniacos dare verbum
Ipsos detestans dicebat mente modesta,
Mille libras certe pro Papatu dare vellem,
Ut, quod ego glisco, Simoniacos maledictos
Ejicerem cunctos per totum denique Mundum.
Musica seu cantus istum laudare Tedaldum
Non cessant semper, renovantur eo faciente,
Micrologum librum sibi dictat *Guido peritus*
Musicus & Monachus, nec non *Heremita Beandus*, &c.

Quod nonnulli Marchiones Longobardiæ studuerunt separare Chonradum à Bonifacio, & quod Bonifacius duxit Uxorem Comitissam Richildam, & de magno bello, quod tota fere Longobardia fecit cum Bonifacio, & Chonrado in Cuviliolo qui est prope Reginam Urbem.

VI.

AD Laicos fratres redeat stilus hic modo plane.
Illorum summa Canossæ cura redundat,
Ut Genitor, vel Avus, sic illam semper amarunt,
Pacis amatores, fortes sunt utque Leones;
Hi pacem veram cum prosperitate tenebant,
Invidiam sævam, propter quos Major habebat
Longobardorum Comitum, pars more malorum.

Nam (a) animûm curant cum sollicitudine multa
Hos inter fratres fraternam lædere pacem;
Sed dum fraternum nequeunt elidere sensum
Ex ipsis ortam *Chonrado* tunc dare sponsam
Promisere, nimis juvenis quod credidit illis,
Servis nonnullis privatim denique sumptis,
Majoris fratris sine nutu, pergit inanis
Ad Comites illos, quos visos respuit illos,
Germani mentem placavit, mox vehementer
Facti concordes, confusi sunt ob id hostes;
Qui cum Chonrado, servos, ierant titulato,
Omnino Princeps doctus *Bonifacius* iste
Ejecit longe, Dominis aliis dedit omnes.
Marchio Richildam, prætaxatus *Comitissam*,
Quæ *Giselberti* de sanguine *Principis* (b) extat,
Duxit in Uxorem, fuerat quia dives honore:
Hæc agapem multam miseris dabat atque tributa,
Hæc defuncta jacet sine pignoribusque *Nogaræ*
Cumque duces isti cunctis essent inimicis
Fortes, & grandes velut essent quippe gigantes
Tunc populus multus inimicorumque tumultus,
Ex regno toto properans in Cuviliolo
Aggreditur certans, istos devincere tentans,
Quos superant isti bellando duriter ipsis,
In prima fronte *Bonifacius* incutit hostes;
Miles eum quidam quærebat voce ferina,
Cui dux insignis caput abstulit, omnibus illis
Ingens successit formido mortis, & ensis,
Quos cædit dente (c) valido Bonifacius ense.
Cumque fatigatus nimis esset, non superatus
Vertit equum, cunctis gaudentibus undique turbis
Deseruit bellum frendens, ad quem quasi cervus,
Chonradus cultus, quo non est fortior ullus,
Exiit ex lucis, cum quingentis fere scutis,
Cur ita Frater abis, prudens ait, ô Bonifaci?
Sume tuas vires, placeat mecumque redire,
Hostibus his campus non detur, sed redeamus.
Hortatu cujus *Bonifacius* ilico fultus,
Vexillis tensis rediit cum fratre recenti:
Pristina bella novant, inimicis væ quoque donant:
Nam perimunt, cædunt, campusque cruore repletur,
Cornipedum crura fiunt ibi sanguine rubra,
Quos illi volvunt, fugiunt, tribuunt male dorsum;
Tunc strages grandis hominum fuit, eque caballis
Lancea quod longa, quasi brachia mille, sit audax,
Estve *Bonifacii* visum cunctis inimicis,
Chonradique spata centum cubitos quasi lata,
Qui procul ejecti vix hospicioque reversi,
Lumina vertentes post tergum sæpe timentes.
Conradus ductor, *Bonifacius* inclitus ultor,
Condunt vaginis mucrones sanguine tinctos,
Dumque suum ponit *Chonradus*, flens fero vobis,
Candida lorica, cernit, quod sanguine stillat,
Ecce sciens vulnus fratrem confortat alumnum;
Illorumque phalanx campum collegit & arma,
Urbs quoque Regina *Chonrado* dat mediciniam.
Extitit hic clarus miles postquam fere sanus,

Surgit

(a) Cod. ant. *Nam nimium*. (b) Cod. ant. ex. id est *exit*.
(c) Cod. ant. *densè*.

Surgit ludendo, non se custodit edendo,
Unde nimis multum commotum denuo vulnus,
Per plures annos Fratri fletus tulit altos,
Nam juvenis pulcher de corpore migrat in Urbe;
Ad cujus funus trinus rogitatur & unus,
Ut sibi peccata donet requiemque beatam,
Hujus ad exequias sunt agmina sancta petita
Quatenus in Cœlum præstent, quod eis societur.
Pontificum cætus, ex omni stemmate Clerus
Adfuit ad tantum tunc Athletam tumulandum.
Egregius frater sumens, fratrisque cadaver
Detulit ad tutum patrum, matrumue sepulchrum,
Scilicet ad templum Canusinum reverendum,
Innumeræ gentes secum de fratre dolentes
Concurrunt, voces de tali dantque *Barone*,
Ast ubi conditus miles fuit iste peritus,
Spiritus à pœnis liber queat ut fore tetris,
Donat Apollonio Sancto Germanus in illo
Tempore fructiferam curtem *Cagnaula* vocata,
Anni *terdeni* tunc Verbi *mille* sereni.

Quot Marchiones sepulti sunt apud Canossam.

VII.

LAudo *Canossa* Deum, mihi qui concessit amænum
Tempus, habere bonis cum principibus generosis,
Quos habui vivos dulces Dominos & Amicos,
Defunctos cunctos merui tumulare sepulchro;
Inde meus planctus, dolor, & lachrimæ revelantur,
Maxime natalem celebro dum mortis amaræ
Pontifices ambo sunt à patrum procul antro.
Mors *Ildegardam* rapit *idus tertio Sabat*,
Idus Attonis animam *februi* tulit olim.
Idus octavo (g) *Madii fleo*, condo *Tedaldum*.
Idus tu *Julii Chonradum tertio* punis.
Rodulphus terras dimisit & *ante Calendas*
Augusti denis duo junctis quippe *diebus*.
Binos ante dies Augustus denique *finem*
Quam caperet, terra fuit & proba *Guillia* tecta.
Præposito nunquam petit & clerus suus (h) ullam,
Munia divina cupiunt acquirere si qua,
Ad quemcunque locum placet illis, pergere possunt,
Catholicus tantum caveant sit Episcopus, almum
Officium recte sancteque det ac reverenter,
Pulvere Sanctorum, seu cantu Præsbyterorum
Esse redimitum, sape, vestibulum Canusinum.

MANTUA RESPONDIT.

VIII.

HÆc ignorabam de te mihi, crede beata,
Sed sub *Regino* te *præsule* non *fore* (i) miror.

CANOSSA DICIT.

SI ego (ii) *Reginum* timeo, mos est, ut amicum,
Lex mea privata, (k) *Benedictus* quam mihi *Papa*

 Præbuit

(g) Maji.
(h) Forte: *ullum* ex muniis divinis seu sacris ordinibus, à *præposito*, id est *Episcopo*, in hujus sunt diœcesi, nempè *Regino*, petere necesse non habent, sed possunt ordinari ubi volunt.
(i) *Non fore*, id est, non esse.
(ii) Cod. ant. *Sic ego*.
(k) Privilegium Benedicti papæ VI. vel VII.

Præbuit in carta carecti formiter (kk) ampla,
Separat à Christo si quid mihi demerit ipsum,
Illius à cura procul omnia sunt mea jura;
Pontifices omnes pœna simili quoque torret.

MANTUA RESPONDIT.

Parce mihi, quæso, video te tangere Cœlum.

CANOSSA DICIT.

Parco tibi valde, mecum cane carmina saltem:
Ex Domino nostro Bonifacio velut opto.

MANTUA RESPONDIT.

Quid proba dixisti? Metra plurima te sine finxi
Immemor es forsan metrorum me fore (l) portam?
Dulcis amica mea, generavi namque Poëtam
Virgilium certum super omnes edere versus.

CANOSSA DICIT.

Ore tuo damnas temet nimium mea fallax,
Nunquid non nosco quantum tibi pertinet autor
Virgilius? quippe genitus de te fuit ipse,
Sed sufferre tuum nequit opprobrium sibi durum,
Olim quod vilis per Regem sustinuisti,
Cantat nempe metrum de te, quod scis bene mecum:
Mantua, væ miseræ nimium vicina Cremonæ.
Ut te cognoscas statim recolam tibi causas.
Antonius quidam commovit Cæsaris iram,
Propter eum rura sua perdidit alta Cremona,
Cæsare dante quidem tua militibus, dedit idem
Te concultatam dimittens Tityrus, auras
Nostras & sylvas, montes, petiit quoque villas;
Castaneasque bonas, comedebat mitia poma,
Hæc tibi sint nota *Maronis dicitur aula*
Hactenus & sylva, per quam pascebat ovillas.
Astet *Balista mons*, nascitur hanc prope silvam,
In quo Virgilius titulum facit hoc modo scriptum:
Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus,
Nocte, die, tutum carpe, viator, iter.
Hic Balista latro fuit ingens, hic quoque Maro
Propterea scripsit, qui (ll) amor tuus extitit illic,
Ex hoc quod scimus potes & tu discere visu,
Si quid habes dubii, primi lege carmina libri
Ipsius & statim tu non mea dicta negabis.
Quando te fugit miseram prope me (m) cucurrit
Quæ meditans finxit, mihi primitus, haud tibi dixit.
Ergo qua fronte potes illum quærere? nonne
Perrexit Romam regni rogitare coronam,
Liber ut esse queat? sibi quam dedit ilico Cæsar,
Cognovit postquam sapientiæ carmina docta

Hoc

(kk) Cod. ant. *fortiter charta carecti* puto est, quæ ex papyro est seu arundine.

(l) Esse.

(ll) Cod. ant. *quia.*

(m) Cod. ant. *meque.*

Hoc tu nolo neges, recolo tibi metra repente:
Nocte pluit tota, redeunt Spectacula mane,
Divisum imperium cum Jove Cæsar habes.
Hæc Maro parva Metra (n) jecit Regis in aula;
Cumque reperta forent, Rex cuidam fecit honorem,
Qui se laudabat, quod fecerat hæc metra cara;
Tityrus inde dolens iterum conscripsit eosdem
Versus sic pulchre de facta fraude refundens:
Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem,
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Hos partim jactans in eadem Cæsaris aula,
Non latuit regem, quis carmina tanta referret.
Imperat ante suum Maronem ducere vultum,
Præstat quæque; rogat libertatem, sibi donat.
Ad te qui jussu remeavit Cæsaris hujus,
Sed non, quod poscit, quisti dare tu sibi, nostri (nn).
Nam repetens agros ceu jusserat induperator,
Arrius est quidam Centurio motus in ira,
Ejus habens agros, occidere quærit ut atrox
Virgilium, fluvius sed Mincius abdidit illum,
Se jactans mortem vitavit ibi, sed & hostem.
Cæsaris ad vultum (o) replecavit qui cito cursum;
Rexque viros claros tres secum misit, ut agros
Restituant ipsi, fecere quod insimul ipsi.
Tu sibi nec vitam servasti rura nec ipsa,
Desine jactari jam te, jam Mantua vanis
Laudibus ex istis, vacuæ sunt, ceu tibi dixi,
Pone supercilia, mecum contendere vita.

MANTUA RESPONDIT.

PRæcipe quæque placent mihi, pænitet ô nimis acre.

CANOSSA DICIT.

UT teneas alium (p) nostri Domini volo tantum
Ac jubeo: metrum sed nullum psallere tecum
Ulterius glisco, didici melius quia dicto
Sola manens, metrum præstet decedere (pp) verum,
Quod placeat cuncto recitatum maxime mundo.

IX.

Cujus statura & cujus qualitatis extitit Bonifacius, & quid de ipso Sibylla prophetizavit.

GEsta *Bonifacii* populus precor audiat omnis
Clara fuisse scio gesta Bonifacii.
Quisquis amat rutilos retinere decenter honores,
Actus ejus amet, noscat eos rutilos.
Ingenio viguit sensu similis Danielis,
Dum puer ipse fuit, ingenio viguit.
Pulcher & egregius speciosus eratque decorus,
Providus ut Joseph, pulcher & egregius.

(n) forte *projecit*.
(nn) *nostri*, id est, nostros.
(o) F. *repedavit*.
(p) Cod. ant. *alvum*.
(pp) Cod. ant. dsedere, id est *discedere*.

Factus ut est juvenis, meruit statuamque Saulis
Prospere cuncta Regit, factus, ut est juvenis.
In cuneis equitans humero Saul eminet, ipsis
Hic quoque major erat in cuneis equitans.
Viribus acer erat Goliæ velut ille peremptor,
Qui labiis, manibus, viribus acer erat.
Innumeras habuit sapientis opes Salomonis,
Nam mundi pompas innumeras habuit;
Res sibi nulla deest terræ, pontique, polique,
Se sapienter agens, res sibi nulla deest,
Nobilis hic didicit plus cunctis dapsilis esse;
Largiri valide nobilis hic didicit.
Prisca Sibylla canit, quem, cui modo credite cuncti,
Scribo, quod ex isto prisca Sibylla canit.
Esse B. principium Ducis insit nominis hujus,
Non ratione caret esse B. principium.
Limpidus atque Bonus facie Bonifacius extat,
Artibus, & dictis limpidus atque bonus.
Esse prophetat eum locupletem pacificumque;
Victorem jugiter esse prophetat eum.
Quæ Mulier cecinit de te bone Dux habuisti,
Vera fuisse reor, quæ mulier cecinit.
Multa locuta fuit de Christo, Judicioque,
Fineque de mundi multa locuta fuit,
Nobile conjugium tribuit Deus, & tibi dignum,
Magna *Beatrix* est nobile conjugium.
Stirpe fuit genita Regali pulchra Beatrix (q),
Majorum mundi stirpe fuit genita.
Splenduit ipsa Liæ procul, & Rachelis honore,
Ut sapiens Saraa splenduit ipsa procul;
Una figura Beatricem, Bonifacium dat,
Amborum nomen una figura B dat.
Sunt bonitate pares, simulantur nobilitate,
Conveniunt bene, qui sunt bonitate pares.
Præbuit Italia Bonifacium, generosum;
Atque Beatricem Gallia fert Italis.
Huic veluti mundo sic ambo beentur Olimpo
Ambo polo rutilent huic veluti mundo.

Cum quanta gloria, & honore duxit Dux & Marchio Bonifacius Illustrem Ducatricem Beatricem.

Det Deus in claris cameris tibi stare Beatrix.

X.

HEroicum carnem cupio nunc ornet ovanter
Facta ducis magni *Bonifacii* memorandi.
Primitus hunc noscit, quantum sit, Gallia, fortis,
Cum natam *Rutili ducis* expetiit *Federici* (a)
Conjuge cum *propria Mathildis* denique dicta.
Iste *Beatricem* Federicus donat habere
Huic *Bonifacio*, qui Dux cum pergeret illo,
Ornatus magnos secum tulit, atque caballos,
Sub pedibus quorum chalibem non ponere solum

Jusse-

(q) Hadwidu, filia Henrici Aucupis, soror Ottonis Magni peperit Hugonem (Capetum vulgo) Regem & Beatricem, quæ nupta Friderico seniori Duci Mosellanorum peperit ei Theodericum Ducem, patrem Friderici Ducis, cujus filia fuit hæc Beatrix, ut ex antiqua Genealogia S. Arnulphi bene observavit Franc. Mar. Florentinus, qui res magnæ Mathildis & majorum ejus præclaro volumine illustravit.

(a) Ducis Lotharingiæ superioris seu Mosellanorum.

Jusserat, argentum sed ponere, sit quasi ferrum;
Esse repercussum clavum voluit quoque nullum,
Ex hoc ut gentes possent reperire quis esset.
Cornipedes currunt, argentum dum resilit tunc,
Colligitur passim, passim reperitur in agris
A populo terræ, testans quod dives hic esset;
Egregius Princeps tunc gessit plurima digne
Quæ scribenda forent, stilus autem currit amore
Ad Dominam nostram, quam valde carmen adoptat;
Hanc sponsus ditat, ditatur & ipse per ipsam,
Servos, ancillas, ab ea tenet oppida, villas,
Gallia nobiscum per eam dominum timet istum.
Quis Princeps Gallus plus isto dives & altus
Italiæ regnat? sibi Gallia plurima præstat;
Longobardiam deducens hanc Comitissam
Occurrère quidem Ligures, pariterque Quirites.
Exultant inopes: congaudent maximè dites;
Per menses ternos fiunt convivia vero;
Non ibi pigmenta (b) tritantur, sed quasi *spelta*
Ad cursum Limphæ molendinantur ibidem;
Gurgite de putei potus trahiturque Lyæi;
Ex alio puteo refluebat potio vero;
Situla pendebat ex argentove catena
Cum quibus hauritur dulcissima potio, Vinum;
Obbas vel lances ad mensam fert equus, atque
Argento splendent auro quoque vascula mensæ,
Timpana cum citharis ftivisque lyrisque sonant hic
Ac dedit in signis dux præmia maxima nimis.
In *Marego* facta sunt hæc convivia magna.
Nobilis & Conjux puerum peperit *Federicum*;
Inde *Beatricem*; *Mathildim* vero deinde,
Quæ similis Matri, color illi maxime patris.
Ex aliis fari pueris dum gestio saltim,
Mox nimius crescit gemitus, dolor ac juvenescit,
Hæc monimenta Patrum retinebit ut optima matrum
Patris honor, genitricis amor, decus hæc sit eorum.
Hanc Longobardis Deus istis contulit annis,
Nunc dimittatur, tantum de patre loquamur.
Ista suo fœlix nam tempore carmen habebit.

Quod Rex Chonradus Parmam vicerit adjutus à Bonifacio, & quod idem Rex, idemque Marchio Juramento fœderationis (juncti sint).

XI.

PRæpetibus palmis redeat stilus addere cartis,
Qualiter Augusto *Bonifacius* inclitus ultor
Profuit, & secum pepigit memorabile fœdus.
Chrysopolis dudum Græcorum dicitur usu,
Aurea sub lingua sonat hæc urbs esse Latina,
Scilicet Urbs *Parma*, (c) quæ grammatica manet alta,
Artes ac septem studiose sunt ibi lectæ:

Cæsaris

(b) aromata.

(c) cum Hieronymus Albertutius in libro de Urbibus Italiæ vetustam inscriptionem sibi visam dixisset, in qua Parma dici videretur *Julia civitas Chrysopolis*, Leander Albertus negavit apud veteres nomen *Julia* aut *Chrysopoleos* de Parma reperiri; inscriptionem autem suppositiam esse. Si Domnizonem nostrum legisset æquius judicasset. Et rem hodie extra controversiam collocat Anonymus Ravennas Geographus nuper editus, apud quem lib. 4. habetur *Julia Chrysopolis quæ est Parma*; quod probe notavit Pocheronus editor. Anonymum illum adjuvat Domnizo & ab eo adjuvatur.

Cæsaris hæc vallo *Chonradi* cingitur arcto;
Ut capiatur enim, jubet ipsam pungere telis
Plebis, mox armis, fit strages ex Alemannis.
Panificus quidam necuit bis quatuor ira,
Proluit unde furor mage Cæsaris, ilico muro
Applicat armatos custodes, ac galeatos,
Mandat hero nostro Bonifacio bene docto
Quatenus accurrat, juvet Urbem frangere stultam.
Qui subito sumptis equitum peditum quoque turmis
Urbis ad excidium properavit Regis amicus.
Quo viso cives trepidant, reputantque perire;
Absque tenore pedes adeunt mox regis, & ædes
Ac portas urbis reseraverunt sibi cuncti.
Tunc aderant vincti bini cum Rege maligni,
Pingues, & fortes homines nimium super omnes,
Avulsis vinclis à dextris, atque sinistris
Cedunt præcipites, lacerant, perimunt quoque cives;
Quos Juvenes Urbis cupientes cædere cultris,
Propter eos sistunt, frameis humeros sibi scindunt,
Taliter occisis Rex flevit & ejus amici,
Protinus atque locum fecit comburere totum.
Qualiter Augustus cum nostro Principe junctus.
Sit Sacramento, referatur carmine certo.
Imperium servans Chonradus eumque gubernans
Cognoscit vere plus cunctis posse valere.
Mirificum, clarum, generosum, sæpe relatum
Athletam magnum *Bonifacium* venerandum,
Ut juraret ei, rogat ipsum, more fidelis;
Ac ideo dixit, quod *Marchia* (d) serviet ipsi,
Redderet atque vicem jurandi Rex sibi, quippe
Annuit hoc Regi Bonifacius, atque peregit,
Voceque mox viva juravit Rex sibi vitam
Atque suos artus, & honorem Principis aptum,
Absque dolo recto servare per omnia semper,
Donec eis vita subsisteret, hoc ita firmant.
Nullus Dux unquam meruit tam fœdera culta
In carta scriptum Jusiurandum fuit istud.

Quid egit Bonifacius in Burgundiam eundo, & redeundo.

XII.

REx ubi *Chonradus* moritur, natusque levatur
Ejus *Heinricus*, *Rex* prudens, atque peritus
Qui tenuit pacem cum nostro Principe sanè;
Accidit, ut vallo circundaret hic *Miroaltum* (f)
Quod nullis bellis nec missilibus quoque cessit.
Circa quod fessus Rex ac exercitus ejus,
Misit ad instructum, quam maxima talibus usum,
Scilicet ad cautum *Bonifacium* sat & ausum (g),
Ne sibi desistat succurrere, nonve relinquat;
Cæsaris assensum precibus qui præbuit, & tunc
Militiam doctam secum deduxit, adhortans

Vt

(d) Marchiam igitur Rex Bonifacio dedit feudi jure.

(e) Regem vicissim Bonifacio jurasse parum credibile neque ex illorum temporum usu.

(f) In Burgundia. Equidem negat cl. Florentinus compertum sibi aliquid de expeditione Henrici in Burgundos. Sed eam tamen memorat Hermannus Contractus Canisianus ad ann. 1042. Castrum *Murat* in Burgundia (narrante Wippone) jam Conradus expugnaverat: itaque si vera refert Domnizo, id denuo defecisse oportet. Situm est non procul à Novo castro, vulgò Neufchastel.

(g) Audacem.

Vt ſapienter agant, prudenter & inſimul arma
Arripiant prompte, poterunt quia vincere fortes.
(h) Cum multo pergens ſumptuque potenter,
Proximat ad caſtrum, legatum dirigit aptum
Regi, quo teſſum non tunderet ipſe relectum (b),
Inde ſed abſcedat, quoniam vult, ut ſibi cedat; (c)
Hora, qua Caſtrum fuerit per ſe quoque captum,
Ad patrios fines malit mox ipſe redire.
Rex (d) abiit longe, famulique ſui ſimul omnes
Ante diem ternum, quàm figat dux ibi greſſus;
Hoc dans præceptum, ſi nunc per eum caperetur
Caſtrum, non ultra montes, ut pergeret ultra,
Expeteret, plane ſtatimve retro remearet.
Caſtrum prædictum *Burgundia* plantat iniquum
In jus, Caſtrenſes, cum Rex fert inde clientes, (e)
Se nimis exaltant, ſpaciando per arva (f) relaxant.
Contigit audiri quod *Dux Bonifacius* illuc
Cum Longobardis propriis properaret in armis,
De quibus exultant, quia credunt tollere cunctas
Cauſas illorum (g) vetat aſt hoc exitus horum,
Internaque (h) die Princeps acceſſit ibidem
Diſpoſita docte per partes quippe cohorte.
Barbara gens, & atrox proprios cito muniit artus,
Agmine ſcutato procul exiit, & galeato
Atque putat ſcutum bellando frangere durum;
Funditus ulla phalanx parmam Bonifacianam
Prævaluit nunquam dirumpere, nec valet unquam,
Exorto bello, gens effera cædere ferro:
Acriter incepit; Dux acrius undique cædit,
Hortaturque ſuos perſiſtere pectore duro,
Cornibus atque tubis reboare per ardua multis,
Donec terga darent hoſtes: intus repedarent.
Hæc ubi dicta dedit gentem terrore replevit
Gens Longobarda, tenuitque viriliter arma,
Et ſonuere tubas, & grandia cornua plura.
Gens timens tetra rediit graviter retroceſſa,
Ac petiit Caſtrum cupiens ſe claudere tantum,
Hoc non permiſit velox *Bonifacius* illi,
Sed ſimul intravit, jaculis transfodit amaris:
Continuo Regi caſtrum mandavit, inermis
Vt veniens tollat, patriam quia gliſcit & optat
Ipſe ſuique ſuam, nullamve moram dare curant.
Hæc nova noſcentes Rex atque duces Comitesque
Laudant, mirantur, quod caſtrum ſit cito captum,
Ad quod tollendum direxit Rex & habendum,
Athletas claros, illis duce dante relato. (i)
Tunc Longobardi cum principe magnificati,
Ad proprii tecti requiem rediere, refecti
Ex opibus magnis ſumptis virtute vel armis,
Cumque redit Princeps (k), victor mirabilis idem,

(h) Forte: *milite cum multo.*
(b) exercitum.
(c) Vult Bonifacius, ut ſibi cedat caſtrum, ſeu ſeſe dedat.
(d) Forte *abeat.* Dux ſcilicet ſignificat ſe honorem expugnationis optare, itaque velle ut Rex cum ſuis triduo ante Ducis adventum recedat, alioqui ſi nunc per eum (Regem) caperetur caſtrum, ſe nunquam poſtea ultra montes ipſi auxilio venturum, & ſtatim rediturum in Italiam.
(e) quando Rex cum ſuis militibus ſive vaſallis recedit.
(f) prædas per agros agunt.
(g) *cauſas*, id eſt res eorum deprædari. *coſa*, res Italis.
(h) *in ternaque.*
(i) Duce *relato*, id eſt ſupra dicto, id illis dante ſeu tradente.
(k) in reditu Bonifacii.

Contigit in castris cujusdam castra (l) repasci,
Campis desertis, &, ut est mos pergere servis,
Ex pueris multi cœperunt currere furtim
Ad segetes flavas, & equis has ducere flagrant,
Inde virique loci graviter nimium quoque moti
Arreptis armis mox armigerisque caballis
Cervices (m) tundunt, & equos sibi tollunt:
Burgundi bruti fecerunt hoc quasi stulti;
Nam dux iratus vehementer, ut assolet altus,
Terdenas hastas (n) ad Castrum tendere mandat,
Quæ populum cunctum facerent consurgere rursum,
Ad campi pugnam fugerent procul atque recurrant,
Cum fuerint juxta latitantem denique turbam, (p)
Noveritis jussum ducis istius esse secundum;
Nam procul à Castri sunt præsidio simul acti
Insidiosa phalanx e multis partibus alans, (q)
Allobroges cunctos manibus tenuere reclusos.
Marchio terribilis cunctis abscindere dixit
Auriculas, nasos, ut stent cum lumine plano.
Quædam Matrona pro nato nobilis orat
Parcere dignetur sibi, quatenus ipsaque demum
Appensum trutinæ juvenem præberet eidem
Argentum tantum, quantum pensaverit, album.
Absit bis fatur, *barbam quatiendo* minatur,
Posteritas vestra volo, quo sciat hæc ita gesta,
Donec mundus erit, *Bonifacius* hic quod adhæsit,
Dicatur, prorsus me non licet esse retrorsum. (r)
Incisæ nares, ac aures quippe secatæ
Illis, tres clipei sunt ex his undique pleni,
Cum sano cuncto cætu magnove triumpho
Ad proprium tectum sic est dux iste regressus.

De Aceto, quod Marchio Bonifacius transmisit Heinrico Regi secundo, & de grandi dono, quod quidam servus ejus dedit eidem Regi.

XIII.

MAgnifici vultus Rex Italiamque *secundus* (a)
Venit *Henricus*, sapiens, jocundus, opimus;
Mandavitque (b) sua Bonifacio nova plura;
Et quoniam secum laudatum vellet acetum,
Arx quod gestabat, quæ fit Canossa vocata,
Imperat argenti *vegetem* subito fabricari,
Binos atque boves Dux carpentumque jugumve
Cum bobus vivis hæc Regi Marchio misit.
Carum Rex donum tenuit magnumque decorum,
Regis tunc Hospes erat Urbs Placentia forte,
Prudens mirari nullus de munere tali
Debet enim, quando scierit ducis istius amplo
Dono fulsisse servum, Regique dedisse
Mantua cum Regem pariterque ducem retineret:
Tunc *Comes* (c) *Albertus vice* dives, maxime servus

Præ-

(l) Cod. ant. in castri cujusdam campis castra, id est copias Bonifacii, victum & pabulum comparare.

(m) Forte: *Cervices pueris tundunt & equos sibi* (id est illis) *tollunt.*

(n) Triginta hastatos.

(p) Collocat populum cunctum, seu omnem militem suum in insidiis. Triginta illos ex pugna in campo fugere jubet, usque ad locum insidiarum.

(q) alans, spirans.

(r) Non licet me retrorsum ire, & dicta mutare.

(a) Tertius Germaniæ, secundus Italiæ.

(b) suo.

(c) *Comes* Albertus *vice*, id est vice-comes.

Prædictique Ducis, habitator & ipsius urbis,
Cornipedes centum (d) *tilios* qui jure nitescunt,
Cum rudibus sellis, rudibus frenis vel habenis
Mutatos (e) centum, non mutatos quoque centum
Astures pulchros Regi simul obtulit ultro.
Quis Vir hic esse sonat, qui vobis talia donat?
Clamat Regina. Cui dixit Rex quasi mirans;
Qui Vir habet servos quales *Bonifacius*, ergo
In toto Regno similem sibi non ego specto.
Servulus iste suus referat mihi, quod sibi nunc vult.
Nil aliud quæro, volo, nec cupio neque spero
A te, ni tantum meus ut dominus sit amatus;
Hoc ait Albertus Regi; quem Rex rogitavit,
Ad propriam mensam secum prandere refertam,
Hoc timuit verbum, Bonifacii quia servus.
Mandere non unquam secum fuit ausus ad unam
Mensam cum Rege, qui manducare repente
Debebat forte, quem Rex sat postulat ob rem
Prædictam, tandem Dux rem concessit eandem
Cum duce Rege simul vir jam scriptus fere vivus
Intrans ad mensam sed parvam suscipit escam.
Rex sibi mastrucas post escam maxime pulchras
Donavit, florent pariter quoque pelliciones,
Hoc regis munus ducis ad Cameram tulit; unum
Et corium Cervi, quod nummis ipse replevit,
Principis ante pedes cecidit; sibi parcere quærens,
Mensæ regali quod secum participarit.
Ille potestatem noscens retinere, beate
Indulsit servo, facinus tamen hoc prohibendo.

Quod aliquando in Consilio suo, aliquando occasione vigiliæ noctis Henricus Rex tentavit capere Bonifacium.

XIV.

Quotidie Princeps crescens Bonifacius iste
Alma fides ipsum servabat jure benignum,
Invidia tactus nimia Rex jam memoratus
Ingenio crudo meditatur prendere furto
Illum, sub Cœlo potuit quem prendere nemo.
Stans in conclavi cupiens Rex consiliari
Ad se festine dux ut catus iste veniret,
Jussit, ut hoc astu quiret retinere coactum:
Ut teneant valvas, jubet æditui, bene clausas,
Haud nisi se quinto (a) *Bonifacius* intret, & intro,
Ad quod Rex mandat, mox se dux ire remandat,
Adversus dictum nil doctum posse recordor,
Nam dux privatos proprios cito conglomeratos
Ac alios multos gladios sub veste retrusos
Portantes post se præcepit pergere prompte;
Nobilibus septus properavit Marchio celsus,
Cui regiam primam reserare (b) æditui, quam
Claudere festinant, sed fit confracta per iram,
Progrediens ultra dirumpitur atque secunda
Tertia restabat, sub qua tunc Rex habitabat,
Frangitur ac ipsa, cum dux circundatus intrat.

(d) An *balios* vel badios, color est, qui Gallis *bay*.
(e) Mutatos, id est *varios*, colorum varietatem *muance* vocant G[illegible].
(a) quintus-met, selb [illegible]e, luy cinquiême.

(b) Ex Cod. ant. leg. *reserarunt aditui quam*, id est, janitores postquam primam portam reserarant, statim intromisso Bonifacio claudunt. Sed ab ejus asseclis rursus effringitur.

Unde nimis motus Rex callidus atque dolosus;
Quid video? quid? ait; miror de te, Bonifaci;
Hunc habuit morem jugiter mea nam domus: ô Rex
Esse mei mecum soliti semperque fuerunt;
Hoc Dux respondit, pacem Rex ilico promsit.
Hac vice Rex vidit, quod eum retinere nequivit;
Iccirco planis pacem verbis simulavit.
Denuo pertractans, & eundem prendere captans
Hoc cæco marte faciendum cogitat aptè.
Tempore nocturno super ipsum postulat ultra,
Ut Dux ipse parum vigilet; foret hoc sibi gratum;
Getuli morem scit prudens vulpis in ore.
Obsequium Regis nequaquam Marchio sprevit,
Cereolos multos fecit componere pulchros
Libram candelam ceræ simul omnis habebat,
Atque suis cunctis accensas has dare jussit
Et tentas hastas super ipsas figere mandat,
Ante suam multam faciem jubet ire columnam
Ceræ splendentem grandi de lumine, nempe
Militibus densus, & miro lumine septus
Regis ad hospicium properabat; longius ipsum
Aspiciunt servi venientem denique Regis,
Una velut silva flagraret terra vel ipsa,
Sic apparebat. Rex hoc quoque prospiciebat,
Contra quem noscens idem Rex nil modo posse,
Retro redire sibi grates magnasque remisit.

Quod Bonifacius studiosus fuit in divinis rebus. XV.

Actibus ut Mundi *Bonifacius* iste refulsit,
Sic cluit in factis divinis ac venerandis,
Pontifices Sacros habuit quam maxime caros,
Ipsis donabat, quæ censuit his fore grata,
Psallebant semper capellani reverenter
Horas nocturnas sibi quotidieque diurnas;
Nemo capellam super ipsum (c) præsul habebat.
Dilexit clerum, sed eo Monachum mage verum:
Propria peccata generosus hic atque piacla
Cum studio magno pandebat fratribus anno
Omni, pompose Christo famulantibus, ore
Cum proprio, plangens cum corde petens veniamque;
Fratres, ac Abbas ejus delicta lavabant;
Ecclesiæ quorum solito dabat optima dona,
Rex etenim nunquam dedit ullus ibi meliora.
Contigit ire semel illuc, moremque tenere
Illum, quem dudum retinere solebat in usu;
Scilicet assistens ad opus divum bonus ipse,
Stabat in excelso solio, non corde superbo;
Aspiciensque Chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, psallentes dulciter horas,
De quibus admirans, ita cur stant, seque regirant;
A Monachis didicit, semper quod stant ita fixi;
Hoc non oblitus jocundus dux & opimus,
Ire super tectum clam templi fecit honestum
Quendam quippe virum cum numis vult quia mirum
Ipse videre, decem libras vir jactat ab æde
In medioque choro strepitus sonat & puerorum,

Quorum

(c) Ipsius capellâ ornatiorem.

Quorum palpebræ penitus nec sic patuere,
Aspexit numum, tetigit non ullus & unum.
Unde magis gaudens præclarus Dux, ait autem
In modicis annis sunt hi pueri velut alni,
Talis laudetur jocus, ac recitetur, ametur..

Quod à Regibus Theutonicis venit mos venundandi Ecclesias, & quod Bonifacius accepit inde Pœnitentiam à Guidone Abbate.

XVI.

THeutonici Reges perversum dogma sequentes,
Templa dabant summi Domini sæpissime nummis
Præsulibus cunctis, sed & omnis Episcopus Urbis
Plebes vendebat, quas sub se quisque regebat.
Exemplo quorum manibus nec non laicorum
Ecclesiæ Christi vendebantur maledictis
Presbyteris, cleris, quod erat confusio plebis,
Qua de re *Guido* sacer *Abbas* arguit, immo
Nunc *Bonifacius* ne venderet amplius, ipsum
Ante Dei Matris altare flagellat amarè
Verberibus nudum, qui deliciis erat usus,
Pompose vovit tunc Abbatique Guidoni
Ecclesiam nullam, quod ipse venderet unquam;
Hoc pro peccato, multis aliisque patrato
Vovit adhuc votum nonnullis denique notum
Scilicet ad cultum Christi sanctumque sepulchrum
De prope debebat quod pergere, si sibi cedat
Vita, salus, tantum vel ad unum pleniter annum;
Atque novam puppim fieri dux illico jussit,
Sumptus atque locat quo compleat hæc sua vota.
Sed complere nequit, quia mors non hoc sibi cedit,
Ipse die sexta Maii post quippe Calendas
Deseruit terram, quem Christus ducat ad ethram. (*)
Quando defunctus, terræ datus, estque sepultus,
Tunc *quinquaginta duo* tempora *mille* Dei stant;
Mantua corpus habes, honor ingens est tibi, grates
Inde referre Deo debes sæpissime vero.
Ejus ut à pænis animam caveat Deus avi (d)
Corde Deum recto jugiter pulsare memento;
Propter quem Christum roget omnis homo Crucifixum.
Tartarei pænas Deus aufer eique catenas,
Cum veneris judex cum sanctis, da sibi lucem,
Virgo Maria caput, dextram Michaëlque beatus
Petrus & Andreas, Apollonius quoque lævam
Illius extollant, & eum super astra recondant, Amen.

Quot annis vixit Beatrix post Bonifacium, & quam prudenter omnia regit.

XVII.

QUis narrare potest quantum prudenter honores,
Ejus post finem, tenuit conjux sua vivens,
Bis denis Annis post ipsum *quinque* peractis;
Oppida, Castella, Marcham, propriam quoque terram
Rite gubernavit, tenuit Comitissa *Beatrix*, **
Moribus in pulchris natam nutrivit ab ulnis,

* Ex insidiis occisum narrat Hermannus Contractus 1052. quod poëta dissimulat. (d) Fortè: *deus evi*, Dominus seculorum. ** Dissimulat poëta secundum ejus matrimonium cum Godefrido Duce, & captivitatem, in qua eam habuit Henricus Imperator, quod hosti ipsius nupsisset. Obiit Godefridus anno 1069. quo etiam credit Florentinus filiam Beatricis Matildem filio Godefridi Godefrido desponsatam.

Scilicet excelsam *Mathildem* mente modestam,
Bina Monasteria cum qua simul edidit ipsa;
Ut tueatur eas, qui Cæli ducit habenas,
Faxinorense (e) Monasterium primum fuit illud;
Prædia multa satis dedit illis magna Beatrix;
Esse quia Monachos plus quam Clericos venerandos
Credebant ambæ (ee); *Canusina* quoque Sanctæ
Ecclesia nomen mutaverunt & honorem
In melius, dudum cui præpositus fuit unus,
Usus cum Cleris (f) non ni tantum duodenis
Deservire quidem; nunc abbas servit ibidem
Cum Monachis Christo multis famulantibus illo.

Quod Secundus Henricus tempore Beatricis mortuus est, & quod tertius Henricus cum Papa Alexandro II. nimie discordatus est.

XVIII.

CÆsar *Henricus* Comitissæ tempore vivus
Extiterat, scimus quod *herus* (g) fuit atque *propinquus*,
Ipse *Beatricis* magnæ, nata que *Mathildis*.
Mortuus Augustus fuit hic in pace sepultus,
Postquam surrexit, qui de lumbis puer exit
Illius, in Regnum, fiet per quem male rectum,
Scilicet *Henricus* crudelis *tertius* hydrus;
Cujus erat Mater Regina videlicet *Agnes*,
Hunc in ventre gerens, vidit quod sit draco vere
In somnis infans; hoc multis retulit ipsa.
Hunc *Victor* Regem laudavit *Papa* recenter,
Hic nimis exercens crudelia Rex adolescens,
Ut sonipes mulus, sensus non est quibus ullus,
A Papis sanctis, verbis sæpissime blandis,
Admonitus, sentes genuit mens illius ex se.
Nicolaum Papam contempsit mens sua prava,
Sprevit *Alexandrum* Papam vere venerandum:
Tollere Romanum cui tentat Pontificatum,
Quendam *Parmensem Cadalum* Papam jubet esse:
Præsul erat *Parmæ Cadalus* ditissimus, atque
Præparat absque mora se contra pergere Romam
Filius iste mali, quem sprevit docta Beatrix.
Nam foveam parvam, deridendi sibi causa,
In *strata* fieri tunc præcepit *Motinensi*,
In noctis tenebris. *Cadalus* tenebrosus at ivit
Multos conducens, caput orbis venit ad Urbem,
Quem pars perversa preciosius (h) cepit, aberrans
A dictis Cæphe, sed pars sibi dextra repente
Obviat ad pugnam, Cadaloa cohorsque repugnans

Exuperat

(e) Cod. ant. *Fraxinorense Monasterium fuit illud.*

(ee) itaque autor ipse erat Monachus.

(f) Non nisi.

(g) *Herus* ex græco, nexu (nempe sanguinis) ligatus; ἕρσις vel ἔρσις est nexus. Florentinus pro *quod herus* legit *quam hænus*, sed non explicat. Non satis explorata est ratio consanguinitatis inter Imperatorem Henricum III. (quem poëta secundum vocat, in Italia scilicet) & Beatricem. Sane *Henricus IV. amitam* vocat. in Ep. Regesto Gregorii VII. inserta. Urspergensis (1054.) *neptem Henrici III.* Domnizo Mathildam (filiam Beatricis) *Consobrinam Henrici* IV. infra lib. 2. cap. I. Et sane Henricus V. jure propinquitatis etiam hæreditatem Mathildis, filiæ Beatricis, sibi vindicavit. Sed cum ignoretur, ex qua stirpe fuerit mater Beatricis, cui & ipsi nomen Mathildi; mirum non est gradum cognationis ignorari, nam amitæ & neptis vocabula latè apud hujusmodi scriptores sumi constat. Quid si Giselæ Conrado Imperatori nuptæ soror fuerit? ita & verborum proprietati & rerum circumstantiis satis fiet.

(h) Cod. ant. *pretio suscepit*, id est Simoniacè.

Exuperat dextram partem, Tiberimve cruentat.
Obtinuit Præsul Cathedram ter sanguine plenus
Ob terræ febres Parmenses mox rediere.
Pontificem solum linquunt proprium Cudaloum;
Pars ab eis fessa capit ipsum denique dextra,
Et super excelsam *turrim Crescentis* apertam
Evehitur, vinclis constringitur undique firmis.
Præsul *Alexander* Cathedram recipit veneranter,
Ille fuga lapsus, Parmam redit undique lassus,
Nomen habet Papæ, quod nomen sumpsit inane,
Derisus valde moritur cum crimine Parmæ.
Pastor *Alexander* regnavit ovanter, ut ante,
Errantem Regem studuit revocare paterne,
Dicta patris Sancti despexit perfidus ast hic.
Credere perversis tantum vult atque protervis,
Vendebatque vagus super hæc mala Pontificatus;
Qui propter Papam non deseruit mala tanta.
Tristes inde satis *Mathildis* erantque *Beatrix*
Quæ sub Alexandro Papa stabant venerando.
His ita digestis præfatus Papa recessit
Ante novem soles Madius, quam ferret odores *
Ex isto Cosmo, supero requiescat in horto.
Anni *mille* Dei, *tres*, tunc quoque *septuageni*.

Quod post Alexandrum Gregorius Septimus Papa sacratus est, cum quo prælibatus Rex tamdiu discordatus est, quod ab eo damnatus est.

XIX.

Post *Alexandrum* fuit *Ildeprandus* amandus
Antistes factus, prius Archidiaconus almus
Extitit ejusdem reverendæ sedis in Urbe,
Dum consecratur, *Gregorius* ipse vocatur,
Jure Deus nomen sibi tale dedit vel honorem,
Ne lupus irrumpat, vigilat caulas ovium sat;
Noverat esse pius miseris, altis quoque dirus
Diversisque modis culmen retinebat honoris;
Plenus erat mira super omnes quippe sophia,
Septimus Antistes *Gregorius* extitit iste;
Lucra gregis quærens studuit Regemque monere
Dulciter, à tantis resipisceret ut malefactis
Ecclesias scripsit precio ne venderet ipsi.
Ad cujus scripta rescripsit Rex bona dicta;
Cujus Papa Legens apices, gaudens ait esse,
In Cœlo cunctis de tali gaudia justis.
Rex ultra montes degebat, Pastor in Urbe,
Legatus velox referebat eis nova crebro;
Inter utrosque manens *Mathildis* cognita Mater,
Ut pax in Regno toto fieret sine bello,
Pontificis pacem Regem suadebat amare,
Atque pium Papam de Regis amore rogabat.
** Regis erat Mater tunc Romæ subdita Papæ,
Quam vir amans pacem pro nati mittere pace
Ordinat, & secum *Prænestina* quoque verum
Pontificem Christi, cui jungit & *Hostia* *** tristis
Pontificem magnum, quem nomine clamo *Giraldum*;
Hos ultra montes direxit Papa, duosque,
Quos Rex dignanter cum matre recolligit *Agne*; (i)

In

* Id est mense Aprili anni 1073.
** Sequentes 19. versus citat Bar. Tom. XI. 1074. N. 18.
*** *Ostia*.

(i) Ad ipsum cum matre venientes. Lambertus ait, cum Imperatrice Legatos venisse Episcopos Ostiensem, Prænestinum, Curiensem, Cumensem 1074.

In manibus quorum promisit, jussa piorum
Se pro posse sequi, Papæ, sancti quoque Petri,
Ecclesiam summi Domini non vendere nummis;
Lætificat valde nati responsio Matrem;
Romam regressa Papæ retulit nova gesta;
Papa Deo Laudem tulit immensam super hanc rem.
Ad scelera rursum rediit Rex post modicum tunc,
Ad quem mendacem direxit denuo matrem;
De prope post ipsam sibi transmisit sua scripta;
Qui doluit tandem, Matrique spopondit ut ante
Credidit hoc statim genitrix, quod Rex simulavit,
Quæ rediit Romam, Papam reverenter honorans,
Post hæc ad Regem bis scripsit Papa decenter;
Quos apices sacros tenuit Rex maximè caros,
Quem tunc *Saxones* Regem sprevere feroces,
Prælia qui secum statuunt committerè demum:
* Quod Rex absque mora Papæ mandavit, adorans,
Atque petens ipsum, pro se roget ut Crucifixum.
Pastor confestim Saxonum mittere genti
Curavit, plane pacem cupiens revocare,
Inde suus missus donec redeat, jubet ipsum
Regem, nullomodo super ipsos pergere; quod non
Rex expectavit, galeatus quin equitavit,
Contra *Saxones, qui fortes sunt & atroces.*
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis;
Comisso Bello, victor Rex extitit ergo,
Unde superbus adest, Papam despexit, ut amens,
Omnia quæ Papæ, matrique spoponderat ante,
Fregit & invasit, Simoniacos revocavit.
Afficitur valde vir Apostolicus super hanc rem;
Accitis missis multis hoc ilico scripsit,
Atque *Beatrici* Dominæ, prolique *Mathildi*,
Quæ Dominum Papam flagrantem (k) semper amabant,
Perfidiam Regis detestavere tumentis.
** Acrius ad Regem scripsit Pastor Sacer, & se
Ulterius clamat non posse pati mala tanta.
Rex mox hac illac discurrere cœpit, ad ista
Plures perversos coadunans tempore certo,
Cum quibus adversum Patrem loquitur reverendum.
Moguntinus ibi fuit *Archiepiscopus*, ipsi
Judicium totum tribuit Rex flagitiosus.
Huc *Ugo* tunc falsus venit, qui dicitur *albus*,
(kk) Officit hic multis; Romanæ Presbyter (l) Urbis
Ter damnatus erat, precio quia restituebat
Emptores Christi templorum, junctus & ipsis
Adversus Papam fingens mala, lætificabat
Corda malignorum, regis simul, & sociorum.
Audax *Antistes Moguntinus* nimis ille,
Non Christum timuit, Papam quando maledixit,
Cuncti subscribunt, magis ipsi se maledicunt.
O blasphemia non hic, neque post abolenda ***.
Hoc Anathema quidem mandavit mox procul idem
Ad (ll) Longobardos Simoniacos nimis altos,
Qui læti facti, in Papam (m) denique raptim

Omnes

* Sequentes 13. Versus recitat Bar. 1075. N. 25.
(k) Cod. ant. *flagranter.*
** Seq. versus 28. recitat Baron. 1076. N. 15.
(kk) Cod. ant. *Offuit*, id est obfuit.
(l) Presbyter Cardinalis, quem ait Lambertus propter ineptiam & mores inconditos fuisse depositum.
*** quasi scilicet peccatum esset in Spiritum Sanctum, neque in hoc, neque in futuro seculo condonandum.
(ll) Bar. *Allobroges.* Sed Codex ant. habet ut excusum est.
(m) Cod. ant. *Papiam*, ubi synodus scilicet habita contra Gregorium.

Omnes concurrunt, Regis faciunt quoque jussum
Jurant, subscribunt, contra Dominumque Magistrum
Mittendos apices Romam, Rex edidit ipse;
Qui de sede sacra dicebant surgere Papam,
Injuste stantem, Papatum depopulantem,
Quos Synodo coram statuerunt, mittere Romam.
Quidam *Rolandus Darmensis*, Clericus aptus
Eligitur, quarum gerulus tunc literularum.
Incipiens (m) Synodum *Pastor Gregorius*, ovum (n)
Gallinæ sculptum gestans in cortice scutum,
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput, (ictu
Quippe repercussus quodam) pertingere sursum
Non poterat, clinum sed ventre tenus caput ipsum
Torserat & caudam triplicando dabat sinuatam;
Non erat hæc plana, sed erat sculptura levata.
Ad synodum fertur, nunquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus & ecce Rolandus,
In medium venit, Papæ mox dicere cœpit:
Rex jussit terræ, jusserunt pontificesque,
Ut linquas sedem, quam non es dignus habere.
Costes in pente Romam testor veniet Rex
Missurus Papam, Lupus hic non est quia Papa.
Sic dum blasphemat, præfectus eum cupiebat
Privari vita gladio, commotus in ira. (o)
Quod fecisset enim, sed ei Pater almus adhæsit;
Vixque tacens cætus cælesti flamine plenus,
Papa beatus ait; turbari linquite nati
Ecclesiæ sanctæ, veniunt quia tempora valde
Plena dolis nimis, magnisque repleta periclis;
Expedit, existant, quæ sunt ut scandala scripta;
Væ sed ei pravo, per quem sunt scandala, clamo;
Nostrum nempe modum, Deus infit mitto luporum
In medio vos sic, velut agnos, dicoque vobis;
Vos, quasi serpentes, prudentes convenit esse;
Vivere simpliciter veluti vivuntque columbæ.
Has gestare decet virtutes non modo verè,
Atque crucem Christi studeamus ferre met ipsi;
Non nos à Christo tribulatio separet isto
Tempore, sed colla subdamus membraque nostra
Martyrio; verbo fidei feriatur hic ergo
Ostensus serpens, qui scutum gestat & ensem,
Adversus Matrem Romanam Catholicamque
Ecclesiam, Christi de sanguine rubra benigni.
Plura loquens Papa, dixit Synodus sibi sancta:
Tu Pater es Patrum, blasphemum contere pravum;
Est nostrum quippe jussis parere tuisque;
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes,
Judicium confer, gladium trahe, percute fortem
Omnibus excelse dignum clamantibus esse
Privari Regno Regem, maledicere nec non.
Papa dolens, vinclis Anathematis illico strinxit
Regem prædictum, cui Regnum devetat ipsum.
In quadragesima Synodus celebrata fit ista, (p)

(m) Seq. versus 15. recitat Bar. 1076. N. 17.

(n) Narrat poëta pro monstro fuisse illatum in Synodum ovum gallinæ, in quo (natura an arte) sculptus coluber, qui percussus caput frustra erigere tentabat; id visum Symbolum rei quæ tunc agebatur & Simoniacam (opinor) hæresim designare.

(o) Legatos suos in carcerem conjectos & indignis modis habitos queritur Rex in Epistola apud Reuberum p. 195. addatur Bertoldus ad ann. 1076

(p) 1076.

Qui Petrum Sanctum, qui Papam diligit almum
Hoc Anathema probat, quod Regem sic inhonorat.
A Petro quisquis seu Papa discrepet istis
Temporibus, firmæ permansere Comitissæ
Magnæ, Petra quasi *Mathildis* & alta *Beatrix*
Hæ mediatrices inerant & Regis amicæ;
Cumque vident Regem per devia tendere semper,
Proximus illarum fuerat quia Rex & earum,
Ex ipso mœstæ pandebant se satis esse,
Sed tamen à Papa se non discedere clamant:

De obitu Dominæ Beatricis, & quomodo Canossa dolet ex ea & de corpore ejus.

Plena bonis factis dictisque referta *Beatrix*,
Cunctis cara nimis, magnis parvis quoque; *Pisis*
Ægra manens, vita de præsenti bene migrat,
Octo decemque dies Aprilis dum finit ire
Christi post ortum vera de Virgine corpus
Anno *Milleno*, *bisterno septuageno*,
Conditur Pisis, lucem videat Paradisi,
Hanc Patres justi ducant super æthera cuncti.
Æstimo, quod vilem nimis ex hac me modo Pisæ
Esse putent sanè, nisi plangam, conquerar altè.
Perspicuam dominam cupiebam vivere vita
Longa, quo lætum potuissem ducere seclum:
Defunctum Corpus sperabam reddere prorsus
Dignæ telluri, dolor hic me funditus urit,
Cum tenet urbs illam, quæ non est tam bene digna.
Qui pergit *Pisas*, videt illic monstra marina;
Hæc Urbs Paganis, Turchis, Lybicis quoque Parthis
Sordida, Chaldæi sua lustrant littora tetri;
Sordibus à cunctis sum munda *Canossa*, sepulchri
Atque locus pulcher mecum; non expedit Urbes
Quærere perjuras, patrantes crimina plura:
Talibus in vicis contempserunt sepeliri
Præcipui magni, nostri Domini memorandi;
Sed se post mortem condi voluere *Canossæ*,
Artus jam dictæ dominæ teneant modo Pisæ,
Possideant, caute nec non veneranter honorent;
Ast animo mœsto jugiter maneo nimis ex hoc,
Spero tamen per eum, qui consolatur egenum
Me fieri lætam, mihi conservando severam
Mathildim, claram dominam probitate notatam
Omni, cujus ego vitam per sæcula quæro.

Explicit Liber primus.

INCIPIT PROLOGVS LIBRI SECVNDI.

MAteriam parvam facit esse *Comarcus* (a) ut altam,
Dilatare quidem sua verba scit ipse perite,
Materiam grandem sciolus describat ovanter,
Ut, quod ei prohibet peracuta peritia scire,
Scilicet in lætum (b) sermonem tendere parvum
Patret cum nota vel materia numerosa
Valde prolixam, poperculus en ego scribam
Materiam, cuncto divulgatam fere mundo.
Quamvis florescant, quæ scripsimus, ac renitescant

De

(a) an à κομέω orno, quasi ornandi magister.
(b) Cod. ant. *latum*.

De ducibus claris, codex quos primus amavit,
Multo florebit vehementius, ac retinebunt (c)
Facta *Ducatricis* quæ sunt scribenda *Mathildis*.
Historiam longam metris describe Canossa.
Explicit prologus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Quicquid ego possum de tanta dicere prorsus,
Scit populus mecum, minus est, plus ipsa meretur,
Tantum mirari consultius esse sciatis.
Hæc est tam clara, ceu fulgida stella Dianæ,
Hæc radiata fide, stat spe circundata mire.
Huic sincera manet major dilectio sanè;
Hæc peramat celsum, per quem sunt omnia, Verbum.
Illius & servos, quos invenit esse modestos,
Diligit & laudat, reverenter obedit, honorat;
Hæc odit vitia, virtutes comprobat ipsa;
Elatis alta, mitis sed mitibus astat;
Scit mulcere pios, terrere sed hæc scit iniquos.
Prospera non mutant, seu non hanc tristia turbant;
Omnibus in rebus graditur discretio secum.
Omnibus in Regnis sua currit fama perennis,
Evehitur lintri trans Pontum fama Mathildis,
Nomine de cujus Turchorum castra loquuntur;
Notitia multa cum qua Rex græcus abundat;
Pallia cum gemmis *Rex* dat sibi *Græcus* (a) *Alexi*.
Hanc multis horis *Alemannus Rex* amat, odit;
Gens Alemanna quidem sibi gratis servit ubique.
Russi, *Saxones*, *Guascones*, atque *Frisones*,
Arverni, *Franci*, *Lotheringi*, quinve *Britanni*,
Hanc tantum noscunt, quod ei sua plurima poscunt.
Post ipsam gentes hæ mittunt sæpius *enses*:
Omnibus ex istis equites habet *alta Mathildis*.
Responsum cunctis hæc dat sine murmure turbis;
Hæc hilaris semper, facie, placida quoque mente.
Hæc apices dictat, scit *Theutonicam* bene *linguam*;
Hæc loquitur lætam quin *Francigenamque loquelam*.
Hæc Longobardos nutrit, regit, & facit altos.
Qui numeras stellas, vitam sibi supplico serva,
Si quod non glisco, mundo decesserit isto;
Porrige, quod sitio, corpus tumulare requiro,
Cum Patribus justum vere sit habere sepulchrum.
Antiquos Patres Isaac, Abraham, Jacob, atque
Uxores sanctas simul una recondidit arca,
Annos post multos in eodem vero sepulchro
Corpus conditum Magni Joseph reperitur.
Hujus amo Patres, sed eam plus diligo valde;
Hæc exaltavit nimium me quin & amavit,
Martyris ista mihi *Sancti* dedit *ossa Quirini*,
Me renovat semper turres fabricando recentes
Atque meum nomen crebro fecit crescere Romæ.

 De

(c) Cod. ant. *Multo florebunt vehementius ac retinebunt*. (a) Cod. ant. *Alexis*.

De primo Adventu Tertii Henrici Regis, & VII. Papæ Gregorii in Longobardiam, & qualiter à Ducatrice Mathildi apud Canossam suscepti sunt, & quod eundem Regem subvertit Guibertus Archiepiscopus, & alia vice ivit cum eo Romam contra Papam.

I.

Rex rogat abbatem, *Mathildim* supplicat atque
Post matris mortem fama currente per orbem,
Regem damnatum per Papam commemoratum;
Turbati certe fortes sunt atque potentes,
Per totum Regnum, dicentes, esse superbum,
Non parere pie, sinceriter, atque benigne
Romanæ sedi, quæ claves continet ævi;
Quo circa Regem statuunt contemnere recte,
Ni redeat; Papæ pacem studeat revocare.
Non aliter se Rex noscens regnare valere,
(b) Ad *consobrinam Mathildim* misit, ut ipsa
Consilium caperet, quo Papa veniret ab Urbe
Longobardiam, peteret veniam sibi dignam,
Ipse suum jussum faceret dubio procul ultro.
Papa precesque videns Dominæ Mathildis, eidem,
Quod quærit, donat, dimisit denique Romam,
Opilio dignus Canossam venit & intus,
Quem sancti Petri vice digniter illa recepit:
Salvificum rorem quæ Papæ sumpsit ab ore.
Regis Henrici, domina comitante Mathildi,
Affuit & juxta præsentia, turbaque multa;
Ex me fitque nova, dum fiunt talia, Roma,
Urbs honor ecce tuus, mecum Rex Papa simul sit,
Ac Itali proceres, nec non Galli proceresque,
Ultramontani, Romani, Pontificali,
Stemmate fulgentes, adsunt plures Sapientes,
Inter quos abbas *Hugo Cluniacensis* hic astat,
Qui Pater in Lavacro Regis fuerat sacrosancto.
Pacis sermones tractabant hi seniores;
(c) Cumque dies starent per tres pro pace loquentes,
Et pax non esset, Rex atque recedere vellet;
Capellam Sancti petit idem Rex Nicolai;
In qua Pastorem lachrymans oravit *Hugonem*;
Ut pro pace sua fidejussor sibi fiat.
Non licet hoc, Abbas Regi respondit, & astans
Illic *Mathildis* rogitavit eum: sed & ipsi;
Hoc faciet nemo, respondit, tu nisi, credo.
Poplitibus flexis dixit Rex atque Mathildi;
Tu nisi me multum juveris modo, non ego scutum
Ulterius frangam, multavit me quia Papa.
Consobrina valens fac me benedicere, vade.
Ipsaque surrexit Regique spopondit, & exit
Ascendens sursum, stetit ac Rex ipse deorsum;
Alloquitur Papam de Regis fine reclamans.
Sinceris dictis Dominæ venerabilis istis
Credidit antistes, ut juret sic tamen ipse
Rex illi, sedi Romanæ sitque fidelis;
Præsul quæque velit Gregorius, hoc sibi fecit (d)
Rex retro scriptus; (e) solitoque munere mage frigus

Per-

(b) Sequentes 8. versus recitat Bar. 1077. N. 21.
(c) Seq. 10. vers. Baron. loc. cit.
(d) juramentum.
(e) Cod. ant. *solitoque nivem mage frigus*, id est, Januarius nivem & frigus ultra solitum dederat.

Pernimium magnum janus dabat hoc & in anno;
(f) Ante dies septem, quam finem janus haberet,
Ante suam faciem concessit Papa venire
Regem, cum *plantis nudis*, à *frigore captis*;
In cruce (g) se jactans Papæ, sæpissime clamans:
Parce, beate Pater, pie parce mihi peto plane.
Papa videns flentem, miseratus ei satis est, est;
Nam benedixit eum, pacem tribuit sibi, demum
Missam cantavit, corpus dedit & deitatis (h):
Secum convivans super arcem qui (hh) Canusinam,
Ipsum dimisit, postquam juravit; & ivit
Urbem *Reginam*, qua stabat turba maligna
Pontificum, valde metuentes hanc fore pacem.
Major (i) erat cunctis *Guibertus*, *Episcopus* Urbis
Ravennæ, doctus, sapiens, & nobilis ortus,
Extiterat *Parmæ* civis seu Clericus ante,
Dum fuit Electus *Gregorius* iste, *Guibertus*
Ipsi juravit, contra quem nunc male sancit:
Regis enim mentem contra Papam docet esse,
Rexque die sexto remeavit *Bibianellum*;
Corde dolo pleno, cum plena mente veneno.
Pastor felle carens ad eum descendit ab arce,
Crebro scripta suprà, mox est Comitissa secuta.
Callidus at multa Rex Papæ dixit, & ultra
Eridanum fluvium, commune cupit fieri tunc
Colloquium; laudat quod Papa, Mathildis & optat.
Cur hoc Rex malit, ignorant hi duo clari;
Mantua re vera placito subdique timebat:
Rex equidem frustra transivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere Papam,
Nec non, si quiret, Comitissam traderet idem,
Hoc scelus infandum complere putat placitando.
Cuncta videns Christus fieri vetuit scelus istud;
Eridanum Præsul, Mathildis & optima secum
Transivit, sperans pacem componere veram,
Ad Dominam claram multis oculis oculatam
Nuncius advenit, qui secretum patefecit
Regis Henrici, qui Papam tradere dicit,
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox cito movit
Seque suos, fortes petiit cum Præsule montes;
Insidiæ fractæ Regis sunt & patefactæ.
Papam, Mathildim, Rex ulterius neque vidit,
Pontifices falsi sunt ex hoc lætificati,
Maxime præscriptus *Guibertus*, qui dedit istud
Consilium Regi, quia vult invadere Petri
Sedem condignam, Zabuli quod fecit ad instar,
Æthercam sedem cupiit qui tollere teter.
Lubricus & mendax erat iste *Guibertus* aberrans,
Conscius & consors homicidarum quoque fautor;
Pompam mundanam plus ipso nullus amabat;
Religione caret, sic quod nec eam scit amare.
Hunc Rex pro Papa laudans hoc magnificabat,
Ultra qui montes rediit, faciens mala prompte,
Quæque nefanda libent, tute faciebat, inique;
Nam suus exactor, judex, falsus quoque Pastor

 Non

(f) Hos 5. versus recitat Bar. 1077. N. 20.
(g) In pœnitentia.
(h) Lambertus narrat absoluto Rege Papam missarum solennia celebrasse, & ut se purgaret ab objecto Simoniæ crimine, partem corporis dominici accepisse, aliamque Regi obtulisse, testandæ innocentiæ gratia; sed hoc deprecatum esse Regem.
(hh) Cod. ant. *quin.*
(i) Seq. 33. versus recitat Bar. 1077. N. 36. 37.

Non reprehendebat crudelia, quæ faciebat.
Ecclesias nummis vendebat sedulo multis,
Sæpe duos falsos Urbs una tenebat in anno
Pontifices, dando certatim præmia stando:
Plebes, capellas precio Clericis tribuebant;
Cuncti perversi vivebant lege Guiberti.
(k) Ast hera Mathildis despexit facta maligni,
Corde fidem veram peramabat munere plenam;
Postposuit Regem; per tres tenuit pia menses
Gregorium Papam, cui servit ut altera Martha;
Auribus intentis capiebat sedula mentis
Cuncta Patris dicta, ceu Christi verba; Maria
Propria clavigero sua subdidit omnia Petro,
Janitor est Cœli suus hæres, ipsaque Petri,
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus
Tunc libertati Canosinam sanctificavit
Ecclesiam, Chartam libertatis sibi largam
Dictans, & mandans, violenter ne sua tangat
Ullus homo prorsus, sit ob hoc anathemate tortus;
Hortatu magnæ Comitissæ Papa dat hanc rem.
Tempora *mille* Dei tunc *septem septuaginta*.
Tempus cognoscens crudele venire per orbem
Papa, ducatricem verbis corroborat idem,
Ut sit in adversis acerrima, non sit inermis,
Christicolas cunctos, ut prævalet, adjuvet ultro;
Blasphematores, qui sunt Sathanæ quoque proles,
Conterat, extirpet, revocet quandoque benigne.
Jussa pii domni sapiens Comitissa recondit;
Ut Regina Saba Salamonis verba beata;
(a) Cumque valedixit Comitissæ Papa Mathildi
Urbem Romanam Madio florente per arva
Visitat, adventum cujus plebs ipsa repertum
Obviat, exultat, pastorem suscipit una,
Ipseque commendat, quod nobilis egerat erga
Se, sanctumque Petrum Mathildis; *Vivat in ævum*,
Clamavit cunctus Clerus, totus quoque vulgus;
Cum quibus & Regem maledixit denuo recte,
Absolvitque viros, qui jurarant sibi, micros
Ac proceres grandes, illum si linquere mallent.
Quod Rex agnoscens, coadunans denuo fortes
(b) Italiam rursum spacium post temporis unum
Ingreditur, terram totam maculabat aberrans.
Sola resistit ei Mathildis, filia Petri,
Rex exardescens contra quam concitat enses,
Prælia, terrores, & castris obsidiones,
Ad nihilum pugnat, non hæc superabitur unquam;
Insuperabilia loca sunt sibi plurima fixa.
Diligitur valde, villas defendit & arces,
Hanc videt incassum rixam Rex crescere tantum,
Cogitat ut turbet solum Caput; ivit ad Urbem
Romuleam, secum *Guibertus* abisse videtur.
Mos fuit adventum Regis populo (c) fere festum,
Istius est fletus, sua turbant crimina Cœlum.
Urbs propter Papam non illi fit reserata;
Circa quam bellans, dirupit mænia celsa,
Depopulans Urbem, Papam statuens ibi turpem,

In

(k) Seq. 7. versus Bar. 1077. N. 23.
(a) Seq. 6. versus recitat Bar. 1077. N. 43.
(b) Hos 8. vers. Bar. 1081. N. 25.
(c) *fore*, id est esse debere.

In (d) Cathedra locat hunc falso *Clemens* vocitatur:
Hic est *Guibertus* fallax, vastator apertus
Ecclesiæ Christi, merito quem signat abyssi
Bestia, quam vidit dilectus in Apocalypsi.
Regis & illa Phalanx Romam totam maculabat,
(e) Pervigil & Rector *Gregorius* ex grege fesso,
Pollutæ Cathedræ multum quoque condolet æque,
Sperans in Petrum rogitat pugnare *Robertum*
Hermannum (e) quendam, qui Regem depulit extra
Urbem, qui veluti per stratam (f) damnula fugit
Francigenam, mentes ultra rediens malus hospes.
Papa suus *Clemens* Romanis præmia præbens,
Raptor terrenam Petri rapit ipse Cathedram,
Quanquam se monstret, quod sit quasi pastor in Urbe,
Ipsi nulla tamen pars in Cœli manet arce,
Hic heresis limes mundum seduxit inique,
Jussa Dei spernit, sanctorum verba neglexit,
Prævaricat leges, divinas destruit ædes:
Persequitur dignum Dominum Papamque Magistrum,
Qui monitis Sacris plenus manet in Lateranis,
Illic consistens spermologus optimus iste,
Actibus (g) & verbis exprobrat schisma *Guiberti*
Perpetuo damnans anathemate Schismata tanta.
Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio justis,
Mucronem Regis pia pars quam maxime sentit.
Sedibus expulsi sunt Pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere stricti.
Rex & *Guibertus* faciunt juvenescere tempus
Neronis prisci, qui præcepit crucifigi
Petrum, cervicem Pauli gladio ferit idem,
Et propriæ ventrem præscindere matris ab ense
Fecit, ut inspiceret, requievit ubi malus ipse,
Sic propriæ Matris palmas calcaribus acris
Transfodit, missus Sathanæ, *Guibertus* iniquus:
Nullum quippe Virum timuit nisi Nero magistrum;
Venis incisis in aqua vitam tulit ipsi.
Hi duo præscripti fidei ferè nomen obliti,
Perdere nituntur doctorem denique summum.
Simon eis doctor Magus extat & hispidus auctor,
Ignorant forsan, quod dum fortuna reportat
Injustos sursum, ruituros esse deorsum,
Quandoque plus ipsos (gg) ideo patitur Deus illos.

Qualiter circa Regem, & Guibertum exarserit Domina Mathildis, & quod cunctis Catholicis subvenerit.

II.

Corde pio flagrans *Mathildis* lucida lampas
Adversus binos Domini Crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, instigat, prælia gessit.
Singula si fingam, quæ fecit nobilis ista,
Carmina sic crescent, sunt ut numero sine stellæ,
Plura sed omittam, de paucis discite mira.
Ex hac parte freti per climata quatuor ævi,
Lepra Guibertina succreverat horrida; nigra

Hac

(d) Hos 4. ver. Bar. 1083. N. 2.
(e) Hos. 6. ver. Bar. cit. 1084. N. 6.
(ee) Cod. ant. *Normannum*.
(f) Cod. ant. *Dammula*.
(g) Seq. vers. Bar. 1081. N. 1.
(gg) interpunge ita: ruituros esse deorsum quandoque plus ipsos, ideo patitur Deus illos.

Hac lepra mundus fere non locus extitit ullus;
Munda domus sola Mathildis erat spaciosa,
(h) Catholicis prorsus fuit hæc tutus quasi portus;
Nam quos damnabat Rex, pellebat, spoliabat
Pontifices, Monachos, Clericos, Italos quoque, Gallos;
Ad vivum fontem currebant funditus omnes:
Scilicet ad dictam Dominam jam mente benignam,
Quæque requirebant apud ipsam repperiebant,
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mæstus, si quis vir venit honestus,
Unquam præteriit, sed consolatus abivit,
Vestibus è sacris multos hæc nota Ducatrix
Patres Catholicos vestisse quidem reminiscor,
(i) Inter quos fulxit reverendus *Episcopus* Urbis
Lucensis, lucens *Anselmus* maxime prudens,
Lege Dei doctus, Monachus bene relligiosus;
Gregorius Præsul Romanus, ut egit JESUS,
In Cruce, qui moriens, dat discipulo Genitricem;
Commisit Dominam sic *Anselmo* Comitissam;
Quam docuit, dictis, regit exemplisque benignis;
Perversæ sectæ monuitque resistere semper,
Consilii magni vir hic Angelus his fuit annis,
Consilium cujus sequitur Comitissa venustum.
(k) Nam quos ipsa valet pravos convertere Mater,
Quantiscunque modis quit, agit in omnibus horis;
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures, Castellaque sæpius urens
Regis ab obsequio jugiter disjungit iniquo
Ultramontanis, ac Principibus sibi charis
Errores regis scribit vitare rebellis.
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio Papæ proceres servire suadens,
Mittere cui gratis crebro solet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canusina
Tunc misit Papæ, quam debet Papa beare.

De obitu Papæ Gregorii, & de electione Desiderii & Urbani Papæ, & quod Domina Mathildis pro Romana Ecclesia pugnavit, & de obitu S. Anselmi Lucensis Episcopi.

III.

INterea (l) planctus de Præsule nascitur altus
Gregorio, gestat Dominus quem Christus ad æthra,
Ante dies septem Madii quam finis adesset;
Hunc Monachi deflent, Monachus quia noscitur esse;
Hunc Clerici flebant, valde laicique dolebant,
Pura fides quorum procul est à schismaticorum;
Quando suum sanctum reverenter Corpus humatum
Anni *milli* Dei *sex* insunt *octuageni*.
Post hunc fit Papa *Desiderius* probus *abbas*
Montis Casini, qui parvo tempore vixit,
Anno post istum Pastor sacratur in ipso
Urbanus Rhetor, Monachus prius, & modo Rector.
Ecclesiæ Verbi summi Patris, atque perennis;

Vt

(h) Hos. 13. Baron. vers. 1081. N. 26.
(i) Baron. 1074. N. 17.
(k) Baron. 108 . N. 26.
(l) Seq. 6. vers. Bar. recitat Ao. 1085. N. 15.

Ut Salomon dicit, justus veluti Leo fidit.
Hic damnat Regis fidenter, & acta *Guiberti*,
Qui Petri sedem falso cupiens retinere,
Advocat *Oddonem* prudentem *de Tuliore*
Adversus Papam, quem bello sæpe coartat;
Ille tamen justus, licet esset sæpe retunsus,
Immobilis durat, pacem putat esse futuram
Filiolæ Petri, Christi famulæque fideli
Exhortando pia direxit tunc sua scripta,
Gregorii normam plus præcipueque recordans,
Quatenus observet, nec eam dimittere tentet.
Hinc peccatorum veniam dat eique suorum.
Gregorii missi crebro petiere *Mathildim*,
Cursores currunt ad eandem crebrius hujus,
Densius haud cessat patres hos hæc vice versa
Chartis & missis pulsare diebus in ipsis,
Pro quibus adversum se commovit fere regnum
Italicum totum, Ligurum sed maxime totum:
Ipsa Padi stratam tenet, urbibus unde fit acta; (a)
Hujus dum pugnant athletæ, non nisi culpa
Ipsorum perdunt, sed vincunt optime bellum,
Urbibus ex multis cives hoc tempore multi
In simul armati clypeis & equis falerati,
Principe cum celso prudenti prorsus *Oberto*,
Ducunt *Parmensem*, *Reginum*, *Pontificemque*
Romam, tam fortes ajunt se pergere posse.
Hi luctatores ibant pro Regis honore,
Terras vastantes circumcirca peragrantes,
Audaces tandem terram *Mathildis* amantes
Intrant, credentes ipsam vastare repente.
Sustinet istorum *Sorbaria* castra virorum,
In propriis campis illis tribuit loca standi,
Nocte quiescentes oculis somnum capientes,
Julius assumpta jam vero luce secunda;
Ecce repente Phalanx *Mathildis* adest, *Petre*, clamans
Auxiliare tuis, inimicis (b) surgere tuti
Incipiunt, campi tanto strepitu stupefacti,
Multi dant dorsum, pugnant altissime (bb) morsu
Prosternuntur ibi; plures capiuntur iniqui.
Marchio prædictus quendam transverberat ictu;
Et quasi voce loquens: Nonne, sine fugit honore.
Talem *grimnitum* portat, nec hic inimicus
Ducet quod nunquam (c) super hanc dominam, puto, turbam;
Ebrardus præsul Parmensis captus habetur
Pontificem sentes Reginum perque dies tres
Abscondunt nudum *Gandulphum* pectore durum;
Nonnulli capti proceres, alii fere lapsi.
Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis.
Inclyta *Mathildis* terror fuit omnibus illis;
Mensis ut advenit, qui primus in ordine cæpit
Ejus in octavo decimoque die, dominator
In Cœlis regnans *Anselmum* (cc) vexit ad æthra.
Huic similis credo fuit hoc in tempore nemo:
Officium duplex Monachorum Pontificumque
Nocte die complens; corpus macerabat ut hostem;
Catholicus, cælebs, pius, & sobrius fuit æque;

 De

(a) pellitur Mathildis urbibus ad Padum.
(b) Cod. ant. *inimici*.
(bb) Cod. ant. *alii sine*.
(c) Nempe ibi cecidit Marchio Obertus 1084.
(cc) Lucensem Episcopum 1086.

De cujus vere tristantur morte fideles,
Schismatici gaudent; erat his contrarius autem,
Quem sibi commissum per Gregorium Comitissa,
Ut decuit, digne sepelivit mæsta benigne.
Artus *Anselmi* condivit *Mantua* terris,
De quo, quod gliscit, monstrasti, Christe, *Mathildi*.
Nam virtute tua fecit miracula plura;
Servulus iste tuus de sanctis extitit unus
Catholicæ parti fuit indicium probitatis,
Schismaticæ parti signum quasi debilitatis.
Inde triumphando gaudet Comitissa precando;
Hujus enim patris precibus putat auxiliari,
Cumque daret tumba sancti miracula multa,
Proderet ut multis post nos per secla futuris,
Justitiæ cultrix *ea partim fingere jussit*
(d) *Quæ simul & vitam Capellani sibi dictante;*
Tertius existens ab eo Lucensis & ille
Rangerius Rector dictavit eam sibi mutuo,
Dictantis pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi litem diffinit, misit eique,
Principium cujus sit hic, & non hæsitet ullus
Lector, sed noscat, quod cætera sint metra docta:
„(e) Filiolæ Petri, violæ post lilia dentur;
„Detur ei de fonte Dei ros unde rigentur.
„Pugna fuit, donec potuit sævire *Guibertus*,
„Perfidiæ Dux, Ecclesiæ vastator apertus,
„Sed quid ei tentare Dei firmissima Castra?
„Nunquid eo, regnante Deo pervenit ad astra?
„Mortuus est, & traditus est in perditionem
„Quique reum defendit eum, contra rationem.
„Gregorium, vas egregium, quicumque negavit;
„Jam videat, si forte queat, quam falso putavit.
„Quique duas fregit statuas *Urbanus*, ab illo
„Fonte fluit, longeque eluit (f) non segnius illo.
„Quisque eum non ante Deum vel sero fatetur;
„Reprobus est, & devius est, pœnamque meretur.
„His Ducibus mirabilibus collectio nostra
„Non tacuit, donec tenuit latrancia rostra;
„Jam redeunt, qua fronte queunt, qui prosiliere,
„Quos video, tangente Deo, plerumque dolere.
„Sed redeant, & nos habeant, & nostra libenter;
„Sed videant, ut non redeant post terga latenter.
„Nunc igitur non exigitur (ff) quicquid mederi
„Qua (g) voluit donec voluit divisus haberi
„De precio, de flagitio, de seditione,
„Et sapiunt & nos ajunt in cognitione.
„Nam pretium, nam flagitium non complacet illis;
„Qui cupiunt, qui diripiunt, damnantur ab illis;
„Par ratio, par traditio, pro parte videtur;
„Præstet ei censura Dei, quod deesse videtur.
„De baculo lis est populo cum patribus orta.
„Ista fuit, quæ non caruit caligine, porta;
„Ista fuit, quæ diripuit Paulumque Petrumque;
„Ista fuit, quæ par habuit Regemque Deumque,
„Hæc frenesis non est heresis, non est Laberyntus,
„Per tenebras & per latebras non est labor intus;

„Hanc

(d) Bar. 1080. N. 13.
(e) Versus Rangerii.
(f) Cod. ant. *cluit*.
(ff) Cod. ant. *quicunque*.
(g) *Valuit*.

„Hanc volumus quicunque sumus de dogmate Christi,
„Vt fugiant, & rejiciant communiter isti,
„Vnde volo, ne forte dolo circumveniamur,
„Vt breviter, sed non leviter pensanda loquamur.
„Christe sapis, quod corda rapis, succensa calore,
„Fac fieri, quæ scis fieri, pro pacis amore.
Plus laicis cunctis *Mathildim Rangerius* scit
Intentam legi Domini, vitæque perenni;
Hoc sibi perluçens ob id edidit ipse volumen,
Jam redeat primus, hic iste sit ordo rel[illegible]tus.

De tertio adventu Regis Henrici in Italiam, & de obsidione Mantuanæ urbis.

IV.

REx ut Henricus factus gravis est inimicus
Ecclesiæ Sanctæ Dominæque Mathildis amandæ,
In quocunque loco poterat sibi tollere, toto
Nixu tollebat terras ubicunque tenebat
Præsertim villas, ac oppida, quæ Comitissa
Hæc ultra montes possederat à genitrice,
Abstulit omnino, nisi *Castrum Brigerinum*,
Forte quod magnum, locuples erat undique largum,
Hoc Rex aggressus nequit intus ponere gressus.
Cum bis quinque quasi transirent jam simul anni
Rex quod ab Italia discesserat, (a) armat equina
Dorsa viris, jurans per septem tempora, supra
Mathildis terram persistere, pace neglecta,
Castra vocat densa, descendit ad Itala Regna.
Tertius & mensis foliis florebat & herbis,
Vrbs Dominæ quædam prædictæ cara manebat
Tempore longævo vocitatur Mantua vero,
Ex multis rebus dives satis ac speciebus;
Rex cupiens ipsam, fixit tentoria circa,
Quam mox athletis de sumptibus atque replevit
Nobilis & fortis Mathildis, maxime doctrix, (b)
Ipsa tenens montes, inimicos despicit omnes
Regis bella phalanx dabat urbi sæpius atra,
Exiliunt cives, simul athletæ Comitissæ,
Occidunt, frangunt, cœtum pellunt Alemannum.
Urbs bene protecta, degebat Rex procul extra,
Mensibus undenis obsessio Civibus hæsit.
Tunc *Ripalta* quidem menses hos traditur inter;
Traditur & turris *Gubernula* Regis alumnis,
Non Famulam Petri mutant discrimina sedi,
Civibus at multos mandat sæpissimè sumptus,
Servent utque fidem rogat hos per maxime Cives,
Cui cives verè se mandant esse fideles.
Pollens Mathildis fidens in Civibus illis,
Decipitur verbis ipsorum, clam quia Regis
Pertractant urbem manibus(c), partemque phalangem
Ipsius, ante diem Paschæ dare; de prope quippe
Tunc quod erat mundo celebrandum mense secundo.
Consilium firmant, Judæ peragit (d) & ad instar.
Nam qua nocte Deum Judas mercator JESUM
Tradidit, hac ipsa fuit hæc urbs, *Mantua* dicta
Tradita, sed dum Rex intrat crudelis in Vrbem,

 Evasere

(a) Imperator ab Italia discesserat anno 1084. redit 1090. (b) Ductrix. (c) Cod. ant. *pariterque phalangem* seu præsidium Mathildis Regis manibus dare tractant. (d) Cod. ant. *peragunt*.

Evasere quidem proceres Dominæ Comitissæ,
Navibus extracti propriis cum rebus & armis.
Ut lapis est Adamas firmus, sic firma Ducatrix,
In tantis damnis venientibus his manet annis.
Fit tantum dictus lapis hœdi sanguine scissus,
Non cedit damnis fusus plicat hanc neque sanguis,
Nam supra Petram firmam fundata manebat,
Fluminibus (dd) flecti nequit iccirco, neque ventis
(e) Anno milleno nonageno quoque primo
Mantua sordescis de proditione nigrescis.

Objurgatio, ac detestatio seu digna exhortatio contra Mantuam.

V

Gloria quanta foret tecum quis Mantua noscet,
Prudenter (f) tenuisset si modo clausas
Regi, jam nomen decus atque tuum procul, ore
Multorum volvi fere cuncto cœperat orbi:
Te fortem verè referebant, & locupletem,
Ac veluti Trojam, laudabant te fore longam.
Cum juxta morem fers illius obsidionem;
Cives atque tuos forti de sanguine fusos,
Italiæ cunctæ dicebant funditus Urbes;
Græca Phryges castra ceu quondam, sic *Alemanna*
Castra tui Cives soliti sunt cædere; quippe
Annis ipsa decem circundata Troja, pateret
Argolicis nunquam, nisi tradita nocte perusta.
O mala proditio, quæ celsos mergis in imo.
Tutos corrumpis, victores comprimis Urbis (ff),
Perturbas Reges, Comites, proceresque, Ducesque,
Ordinibus cunctis nimis officis improba turpis,
Si servare fidem voluisses tu Comitissæ,
Mantua, jam dicta tibi supra dante Mathilda
Auxilium, denis non solum, sed duodenis
Annis te posses retinere, timens nihil hostes,
Hoc si fecisses, pax ad te magna redisset;
Rex discessisset procul à te de propè, sicque
Felix mansisses tu, cara nimis Comitissæ;
A qua ditata mirabiliterque locata,
Esses nunc florens super Urbes quippe priores.
Ceu plebs Romana quires ita stare togata.
Et si te Regis superassent prælia, nescis
Quod decus hoc multum foret, & non dedecus ullum.
Nam traditricem nemo tibi dicere sciret.
Hoc utinam vere tu nunquam nomen haberes,
Infœlix, tristis, ex hoc tu nomine sistis.
Omne bonum nomen pro turpi traditione,
Cur ammisisti, tradendo temet iniquis?
Catholicis plena dudum celebrare solebas
Pascha Dei Christi cum splendiferaque Mathildi,
Curia cujus erat dapibus, donisque repleta;
Officiosa manet quasi Regis curia sanè.
Nunc celebras Pascha cum falsis ex Alemanna
Qui peramant Bacchum, flagrant ad luxuriandum;
Illorum linguas nescis, faciles quoque rixas
Cum sunt potati, pro verbis fertur amaris
Ensem denudant, sociorum viscera truncant.

Mordent,

(dd) Flaminibus.
(e) Bar. 1091. N. 3.
(f) Cod. ant. *tenuisses*.
(ff) Orbis.

Mordent, more lupi, cum sumunt pabula cuncti,
Atria sanctorum violenter frangere norunt.
Mantua nec (g) tales tibi noscere monstro sodales,
Hos fuge, contemne, mors est cum talibus esse,
Regis Amicitia procul haud durabit & ipsa,
Non faciet quippe tibi, quæ promiserat ipse,
Decipiet vere te, seu procul ipse recedet.
Ergo cave magnum ne pax sua sit tibi damnum,
Consilium dignum cape, (gg) luget ò scelus istud;
Jura licet prisca corruperis, & nova scripta;
Plange tamen pure, plebs omnis plangat in Vrbe;
Communi vero voto revocare studeto
Cultricem Christi, vestram dominamque Mathildim,
Hinc restaurabis leges & honore micabis;
Vrbes vicinæ laudabunt te sat opime,
Ac fore secura tamen haud aliter potes unquam.

Item de eodem Rege, & eadem Domina Mathildi, & de bello militum Comitissæ cum Rege apud tres Comitatus, VI.

REx igitur capta gaudens ex Vrbe relata
Pontificem falsum Cononem gente Lemannum
Illic esse jubet; jam Præsul Vbaldus ab Vrbe
Fugerat, ad grandem Comitissam Catholicamque.
Rex terras ultra tenuitque Padum fere cunctas
Platena, Nogara nisi quæ sunt oppida clara,
Hæc loca nempe fidem servavere (a) Comitissæ;
Regis terrorem despexeruntque furorem;
Rex ibi non hastam potuit, neque mittere plantam,
Hac & in æstate capitur Minervia sanè
Hancve fama cepit, nonnullis denique telis,
Quam Rex possedit, nec ob hoc Comitissa recedit
A Zelo Petri, pro quo mala tanta recepit,
Quæ per Regensem Comitatum seu Motinensem,
Ibat lætanter proprias firmabat & arces;
Nullatenus certe desperans vincere Regem
Mores atque vias illius sæpius ipsa
Repperiebat ita, quod semper, quo malus ibat,
Noverat, athletas & quantos ipsa (b) tenebat.
Nam postquam magna fuit arx Minervia capta,
Tempore Rex hiemis Athesis trans flumen abivit
Principibus vacuus tunc, militibus neque fultus,
Hoc didicit nempe prudens Comitissa repente;
Mille viros fortes numero plus jussit ad hostem
Pegere bellandum, campi certamine tantum,
Cumque Padi latices, Athesis nec non vada sissent
Insidiis plenus Rex, ipsos octo diebus
Vitavit, tardans proprias revocando Phalanges
Traditor istorum Regem dicebat eorum
Nolle spatis jungi, deerat quia posse, rejungit,
Talia credentes, securi stant, & inermes
En subito splendent Regis vexilla ferentes,
Qui super hos currunt, pars cæditur utraque multum,
A turba Regis miles capitur, sed inermis,
Plures evadunt, fugiunt per devia saltus,
Iste quidem pagus vocitatur *tres Comitatus*,

 Pro-

(g) Cod. ant. nc. id est *nunc*. (gg) Cod. ant. *lugeto*.
(a) servaverunt. (b) ipse.

Proditor emanso fuit Hugo nobilis alvo
Hanc contra morem sed fecit proditionem,
Nam proba Nobilitas non turpe scelus patrat unquam,
Tandem collecti remeavere retro mœsti,
De sociis captis parvis pariter quoque magnis,
Inter quos captus Manfredus erat probus, altus
Filius Alberti, super ipsum contio Regis
Maxime gaudebat, Comitissæ contio flebat,
Quæ veniens fessa, propriæ dominæ manifestat
Actus adversos, duros, nimiumque molestos,
Dulcibus & planis verbis, quos ipsa Ducatrix
Solans blanditur, quo non timeant inimicum.
Vincendi bellum, perdendi denique tempus
Sic variatur ait, Virtus prout ardua sancit.

De obsidione Montis belli, & de vexillo Regis apud Canossam capto.

VII.

Dum transisset hiems, qua bellum cum Comitissæ
Militibus fecit Rex, æstas tertia venit, (c)
Binas Rex steterat æstates Italiæ jam,
Eridani fluvii laticem cum Junius urit
Stipatus transit Longobardis, Alemannis,
Obtinuitque loca campestria nobiliora.
Ad montes scandit Motinenses, quos nimis ambit,
Mox mons Maurelli pugna capitur sine ferri.
Ac mons Alfredi capitur certamine freni,
In quo Gerardus facundus, signifer altus
Incidit in vinclis præfati Regis iniqui,
Ex cujus vinclis doluit satis ipsa Mathildis.
Qui Job tentavit, Tobiam, Deus ipse probavit
Hanc dominam, solam sancti Petri pedagogam,
Cujus amore flagrans patitur densissima flagra;
Ut quandoque sibi Cameram reseret Paradisi.
Hac vice Rex plane solito plus extitit acer,
Obsedit Castrum Montis belli, superandum,
Quem putat aut telis aut obsidione teneri,
Ingressum sed ei nec egressum tollere quivit,
Præsidium Monti confert huic contio fortis,
Cuspide quæ regem stimulare solebat inertem,
Pseudo quem Clemens tunc venit Papa videre.
Cum quo plura loquens, firmavit & obsidionem,
Æstatem Montem circa quem, perdidit omnem.
Cumque diu staret, cœpit pia pars trepidare,
Atque suam pacem proceres famulique rogare
Magnificæ Dominæ crebro cœpere perite.
Hoc libuit Regi, tantum si facta Guiberti
Ipsi laudarent, pedibusque suis quasi Papæ
Se prosternarent, faceret mox hanc ita pacem;
Hoc audire quidem nolunt aures Comitissæ,
Sed volo noscatis, pacem si Regis amatis
Inquit agam secum, justum non hoc & habetur;
Mox mediatores, Regem de pacis amore
Explorant, rogitant pacem ne differat istam,
Annuit hoc tandem memoratus Rex simulanter
Ductores pacis nituntur; ut ipsa Ducatrix
Compleat hanc pacem, quam Rex se dicit amare,
Credere quæ dictis laicorum distulit istis.

Multis

(c) 1092.

Multis accitis Abbatibus ac Heremitis,
Præsulibusque sacris, ait illis fæmina pacis;
Si fieri possit pax juste dicere poscit,
Reginus Præsul, speculum quasi lux, Heribertus
Cum reliquis plane faciendam consore pacem
Astruit, adjungens tribulatio temporis urget,
Mens Dominæ flecti quasi cœpit in his quoque verbis.
Respondit tandem dicens Heremita Joannes;
Absit ne fiat, quia pax hæc est inimica
Spiritui Sancto, Patri, proprio quoque Nato.
Ergo sudores ammittes atque labores,
Tantos pro Christi quos nomine sustinuisti.
Ne titubes, pugna, quoniam Victoria multa
De prope de Cœlo veniet tibi, dante sereno
Christo pro Petri precibus, qua læta frueris.
Fructificante fide fructum generant Heremitæ
Istius verba, verus fuit inde Propheta.
Nam Regis pactum Comitissa reliquit inactum
Atque fidem summam servare spopondit alumna,
Petri donec ei vitam dederit Deus ævi.
Turba sacerdotum firmatur Catholicorum
Ante volunt lethum, quam Regis denique fœdus
Colloquium dignum Carpineti fuit istud,
Rex Montem belli non cessans tundere bellis,
Machina succensa sua fit prope quippe *Cucberlam*.
Dum geritur bellum, ruit unus filius ejus,
De quo Rex latè doluit misitque cadaver
Veronam, pulchrum fabricatur eique sepulchrum;
Esse videns Castrum Rex insuperabile factum;
Per campum latum dense reboare tubarum
Voces præcepit, discedens inde quievit.
Continuo Castrum Montis belli memorandum
Æmyliam quippe tunc Rex pervenit & ipse,
Atque stetit soles paucos ibi subdolus ore,
Inde movens Castra, finxit se pergere Parmam;
Tempus erat clarum rediit retro Cavilianum,
Ac memor est factus Canossæ quæ mala passus
Sit, nudis quando plantis illic stetit, algor
Nix pariterque pedes illius coxit; habere
Nunc ulciscendi tempus, se credidit ex his,
Canossam vero Comitissa, cohors sua nec non
Venerat, utque sapit Regem fore Caviliani,
Militiæ partem forti dimisit in arce;
Ac partem secum tulit, it mox Bibianellum;
Semet commendans Apollonio, bene sperans
Salvari posse meritis ipsius ab hoste.
Dum fuit ad montem Jumignæ, densius hostes
Per Lintregnanum montem veniunt pede raro.
Hi duo sunt montes vicini, sensit abhorrens
Utraque pars strepitum Dominæ pars Bibianellum
Intrat festinans, Regisque phalanx Canusinam,
Vexillo large tenso, properavit ad arcem
A Domina proceres aliquanti tunc rediere
Retro, viri Regis quos quærit (d) ducere belli
Ad pugnam, bellum renuunt hi, cum cito tendunt
Ad reliquos arcis, quos hortatur simul armis
Arreptis, Regi fidenter bella rependi.
Cumque tubæ magnæ reboant Abbasque Joannes

Cum

(d) quærunt.

Cum Monachis Psalmos psallebat, cordeque sanctos
Deposcens omnes, locus ut tueatur ab hoste;
Extitit orta satis caligo maxima statim,
Abbas orabat, pugnabat plebs memorata,
Vulneribus ferri jaculatur contio Regis,
Ex populo terræ jaculatur non nisi certè
Unus qui multas pilo pulsaverat ulnas,
Vexillum Regis gestabat natus *Oberti*.
A'd se qui rectum cum vidit tendere ferrum;
Evitans ictum lorica nimis trahit ipsum,
Nam cecidit terræ, currit quidamve pedester,
Accipiens hastam vexillum tollit ad astra.
Vix relevatus equo prædictus *Marchio*, retro
Ad regem sursum, qui monticulum stetit unum,
Cum sociis cunctis rediit, simul ac ibi juncti
Ob nebulam grandem cum nullus viderit arcem
Rex volvit frena, Bajanum tendit, habebat
Cor nimium mœstum, videt erga se quia tempus
Mutatum, libras per millia quattuor istam
Nollet habere viam calcatam, scire nec ipsam;
Perditio signi defectum signat, ab hinc, quin
Nomen ei crescit, quod dicitur *officiperdi*.
Pars Mathildis ovans Christum veneranter adorans,
Ad Phanum defert Appollonii reverenter
Vexillum Regis, quod adhuc ibi constat haberi,
Hæc dum fiebant October rura colebat,
Rex una mœste Bajani nocte quiescens
Mane Padum juxta properavit, & inde secunda
Luce Padum transit, decrescens omnibus annis,
Contio Mathildis loca de prope plana petivit,
Eridani Limpham post hæc transivit & ipsa,
Terras paulatim dudum quas nota Ducatrix
Perdiderat, scutis illius denique viri
Restituunt gentes ferientes quasque rebelles,
Redditur, & Turris Dominæ Gubernula multis,
Regis de rebus honorata sat & speciebus
Reddita non longa Ripalta fuit sibi post hæc,
Augmentum magnum pia pars habet hoc & in anno.

De separatione Praxedis Reginæ ab Henrico Rege, (a) *& de adventu Papæ Urbani in Longobardiam.*

VIII.

Augurium pejus Regi quoque contigit ejus,
Flagitium prorsus sua cœpit spernere conjunx,
Quod taceat metrum, nimis hinc ne degeneretur.
Ast de Regina Praxede tamen metra dicant;
Sic timet ipsa Virum, dentem velut agna lupinum,
Cumque timore tremit, furtim munimina quærit
Mathildis, poscens, ut eam disjungat ab hoste,
Aspiciens Debora nova tempus inesse vel horam,
Hunc ut prosternat Sisaram, clam quippe catervam
Veronam mittit, Regina manebat & illic.
Privatum venit, defertur, læta recedit.
Regis eam servi perdunt strepitu sine belli;
Suscipitur recte, reverenter, nobiliterque,
A Domina sanè Mathildi, quæ quasi Rachel
In Sisaræ magnum nunc fixit tempore clavum
Crescit ob id felix Christi Victoria plebi,

Eccle-

(a) Lege Baron. Anno 1093. 1094. 1095.

Ecclesiæque Duci pastori scilicet Vrbis;
Hanc rem Reginæ missi referunt Comitissæ:
Hoc quicunque scelus cognoscebat, fore verum
Spernebat Regis sectam, pariterque Guiberti,
Partibus in cunctis pars Petri maxime surgit,
Dux bonus Vrbanus factis & nomine clarus.
Esse triumphandi tempus de principe (b) Rabin
Percipiens, Romam dimittens, venit ad oras
Longobardiæ cum consilio Comitissæ
Quæ suscepit eum, sanctum penitus quasi Petrum.
Pontificis dextra benedicitur ista potestas.
(c) Tunc Pastor sanctus Synodum celebravit & annus
Christi milenus nonagenus quoque quintus;
Primus erat mensis cum nascitur humor in herbis
Ore Sacerdotum damnantur facta malorum,
Ac *Heresi*. Papæ Guiberti scilicet *Archa*
Regis & Henrici, Domini quia sunt inimici,
Affuit his dictis Praxedis, & ipsa Mathildis,
Catholicos plene benedixit Papa fideles,
Hanc Synodum sanctam Placentia continet ampla,
Expleta Synodo Dominæ, quam sæpe recordor,
Papa valedixit, Clericis comitatus abivit,
Per multas Vrbes, curans convertere plures,
Gallia quem Patrem suscepit maxime care.

De obsidione Nogara.

Vilior effectus solito mage Rex, velut exul,
Quid faciat nescit, nec nocte dieque quiescit;
Fronte carens, tandem resilire putavit, ut ante,
Civibus accitis secum Veronensibus, ivit
Vallavit *Castrum Nogara* forte vel amplum:
Hoc discunt aures *Mathildis*, novit ut autem
Mox accersitos Motinenses corpore firmos,
Eridanum transit, quam tunc Gubernula gratis
Suscepit noctu, sed non Regem latet hoc, nec
Exanguis factus, qui Rex nimis & stupefactus
Se mox inde movens in eadem nocte, timore,
Quo Deus Assyrios quondam stupefecit iniquos,
Quando Samariam circundederant fere dira
Pervalidaque fame, fore victam non titubarent,
Surgunt nocte tetra tremefacti, vascula, frena
Diversas vestes, obliti sunt simul enses,
Longe secedunt, urbs divitiisque repletur.
Ipse Deus Regem fecit trepidare repente
Istum Mathildim fugiendo, nocte reliquit
In castris vasa, seu frena, capistria sana,
Castrum Nogaræ Comitissa gliscit amare
Mane recepit eam, vehementer ut esuriebat,
Cum proprio cœtu ceu Judith ipsa beetur
Non semel hæc Regem necat ut Judith Olofernem
Crebro sed impellit, sibi muscipulas quoque tendit,
In quibus ille cadit, se quando cavere putavit.

Quid in Galliis Papa Vrbanus lucratus est, & de reversione sua ad Italiam.

X.

VRbani (d) Galli Papæ Petri quasi sancti
Dicta receperunt, & ei bona multa dederunt,
Verba salutis eis dabat hic Pastor vice Petri,

Qqq q Nam

(b) Rasin. (c) Bar. 1095. (d) Bar. anno 1095. N. 49.

Nam docuit summus Pater illos ire sepulchrum
Ad Domini nostri, locus ut purgetur, & hostis
Inde repellatur populus Paganus amarus.
O fidei semen bona germina quot modo præbes
Cum rutili flores refluunt Pastoris ab ore,
Et pariunt fructus Domini dignanter in usus.
Nam genitor carum pro Christo linquere natum
Et genitus patrem cœpit dimittere planè;
Atque vir uxorem contra dimittere morem
Sexus uterque Deo gliscit parere sereno.
Certatim currunt Christi purgare sepulchrum,
Francigenus cunctus populus, de quo fuit ortus
Vrbanus Pastor, præsertim pergit ovando.
Cumque duos annos fecisset ibi fere Pastor,
Italiam rursus rediit, fuit atque locutus
Miti Mathildi, quæ Domni verba Magistri
Præsulis ac summi, mentis dulcedine sumpsit,
Quam pater absolvens, benedixit eam super omnes,
Atque vale dicens sibi, Romam tentat abire:
Vt Cathedram Petri purget, quam prava Guiberti
Sessio polluerat, per longum tempus habebat
Corruptam legem Canonum pariter quoque Regem,
Vrbanus Rhetor velut ambierat, prius ergo
Romanam sedem mundavit ab hoste, celebre
Illius nomen crescebat, maxime Romæ,
Plebs suscepit eum, pepulit Romana Guibertum;
Ejectus nempe foris Vrbem, stare Ravenna
Assidue cœpit, mortem suus *Oddo* recepit,
Propter Papatum non liquerat hic dominatum,
Ravennæ, credens quandoque linquere sedem.

De recessu Chonradi ab Henrico Patre suo, & de morte Papæ Vrbani.

XI.

PEtre Pater præsto precibus dictandis (d) adesto,
Vt doceas sensum nostrum componere versum,
Vnam dictemus plagam, qua Rex superetur.
Francigenas partes Vrbanus dum peragraret
Longobardiæ stabat Rex hactenus ille;
Cui fortuna vetat, ferat ultra ne Diadema,
Ægypti Regem, quæ perculit ultima Regem
Istum plaga ferit, primogenitus sibi cedit,
Mortuus Ægypti primogenitus fuit; isti
Non obiit, vivus, sed ei gravis est inimicus
Factus, ob ejus opus, quod erat nimium scelerosum,
Chonradus dictus fuit hic de Chrismate tinctus,
Ingenio pollens, genitorem prorsus abhorrens,
Se Dominæ largis Mathildis subdidit alis.
Quæ veluti dignum valdè carumque propinquum,
Mox suscepit eum laudans, ut Rex vocitetur
Illius tractat Patrem, sic Hester ut Aman,
Abstulit Uxorem sibi primitus, & modò prolem.
His motus damnis septem stans in simul annis
Italiæ, Regnum Gallorum visitat exul,
Sic procul ejectus Chonradus filius ejus,
Cum domina stabat jam supra commemorata
Consilio cujus pulcher juvenis, rubicundus,
Ac prudens vere, Siculam duxit mulierem,

(d) Cod. ant. *dictantis*.

Rogerii natam Ducis, huic Juveni quoque Papa,
Credere si vellet sibi, Regem non vetat esse,
Non erat hic Rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Vt cervum serpens, heresum sic turba timet quem;
Cuncta sibi prava subduntur dogmata falsa.
Nunquam decrevit libertas denique sedis
Romanæ per eum, sanctum peramat quia Petrum,
Aureus Antistes color optimus extitit iste,
Scilicet Vrbanus sanctis merito sociatus,
Talem væ Romæ cum perdidit opilionem.
Mortuus est Romæ digno conditus honore
Julius ipse dies binos cum dat propè finem
Anno milleno, nonagenoque noveno
A nato celso de prima Virgine Verbo.

De electione Paschalis Papæ, & de prava Guiberti morte.

XII.

POst quem Papa bonus laudatur Relligiosus
Valde Paschalis, consecratur quoque statim
In verbis planus, per Romam prorsus amatus,
Dans agapem grandem, nutriens inopes, tribulantes.
(e) Dogmate pro Christi certanti porro Mathildi
Signatos apices benedicentes sibi mittens,
Illos ut mores teneat, monet, anteriores,
Quos docuere Patres ipsam vehementer amantes.
Simplicitate Pater sancti Jacob Patriarchæ,
Paschalis regitur, secum neque subdola vivunt.
Planiciem cujus didicit Guibertus homullus,
Mox Antichristi sedem sibi tollere gliscit;
Qui Sutrium venit, Cives seducere cœpit
Romanos, parvos precioque nimis simul altos;
Atque viam Domini Petri faciebat hic hostis
Custodire, viros spoliare jubens peregrinos.
Hic per viginti tres annos denique Christi,
Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus,
Dum potuit multos animos seducere stultos,
Destitit infelix nunquam nec (f) corpora lædit;
Illius magnus Mundus jam despicit actus.
Ecclesiæ cunctæ Petre jam præbe promoconde (a),
Iste Senex ut hebes, homines sinat esse fideles.
Post annos binos Vrbanus erat quod ab isto
Seclo portatus, Cœlique Choro sociatus;
Iste dolore gravi tactus Guibertus inanis
Mortuus est; secum portans anathema per ævum,
Propterea Cœli populus pariterque fidelis,
Exultentque boni, periit quia perditionis
Filius, ut surgat similis, non det Deus unquam.
Dictator quidam de quo metra protulit ista:
„Fletibus & lachrymis esses Guiberte dolendus,
„Fletibus & lachrymis, si forte fores redimendus.
„Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
„Quem mors non potuit de perfidia revocare.
„Non est consilium quod possit vivificare,
„Ad se quem sprevit Deus in finem revocare.
„Vivens & moriens nobis exempla dedisti,

(e) Bar. Tom. 12. Ao. 1100. N. 7. (f) Cod. ant. *nunc*. (a) claviger.

„Quod membrum Sathanæ non sit de corpore Christi;
„Non Dominum, sed Dæmonium vivens habuisti;
„Non Dominum, sed Dæmonium moriens habuisti,
„Ergo satis claret, quod, qui tua facta sequentur,
„Pro simili culpa simili gladio ferientur.

De obitu Chonradi Regis, & obsidione Ferrariæ.

XIII.

SCribere res gestas cum non sit res inhonesta;
Carmen adesto meum sic, ne promas nisi verum.
Infra *Chonradus* Longobardos comitatus,
Dum staret, discors à Mathildi fuit ipso
Tempore, duravit modicum discordia talis:
Nam petiit partes Tuscanas *Rex*, ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram;
Ad pacem firmam rediit bene cum Comitissa.
Post istam pacem *febre tactus. Julius* autem
Mensis erat magnus, moritur Chonradus & *annus*
Tertius, Urbanus quod transierat memoratus. (b)
Ejus habet corpus Florentia florida prorsus.
Post hanc æstatem libet Autumnum memorare;
Qui venit, duros in quo Ferraria muros
Obsessos sensit, fuerat quia facta rebellis
Ipsa Ducatrici, nec ei servire cupivit,
Contra quam gentes numero sine duxit & enses
Tuscos, Romanos, Longobardos galeatos,
Et Ravennates, quorum sunt maxime Naves.
Circumstant equidem multæ maris atque carinæ,
A Duce præclaro transmissæ Venetiano.
Considerans demum Ferraria, ne superetur,
Optavit pacem magnæ Mathildis amare:
Vincere cui vivos est semper mos inimicos.

Quod Papa Paschalis ob piam tutelam Dominæ Mathildis direxerit in Longobardiam Venerabilem Cardinalem Bernardum

XIV.

AUxilio Petri jam carmina plurima feci,
Paule doce mentem nostram, nec metra referre
Quæ doceant pœnas mentes tolerare serenas.
Pascere Pastor oves Domini Paschalis amore
Assiduo curans Comitissam maxime supra
Sæpe recordatam Christi memorabat ad aram;
Ad quam dilectam studuit transmittere quendam
Præ cunctis Romæ clericis laudabiliorem,
Scilicet ornatum *Bernardum Presbyteratu*,
Ac Monachum plane, simul Abbatem quoque sanctæ
Ambrosiæ (c) *Vallis*. Factis plenissima sanctis
Quem reverenter amans Mathildis, eum, quasi Papam
Cautè suscepit, parens sibi mente fideli;
Qui vir cœlestis tantum Cœlestia verbis
Et factis monstrans exempla dabat bona coram
Omnibus, & dignum fructum Domino genuit tunc.
Illius nomen ducebatur procul ore
Multorum, cujus populus de nomine fultus,
Urbis Parmensis pars major cum vehementi
Voto devotè sanctum petiit seniorem,

Per-

(b) 1101. non abfuisse veneni suspicionem Ursbergensis notat. (c) Vallis Umbrosæ.

Pergeret ut Parmam multis erroribus atram,
Quos procul errores Pater hic depelleret ore.
Annuit his dictis, cum consilioque Mathildis.
Speque fide fulgens Clericis comitatus ad Vrbem
Perrexit; sanctæ dormitio Virginis atque
In medio mense, qui sextus noscitur esse
Tunc celebrabatur, quo festo Parma beatur;
Majus ibi templum Mariæ nomine fertur,
In quo plebs tota Christum Parmensis adorat.
Virque placens Christo patiens Bernardus in ipsum
Introiit Phanum, Missam cantare paratus,
Verba volens regni populo narrare superni.
Missam devote pro festi cœpit honore,
Post Evangelica plebi retulit sua verba,
Quæ propter Regem non nullis displicuere,
Dum calicem sancta vir mitis ponit in ara
Supplicet ut Christum pro cuncta plebe benignum,
Hinc clamor multus, vulgi sonuitque tumultus,
Nam blasphemias cœpit depromere diras;
Adversus Christum ceu Judæi Crucifixum;
Plures dicebant, moriatur Pseudopropheta,
Clamabant multi; seductor corruat Vrbis.
Hic ajunt, intus Regis stet non inimicus.
Enses denudant, mulierum vox sonat una,
Si sinitis vivum, Regem perdetis amicum;
Non vivus vadat, cupitis, si vivere clamant.
Vitrea vasa cadunt, hastis franguntur in altum
Erectis, longe patris socii simul omnes
Fugerunt, Abbas Thebaldus maximus astat,
Cum patre solus ibi: cervicem monstrat & infit:
Cæde meum collum, mortem gratanter hic opto.
Mox frameam quidam per collum traxit ob iram,
Illius parvum sibi fecit vulnus & artum,
Intrepidus stabat læta facie super aram
Christi Bernardus patiens, sapiens, venerandus
Cum vidit vulgus ridere suum quasi vultum
Clamavit dicens: speciem Zabuli gerit iste;
Tollatur statim, tundatur carcere, flagris.
Injecitque manum super ipsum, cujus (d) avarus
Et foris asportant, heu Missa relinquitur orta.
Non Dominæ Magnæ dormitio Virginis almæ,
Non altare Dei, sed nec reverentia Petri
Terruit hanc gentem Pharisaica facta sequentem
Capellam totam quam præbuerat pretiosam
Huic Domno digno Comitissa Mathildis, in ipso
Templo confestim rapuit plebs pessima fregit.
Nuncius è multo vicino, mane secundo,
Scilicet ad grandem Comitissam venit, & hanc rem
Notificavit ei, quæ dans suspiria flevit;
Atque sui fortes athletæ jussit ut omnes
Adversus Parmam deferrent insimul arma,
Fines tunc nempe retinebant hanc Motinenses.
Vt volucer velox cito pergens hæc pia vero
Parma die terna prope sensit eam timet, ex qua
Nobilibus vasis illius reddere statim
Injuste captum studuit supra titulatum,
Et dominæ cunctam Capellam reddidit, ultra
Non aliquid retinens, vitare pericla requirens.

(d) Cod. ant. *civis*.

Quæ non vitasset, nisi vir patiens adamasset.
Civibus indulsit Comitissa Mathildis, & Vrbi
Jussu Bernardi, cujus pietate remansit,
Mille dei nati tunc *centum quatuor* anni.

De obitu Regis Henrici Tertii.
XV.

DIctus jam dudum Rex quo sit fine solutus,
Scilicet Henricus, volo mundi discat amicus,
Cum scierit, noscat faciendum quid sibi constat.
Rex supra fatus vivens erat illaqueatus
Actibus in pravis, semel at se dissimulavit
Converti pleno, quod fecit, corde veneno,
Schismaticos semper coluit tenuitque libenter;
Hinc exardescens minor ejus filius, enses
Elevat ad versum genitorem, tollere Regnum
Quærit ei, duram secum committere pugnam;
Non piguit campi, quem bellando superavit,
Mœstitia multa per totum tempus abundans,
Vndique confossus, quassatus, & undique tortus;
Mortem non sperans demum, tamen ipsa catena
Mortis eum strinxit; rapuit de corpore tristi;
Augusti quarto defungitur Idus in anno
Christi milleno, centeno denique seno,
Ad templum Spiræ dormit, quod struxerit idem.

Congrua exhortatio Paschalis Papæ.
XVI

PEtre Paule duces orbis, caput omnis in Vrbe,
Insectatores vestri ducatus homones
Penna corvina loca jam peragrant peregrina.
Hæc alba penna, vos Papæ mittite verba:
O Pastor Rector Paschalis summe sacerdos
Hæc meditans tracta, prudenter duc tua facta.
Ecclesiam Christi de regno mortis abyssi
Ereptam gaude, stet ut aspice, libera cautè,
Illius pacem non ulterius violare
Vllus præsumat, caveat Pater hoc tua cura.
Velle tuum firmum super illum stet crucifixum,
Qui semet morti pro sponsa subdidit hosti.
Tu cui commisit Christus, sponsamque reliquit,
Prospice perfectam commendatam tibi semper
Reddere festina sponso sponsam sibi dignam.
Ferto prius mortem, male quam violetur ab hoste,
Nullus eam raptor rapiat tibi, nullus amator
Falsus, seducat blande virtute nec ulla.
Scit Dominus Christus quia si steteris benè firmus,
Libertas sponsæ nunquam minuetur ab hoste;
Omnis nec Roma (a) sub te Regnique coronam
Nemo ferre valet, tribuas nisi tu sibi planè,
Qui gestabit eam sine te (præceptor habenas
Tu regis atque tenes) vacuus poterit remanere,
Dum falsus quidam sponsam lacerare benignam
Non timuit, tecum plures vigilare studerent. (b)
Inter quos prompte Mathildis, filia sponsæ,
Pervigil & fortis, perversos sæpe remordit;
Fervida bella nimis cum Rege potenter inivit,
Nam per triginta duravit tempora firma,

Nocte

(a) Romam. (b) studebunt.

Nocte die bellans Regni calcando procellas;
Finis adest guerræ, requiem rogat ut sibi præstes.
Si tibi crescet opus, nunquam deerit tibi robur
Et vis, & agnosces (c) quia Petri non amat hostes.

De Adventu Papæ Paschalis in Longobardiam, & in Gallias.

Post obitum Regis prætaxatique Guiberti,
Ecclesiæ Sanctæ pax cœpit crescere valde.
Errores cessant, redeunt & vera neglecta:
Adversus Papam, contra sedemque beatam
Ausus nullus erat consurgere; sed reticebant;
Optabant omnes, ut pergeret ipse per orbem
Corripiens, solvens, medicans contagia, sordes.
Tale videns tempus Paschalis Papa verendus,
Exiit à Roma, quem plebs satis omnis honorat;
Longobardiam devenit ad hanc Comitissam,
Cui venerare Patrem jugiter mos extitit alte.
Hæc est Mathildis, quæ gaudens obviat illi,
Lætitia multa Papam suscepit abundans;
Omnibus ipsa bonis, Regni decus est & honoris.
Juxta tuncque Padum tenuit (d) Synodum memoratus
Papa suum missum direxit natus ad ipsum
Defuncti Regis, quærens ut jus sibi Regni
Concedat, sedi sanctæ cupit ipse fidelis
Esse velut matri, subjici sibi vult quasi Patri.
Regis Legati Pater almus verba beavit.
His aderat dictis cum multis alta Mathildis,
Quæ laudans Regis pia missi verba petentis,
Responsum Patris cum cunctis magnificavit.
Tunc veniunt cives Parmenses, Pontificisque
Summi devotè quærunt reverenter amorem,
Ut tribuat Parmæ Pastorem corde rogantes.
Pontificem Parma petit illum, quem spoliarat
Olim, Bernardum Monachum valde venerandum,
Ecclesiam Parmæ Mariæ Virginis Almæ,
Vrbs eadem Patrem rogat hunc, ut nec (dd) quoque sacret.
Lætatur Papa, quod filia pessima Parma
Dedita non nullis erroribus, insita nugis
Ad gremium dignæ matris rogat ipsa redire.
Tunc erat & mensis, qui scindit rura juvencis
Annus *millenus centenus sextus* habetur. (e)
Castrum *Guarstallæ* Synodi locus extiteratque
Inde Pius Papa discedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quæque rogarant:
Nam sacravit ibi templum Christi Genitricis,
Dans ibi decretum, ne subiaceat nisi Petro,
Clavigero Cœli, simul ipsius quoque sedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aspiciendum;
Donum tale dedit, placuit quod maxime plebi,
Pontificem sacrans Bernardum tunc ibi Papa;
Jussit eum Papæ vice sancti degere Parmæ.
Hincque valedicens Dominæ sæpissime dictæ,
Francigenos fines petiit venerabilis idem,
Fructificans multum spacium per temporis unum.
Illic post annum rediit retro Pastor amandus,
Ejus ad obsequium Mathildis mox reperitur
Prompta loquens secum, Romam rediit cito Præsul.

De

(c) Cod. ant. *Ejus, & agnosces quia* (quod) *Petri non amat hostes.* (d) Bar. 1106. (dd) Cod. ant. *nunc.* (e) Bar. 1106. N. 41.

De Legatis, & de primo adventu Quarti Henrici Regis in Italiam.

XVIII.

Rex novus exaltans, tendensque suas procul alas
Bellando terras superabat, & inclita regna
Quartus hic Henricus (f) prudens est calliditatis amicus,
Qui contra Petrum sanctum fore ne videretur
Mille, decem, centum, Christi dum tempora crescunt (a)
Pontifices Magnos Comites direxit & altos,
Magnificam Romam pro regni quippe corona
Filius esse Petri si vult Rex atque fidelis,
Papa, dabo Romam respondit, eique coronam.
Dum redeunt isti seu perrexere, Mathildis
Ipsos suscepit, dedit illis plurima; læti
Ad juvenem Regem postremum, qui rediere.
Ipse manum fortem coadunans mox in eodem
Scilicet anno, cum multis galeatus in ortu
Autumni venit, Longobardosque peremit,
Ardens, devastans illorum maxima castra,
Vrbes munitas ejus perterruit ira.
Vrbs ipsi gestit fieri *Novara* rebellis,
Flammis succendit quam, muros post quoque fregit.
Aurea vasa sibi, nec non argentea misit
Plurima, cum multis urbs omnis denique nummis.
Nobilis Vrbs sola Mediolanum populosa,
Non servivit ei, nummum neque contulit æris,
Italiæ nulla Comitis domus, aut Ducis ulla
Reperiebatur, de qua Rex prætitulatus
Multum curaret, quia quibat eas superare.
Sola Mathildis erat, quæ Regem semper habebat
Exorsum (b) multum certaminibusque repulsum.
Arcibus in claris stabat tunc ipsa ducatrix,
Vltramontani Proceres multi quoque clari
Ad quam venere, miraturi mulierem.
Pace laborabat pro cujus Rexque flagrabat,
Vsque Tari ripam venit Rex pace petita.
Tunc valide docta linquens Comitissa *Canossam*,
Forte vel excelsum pervenit *Bibionellum*:
Regis cum missis magnis ibi plurima dixit,
Et de pace loquens, de Regis honore suoque,
Vtraque pars tandem pacem laudavit eandem.
Sed contra Petrum non promisit fore secum.
Francigenam stratam tenuit Rex, pace peracta;
Transivit certe tunc incipiente Decembre.
Montem Burdonis Tuscanæ fluxit in (b) horis,
Gens trepidat cuncta, nummos sibi datque tributa,
Ceu Longobardi, sic Tusci sunt tremefacti,
Cum Florentinis. Celebravit denique Christi
Natalem, densas plebs hæc sibi contulit escas,
Vrbis Aretinæ muros ruit, ussit & igne.
Idus in quarto Februi Romæ fuit, almo
Paschali Papæ mandans, quia vult venerare
Ipsius jussum, nec Episcopium cupit ullum
Vendere, præbere, nisi Dux pius ipse juberet.
Exultat Roma concurrens undique tota
Papa, Sacerdotes, Levitæ, plebs ob amorem

Re-

(f) Redundat. (a) Bar. Anno 1110. (b) Cod. ant. *Exosum*. (bb) oris.

Regis, majores, juvenes, pariterque minores,
Fæmineus sexus, Monachi, monachæ quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine sumptis,
Antiquo more processio Regis honore.
Facta fit extensa nummis ejus cooperta.
Intrarunt Templum sancti Petri reverendum,
Rex altare petens humilis satis, & bene clemens
Ibat *per scalam*, pedetentim crura plicabat.
Ad summum scalæ sua porrigit oscula Papæ;
Investituram super aram construit unam
Ecclesias nummis quod nunquam venderet ulli,
Non investiret, jubeat nisi Papa benigne,
Hincque triumphabat Plebs, Clerus, maxime Papa,
Cumque parat Papa dare Regi, quæque rogarat,
Vt veniat, mandat; Rex distulit, abdita tractans:
Nam Zabulus, priscus hominum seductor iniquus,
Invidia fervens de Regni pace, repente
Perfidiæ semen jaciens, turbare fideles
Diligit ardenter, sunt quæque statuta decenter
Mox elisa nimis fiunt; Rex sic quoque dicit:
Priscorum morem cupio, Regumque decorem,
Nolo det ut solam mihi domnus Papa coronam
Anulus & fustis per me detur volo cunctis
Præsulibus nostri Regni, ceu mos fuit olim.
Hoc sibi nequaquam voluit concedere Papa,
Ducere quem fecit Rex, hospitioque recepit.
Nox accedebat cum talia Rex faciebat,
Pontifices, Cives plures capiuntur ibidem,
Atque cruces sanctas rapiebat gens Alemanna.
Ebria gens ista nescit Christi pia dicta;
In lachrimas lætis vertuntur gaudia pacis.
Nocte cohors cuncta simul est Romana locuta,
Surgunt mane spatis, clypeis, & equis falerati
Concurrunt hostes Alemannos, corpore fortes
Cædunt, occidunt, & eos penitus quasi vincunt.
Sed flagrant erga nimis horum quippe Tabernas,
Insimul ex armis & denariis onerati
Plus adamant nummum, quam bellum vincere sumptum,
Longobardorum nimis est Rex tutus hic armis,
Ipsum circundant, Romanis viscera truncant.
Rex eques electus celeri, quo nemo repertus,
Astitit ipse suis, cives contrivit & urbis,
Interitu quorum facto nimio populorum
Romani cœptum perdunt miserabile bellum.
Rex vero Papam tenuit, vi pace negata.
Cum reliquis captus Parmensis erat venerandus
Bernardus Præsul, Christi de dogmate plenus,
Atque bonus senior *Reginus Episcopus*, illo
Simplicior credo reperitur nemo sacerdos.
Pro quibus audacter vir facundissimus atque
Nobilis *Arduinus* Longobardusque peritus
Atque fidelis vir *missus Dominæque Mathildis*
Alloquitur Regem pactum memorans Comitissæ:
Continuo quos Rex finit ire Mathildis honore.
Rumor erat mundo de capto Præsule summo
Qui, propter cives, quos secum ceperat idem
Rex, metuens mortem paterentur ne simul omnes,
Dum festum Paschæ venit, tribuit sibi pacem,

Vrbem Romuleam sibi subdens, & Diadema
Ipsius capiti ponens, unguit, benedixit.
Vltima Lux mensis primi tunc Pascha revexit,
Numinis *undecimo centum post mille sub anno*
Augustus plane dedit inclita munera Papæ;
Gaudens sed fessus, nec non exercitus ejus
Exiit à Roma, Tuscanas transiit oras.
Recte frena regens, equitans non extrahit enses,
Longobardorum Regnum petiit spatiosum,
Illustresque Duces ipsum Regem præeuntes,
Valde nutriti resalutavere Mathildim.
Pergere nec Cæsar sapiens usquam cupiebat,
Respiceret faciem nisi jam dictæ Comitissæ.
Cum jam cœpissent transire dies Madii sex
Ipsemet accessit, scit eam fore Bibianelli,
Teutonica lingua refert pariter sua dicta:
Non erat interpres ullus sibi quippe necesse.
Huic promisit (b) similem se Rex nunquam reperire,
Cui *Liguris Regni regimen* dedit, in vice Regis,
Nomine quam *matris* verbis claris vocitabit;
Tresque dies secum faciens, firmum quoque fœdus
Omnino lætus, crescens jugiter quasi cedrus,
Ivit cum magnis ultra montes Alemannis.

Quo timore Mantuani ad fidelitatem Dominæ Mathildis redierint.

XIX.

Gloria Christe tibi, cujus virtute Mathildis
Ex toto victrix manet omnibus ex inimicis,
Nam proceres plures comites superavit & urbes;
Regem contempsit, cum secum prælia gessit.
Marchia nolendo sibi paruit atque volendo,
Mantua crudelis sibi devetat esse fidelis,
Annos viginti per quatuor atque reliquit,
Quod sibi non servit, sed proditione superbit.
Protulit edictum quocirca maxime dirum
Rex scriptus supra, quod sprevit Mantua dura.
Qui staret quanquam cum forti gente Lemanna, (c)
Cessat legatos tamen haut sibi mittere claros,
Inclita Mathildis cum muneribus bene dignis.
Glorificat Cæsar donis & eam vice versa.
Accidit interea tribulatio maxima quædam,
Quæ turbat terram, pravorum corda revelat,
Atque voluntates reseravit & impietates.
Disjice Christe vias tales, abrade ruinas,
Exaudi miseros Deus, audi noster egenos,
Atque Ducatrici vitam concede Mathildi.
Cum morietur enim, denudabuntur egeni,
Ecclesiæ sane fient graviter spoliatæ.
Hoc proceres credunt se facturos, humiles nunc.
Latro latroni dabit auxilium quasi proli;
Prædo Prædonem; Leo rodet ut ore leonem.
Visi nunc flores; quid agent quandoque latrones?
Hactenus en vivit prudens Comitissa Mathildis,
Sed nimis infirmam Baruncio Mons tenet ipsam.
Pullulat hinc lolium, segetem suffocat iniquum,
Undique funesti concurrunt atque protervi;
Defunctam dictam supra referunt Comitissam.

Hoc

(b) Cod. ant. *promsit*. (c) Alemanna.

Hoc verbum credunt Cives, quos Mantua secum
Semper habere solet, mox priscam proditionem
Vt renovent, tractant, exquirunt atque *Ripaltam.*
Cujus custodes perculsi quippe timore,
De propriæ valde Dominæ vita dubitantes,
Seque suas proles, sed non tamen absque tenore
Ad populi votum subdunt, Castrum quoque totum.
Tale fuit fœdus, si viva Mathildis habetur,
Non adversus eam castrum retinere volebant.
Sed nimis absque fide sunt usi vivere Cives;
Nam sub se castrum postquam videre redactum,
Clam malè disponunt ipsum comburere totum.
Interea prudens Præsul Manfredus ad Vrbem
Venit, quod vivam dimisit, ait, Comitissam.
Ad cujus dictum populus commotus in ipsum,
Esset ni clarus, de grandi stirpe creatus,
Credo manus in eum misissent, sed timuere.
Non timor hos Regis cohibet, fœdus neque gentis.
Castrum, ceu dudum cupiebant, funditus urunt;
Effringunt turres, lapides portantur ad Vrbem.
Per mensem damnum scelus hoc non fit patefactum,
Infirmæ Dominæ fieret ne causa ruinæ.
Mensis erat sextus nimis in quo proficit æstus,
Vix sed sanatur sustentatrix Viduarum,
Quæ degant castæ Comitissam vivere captent,
Rusticus atque manu sulcando ducat aratrum,
Tauros atque domet, pascat, tuteque laboret,
Carpat iter tutum vivens hæc, atque viator.
Eridani cesset piratam nauta timere,
Præsentem vitam donec fruitur Comitissa.
Quæ dum scit quantum sibi fecit Mantua damnum,
Dicit: adest certum, pereat quo Mantua, tempus;
Offensas diras urbs emendabit iniqua.
Scutatas gentes disponit & arcitenentes,
Celsas ac puppes armatas hanc super Vrbem.
Dum nova fiunt hæc subito vulgata per Vrbem,
Vrbs avibus dives, degit sed gens ibi triplex,
Ociùs explorant quid agant, simul atque laborant,
Bellum ferre libet, pars quædam dicit iniquè
Noctis nos usos, fore sat defendere muros.
Pauperior quædam, se pergere, pars ait, extra.
Talia jactantes dictis, ac stulta putantes,
Pars melior surgit, juvenes affatur & Vrbes:
Vos juvat, ô pueri, rapto, ceu vivere prædis?
Sed pudeat pueri nos obsidione teneri,
Advena vult miles nostras incidere vites,
O juvenes fortes, fugiat discordia longe,
Pars eat ad veniam nostrorum: supplicet illam,
Nos omninò decet cui lætiùs esse fideles.
Hæc pars exhortans melior; fortissima corda
Mollescunt juvenum: vicit concordia demum.
Accedunt timide, poscunt veniam Comitissæ,
Illa solo fixos oculos aversa tenebat,
Non audire preces tales omnino volebat.
Missi lenibant animum, sicut sibi quibant:
Nostras offensas nobis generosa potestas
Quæsumus indulge, nostram tibi pandimus Vrbem,
Cuncta tibi juret plebs, quæ versatur in Vrbe.
Dictis istorum pariter procerumque suorum

Vix dedit assensum, quin Vrbs affert sibi censum,
Atque Sacramentum minimus populusque superbus
Fecit in Vrbe sibi; facti sunt ejus amici
Atque velint nolint, soliti fuerant velut olim.
Hoc etenim pactum *Bundeni* noscitur actum:
Tunc erat October, prope finem curreret usque
Computus annorum Christi texatur & horum
Quatuor atque *decem centum* quoque *mille* recedunt.

Quod erga Dei cultum Domina Mathildis intentissima fuit.

PAlma velut florens Mathildis pollet honore,
Ramos & frondes ceu tempus palma per omne,
Ex toto servat virides nimis intus & extra:
Sic viget hujus honor, ne deficiat, Deus, oro.
Bajulat hæc parvos, inopes sustentat & altos,
Ista Sacerdotes de Christi vincit Amore,
Tempore nocturno studiosius atque diurno.
Est sacris psalmis, ac officiis venerandis
Relligione pia, satis hæc intenta perita.
Hærent semper ei sapientes maxime Cleri,
Vestibus & vasis pretiosis rite sacratis
Nullus ea Præsul studiosior invenietur.
Copia librorum non deficit huicve bonorum,
Libros ex cunctis habet artibus atque figuris.
Immemor est nunquam servare statuta secunda.
Bella dei gessit; victrix ob id extat inermis.
Rex (d) Paradise suas sanctis pro te dare curat,
Vota sui cordis Cœli complete coloni:
Maxime tu Princeps Petre, cui sua cuncta (dd) reliquit
Fluctibus impulsus Ponti, saccoque reclusus,
Ille beatus vir levitaque Cesarius, sit
Nullatenus tardus, sed sit promptissimus almus
Christi Clementis Rogitator, ut ista supernis
In domibus vivat, Baratri nec sentiat iram;
Templa, Sacerdotes, Levitas ipsa decorat
Martyris istius, cœpisse quod optime scitur.
Olim jam plene facit Ecclesiam renitere:
Nam cluit ex auro, cluit argentoque decoro,
Amplas ejus (e) terras, libros, & pallia, gemmas
Contulit, Ecclesias scit jam transcendere primas,
Hujus opus musa sic est Canusina locuta;
Usque quo mundus erit, sit ut hæc hera provida quærit,
Sanctus Apollonius, Victorque, Corona, Quirinus,
Quærant ante Deum, Mathildis ut ista beetur
Vita Cœlesti, pascatur pane perenni:
Erga quos rectum det amorem, more Parentum.
Diximus inprimis nos de dictamine libri;
Ore manu si quid inhonesti scribere visi
Nos essemus, item dominæ peteremus eidem
In libri fine patienter ut ipsa feriret.
Zelus perflagrans fecit nos promere tanta,
Officium dictant nostrum metra nomen & ista,
Finis adest libri, Dominum laudemus Amici.

De

(d) Cod. ant. *Res.* (dd) Cod. ant. *relinquet.* Nam scripsit hæc autor ipsa adhuc viva, etsi librum absolverit ipsa extincta. (e) Cod. ant. *cui.*

De insigni obitu memorandæ Comitissæ Mathildis.

Cogitat & tractat vir, sed Deus ordinat apta.
Dictavi binos nuper cum carmine libros,
Quos ego Mathildi Comitissæ mittere dixi.
Patres illius codex loquitur quia primus,
Ad laudem cujus manet editus atque secundus.
Frivola vitavi, quæ scripsi, vera probavi.
Lætitia mentis libros dum necto tabellis;
Nuncius advenit, qui me nimis obstupefecit,
Dicens extinctam prætaxatam Comitissam.
Vires diruptæ mihi sunt, subitoque medullæ,
Palpebris dulcis somni dormitio fugit;
Viscera frigescunt, simul ossa caroque liquescunt,
Quæque laborabam sunt è manibus vacuata.
Haut nocet illius mihi mors, tantum modo scitur.
Officit omnino recte viventibus immo:
Sunt ubicunque boni, fuerant sibi maxime noti.
Nam qui trans pontum seu Galliciæ remorantur,
Christo jure preces ex ipsa fundere sæpe
Curabant, missos sibi mittebantque benignos.
Ejus notitia Patriarcha Hierosolymita,
Ipseque Romanus, Constantinopolitanus,
Lætabantur ita, quod ei sua propria scripta
Mittere solerter studuerunt atque decenter.
Omnis honorque decus tunc Italiæ ceciderunt,
Dum defuncta cadis Mathildis, clara Ducatrix.
Vicisti Reges tibi cunctos atque rebelles;
Conciliumque tuum nec non rutilum quoque vultum
Totius terræ cupiebant noscere gentes:
Queis responsa dabas, omnes & honorificabas.
Stabant ô quanti crudeles atque tyranni
Sub specie justa, noscentes te fore justam:
Qui dissolvuntur, jam pacis fœdera rumpunt.
Ecclesias spoliant, nunc nemo vindicat ipsas,
Si quis se forsan, tutor quod sit quasi, monstrat,
Ecclesiæ partem terræ grandem prius aufert.
Morte tua purus Mathildis deficit usus.
Nam solito miles Domino studet altius ire.
Deviat à retro gressu jam Clericus (e) ergo,
Dives edit sumptus, quos pauper habebat in usus,
Fiunt diversæ mundi per climata sectæ,
Quas ô Mathildis prohibebas rite malignis.
Causa tuæ mortis scribatur, ut audiat orbis,
Ut tua vita cluit, mors sic tua laude refulsit.
Dum bis quarta manet Indictio, jungitur atque
Virginei partus, qui currere cœperat annus (f)
Millenus Quintus Decimus Centesimus: illum
Natalem Christi voluit celebrare Mathildis,
In quodam pago, Bundeno nempe vocato.
Octavoque die Roma veniens Pater ille,
Relligione super cunctos qui maxime lucet;
Scilicet Inspector Cluniazi Ponzo sacerdos
A Domina tanta susceptus, ut inclitus Abbas
More suo sanctis surgens cantare Synaxim
Nocturnam, magnus licet algor stringeret artus.
Devote gracilis surgit tamen ipsa Mathildis,
Auribus intentis capiendo verba canentis.

(e) ordo. (f) Bar. 1115.

Extensos cantus non deseruit sibi gratos
Frigore percussa, doluit nimis illico gutta.
Vixque die mansit patris ad Missam venerandi.
Cumque dies luxit, fuit in qua tinctus in undis
Christus, & in stella paganis se manifestat,
Ac liquidas vertit latices in odore Falerni
Praescripti Patris manibus vix ducta Ducatrix
Audivit Missam, licet ægra remansit ad ipsam,
Languida grabato redit officio celebrato.
Abbas dumque sibi comeatum plane petivit,
Ipsa suis fidens precibus, donavit eidem
Pallia, sacratas vestes, argentea vasa,
Atque Crucem sanctam, pulchre gemmis operatam.
O cultrix Christi, quantum studiosa fuisti,
A te non ullus vacuus discesit homullus,
Si Domini certum quisti fore discere servum.
Cum venit tempus, quod jejunat quoque JESVS,
Jejunare volens hæc debilis, ejus amore,
Pontifices adsunt, prohibent jejunia, tantum
Ingentes agapes sibi præcipiunt dare large.
Pontificum dictis Mathildis paruit istis;
Queis confisa fuit (g) lachrymis sua debita puris,
Jure stolis quorum solvi meruit seniorum.
Interea languor cum non cessaret ab alvo
Illius, inde timens dedit Ecclesiis sua vivens.
Amplificare studens tunc Ecclesias bene plures
Non est oblita quin Ecclesiam Canusinam.
Semper cara sibi fuit, illius atque propinquis,
Ejus quo circa tribuit sub jure Filinam
Egregiam Curtem, dantem fruges sat abunde,
Innumerosque suos *famulos jubet hac bera cunctos*
Ingenuos vitæ post ipsius fore finem.
Ægra jacens septem per menses hæc eademque
Ante domum lecti recubabat, ubi iugiter sic
Jussit honore Dei, Jacobique pii Zebedæi
Ecclesiam parvam fieri, fuit & cito facta.
Officii vestes, & agros ad pabula mensæ
Obtulit huic gratis, hanc Præsul quando dicavit.
More suo Missam recubans audivit in ipsa.
Hujus mortales exemplum discite tale,
Quæ Christo vivens moriens servivit eidem;
Sex deciesque novem vivens annos in honore, (gg)
Julius ante dies octo quam det prope finem;
Scilicet ante diem celebrem Jacobi Zebedæi.
Corpus ei Christi, pariterque Crucem Crucifixi
Porrexit Præsul Reginus, corde serenus
Quique bonus Senior (h) proprio fit nomine dictus.
In manibus cujus Comitissa Mathildis ab hujus
Erumna secli, jugiter memoranda, recedit.
In Cruce nam Christo sua figens oscula dixit:
Te colui semper, mea nunc rogo crimina terge.
Accipiens Christi Corpus venerabile dixit:
Semper dum vixi, Deus, hoc scis, spem tibi fixi,
Nunc in fine meo me salvans suscipe quæso.
Sic orans migrat mox, hæc sapiens Comitissa,
Quanquam credamus, Deus huic quoque sit miseratus.
Ipsum nemo tamen scit, (i) qui non postulet altè,

Vt

(g) Cod. ant. *Quis confessa fuit.* (gg) Bar. 1115. (h) Cod. ant. BONVS SENIOR.
(i) Cod. ant. *sit.*

Vt sibi concedat Paradisi gaudia vera.
Te, Benedicte Pater, moriens hæc curat amare,
Cœnobiumque tuum ditatur corpore cujus;
Cui prece demonstra Cœli cognoscere portas.
In numero major duodenario Petre Pastor,
Cui propriæ fortem telluris subdidit omnem:
Valvas tu Regni sibi prompte pande superni,
Edidit hæc ædem tibi, Jacobe, cumque jaceret,
Speremus quamvis, quod ob hoc ipsam bene sancis,
Maxime cum lætum sit Passa tuum prope festum:
Vt tamen accurras sibi poscimus ante tribunal.
Pastor Apolloni Mathildim spernere noli.
Sit licet injustum quod respicit (k) ipsa sepulchrum,
Quod tua fert ædes, quo Patres ejus inhærent.
Ast altare tuum tamen hæc coluit quia multum,
Ante pium Regem veniam sibi posce libenter.
Virgo MARIA Dei Genitrix, noctisque diei
Hæc audire tuum non destitit officium, nunc
Fac ut te videat, tibi serviat, & super æthra
Omnibus, in cœlis habitacula qui retinetis.
Paruit in terris nimis hæc in corpore versans:
Vos sibi nunc omnes requiei porgite sortem, Amen.

Explicit carmen mortis Comitissæ Mathildis.

Exhortatio Canusii de adventu Imperatoris & Reginæ.

PElle timores, non & honores candida Petra,
Tempora dudum prospera multum læta ferebas,
Magna Mathildis quod tibi finxit, tempore multo
Et genitores nobiliores ipsius ultro
Te peramarunt, & fabricarunt denique celse;
Progenies quæ jam requiescens, desiit esse.
Plangere cessa, gaudia specta, stabis honeste;
Cæsar honorat, teque decorat, sis sua semper.
Plangere noli, culmen honoris tu retinebis,
Alta Mathildis mortua vivit splendida felix:
Quæ nova Mater regna beata, teque beabit,
Est super illam commemoratam nomine talis.
Cæsaris hostes sint procul omnes, ipse beetur
Et sua conjux fulgida prorsus vivat in ævum.

Chartula Comitissæ Mathildis super Concessione Bonorum suorum, facta Romanæ Ecclesiæ.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. C. II. quinto decimo die Kal. Decembris Indictione decima. Tempore Domini Gregorii septimi Papæ in Lateranensi Palatio, in Capella sanctæ Crucis, in præsentia Cencii Frangipane, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa, Fratris ejus Uberti de Tuscia, & aliorum plurium. Ego Mathildis, Dei gratia, Comitissa, pro remedio animæ meæ & parentum meorum dedi, & obtuli Ecclesiæ Sancti Petri, per interventum Domini Gregorii Papæ VII. omnia bona mea, jure proprietario tam quæ tunc habueram, quam ea, quæ in antea acquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quocunque Jure ad me pertinent, & tam ea, quæ ex hac parte montium habebam, quam illa, quæ in ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia, sicut dictum est, per manum

(k) Cod. ant. *respuit*. Displicuit scilicet autori, quod Mathildis se non jussit in arce Canusina sepeliri.

num Domini Gregorii VII. Papæ Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi, & chartulam inde fieri rogavi. Sed quia Chartula nusquam apparet, & timeo, ne donatio, & oblatio mea in dubium revocetur. Ideo ego quæ supra, Comitissa Mathilda, iterum à præsenti die dono, & offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi Cardinalis, & Legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in illo tempore dedi, per manum Domini Gregorii omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quam quæ in posterum, Deo propitio acquisitura sum, & tam ea, quæ ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quæ in posterum, Deo propitio, acquisitura sum alio quocunque Jure pro mercede & remedio animæ meæ & parentum meorum. Quæ autem ista mea bona juris mei superius dicta, una cum accessionibus, seu cum superioribus & inferioribus suarum, qualiter supra legavi, in integrum, ab ea die, in eadem Ecclesia dono, & offero, & per præsentem Chartulam offersionis ibidem habedã confirmo. Insuper per cultellum, festucam nodatam, gantonem (a) & vascionem (b) terræ atque ramum arboris (c), & me exinde foras expuli, garpivi (d), & absentem me feci, & à parte ipsius Ecclesiæ habendam (e) reliqui, faciendum (f) exinde pars ipsius Ecclesiæ dederit à præsenti die quicquid voluerit, sine omni mea, & hæredum ac prohæredum meorum contradictione. Si quid vero (quod futurum esse non credo) sive ego Comitissa Mathilda, quod absit, aut ullus de hæredibus, ac prohæredibus meis, seu quælibet opposita persona contra hanc chartulã quandoque offersionis ire agere tentaverimus, aut tam (g) per quodvis ingenium infringere quæsierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus, mulctam, quod est pœna auri optimi libras mille; argenti pondera quatuor millia, & quo (h) repetierimus, vindicare non valeamus; sed præsens hæc chartula offersionis omnibus temporibus firma permaneat atque persistat, & pergamena cum atramentario de terra levavi, (i) paginæ Guidonis Notarii tradidi & scribere rogavi. In qua subter confirmans testibus obtuli roborandam. Actum Canusiæ fœliciter, Mathilda, Dei gratia, si quid est, in hac charta à me facta, &c.

 *Ego Ardericus Judex interfui, &c.*
Ego Vbaldus Judex interfui, &c.
Signum manu Attonis de Monte Barranzonis & Bonuicini de Canusia, rogati testes.
Ego Guido Notarius Palatii, scriptor hujus chartulæ offersionis post traditam complevi, & dedi, &c.

Relatio
DE THESAVRO CANVSINÆ ECCLESIÆ Romam transmisso & de Compensatione Ecclesiæ Canusinæ factæ.

ANno Domini MLXXXII. *Comitissa Mathildis* cum *Episcopo Anselmo*, qui & Vicarius erat Papæ Gregorii VII. in illis diebus in Longobardia, thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulavit *Abbati Gerardo*, qui tunc præerat præfatæ Ecclesiæ, ad dirigendum PP. pro defensione Romanæ Ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat à *Guiberto Hæresiarcha.*

Itaque prænominatus Abbas una cum congregatione fratrum, fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro & Romana Ecclesia, Vicario ejus & Comitissæ petitioni, alacriter thesaurum obtulit, qui XX. & IV. coronæ (a) erat & una illarum aurea cum crucicula, una itidem aurea & duæ tabulæ altarium argenteæ, & coopertura argenti arcæ altaris sancti Apollonii & turibulum grande argenteum. Quod decoctum Canusii septingentæ libræ argenti fuit, & novem libræ auri.

Tandem transmisso thesauro Romam per assensum & voluntatem Papæ, qui *cartam* (b) *offersionis de omnibus prædiis prædictæ Comitissæ* ab ea receperat, supra nominatus Vicarius, qui

(a) guantonem id est chirothecam.
(b) *gwascionem* lego, *gwasonem* id est cespitem.
(c) supple: *tradidi*, vel tale aliquid.
(d) *guarpivi*, id est ejeci.
(e) habenda.
(f) *adfaciendum exinde pars ipsius Ecclesiæ*, barbarum est, pro, ut faciat exinde pars ipsius Ecclesiæ, quicquid voluerit. Vox *dederit* videtur redundare.
(g) etiam.
(h) quod.
(i) paginam Guidoni Notario.
(a) f. *Coronarum.*
(b) f. *oblationis.*

qui & hunc Episcopatum tunc, jussione Papæ, regebat, rogante domina Comitissa pro aliquantula restauratione ablati thesauri, duas Capellas in *Filma* & unam in *Casula* supposuit Ecclesiæ Canusinæ. Postea *Episcopus Heribertus* catholice Romanam diligens Ecclesiam factum Episcopi Anselmi laudavit & laudans firmavit, Ecclesiamque Canusinam consecravit, quæque habebat Ecclesia ex suo jure sua dote annuit sibi & postulante eadem domina Comitissa alias duos Capellas, unam in villa *Placiola*, & aliam in *Jano* sitam eidem supposuit Ecclesiæ, nec non & Capellam in *Gurgo* sitam per voluntatem ac nutus istius Episcopi à Patronis ejusdem Ecclesiæ Canusina tunc acquisivit Ecclesia anno M XC. Hujus Episcopi temporibus purgavimus interius & exterius Ecclesiam illam de Gurgo ex spinis & vepribus. Post hæc idem Episcopus Heribertus pergere volens in Siciliam per proficuum & honorem Reginæ Ecclesiæ, quia pura amicitia Canusinam diligebat Ecclesiam, mutuo accepit pretiosam planetam de purpura sanguinea & pulchro aurifrisio (c) cum decenti lineo indumento, quam cum indumento dixit valere XXX libras & cuncta, quæ ex suo jure Canusina habebat Ecclesia, iterum suis pontificalibus verbis valde confirmans & spondens vera fide & certa promissione, si à Sicilia vivus reverteretur, quod de melioribus capellis sui Episcopatus subjugaret Canusinæ Ecclesiæ, & si contingeret eum non reverti, aut si perderet planetam, & indumentum; ipse ordinaret unum de bonis Reginæ Ecclesiæ, ut restaurationem haberet Canusina Ecclesia de mutato sibi indumento. Demum vero *post concordiam Papæ Paschalis cum Imperatore*, & post mortem Comitissæ M. mandavit Canusina Ecclesia Papæ censum quinque annorum, petens firmitatem Ecclesiarum suarum, & illam libertatem, quam à tempore *primi Ottonis Imperatoris* Romana Ecclesia sibi conscripserat, ita videlicet, ut nemo Episcoporum unquam in aliquo sibi dominaretur, & ut *Gregorius VII.* qui tam proprietatem Sancti Petri à Comitissa susceperat, omni anno reddendo censum XX. solidorum, sic suo Apostolicali privilegio eam corroboraret atque muniret. Quod & fecit sanctissimus Papa perpetuo anathemate subdens & alienans a corpore & sanguine Christi, quicunque vi illud scienter, quod juris S. Apollonii est, abstulerit, vel qui confractor ejus privilegii inventus fuerit. Hujus autem rei testes fuerunt Donnus Petrus, Vincentius, Pert. Johannes & Donatus ejus Monasterii clerici. &c.

XLI.

Vita Mathildis Comitissæ oratione soluta comprehensa ex MSto.

Historia Illustrissimæ Comitissæ MATILDIS, & de gestis potentissimorum progenitorum suorum, cujus corpus requiescit in dignissimo cœnobio S. Benedicti de Patrione, diæcesis & districtus Mantuani: Obiit autem anno humanatæ Divinitatis millesimo centesimo quinto; decimo nono Kal. Augusti.

MATILDIS inclita Comitissa, & militaris admodum mulier, Henrico IV. imperante suis præclarissimis actibus in muliebri sexu inter viros præcellentibus virtutibus habetur insignis. Hujus historia tam progenitorum ipsius, quam suam originem, & acta summatim continens, ex diversis collecta Cronicis, sequitur in hunc modum.

I.

De Obsidione castri Canossæ, ac liberatione Reginæ Abeleidæ, quam Beringarius Rex Italiæ detinebat.

Sigifredus, Princeps quidam illustris de Tusciæ partibus Comitatu Lucensi ortus, studens sui nominis gloriam ampliare, Longobardorum fines ingressus cum filiis ejus *Sigifredo*, *Attone*, & *Gerardo* multas civitates, gentes & oppida conquisivit, & sibi subegit. Defuncto tandem eo, filiis ejus præfatis paterna condivisa substantia: duo ex eis, scilicet *Sigifredus* & *Gerardus* Parmensem civitatem incoluerunt. *Atto* vero qui longe fratres viribus & rebus transcenderat, *Canossam* castrum, sibi domicilium accepit, quod turribus munivit, & mœnibus decoravit. Erat enim loci naturâ circumquaque munitum, inexpugnabile revera præsidium, situm in diæcesi Reginensi. Ad cujus castri obsidionem dum venisset *Beringarius Rex*

(c) aurifrigio.

Italiæ, cum filio & Longobardorum exercitu, ut sibi Attonem cum castro subjiceret Rex & filius sunt extincti. Longobardi vero *Vgonem* virum inclitum statuerunt sibi Regem natione Burgundium. Post cujus mortem *Lotharius* ejus filius vir prudens regnavit, habens conjugem *Adeleidam* nomine, splendidam Reginam. Ex hac subtractus luce Lotharius, quidam *Berengarius* Longobardus huius nominis quartus, absque nutu Adeleidæ relictæ Reginæ, eaque renitente pro viribus, Rex creatur Italiæ. Qui contra eam ob hanc causam sævitia & ira pariter in tantum incanduit, ut ipsam suæ sublimationis impugnatricem super arcem *Gardam* retro turrim carceri incluserit, sola sibi concessa ancillula. Regina cum diu mansisset inclusa, Capellani sui tandem solertia de carcere evasit. Hic enim *Martinus* nomine vir fidelis & sagax, murum turris confregit occulte, & Dominam cum ancillula clam inde ducens, datis sibi indumentis virilibus, usque ad Mantuæ lacum perduxit, qui piscatorem cum navicula reperientes, transvehi petierunt. Eo vero navigationis pretium exposcente inquit ad eum Capellanus Reginæ, si scires, qui sumus, nos lætus & absque pretio veheres. Qui respondit: ergo mihi aperite qui estis? Dumque sacramentum ab eo peterent, quod nemini revelaret arcanum; ipse duobus acceptis baculis in effigiem crucis in terram positis, se rem celaturum juravit. Tunc Capellanus ei aperuit, indicans esse Reginam. Piscator itaque lætus effectus, palmas ad cœlum tendens, statim eos in navicula assumptos ad aliam lacus ripam devexit, prope sylvam usque lacui contiguam. Reginæ quoque piscem obtulit rogans, ut si quando prospera sibi arrideret fortuna, reminisceretur pauperrimi piscatoris. Pervenientes igitur ad ipsam Insulam una ibi hebdomada trepidi latuerunt. Capellanus enim secreto loca sylvæ contiguæ circumiens, victum procurabat Reginæ; transacta hebdomada suspirans, & ingemiscens Regina suæ miseriæ statum: Heu, inquit Capellano, captivam me semper esse conspicio; quidnam mihi hic esse prodest? Vade quæso igitur ad *Reginum Episcopum Adalardum*, qui cum mihi consueverit esse fidelis, spero, quod, si sibi, quantus sit meus fletus, indicaveris, forsitan miserebitur nostri. Hæc dicens statim Capellanus ad Episcopum properavit, & secreto sibi Reginæ miseriam patefaciens, ejus sibi præsidium conferri supplicavit. Condolens his Episcopus, lætus tamen, quod regina viveret, efficitur. Capellano respondit nullum se possidere oppidum, in quo secure posset Regina morari. Militem tamen se habere dixit *Attonem* nomine, quem suprà diximus, *filium Sigifredi*, amicissimum sibi, cujus erat castrum *Canossa* nomine ante dictum pro regina tutissimum revera præsidium. Confestim igitur Capellanum ad *Attonem* direxit. Qui cum videns, & de Regina interrogans, eam de industria sua respondit, in carcere fore defunctam. Tunc Atto, qui Reginam fideliter adamabat, nimium inde dolens lachrymas fudit amaras. Quod cernens Reginæ Capellanus, rem ei statim aperuit. Atto igitur equo velociter ascenso, cum Capellano & famulis ad Reginam perrexit, quam in Sylva reperiens cum ancillula, ad Canossam eam perduxit. Post hæc Romam ad *Papam Joannem* nomine *duodecimum* nuncium hujus rei direxit, supplicans sibi super hac re dignum impendi consilium. Deliberavit enim *Atto* Reginam ipsam, *Imperatori Ottoni*, tunc Alemaniæ Regi in conjugium copulare. Papa vero commendans quod gesserat Atto, mandavit ei, ut quod de Regina proposuerat, salubriter adimpleret. Atto igitur Pontificis cognita voluntate Reginam eidem Ottoni *Veronam* venienti dedit in conjugem. Otto vero Rex Attoni maxima per hæc promisit beneficia.

II.

Otto Imperator in auxilium venit Attoni in Canossa obsesso, & Berengarius capitur.

Hæc ita dum se haberent, omnia prorsus latebant *Berengarium Regem*. Cognoverat sane evasisse Reginam, sed quo aufugisset, quidve egisset, erat ignarus. Audito autem Ottonis Regis adventu Veronæ, & quæcumque de Regina cum eo egerat Atto, iratus & frendens coadunato exercitu venit Canossam, eamque obsidione vallavit. Sed Atto prudens & strenuus, oppidum, etiam loci natura fortissimum, necessariis quibusque munierat. Suos igitur ad defensionem solum cohortabatur intrepide. Cumque Rex Berengarius Castrum obsessum multis telis & machinis impeteret, excelsa tamen ejus mœnia contingi non poterant. Inter hæc consueverat interdum Atto de turri excelsa descendere, & præstantiores ibi viros alloqui. Quod Rex intelligens illum comprehendere machinatus est. Quidam vero Attoni amicus, hæc præsciens eum secreto de turri vocatum, ut emisso per fenestellam turris capite, ejus audiret verba rogavit; quod cum fecisset Atto, hanc ei fabellam narravit. Vrsus, inquit, ventre famelico, suspensus ad escas existens, se cervi cujusdam amicitia languere confinxit, misit

ut

ut se visitatum concito gressu veniret. Cervus igitur cum venisset, ursus ejus adhæsit auriculæ eamque discerpens, ipsam etiam unguibus laniavit. Cervus tandem evasit. Post hæc rursum pro cervo mandavit, promittens ei magna munera si veniret. Cervus inscius, & offensionis oblitus, iterato revertitur, qui urso propius accedens residua eum privavit auricula, sicque delusus cervus rediit deturpatus. Tertio tandem urso pro cervo mandante; dicebat enim se magna cum eo loqui velle, incautus cervus advenit. Cui ursus arridens dente, eum repente & ungue discerpit, vitaque privatum vulpi assandum dedit, quem dum assum urso vulpis præsentasset, cor illius a vulpe sibi dari expetit. Cui vulpis cervum cor non habuisse respondit. Ursus vero dum prorsus cervum cor habuisse contenderet, & illud statim sibi dari vellet; vulpis ait: Dum tuis tertio petitionibus sic annuisset improvidus, corde eum caruisse protinus comprobatur. Hac narrata fabella, & cur eam dixerat Atto intelligens, turrim obsidione durante amplius non descendit, utile sibi exemplum reservans. Dum vero tribus annis & mensibus sex apud Canossam perdurasset obsidio crudelis, Atto tædio affectus, Imperatori scripsit Ottoni ut promissionis olim sibi factæ, dum illi Adeleidam copulavit Reginam non immemor, ei accurrere auxilio non differret. Otto igitur collecto armatorum exercitu in agrum Veronensem advenit, Padumque transiens, cum Berengario aperto marte parat confligere. Quod audiens Berengarius statim ab obsidione decessit. Cui in prato fontano Imperator obvius factus grandi subito exorto clamore, inter Berengarium & Ottonem initur prælium. Pugnatur acriter utrimque: multi tamen cæsi sunt, multique mortui. Berengarii exercitus terga vertit: dumque fugientes Longobardos Alemani insequerentur, Berengarius capitur, & Ottoni præsentatur; quem vinctum compedibus, quoad vixit, captivum retinuit.

III.

De prælio inter Adalbertum Regem Italiæ & Lithulphum Ottonis Imperatoris filium.

POst hæc *Adalbertus Berengarii filius* a Longobardis sublimatur in Regem. Hic armis strenuus pacem cum Ottone numquam voluit. *Atto* vero sagax ingenio, & animo fidens, *Canossam* oppidum necessariis munivit. Adalbertus quoque Rex oppidum ipsum obsedit. Dumque mensibus triginta in obsidione mansisset, Atto Adalberti Regis animum adversus se videns pertinacem, rursum misit Ottoni, ut ejus sperato sibi subsidio non deficiens, ipse vel filius *Lithulphus*, sibi adesset obsesso. Otto itaque filium suum Lithulphum, cum mille armatis sibi misit auxilio: qui in Italiam veniens *Veronam* intravit. Quod audiens Adalbertus Rex obsidione relicta *Basilium* perrexit. Lithulphus vero Verona exiens, vespertina hora *Battonis pratum* advenit, ubi aderat Atto; à quo susceptus hilariter; malè, inquit Atto, gatonem cum mure in arcto saculo simul esse fertur. Ad quem Lithulphus, ut hoc sibi enuclearet enigma, respondit. Non decet, inquit Atto, duos Comitatus in uno homine esse simul. Capiamus igitur, inquit Litulphus, consilium, quid sumus acturi. Atto respondit, bonum est nocte hac in agro isto quiescere; & corporis curæ insistentes, qui Adalberti exercitum exploret, mittamus. Quod & factum est. Reversus igitur nuncius, Attone primo invento; tanti sunt, inquit, hostes, si nostri pecudes essent, ab eis comedi non possent. Tunc Atto, silentium nuntio imponens, ad Lithulphum accedit, & retorta sententia nuncii verba mutavit. Adeo, inquit, pauci sunt hostes, ut si bidentes assati essent, eorum non sufficerent nobis carnes. Hortatus itaque Lithulphum ut armis assumptis irruat in Adalberti exercitum. Lithulphus igitur prorumpente aurora, cum suis armatis etiam ad Adalberti exercitum propinquat. Senserunt illum excubiæ, & statim Adalberto nunciarunt. Ipse vero propterea stupefactus jussit rimari qualia essent, suosque signo vocari. Interea audita missa, nunciatur ei mille numero hostes esse. Adalbertus igitur Rex cum paucis armatis éxivit ad prælium; quem dum conserta pugna horribili Lithulphus ferro impeteret, Adalbertus in eum hastam vibravit, & thoracem perforans, ac per pectus educens, illum vita privavit: Alemani suo destituti Duce mœrentes tremore concussi sunt pariter & timore. Sed Atto, vir singularis magnanimitatis, statim advenit, & eos cohortans ad bellum viribus resumptis & animis eo Duce, durissime præliatur. Tandem licet cum magna suorum cæde, Atto cum suis victor existit, & fugatum Adalbertum Regno privavit. Qui regni amissi confusionem non sustinens, pertransivit Oceanum, seu mare Adriaticum, amplius minime reversurus. Ab eo quoque Longobardi, nullum sibi Regem ulterius statuerunt. Hæc autem acta sunt *anno octingentesimo quintodecimo* incarnati Verbi Dei. Corpus Lithulphi Atto habens, educta ex eo viscera

scera, *in Ecclesia S. Prosperi* sepelivit. Corpus tandem digne condiens aromatibus, Patri transmisit Ottoni, eumque per solemnes internuncios hortatur, ne pro nece filii, qui fortiter pugnando corruerat mœrens, ad Italiam tardius festinaret Regnum penetraturus rege privatum. Otto quamquam nimium de filii morte turbatus, honorabiliter tamen eo sepulturæ tradito, in manu potenti Italiam venit, qui a cunctis pacifice receptus, regnoque sibi tradito, cum Civitatibus cunctis, & oppidis Romam perrexit, & a Papa hujus nominis *Joanne duodecimo*, Imperii diadema suscepit. Attonem post hæc magnis ditavit muneribus, & *comitatus* decoravit *honore*. Qui tandem decedens, de proba muliere *Idegarda* nomine, duos reliquit filios *Gothofredum Brixiensem Episcopum*, & *Thedaldum*.

IV.

De Thedaldo Attonis filio, & ejus filiis, Thedaldo scilicet Bonifacio, & Conrado, & de morte Thedaldi & Conradi.

THedaldus igitur post Attonis ejus Patris mortem omnem paternum servans honorem, & virtutes imitatus, terras & oppida propria amplificans Principibus extitit notus & carus. Cui *Joannes Pontifex* multa sibi dilectione conjunctus civitatem concessit *feriarum*. (*) *Canussium* castrum multa diligentia custodivit. Juxta etiam Padi fluenta longe a Mantua miliaribus decem ideo dignum construxit *Cœnobium*, quod *Sanctus Benedictus de Padolirone* nuncupatur: In quo Monachos sub Benedicti regula degentes instituit. Conjugem habuit *Voiliam* (**) nomine, sua omnibus pietate placentem, de qua tres procreavit filios: *Thedaldum* videlicet, qui fuit *Aretinæ Urbis Episcopus*, & *Bonifacium militem* strenuum, *Conradumque* prudentem Virum. Moriente igitur eorum Patre Thedaldo, *Bonifacium* instituit primatus honore gaudere: cui nummorum duodenos saccos refertos contulit, quos in sua Camera conservabat. Voluit etiam, vt eo præsente filio suo Bonifacio, subditi sui fidelitatis Juramenta præstarent. Thedaldus autem ipsius Bonifacii frater, Aretinus Episcopus, religionis sanctæ maximus cultor, commissum Episcopatum sibi fideliter gubernavit; de quo fertur non omittendum Exemplum. Hic enim dum in tempore, gravi quadam laboraret ægritudine corporali & de sanitate illius Medici desperantes omnino nisi adulterium committeret, & amici ejus ad illud patrandum scelus inducerent, pro muliere miserunt, quæ dum advenisset, statim ante lectum suum ignem jussit accendi, qui lecto apropinquans & jam flammarum incendium sentiens, subito lacrymatus exclamavit: Veh, veh mihi; dum hanc modo tenuem flammiculam sufferre non possum, quomodo si me perire contingat, potero barathri incendia superare? Scelus quippe istud, ad illum me puteum conducet, in quo funditus sub tetro igne patiar cruciatus. Absit itaque ut pro temporali sanitate, æterna me contingat salute privari. Tali igitur Exemplo prudens Antistes subditum sibi gregem monuit, & Deo annuente meruit sanitatem. Mirum etiam in modum detestatus est Simoniacam pravitatem. Defuncto itaque Thedaldo, *Bonifacius* & *Conradus* ejus filii inter se fraterna vixerunt concordia, quam licet plures æmuli scindere niterentur, semper nihilominus inter eos majoris dilectionis crescebat affectus. Bonifacius *Richildam Comitissam Gisberti Principis filiam* duxit uxorem, quæ *Novariæ* sine liberis defuncta jacet. Cumque hi fratres divitiis florerent & viribus, in tantum ut hostibus metum incuterent, multi & regno vicini in *Caviliolo* adunati, eos aggredi & debellare contendunt. Quod audientes Bonifacius & Conradus, viriliter sumptis armis illos invadunt & mirabili confecta pugna, tandem hostes cæsi fugantur, & campus horribili strage cruoreque multo repletur: sicque fratres ipsi victores permanserunt. *Conradus* tamen in eo prælio vulneratur, qui post aliquot annos, mala vulneris habita diligentia, ultimum vitæ suæ clausit diem. Cujus corpus Thedaldus Aretinus Episcopus, frater ejus supra nominatus, in *Canussium* oppidum detulit, & eum magnis exequiis sepelivit. *Anno* humanatæ divinitatis *millesimo trigesimo*. Ibi quoque ambo prænominati Pontifices *Gothfredus Brixiensis Episcopus*, & *Thedaldus Aretinus*, *Ildegarda Attonis Conjux*, *Rodulphus* & *Conradus Bonifacii filii*, & *Voilia*, *Thedaldi filii Attonis Uxor* sub uno sunt pariter saxo contenti.

V. De

(*) *Ferrariam*. (**) *Guilliam*.

V.
De Bonifacio Patre Matildis, & qualiter Beatricem duxit Uxorem.

BOnifacius autem Conrado fratre defuncto, magnis extitit clarus virtutibus. Hic enim in puerili adhuc ætate, ingenio multo viguit, & sensu mirifico polluit. Fuit quoque forma procerus, corpore decorus, actu providus, viribus acer: dapsilis cunctis, de quo Erithræa Sybilla præclarè vaticinata est: *Igitur enim futurum Ducem cujus nominis principium erit B. qui dictis & actibus limpidus, rerum locuples, opere pacificus, & in præliis victor existet.* Habuit idem Bonifacius & aliam conjugem illustrem, scilicet *Beatricem ex Gallia*, scilicet *regali stirpe progenitam*, multo formæ decore, & sapientiæ nitore dotatam, cujus pater *Federicus*, & mater *Matildis* extiterunt. Ad quam desponsandam cum Bonifacius in Galliam properaret, quanto honore polleret, & quàm ingenti quoque gloria emineret, patenter ostendit. Nam comitatus solemnissimo Principum, & nobilium cœtu, inter cætera suæ insignia magnificentiæ equorum pedibus jussit argenteas solas apponi. Quæ si casu aliquo resilirent, nemo suorum reasumere dignabatur, sed passim per agros & semitas, a transeuntibus tollebantur. Hæc sibi oppida & villas, servos & ancillas in Galliæ partibus donavit in dotem. Quam dum reversus a Gallia in Lombardiam duceret, magno a cunctis applausu & honore suscipitur. Tribus mensibus nuptiarum convivia, impensis profusioribus, grandique omnium lætitia perdurarunt. In quibus quidquid vasorum erat argento rutilabat, & auro splendebat. Ex hac Beatrice liberos genuit, *Federicum* scilicet & *Matildam nobilem Comitissam*, de qua præsens habetur historia. Sed Federico & Beatrice ab hac luce subtractis, *Matildis* superstes unica patri Bonifacio filia remansit & heres. Est tamen aliquorum opinio, Henricum hujus nominis quartum Imperatorem genitòrem fuisse matris hujus Comitissæ Matildis, hoc modo videlicet: Dicunt matrem Matildis, dum virgo esset, in Juvenem nobilem exarsisse, genere Lucensem in Imperatoris aula ministrantem, qui tandem hanc, Imperatoris filia cognita, commissa timens, cum ea abiit, & diu latitans vitam duxit. Tandem cum in civitatem quamdam Imperator venisset, in cujus Episcopatu Juvenis ille cum Imperatoris filia latitabat: Juvenis ille rem aperuit Episcopo civitatis. Ille autem Imperatori narravit: Cujus precibus venia promissa, utrumque recepit ad gratiam. Huic Juveni nomen erat Bonifacius, qui ex Imperatoris filia hanc genuit Comitissam, quos Imperator auxit ex imperii viribus, eis multa concedens.

VI.
De Confœderatione Bonifacii cum Imperatore Conrado, & ejus morte.

COnradus Imperator hujus nominis *secundus*, dum *Parmam* obsideret rebellem, hunc Bonifacium ad suum subsidium evocavit. Cujus fultus præsidio, utpotè viri viribus strenui, & armis edocti Civitatem ipsam obtinuit; quem sibi postmodum ipse Imperator adstrinxit, fœdere juramenti, & multo illum honore provexit. Posthæc Henrico tertio imperante, dum ad bella contra Burgundos idem processisset Imperator, præfatus Bonifacius in Imperatoris auxilium, memoranda pariter, & magnifica egit in hostes. Inter quæ istud silentio prætereundum minime duxi. Dum enim in cujusdam Castri obsidione, multos Bonifacius ex Burgundionibus, ferro cœpisset, minatus est eorum nasos, & auriculas mutilare. Adfuit ibi Matrona quædam nobilis & dives, quæ tantum argenti pro filii redemptione se daturam est pollicita, quantum in trutina positum moles corporis ponderaret. Cui Bonifacius caput quatiens, absit hoc, inquit, ut hostes ferro capti redimantur argento, volo ut hujusmodi pœna posteritati vestræ sit opprobrium sempiternum. Incisis igitur naribus & sectis auribus, tres jussit onustari clipeos. Hunc *Imperator Henricus*, idem Bonifacium, sola stimulante invidia cum videret eum magnificis actibus strenuum, sæpius tentavit dolo occidere. Sed Deo custodiente, & eo semper insidias dissimulante, Imperator suo conamine frustratus est. Fuit quoque sæpe diebus Bonifacius in divinis sollicitus, *savos* (*) etiam honoravit Pontifices, Clerumque valde dilexit, & præcipue monachos. Pro divino autem amore, & munificentiæ suæ eis dexteram aperuit; delictaque propria illis confitens, condignam sumpsit pœnitentiam. Tandem cum votum vovisset Christi visitare sepulcrum, & pro sua expedienda peregrina-

(*) Id est *sapientes*. An potius legendum: *Sanctos*.

grinatione, omnia complevisset; illo vocante, in cujus manu sunt hominum vitæ universæ carnis viam ingressus est. *Anno* Dominicæ incarnationis *millesimo quinquagesimo secundo*, qui fuit *annus duodecimus Henrici tertii*, & *Mantuæ* sepultus est. Postquam conjux ejus illustris Comitissa *Beatrix* annis quindecim supervixit universam Marchiam ritè gubernans, filiamque *Matildam* diligenter nutriens, bonis eam moribus & virtutibus informavit. Duo fundavit monasteria, *Fraxinorense* scilicet, & *Canusinum*, illisque prædia magna donavit. Demum infirmitate correpta, *decima octava Aprilis die*, *anno gratiæ millesimo septuagesimo sexto*, Henrico quarto imperante, fœliciter ab hac luce migravit, corpus ejus *Pisis* conditum est.

VII.

De fama Comitissæ Matildis, & de fama & opinione ejus mariti.

MAtildis igitur *Comitissa*, defunctis patre Bonifacio, & matre Beatrice, tum morum probitate, tum progenitorum præclara prosapia multis in regnis nota efficitur, & famosa; Hanc enim Græcorum Principes, Alemanorum, Russonum, Saxonum, Frisonum, Arvernorum, Vasconum, Francorum, Lotheringorum, & Britanniorum multis extollebant laudibus, & multa sibi dona transmittebant. Inter quos *Alexius Græcorum* & *Alemanorum Reges ejus conjugium petierunt*, & alii quoque multi præclari Duces & Principes, quibus placide non tamen efficaciter respondebat; Hæc enim semper erat facie hilaris, mente quieta corporeque decora. *Teutonicam*, *Francigenam* & *Lombardicam* optime novit *linguam*. Inter cæterasque nationes fovit amore præcipuo Lombardos. *De viro autem hujus Comitissæ Matildis, extat in dubio. Per hæc enim verba videtur hujus historiæ scriptor innuere Comitissam hanc non habuisse maritum, cum in sequentibus etiam quod habuerit, vel filios genuerit, nullam facit mentionem.* Scribitur tamen in libro, qui dicitur *copia Landulphi de S. Paulo*, quod *ad secessum residens Dux quidam nomine Gothfridus, Gothfridi filius gladio confossus interiit conjuge relicta Matilda Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia*, per quod nascitur, quod hæc Comitissa alicui viro nupserit, huic scilicet Gothfrido. Est & aliquorum opinio, quod iste *Gothfridus Dux* fuerit *Spoletanus*, quamquam in eadem copia ejus non nominetur Ducatus. Scribit enim *Martinus Polonus in Cronica sua*, quod Gothfridus Spoletanus Dux & Comitissa Matildis devota filia sancti Petri, Normanos expulerint: qui in præjudicium Ecclesiæ *Alexandro Papa secundo* præsidente natione Mediolanense, Regnum Apuliæ invaserunt, & fines Campaniæ devastabant. Ponit quoque *Jacobus de Voragine* Ord. Fratrum Prædicat. Archiepiscopus Januensis *in Cronica sua*, quod hæc Matilda tradita nuptui, cum de viro suo filium genuisset, propter dolores, quos in partu senserat, noluit postea viro suo conjungi; sicque filio mortuo, eaque superstite, sine liberis tandem ultima defecit. Fertur etiam quod per ipsius partus dolores, animata in maritum, ipsum fuerit insequuta, & fortè (ut aliqui autumant) per modum, qui dictus est, in eum necem a filio inferri procurasse. Et propterea divina occulta ultione postmodum viduata marito, filioque ea superstite privata, multis prius bellorum conflictibus, & adversitatum stimulis lacessita, ut patebit in sequentibus, & suorum ultimam decessisse, & pro suæ remedio animæ, quæ possidebat, Apostolorum Clavigero reliquisse. Scribitur autem in libro qui *Darius* appellatur, quod hæc Comitissa Matildis cum jam duobus fratribus emortuis, quos Henrici Imperatoris calliditate occisos fore credebat, seque solam videns superstitem, serpente qui olim Prothoplastos in Paradiso Dei callidior decepit, ipsumque quærens Imperatorem a regno privare dolis acutissimis, non armis laborans, *septimo* adhæsit *Gregorio*, qui prius Ildeprandus dictus est. Quæ cum adhuc virgo, *Gigonem* virum prudentissimum *Northimandiæ Ducem* duxisset in maritum per annos paucos secum morata, super se jam pœnitens alicujus habere dominium, consilio inito cum vernula sibi fidelissima, ipsumque ad cloacam super lacum sedentem per secessum immisso ense fecit interimi. Cum autem robur a Tuscia usque Romam Comitatus sui fere sola exerceret, pactoque secretissimo habito cum eodem Ildeprando, Ecclesiæ Romanæ tunc Diacono, nec non cum quam plurimis religiosis a finibus Albini & Ruffini sparsis, quatenus sine consensu Imperatoris in Pontificem Romanum eligerent, ut consecraretur operam dedit. Sed ne sermo præsens videatur mortuos accusare, ad subsequentia procedatur.

VIII. De

VIII.

De Pace facta per Comitissam inter Imperatorem & Papam.

POst mortem itaque matris Comitissæ Matildis discurrente fama per orbem, *Regem Henricum hujus nominis IV. Hildebrando* consentiente, qui & *Gregorius VII.* cum suis fautoribus anno ejusdem Henrici vigesimo primo, qui fuit annus Domini 1108. a matris Ecclesiæ sanctæ gremio segregatum; & Alemani Duces, scilicet *Bertholdus*, *Rodulphus* & *Vnelpho*, cum multis Comitibus & Episcopis ab ejus se traxere consortio, cum multa infamia denotantes, quod Imperator agnoscens ad consobrinam suam *Matildam*, Comitissam illustrem nuntios direxit, ut ipsa consilium exquireret, propter quod Papa Lombardiam properaret, promittens satisfacere de commissis. Procurante igitur eadem Comitissa honorifice suscepit, ubi etiam Imperator Henricus adfuit. In præsentia igitur Episcoporum & Principum, inter quos erat venerabilis *Vgo Cluniacensis Abbas, Imperatoris Henrici in lavacro Pater*, de pace tractabatur. Cumque tribus jam super his decursis diebus, nullum pacis tractatus sortiretur effectum, Imperator Abbatem Vgonem humiliter deprecatus est, ut sibi pro pace fidejussor existat, quod ille sibi non licere respondens, astans Comitissa pro Imperatore preces ingeminat. Cui & Abbas ipse respondit: Tu sola potes hoc exequi; tunc supplex Imperator *consanguineam* rogans, ut ea intercedente a Romano Pontifice benedictionem suscipere mereatur, quod se acturam promittens statim ad summum Pontificem abiit, eumque supliciter allocuta, tandem annuit. Credidit verbis ejus petiitque, ut sibi & Ecclesiæ Romanæ ab ipso Imperatore fidelitatis juramentum præstetur. Imperator itaque ad præsentiam Papæ nudis pedibus super nivem & glaciem incedens venit, & in modum Crucis, se in terram ante pedes Pontificis jactans: Parce, inquit Beatissime Pater, parce. Cujus Papa præsentiæ miseratione motus, benedixit & ad pacis osculum admisit, missaque solemniter decantata, corporis & sanguinis Domini nostri JEsu Christi in pacis & concordiæ signum eum fecit communione participem, & in arcem Canussinam eum deduxit mirabiliter collætantes. Sicque Matildæ magna prudentia consolidata sunt inter Imperatorem & Papam pacis fœdera, invitis tamen quibusdam Episcopis, & in lite manentibus, prout subsequentia declarabunt.

IX.

Qualiter Papa, & Comitissa Imperatoris fide mutata insidias evaserunt, & sibi & suis adversati sunt.

POst hæc Imperator Papa dimisso in oppido Canussino *Reginum* perrexit, quam civitatem quidam depopulabantur *Episcopi*, videlicet *Mutinensis*, *Cremonensis* & *Bononiensis*, de pace inter Papam & Imperatorem plurimum metuentes. His erat auctor *Guibertus Archiepiscopus Ravennensis*, natione Parmensis, vir nobilis, & astutus; hic autem Imperatoris mentem adeò pervertit a Papa, ut de pacis compositione pœnitens Papam conceperit captivare. Die igitur 6. ex quo discesserat a Papa, *Babianelum* remeavit, ad quem Papa, nec non & Comitissa: (*) petit Imperator cum eis colloquium ultra Padum, quod annuentes, dum transisset Imperator, etiam ipsi transire contendunt, conceptæ fraudis ignari. Cumque transissent, venit ad Comitissam insinuans, quæ latebant. Patefactis itaque insidiis Papa cum Comitissa ad oppidum rediit, Imperatorem minime revisurus. Hæc audientes Episcopi supradicti læti sunt effecti, & maximè *Guibertus*, qui hujus seditionis auctor, sedem Apostolicam contra Gregorium invadere satagebat. Quem tandem Imperator laudavit in Papam. Seditiosi namque memorati Episcopi apud Brixiam convenientes, ipsum *Guibertum in Papam* elegerunt, *Clementem* eum vocantes. Quem postmodum Imperator secum ducens *Romam*, fecit in Papam benedici, & ab ipso in die sancto Paschæ Imperii diadema suscepit. Matildis autem Comitissa, hæc & hujusmodi acta abhorrens, Papæ semper adhæsit Gregorio, per tres menses retinens honorificè in oppido Canussino, qui Canussinam etiam dedicavit Ecclesiam: & libertatis privilegio dotatam eam fecit immunem *Anno* filii Dei humanati *millesimo septuagesimo septimo*. Monitis tamen salutaribus Comitissam imbuens, & divinis præceptis informans, valedixit ei & Romam perrexit: cui plebs Romana cum grandi exultatione obviam ivit, eum in Pastorem suscepit. Ipse vero omnes Imperatori adversantes absolvit ab infidelitate & perjurio. Quod Imperator agnoscens cum valido exercitu intravit Italiam eamque pervagatus, castella fregit & oppida, sola tamen

(*) Forte omissum: *veniunt*, vel *properant*.

tamen ei restitit Comitissa Matildis. Contra quam Imperator magna exardescens in ira, excitat adversus eam prælia, terroresque immittit, & obsidiones minatur; sed cum eidem Comitissæ innumerabilia essent præsidia ab Imperatoris oppressionibus semper strenue se defendit, quod Imperator advertens, mox properavit ad urbem, quam, cum sibi non obtemperaret ad votum, obsidione vallavit, eamque depopulatus est, & mœnia multa dirupit; postea urbe obtenta statuit in ea, ut dictum est, Guibertum Antipapam Clementem appellatum. Gregorius vero Papa his graviter offensus, *Robertum Guiscardi Apuliæ Dominum* in suum auxilium evocavit. Quem cum de Apulia venientem Imperator audisset, ab urbe discessit. Sed Guibertus Antipapa præmiis & donis Imperatorem alliciens invasam sedis Apostolicæ Cathedram detinebat, qui pravitatis hæreticæ limes effectus, multos in vrbe & orbe pariter vitiavit. Ipse enim divina mandata seponens, leges sacras prævaricabat, Dei Ecclesias destruebat. Gregorium quoque Papam severiter persecutus, multos Episcopos & viros catholicos flagris afflixit & carcerum squallore maceravit, Imperiali favore suffultus.

X.

De Thesauro, quem misit Papa pro Ecclesia Canussina ad instantiam Comitissæ Matildis.

INter hæc Comitissa Matildis, pio corde flagrans adversus Imperatorem, & Guibertum Antipapam, acta eorum abhorrens, prælia multa gessit, & quoscumque ei adversantes pro posse consovit. Ipsa enim Episcopis, Clericis, Monachis, cunctisque erat fida tutela Catholicis. Nam quos in hac procella desidiorum Imperator damnabat, spoliabat, & exilio redigebat, ad eam recurrentes, benigno eos solamine, & salubri auxilio refovebat. Inter quos ille venerabilis vir *Anselmus* Episcopus, qui natione Mediolanensis *postea Papa fuit*, vocatus *Alexander* hujus nominis *secundus*. Cui idem Gregorius VII. paterno commendavit affectu, ut ipsam suis salubribus monitis & benignis dogmatizaret exemplis. Ipsa enim Comitissa cum eodem Anselmo Episcopo, qui tunc in Lombardiæ partibus Gregorii Papæ erat Vicarius, *thesaurum Ecclesiæ Canussinæ* postulavit Abbati Gerardo ejusdem Ecclesiæ, ut eidem Papæ dirigeretur pro defensione Romanæ Ecclesiæ propter persecutionem, ut dictum est, ejusdem Guiberti hæretici. Cui petitioni idem Abbas cum grege sibi commisso pro Apostolicæ sedis reverentia libenter annuit, & thesaurum alacriter obtulit, videlicet Coronas XXIV. & una illarum erat aurea, cum crucicula una itidem aurea, & duæ tabulæ altaris argenteæ, & coopertura argenti arcæ altaris S. Apollonii, & grande turribulum argenteum; quoad totum thesaurum Canussinum septingentæ fuerunt libræ argenti & novem auri. Quo Romam transmisso rogante Comitissa, idem Anselmus Episcopus Papæ Vicarius, pro aliquantula restauratione ablati thesauri, duas Capellas in ..... & unam in Cassula Ecclesiæ Canussinæ supposuit. Acta sunt hæc *anno Domini millesimo octogesimo V.* Posthæc *anno Christi millesimo octogesimo VI.* idem *Gregorius Papa* quartadecima die Maji, migravit a sæculo, cujus transitus multis fuit mœroris maximi occasio. Quo defuncto, quidam *Desiderius montis Casini Abbas* in Papam eligitur, dictus præterea *Victor*, qui pauco tempore vixit. Cui successit *Odo monachus Cluniacensis* Episcopus Ostiensis, dictus *Vrbanus* hujus nominis *secundus*. Hic omnia acta Imperatoris & Guiberti damnavit, & ad Comitissam B. Petri filiam, suas exhortatorias literas dirigens suorum veniam sibi contulit delictorum.

XI.

De persecutione in Comitissam pro favore Ecclesiæ & obsidione Mantuæ.

CUm autem nuncii Papæ, & Comitissæ hinc inde crebro discurrerent, regnum fere contra se eadem Comitissa commovit Italicum. Vnde multa sunt prælia subsecuta. Ex quibus pars Comitissæ multis victoriis claruit. Eo etiam tempore multi ex Italiæ civitatibus, Duce quodam *Oberto* arreptis armis ad urbem properant, cum quibus erat *Reginus Parmensis Episcopus.* Hi terras Comitissæ pervagantes populatione magna in eis sæviebant. Dumque in campis Sorbanæ castrametati essent, quadam nocte dormientes intrepidi, ecce repente milites Comitissæ irruunt super ipsos, vociferantes: Beate Petre auxiliare tuis. Tanto igitur expergefacti terrore clamoreque tam subito stupefacti strepitu hinc inde dispersi, terga verterunt. Cæsis itaque & occisis eorum plurimis, multi quoque remansere captivi, inter quos *Eberardus*

Parmen-

Parmensis Episcopus fuit. Eo tempore *Anselmus Lucensis Episcopus* defunctus est, & Mantuæ sepultus. Sed in gestis ejus legi, quod factus Papa & *Alexander* dictus in Lateranensi requiescit Ecclesia. Henricus etiam Imperator in persecutionem Matildis, publice jam in suos advertens, abstulit ei quidquid in Gallia ex ipso jure materno, & paterno possidebat. *Brigerino* Castro dumtaxat excepto, cum revera esset inexpugnabile castrum. Post hæc Imperator *Mantuam* invasit, quam undenis mensibus dira obsidione vallavit. Comitissa vero per internuntios suos sæpe Mantuanos ad constantiam hortabatur eique victualia ministrabat. Sed eorum fide mutata sese Imperatori tradiderunt, inscia Comitissa, quibusdam Comitissæ proceribus casu evadentibus, qui in ipsa civitate ad Mantuanorum subsidium residebant. Imperator victa civitate statuit in ea præsulem *Conorum* nomine, genere Alamannum, fugato inde *Vbaldo Antistite*. Obtinuit præterea Imperator ferè cunctas civitates, & oppida ultra Padum, exceptis *Platena*, & *Vogara*, quæ in fide Comitissæ permanserunt Matildis. Cepit præterea Minerviam fame afflictam. Comitissa non propterea tamen consternata, videlicet à zelo Ecclesiæ tepescens per *Eginensem* & *Mutinensem* Comitatus equitans, propria fortalicia reparabat. Hyemis itaque tempore capto Minerviæ oppido, Athesim flumen Imperator paucis comitatus militibus pertransivit. Quod intelligens Comitissa statim contra eum mille armatos Equites destinavit. Qui cum Padum & Athesim pertransissent eos, diebus octo Imperator sua astutia evitavit. Fingebat enim se nolle confligere bello, dumque ob hoc manerent intrepidi nullasque suspicarent insidias; Imperatoris milites clam irruunt super eos in loco quidem *Tres Comitatus*. Multi itaque cæsi sunt, multi etiam capiuntur. Alii tandem evaserunt per devia fugientes. Hujus proditionis auctor fuit Vgo quidam suæ nobilitatis degenerans.

XII.

Depradatio vexilli Imperatoris a Comitissa, & de victoria contra eumdem consecuta.

TRansacta Hyeme Imperator cum Alamannis & Longobardis ad montes Mutinensium properavit; cepit autem montem *Manrelum* & *montem Alfredi*, ubi captus est Gerardus signifer Comitissæ, de cujus captione multum doluit. Postea castrum Montis belli obsedit; fultum enim oppidum auxilio Comitissæ non potuit debellare. Tunc *Antipapa Guibertus* ad Imperatorem venit, & si Guibertum in Papam Romanum cognoscerent, in castro obsessi, & afflicti tædio, ab Imperatore licentiam peterent, eam se daturum pollicitus est. Quod Comitissa non annuit, quibusdam tamen mediantibus proceribus & Prælatis, inter quos cum *Heribertus Reginensis Episcopus* inclinari videretur ad pacis vinculum; Abbas quidam Joannes nomine Comitissæ pacem fieri disuasit, hanc asserens pacem Catholicæ unitati fore contrariam. Animatur itaque Comitissa, ut in Domino confidens vires assumeret fortitudinis. Hæc autem acta sunt in loco, qui dicitur *Cassinetum*. Multis igitur machinis, & aliis bellicis apparatibus *Montis belli* castrum oppugnatum est. Ibique *Imperatoris filius corruit* non sine patris dolore gravissimo. Cujus corpus deferri Veronam jussit, & condigno tumulari sepulcro: videns tandem castrum fore inexpugnabile ab obsidione discessit, & in *Emiliam* veniens se *Parmam* finxit adire. Sed *Camisianum* rediens decrevit *Canusinum castrum* invadere, ad memoriam reducens id, quod passus fuerat, dum ad Papæ præsentiam super nivem & glaciem nudis pedibus incessisset. Veniens igitur ad debellandum ipsum *canossa castrum*, milites Comitissæ se armis accingunt, & conserta pugna capitur *Imperatoris vexillum*, quod gestabat *filius Marchionis Adalberti;* multique ex Imperatoris militibus vulnerantur. Victores itaque *Canussini Imperatoris vexillum deferunt in castro, quod usque hodie ibidem habetur*. Post hæc Imperator Pado transmeato discessit. Multi vero qui ejus metu a Comitissa discesserant, ad Comitissam redeunt & castra restituunt.

XIII.

Qualiter Imperatoris filius adhæsit Comitissæ Patre relicto, & qualiter Ferrariam recuperavit.

COntigit inter hæc Imperatoris infælix augurium; nam Vxor ejus *Regina Praxedis*, ipsius flagitia abhorrens, secreto cum Comitissa tractavit divortium. Quod factum eadem Comitissa amplectens libenter, solemnes ad eam nuntios Veronæ destinavit, qui eandem Reginam ad Canussinum oppidum perduxerunt. Eo quoque tempore anno scilicet incarna-

tionis Dominicæ MXCV. *Vrbanus Papa* Comitissæ usus consilio Lombardiam venit, & Concilio *Placentia* celebrato, eodem scilicet anno die Kal. Mart. Imperatorem & Guibertum Antipapam catholica damnavit sententia, & Comitissæ vale dicens transivit in Galliam. Consternatus his Imperator accitis Veronæ civibus, *Nogara* castrum obsedit. Quod audiens Comitissa statim accersitis Mutinensibus Padum transivit. Sentiens autem Imperator ejus adventum viribus destitutus, & animo, statim fugam iniit, omni suppellectili in castris relicta, quam Comitissa militibus reliquit in prædam. Castrum itaque Nogaræ sic est ab obsidione liberatum. Additur præterea & Imperatori casus infestus, ipsum hostilitate invadente domestica. Nam *Conradus* ejus natus ipsius scelera execrans ab eo discessit & Comitissæ adhæsit. Cujus consilio filiam Rogerii Apuliæ Principis duxit Vxorem. Eo tempore *Vrbanus Papa* moritur, Anno Christi MXCIX. post quem Paschalis eligitur. Contra quem cum niteretur Guibertus Antipapa populos allicere, de medio sublatus est suum secum deferens Anathema. Qui annis XXIV. Dei Ecclesiam damnoso dissidio perturbavit, de quo quidam hos cecinit versus:

Fletibus & lachrymis, si forte fores redimendus,
Fletibus, & lachrymis esses Guiberte dolendus:
Sed nulli genitus possunt tua facta piare,
Quem mors non potuit de perfidia revocare.

Eodem etiam tempore, præfatus *Conradus Imperator* in mense Julio moritur anno tertio post Vrbani decessum & *Florentiæ* sepelitur. Postmodum Ferrariæ civitas Comitissæ rebellis efficitur. Contra quam adunato exercitu ex Tuscis & Lombardis ac etiam Ravenatorum classeque Venetorum collecta eam obsedit, sed pace interposita ad fidem rediit.

XIV.

Qualiter Comitissa Abbatem Bernardum a carcere liberavit, & de Henrico Imperatoris filio, qui Comitissa favente regnum Patris obtinuit.

INter hæc *Paschalis Papa*, *Bernardum* vallis Ambrosiæ Abbatem, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem virum utique maxima veneratione dignum ob tutelam Matildis in Lombardiam direxit. Quem cum ipsa honorabiliter suscepisset, & ejus boni odoris fama inter Lombardos cresceret, multi eum ex Parmensibus rogaverunt, ut se ad civitatem ipsam conferret, & falce verbi Dei sentes inde extirparet hæreticas, qui de consilio Comitissæ, condecenti clericorum comitiva, ad civitatem ipsam perrexit. Instante itaque solemnitate gloriosissimæ virginis matris Dei, ad majorem Ecclesiam, quæ ejus est insignita vocabulo, Missam celebraturus accessit, & dum ibi universa adstante plebe, post Evangelicam lectionem populo prædicasset, & nonnullis verba ejus, qui Imperatori adhærebant gravia extitissent, posito vino & aqua in calice, ut Deo offerret sacrificium magnus in Ecclesia insonuit tumultus, sexus hominum utriusque diras blasphemias, & minas terribiles adversus Dei hominem, scilicet Abbatem prædictum, nefarie inclamantes, & ipsum reum morti adjudicantes tamquam Imperatoris æmulum & rebellem. In ipso igitur tumultu fractis, & dispersis de altari vitreis vasis & pretiosa Capella, quam Comitissa diva Abbati donavit, deprædata, universi Abbatis Comites & Clerici fugerunt; Ipse vero intrepidus manens capitur, & carceri mancipatur. His Comitissa non sine magno dolore auditis Parmam die tertio cum militibus suis properavit: quem venerabilem virum liberari & omnia subrepta restitui procuravit, non ultra ad vindictam sceleris procedens, Abbate rogante, qui multos, post bonum pacis, amavit. Acta vero sunt hæc anno filii Dei exorti MCIV. Eodem tempore minor Imperatoris filius in Patrem excandescens, & maximis eum probris afficiens invadere regnum nititur. Vno itaque cum Patre prælio congressus victor efficitur: Sed Imperator evadens vitam mœrore egit, & demum non multo post defunctus est anno Christi MCV. & *Spiræ* sepultus est. Post cujus obitum *Papa Paschalis* Lombardiam venit, & lætanter a Comitissa susceptus est; qui juxta Padum synodum convocans loco qui *Guastalla* dicitur, Henrici defuncti Imperatoris filius *Henricus* nomine, qui hujus nominis *quintus* fuit, legatos ad eum misit, petens, ut sibi regnandi Jus concederet, & sanctæ sedis Apostolicæ se devotum fore promittens. Hanc legationem Papa libenter amplexatus est. Comitissa vero his patris & Regis pia verba laudavit, & Papæ magnificavit responsum. Eo tempore Parmenses venientes ad Papam, *Bernardum Abbatem*, qui fuerat in ea civitate, ut dictum est, ignominiose tractatus, sibi in Episcopum dari petierunt. Qua petitione Papa gavisus, Parmam cum Abbate venit, & ipsum in ejusdem Episcopum consecravit, decernens autem Eccle-

siam

siam Parmensem ad Romanam spectare sedem Anno Christi MCVI. deinde Romam reversus est Papa.

XV.

De Pace confirmata inter Imperatorem & Comitissam, & qualiter Imperator Regni diadema suscepit a Papa.

POst hæc cum Imperator *Henricus* hujus nominis *V.* civitates & oppida debellando prosperaret, in Regno volens suæ devotionis ad Ecclesiam propalare indicia, venerandos direxit Antistites ad urbem Romam anno Christi MCX. seque B. Petri filium spondens per eosdem legatos Imperii sui diadema petiit. Quibus Papa respondit se coronam daturum, si Romam percepturus accederet. Redeunt igitur legati & ad Comitissam *Matildem* divertentes, ab ea hilariter sunt suscepti & magnis gratificati muneribus, ad Imperatorem tandem reverterunt. Statim Imperator coadunato exercitu Lombardiam intravit, & civitates ac castra depopulatus, cunctos ejus ira Lombardos perterruit. Inter has civitates cum *Novaria* in rebellione persisteret, ea succensa muros ejus diruit, multamque indè auri & argenti suppellectilem asportavit: sola civitas *Mediolani* Imperatori non obtemperavit ad votum. Cumque propter hujusmodi invasiones Comitissa Imperatorem haberet exosum, flagrabat cum ea pacem habere. Imperator nihilominus usque ad Thari ripam venit. Comitissa vero à Canossa Bibianellum perrexit. Tandem inter eam & Imperatorem legati multo habito tractatu pacem mutuam confirmarunt, quam se servaturam Comitissa spopondit, Romanæ dumtaxat Ecclesiæ fidelitate servata. His peractis Imperator per *montem Burdonis* (*) transivit in *Tusciam*, de cujus adventu Tusci trepidantes ei tributa persolvunt. *Florentiæ* Natale Domini celebravit. Vrbem *Aretinum* fractis muris consumpsit incendio. Veniens tandem Romam quarto Idus Februarii, a Papa, & clero, ac populo solemni processione suscipitur. Intrans vero beati Petri Basilicam & ad universos scalarum gradus genua flectens ante altare ad pacis osculum a Papa suscipitur, promittens ei Ecclesias Dei non venditurum, nec investituras facturum nisi per Papæ licentiam. Cumque Papa ad coronandum eum se pararet, perfidiæ semen æmulus pacis injecit, propositum, & promissum Imperatoris mutans. Nam petiit a Papa sibi jus concedi in dandis Episcopatibus, & Abbatiis *per virgam & annulum*, quemadmodum sui prædecessores hactenus contulerunt. Quod cum Papa renueret, ipsum Imperator cum Prælatis & omni curia captivavit. Inter quos fuit *Bernardus Parmensis Episcopus*, & *senior Reginus Episcopus*. Pro quibus Episcopis & cæteris Lombardis captivis, vir nobilis & eloquens *Arduinus Comitissæ legatus* Imperatorem alloquitur, & pacis pactum commemorans, libertati donati sunt. Imperator tandem ad cor rediens & futura pericula metuens, Papam & Prælatos relaxavit, & pace cum eo facta ab ipso Imperialem benedictionem & Imperii diadema suscepit. Investituram quoque virgæ & annuli sibi concessit anno Christi MCXI. Rediens igitur Imperator Lombardiam *Bibianellum* venit, vbi Comitissa residebat, & tribus diebus cum ea moratus, tandem in Alemanniam pervenit.

XVI.

De rebellione Mantuæ, & qualiter se reddiderunt Comitissæ.

CUm autem eadem *Comitissa Matildis* Duces, Principes, Comites superasset, ac civitates & oppida sibi rebellia subdidisset, sola *Mantua* per annos XXIII. in rebellione permansit, Imperatoris edicta in favorem Comitissæ eis transmissa penitus vilipendens. Hac igitur rebellione durante, hujusmodi turbationis civitatis casus eidem Comitissæ emersit; cum autem in *monte Baruntio* Comitissa maneret graviter infirmata, fallax de ejus morte fama personuit. Mantuani igitur gavisi, & famam hanc divulgantes, *Ripaltam* Comitissæ castrum tertio ab urbe Mantuæ miliario distans invadunt. Custodes vero castri, tum ex subita invasione, tum ex falsa Comitissæ fama prolata timore multo percussi, castrum Mantuanis hac conditione tradiderunt: ut videlicet, si viveret Comitissa, contra eam nullatenus teneretur. Sed Mantuani perfidiæ vitio repleti habito castri dominio decreverunt illud incendio dissipare. Interea venerabilis Manfredus Episcopus Mantuam venit referens Comitissam vivere. Quod audiens populus Mantuanus ira frendens, vix manus ab ipso continuit, sed generis ejus nobilitas, eorum repressit audaciam. Castrum vero Ripaltæ flammæ & ruinæ traditur, & per mensem inde

 Mantua-

(*) Bardonis.

Mantuana spolia deferuntur. Hæc autem omnia Comitissam latuerunt; nolebant enim fideles ejus ægritudine afflictam, hoc damnabili rumore contristari. Sanitati tandem restituta, cognitoque quale sibi Mantuani damnum intulerant, dixit: tempus adesse, quod suis erat demeritis Mantua subvertenda. Suos igitur hortatur ad bellum & armata classe ad Mantuæ obsidionem properavit. Dum autem gravis Mantuanos arctaret obsidio, magno timore consternati defensiones eorum in diversas trahunt sententias. Quidam enim resistendum esse decernunt, pars infirmior mœnia exire contendit. Hac tandem fluctuatione trepidi vacillantes, a Comitissa utrique supplices petierunt veniam. Cumque Comitissa eorum legatis aures præberet adversas, & torvis eos aspiceret oculis, mitissimis tamen supplicationibus & procerum suorum instantissimis precibus ejus placatus est animus. Civitatem itaque sibi tradiderunt, fidelitatis juramenta universi præstantes, & censum annuum pollicentes. Acta sunt hæc Bundoni (*) in Mense Octobris, anno ab incarnato Dei filio M. CXIV.

XVII.
Qualiter erga Dei cultum fuerit devota & de ejus transitu glorioso.

ILlustris itaque Comitissa miris florens virtutibus cultui divino semper erat intenta. Inopes sustentans, oppressos relevans, & Dei famulos perhonorans. Hæc & sanctæ religioni, psalmodiis & orationibus assidue intendebat, Ecclesias & Dei ministros paramentis, & vasis sacris, magnificè ditavit. Fuit etiam scientiarum studio dedicata, & liberalium artium *grandis Bibliotheca* sibi non defuit. Pro Christi quoque Ecclesia prælia multa gessit. Cum autem in Borideno pago moram traheret, volens ibi Natale Domini celebrare, venit ad eam magnus ille religionis Pater Ponzo, Cluniaci Abbas octavo die, ex quo Roma discesserat, qui suo more ab ea susceptus, dum in Natale Domini officium decantaret, Comitissa pro Dei reverentia ad officium perrexit, & devote audivit, sed immensum noctis gelu adeo ejus membra diriguit & corpus afflixit, ut postmodum lecto decumberet ægra. Superveniente autem apparitionis die, iterum languida Missam audivit, & iterum lecto decubuit. Cumque Abbas ab ea recederet, ipsa ejus precibus fidens, pallia vestesque sacras, argentea vasa, nec non & crucem sanctam gemmis ornatam, ei pia Dei cultrix donavit. Advenienti autem quadragesimali jejunio, cum infirmitate debilis jejunare contenderet, adstantes Episcopi contradicunt decernentes, ut potius jejunium eleemosinarum largitione persolveret. Succrescente vero languore, Ecclesias Dei maxime Canussinam prædiis amplificare studens, ei multa donavit. Famulos suos innumeros post ejus mortem *ingenuos* esse jussit. Ante domum quoque in qua ægra lecto jacebat, ad Dei honorem sub titulo Apostoli Jacobi Zebedæi Ecclesiam jussit fabricari, quam etiam paramentis ditavit & agris, quam dedicavit adhuc ea vivente *Episcopus Reginus*. Cumque laboraret in extremis idem Episcopus Reginus, corpus Dominicum ei tradidit, mittens in ejus manibus crucem Christi, quam dum bajularet, & in ea crebra figeret oscula, Oro, inquit, te Christe, quem semper colui, semper amavi, ut sordium mearum digneris mundare piacula. Post hæc sanctum accipiens sacramentum, corpus Christi scilicet reverendissimum, ait: Tu spes mea unica, & singulare refugium, quæso me salvam digneris suscipere, & hæc dicens, migravit ad Dominum, anno humanatæ divinitatis M. CXV. vigesima quarta die Julii, ætatis autem suæ anno XXXXXXIX. qui fuit annus imperii Henrici V. octavus. In sede Apostolica præsidente Paschali hujus nominis II. Philippo hujus nominis I. regnante Francorum rege.

XVIII.
De ejus sepulturæ opinione.

DE sepultura hujus Comitissæ Matildis, nulla expresse historia continet, quam invenerim. Videtur tamen manifestè, quod apud Canossam tumulata non sit. *Compilator* enim *supradictæ Historiæ*, a quo hæc sumpta sunt, *in carmine, quo ejus mortem deplorat*, orat S. Apollonium Canussini oppidi Patronum, quod licet injustum sit, ut ipsa Comitissa suum in ejus Ecclesia sepulcrum habere respuerit; ubi & Progenitores ejus quiescunt: quia tamen semper eum devote coluit, ante pium regem pro ea veniam deprecetur; non tamen scribit, in quo loco fuerit tumulata. Verum tamen *Mausoleum ostenditur in monasterio S. Benedicti de Padoliro-*

(*) Bondem.

dolirone Mantuanæ Diœcesis a quodam Tedaldo Bonifacii Patre genitoris Comitissæ, juxta Padum fundato, quod a Mantua decem milliariis distat, in quo dicitur & creditur tumulata. Est enim grandis arca lapidea, ex candidissimo ac limpidissimo Alabastro, quæ ob ejus memoriam in magna reverentia servatur. Ipsum quidem Cœnobium ab avo ejus constructum, amplissimis dotavit possessionibus, & aureis argenteisque vasis & palliis, ac etiam paramentis pretiosissimis ditavit pariterque decoravit. *Ibi etiam libellus habetur in thesauris reconditus argento redimitus & auro, in quo hac Historia metrice est descripta.* Hæc etiam Comitissa, ut scribitur in Cronicis, cum amplissimis abundaret possessionibus, & filio hærede careret, totum Patrimonium suum super altare sancti Petri obtulit, & Dei Ecclesiam sanctumque Petrum sibi fecit hæredem. Quod Patrimonium hodie dicitur Patrimonium S. Petri, quod est à Radicafano usque Cezanum. (*)

Explicit Historia memoranda Comitissæ Matildis.

ANno Dom. M.CCCCXLV. die IX. mensis Augusti, qui est vigilia S. Laurentii post vesperas translatum olim corpus magnæ & nobilissimæ Comitissæ Matildis, Imperialis generis, quæ fuit præcipua & singularis dotatrix hujus monasterii S. Benedicti de Padolirone, post Patrem suum Bonifacium Marchionem, & post avum suum Thedaldum Marchionem & fundatorem hujus monasterii, quod prius steterat super octo columnas in ingressu Ecclesiæ inter primam & columnam secundam, a sinistris ipsius Ecclesiæ, quoniam jam pro magna [mole] ipsæ columnæ octo fractæ erant; & collocatum fuit ulterius in sinistris juxta parietem Ecclesiæ ex latere tumbæ S. Simeonis. Aperto prius tumulo ad certificationem veritatis coram reverendo Domino Guidone de Gonzaga reædificatore ipsius monasterii, & Domino Eusebio Abbate ipsius monasterii, ac conventu ejusdem monasterii & multis aliis. Et comperto eodem corpore integro, unico, ac fœmineo, & coram eis clauso, & est juxta altare S. Justinæ.

XLII.
DE
S. AUTORE
&
Translatione Reliquiarum ejus in Regionem Brunsuicensem, ex MS.

VEteri patrum traditione cognoscimus, *quod Gertrudis filia Ecberti Marchionis Saxoniæ, relicta Comitis Hinrici de Nordheim, qui & Pinguis dicebatur, mater nobilis Ottonis & Rixæ uxoris Lotharii Imperatoris & Gertrudis Palatinæ Comitissæ*, cum die noctuque meditaretur congregationi cœnobitarum coadjuvare & *Basilicam* construere, *in honorem Dei & beatæ virginis Mariæ*, matris ejus, accidit una noctium, ut videret virum sibi assistere & reverenda canitie, vultu decentem, corpore elegantem, qui & dixit; ego sum *Auctor*, qui quondam fueram *Archipræsul Treverorum*, nunc autem in cœlis anima mea infulatur, & corpus meum incurate reconditum sine honore debito Treveris requiescit. Decrevi igitur, divinæ dispositionis instinctu, ut ipsum ad tuos terminos, ubi monasterium, sacro pnevmate inspirante, fundare disponis, honorificè transferatur. Et ipsam attonitam de visione, consolatur, dicens. Non turberis, Dominus prosperum faciet iter tuum; & cum Treviris perveneris, in monasterio religiosorum ordinis beati Benedicti diversas sanctorum corporum ibi conditorum tumbas invenies; inter quas ad Australem plagam penes murum angularem unam editiorem ceteris comperies, in quam quondam opinione seditionis ingruente, causa timoris, ne fortè surriperentur, meæ reliquiæ sunt intrusæ, & postmodum oblivioni traditæ negligenter: Quas levabis, & ad partes tuas deferes, & basilicam, de qua meditata es, construes, & reliquias meas in ipsa repositas veneraberis condecenter. His dictis statim disparuit. Ac illa de visione sollicita ardenti desiderio, quæ audierat, explere anhelat, de


(*) Ceperanum.

de suorum maturo consilio, cultu decenti iter arripuit & Trevirim feliciter pervenit; & hora quasi sexta, celebratis Missarum solemniis, monasterium ingreditur. Custos vero ejusdem loci consueto more angulos monasterii perlustrat, ut caveret, ne fortè quispiam furti anxius alicubi lateret. Invenit *reverendam Gertrudim*, in orationibus prostratam, qui eam surgentem excepit lætanter, & ipsi ductæ de ambitu ad ambitum, inter alias tumbas multorum, tumulum S. Autoris, loco sibi per revelationem ostenso, [f. omissum: *monstravit.*] asserens: XIII. Kalend. Septembris migravit ad Christum.

Interea secundo signo dato, ad mensam custos pransum ivit, non habens ipsam suspectam, simulabat enim velle vacare orationi, eam custodem pro se reliquit. Statim ad exitum ipsius, foribus ecclesiæ pessulo seratis, matrona virum induens palla deposita, cùm sequacibus suis lapidem grandem cum instrumentis aptis secum deportatis de tumulo a moverunt & sarcophagum beati Auctoris cum reliquiis beatorum Bartholomæi, Thaddæi, Mauricii, Cosmæ, duorum Thebæorum, Florinæ virginis ac martyris & aliorum sanctorum ibi reconditis sustulerunt, & lapidem, ut melius poterant, accelerantes reaptaverunt, & baptillis demtis de universis campanis, ut confusionem præcaverent, reliquias, fortibus & admissis equitaturis sarcinatas cursu concito asportabant. Conventu equidem pranso, cum gratiarum debita actione properant ad monasterium, laudes Domino reddituri. Et custos præcurrens primo leviter digito ostium tangit, secundo manus impulsu, tandem toto pugno pulsat. Et cum non proficeret, conscius conventus malùm evenisse, ostium securibus & contis confringunt, irrumpentesque singula loca prospiciunt, & nihil invenientes subtractum de ornatu, sperabant se indemnes. Postremò comperientes, per lapidem inordinatè repositum, se ipsis reliquiis spoliatos, tacti dolore accelerant compulsare à confusione, ut cives insequerentur, æramenta autem mota nullum sonitum dederunt, unde magis moti baptillos, id est Kneppelle sparsim repertos campanis reimponunt. Quibus compulsatis & Treverensibus convocatis, audito, tam sacros sacrilegos insequuntur. Et cum jam ad spatium unius leucæ appropinquassent, ipsis accidit mira res, & sequentes à fugientibus nutu Dei per spatiosum intervallum convenienter sunt avulsi. Quod accidit tribus vicibus. Videntes autem insectantes se frustra contra stimulum calcitrare, ad propria sunt reversi. *Marchionissa* vero cum comitatu suo tendens ad patriam, ubicunque recipiebatur hospitio, omnes infirmi sanctorum meritis sunt sanati. Et cum felici successu ad locum, qui nunc *Brunswigk* dicitur, tunc nemorosum & solitarium, pervenissent IV. Non. Augusti, & ulterius procedere decrevissent, sarcophagus tanta mole figitur, ut abduci non valeret, & ipsi jugales ultra fatiscentes immobiliter substiterunt. Quo viso, devota matrona gratias Deo egit, monasterium construxit, decenter dotavit, & competentes ditavit. His itaque gestis, anno Domini MCXV. Kal. Septembris invitatis solenniter reverendis *Theodorico*, Sedis Apostolicæ tunc Legato, *Reynardo Episcopo Halberstadensi*, facta est dedicatio in honorem Dei & intemeratæ matris ejus, beatorum Johannis Evangelistæ, Egialii & Autoris, ac plurimorum sanctorum: Et depositum, de longè advectum, ibidem est cum reverentia collocatum. Instituit in eodem monasterio ipsa Marchionissa cœnobitas ordinis beati Benedicti, commendans eos *Hinrico abbati in Bursvelde*, cujus autoritate singula regulariter disponebat. Consummatis autem his omnibus, post curriculum duorum annorum emerita Marchionissa viam universæ carnis *V. Idus Decembris* feliciter est ingressa. Et legitur etiam de miraculis ejus. Accidit, quod quidam peregrinus, inito voto suffragia sancti Auctoris imploraturus, in celebri nocte festivitatis ejusdem somno surrepente in monasterio ipsius irreverenter cooperto capite obdormiret. Adveniens autem beatus Auctor, cum, pileolo abstracto de capite rustici, alaphisando & colaphisando eum impetivit fortiter & percussit ita, quod de sedili, in quo cubuerat, corrueret insensatus, dixit: Auctor te pro tua irreverentia sic afflixit: quandocunque ergo huc iterum inde peregrinari volueris, rusticitatem domi dimittas, & in conspectu meo compareas reverens & devotus. Nuper nihilominus contigit religiosis viris & fide dignis attestantibus, custodem Treverensis cœnobii in crepusculo monasterium introire, & quendam senem, honorabilem, canum & superpelliciatum sub turri ejusdem Ecclesiæ introrsum in reverendo habitu invenire, qui eidem custodi stupefacto sic ajebat: Ne verearis, ego sum Auctor, quondam civitatis hujus Antistes, scias autem indubitanter me modo non hic mansitare, sed in Bruneswigk requiem elegisse, ubi mihi specialis honor, summa reverentia, sedula laus, mera devotio, juge obsequium & famulatus placitus exhibetur. Quidam potentissimus Regum obsidens civitatem Bruneswikcensem cum quadam nocte de stratu suo fortè surrexisset, ad excubias explorandas, & intueretur civitatis ejusdem mœnia, vidit clara speculatione in singulis propugnaculis, quæ Teutonice vocantur Tynnen/ singulos angelos stantes, & penes unumquemque duas aureas cruces fixas hinc inde collaterales. Quo insigni

signo

signo & horrendo portento prospectato, jam dictus Rex quasi in extasin raptus supra modum expavit, & mane facto excitatis exercitibus & castris submotis præcepit omnibus abire quantocyus, ne perirent. Adscribitur nihilominus & hoc meritis & patrociniis beatissimi Auctoris, quod sic iterum prodigiose & propitie hæc civitas est salvata &c. Mulier namque vidua alimoniis ecclesiæ alebatur, quæ continuo languoris laborabat incommodo, hæc subito paralysi percussa omnium membrorum dissolutionem tam valdè incurrit, ut se nullo modo in latus alterum absque ministrantis adminiculo convertere valeret, quin etiam, in augmentum miseriæ, pollicem sinistræ manus, in volam recurvatum, quatuor digitorum continua stringebat reflexio, ipsumque brachium tanta dissolverat ariditas, ut penitus insensibile quasi lignum gestaret à collo dependens. Quæ, sanctarum reliquiarum adventu comperto, divina visitatione medullitus tacta, subito ad sui sensum erigitur, tunicaque postulata vestitur, & partim humeris suæ procuratricis subvecta, partim baculo sustentata se obviam sanctuario tulit, fidenter asserens, se ejus virtute ab assiduitate lectuli relevatam, seque beneficiis ipsius sancti salvandam. Deinde brachio sancti debilitatis ejus locis contrectatis atque signatis, mox mirum in modum os torridum arentibus venis vigorem pristini moris infudit, membrumque mortuum, artus præmortuos, vitalis spiritus officio animavit. Armentarius quidam, insensibili correptus languore, totius corporis usu, corpus invalidum cibo frequenti alebat, sed membris inde nullo virium vigore proficientibus lecto debilis cubabat. Hujus incommoditatis remedium explorans, se, quia liber erat, beato Auctori jure proprietatis contradidit, atque recuperandæ sospitatis gratia censum nummismatum se illi annuatim persolvere devovit. Nec distulit Dominus novelli servi votis annuere, ut indultis ad usus necessarios viribus consuesceret non otiose fruges consumere, sed sedulo frugibus augendis operam dare &c. Mulier quædam repentina aurium surditate percutitur, & sæpius commonetur, ut pro auditus recuperatione beato Auctori suas inaures deberet offerre; Quo facto, mane, parata Missis accelerat, oblatisque inauribus, sana domum remeat, seque solito inclamantibus non sine irrisoria increpatione clare se audire pronunciat. In possessiuncula ecclesiæ Muthen dicta juvenis quidam Losatiensis mane quodam de stratu solito nitens surgere tanta subito correptus est infirmitate, ut, oculis miserabiliter patentibus, oris hiatu terribili, terrorem inspicientibus incuteret. Cum dolore mox ad monasterium curritur, sancti brachium defertur, æger ex eo cum fide benedicitur, pristinæque sospicitati redditur. &c.



XLIII.

Reinhardi Reinehusensis Abbatis opusculum de familia REINHARDI EPISCOPI HALBERSTADENSIS, ex MSto.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Reinhardus* Dei gratia *Reynehusensis primus Abbas*. Quia priorum ordinationes, ne vel in irritum vel in oblivionem ipsis decedentibus transeant, scriptis mandantur: Placuit nihilominus parvitati meæ, tam genus fundatorum Reynehusensis Ecclesiæ retexere, & ad notitiam tam futurorum quam præsentium fideli narratione transmittere; quam introitum & statum meæ miseriæ summatim perstringere.

Ezike & *Elle fratres* & *Comites* nobiles & prædivites erant, qui *Reynehuson* & *Lichen* habitabant. Sed *Ezike* cùm esset immature suo destitutus hærede, beatum Petrum in *Helmwardishusen* sibi constituit heredem. *Elle* genuit quatuor filios, *Conradum*, *Henricum*, *Hermannum* & *Vdonem Hildneshemensem*, & duas filias, *Mathild* & *Rikence*, quam *Geroldus de Immenhusen* clam rapiens prædia multa cum ea obtinuit.

Sed cum ex ea non haberet hæredem, *Reinhardus Præpositus*, qui & postea *Halberstadensis Episcopus* omnia coemit, & nepoti suo *Popponi Comiti de Blanckenburch* in nuptu contradidit. Porro *Gonradus* genuit *Beatricem*, quæ nupsit *Olgero* (Oegoro) *Comiti de Wartbike*, & genuit *Olricum*. *Henricus* autem genuit *Meinehardum* & *Piligrimum* & *Eilikam* & *Adilheid* Abbatissas. *Mathild* vero nupsit cuidam *Bavro Principi* & genuit *Hermannum de Winzenburch*. Hic quia patre Bavrus fuit, domui suæ, quam extruxit, nomen de se indidit. His tribus fratribus Comitibus & Mathildi, communicato consilio, placuit ut locum suum principalem, unde originem duxerant, domino Deo & perpetuæ virgini Mariæ, & specialiter sancto Christophoro martyri

martyri deputarent. Vnde quia quatuor erant, totidem inibi Canonicos sacerdotes ordinarunt, & Præpositum eis, *Siboldum* nomine, instituerunt. Quo defuncto, cum idem locus portioni *Comitis Hermanni* integraliter cederet, de consensu cohæredum ordinem monasticum ibi instituit, & omnia, quæ habuit in ejusdem villæ *Marcha* nihil inibi sibi reservans eò contradidit, & quatuor mansis decimam totius marchæ *cambiens* ecclesiæ contulit, & ministerialibus suis seu litonibus se vel sua illuc conferre, si liberet, indulsit. *Henrico* autem *Comite* viam universæ carnis ingresso, & filiis suis, *Meinhardo* scilicet & *Piligrimo*, *Wirceburche ad curiam Imperialem occisis*, & inde in cœnobium nostrum translatis & sepultis, *Eilika Abbatissa*, soror ipsorum quicquid habuit in jam dictæ villæ *Marcha*, pro remedio animarum eorum obtulit, & ad cœnobium nostrum familiaritatis gratia annuatim venit, & ibi per sex vel octo menses moram faciens non modicam charitatem fratribus exhibuit, ita ut reliquam dictæ hæreditatis portionem sancto Christophoro martyri contulisset, si Dominus *Vdo Episcopus* ejus patruus sua eam subtilitate non prævenisset.

Beatrix etiam *Comitissa*, mortuo patre ejus *Conrado Comite*, in die unctionis suæ curtem in *Mechelmishusen*, *Olrico filio ejus* consentiente, obtulit; sed ea sepulta in aquilonari parte ejusdem cœnobii *Reinwardus de Stockhuson* satis pejore concambio in *Bernisroth* eam commutavit. Demum *Reinhardum Halberstadensem Episcopum* pro spe largæ dotationis vocavit, qui monasterium jam dictum consecrans, duabus sylvulis, quas a *Geroldo* emerat, donavit, minus conferens, quam Comes speraverat. Postremo claustrum de plaga australi, propter loci angustias in partem aquilonarem transferri & complicari fecit, & ecclesiæ *Reinboldum* de *Helmwardishuson* monachum præfecit, quo subito in ecclesiam suam revocato & in Abbatem electo, jam dictus Comes fratrum electione me de cantico lætitiæ ad fletum miseriæ assumsit, & ordinatione Domini *Moguntini Archiepiscopi senioris Adilberti*, nomen *primi Abbatis Reynehusensis cœnobii* mihi indigno indidit. His ita patratis, in Bavariam abiit, & ibi moriens, nos pauperes omni solatio destitutos reliquit. Nam duo parvuli ejus filii *Henricus* & *Hermannus*, quorum alter immatura & misera morte defunctus & apud nos est sepultus, alter, ut notum est, occisus parum prodesse loco potuerunt, imo plus nocuerunt. Itaque quicunque voluit, ex prædicta traditione, quod sibi placuit, usurpavit. *Poppo* namque *Comes de Blanckinburch* tertiam partem montis & tertiam partem sylvæ, quæ vocatur *Sundera*, quæ specialis erat fundatorum nostrorum, injuste sibi vendicavit. Idem pro quatuor marcis, quas *Vnoco de Ballinhuson* ei mutuo dederat, sed nobis reddendus assignaverat, mansum & dimidium in *Haldagesim* S. Christophoro tradidit. Sed postea idem prædium in usus suos retorquere volens, his partibus sylvæ & montis, quas se dicebat contingere pro restauratione illius mansi & dimidum cum duobus agris, cum adstipulatione filiorum suorum, *Conradi* scilicet & Sifridi funditus renunciavit. Nunc vero *Reinhardus Halberstadensis filius* ejus omnia ista sibi revendicat.

Bruno etiam *de Gelingehusen*, cum sit advena provinciæ nostræ, & quædam mihi bona tantum invadiaverit, nec à prædecessoribus suis aliquid ibi possederit, duos montes *Lichen*, quos fundatores nostri exstruxerant, sed postmodum ecclesiæ contulerant, nescio, qua fronte sibi addicit; *Reinhardus* quoque *de Stockhusen* sylvulam juxta *Dimerdin*, quæ vocatur *Kaldinlid*, & quandam partem cimeterii, ubi claustrum fuerat initiatum, & quasdam areas, unam ante cimeterium, alteram in pede montis sibi usurpati, Hildenesheymenses etiam fratres mei amicissimi donationem, quam *Eilika Abbatissa* contulit, revocare volentes mihi decrepito & pauperi, ut ajunt, parcunt, quod ego cum omni gratiarum actione libentissime suscipio, & obsequio meo id mereri studeo; sed frustra nunc primum id nituntur, quia Reynehusensis ecclesia hoc ante meum introitum viginti annis & totidem ex tunc sine interruptione, justo titulo, & bona fide quietè possedit. Hæc idcirco notaverim, ut si hæc in diebus nostris sopita non fuerint, posteris nostris horum circumstantias patefacerem. Quia vero a primo tempore meæ villicationis senio & auxilio sum destitutus, & repugnantia litonum & creberrimis injuriis extædiatus, & pro temporis necessitate copiam Comitis habere non potui, *Thegenhardum de Budinhuson* mihi patronum elegi, & ut a Comite id in commisso, non in beneficio acciperet, obtinui. Cumque diutius pene singulis annis propter annonæ penuriam graviter anxiarer & affligerer, ita, ut tam mercando quam mendicando & vel fidelium continuis eleemosynis vel meis scriptis, ipsius familiæ necessitati aliquatenus subvenire cogerer, & hac fatigatione pulsatus, tam præ senectute, quam jugitalis laboris tædio inciperem deficere, & objurgantium verbis quasi ex mea negligentia talis inopia nos gravaret, in molestiam mentis inciderem, ut non semel loco proponerem cedere; consilio tandem *serenissimi Ducis Saxoniæ & Bavariæ Henrici*, & jam dicti *Thegenhardi* consideravi prædia ecclesiæ, quæ ante mea tempora nimis inutiliter fuerant ordinata, & in *Gandera* dominicalem institui, de qua cum quinquaginta quinque *chori* vel *mul-*

dera hyemalis & æstivalis annonæ proveniant, ut scilicet sint siliginis viginti quinque, tritici quinque, hordei quinque, avenæ viginti, porci tres medii, pelles hirci bicorii quindecim, scutellæ tot, pulli decem, ova ducenta pro dimidio manso, præter alium censum litonum tres siliginis, tres avenæ. Hanc dominicalem apud tres Germanos, Ortlesum, Rupertum & Henricum absolvi, & ad persolvendam prædictam summam cum mensura majoris modii constitui. Præterea novale, quod principali curiæ adjacet, in quo maximè victus noster pendet, maximo labore, scribendo videlicet libros, quos vendidi & in id redegi, quo quomodo potui, ad viginti marcas eradicari & exstirpari feci. Præterea ad supplementum inopiæ meæ curam popularem à Dominis meis *Archiepiscopis* tam *Adilberto seniore & juniore*, quàm *Henrico* mihi & successoribus meis indultam & Ecclesiæ meæ perpetuam immunitatem & electionis libertatem, bannô confirmatam accepi. Dominus quoque *Conradus Romanorum Rex secundus* monetæ percussuram, telonii usum, nundinarum institutionem, immunitatem monasterio meo contulit. Veruntamen in his plus detrimenti quàm emolumenti accepi. *Bettenroth* quoque à colonis multâ summâ redemi. Nulli ergo successorum nostrorum hujus styli rusticitas nauseam, vel verborum prolixitas tædium generet, neque, quæ scripta sunt, pro vanis reputet, quia fidenter dico, non quid obesset modernis, sed prodesset futuris. De cætero hanc descriptionis paginam sigilli nostri autoritate roboramus; hoc in nomine Domini obtestantes, ne quis successorum nostrorum his, quæ descripta sunt, sed à pluribus sibi violenter addicta vel renunciare, vel benè ordinata mutare præsumat vel infringere.

[*Sigillum refert dimidiatum Abbatem lævâ tenentem manu librum, & dextra pedum &* almucium, *ut loquitur manuscriptus codex, in capite ejus. Epigraphe vero talis erat:* Reinhardus; *reliqua ob vetustatem sunt extrita.*]

Excerpta ex literis confirmationis, quas Adilbertus, Moguntinus Episcopus dedit in fundatione monasterii Reinhusani.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis *Adilbertus Dei gatia Moguntinus Archiepiscopus & sedis apostolicæ Legatus* . . . Notum esse volumus . . . quod *Herimannus patriæ Comes* suis hæredibus astipulantibus, videlicet *Udone Hildenesheimense Episcopo* & fratre suo [Udonis] *Conrado Comite*, cœnobium monasticæ professionis in *Reinehausen* suo patrimonio cum omnibus suis inibi pertinentiis in honore sanctæ Trinitatis & B. Mariæ perpetuæ virginis sanctique Christophori martyris dotavit, & *Reinhardum Halberstadensem Episcopum* ipsum dedicare à nobis impetravit. Hæc quoque obtulit ... *Montes* quoque qui *Lichen* vocantur, ut Dei Ecclesiæ potius quàm rapinæ pauperum inserviant, cum sylvis adjacentibus .... adjecit. Ad hæc ipse *Comes H.* [an Henricus?] & *Beatrix Cometissa de Wardbike, avunculi sui* [id est ipsius Herimanni] *Conradi Comitis filia* ..... adjecit. Eadem *Beatrix Comitissa* tres mansos in .... cum *Olrico Comite, ejus filio* contulit. *Sophia* etiam *Comitissa* duos mansos .... *Eiliki* nihilominus *Abbatissa in Ringelem* quinque mansos & dimidium ..... pro remedio animarum *fratrum ejus*, *Meinhardi* scilicet & *Piligrini Comitum* in eodem cœnobio quiescentium, cùm essent *Henrici Comitis filii*, jam dicti *Herimanni Comitis avunculi*, contradidit. Quibus omnibus suos litones cum ministerialibus idem *Comes Herimannus* pro jure servitii, quô sibi tenebantur, superaddidit, videlicet ut annuatim ter ternis diebus, de suis sumtibus, quovis in opere Ecclesiæ deserviant, & de duodecim solidis tam pro gratiæ obtentu quam pro patrimonii contractu componant, ministeriales verò de compositione talenti satisfaciant. Postremò universitas eorundem heredum statuit, ut jus patronatus ..... majori tantùm natu cedat, ne id cuiquam in feudo detur. Vt verò de meritis eorum devotionis non minus participemus, nos quoque .... prædicandi autoritatem, ligandi & solvendi potestatem, animarum curam, baptismi gratiam eidem cœnobio parochialiter conferimus, Electionis quoque libertatem perpetuò indultam confirmamus. Hujus rei testes sunt *Reinhardus, Halberstadensis Episcopus, Vdo, Hildenesheimensis Episcopus, Thietmarus, Helmwardishusensis Abbas, Reinboldus, jam dictæ Ecclesiæ* (Reinehusensis) *Præpositus*, Godeschalcus Præpositus sanctæ Mariæ in Campo, Heinricus Canonicus Moguntinus & Capellanus. *Herimannus patriæ Comes, qui & fundator, & filii ejus duo, Heinricus, Herimannus pueri, Olricus Comes de Wardbike, Counradus Comes de Everstein, Dudo de Iminhuson.* Ministeriales Craht, Hugo, Lampertus, Conradus, Adilbertus & alii complures. Dat. in jam dicto cœnobio

Reinh. III. Non. Decembr. die consecrationis ejusdem. Acta sunt hæc Annô dominicæ incarnationis MC. Indict. XII.

[Sigill.] ADELBERTVS DEI GRATIA MOGONTIENSIS ARCHIEPISC.

[Antistes sedens in cathedra, lævâ librum apertum, dextrâ pedum tenens.]

Ex privilegio CONRADI III. Regis.

IN nomine .. CVNRADVS divinâ Clementiâ *Romanorum Rex secundus* ... Notum esse volumus, *Reverende Abba, Reinharde, Reinehusensis cœnobii*, quod nos ob interventum & petitionem charissimi ac fidelissimi nostri *Wibaldi venerabilis Abbatis Stabulensis, cujus Tu eruditor & magister fuisti*, Regiæ Majestatis privilegio confirmamus libertatem & immunitatem prædicto loco Tuo .... & omnibus possessionibus, quæ tam à *Comite Cunrado*, quàm à fratre ipsius *Vdone Hildenesheimensi quondam Episcopo*, qui ejusdem venerabilis cœnobii primi constructores fuère, nec non ab inclytæ recordationis *Herimanno*, *patriæ Comite*, vel etiam ab *Eilika Abbatissa*, *Beatrice* quoque *Cometissa*, seu ab aliis Christi fidelibus .... collatæ sunt. Decernimus itaque, ut prænominatus venerabilis locus *Reinehuse* cum omnibus sibi appendentibus ac omni functione publica & vectigalibus regni liber sit & absolutus .... Dedimus etiam tibi potestatem mercatum in eodem loco habendi, publicas nundinas instituendi, percussuram monetæ ordinandi, theloneum sumendi, hoc, scilicet rationis tenore, ut, quicquid ex prædictis rebus utilitatis vel compositionis accreverit, in usus fratrum Deo servientium & pauperum & peregrinorum omnimodis cedat. Et ut hæc rata omni tempore permaneant, præsentis præcepti paginam sigilli nostri impressione communiri jussimus, testesque, qui affuerunt, subternotari fecimus, quorum nomina hæc sunt: *Henricus*, *Mogunt. Archiepiscopus*, *Buvo*, *Wormatiensis Episcopus*, *Wigerus*, *Brandeburgensis Episcopus*, *Wibaldus Stabulensis Abbas*, *Heinricus Hersfeldensis Abbas*, *Cunradus Helmwardishusensis Abbas*, *Adilbertus Marchio de Brandeburg*, *Comes Herimannus de Winzenburg*, & *frater ejus Henricus*, *Ludowicus Landgravius de Tyring*. Anno dominicæ incarnationis M C XL IIII. Indict. VII. Regnante Domino Cunrado, Romanorum Rege II. Anno verò Regni ejus VII. Data apud *Hersfeldam* XVII. Kal. Nov. in Christo feliciter Amen.

Signum Domini Counradi secundi Romanorum Regis invictissimi.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.

† CVNRADVS ROMANORVM REX II.

[Rex in solio sedens.]

[Habentur & literæ *Henrici Archiepiscopi Moguntini* eidem cœnobio datæ in castro *Rustenberch. Anno incarn.* 1157. quibus mentio fit beneficii, quod *Sigifridi Comitis* fuerat, & *Comes Herimannus junior*, astipulante *fratre suo Henrico* certo concambio acceperat.]

Ex Diplomate Henrici Ducis Bawariæ & Saxoniæ.


.... NOtum esse volumus, quod nos pro reverentia Dei atque *amicissimi nostri Reinhardi*, *primi Abbatis* interventu, cœnobium in *Reinhusen* cum omnibus pertinentiis suis in nostra jurisdictione constitutum, in defensionis nostræ & hæredum nostrorum singulare munimentum recipimus, & omnia bona, quæ pia devotione ab antecessoribus seu parentibus nostris vel aliis Dei fidelibus .... collata sunt, vel imposterum conferenda ... confirmamus ... Centum videlicet mansos, quos *Herimannus Provincialis Comes* ... obtulit ... & [& post multa alia] dimidium mansum in *Reinhusen*, quem pro anima *Ludolfi*, *mater Comitis Herimanni junioris* contulit &c. Hæc autem facta sunt anno dominicæ incarnationis

nis M.C.LX.VIII. IV. Non. Junii, indict. XII. Henricus Curiæ Protonotarius recognovit.

†HENRICVS Dei Gratia Dux Bawarie & Saxonie.

[Sigillum grande, in quo Eques cataphractus cum vexillo & scuto.]

[In INNOCENTII *Papæ III.* privilegio dato Romæ apud S. Petrum XVI. Kal. Febr. Pontificatus anno decimo, nominantur inter benefactrices cœnobii *Elika in Ringelem*, & *Adilais in Quindelingueburg Abbatissa.*]



XLIV.

IMPERATORVM,

Ab

HENRICO AVCVPE ad HENRICVM QVINTVM,

RES PRÆCLARE GESTÆ;

Auctoris quidem incerti, sed qui sub hoc eodem Henrico vixit:

IN

COMPENDIVM VERO QVONDAM REDACTÆ

à

Monacho quodam Hamerslebiensi.

HENRICVS Dux Saxoniæ, filius *Ottonis*, mortuo *Conrado* in Cæsarem eligitur, anno Domini 920. Regnavit annis XVII. Vocatur *Auceps*, imo *Venator*. Vxorem duxit *Machtildam*, filiam *Theoderici*; cujus fratres erant *Witikint* & *Immot*, & *Reginbern* qui Danos vicit, liberans patriam suam ab incursionibus Danorum usque ad hunc diem. *Machtildis* genuit ante regni susceptionem *Henrico* Duci filiam *Gerburgham*, quam dedit *Giselberto* Duci Belgicæ, & postea *Ludovico* Regi. Item aliam, quæ nupsit *Hugoni* Duci: *Ottonemq;* mundi amorem. Post regni susceptionem genuit *Hinricum Grossum*. *Brunonem* etiam, qui Episcopus factus est Coloniensis per fratrem suum Ottonem, cum esset literatus. *Hinricus* Rex exaltat gentem suam, & omnes dignos. Providus fuit, decorus, agilis, acer in venatione, adeo ut una vice XL. vel plures caperet feras. Timebatur & amabatur ab omnibus. Perdomitis gentibus, Romam adire statuit. Sed infirmatus in villa *Hiemeleivia* obiit. *Ottonem*, licet ante regnum natum, regem designavit, quia maximus natu, & dignus imperio, ac religiosus. Cæteris filiis prædia cum thesauris distribuit. Obiit anno vitæ suæ LX. Domini 936. Corpus ejus transfertur per filios in *Quidelingaburch*, in basilica S. Petri ante altare cum planctu sepultum.

OTTO primus, *Henrici* filius, anno Domini DCCCCXXXVII. imperat annis XXXVIII. Electus apud *Aquisgranum*, ibidem per *Hildibertum* Moguntinum Episcopum inungitur, qui Fuldensis Monachus fuerat, *Danckmarus* frater Ottonis, non ex matre, sed ex alia, quæ fuerat matertera *Sigifridi*, satis ditatus, rebellat Ottoni cum *Eberhardo* Comite. Captivarunt *Henricum* fratrem Ottonis adhuc juvenem. Mala multa fecit Ottoni: sed victus tandem fugit ad Ecclesiam armis depositis; stansque juxta altare, per quendam à tergo perfossus est. *Eberhardus* audita nece *Danckwardi*, petit veniam à suo capite *Hinrico*. Nequiter obtinet, ut secum contra Ottonem pugnantes, Hinricus coronam sibi imponeret, si fieri posset. Eberhardus etiam disjunxit à fidelitate Regis *Giselbertum* Lotharingiæ Ducem, qui filiam habuit Hinrici in uxorem, sororem Ottonis. Eberhardus regnum concupivit, ideo talia aliis proposuit. Tandem Eberhardus in bello occiditur: Gisilbertus fugere volens in equo undis submergitur. Cæteri omnes interfecti sunt vel capti per exercitum. Quod audiens Otto, Deo gratias egit. *Ludewicus* Rex Galliæ audiens occisum Giselbertum, ingemuit; profectus-

fectusque in Belgicam, relictam ejus *Gerburgam*, sororem Ottonis, in conjugem duxit: pacemque fecit cum Ottone Cæsare, quod Ludowico multum profuit. Gerburga genuit Ludewico filios, *Karolum* & *Lotharium*, qui successit patri in regnum. Henricus autem frater Ottonis, destitutus auxilio & consilio, assumtis quibusdam Episcopis interventoribus, pedes ad Ottonem venit; misericordiamque supplex imploravit. Cui Rex: *Indignum facinus tuum veniam non meretur. Verum quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te.* Misit eum *Ingellenheim* custoditum. Postea concessis ei urbibus, permisit eum habitare in Lothariorum regione. Tandem defuncto Duce Bajoariorum *Bertolfo*, præfecit eum regno illi, rogatu matris suæ *Matildis*, quæ obiit anno Domini 669. Permansit deinde Henricus fidelis fratri usque ad mortem. Otto non contentus regno paterno, abiit in Burgundiam, Regemque cum regno in suam accepit potestatem. Defuncto etiam Ottone, Lothariorum præside, ac regis nepote Hinrico, Gisilberti filio, concessit ducatum regionis *Conrado*, cui & unicam filiam suam *Lutgardam* desponsavit, acri & bellicoso, omnibus charo, maxime *Ludolfo* filio regis Ottonis. Otto duxit uxorem *Edidam*, regis Anglorum, fœminam religiosam; cum qua decem annis vixit. Genuit ei *Ludolfum* omni virtute conspicuum: *Lutgardim*, quæ nupsit Conrado Duci. Edith obiit VII. Kal. Febr. anno Domini 947. sepulta in *Magdeborch*. Saxoniam inhabitaverat ipsa annis XIX. Otto Rex Ludolfum filium tunc annorum XVI. designavit Regem, iturus in Galliam vindicare injuriam amico suo factam Ludewico. Hugo parvipendit, demandans, *quod tantam vim armorum haberet, quantam Otto nunquam vidisset.* Remandat sibi Otto, *tantam sibi fore multitudinem pileorum fœninorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse, nec pater suus unquam vidisset.* Et revera cum magnus esset exercitus Ottonis, triginta scilicet & duarum legionum, non est inventus, qui fœnino non uteretur pileo Strohoed / nisi Abbas Corbejensis cum suis sequentibus, &c. Otto pergens Romam, duxit uxorem *Adelheydem*, relictam à *Lothario*, filio Hugonis, anno Domini 952. Papiæ. Hæc fuit filia *Rodulphi* Regis Burgundionum, qui etiam in Italia regnavit, & *Bertæ* reginæ, *Burcardi* Alemannorum Ducis filiæ, quam defuncto *Rodolpho* rex *Hugo* duxit, filiamque ejus filio suo *Lothario* conjunxit. Adelheidis Imperatrix filios genuit Ottoni. Primus fuit *Hinricus*: Secundus *Bruno*: Tertius *Otto*, quem populus jam tunc sperabat Dominum; filiamque nomine *Adelheydim*. Ludolphus filiam *Hermanni* Ducis Suevorum unicam à patre utroque traditam, duxit in conjugem, anno Domini 949. Paulo post obiit *Hermannus* ille Dux, & ducatus datur *Ludolpho* genero. Ducatus autem Bajoariæ anno Domini 947. defuncto *Bertolfo* Duce, qui frater fuit *Arnolfi* Ducis, datur *Hinrico* fratri *Ottonis* per ipsum, quo anno obiit Edith. Ludolphus cum duxisset Pater ejus Otto aliam uxorem Alheydim, tristis discessit in Saxoniam à patre, qui Papiam sedem regni cum uxore suscepit. Rex celebratis Papiæ nuptiis in Saxoniam revertitur, peracturus ibi Pascha. *Berengarius* tyrannus, qui regnaverat in Longobardia & Alheydim afflixerat, persuasus à *Conrado* Duce & *Ludolpho*, venit in Germaniam, & subditus regi, gratiam obtinuit; & sic cum pace dimissus in Italiam rediit. Ludolphus autem filius Ottonis & Conradus gener rebellabant post hæc Regi Ottoni. Post prælia tandem patris provolutus pedibus, supplicans cum lacrymis, flexit patrem, & gratiam invenit. Conradus etiam gener regis in gratiam receptus: & ambo fideles permanserunt. Vngari demum bellum inferunt Hinrico & Ottoni, qui junctis octo legionibus ex Saxonum, Francorum & Bavarorum populis, occurrit & superat eos, præmisso tamen jejunio & orationibus, datis & acceptis juramentis invicem fidelitatis. Hinricus Dux, quia infirmus, non interfuit bello, sed duces ejus. Dux *Conradus* audax & bono consilio fortiter pugnans, cum æstuaret nimium, solutis loricæ vinculis, dum auram captaret, sagitta occiditur. Corpus ejus cum luctu *Wormatiæ* sepelitur. Vngarorum tres nobiles capti suspenduntur: reliqui pene omnes occisi sunt. Otto cum triumpho reversus, *Pater patriæ* ab exercitu, & Imperator nominatur gloriosus, 955. Anno 956. Ludolfus hostiliter Italiam intrat, & sequenti anno victo Adelberto moritur. Otto rogatu Papæ *Johannis* venit Romam 961. ibi inunctus ab eo, Berengarium captum duxit in *Babenberch*, ubi obiit, & sepultus est cum filio Adelberto. Anno Domini 964. Otto primus Romæ ad tempus manens, vocavit ad se filium suum *Ottonem*, qui ibi in natali Domini coronam à Papa suscepit. Missa legatione in *Constantinopolim* filiam Imperatoris, *Theophaniam* nomine inde accepit, quam filio celebratis in Italia nuptiis, junxit. Post hoc de Italia regressus, cum filio Galliam ingressus est, inde in Germaniam. Demum obiit, acceptis sacramentis devotissime, Nonis Maji, feria quarta ante Pentecosten Anno Domini 974. Eodem anno obiit *S. Odalricus*, Episcopatus sui anno L. Corpus Ottonis transtulit filius Rex, & sepelivit in *Magdeburg* civitate, quam ipse construxerat.

OTTO secundus, dictus *Rubicundus* vel *Rufus*, anno Domini 975. regnare cœpit annis IX. Defuncto patre, denuo ab omnibus qui aderant in Regem eligitur. Pugnans in *Calabria*

labria infeliciter, amisso exercitu natans evasit. Obiit *Romæ* anno Domini 983. VI. Id. Decembr. ibique sepelitur; & filium habet unicum *Ottonem* III. & filias tres, *Sophiam* Abbatissam in Gandersem, *Albeydim* in Quedalingborch, *Juttam*, quam abduxit Dux Bohemiæ in uxorem de monasterio *Reginberch*.

OTTO III. puer in regno patri successit, anno Domini 894. annis XVII. regnavit. Anno 994. *Adelbertus* Episcopus coronatur martyrio. Anno 995. *Heribertus* factus Episcopus Coloniensis claruit. *Conradus* Dux obiit. Anno Domini 1000. obiit *Otto* Cæsar. Intestina ejus *Augustæ*, corpus *Aquisgrani* sepelitur. Non habuit hæredem.

HINRICUS secundus Imperator fit 1001. Regnavit annis XXIII. Hic *Hinricum* Marchionem superat, Italiam, Boëmiam subjugat. Vir sanctus & virgo, cum *Kunegunde* conjuge virgine, instituit Episcopatum *Bambergensem* in honorem S. Georgii &c. *Bruno* Episcopus Augustensis, actibus ejus felicibus invidebat, impediebat per se & per alios; quem semper patienter tolerabat. Anno 1006. Episcopus primus Bambergensis ordinatur *Eberhardus*. Papa *Benedictus* Babenberg veniens 1018. ecclesiam S. Stephani dedicavit. *Gislam* sororem dedit uxorem *Stefano* Regi Vngariæ, non prius tamen, quam fidem suscepit Christi. *Bruno* Episcopus à Prucis martyrizatur 1008. *Hinricus* Cæsar migravit ad Dominum 1023. III. Id. Julii, sepultus *Babenberch*, in monasterio S. Petri.

CUNRADUS anno Domini 1025. regnum suscepit, faventibus ei *Aribone* Moguntino, & *Eberhardo* Babenbergensi Episcopis, defuncto *Hinrico*. Versus:

Saxonicum stemma conferat Ottonica regna,
Tenet Augustos cœlum, mare, terraque Christos.
Vndique nobilior Henriciane decor.

Bruno Episcopus Augustensis, laborat destruere Episcopatum Bambergensem, quem frater fundaverat Hinricus. *Conrado* placuit uxorique *Gislæ*, cui reginæ permisit Bruno omnia prædia Bambergæ filio ejus Hinrico tradere, destructo illo Episcopatu. Sed defunctus per visum taliter fratrem terruit, quod destitit, seque male egisse confessus est. *Conradus* anno secundo filium suum *Henricum* Regem fecit, ipseque Romam pergens imperialem benedictionem suscepit. Post hoc filio suo Henrico conjunxit *Kunigundam*, filiam Knut Danorum, quæ sine liberis obiit. *Conradus* Episcopatum *Spirensem* statuit provehere: sed deficiens vita, filius continuavit, & nepos consummavit magnifice. *Bruno* obiit 1029. *Stefanus* Rex Vngariæ pacificatur cum Conrado per nuntios post bella. *Rodulfus* Rex Burgundiæ moriens diadema suū Conrado misit 1032. Ratisponæ obiit Episcopus *Gebehadus*, medius trium Episcoporum ejusdem nominis, 1036. *Stephanus* Rex obiit 1037. *Kunegundis* sancta Imperatrix, obiit 1039. *Hermannus* filius Gislæ, Dux Alemanniæ, obiit 1039. *Conradus* obiit anno eodem, *Spiræque* sepelitur.

HENRICVS III. *Conradi* filius, successit patri, jamdudum Rex ab eo constitutus, annis XVII. Fabulosum est & fictum quod ejus fuerit gener. &c. *Petrus* Vngariæ Rex Henrico fuit contrarius; sed postea compulsus (cum Vngari fecissent sibi regem *Ovonem*) gratiam quæsivit coram Hinrico & invenit: ideo Ovo Bavariam invasit. Sed Hinricus tertio Vngariam ingressus, Ovonem effugavit, Petrum restituit. *Gisla* obiit 1043. Accepit inde Henricus conjugem *Agnetem*, filiam *Wilhelmi* Comitis Pictaviensis. Hinricus Rex anno 1046. Romam pergens, tres Papas deposuit, & *Swidigerum* secundum Babenbergensem Episcopum Papam constituit, à quo ipse & conjux Agneta, imperiali benedictione sublimantur. Revertens inde Agnes, filiam apud Ravennam peperit. Petrus Rex excœcatur, & captor pro eo regnat, 1047. *Bruno* Tullensis Episcopus Papa *Leo IX.* efficitur. Synodo Moguntinæ Papa cum Cæsare interfuit. Ratisponæ vere haberi reliquias S. Dionysii confirmavit. Leo Papa, vir sanctus obiit 1054. miraculis claruit. *Godebardus* Episcopus Eystatensis successit, *Victor* dictus, Ratisponensis Episcopus *Gebehardus*, Hinrici patruus, occultus adversarius deprehenditur, incarceratur; sed misericorditer restituitur sedi suæ 1056. Hinricus infirmatus 1056. pœnitens obiit III. Non. Octobr.

HINRICVS IV. filius ejus, licet puer, successit. Mater ejus *Agnes* gubernat imperium ad tempus &c. Anno Domini 1057. Imperat annis L. sive XLII. *dicit præsens Chronographus qui hæc scripsit.* Vide alibi *de gestis Hinrici in Chronica Magdeburgensi.* Item *de statu terrarum, & bello sub eo, in Chronico Halberstadensi.* *Otto* Dux Bavariæ accusatus à proditore nequam *Egenone*, amisit ducatum. Otto & Episcopus Halberstadensis *Borchardus*, qui & *Bucco*, concitaverunt contra Hinricum tyrannice agentem, nobiles & Episcopos, & Papam *Alexandrum*. *Hildebrandus* fit Papa *Gregorius* VII. contrarius Hinrico. *Ancelmus* Lucensis Episcopus scriptis defendit Gregorium, *Wicberto* contra eum intruso per Cæsarem. Alii vituperabant. Hinricus Saxones molestat. Veniam obtinet à Papa anno 1077. Sed iterum recidit. Deposuit

imperialia filio 1106. Sed iterum bellum parans nuntiatur mortuus, VII. Id. Augusti. Compilator *librum de Herveldiæ institutione* scripsit. *Burchardum* Episcopum Halberstadensem ab eo inter cæteros captivitate detentum super Gosmineſtein: alios alibi. Sed taliter fuit liberatus. Rex sororem suam invitaverat, quæ fuit conjux *Salomonis* Regis Vngariæ (ut dicit ipse) quæ cum redire vellet ad propria, Henricus Episcopum eidem tradere voluit abducendum ad *Vngariam*. Audivit hoc aulicorum unus, Episcopo consanguineus: dat Episcopo consilium, ut cum in navi abduceretur, respiceret ad littus. Cumque videret ibi virum equitem, manum dexteram capiti imponentem, petat duci ad littus, quasi necessitatis causa, &c. Et fit ita. Ille eques amicus advolat, Episcopum ad cæteros, quos armatos absconderat, adducit, sedique propriæ Halberstadensi restituit. *Sed non consonant Halberstadienses.*

HINRICVS V. anno Domini 1106. Apud *Maguntiam* congregato consilio omnium nobilium Rex *Hinricus* à patre regalia suscepit, imprecanti sibi cum lacrymis prospera, &c. A Principibus & Legatis Apostolicis Rex eligitur & confirmatur. Misit ad Papam novus Rex, promisit subjectionem, bene incepit. Vide *in Chronica Halberstadensi* similia huic de Paschali Papa & hoc Hinrico. Et tandem, quomodò sub Papa Calixto omnia sunt pacata inter ipsum & sacerdotium, anno 1122. *Hæc eadem ponit iste Chronographus, unde hæc collegi : Et in morte Hinrici terminatur*, anno Domini 1126. qui sine liberis obiit Trajecti, sepelitur Spiræ. *Puto Lambertus vocatur Auctor, monachus Herveldensis. Si tamen sit iste.*

XLV.

ANNALES HILDENESHEMENSES

ab anno Incarnationis Domini 714. ad annum usque 1138.

PIPPINVS Dux filius *Anschisi* post mortem *VVlfaldi* Ducis cœpit regnare, anno Sergii Papæ sui Pontificatus II. hoc est anno Dominicæ incarnationis DCLXXXVIII. obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII. Moritur anno II. Anastasii Imperatoris, qui est ab incarnatione Domini annus DCCXIV. Hujus *Pippini* ex *Alpheida* filius *Karolus*.

Karolus regnavit ann. XXVIII. Hic auxilio Dei de custodia, qua tenebatur à *Plictrude* matrona relicta *Pippini*, liberatur. Qui primo certamine adversus *Rathodum* Regem Fresonum congreditur, in quo dum fortiter dimicat, plurimum exercitus sui damnum consequitur.

Raginfridus Major Domus & *Hilphricus Rex* Coloniam cum exercitu adeunt, & regiones illas, quæ contiguæ Rheno sunt, vastantes, acceptisque muneribus à Plicthrude redeunt, atque inde abeuntibus *Karolus* cum exercitu occurrit in loco qui dicitur *Amblava*.

Sequenti anno *Reginfridus* & *Hilphricus* Rex bellum Karolo parant, in loco nuncupante *Vinciaco*, die Dominico ante Pascha. In quo prælio vires Francorum acciderunt. Hilphricus Rex & Reginfridus terga vertunt, insequiturque eos Karolus usque *Parrisius*. Inde victor rediens *Coloniam* petit.

Receptisque à *Plicthrude* thesauris patris sui Regem sibi constituit HLOTHARIVM nomine, non potestate. Hilphricus & Reginfridus auxilium postulant *Eudoni Ducis Aquitanorum*, adversus quos Karolus pergens, hostes in fugam compulit.

Mortuo *Hlothario* Rege, Karolus ad *Eudonem* mittit, & *Hilphricum* Regem per Legatos recipit. Quo non post multum temporis mortuo *Theodricum* Regem in sedem Regni statuunt.

Karolus *Reginfridum* persequitur, *Andegavis* civitatem capit. Karolus *Saxones* vastando, Victor regreditur.

Karolus *Alemannos* & *Bajoarios* armis subegit.

Per idem tempus *Eudo* pacis juratæ merare (a) nititur.

Karolus transito Ligere *Eudonem* in fugam vertit, vastata Regione.

Eudo Sarracenos in auxilium sui ascicit: qui venientes cum Rege suo *Addirama* transeunt *Garunnam*, *Burdigalam* usque perveniunt; cuncta vastantes, Ecclesias igne cremantes. *Pictavis* Basilicam sancti Hilarii incendunt.

Contra

(a) An leg. *pacis juratæ fidem temerare.*

Contra quos Karolus auxilio Dei fretus, Sarracenorum infinitam multitudinem simul cum Rege eorum prostravit devictisque hostibus cum triumpho regreditur.

Karolus Burgundiam petens *Lugdunum* & civitates reliquas suæ ditioni subegit. *Beda* Presbyter moritur anno DCCXXX. incarnationis Domini.

Eudo Dux hac tempestate moritur. Quo mortuo Karolus Aquitaniæ regionem absque bello recipit.

Karolus navali evectione *Fresonum Regnum* penetravit, interfectis Fresonibus *Popponem Ducem* interemit, *lucos & fana subvertit*, victor cum præda magna revertitur.

Sarraceni collecta manu valida *Avinnionem* urbem capiunt, regiones circumquaque vastantes.

Adversus quos Karolus arma arripiens, ad prædictam urbem occurrit. Civitas obsidione vallata machinis instructis capitur, magnaque strages hostium efficitur.

Karolus *Gothorum fines* penetravit, *Narbonam* obsedit, Rege Sarracenorum *Athima* intus incluso.

Sarraceni in *Hispania* qui commorabantur in vicinia hæc audientes armati cum Rege suo occurrunt.

Contra quos Karolus dimicans, Regem cum populo suo interficit, qui gladium evadere poterant, ascensis navibus in mare demersi sunt. Francis super eos cum navibus & jaculis infestantibus. Sicque Franci de hostibus triumphantes prædam magnam, & captivorum multitudinem capiunt.

Regionem *Gothiam* urbesque famosissimas, *Nemausum*, *Agatem*, & reliquas capiunt destructis mœniis usque ad fundamenta.

Karolus tributarios fecit *Saxones*.

Karolus in Regionem *Provinciæ* ingreditur. Fugato Duce *Maurento*, qui Sarracenos per dolum jam dudum invitaverat, cunctam Provinciam, & maritima illa loca suæ ditioni subegit, & *Frexones*.

Karolus Gothis superatis, Saxonibus subactis, Sarracenis repulsis, provinciis receptis, Regnum Francorum feliciter possidens, moritur in villa publica *VVrembria*, anno DCCXLI. incarnationis Dominicæ, post quem duo liberi ejus regnant annis XXVII.

Carlomannus cum fratre *Pippino* regnavit ann. VII.

Carlomannus & Pippinus *Hunoldum* res novas molientem opprimunt, & in ipso itinere Regnum inter se, quid quisque haberet, dividunt.

Per idem tempus rebellante *Theotbaldo* Carlomannus vastavit *Alamaniam*.

Carlomannus & Pippinus in *Bajoariam* exercitum ducunt adversus *Vedilonem*.

Carlomannus adversus *Saxones* dimicat, & castrum *Onseburg* capit.

Bonifacius vir sanctus de genere Anglorum, Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ Magunciacæ civitatis Episcopus ordinatur. Qui prædicatione sua multos populos *Thuringorum*, *Hessorum*, nec non & *Austrasiorum*, ad fidem rectam & Christianam Religionem, à qua diu aberraverunt, convertit. Sed & Monasteria Monachorum ac virginum primus in partibus *Austriæ* exorsus est. Ipse in castro *Wirziburg* sedem Episcopalem constituens, annuente Carlomanno & auctoritate Apostolici Papæ.

Burchardus collega Bonifacii *Wirziburgæ* ordinatur *Episcopus*, *Willibaldus* in *Eichsteti Episcopus* constituitur.

Carlomannus regnum temporale pro æterno regno despiciens, fratri regnum dereliquit, & Romam ad limina beatorum Apostolorum devotus pervenit, ibique tonsoratus Religionis habitum suscepit, & in *Serapte monte* Monasterium ædificavit, & non post multum in Monasterio Sancti Benedicti Monachus efficitur.

Gripho frater Pippini in *Saxoniam* aufugit.

Pippinus cum jam per annos VII. regnaret, regnat postea ann. XX.

Pippinus in *Saxoniam* per *Thuringiam* ingreditur. *Saxones* cum Griphone adunati super fluvium *Hobachar*, in loco qui dicitur *Horoheim* Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt.

Idem *Gripho* non credens se Saxonibus, neque Francis, de Saxonia *Bajoariam* petit, *Bajuaros* & *Hiltrudem* sororem Pippini cum *Tassilone* filio parvulo adquisivit.

Pippinus in *Bajoariam* pergens, *Griphonem* & *Lantfridum* inde educit, *Tassilonem* Ducem constituit ibidem

Griphoni partibus Neustriæ *XII. Comitatus* dedit. *Gripho* vero nec se ibidem credens, ad *Weiferium* Ducem Aquitaniæ se contulit.

Anno DCCL. Incarnationis Dominicæ mittit Pippinus Legatos Romam ad *Zachariam Papam*, ut interrogarent de Regibus Francorum, qui ex stirpe regia erant, & Reges appellabantur, nullamque potestatem in regno habebant, nisi tantum quod *Carta* & *Privilegia* in nomine

nomine eorum conscribebantur: potestatem vero regiam penitus nullam habebant; sed quod Major Domus Francorum volebat, hoc faciebant. In die autem *Marcis campo* secundum antiquam consuetudinem dona illis Regibus à populo offerebantur, & ipse Rex sedebat in sella regia circumstante exercitu, & Majore Domus coram eo. Præcipiebatque die illo quicquid à Francis decretum erat; die vero alia & deinceps domi sedebat. Zacharias igitur Papa secundum auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit: Melius atque utilius sibi videri, ut ille Rex nominaretur, & esset, qui potestatem in regno habebat, quam ille qui falso Rex appellabatur: Mandavit itaque præfatus Pontifex Regi & populo Francorum, ut *Pippinus*, qui potestate regia utebatur, *Rex* appellaretur, & in sede regali constitueretur. Quod ita factum est per unctionem S. Bonifacii Archiepiscopi Suesionis civitate. Appellatur *Pippinus Rex* & *Hilderitus*, qui falso Rex appellabatur, *tonsoratus* in Monasterium mittitur.

Pippinus Rex *Saxoniam* pergit. *Hildegarius Episcopus Coloniensis* à Saxonibus interimitur.

Gripho Italiam cupiens penetrare à *Theodoino* Comite in valle *Moriemna* opprimitur: idemque Theodoinus in ipso certamine occiditur.

Per idem tempus *Stephanus Papa Romanus* venit ad Pippinum Regem, postulans adjutorium & defensionem adversus *Heistulfum Regem*, eo quod res Sancti Petri abstulerat, & deprædationes multas Langobardi faciebant.

Stephanus Papa unxit duos filios Pippini in *Reges Carlum* & *Carlmannum*.

Bonifacius Archiepiscopus evangelizans genti *Fresonum* verbum Dei martyrio coronatur anno DCCLV. qui sedit in Episcopatu ann. XIII. Post quem *Lullus Episcopus* ann. XXXII.

Pippinus in Italiam ingreditur, *justitiam Sancti Petri ad perquirendum*. *Heistulfum* sibi in bello occurrentem superat. *Heistulfus* fuga lapsus Papiæ includitur, datis obsidibus XL. Sacramento constrictus res sancti Petri restituit.

Stephanus Papa Romam revertitur. *Karlomannus* Monachus in Franciam fratrem visitare veniens, Viennæ moritur. *Pippinus* in Italiam proficiscitur. Heistulfum Papiæ inclusum obsedit, & ut res Sancti Petri redderet Sacramento constringit. Heistulfus in venatione equo lapsus regnum cum vita perdidit.

Pippinus *Saxones* bello superat, equos CCC. reddere in tributum promittunt, & restitutionem quid injuste abstulerunt.

Pippinus *Weiferium Ducem* in Aquitania Ecclesiarum justitias facere renuentem coëgit promittere emendationem.

Weiferius Sacramenta mentitus vastando & depulando usque *Cavillonem* pervenit. *Pippinus* cum *Carlo filio* exercitum ex adverso movet, castella & civitates pugnando capit. *Burbone*, *Cantela*, *Clarmonte*, aliæque quam plurimæ ejus dominatui se subiciunt. Deinde *Beturicam* expugnat. *Tassilo* de exercitu Regis se subducens Bajoariam petit. Facta est hiems valida anno DCCLXIV.

Hruotgangus Metensis urbis *Archiepiscopus* postulavit à Paulo corpora sanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii, & impetravit, adduxitque ab urbe Roma cum honore. Et condidit sanctum Gorgonium in Monasterio suo, quod ipse à novo ædificaverat, cui vocabulum est *Gorzia*: Sanctum Naborem in Monasterio alio, qui dicitur *Nova-Cella*; sanctum vero Nazarium in *Monasterio nostro* (b) *Lauresham*; ubi in præfatis locis multis miraculis clarescunt.

Pippinus omnem *Aquitaniam* peragrando suæ ditioni subdit, nec tamen ut voluit Weiferium capit, sed ille semper vastationi & fugæ intentus, donec dolo *Waratonis* interemptus, & fugæ & tyrannidi finem dedit.

Pippinus ab Aquitania regrediens, ad *sanctum Dionysium* VIII. Kal. Oct. diem obiit, ætatis LIV.

Carolus cum *Carlomanno* fratre regnat ann. III.

Carolus cum Carlomanno fratre suo *Hunoldum* in Aquitania rebellantem capiunt.

Carlomannus Rex obiit villa *Salmuntiaco*: sepelitur *Remis*.

Carolus in *Saxonia* castrum *Heresburg* expugnat, *fanum* & *lucum eorum famosum Trminsul* subvertit. Interea cum exercitus siti fatigaretur præ siccitate, subito in quodam torrente media die divinitus aquæ largissimæ effusæ sunt. *Saxones* ad Regem *super Wisaram* venientes obsidibus datis, pacem rogant.

Carolus invitante Adriano Pontifice Romano Italiam ingreditur. *Desiderius Rex* obsistere nititur, Clausis Alpium obseratis obviam pergit. Franci Clausas reserant; Desiderius Papiæ includitur. Carolus

(b) Vides scriptorem, qui hæc posteris mandavit, Laureshamensem monachum fuisse.

Carolus civitatem *Papiam* obsedit, nullum ingredi vel egredi permitit. Interim Carolus orationis causa ad Limina Sancti Petri pergit. Adrianus Papa gaudens cum magna gloria Regem advenientem suscipit; Diem sanctum Paschæ solemniter celebrat, & cum lætitia Regem prosequitur. Revertente Carolo Rege à Roma, Langobardi obsidionem pertæsi, civitate cum Desiderio Rege egrediuntur ad Regem. Rex vero alia die cum hymnis & laudibus ingrediens, thesauros regios ibidem repertos dedit exercitui suo, & cunctum Italiæ Regnum adeptus regreditur in Franciam, adducens secum *Desiderium*, & *conjugem ejus ac familiam. Adalgisus* filius ejus fugâ lapsus, per mare *Constantinopolim* venit.

Carolus ab Italia regrediens, Dedicationem Ecclesiæ sancti Nazarii, & translationem corporis ipsus in Monasterio Lauresham celebrat anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXIV. die Kal. Septembris. Carolus *Saxonibus* vastatis *Heresburg* castellum capit, custodibus ibidem dimissis revertitur in Franciam.

Carolus in Italia *Hruotgaudum* tyrannidem molientem interimit.

Saxones post multas cædes & varia bella afflicti, non valentes resistere tandem *Christiani effecti*, Francorum ditioni subduntur.

Carolus contra Saracenos *Pampalonem* civitatem capit. *Abitaurus* Saracenorum Rex dedit obsides fratrem suum, & filium, reddit civitates, quas tenebat. Inde proficiscitur ad *Cæsar-Augustam*, adducit secum ibi *Inlarbi* Regem Saracenorum.

VVitbuchingus Saxo tyrannnidem molitur. Saxones rebellioni insistunt, strages & incendia in *Franciam* usque in *Hrenum* peragunt. Carolus ex itinere Hispanorum regrediens, exercitum obviam mittit, *Saxones* in fugam vertit.

Carolus *Saxones* opprimit & adversantes sibi Dei auxilio superat.

Carolus *Romam* denuo adiens, *Adrianus* Papa *Pippinum filium* Regis baptizavit, & à sacro fonte suscepit, & *Regem super Italiam* unxit. Similiter & *Hludowicum* fratrem ejus *super Aquitaniam.* Celebrantque Pascha Domini cum magna gloria.

Carolus Rex *Tassilonem* Ducem ad se accersivit *VVormaciam.*

Tassilo promittit fidem servare Regi cum jure jurando, quem dimittit Rex honorificè & imperat sibi obsides mitti, quod ita & fecit.

VVitbuchingus Saxo post multam tyrannidem peractam in semet revertitur, venit ad Regem, fidelis effectus baptizatur.

Per idem tempus multa signa apparuerunt, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissimè apparuit: Sanguis è terra ac de cælo perhibetur fluxisse.

Carolus Romam adveniens, *Haragisus* Dux Beneventanus mittens filium suum *Rumaldum* Regi, & munera ut in terram suam ne intraret, & quidquid imperaret, faceret. Quod Apostolicus audiens, non credidit, neque Franci. Sed persuasit Regem proficisci in terram *Beneventi.* Haragisus relinquens *Capuam* civitatem, in *Salerno* concluditur. Mittit Regi munera, & *Grimoldum* filium suum & XII. obsides: obtinuit, ut terra illa non vastaretur. Carolus Romam remeans, Tassilonis Legati postulant Adrianum, ut pacem inter illum & Regem faceret. Quod Rex libenter annuit, si hoc faceret, quod Pippino Regi cum juramento patri suo promiserat, & denuo ipse & filius sub jurejurando firmaverat. Quod renuentes Legati Tassilonis, Adrianus Papa eum sub anathematis vinculo constringit, si aliter facere vellet. *Tassilo* promisit & postea fefellit, & ad Regem venire contemnit. Karolus pergit Bajoariam, *Tassilonem* ex omni parte cum exercitu concludit; Qui coactus venit ad Regem, renovat sacramenta, dedit obsides, & *Theodonem* filium suum. Permittitur ei habere *Ducatum.* Qui postea convictus iterum de infidelitate, ejicitur de principatu, & in Monasterio tonsoratur.

Karolus Sclavorum gentem, qui dicuntur *VVilzi*, trans fluvium *Helbia* ditioni suæ subegit.

Karolus *Avarorum* gentem subegit armis.

Saxones iterum ad idololatriam revertuntur.

Hac tempestate filius Regis *Pippinus* ex concubina Himildruda cum aliquibus Comitibus Francorum consiliatus, ut Regem interficeret, & loco ejus regnaret. Quo comperto, Rex Pippinum jussit tonsorari, & ceteros ejus consentaneos diversis mortibus interfici.

Karolus dirigit filios suos *Pippinum* & *Hludouvicum* in *Beneventum* cum exercitu. Factaque est fames valida, ita ut nec in quadragesima a carnibus abstineretur: per idem tempus *Synodus* congregatur ad *Franconofurt* propter *Felicem.*

Karolus in Saxoniam pergens *Saxones* obtinuit, & *tertium de eis hominem in Franciam educens* collocavit. His temporibus *Alcuinus* Rethor Britanicus, Diaconus, & Abbas Monasterii sancti Martini sanctitate & doctrina clarus habetur. *Adrianus Papa* obiit, cui succedit *Leo* XCVIII.

Hunorum legatio ad Regem veniens, thesauros adducunt: quos Rex optimatibus suis distribuit, Legatos abire permittit.

Pippinus Rex Italiæ in *Pannoniam* pergit.

Karolus *in Saxoniam Francos conlocat*, Saxones inde educunt cum uxoribus & liberis, id est, *tertium hominem*.

Karolus iterum in *Saxoniam* pergit.

Per idem tempus Romani *Leonem Papam* de pontificatu ejiciunt, oculos eruere moliuntur, linguam abscindunt, in custodiam retrudunt. Vnde per Albinum Cubicularium noctu per murum in fune deponitur: ad *VVinigisum Ducem Spolitanum*, qui circa urbem cum exercitu consederat, pervenit. Qui curam ei adhibuit, & in Saxoniam ad Regem dirigit. A quo honorifice susceptus, in sedem Apostolicam Leonem restituit; Romanos, qui hanc tyrannidem exercuerant, in exilium mittit.

Karolus *Romam* pergit. *Leo Papa* ante diem Natalis Domini tertium de omnibus, quæ à populo Romano ei objiciebantur, coram Rege & populo Francorum dato sacramento purificatur. Et in die Natalis Domini ante Missarum solemnia in Ecclesia sancti Petri coram sacratissimum corpus ejus *Coronam imperialem* capiti Regis, Leone Pontifice imponente, ab ipso Pontifice, & ab omni populo Romano atque Francorum *Augustus* appellatur, anno incarnationis Dominicæ DCCC.

Legatio *Græcorum* ad Augustum veniens pacem petit.

Amurmumulus Saracenorum *elefantum* unum cum aliis muneribus preciosis dirigit. *Paulinus* Patriarcha Forojuliensis obiit.

Item Legatio *Græcorum* simul cum Legatis Imperatoris Karoli, quos direxerat in Græciam, ad villam regiam quæ dicitur *Salz* venit. Imperator autem pergit in *Bajoariam*. Ibi venit Legatio *Avarorum* omnem terram imperii sui sub ditione Imperatoris Caroli subdunt.

Carolus Imperator *Saxones* absque bello *à propriis finibus expulsos in Francia collocat*. *Alcuinus* XIV. Cal. Maji obiit; & *Ricboto* eodem anno moritur.

Leo Papa iterum in Franciam venit.

Imperator Carolus inter filios suos, id est *Carolum, Pippinum, Hludowicum* dividit Regnum.

Grimoldus Dux Beneventanus moritur: & mortalitas maxima in monasterio sancti Bonifacii, ita ut fratrum juniorum plurimi morerentur.

Et *Karolus filius Imperatoris* Karoli perrexit cum exercitu Francorum in *Winidos* ultra flumen *Albiam*. Sed tamen eo tempore non prosperatus est transitus ejus, sed & plurimi Francorum occisi sunt.

Imperator ad *Aquis* totum annum sedit, & *Richolfus* ad *Monasterium nostrum* (c) *Fuldâ*, id est sancti Bonifacii, missus est, Abbatis & fratrum causa: & Ecclesia sanctæ Mariæ in monte dedicata. Imperator venit in *Saxoniam*. Eclypsis solis II. Kal. Octobr.

Mortalitas boum maxima pene in tota Europa, nec non & hominum plurimorum; & *Hrotbruda* filia Imperatoris mortua est, & *Pippinus* filius ejus.

Hiems fuit durissima, perdurans usque ad finem Martii Mensis, & duo filii Imperatoris, id est *Pippinus* Monachus, & *Carolus*, mortui.

Facta est conturbatio non minima in monasterio sancti Bonifacii, & fratres XII. ex ipsa familia perrexerunt simul cum *Abbate Ratgario* ad judicium Imperatoris Caroli. Nec tamen ita commotio illa quievit: sed post *Richolfus Archiepiscopus Mogontiacensis*, & *Bernharius Episcopus Civitatis Wangionum* & *Hatto Episcopus Augustensis*, & *Wolgarius Episcopus Ecclesiæ Wirzaburg*, cum ceteris fidelibus quasi simul ad illud placitum convenerunt jussu Imperatoris, sanaverunt commotionem illam in monasterio sancti Bonifacii.

Et *Placitum magnum* in Mense Augusto, *ad Aquis* factum est; & Karolus Imperator constituit *Hludowicum filium suum simul imperare cum eo*, imponens *diadema capiti ejus*: post Synodum in Mense Maji habitam apud *Magontiam*, in quo præsiderunt *Richolfus Archiepiscopus*, & *Hildebaldus Archiepiscopus Coloniensis*.

Karolus Imperator mortuus est Aquis v. *Kal. Febr.* die Sabbati, anno Dominicæ incarnationis DCCCXIV. indictione VI. & regnavit *Hludowicus* filius ejus pro eo. Eo anno placitum suum cum Francis Imperator Hludowicus habuit *Kal. Augusti Mensis*, & Legati *Græcorum* auxilium petebant ab eo contra *Bulgares* & ceteras barbaras Gentes. Eo tempore *Hierosolyma* vastata est à Persis, & persecutionem magnam in orientalibus partibus Christiani habebant.

Hludowicus Imperator suum *Placitum* cum Francis in *Saxonia* ad *Phaderobrunnen* habuit & illuc venit filius ejus, *Hlotharius Rex Bjoariorum*, & alius filius ejus, id est *Pippinus*, *Rex Aquitaniorum*

(*) En iterum alium scriptorem, monachum nempe cœnobii Fuldensis.

taniorum: Bernhardus quoque *filius Pippini Rex Langobardorum*, & erat illud placitum *Kal. Julii Mensis.*

Anno III. Hludowici factum est *Concilium magnum in Aquisgrani* in mense Augusto, & præceptum est ut Monachi omnes *Cursum Sancti Benedicti* cantarent ordine regulari. Et *duo Codices* scripti sunt, unus *de vita Clericorum*, & alter *de vita Nonnarum*. Eo anno *Leo Papa* obiit, & ordinatus est *Stephanus* pro eo in Episcopatum Romanæ Ecclesiæ; qui in mense Octimbre venit ad Hludowicum Imperatorem civitatem *Remis*, & reversus est in pace. *Biego* de amicis Regis, qui & *filiam Imperatoris* nomine *Elpheid* duxerat uxorem, eo tempore defunctus est.

Anno IV. *Conventum* suum habuit Hludowicus Imperator cum Francis, in *Aquisgrani Palatio* mense Junio, & jejunio indicto ordinatus est filius *Hlotharius in Imperatorem*, ut consors Regni fieret cum Patre. Eo anno *Stephanus Papa* decessit, cui successit *Paschalis* in Pontificatu.

Bernhardus quoque *Rex Italiæ* seditionem levavit contra Imperatorem & *Hludowicus Augustus* Italiam cum exercitu perrexit.

Anno VI. Hludowici Imperatoris, hoc est anno Dominicæ incarnationis DCCCXVIII. in Brittannia *Mormannum Regem* vicit.

Imperator anno VII. regni sui *Judith* filiam *VVelphi* duxit in uxorem; & Basilica Fuldensis Cœnobii dedicata est. Post hæc annis quatuor requievit, & nihil historiæ factum est.

Anno vero XII. regni Imperatoris, hoc est anno DCCCXXIV. Dominicæ incarnationis, secunda expeditio facta est contra *VViomarcum Regem*, & Brittanniam vastat.

VViomarcus anno XIII. Imperatoris in domo propria occisus est ab hominibus *Landberti*; & *Heistolfus Archiepiscopus* obiit.

Anno XIV. Hludouvici *Hilduvinus Abbas* ossa sancti Sebastiani in Galliam transtulit.

Imperatoris anno XV. & incarnationis Dominicæ DCCCXXVII. Sarraceni fines *Barcinonensium* & *Gerundensium* vastant.

Anno DCCCXXXI. incarnationis Dominicæ, & XIX. regni Ludouvici, *Hun Abba Herfeldensis*, & *Rabanus Abba Fuldensis*, fundamentum Ecclesiæ S. Wigberti fodere cœperunt in VI. id. Jul. in II. feria.

Ludouvicus filius Imperatoris anno regni ejus XX. conjurationem fecit contra patrem suum apud *Longobardonheim.*

Regnum Francorum ad *Lotharium Imperatorem* conversum est, DCCCXXXIII. anno incarnationis Dominicæ. Anno XXII. Regni Hludouvici, *Pippinus* & *Ludouvicus* frater ejus restituerunt patrem suum in regnum ejus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXVIII. regni vero Ludouvici XXVI. iterum conjuratio apud *Franconofort* Ludouvici junioris; & conversum est Regnum ad Patrem ejus.

Imperaroris anno XXVII.. ventus ingens innumera ædificia subvertit, & multa damna effecta sunt in VI. Non. Novembris.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXLI. Hludouvicus Imperator insequendo filium venit ad *Herolfesfeldi* Monasterium in VI. Kal. Aprilis. Statimque eodem anno in XII. Kal. Julii obiit, regni videlicet ipsius XXVIII. Cui Ludouvicus filius ejus successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXLII. regni vero Ludouvici junioris II. *Adalbertus Comes* occisus est: & felix *bellum Lotharii* contra fratres suos *Ludouvicum & Karolum.*

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXLII. *Rabanus Abba Fuldensis* Cœnobii expulsus de Monasterio, & *Lotharius* de Regno Ludouvici.

DCCCXLIII. Hoc anno facta est pax inter *Lotharium*, & *Ludouvicum* & *Karolum* fratres suos.

DCCCXLIV. *Lotharius Rex* cum Orientalibus Francis venit in *Silviam* & eorum *Regem Gesliunulum* occidit ceterosque sibi subegit.

DCCCXLV. Hoc anno Monachi de *Herosfelfelde* cum *Otgario Episcopo* reconciliati sunt. Et eodem anno *Ludouvicus Imperator* ad idem Monasterium venit in II. Kal. Novembris, & Privilegia & munitates Monachis donavit & *Sigillo* munivit.

DCCCXLVI. *Ludouvicus filius Ludouvici Pannoniam* subegit, & *Behemos* domum rediens vastavit.

DCCCXLVII. *Otger Archiepiscopus* obiit, cui *Rabanus Abbas Fuldensis* successit.

DCCCXLVIII. *Ludouvicus* apud *Mogontiam* habito *Concilio Synodali* ibi *Godescalcus* hereticus convictus & damnatus est.

DCCCXLIX.

DCCCL. Hoc anno v. Kal. Novembris *Ecclesia Sancti Wigberti* dedicata est à Rabano Mogonciacensis Ecclesiæ Archiepiscopo.

DCCCLI.

DCCCLII.
DCCCLIII.
DCCCLIV.

DCCCLV. *Ludouvicus Rex* cum magno exercitu perrexit contra *Ratzidum Regem Marahensium*. Et eodem anno Ecclesia sancti Kiliani in Wirzeburg fulminibus exusta est: *Lutharius Rex* tonsuram & Monachicum habitum suscepit moriturus.

DCCCLVI. *Rabanus Archiepiscopus* obiit, cui *Carolus* successit.

DCCCLVII. *Carolus* apud *Mogontiam magnam Synodum* congregavit.

DCCCLVIII. *Ludouvicus* filium suum *Ludouvicum* cum magno exercitu misit ad *Abotritos*.

DCCCLIX. *Ludouvicus, Carolus,* & *Lutharius* cum juramento invicem Pacem firmaverunt.

DCCCLX.

DCCCLXI. *Vdo, Ernust, Bernger,* Comites, & *Walda Abba,* honoribus depositi.

DCCCLXII. Fames magna & morbus in Germania, & in aliis partibus Europæ.

DCCCLXIII. *Karolus Archiepiscopus* obiit, cui *Luitbertus successit.*

DCCCLXIV. Ludouvicus Rex Francorum *Ratzidum Regem Marahensium* sibi subegit.

DCCCLXV. Subitaneum diluvium, & vehemens grando fruges absumpsit.

DCCCLXVI.

DCCCLXVII. Ventus ingens cum turbine multa ædificia stravit.

DCCCLXVIII. Fames valida & vehemens tam Germaniam quam ceteras Europæ provincias nimium afflixit.

DCCCLXIX. *Lutherius Rex* à *Benevento* reversus; quo ob fratris sui discordiam *Ludouvici* perrexit, Romam venit, ibique ab Adriano Papa damnatus, domum rediens cum suis pene omnibus periit. Et eodem anno *Thiodo Abba Fuldensis* Monasterii depositus, & vir venerabilis & religiosus *Sighart* electus est.

DCCCLXX.

DCCCLXXI. *Thiodo Abba* supradictus obiit.

DCCCLXXII. (d) Æstatis fervor immanis & siccitas nimia totos penè perdidit fructus plurimæque domus cum hominibus & animalibus fulminibus incensæ & exustæ sunt. Obiit *Adrianus Papa, Joannes* successit. Et eodem anno indictione v. in Kalend. Novembris dedicata est *Ecclesiá Sanctæ Mariæ in Hildensheim* à venerabilibus Episcopis, *Alfrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo,* & *Rimberto,* atque *Theodrico*, sed & *Luithardo*, cum interventione religiosi *Abbatis Addalgarii* Monachorumque, & Canonicorum.

DCCCLXXIII. Fames magna invaluit in Germania, & incredibilis multitudo locustarum venit.

DCCCLXXIV.

DCCCLXXV. *Ludouvicus Rex* obiit anno regni sui xxv. *Alfridus Episcopus* obiit; post Alfridum *Ludolfus* Monachus Chorepiscopus eligitur, sed subitanea morte aufertur; post hunc *Marcuvardus* successit, qui *à Sclavis* interfectus IV. anno decessit.

DCCCLXXVI. Bellum juxta *Andarnacha* inter *Karolum* & *Ludouvicum* fratris sui Ludouvici filium successorem Regni.

DCCCLXXVII.

DCCCLXXVIII. Hoc anno eclypsis Solis fiebat.

DCCCLXXIX. *Ludouvicus filius Ludouvici* obiit anno v. regni sui, cui successit *Karolus*. Et eodem anno *Karlomannus* paralysis morbo periit.

DCCCLXXX. *Wicbertus Episcopus* eligitur.

DCCCLXXXI.
DCCCLXXXII.
DCCCLXXXIII.
DCCCLXXXIV.

DCCCLXXXV. Hoc anno *VVlferi Episcopus* cum aliis multis occisus est *à Sclavis*.

DCCCLXXXVI.

DCCCLXXXVII. *Karolus* veniens in *Triburias*, & cum placitum haberet post festivitatem sancti Martini, conspiratione facta adversus eum, Orientales Franci reliquerunt eum, & elegerunt *Arnulfum* in Regem, & Karolus subjicitur Arnulfo.

DCCCLXXXVIII. *Karolus* obiit, & *Arnulfus Rex* electus.

DCCCLXXXIX.

DCCCXC.

(d) Hic videtur incipere Chronicon Hildesiæ compilatum, per Monachum Hersfeldiæ aut Fuldæ enutritum. Crebram enim illorum monasteriorum mentionem facit.

DCCCXC. *Luitbertus Archiepiscopus* obiit, cui *Sunderolt* successit.
DCCCXCI. *Sunderolt* Archiepiscopus occisus est, cui *Hatto* successit.
DCCCXCII. *Arn Episcopus* occisus est.
DCCCXCIII. Factum est bellum magnum inter *Bauvarios* & *Vngarios*.
DCCCXCIV.
DCCCXCV.
DCCCXCVI. *Arnulfus Rex* Romam veniens *Imperator* factus est.
DCCCXCVII.
DCCCXCVIII.
DCCCXCIX. *Arnulfus Imperator* obiit, cui *Ludouvicus* filius ejus successit.
DCCCC.
DCCCCI. *Hardarat* Abba obiit, cui *Thiotart* successit.
DCCCCII. *Sclavi* vastaverunt *Saxoniam*.
DCCCCIII. *Eberhart* & *Adalbart*, atque *Heinric*, occisi sunt.
DCCCCIV.
DCCCCV. *Chuonradus comes* occisus est cum aliis multis.
DCCCCVI. *Vngarii* vastaverunt *Saxoniam*.
DCCCCVII. *Adalbertus* decollatus est a *Ludouvico Rege*.
DCCCCVIII. *Liudboldus Dux* cum aliis multis interfectus est ab Vngariis.
DCCCCIX. *Burghard Dux Thuringorum* occisus est ab Vngariis.
DCCCCX. *Ludouvicus Rex* pugnavit contra *Vngarios*.
DCCCCXI. *Vngarii* vastaverunt *Franciam* & *Thuringiam*.
DCCCCXII. *Ludouvicus Rex* obiit, cui *Chuonradus Dux Francorum* in Regnum successit.
DCCCCXIII.
DCCCCXIV. *Otto Comes Saxonicus* obiit.
DCCCCXV. *Vngarii* vastantes omnia venerunt usque ad *Fuldam*.
DCCCCXVI.
DCCCCXVII.
DCCCCXVIII.
DCCCCXIX. *Kuonradus Rex* obiit, & *Henricus Saxonicus* successit in Regnum.
DCCCCXX.
DCCCCXXI.
DCCCCXXII.
DCCCCXXIII. *Haicho Abbas* obiit, & *Hildebrat* electus est.
DCCCCXXIV. *Herigerus Archiepiscopus* cessit: *Hildibertus* successit.
DCCCCXXV.
DCCCCXXVI.
DCCCCXXVII. Turris *Gandersheim* dedicata est à *Sebardo Episcopo*. *Thiothart junior Abba* electus est cum consensu Senioris. *Rothsuit Gandersheim Abba* obiit; cui *Wildigrat* mediante *Sebardo Episcopo* successit.
DCCCCXXVIII. Idem *Thiothart junior Episcopus* ordinatus est post *Sebardum*, & *Burghart Abba* electus.
DCCCCXXIX.
DCCCCXXX. *Thiothart senior Abba* obiit.
DCCCCXXXI. *Heinricus Rex Abotritos* subegit.
DCCCCXXXII. Heinricus Rex fuit in *Lonsieim*. Et *Thiodo* obiit, cui *Burchart* successit.
DCCCCXXXIII. *Meingor Abba* eligebatur.
DCCCCXXXIV. Heinricus Rex in *VVocronin* cum exercitu fuit.
DCCCCXXXV. *Magna Synodus* fuit in *Erpesfort*. Et in eodem anno *Heinricus Rex obiit*. Cui *Otto filius ejus* successit in Regnum.
DCCCCXXXVI. *Otto Rex* fuit in *Herelfesfelde*; & Ecclesia sancti Bonifacii exusta est.
DCCCCXXXVII. *Eberhart Comes Heinricum* filium Heinrici Regis captum projecit in vincula.
DCCCCXXXVIII. *Eberhart* & *Gisilbrat* interfecti sunt.
DCCCCXXXIX.
DCCCCXL.
DCCCCXLI.
DCCCCXLII. Treveri dedicata est *Basilica sancti Maximini* à *Ruotberto Archiepiscopo*.

DCCCCXLIII. *Synodus ad Bundam* congregata est.

DCCCCXLIV.

DCCCCXLV. Legati *Græcorum* venerunt ad *Regem Ottonem* cum muneribus.

DCCCCXLVI.

DCCCCXLVII. *Etheid Regina* obiit VII. *Kal. Febr.*

DCCCCXLVIII. *Synodus ad Engilenheim* congregata est, cui *Marinus Legatus Apostolicus* præsedit.

DCCCCXLIX *Cuonradus Dux* sibi conduxit *filiam Regis Ottonis inhabitatricem*: & Nuncii *Græcorum* venerunt *secundò* ad Regem Ottonem cum muneribus.

DCCCCL. Bellum magnum factum est inter *Bauvarios & Vngarios.*

DCCCCLI. *Otto Rex* in *Italiam* perrexit, & cum eo *Luidulfus filius ejus*, & *Cuonradus Dux*, atque *Frithuricus Archiepiscopus Mogonciacensis* Ecclesiæ. Ibique Otto Rex adquisivit sibi ad societatem *Adalheidam Reginam*, & *Berengerum Regem de Langobardis* sibi subegit.

DCCCCLII.

DCCCCLIII. Satis acerba & nimium crudelis dissensio exorta est inter *Liudulfum filium Regis* & *patruum ejus Heinricum*: ipso Rege partes fratris sui adjuvante. Mansitque per duos annos in incendiis, cædibus & depopulationibus, multique non solum de populo, sed etiam de optimatibus occubuerunt. Hoc etiam anno *Mogontia* obsessa est, & castellum quod *Rossadal* nominatur; factumque est magnum bellum in illo loco.

DCCCCLIV. *Frithuricus Archiepiscopus Mogontiacensis* Ecclesiæ obiit, vir summæ abstinentiæ, in religione sancta & doctrina probatus. Et *VVillihelmus filius Regis* successit in locum suum. *Thiothardus* piæ memoriæ *Episcopus* obiit; cui *Otuvinus* successit.

DCCCCLV. Otto Rex *Vngarios*, cum magno periculo sui suorumque, magna & cruenta cæde prostravit. In quo tamen bello *Cuonradus Dux* gener Regis cum aliis multis occisus est, & *Heinricus Dux Bajowariorum* frater Regis Ottonis obiit. Et eodem anno Rex Otto periculosissimè contra *Abotritos* conflixit, quos *filius materteræ ejus Egberth* contra illum congregavit.

DCCCCLVI. *Ruodbertus Trevericus Archiepiscopus*, & *Hardamarus Abba Fuldensis* Cœnobii obierunt. Quibus *Heinricus Episcopus*, & *Hatto Abba* successerunt. In eodem anno *Liudulfus* filius Regis perrexit in Italiam, eamque subegit.

DCCCCLVII. *Liudulfus* in Italia mortuus est; & inde ad *Mogontiam* transportatus, & ad sanctum Albanum est sepultus.

DCCCCLVIII. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit, illis qui derisui illud habebant, mortem inferens; illis autem qui pie & religiose illud venerabantur, nihil mali intulit.

DCCCCLIX. *Hagono Abba* reliquit Dominium sui honoris.

DCCCCLX. Venerunt Legati *Rusciæ* gentis ad Regem Ottonem, & deprecati sunt eum, ut aliquem suorum Episcoporum transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis, & professi sunt se velle recedere à paganico ritu, & accipere religionem Christianitatis. Et ille consensit deprecationi eorum, & transmisit *Adalbertum Episcopum* fide Catholicum; illique per omnia mentiti sunt, sicut postea eventus rei probavit.

DCCCCLXI. Isto anno venerunt Nuncii ad Regem Ottonem, & vocaverunt eum Romam in adjutorium *Johannis Papæ*, ut mitigaret severitatem *Adalberti Regis*, quam exercuit super Monarchiam. Illeque Apostolicus gratanter eum suscepit, & honorifice collocavit super *cathedram Augustalis Principatus*, auxitque super eum *Augustalem benedictionem*, ut *Imperator Augustus* vocaretur & esset.

DCCCCLXII. *Guntheri Abba* obiit; cui successit *Eigillolfus.*

DCCCCLXIII. Hoc anno *magnum Synodale Concilium* factum est *Romæ* in Ecclesia sancti Petri: ibique *præsidebat Otto Imperator Augustus*, cum magna multitudine Episcoporum, Abbatum, Monachorum, ac Clericorum: illicque *Benedictus Papa* ab Apostolica sede dejectus est, eò quod injuste vindicavit sublimitatem Romani Imperii, & *Adaldago Archiepiscopo* commissus, in Saxoniamque deductus, illicque vitam finivit. Et in ipso anno sæva mortalitas invasit exercitum Imperatoris, & in ea *Heinricus Archiepiscopus Trevericæ civitatis*, & *Dux Godefridus*, vitam perdiderunt ceterique non pauci.

DCCCCLXIV. Isto anno *Berengarius Rex Langobardorum* obsessus in Monte sancti Leonis, ibique captus & cum vi deductus unà cum Regina ejus *inhabitatrice VVilla* in Bajoariam ad castellum *Bavenberg*, ibique novissimum diem præsentis vitæ dimisit.

DCCCCLXV.

DCCCCLXV. Otto Imperator de Langobardia venit ad *Franconofort*, & illum annum integrum *in Regno Saxonum* manebat, interimq; omnes suos adunavit ad pacem & ad concordiam. Et *Brun Archiepiscopus Agrippinæ* Civitatis frater Imperatoris vitam cum pace finivit.

DCCCCLXVI. Iterum tertia vice abiit Otto Imperator ad *Italiam*, & inde adiens limina sancti Petri, ibique Deo & sancto Petro supplicando, gratiarum actiones referens, eò quòd cuncta erga eum prospero cursu agebantur.

DCCCCLXVII. Hoc anno transmisit Imperator Legatos suos ad *Willihelmum Archiepiscopum*, & ad alios Principes ejus, ut *Ottonem filium suum*, æquivocumque ejus, cum omni Regali dignitate proveherent ad *Italiam*. Illicque ipse Otto senior suscepit eum, & secum deduxit Romam: commendavitque illum Apostolico Johanni posteriore, ut ab eo *Augustalem benedictionem* recepisset, ut *Imperator Augustus* foret appellatus à cunctis, qui eum agnovissent, veluti pater ejus.

DCCCCLXVIII. *Willihelmus Archiepiscopus* migravit à seculo. Et *Gillulfus Herveldensis Abba* transmissus est ex parte Imperatoris de Italia, ut fratres Fuldenses *Wirinharium* eligerent ad *Abbatem*. Indeque adiit *Mogontiam*, ut ille Clerus simulque totus populus *Hattonem* virum venerabilem sibi constituerent in dominum Pontificalis honoris. Et eodem anno *Adalbertus Archiepiscopus* constitutus est in *Magadaburg*.

DCCCCLXIX. Hatto Archiepiscopus obiit, cui *Ruodbertus* successit.

DCCCCLXX. Egillulfus Abba obiit; cui *Gozbertus* successit.

DCCCCLXXI. Hoc anno exustum est *Palatium* in *Thornburg*.

DCCCCLXXII. Ottoni Imperatori juniori venit *Imperatrix Romam de Constantinopoli* XVIII. *Kal. Maji* octav. Paschæ. Eodem anno idem Otto junior cum seniore venit de Italia.

DCCCCLXXIII. Otto senior Imperator cum juniore venit *Quidelingaburg*, ibique celebraverunt Pascha x. Kal. Aprilis, & illuc venerunt ad eos Legati *Græcorum*, *Beneventanorum*, *Vngariorum*, *Bulgariorum*, *Danorum*, *Sclavorum* cum regiis muneribus. Ac non longè pòst *Otto senior* pius Imperator *Non. Maji obiit;* cui domnus *Otto* successit.

DCCCCLXXIV. Henricus Dux Baiovvariorum est captus, & ad *Engilenheim* missus.

DCCCCLXXV. Hibernus fuit longus, durus, & siccus, & Id. Maji magna nix cecidit. Ac in eodem anno *Ruodbertus Archiepiscopus obiit*, cui *Willigisus* successit.

DCCCCLXXVI. Henricus Dux Baiovvariorum sua potestate depositus, & excommunicatus degit cum *Sclavis*.

DCCCCLXXVII. Idem *Heinricus* cum consilio *minoris Heinrici Pataviam* civitatem invasit, ibique ab Imperatore obsessus, & coactus, sese subdidit Imperatori.

DCCCCLXXVIII. Heinricus quondam Dux cum *Heinrico minore*, & *Ekbertus Comes* jussu Imperatoris comprehensi sunt, & exilio deputati. Eodem anno Imperator cum magno exercitu *Galliam* invasit, ac devastavit.

DCCCCLXXIX. Infidelitas *Geronis Comitis* per *Waldonem* publicata est; unde & ipsi extra civitatem *Magadaburg* in campo juxta *Albiam* dimicantes ab invicem interfecti sunt; & ad ultimum infidelitatis reus *Gero Comes* decollatus est.

DCCCCLXXX. *Lotharius Rex* cum magnis muneribus ad Imperatorem veniens, sese cum filio suo subjecit voluntati Imperatoris; & eodem anno firmata pace Imperator *Italiam* penetravit.

DCCCCLXXXI. Imperator Pascha celebravit *Romæ*.

DCCCCLXXXII. Otto Imperator pugnavit periculosissimè contra *Sarracenos* in Calabrorum partibus: ibique non pauci de optimatibus occubuerunt: Et in ipso anno *Otto Dux Baiovvariorum* obiit.

DCCCCLXXXIII. Imperator *Veronæ* Placitum habuit, ibique *Heinricus minor* de exilio ductus *Dux Baiovvariorum* constitutus est. Et eodem anno *Sclavi* rebelles effecti sunt. Ac non longè post VIII. *Id. Decembris Otto* benignissimus *Imperator obiit*, filio & æquivoco ejus Regna relinquens.

DCCCCLXXXIV. Filiolus Imperatoris *tertius* videlicet *Otto* per unctionem *Johannis Ravennatis Archiepiscopi Aquisgrani* in die Natalis Domini unctus est in Regem. Sed postea comperta nece Imperatoris Heinricus quondam Dux de exilio regressus, cum sibi faventibus *Agrippinam* civitatem intravit, ac Regem retinuit: regnumque ejus invadendo plurimos sibi de *Saxonibus* associavit, qui eum in proximo Pascha *Quidelingaburg* ad Regem elegerunt. Vnde quidam de Optimatibus huic electioni non consentientes, sed Regis vicem magis dolentes, è contra haut modicum deceptaverunt, & Regem in regnum suum restituerunt, & Heinricum Ducem Baiowariorum denuò effecerunt. Et eodem anno laudandæ memoriæ *Otwinus* pius præsul vitam finivit.

DCCCCLXXXV.

DCCCCLXXXV. *Osdagus* vir summæ caritatis ac castitatis, in sancta religione probatus, cum magno consensu Clerici ac plebis ad pontificalem honorem promotus est. Et eodem anno *Saxones Sclaviam* invaserunt. Quibus ad supplementum *Misaco* cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus multis davastavit.

DCCCCLXXXVI. Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum venit in *Sclaviam*, ibique venit ad eum *Misaco* cum multitudine nimia, obtulitque ei unum *camelum*, & alia xenia multa, & seipsum etiam subdidit potestati illius. Qui simul pergentes, devastaverunt totam terram illam incendiis & depopulationibus multis.

DCCCCLXXXVII. Iterum Saxones *Sclaviam* vastant, unde illi compulsi, Regis ditioni se subdunt, & castella juxta *Albiam* restaurantur. Aquæ quoque exundabant: nihilominus & ventus plura ædificia stravit.

DCCCCLXXXVIII. Æstatis fervor nimius ac repentinus Id. Julij usque Id. Augusti immanissimè exardescens fruges absumpsit. Rex in *Engilenheim* Pascha celebravit.

DCCCCLXXXIX. *Theophanu* Imperatrix mater Regis *Romam* perrexit, ibique Natalem Domini celebravit, & omnem regionem Regi subdidit. Et eodem anno *Osdagus Episcopus* obiit.

DCCCCXC. *Gerdagus* ordinatur *Episcopus* XIV. Kal. Februarii. Hoc anno Saxones *Abotritos* bis grandi irruptione vastabant. Multi quoque illorum, & penitus nominatissimi interempti sunt: alii in flumine necati. Saxones Dei gratia cum pace & victoria redierunt. *Misacho* & *Bolizlauvo Duces Sclavorum* gravibus inimicitiis inter se conflixerant. Et eodem anno eclypsis solis fiebat, quo non modica subsequebatur mortalitas hominum atque jumentorum XII. Kalend. Novembris.

DCCCCXCI. *Theophanu* Imperatrix obiit. Ignisque de Rheno ascendens villas propè positas combussit. Piratæ etiam *Staverun* deprædando vastaverunt, aliaque in littore loca perdiderunt. Otto Rex cum magno exercitu Saxonum, ac supplemento *Misacon*, *Brannanburg* obsedit, & vicit. Illo autem inde digrediente, Saxonicus quidam *Kizo* eandem urbem *Liutizorum* auxilio audacter satis contra Regis Imperium invasit, atque prædictorum Sclavorum pertinacia adversum jus fasque omne injustæ ditioni suæ subegit. Crebras latrociniarum irruptiones in Saxoniam juxta Albiam flumen molitus est, à quibus Dei gratia non victor, sed veluti fugitivus prædo, latitando aufugit.

DCCCCXCII. Otto Rex cum valida suorum manu iterum *Brannanburg* adiit, venitque ad eum *Heinricus Dux Bajovvariorum*, & *Bolizlavo Boëmanorum Princeps* cum ingenti multitudine in auxilium Regi. *Bolizlau* verò *Misachonis filius* per seipsum ad dominum Regem venire nequaquam valens (imminebat quippe illi grande contra *Ruscianos* bellum) suos satis fideliter milites in ministerium Regis direxerat. Verùm Dominus Rex bonis Sclavorum promissionibus confidens, suisque Principibus resistere nolens, pacem illis iterum concessit, & inde in patriam remeavit. Sed illi more solito mentiti sunt per omnia. Eodem anno *Gerdagus Episcopus* Romæ Limina sancti Petri orationis causâ adiit, indeque revertens Cumis obiit VII. Id. Decembris. Qui sedit in Episcopatu annos duos, menses XI. dies XIV. *Misaco* obiit successitque ei filius illius *Bolizlavo*.

DCCCCXCIII. *Bernvvardus Regius Capellanus* sanctæ Hildenshemensi Ecclesiæ ordinatur *Episcopus* XVIII. Kal. Febr. *Kizo*, qui antea rebellis extiterat & refuga fidem Sclavis jampridem promissam evacuans seipsum cum suis, & cum prædicta urbe *Brannanburg* Regis ditioni subdidit. Rex verò sanctum diem Paschæ in *Engilenheim* celebravit. Et inde à Nativitate Johannis Baptistæ usque in V. Id. Novembris penè per omnem æstatem & autumnum siccitas nimia & fervor immanis fuit; ita ut innumerabiles fruges non pervenirent ad temporaneam maturitatem propter solis ardorem: quo non modicum subsequebatur frigus & magna nix cecidit, magnaque pestis simul & mortalitas hominum atque jumentorum evenit. Et eo anno *Saxones* tribus vicibus expeditionem paraverunt in *Sclavos* & nihil profecerunt: è contra Sclavi crebris latrociniis Saxoniam fatigabant.

DCCCCXCIV. *Filii Heinrici Comitis*, *Henricus*, *Udo*, *Sigiffridus* contra piratas jussu Imperatoris dimicantes. Ex quibus . . . . .

ISENEBURG castrum fit habitatio Monachorum.

DCCCCXCV. Rex *Abotritos* vastavit, urbes & oppida disjecit, occurritque in auxilium *Bolizlau filius Misaco* cum magno exercitu, nec non Boëmanni cum *filio alterius Bolizlau* venerunt. Recepitque se Rex in *Saxoniam* cum exercitu incolumi. *Baldricus Trajectensis Episcopus* obiit, successitque *Ansfridus* laicus & *Comes* bonæ famæ vitæque honestæ, ut de eo, apud quos vixerat, testati sunt. *Johannes* quoque *Placentinus* & *Bernvvardus Wirciburgensis Episcopi* Constantinopolim ex latere Regis, ut sponsam illi inde peterent, directi sunt. Legati etiam Apostolicæ Sedis cum unanimitate Romanorum atque Langobardorum Regem Romam invitant.

invitant. *Henricus potentissimus Dux Baioariorum* cùm germanam suam dominam *GERBIRGAM* diuturno languore probatam visitaret Gandeshem, v. *Kal. Septembris* cum magno dolore omnium obiit. *Sclavi* frequenti irruptione Saxoniam vastant. *Bernwardus* quoque *Wirciburgensis Episcopus* morbo gravi affectus inter maris pericula obiit.

DCCCCXCVI. Ind. IX. *Johannes Papa* obiit. Vnde Imperator in Italia positus rumore incitatus, præmissis quibusdam Principibus publico consensu & electione fecit in Apostolicam Sedem ordinari suum nepotem dominum *Brunonem*, *Ottonis filium*, qui *Marcham Veronensem* servabat, imposito nomine *Gregorii*: A quo & ipse proximo solemni Pentecostes *Imperator & Patricius* consecratur. Habitoque cum Romanis placito, quendam *Crescentium*, quia priorem Papam injuriis sæpe laceravit, exilio statuit deportari. Sed ad preces novi Apostolici Imperator omnia remisit. Sed non multo post, Imperatore Vrbe excedente, idem Crescentius dominum Apostolicum nudum omnium Romana Vrbe expulit. Imperator in Francia hiemavit. *Sacellum sanctæ Crucis* dedicatur.

DCCCCXCVII. Papa *Ticini* adunato cumplurium Episcoporum *Concilio* præfatum *Crescentium* anathemate perculit. Interea *Johannes Placentinus Episcopus* Constantinopoli remeans, Romam intromissus, Apostolicam Sedem factione Crescentii invaserat. Vnde ab universis Episcopis Italiæ, Germaniæ, Franciæ & Galliæ excommunicatur. Imperator quoque, ut Romanorum sentinam purgaret, Italiam perrexit, summa rerum dominæ *Mathildæ amitæ suæ Quidilingaburgensi Abbatissæ* delegata; in qua ultra sexum mira prudentia enituit.

DCCCCXCVIII. Prædictus invasor *Johannes* ab Imperatore cæcatus, & truncatus, deponitur, & *Crescentius* decollatus cum XII. suis ante Vrbem suspenditur. Eodem anno quædam mulier in Bawaria . . . .

. . . .

. . . . . & *Silvester* successit. *Adelheid* quoque *Imperatrix* obivit.

TERTIO OTTONE IMPERANTE.

Millesimus annus supercrescens statuit computationis numerum, secundum illud quod legitur scriptum: *Millesimus exsuperat & transcendit omnia annus.* Imperator Otto III. *causâ orationis ad sanctum Adalbertum Episcopum Martyrem* Quadragesimæ tempore *Sclapiam* intravit. Ibique coadunata Synodo Episcopia VII. disposuit, & *Gaudentium* fratrem beati Adalberti *in Principali urbe Sclavorum Praga* ordinari fecit *Archiepiscopum*, licentiâ Romani Pontificis, causâ petitionis *Bolizlavonis Boëmiorum Ducis*, ob amorem potius & honorem sui venerandi fratris digni Pontificis & Martyris. Inde reveniens, Palmarum solemnitatem *Parthenopoli* festivè peregit. Paschalia vero tempora votivè *Quidilingaburg* celebravit. Pentecostes autem celebritatem digna devotione *Aquisgrani* feriavit. Quo tunc ammirationis causa *magni Imperatoris Karoli ossa* contra divinæ Religionis Ecclesiastica *effodere præcepit*, *qua tunc in abdito sepulturæ mirificas rerum varietates invenit.* Sed de hoc, ut postea claruit, ultionem æterni vindicis incurrit. Nam prædictus ei Imperator post tantæ commissionis facinus comparuit, & ei prædixit obitum suum celeriùs affuturum.

M. I. Ind. XIV. Imperator Natalem Christi *Romæ* celebravit, & illò *Bernwardus Episcopus* in Epiphaniis super multis infestationibus *Archiepiscopi Willigisi*, & maximè *de Synodo*, quam *in sua*, id est *Gandeshemensi Ecclesia* cum extraneis Episcopis habuit, conquestus advenit: totamque ejusdem Metropolitani illicitam usurpationem in præsentia *Silvestri Papæ* & *Imperatoris III. Ottonis* Synodali autoritate prorsus adnullavit.

OTTONE III. IMPERANTE.

Gerberga Gandesemensis Abbatissa Idus Novembris obiit.

M. II. Ind. XV. Imperator Otto Natalem *Tudertinæ* cum Domno Apostolico celebravit; inde Romam tendens, *Salernum* oppidum adiit, sed febre & Italico morbo graviter correptus cum generali omnium contristatione *x. Kal. Februarii*, proh dolor! ex hac vita morte immatura discessit; cui *Heinricus Dux Noricorum*, vir in omni Ecclesiastica præfectione præcipuus, *Willigiso Mogonciacensi Archiepiscopo*, & *Bernwardo Episcopo* ordinante, successit. Eodem verò anno novus *Rex Henricus* sancti Laurentii Natalem *Paderbrunnen* celebravit. Et ibi Domna *Gunigundis* Regalem benedictionem & coronæ impositionem à prædicto Metropolitano suscepit. Sed & *Sophia* ad Gandeshemense regimen electa obtentu Principum Domni B. licentiam à *Palligero* benedicendi ibidem obtinuit.

REGNANTE HENRICO ANNO II.

M. III. Ind. I. Rex Natalem Domini *Frankanawordi*; Pascha autem *Quidelingaburg* celebravit. *Herimannus Alemannorum Dux* Regis electioni aliquandiu resistens, Regiæ se potestati subdidit, & interventu Reginæ & Principum in suo honore permansit. *Heinricus Bertholdi Comitis filius*, & *Bruno frater Regis*, & ambo *Bolizlavones*, *Polianicus* videlicet, ac *Boëmicus*, à Rege infideliter Majestatis rei deficiunt. Sed Henricus ad Regem veniens & refugiens in *Givekanstein* custodiæ mancipatur. *Stephanus Rex Ungariæ* super avunculum suum *Regem Julum* cum exercitu venit; quem cum comprehendisset cum uxore & filiis duobus, Regnum ejus vi ad Christianitatem compulit. *Sacellum sancti Martini* dedicatur.

ANNO III.

M. IV. Ind. II. Rex Nativitatem Domini *Palidi* mansit, illò ad eum *Episcopus Veronensis*, ac alii quidam primores Italici Regni venerunt cum Regiis muneribus. Et *Bruno frater Regis* obtentu domnæ *Gislæ matris ejus* acquisivit gratiam. Incendium mirabile civitatis Papiæ.

ANNO Ejusdem IV.

M. V. Ind. III. Rex Natalem Domini *Thornburb* feriavit, & in partibus Saxoniæ usque ad tempus Quadragesimæ habitavit, XL. *Thielæ*. Pascha verò *Aquisgrani* celebravit. *Bernharius Abbas Herveldensis* obiit. Cui *Godehardus* Monachicæ vitæ, vir in sancta conversatione probatissimus, successit.

REGNI HENRICI V.

M. VI. Indict. IV. Rex Natalem Domini *Palithi* egit: celebritatem namque Paschalis solemnitatis *Nuvimago* feliciter tripudiavit. *Guntherus* divina pietate instinctus, renuncians seculo & pompis ejus, Monachus est factus. Fames valida penè in universa terra.

HEINRICO REGNANTE VI. IND. V.

M. VII. Rex Natalem item *Palithi* celebravit. Epiphaniâ verò *Gandesheim* venit, & odibilem dissensionem inter *Willigisum Archiepiscopum* & *Bernwardum Antistitem* de eadem Ecclesia prudenti ingenio sapienter diremit. Dominus verò *B.* in præsentia Regis & Archiepiscopi cæterorumque regni Primorum eandem Ecclesiam dedicavit, & omnem ibidem Episcopalem provisionem sine cujusquam interdictione potestativè celebravit.

REGNI HEINRICI VII. IND. VI.

M. VIII. Rex Natalem Domini *Palidi*, Pascha *Merseburch*, Pentecosten verò *Agrippinæ* feriavit. *Luidolfus Treverensis Metropolitanus* obiit; cui *Meinzoz primiscrinius Regis* successit. *Nohtgerus* præpositus Monasterii beati Galli, *Leodicensis præsul* ad Christum migravit. Post quem *Baldericus Radasponensis Vicedominus* subintravit. *Gunterus* Monachus sancta conversatione in Monasterio probatus, Heremita est effectus.

VIII. IND. VII.

M. IX. Rex Nativitatem Christi *Salzburg*; Pascha verò *Augustburg* peregit. *Rethurius Paderbrunensis Episcopus* II. Non. Martii obiit; cui *Meinwercus Regis Capellanus* successit. *Monasterium* quoque *Mogonciacense* prætitulatum divino honore & reliquiis beati Martini futura consecratione constructum à *Willegiso Archiepiscopo* maximo decoris studio III. Kal. Septembris miserabili periit incendio.

ANNO REGNI EJUS IX. IND. VIII.

M. X. Natalem Domini Rex *Palidi*; Pascha *Radisbonæ* celebravit. *Ansfridus Trajectensis Ecclesiæ Antistes* obiit, cujus loco *Adelboldus* successit.

REGNAN-

REGNANTE EO X. ANNO, IND. IX.

M. XI. Rex Natalem Domini *Frankenavord* celebravit, & in capite Jejunii *Corbeiam* venit. Ibi *Bernhardus pius Dux* V. *Id. Februarii obiit, & in Luniburg Cœnobio beati Michaelis* magno exequiarum planctu *sepultus*, quod ipse à fundamento construxerat, & in quo Monachorum congregationem adunaverat. Post quem verò *filius ejus Benno Ducatum obtinuit*. His etiam temporibus *Willigisus Mogontinus Metropolitanus* ad Christum migravit; In cujus locum *Erkanbaldus Fuldensium Abbas* subintravit, quem noster Episcopus B. Kal. Aprilis consecravit.

HEINRICI ANNO REGNI EJUS XI. IND. X.

M. XII. Rex Nativitatem Christi *Thornburg*; Pascha autem *Laodiciæ* celebravit. Inde verò cum summa regali reverentia *Babenberg* profectus est. Ibi venerabile Monasterium ipsius Domini Regis nobile ac speciale studium, ab *Eberhardo primo ejusdem sedis Episcopo*, cum consensu & conventu omnium Cisalpinorum Præsulum II. Non. Maji consecratum est ad laudem & honorem Domini nostri Jesu Christi, & preciosissimi Martyris ejus Gedrii, & ad patrocinium omnium Sanctorum Dei. *Dagano Parthenopolitanæ urbis Archipræsul* obiit; cui *Walthardus* ejusdem Ecclesiæ Præpositus successit. Sed huic post VII. tantùm hebdomadas defuncto successit *Gero*, vir perfectus in omni Ecclesiastico studio. *Godehardus* relicta *Herfeldensi Abbatia*, iterum remeavit ad *Altaha*.

REGNANTE HENRICO XII. ANNO, IND. XI.

M. XIII. Incarnationem Domini Rex *Palidi* feriavit. Postea XII. Kal. Febr. peccatis agentibus *principale templum Hildineshemensis Ecclesiæ* Diabolo insidiante per noctem igne succensum. Sed solo Divinæ miserationis subsidio velociter Deo gratias est exstinctum. Sed hoc, ah! ah! nobis restat lugendum, quia in eodem incendio cum preciosissimo missali ornamento inexplicabilis & inrecuperabilis copia periit *librorum*. Et Rex Purgationem sanctæ Mariæ *Parthenopoli* egit. Inde *Werla* veniens, gravi languore correptus hebdomadum V. spacio decubuit. *Christianus Patavlensis Episcopus* obiit; cui *Beringerus* ejus loci Decanus successit. *Godescalcus* pr. nostræ congregationis Præpositus obiit. XVII. Kalend. Augusti.

HEINRICHO REGNANTE XIII. IND. XII.

M. XIV. Natalem Domini Rex *Papiæ* celebravit. Inde comitatu Regali *Romam* pergens, *Imperialis coronæ diadema* à sancti Petri Vicario *Benedicto* VI. Kal. Martias, cum generali electione suscepit. Ejusque contectalis Domna *Cunigunda* idem Deo annuente promeruit. Sic Imperator Dei gratiâ factus *Papiam* rediit. Ibi sanctum Pascha feriavit. Inde namque regrediens Pentecosten *Babenberg* festivè peregit. Quo tunc Privilegia ejusdem loci res continentia jussit inscribere, firmata vel sigillo suæ autoritatis, & roborata Apostolico jure Romani Pontificis, ut essent illorum banno firmata, regnanti Christo Rege Regum in æternum & ultra.

ANNO REGNI EJUS XIV. & IMPERII EJUS II. IND. XIII.

M. XV. Imperator Nativitatem Christi *Palidi* egit. Et *Duces Vdalricum Boemiorum & Bolizlaum Pulianorum* in Pascha *Mersburg* ad se venturos determinavit. *Vdalricus* verò die statuto se pro criminis accusati innocentia expurgandum præsentavit. Et hoc quia *Bolizlauus* neglexit, æstatis illius tempore cum valida suorum manu *Polianiam* Imperator intravit. *Ernost Dux* ex improviso in venatione à suo milite *Adalberhdo* sagitta percussus, miserabili morte periit. *Lantbertus* præliator occubuit. Hoc anno, videlicet Incarnationis Domini nostri Jesu Christi M. XV. Henricho XII. annos regnante, II. jam Dei gratiâ imperante, *cripta nostri Monasterii* Indict. XIII. III Kal. Octobr. dedicata est à *Bernwardo* ejusdem Ecclesiæ venerabilissimo *Præsule & Tiderichо Mimigardivurdensis Ecclesiæ* dignissimo *Antistite*, & ab *Ekkihardo Sliesvicensis civitatis* venerabili *Episcopo* in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, & ejus genitricis perpetuæque Virginis, & singulare patrocinium beati Archangeli Michaëlis totiusque militiæ cœlestis.

REGNANTE EO XV. & IMPERANTE III. ANNO, IND. XIV.

M. XVI. Imperator Christi Nativitatem *Patherbrunnæ* celebravit. Magnæ molis grando venit, & plurimi fulmine exusti perierunt. *Wigmannus Comes II.* Nonas Octobris est occisus.

M. XVII. Ind. XV. Imperator Natalem Domini *Palidi* egit. Eodem anno rursum *Polianiam* cum exercitu intravit. *Meingoz Treverensis Archiepiscopus* obiit. Cui *Boppo* successit. *Æid Misnicensis præsul* obdormivit. Post quem *Hildiwardus* subintravit. *Liudolfus* Pr. IV. Non. Aug. *Godescalcus* Pr. & Decanus IX. Kal. Octobris obiere.

IMPERANTE V. SUI IMPERII ANNO IND. I.

M. XVIII. Imperator Natalem Christi *Patherbrunnen*, Pascha *Babenberg* egit. *Heinrichus Marchio Baioariæ* subitanea morte præventus obiit. Eo anno Domnus *B. Episcopus* tempore Quadragesimæ *Goslare* præsente Imperatore, cum Episcopis ceterisque Regni Primoribus synodo habita *Godescalcum Eggibardi præsidis filium*, & *Gerdrudam Egberhdi comitis filiam* separavit. *Maccho* presbyter VI. Kal. Maij obiit.

IMPERANTE HEINRICHO VI. SUI IMPERII ANNO, IND. II.

M. XIX. Imperator Natalem Domini *Werziburg* celebravit; postea cum exercitu contra *Bernhardum Ducem* ad castellum *Scalcaburg* perrexit, ibique, Deo gratias, omnia in pace constituit. Eo anno in Pascha Papam de Roma Bavenberg hospitio suscepit.

M. XX. Ind. III. Imperator Nativitatem Domini *Hamerstein* egit. *Heribertus Archiepiscopus Coloniæ* mortalem vitam XVII. Kal. Aprilis in angelicam mutavit; in cujus locum *Biligrimus* subintravit. *Erkembaldus Mogontiæ Metropolitanus* XV. Kal. Septembris sustollitur, post quem *Aribo* vir sanctæ Ecclesiæ probatissimus substituitur.

ANNO IMPERII HEINRICI VIII. IND. IV.

M. XXI. Incarnationem Domini Imperator *Regenesburg* feriavit. Ingens terræ motus in Boariæ partibus IV. Id. Maji, hora X. diei fer. VI. post Ascensionem Domini contigit.

IMPERII ANNO IX. IND. V.

M. XXII. Natalem Domini Imperator *Thorneburch* quievit. *Thiedricus Mimigardivordensis Episcopus* X. Kal. Febr. obiit; cui *Sigifridus Parthenopolitanus Abbas* successit. *Thiedricus Mindensis præsul* XI. Kal. Mart. discessit. Post quem *Albericbus* ejusdem loci Præpositus est electus. Sed morte præventus nec consecrationem accepit, nec in cathedra pervenit. *Sigiberhdus* verò in Episcopatum intravit. Domnus *Bernwardus Hildenesheimensium* venerabilis *Antistes* XII. Kal. Decembris ad Christum migravit:

Cui Deus æterni præstet consortia Regni,
Vivens arce Poli sit socius Lazari, Amen.

In cujus loco Domnum *Gerbardum Herfeldensium* & *Althabensium* priùs *Abbatem* sancta Ecclesia sibi suisque utiliter subrogavit. Hoc anno, videlicet incorporati verbi M. XXII. regni verò Heinrici Imperatoris XXI. ordinatione autem Domni Bernwardi *hujus Ecclesiæ* (f) Præsulis venerandi XXXI. Ind. VIII. Kal. Octobris *hujus Monasterii Oratorium* à præfato Antistite cum summo decoris studio ad utilitatem Monachicæ vitæ constructum *foras muros* Hildinesheimensis urbis situm, dedicatum est, insuper cum omni devotione Ecclesiasticæ Religionis consecratum, in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi & ejus genitricis semperque Virginis Mariæ, ac salutiferi ligni adorandæ vivificæ Crucis, & ad speciale patrocinium sancti Michaelis Archangeli, totiusque miliciæ cœli, & ad laudem venerationis omnium Sanctorum Dei à venerando ejusdem *Ecclesiæ Provisore Bernwardo*, & ab honorabili *Vnevano Archipræsule Hamaburgensis Ecclesiæ*. Ab *Ekkibardo* quoque *Sliesviccensi Episcopo*, sed & ab *Brunone* quondam *Aldenburgensis Ecclesiæ* reverentissimo *Antistite*, ad Ecclesiasticæ pacis munimen, & ad Christianitatis salutem & defensionem. Et in tantum prædia & res eodem loco pertinentia sunt banno autoritatis eorum stabilita, ut si quis inde vi aut sponte aliqua diriperet, perpetua damnatione subjaceret, & perpetuo anathemate damnatus, & de terra Viventium deletus, qui huic loco esset in aliquo obnoxius & contrarius. Fiat, fiat, fiat.

Hoc fiat verum Christo regnante per ævum.

Sed

(f) Et hæc autorem Hildenesheimensem produnt.

Sed mox ejusdem Monasterii habitaculum commissum est ad regendum Abbatis officio *Goderanno* Cœnobii S.Pantaleonis præposito.

Quod piè nam rexit hoc mundo quamdiu vixit.

M.XXIII. Ind. VI. *Mersiburg* Imperator Christi Incarnationem solemniter celebravit. *Gero Parthenopolitanus Archipræsul* obiit. Cui *Hunerithus* vir per omnia ad usum sanctæ Ecclesiæ probatissimus successit. *Arnolfus Halberstatensis Episcopus* obiit, cui *Branthog Fuldensium olim Abbas* successit. *Benno Haldenburgensis Antistes* abstollitur; post quem *Reinoldus* subinfertur. Domnus *Godehardus* prima post ordinationem suam æstate pulchrum Monasterium in Orientali parte principalis nostræ Ecclesiæ honorificè fundando inchoavit. *Wilfrannus* de eadem congregatione electus domno Gudehardo successit. *Liudolfus Comes* obiit.

M. XXIV. Indict. VII. *Heinrichus Imperator* Nativitatem Christi *Babenberg*; Pascha *Parthenopoli*; Pentecosten verò *Goslare* honorificè celebravit. Qui postea *Gruna* venit, & ibi languore correptus decubuit: & cum totius Regni mœrore, ah! ah! III. Idus Julii hominem deposuit. Sed XXII. annis, hebdomadis V. & I. diem regnavit. Animą ejus requiescat in pace.

Det requiem animæ, qui cuncta gubernat ubique.

Hinc namque VI. Id. Septembris Cuonradus Regnum subintravit. Senior noster G. curtem suam ad orientalem partem nostræ civitatis, in loco qui dicitur *Sulza* fabricavit.

M. XXV. Indict. VIII. *Cuonradus Rex* Natalem Christi *Minda* cum ingenti gloria & lætitia peregit. Ibi etiam plurimos, qui prædictæ ejus electioni non intererant, obvios habuit, omnesque sibi devotos in gratiam recepit. Pascha vero *Regenesburg* celebravit. Domnus *Godehardus* Montem speciosum in occidentali parte civitatis nostræ incolere cœpit, quem postea titulo ac nomine *S.Mauricii* summi sui patroni dedicavit.

M. XXVI. Indict. IX. Cuonradus Rex Natalem Christi *Lindburb* celebriter feriavit. *Wolfrannus Altahensis Abbas* obiit. Cujus in locum *Ratmundus* est electus, & Dei gratiâ consecratus. Pater *Godehardus* hoc anno prædictum novum nostrum Monasterium in Orientali parte nostræ principalis Ecclesiæ XVII. Kal. Septembris in honorem Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi solemniter consecravit. *Ekkihardus Sliesmecensis Episcopus* obiit. Cui *Rodulfus* de Coloniensi Clero electus successit.

M. XXVII. Indict. X. Cuonradus Rex in Pascha *Romæ Imperator* factus est. Et filius ejus *Heinricus Rex Dux Baioariæ* esse cœpit. *Synodus generalis* in *Franconovurdi* Episcoporum XXII. præsente Cuonrado Imperatore, in qua Domnus *Godehardus* diocesim suam super *Gandeshemense territorium* canonicè retinuit, testimonio VII. Episcoporum, *Brunonis Augustensis*, *Eberhardi Bavenbergensis*, *Neginwreti Paterbrunnensis*, *Meginhardi Werziburgensis*, *Hildiwardi Citicensis*, *Sigiberthi Mindensis*, *Brunonis Merseburgensis*. In hac Synodo *Godehardus juvenis frater Imperatoris* arma compulsus deposuit, & clericalem tonsuram accepit. *Wiggerus* Pater nostræ congregationis obiit.

M. XXVIII. Indict. XI. Impercator Incarnationem Domini *Regenesburg* celebravit. *Mogontinus Archiepiscopus Aribo* in *Geizlere* Synodum generalem cum suis suffraganeis Episcopis habuit, in qua inter cætera Ecclesiastica *quidam homo ingenuus* de homicidio *Sigefridi Comitis* incusatus, *candenti se ferro expurgavit*. Qui ex Decreto Synodali post duas noctes probatus illæsus apparuit. *Misako*, qui jam per aliquot annos *Regnum Sclavorum* tyrannice sibi contra Imperialem usurpabat Majestatem; Orientales partes Saxoniæ cum valido suorum exercitu violenter invasit, & incendiis ac deprædationibus peractis viros quosque trucidavit, mulieres plurimas captivavit, parvulorum innumerabilem prorsus multitudinem miserabili inauditâque mortificatione cruentavit, & per semetipsum suosque, immo Diaboli satellites nimiam crudelitatis sævitiam in Christianorum finibus Deo inspiciente exercuit.

M. XXIX. Indict. XII. Imperator Natalem Christi *Iglenheim* pergit *Brun Augustæ civitatis*, *frater Heinrici Imperatoris* obiit. Cui *Ippo Regius Capellanus* successit. *Generalis Synodus* in *Palithi* præsidente Imperatore cum Episcopis XI. in qua iterum Mogontinus Archipræsul Domnum Godehardum super *Gandesheim* inquietare cœpit. *Werinherus Argentinæ præsul* è mundo migravit; Post quem *Willehelmus Reginæ Archicapellanus* subintravit. Legati *Luitiziorum* Palithi ad Imperatorem venientes, ejus juvamen contra Misakonem tyrannum petierunt, seque ei fideliter servituros promiserunt. Et mentita est iniquitas sibi.

M. XXX. Ind. XIII. Cuonradus Imperator cum exercitu fuit in *Vngaria*. *Goderamnus* primus Hildeneshemensium Abbas *II. Kal.* Julii obiit, cui *Adelberhdus* Herocampiæ Montis sancti Johannis Baptistæ præpositus, justæ conversationis Monachus, successit: Et in proximis

VIII. Kalend. Januarii consecratus est à Domno Godehardo ad principale altare sanctæ Hildineshemensis Ecclesiæ. Hoc anno Domnus *Godehardus Episcopus*, & *Aribo Metropolitanus Mogontiæ* inter se invicem *super Gandesheim* reconliliati sunt. Nam ipse Metropolitanus patrem G. secretò convenit, seque super eadem parochia errasse confitendo nunciavit, & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio promisit: sibi priora errata per Deum remitti suppliciter petiit. Istud ergo hîc ideò veraciter inscribitur, quia ipso Domno G. sæpiùs idem in suo sermone publicè protestante (f), verum esse comprobatur. *Vnewanus Hammaburgensis Episcopus* obiit: Cui suus præpositus *Liebizo* successit. Ecclesiam etiam pulchram in *Holtbunon* in honore sancti Benedicti Abbatis Monachicæ conversationi aptam fundavit.

M. XXXI. Indict. XIV. Cuonradus Imperator Natalem Domini *Patherbrunnen* & Pascha *Nuvimago* feriavit. Eodem anno *Imperatoris filius Heinrichus Rex & ipse Dux Baioariæ*, & *Stephanus Rex Vngaricus*, cum juramento invicem firmaverunt pacem. Et *Heinricus Stephani Regis filius Dux Ruizorum* in venatione ab apro discissus periit flebiliter mortuus. Imperator cum parvo Saxonum exercitu *Sclavos* autumnali tempore invasit, & *Mysacbonem* diu sibi resistentem regionem *Lusizi* cum aliquot urbibus, & præda, quæ prioribus annis in Saxonia facta est, restituere pacemq; juramento firmare coëgit. Qui *Mysecbo* post mensis tantum spacium à fratre suo *Bezbriemo* subita invasione proturbatus, & ad *Vdalricum in Beheim* fugere est compulsus. Sed idem *Bezbrimo* Imperatori *coronam, cum aliis regalibus*, quæ sibi frater ejus injustè usurpaverat, transmisit, ac semet humili mandamine per legatos suos Imperatori subditurum promisit. *Arnolfus* pater Monasterii Herveldensis, præcipuus in divinis & humanis rebus, quorumdam fratrum eo loci cujusdam criminis objectione accusatus, miserabiliter proprio honore est privatus. In cujus loci vicissitudinem subrogatur *Bardo* procurator Cœnobii Wirdunensis suggestione GISLÆ Imperatricis. Eidem verò Bardoni successit *Geroldus* Fuldensis Monachus. *Wiggerus Vardensis Episcopus* obiit, post quem *Thietmarus* intravit. Eodem anno piæ & venerabilis memoriæ *Aribo Mogonciacensis Archiepiscopus* causâ orationis Romam adiit; indeque digrediens, Cumis VIII. Id. Aprilis, ah! ah! ex hac vita migravit; cujus honoris principatum obtinuit *Bardo*. Tunc nuper prælatus Abbas Herfeldensi Monasterio. Sed huic quoque mox successit ad Abbatiæ dignitatem *Rudolfus* Bopponis Monachus, Cœnobii *Stabulon* Præpositus, à quo Imperatoris decreto inibi mutata est *Monachica consuetudo*.

M. XXXII. Indict. XV. Chuonradus Imperator Natale Domini *Gosleri*, Pascha verò *Seliganstad* celebravit. Hoc anno *Bezbriem* ob immanissimam tyrannidis suæ sævitiam à suis, & etiam non sine fratrum suorum machinatione interfectus est. Sed *Miseko* statim domum redit, qui cognoscens sibi propter immoderatam sui insolentiam, quam prioribus annis exercuit, omnia quæ perpessus est, merito evenisse, Legatos suos ad Imperatorem destinavit tempusque semet præsentandi, condignèque satisfaciendi postulavit. Et postmodum Imperatore consentiente *Mersburg* venit, & semet Non. Julii *in Imperatoriam potestatem, corona* scilicet, *ac totius regalis ornamenti oblitus*, humiliter dedit. Quem Imperator clementius, quàm ipse opinaretur, suscepit, *eiq; & ejus patrueli cuidam Thiedrico Regnum*, quod ipse solus ante possederat, *divisit*: quod ipse tamen postea solus iterum sibi usurpavit. *Vdalricus* verò eodem regali jussione invitatus venire contempsit. Quem Imperator postea *Wirbeni*, ubi contra *Liutizios* pacificandi Regni gratiâ consedit, ad se venientem & etiam ratione convictum, de insidiis quoque, quas ipsi Imperatori fecit, ante biennnium confessum, in exilium transmisit. *Sigifrithus Mimigardevordensis Ecclesiæ præsul* V. Kalend. Decembris obiit, cui *Herimannus Coloniæ Præpositus* successit. *Liebizo Hammaburgensis Archiepiscopus* VIII. Kalend. Septembris obiit, cui *Herimannus Halberstatensis Cœnobii Præpositus* successit. *Arnolfus Abbas Herocampiæ* V. Kalend. Januarii obiit, & ad Gellingæ sepultus, qua tunc gratiâ manendi habitavit. Sed inde post tres dies totidemque noctes deductus, & de terra effossus, ex præcepto R. sui Successoris Herfeldiæ in Ecclesia S. Michaëlis est tumulatus. *Wiggerus* presbyter & præpositus V. Kalend. Aprilis obiit.

M. XXXIII. Ind. I. Imperator Natale Domini *Patherbrune*, Pascha *Neumago* egit. Et æstivo tempore *Burgundiam* cum exercitu properans *Odonem* diu sibi resistentem, qui eandem regionem sibi contra Imperatoris voluntatem tyrannicè usurpaverat, obvium suscepit: acceptisque ab eo de pace juramentis & obsidibus pacificè rediit. Eodem etiam anno ad castellum *Wirbine Luidgerus Comes*, & *Thiedof* & *Wolveradus*, cum aliis XI. occisi sunt. Piæ memoriæ *Cunigund Imperatrix* V. Non. Martii obiit. Eclypsis solis III. Kal. Jul. feria VI. Natali S. Petri Apostoli, hora diei VI. accidit, Imperatore tunc Placitum cum primoribus regni tractante in *Merseburg* civitate. *Dedicatio Monasterii S. Michaelis* Archangeli *in Hildenesheim* III. Kal. Octobris per Godehardum ejus-

(f) Chronicon hoc per varios in Ecclesia Hildesemensi viventes continuatum esse, tum ex aliis, tum ex hoc loco conjicias, ubi autor se coætaneum Godehardi prodere videtur.

ejusdem loci Episcopum, cum maxima frequentia populorum. Incendium Altahensis Monasterii VI. *Kal.* Martii.

M. *XXXIV*. Ind. II. Imperator Nativitatem Christi *Mindo*, & Pascha *Reinesburg* feriavit. In Natale Domini ad eum Legati diversarum gentium cum optimis multimodisque muneribus venerunt ibique *Hilderichо*, qui *Altmannum* interfecit, intercessione Imperatricis, & *Episcopi Alberstatensis*, incolumitas vitæ & repetitio patriæ conceditur. In Paschali verò festivitate *Vdalricus Boemiorum Dux* obtentu Imperatricis & Principum, in gratiam de exilio domum redire promeruit, & Ducatus sui medietatem, *suo fratre Germiro* medietatem retinente, suscepit. *Vdo* juvenis *filius Ottonis Comitis de Hamerstein* obiit. Imperator iterum hoc anno *Burgundiam* cum grandi exercitu intravit, & *Odonem* item resistentem fugavit eandemque regionem fidelibus suis, qui ei fidem juramento firmabant, commendavit. *Meginhardus Werziburgensis Præsul* ad Christum migravit; post quem *Bruno Patruelis Imperatoris* subintravit. *Warmundus Constantiæ Antistes* obiit. Cui frater ejus *Eppo regius Capellanus* successit. Plura & insolita bella inter *Luitizos* & nostrates ad oppidum *Wirbini* exorta sunt, in quibus de nostris quidam interfecti sunt, & plerique fauciati. Peccatis etiam nostris ah! ah! coram Deo promerentibus, laudandum & honorabile exercitium venerabilis viri Bernwardi Episcopi Monasterium scilicet sancti Michaëlis Archangeli Kal. Junii in Vigilia Pentecostes ad vesperam fulmine combustum, & miserabiliter est deterioratum. *Misacho Polianorum Dux* immatura morte interiit & Christianitas ibidem à suis prioribus bene inchoata & à se melius roborata flebiliter, proh dolor! disperiit. Prædictus quoque *Vdalricus Boemicus Dux* post reversionem, fratre cæcato, filio fugato, item Sacramenta refringens, infidelitati instituit & tandem in cœna residens, cibo potuque suffocatus extabuit. Quia ergo jus fasque contempsit, & post tam plura juramenta priscis iterum insidiis consensit: unde fidelibus Christi salubris providetur refectio; inde illi justa pro pravis suis meritis venit interfectio. Eodem anno *Thietmarus Wardensis Episcopus* VII. *Kal.* Julii ad Christum migravit; Post quem *Bruno frater Iriderici Comitis Nienburgensis, Mægetheburgensis Abbas* subintravit. Eidem verò Brunoni in Nienburg *Albuvinus in philosophica arte eruditissimus, Herfeldiæ Præpositus*, qui fuit ibidem antea; *Scolæ Magister famosissimus*, successit. In Mægetheburg autem *Sidaec* de eadem Ecclesia electus substituitur. Eodem anno *Thiedricus Comes Orientalium* à militibus *Eggibardi Marchionis* in proprio cubiculo ficta salutatione circumventus, in dolo XIII. Kal. Decembris occiditur. Cujus dignitatem honoris *Dadi filius* ejus obtinuit, qui postea *Odam Willihelmi Turingorum Prætoris viduam* in conjugium ascivit. *Hezo Palatinus Comes* à sua concubina nomine *Tietburga* veneni poculo, ut fertur, defraudatus, periit flebiliter mortuus, & ad Augustam transportatus, & in Ecclesia S. Vdalrici est sepultus XVI. *Kal.* Junii. *Ekberthus Comes* V. *Kal.* Aprilis obiit.

M. XXXV. Ind III. Chuonradus Imperator Nativitatem Christi cum decentissima suorum frequentatione *Goslare* celebravit; Quò ad eum diversarum Gentium legati cum muneribus convenerunt; qui inde, ut Imperatoriam Majestatem oportebat, remunerati abierunt: Vbi etiam prædicto domno *Albuvino* Abbatiæ dignitatem in ipsis *Kal.* Januarii commendavit: Et *Chuonradum Alberici filium* exilio reum Majestatis deputavit. Tempore Quadragesimali urbs *Wirbini* à Luitiziis capitur, & præsidium *Dedi Comitis* captivum diducitur. Incendium *Degarensis* Monasterii v. *Kal.* Martii. Imperator Pascha *Paderbrunne* feriavit. Ascensionem Domini *Seliganstad*; Pentecosten verò *Bauenberg* egit. Vnde expeditionem suam in *Luitizos* seriò mandavit. Vbi etiam *Heinricho Regi filio Imperatoris filia Chnut Regis Danorum* juramentis desponsatur; & *Otto de Sumvordi* ibidem *Mathildem filiam Bolezlavonis Polianorum Ducis* sibi desponsavit. Imperator cum validissimo exercitu regionem *Luitiziorum* intravit; quam longè latèque incendiis & populationibus devastavit. Eodem anno *Herimannus Hammaburgensis Metropolitanus* ex hac vita migravit. In cujus locum *Adelbrandus regius Capellanus* intravit. Qui cum summo suorum, suique comprovincialium gaudio à suis suffraganeis Episcopis Sabbato ante Nativitatem Christi, in Vigilia S. Thomæ Apostoli, Presbyterii honorem & in crastinum pontificalem promotionem accepit honorificè. *Oppertbus Elewangensium Abbas* obiit; cui *Ribhardus* Fuldensis Monachus successit. *Markfuit Wongereslorpiensium Abba* II. *Kal.* Novemb. obiit; post quem *Alberad* Molinbechiensis prius *Abba* machinatione *Sigiberhti* M*indensis Episcopi* idem regimen suscepit, tota congregatione nimium renitente. Hiemali tempore *Chnut Rex Danorum & Anglorum* immatura morte præventus obivit & Christiana religio ab ipso fideliter exculta periclitari cœpit: Sed filius ejus junior, *Hardechnut* nomine, regnum ipsius post cum consensu provincialium obtinuit. *Vta* sanctæ commemorationis *Abbatissa de Consengon* obiit XIV. *Kal.* Octob. *Bruno Comes* obiit XIV. *Kal.* Jun.

M. XXXVI.

M. XXXVI. Ind. IV. Imperator cum summa suorum Principum frequentia Nativitatem Christi *Argentinæ* magnificè celebravit; Purificationem verò sanctæ Mariæ *Augustburg* egit. Vbi & publicum cum cunctis circumjacentium regionum primoribus conventum habuit, in quo *patrueli suo Chuonrado Ducatum Carentinorum* commisit. *Adalberonem* majestatis reum priori anno dimovit. His item diebus idem Adalbero *Willehelmum Comitem* interfecit, & postea in castellum *Eresburgh* causâ latendi confugit. Imperator Pascha *Engilenheim* feriavit. Deinde *Triburiam* tendens, *Generali* ibidem *Synodo præsedit*, in qua *germanitas Episcoporum* priora decreta redintegravit, & etiam quædam ad firmamentum sanctæ Ecclesiæ necessaria conformavit. Ibidem etiam prædictus *Otto* cogente Synodo *Mathildem sibi desponsatam* juramento à se abaligenavit. Ascensionem Domini Imperator *Paderbrunne* peregit; Pentecosten verò Nativitatemque sancti Johannis *Niumago*, & ibi *filio Imperatoris Heinrico Regi* venit *Regina Cunihild* nomine, quæ ibidem in Natali Apostolorum regalem coronam accepit, & *mutato nomine* in Benedictione *Cunigund*, dicta est. Æstivo etiam tempore Imperator regionem *Luitiziorum* cum exercitu intravit. Sed Dei gratia omnibus pro suo velle dispositis, acceptis obsidibus & innumerabili pecunia, in pace remeavit. *Meinwercus Patherbrunensis Episcopus* Non. Junii obiit. Cui *Rudolfus Herveldiæ Abbas* successit. Sed domnus *Meginberus* ejusdem loci Decanus plurali utilitatis studio imbutus, sanctæ quidem conversationis Monachus, Herseldiæ primatum ejusdem dignitatis obtinuit. *Bruno Mersburgensis Præsul* Id. Aug. sustollitur, post quem *Hunoldus Halberstatensis præpositus* subinfertur. *Thiedricus* de eodem ibi Cœnobio præponitur. Sanctæ *Agrippinensis Ecclesiæ Metropolitanus* venerandæ memoriæ *Biligrinus*, ad omnia in divinis & humanis perstrenuus, IX. *Kal.* Septembris ad Christum migravit. In cujus locum nobilissimæ indolis juvenis *Herimannus ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus*, sed *regius Capellanus*, & *Cisalpinus Cancellarius*, cum inenarrabili gaudio piorum omnium intravit. *Branthobus Halberstatensis Pontifex* VI. *Kal.* Septembris discessit, cui *Burghardus Imperialis Cancellarius* honorificè successit. *Sigeberhtus Mindensium præsul* spiritum efflavit VI. Idus Octobris; post quem nobilis prosapiæ tyro *Bruno* nomine *Regalis Capellanus* cum generali congratulatione quorumque Christi fidelium idem *Antistitium* cœlesti benedictione accepit. *Gozmarus Asneburgensis Episcopus* IV. Id. Decembris obiit; cui *Albericus regius postsequetaneus* successit. Domnus *Godehardus Hildeseimensis Episcopus Brunonem Mindonensium præsulem*, & *Burghardum Halberstatensem Pontificem* XV. *Kal.* Januar. Sabato ante Natalem Domini in *Halberstat* presbyteros ordinavit.

M. XXXVII. Ind. V. Imperator Natalem Christi *Veronæ* honorificè celebravit. Et Imperatrix cum filio Rege & nuru eosdem dies *Imbripoli* feriavit. Tunc in Natali S. Stephani protomartyris, *Burghardus præsul Halberstatensis* pontificalem benedictionem à *Bardone Mogontiaco Metropolitano* suisque suffraganeis *Heliganstedi* honorificè percepit. Imperator post Natalem Domini in *Salerno* oppido *generalem Conventum* de re publica cum Cisalpinis nostrisque primoribus habuit; in quo *Mediolanensis Archiepiscopus* Imperatori contrarius comprehenditur, & *Bopponi Aquilegensi Patriarchæ* servandus committitur; à quo fuga lapsus palam rebellare cœpit. Quem Imperator è vestigio cum exercitu subsequutus, urbem per totum subsequentem annum cum totius periculo exercitus obsedit. *Bruno Mindensis præsul* in sancto die Pentecostes Episcopalem unctionem ab *Herimanno Agrippinensi Metropolitano* in campo juxta Mediolanum, astantibus Imperatore & Rege, cum quampluribus Regni primoribus, condignè suscepit. Eodem die inibi magna tonitrus fulgurisque exorta collisio hora diei sexta, de exercitu Imperatoris non minus IX. viros, ut dicitur, cum innumerabili equorum armentorumque multitudine peremit: sed & sequenti die hora eadem etiam aliquos ademit. Plurimos quidem varios & etiam insolitos difficilium rerum eventus per hanc æstatem exercitus noster in multis ibidem sustinuit.

Placentinus, *Cremonensis*, *Vercellensis*, alii etiam *Episcopi* quidam Majestatis rei, quia cum prædicto Archiepiscopo & *Vdone* tyranno sæpe memorato contra Imperatorem consenserant, captivi ad nos in diversa loca exiliati sunt. Prænominatus ergo *Vdo*, Imperatore Italiæ partes procurante, *Luthuringiam* juxta *Marcam Gazelonis Ducis*, *ejusque filii Godefridi* tyrannicè invasit, & civitatem, quæ *Bera* dicitur, injusta præsumtione occupavit, juxta quam ab hisdem Ducibus occupatus, consertoque prælio inter primas inglorius occubuit: justasque divinæ ultioni post effracta juramenta pœnas exsolvit. Ab ipsis sanè victoribus ignoratus, in crastinum inter vulgus inventus est nudus: vitâ pariter & regno, quod sibi usurpans affectabat, spoliatus. Nostræ Ecclesiæ Decanus *Tadilo* XI. Kal. Februar. obiit. Pater in Christo venerabilis & piis omnibus semper memorabilis *Ha-*

gano

gano Diaconus, regius Capellanus x. Kal. Marc. moritur, & in Herveldia sepelitur. *...fridus Comes*, & *Dangmarus Comes* obierunt.

M. XXXVIII. Imperator cum Nobilissima sui familia Nativitatem Christi *Parmæ* celebravit: qui urbani ex levi causa sancto die Nativitatis Domini ad vesperam certamen inierunt, in quo de exercitu quamplures, sed præcipuè tres ex clientibus regiis, *Chononem*, *Magnum*, *Suicgerum* peremerunt. Pro qua ergo insolentiæ temeritate in crastinum diluculo ipsi simul cum civitate omnibusque suis, prædâ, igne, ferro perierunt. Pascha verò Imperator sine quavis molestia in castello *Stella* pacificè feriavit. Prædictus quoque Mediolanensium Metropolitanus ab Apostolico Pontifice post justas crebras ammonitiones communi Episcoporum decreto in Paschis anathematizatus, & à cœtu fidelium est segregatus. Qui nihilominus in sua obstinatione perduravit, & Imperatori pro posse in omnibus per præsentem & etiam subsequentem annum incommodavit.

Eo tempore venerandæ memoriæ sanctus noster Pontifex *Godehardus* III. Non. Maji, videlicet feria VI. post Ascensionem Domini ex hac vita subtractus ad æternam cum Christo perenniter victurus migravit: nobisque miseris immensam mæstitiam discessu suo contulit. Quem verè ad Deum præcessisse non discredimus: hoc tamen quòd sancta ejus ammonitione, fructiferaque virtutum præostentatione præsentialiter privamur, meritò semper ingemimus. Qualis namque meriti esset, unusquisque in suo fine cognoscere potest. Quia sicut scriptum est, unusquisque in suo fine cognoscitur. Satis quoque est apertum, illum habere magna præconia meritorum, cùm in ejus obitu tam mirifica signorum gesta patefecit Deus in miraculo. Illud verò quamquam sit cunctis Christi fidelibus notum, vera experientia relationum tamen ob ejus sanctitatis testimonium hîc continetur inscriptum. In cujus locum domnus *Thietmarus Regius Capellanus* successit, ad omnia in divinis & humanis feliciter perstrenuus à *Bardone Metropolitano Mogontiæ* XIII. Kal. Septembris *Laresheim* est consecratus. *Liudolfus Comes privignus Imperatoris* IX. Kal. Maji immatura morte obiit. Et *ejus frater Herimannus Alamanniæ Dux* subita infirmitate præventus bonis flebilis omnibus XVI. Kal. Julij denotavit. Nobilis etiam nostra *Regina Gunihild* xv. Kal. Augusti ex hoc mundo migravit. Cujus intempestivus obitus quam plurimos cujusque ordinis per Christianum imperium contristavit. *Sigifrithus prætor Palatinus frater Brunonis Episcopi Mindonensis* VII. Kal. Maij moritur & in *Winciburch* tumulatur.

M. XXXIX. Ind. VII. Imperator Natalem Domini *Goslare* cum reverentissima Principum sui congratulatione decentissimè tripudiavit, ubi & Legatos cunctarum adjacentium regionum cum debitis vectigalium professionibus in aucmentum suæ magnificentiæ suscepit, quosque, ut imperialem munificentiam decebat, tam sui, quam optabant gratiâ, quàm & rerum habundantiâ donatos pacificè remisit. Ibi etiam inter cetera suæ institutionis decreta *Alberadæ Abbatissæ de Molinbach Abbatiam Wongerestorph* invito *Brunoni Episcopo* resignari præcepit. Quam tamen idem Episcopus post Pascha vel spontaneam vel invitam ab eadem dignitate sub abrenunciatione publicâ desistere fecit.

Purificationem sanctæ Mariæ Imperator *Alstteti* egit sicque compendioso itinere peragrata *Orientali Saxonia*, rebusque pacificatis, *Nuvimagon* tetendit; ibique tempus Quadragesimæ, & sanctum Pascha, & Ascensionem Domini, podagrâ laborando, consedit. Inde ad celebrandum Pentecosten *Trajectum* venit, & ibi quidem in summa lætitia, sanctum diem, scilicet *in regalis diadematis decore procedendo*, peregit. Sed sequenti die feria II. horâ diei VI. II. Non. Jun. mensæ reficiendi gratiâ assidens, subita defectione præreptus, vix dum confessionis sententiâ prolatâ, flebiliter exspiravit. O ergo occulta divinæ dispensationis judicia, admiranda pariter & metuenda, qui priori die maximo mundialis pompæ tripudio Rex & Imperator orbis coronatus processit, posteriori ah! ah! die viam universæ carnis ingressus, cinis vermisque futurus, discessit: nisi quòd verè speramus, quia quicquid carnaliter contraxit negligentiæ, pro hoc in defensionem animæ supplicatio intervenit Ecclesiæ. Sed ut quidam ait:

O nil gnara sui mortalia pectora fati!

Verùm ut veriùs dicamus; O dura, & ut in pace loquar, prorsus insensibilia humani generis corda! quia in quo viro penè totius orbis caput virtusque concidit, ad ejus obitum tam subitum tamque periculosum sanè nullus ingemuit.

Hunc Rector Regnum Dominus soletur in ævum,
Cum pueris Habrahæ vivat & in requie.

Sed [illegible]tius *ejus* domnus *Heinrichus*, in omni quidem virtutum exhibitione perstre-[illegible]ante scilicet in specialem Regni Monarchiam generali Cleri populique prælectione coronatus, nunc autem sine quavis contradictionis molestia, summâ Christianismi concordià solio patris Deo gratias est intronizatus.

Quem Deus in finem conservet ritè senilem,
Et placidus placito sit pius ipse suo.

Chuonradus Carentanorum Dux patruelis Chonradi Imperatoris XIII. Kal. Aug. immatura morte regio morbo diu fatigatus discessit. Eodem die venerandæ memoriæ *Ribbardus Abbas Fuldensis* obiit. In cujus locum Sebewardus juvenis ab ipso eo loci in divino servimine regulariter & etiam sapienter enutritus insedit. Hisdem diebus *Radulfus Abbas de Diuzi* obivit. Piæ in Christo venerabilis memoriæ domna *Sophia* VI. Kal. Februarii obiit. Sed huic in *Gandesheim soror ejus Adalheith* Quidelingensis domna successit & *Abbatiam Æsnidi Theophanu neptis earum* obtinuit. Senior noster *Thietmarus Episcopus* post obitum prædictæ domnæ S. decimas super Gandesheim, circumjacentesque villulas, quas ipsa à nostris Senioribus in beneficium habuit, in suam vestituram recipi jussit. Cui *Beboca* Præposita cum suis fautoribus frivola machinatione restitit. Hasmet decimas ipsa modo Abbatissa, adveniente pontificali autoritate, repetivit, easque per manum Advocati *Christiani Comitis* cum digna satisfactione in proprium sine quavis interdictione V. Kal. Octob. recipit in Choro Aquilonali: quas postea eidem Altari & Abbatissæ beneficii gratiâ quandiu ipse vivat repræstitit: pro eo scilicet censu, quem sanctæ memoriæ B. Episcopus ibidem constituit. Testes, *Herimannus Archiepiscopus Coloniæ* cum suis quatuor Clericis, *Bodo* noster Decanus, *Ællio*, *Wolfherus*, *Volcamardus*, *Reinbertus*, *Wolferus*, *Liudierus*, *Merkhard*, *Werimus*, *Ribdagus*, *Thietmarus*, *Imebi*, *Adeldagus*, *Liudierus*, *Warmund*, *Wolferus* cum aliis multis laicis, *Thietmarus Comes*, *Vdo Comes*, *Thiedricus Comes*. (g)

M. XL. Ind. VIII. Novus Rex noster incarnationem Domini *Radisbonæ* decenter egit, & purificationem sanctæ Mariæ *Augustæ* degens, placitum habuit cum Cisalpinis primoribus de rei publicæ stabilitate.

M. XLI. Ind. IX. Heinricus Rex *ducem Boemiæ Fratislaum* bello petiit. Sed multis proceribus & militibus in *præstructione silvæ* citra & ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit. *Petrus* quoque *Vngariorum Rex* eidem Duci contra Heinricum Regem auxilia misit.

M. XLII. Ind. X. *Vngarii* quendam *Ovonem Regem* sibi eligentes; *Petrum Regem* suum expellunt. Qui profugus & exul, Heinrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quærit, & invenit. Heinricus Rex Boemiam ingressus, igne prædaque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se *Radisponam* ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem serviciumque confirmare coartat. *Ovo Rex Vngariorum* ob susceptum ab Heinrico Rege *Petrum* à se expulsum fines Baioariæ prædis & incendiis depopulatur: Sed magna pars exercitus ejus ab *Athelberone Marchione* deleta est.

M. XLIII. Ind. XI. Heinricus Rex *Pannoniam* ingressus, duas populosissimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cùm Petrum Regem, quem secum ducebat, provinciales recipere nollent, alium, quem petebant, *Ducem* eis constituit, quem Ovo post discessum ejus in Boemiam reppulit. *Gisla Imperatrix mater Heinrici Regis* obiit XVI. Kal. Martii, & apud *Spiram* sepelitur.

M. XLIV. Ind. XII. Heinricus Rex iterum Pannonias invadens, satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem accipiens discessit. Inde reversus *Constantiensi Synodo* affuit, ubi cunctis debita dimisit, destructisque omnibus inimicitiis, pacem hactenus inauditam tam in tota Suevia quàm in aliis sui Regni provinciis, regia censura per edictum confirmavit. Deinde *Agnetem Willehelmi Pictavensis Principis filiam Reginam* apud Mogontiam ungi faciens, regalibus sibi nuptiis in *Hingelenheim* copulavit. Vnde infinitam *histrionum* & *joculatorum* multitudinem sine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permisit. *Liupoldus Marchio Adalberti filius* maxima Vngariorum clade immaturè obiit. *Thietmarus Episcopus* obiit & *Ezelinus* eligitur.

M. XLV.

(g) Hic videtur desinere Scriptor Hildesemensis, qui hactenus Annales confecit; ex versibus enim hoc anno in Henrici III. initia confectis patet, Scriptorem laudatum hujus Imperatoris finem non vidisse. Adde, quod sequentium stylus & concipiendi Annales modus alium, quam qui præcedentia scripsit, autorem sapiant.

M. XLV. Ind. XIII. Heinricus Rex tertiò *Pannonias* iratus ingrediens, Dei favente clementia, & beato Vdalrico Episcopo impetrante, victor factus, *Ovonem cum uxore & filiis cognatisq;*, quibus locus evadendi erat, effugabat: *Petrum* in regnum restituit; subditoque sibi *Vngariorum Regno* summo cum honore revertitur.

M. XLVI. Ind. XIV. Heinricus Rex *Italiam* ingressus, pacificè à Romanis suscipitur. Papas tres non dignè constitutos synodialiter deposuit, & *Suidegerum Babenbergensem Episcopum* Papam constituit, ipseque & conjux ejus *Agnes Regina* eadem die *Imperiali benedictione* sublimantur.

M. XLVII. Ind. XV. *Petrus Rex Vngariorum* à quodam tyranno Pannonico captus & cæcatus, ille qui eum expulerat regnare cæpit. *Suidegerus Papa* obiit eodem, quo constituitur anno. Pro quo *Boppo* ordinatur. *Ottho Dux Suevorum* obiit, pro quo *Ottho de Suinvurdi* surrexit.

M. XLVIII. Ind. I. *Boppo Papa* obiit, anno, quo constituitur. Pro quo *Bruno qui & Leo Tullensium Antistes*, *Papa* ordinatur. *Heinricus Imperator* nascitur.

M. XLIX. Ind. II.

M. L. Ind. III. *Bartholomeus Archiepiscopus* obiit; pro quo *Liupoldus* ordinatur.

M. LI. Ind. IV.

M. LII. Ind. V.

M. LIII. Ind. VI. *Leo Papa* exercitum ducens per Apuliam contra *Nortmannos*, infinita utrobique cæde peracta, absque victoria regreditur & II. Kal. Julii eodem anno obiit.

M. LIV. Ind. VII. Leoni *Papa Gebehardus*, qui & *Victor*, successit. *Athalbertus Marchio* obiit. Fames magna fuit. *Welf Dux Carinthiorum* obiit. *Conradus Dux antea Noricus* ab Imperatore expulsus in Pannonia exul malè moritur. *Hezil Comes de Oberestenvelt* obiit. VI. Kal. Febr. *Ezelinus Episcopus* obiit, *Ettelo* eligitur.

M. LV. Ind. VIII. *Herimannus Coloniensis Archiepiscopus* obiit, pro quo domnus *Anno* ordinatur.

M. LVI. Ind. IX. Magna cædes à barbaris, qui *Luittici* dicuntur, in Christianos facta est, quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt; inter quos *Willeham Marchio* occiditur. Hisdem temporibus multi diversarum provinciarum Principes perierunt. Fames multas provincias afflixit. Egestas & penuria undique prævaluit. Multa mala tunc temporis facta sunt. *Heinricus Imperator* his doloribus cordetenus compunctus infirmari cœpit, & perductus usque ad mortem, sapienti tamen usus consilio, ab omnibus, quibus potuit, veniam petivit. Quibusdam prædia, quæ abstulit, restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum *Heinricum* Romani Pontificis ceterorumque Pontificum & Principum electione *Regem* constituit. His & aliis, prout possibilitas vitæ admisit, benè dispositis, III. Non. Octob. hanc vitam præsentem in Deo finivit.

Anno Domini M. LVII. Ind. IX. *Heinricus filius Heinrici Imperatoris* admodum puer cœpit regnare. *Agnes Imperatrix* mater ipsius Heinrici *Ducatum* suscepit *Baioariæ*. *Victor Papa* multis in Germania bene dispositis, Romam rediit & eodem anno vitam finivit. Pro quo *Fridericus*, qui & *Stephanus, frater Godefridi Ducis*, jam Monachus in Monte Cassino factus, à Romanis *Pontifex* constituitur. Hic etiam eodem anno obiit. Item obierunt, *Adelbero Babenbergensis Episcopus* & *Ottho Dux de Suinvurdi*.

M. LVIII. Ind. X.

M. LIX. Ind. XI. *Liuppoldus Moguntin. Archiepiscopus* obiit, pro quo *Sifridus Fuldensis* constituitur. Sanctus *Cuno Trevirorum Episcopus* martyrizatur: in deserto loco à scopuloso monte ter præcipitatus est à *Theodorico Comite*, eo quod absque electione constitutus est; & sepultus est *Doleia*: ibi per illum Dominus multa signa tunc temporis fecit. Ipse Comes postmodum pœnitentiam agens, & Hierosolymam pergens, vitam finivit, & omnes consentanei ejus mala morte perierunt; pro quo *Dedo* constituitur.

M. LX. Ind. XII.

M. LXI. Ind. XIII.

M. LXII. Ind XIV.

M. LXIII. Ind. XV.

M. LXIV. Ind. I.

M. LXV. Ind. II. *Guntherus Babenbergensis Episcopus* obiit; pro quo *Herimannus* constituitur. *Gozwinnus Comes* ob exercitatam in Episcopio Wirceburgensi injuriam à militibus *Adalberonis Episcopi* occiditur.

M. LXVI. Ind. III. Cometa videtur, & *Anglia à Nortmannis* subjicitur.

M. LXVII. Ind. IV.

M.LXVIII. Ind.V.

M.LXIX. Ind.VI.

M.LXX. Ind.VII. *Dedi Marchio* Regi Heinrico rebellat.

M.LXXI. Ind. VIII. *Ottho Dux Baioariæ* regi Heinrico rebellat.

M.LXXII. Ind.IX. Conjurant Principes Regni contra Heinricum Regem.

M.LXXIII. Ind.X. Saxones *Hartesburg* destruunt; ubi Regis filii sepulchrum violant ossaque dispergunt.

M.LXXIV. Ind.XI. Alexandro Papa *Hildebrandus* successit.

M.LXXV. Ind.XII. Bellum juxta *Vnstrbut* committitur V.Id.Junii contra Regem Heinricum, ubi multi potentes ex utraque parte ceciderunt, & Saxones fugam inierunt.

M.LXXVI. Ind.XIII. *Concilium Wormaciæ* congregatur, ubi *Hildebrandus Papa* abdicatur.

M.LXXVII. Indict.XIV. Domnus *Anno Coloniensis Archiepiscopus* obiit II Non. Decembr. Qui ex fundamento *V.Congregationes* fecit, duas in Colonia, unam in honore sanctæ Mariæ, aliam in honore S. Georgii Martyris: & extra, unam in loco, qui vocatur *Grascabf*, & in alio loco, qui vocatur *Salevelt*: & unam in monte, qui vocatur *Sigeberg*, in quo feliciter requiescit. Pro quo *Hildolfus Episcopus* ordinatur. *Agnes Imperatrix* obiit. *Rudolfus Rex* constitutus est in loco, qui dicitur *Vorhheim*, & in media Quadragesima apud *Mogontiam* unctus est in Regem à *Sifrido Archiepiscopo*. Discordia inter Papam & Regem Heinricum renovata pro Regis inobedientia.

M. LXXVIII. Indict.XV. Bellum juxta *Srowi* commissum est VII. Id. August. *Hildolfus Episcopus Coloniensis* obiit; pro quo *Sigewinus* ordinatur.

M.LXXIX. Ind.I. Bellum juxta *Flatechom* commissum est v.Kal.Febr. *Hettilo Episcopus Hildenesheim* obiit. Sedit in Episcopatu annis XXV. Cui successit *Vdo* nobilis, ejus Canonicus.

M.LXXX. Ind.II. Apud *Brixinam Noricam* XXX. Episcoporum magnæque partis Optimatum Regni conventus contra *Hildibrandum* habetur. Bellum juxta *Elstret* committitur Id. Octobris, in quo *Rodolfus Rex, qui & Dux* occiditur.

M.LXXXI. Ind.III. Heinricus Rex *Romam* obsedit. Bellum inter *Liupoldum Marchionem Austriæ*, & *Conradum fratrem Ducis Boëmiæ* IV. Id. Maji. Item bellum inter *Suevos & Baioarios* juxta Danubium, loco, qui vocatur *Hobstetin*, III. Id.Aug. *Heinricus Rex* natus est, *junior* dictus.

M.LXXXII. Ind.IV. *Herimannus* regnum invadit, & à *Sigefrido Mogontino* ordinatur.

M.LXXXIII. Ind.V. *Roma* capta est ab Henrico Rege, & *Hildebrandus Papa* expulsus & pestilentia magna facta est. *Herimannus*, qui regnum invaserat *orientalem Franciam* hostiliter ingreditur.

M.LXXXIV. Ind.VI. Heinricus Imperator de Italia revertitur, & *Augusta* ab eo obsidetur & capitur. *Herimannus Babenbergensis Episcopus* obiit, qui ab Episcopio expulsus est. *Sigefridus Archiepiscopus* obiit in Thuringia & apud *Hasungun* sepelitur, pro quo *Wezelinus* constituitur.

M.LXXXV. Ind.VII. *Synodus Mogontiæ* apud sanctum Albanum habetur. Obierunt *Gregorius Papa, qui & Hildibrandus, Tietmarus Wormatiæ Episcopus, Herimannus Palatinus Comes*. Heinricus Rex *Saxoniam* vastat.

M.LXXXVI. Ind.VIII. Saxones cum Suevis *Werceburgh* obsederunt, ad cujus liberationem Imperator cum magna manu venit & bellum juxta *Bleibfelt* committitur. Sed Rege fugato *Saxones* urbem ceperunt III. Id. Aug. *Herimannus* nomen regium deponit, & ipse mox perit. *Wirceburch* à Saxonibus capta est, & mox ab Imperatore acquisita.

M.LXXXVII. Ind.IX. *Bertha Imperatrix* obiit. Pestilentia facta est.

M.LXXXVIII. Ind.X. *Wezil Mogonciacensis Archiepiscopus* obiit. *Bucco Halberstadensis Episcopus* Goslariæ occiditur.

M.LXXXIX. Ind. *XI. Marchio de Brandenburg Hildenseim* obsedit & *Episcopum Vdonem* in ea cepit. Bellum juxta *Glitho* castellum, in Thuringia juxta Erpesfort situm, inter *Imperatorem Heinricum & Ecgibertum Marchionem* in vigilia Domini die Dominica, in quo *Burchardus Losannæ Episcopus* occisus est. Obierunt Episcopi *Sigewinus Coloniensis, Ottho Radisponensis*. Constituuntur Episcopi *Herimannus Coloniensis, Ruothardus Moguntinensis, Emehardus Wirceburgensis* VIII. Kal. August.

M.XC. Ind.XII. Imperator *Italiam* petiit. *Herimannus Mettensis Episcopus, Liudolfus Dux* & *Bertolfus Dux filius Rudolfi* obierunt. *Eggibertus Marchio* occisus est. Domnus *Athelbero* vicesimus post beatum Burchardum sacro sanctæ *Wirceburg. Ecclesiæ Episcopus* III. Kal. Julii constitutus, vixit in Episcopatu annos XLV. menses III. dies VII. obiit Non. Octobris.

M.XCI. Ind.XIII. *Mahthilt de Longobardia* Heinrico Regi rebellat.

M. XCII.

M. XCII. Ind. *XIV. Conradus Comes* à Fresonibus occisus est, cum aliis multis XII. Kal. Aug. Et pestilentia magna hominum & pecorum facta est.

M. XCIII. Ind. *XV. Magnus Dux Saxonum* Sclavos rebellantes, XIV. urbibus captis, subegit. V. Aug. circa vesperam eclypsis Solis facta est III. hora diei & draco visus est. *Fratislaus Dux Boemiæ* in venatu de equo cadens subitanea morte discessit.

M. XCIV. Ind. I. Pestilentia magna facta est.

M. XCV. Ind. II. *Ladislaus Rex Pannoniæ*, vir piæ memoriæ, item *Liuppoldus Marchio*, & *Heinricus Palatinus Comes* obierunt.

M. XCVI. Ind. III. Populus innumerabilis ex diversarum gentium partibus duce quodam Monacho *Petro* nomine armatus Hierosolymam tendens, Judæos baptizari cumpulit, renuentes immensa cæde profligavit. Apud *Mogontiam Judæi* numero virorum ac mulierum & infantum mille & quatuordecim interfecti facti sunt & maxima pars civitatis exusta est. *Judæi* per diversas provincias Christiani facti sunt, & iterum à Christianitate recesserunt.

M. XCVII. Ind. IV. Imperator *de Italia*, ubi jam VII. annis manserat, rediit. *Conradus patri suo Heinrico* rebellat, & ob hanc injuriam *juniori filio suo* regnum injungit.

M. XCVIII. Ind. V. *Conradus Comes de Hohenburch* Regi rebellat, & idcirco expulsus est.

M. XCIX. Ind. VI. Imperator Radisponæ Pascha celebravit: ubi iisdem diebus magna mortalitas facta est, in qua *Rabbodo Palatinus Comes* cum aliis innumerabilibus moritur. *Conradus Trajectensis Episcopus* IV. feria Paschæ à negotiatore Fresico crudeliter occiditur. Obierunt Episcopi *Vdalricus Eichstadensis*, *Herimannus Coloniensis*, pro quo *Fridericus* constituitur. *Vrbanus Papa* qui & *Otto* obiit; *Paschalis* succedit. *Hierosolyma* à Christianis capitur. *Godefrido Duce* exercitum regente, & innumera millia Maurorum occiderunt, & thesauros Regis Babyloniæ occupaverunt. *Filius Imperatoris Heinricus levatur Aquisgrani*, *Conrado Rege*, cum inimicis patris sui in Italia consistente, & consentiente.

M. C. Ind. VII. Hiemps dura, & fames magna. *Vdo Marchio* & plures Saxonum, barbaros, qui & *Luittici* vocantur, invasit & honorificè triumphavit. *Athela Marchya* Romam pergens mortua est. *Godefridus Dux* obiit apud Hierosolymam; & non longè à sancto sepulchro conditus jacet, qui & exercitum Christianorum regebat. Pro quo *frater ejus Baldewinus* constituitur.

M. CI. Ind. VIII. Imperator Natalem Domini *Mogontiæ* celebravit, ubi multi Principes convenerunt; & consilium Imperatori dederunt, ut Romam mitteret Nuncios propter unitatem Ecclesiæ, & Papam constitueret secundum electionem Romanorum & omnium Ecclesiarum. *Comes Heinricus* gratiam Imperatoris acquisivit, & ipse Imperator *Marchiam Fresonum* sibi tradidit. Qui statim illuc pergens cum uxore sua, ipse interfectus est, & illa vix evasit.

M. CII. Ind. IX. Imperator Natalem Domini *Mogontiæ* celebravit, ubi *Heinricus Comes de Lintburch Dux* effectus est.

M. CIII. Ind. X. Imperator Natalem Domini *Mogontiæ* celebravit, ubi Principes convenerunt. Et in Epiphania Domini *Emehardus Wirceburgensis Episcopus* apud sanctum Martinum Missam cantavit: & inter Missarum sollemnia, quando Episcopus populum monebat, Imperator quasi corde compunctus Deo promittebat, pro delictis suis Hierosolymam pergere. Sicque Optimates Regni decipiebat. Cumque Principes ad ejus Curiam sæpe convenirent, nihil de republica agebant, præter quod sua ibi consummarent: propterea secum ficta fide versabantur, & adversus eum conspirabant. Sicque omnes Regni Principes decipiebat, ut nihil rerum veritatis in re publica ageret, nisi quod suis temporibus cuncta vilescerent. Multæ urbes & oppida ejus bello sunt destructæ: & Ecclesiarum Dei erat raptor; scilicet causâ reconciliandi Principes, illarum prædia distribuendo. Quid multa? nemo unquam talia in antiquis voluminibus repperit scripta, qualia inaudita perpetrarat facinora: & nisi mira Dei clementia eum sufferret, & ad pœnitentiam distulisset, terra eum vivum, sicut Dathan, absorbuisset.

M. CIV. Ind. IX. Erat in *Radisbona* in Natali Domini Imperatoris Curia, ubi *Comes Sigehardus* quoddam judicium super clientes injustè judicavit: ex qua causa ab eis est occisus. Vnde orta est maxima persecutio Imperatori à cognatis illius, & à cunctis Principibus Regni; quia si vellet ei subvenire, nequaquam esset interfectus. Cum verò ob id factum non paucos habere sentiret adversarios, circumquaque ab insidiis eorum vallatus, aptum evadendi cœpit inquirere locum. Tandem dicessit, & ut sanctum Pascha celebraret cum suis *Mogontiacum* venit. Sancto igitur Pascha inibi solemniter peracto *Leodium* venit. Quò venire debuerunt, *Comes Herimannus*, & *Magedeburgensis Ecclesiæ præpositus* vocabulo *Hartwigus*, *Comitis Engelberti filius*, Episcopus ibi constituendus. Cumque simul in via essent directi, ipsi suaque omnia à *Teodrico Comite de Saxonia* sunt captivitate detenti, & ne ad Curiam pervenirent impediti. Talia autem ab Imperatore comperta, nimis indignatus, circa festum S. Andreæ congregato exercitu, & filio suo comitante venit usque *Fridislare*; nam abinde debuit in Saxoniam pergere. Ibi nocte

quadam filius quosdam de patris sui familiaribus, *Herimannum* scilicet & alios assumens, quod est II. Id. Decembr. clam abcessit & Baioariam ire contendit. Comperto igitur discidio filii à patre, à *Thiepaldo Marchione* supra nominati *Comitis Sigebardi nepote*, gaudens cum cunctis regionis illius Primatibus obviam venit, & honorificè suscepit, optimumque duxit, ut Natalem Domini *Radispona* celebrarent. Post Natalem verò Domini Nuncios Romam direxit, quærens consilium ab Apostolico propter juramentum, quod Patri juraverat, numquam se Regnum sine ejus licentia & consensu invasurum. Apostolicus autem ut audivit inter patrem & filium discidium, sperans hæc à Deo evenisse, mandavit ei Apostolicam benedictionem per *Gebehardum Constantiensem Episcopum:* de tali commisso sibi promittens absolutionem in judicio futuro; si vellet justus Rex, gubernator esse Ecclesiæ, quæ per negligentiam patris sui deturbata est multo tempore. Mox, ut Apostolicæ consolationis verba percipit & banni solutionem à prædicto Episcopo, castellum, quod vocatur *Narenberc*, obsedit & suæ ditioni subegit. At pater mane comperto se privatum filio, nimio dolore constringitur, & *Mogontiæ* Natalem Domini celebraturus revertitur. Obiit *Joannes Spirensis Episcopus.* Rex *Halverstad* venit, & Canonicos, quos *Fridericus Episcopus* injustè expulerat, locis & rebus suis restituit, ceterique Canonici banno solvuntur, eò quòd Regis H. anathematizati Episcopo consenserant. Inde Rex adiit *Hildenesheim.* Cumque urbi appropinquaret, *Vdo Episcopus* cum paucis abiit. Canonici verò banno solvuntur. Ordinati sicut & ordinator ab officio suspenduntur. Post verò Episcopus Canonicorum consilio revocatus rediit, & banno solutus gratiam Regis obtinuit. *Northuson*, juvene Rege præsidente, *Rothardus Mogontinus Archiepiscopus*, & *Guichardus Constantiensis Episcopus* multis capitulis recitatis, Symoniacos à sancta Ecclesia eliminandos esse censuerunt.

M. CV. Statim post Epiphaniam Legatos direxit (Rex Pater) *Bawariam*, *Coloniensem* videlicet & *Treverensem Archiepiscopos*, & *Ducem Fridericum*, & *Erlolfum Cancellarium:* si quo modo possent reconciliare eum. *Filius* verò respondens, fatetur nulla ratione ei communicare posse, nisi prius purgaretur excommunicationis noxa, qua diu tenebatur Sedis Apostolicæ censurâ. Nunciis verò reversis, iter suum multa comitante caterva direxit *Turingiam*, ad locum qui dicitur *Erphesti*, ubi decenter à *Ruthardo Mogontinæ Sedis Archiepiscopo* suscipitur, & ibidem diem Palmarum, & sanctum Pascha in *Quidelenburc* celebravit. Eo siquidem tempore advenit *Patriarcha de Aquileia*, eos si fieri posset complacandi gratiâ: dicens, non audere sibi communicare, nisi se vellet Deo reum recognoscere, & omni Regno humiliare; insuper & Romanæ Sedi in omnibus obedire. Timebat enim ne & ipsum ejus astutis sermonibus deciperet, sicuti ceteros antea sæpe delusit. Idem Patriarcha Sanctum Pascha *Mogontiæ* celebravit, & post Pascha muneribus ab eo susceptis, ad propria remeavit. Post Pascha verò filius *Goslare* venit, & ibi *generale colloquium* cum Saxoniæ Principibus habuit, qualiter Dei adjutorio, & eorum omnium consilio sua deberet ordinare & Ecclesiam modis omnibus violatam purgare, & à scissione ad unionem redintegrare. Affuit etiam supradictus *Constantiensis Episcopus* Domini Papæ cooperator fidelissimus, qui Regem & omnes suos ab excommunicationis vinculo solverat, & quendam præsulem nomine *Widelonem*, qui omnium scelerum & immunditiarum, quæ pater egerat, spurcissimus auctor extiterat, ex Apostolica auctoritate deposuerat, & alium in locum ejus quem Rex & Clerus ejusdem loci elegit, constituerat. Interim verò visum est eidem *Gebehardo Apostolicæ Sedis Legato* & *Ruothardo Pontifici Mogontino*, in ebdomada ante Pentecosten habere *Concilium in Turingia*, in loco, qui dicitur *Northusun*, & Ecclesiam quantum potuissent ad pristinum revocare statum, & antiquam Patrum regulam ibi recitare: Scilicet invasores Episcopos, nec non & eos, qui tunc temporis intraverant symoniacè, vivos deponere, & sepultos effodere, & ab eis ordinatos manus impositionem à Catholicis recipere, & *uxoratos Clericos* nullum divinum officium celebrare. His ita divina inspirante gratiâ ritè dispositis, Rex assumptis Saxonibus, & Ruothardo Archipræsule Mogontino, qui diu à patre suo erat expulsus, post Nativitatem sancti Johannis Baptistæ ad Rheni fluminis ripam usque perveniunt. E contra verò pater, qui tunc Mogontiæ cum suis mansit, transitum negavit, & hos omnes maximè *Comitem Palatinum*, qui filio transmeandi promiserat apparatum, mercede corrupit classemque navium ad portum transtulit Mogontinum, manuque militum & civium ne transiret, prohibuit. At filius videns se patris potenciâ præventum, & se non posse transmeare Mogontinus Antistes Turingiam revertitur. Ipse verò *Werzeburc* adivit, &. Episcopum *Erlolfum*, quem pater suus ibidem constituit, deposuit, & *Rubertum* ejusdem Monasterii Præpositum fecit *Episcopum.* Cumque per dies aliquot inibi moraretur, ad *Radisbonam* iterum revertitur. Ad

Ad vincula verò sancti Petri pater ejus collecto exercitu insequitur eum; per Baiuvariam iter suum direxit, & hos omnes, quos poterat, qui filio adhærebant, vastando & igne cremando consumit & sic ad Radisbonam ire contendit, ubi filium esse cognovit. Vt autem filius audivit patrem ex improviso urbi appropinquare, vix abscessit, & fluvium qui dicitur *Regem* cum suis transvadavit. Cùm verò uterque eorum paulatim suos congregaret & *Dux Boëmiæ* patri in auxilium adveniret, Nuncii inter eos diriguntur, si quo modo possent ad pacem reduci. Sed cùm nulla spes recuperandæ pacis vel concordiæ foret, & pars suæ multitudinis pugnare non auderet, & filio nullo modo posset resistere, nocte cum paucis fidelissimis elabitur, & per Boëmiam, Saxoniamque cum magna difficultate saltuum & fluminum transcurrens revertitur *Mogontiam*, si forte transvadandi portum, ut antea, prohibere valeret. Statim filius cum suis patrem insequitur, & *Spiræ* venit ad Rhenum, Præfectumque Spirensem mercede conduxit & in vigilia omnium Sanctorum navium apparatum sibi accommodavit, & manu militum, ne quis obsistere posset, donec portum transmearet, obtinuit. In die autem omnium Sanctorum *Abbatem Hirsowecensem* sublimavit in *Episcopum Spirensem*. Vt autem compertum est Patri filium Spiræ ad Rhenum venisse, continuò illuc de Mogontia properans, sibi transitum præpedire jam sperans, illum cum suis transvadasse nimium stupefactus audivit, & mox eadem die nimio perculsus timore rediens, jejunus & nimis fatigatus *Mogontiam* venit. Altera verò die *Abbatem de Sancto Albano* nomine *Theodericum* Spiræ dirigit ad eum, obtestans eum per Deum, ut recordaretur se patrem ejus esse, & ne tam pertinaciter eum à Regno vellet repellere. Ille audire distulit, sed hoc illi mandavit, ut ab urbe vellet citus digredi, ne occuparetur ab inimicis. At ille quantociùs urbem egressus ad Castellum *Hamerstein* venit, ibique aliquandiu commoratur. Filius verò Mogontiam venit Legatos *Turingiam* post Episcopum mittit, & eum gloriosè sanctæ Ecclesiæ, à qua depulsus fuerat à patre, restituit. Post hæc pater videns multitudinem Principum ex omni Regno Mogonciam confluere, & Apostolici Nuncios debere interesse, & pro certo sciens, quia filius *generale colloquium* ibi vellet habere, cogitans si fortè posset aliqua ratione eorum voluntatem interrumpere, præmisit *Palatinum Sigefridum, Comitem Willehelmum*, qui adhuc conducti mercede secum remanserant, si fortè potuissent condictum placitum filii impedire, ipsumque post eos prædixit esse clam venturum. Cumque ad sylvam, quæ vocatur *San*, advenissent, & filium cum magno exercitu alia parte reperissent, eique minimè resistere potuissent, media nocte fugam inierunt. Ipse autem eos insecutus, ad *Confluentiam* venit. Ibi patrem ex alia parte fluminis invenit. Cumque ambo inibi convenissent, pater Nuncios misit ad filium, rogans ea quæ pacis sunt. Filius verò trans flumen ad patrem veniens, se pedibus filii sui advolvit: & quia filius & sanguis ejus esset recordari vellet, præmonuit. At contra filius patris genibus advolutus, rogabat ut Apostolico & omni Regno vellet obedire, quod si nollet cœlestem Deum patrem habere, & sibi terreno patri penitus ibi in præsentiarum vellet renunciare, promisit, sed minimè complevit. Cùmque talia, & his similia de statu Ecclesiæ & de salute animæ ejus sermocinaretur per totum diem, vespertino tempore uterque eorum ad hospicium redierunt: pater quidem incumbentibus noctis tenebris temptabat aufugere. Sed vallatus undique ab inimicis nequaquam poterat. Mane verò patre assumpto ad castellum *Pinguiam* venerunt & ibi illa nocte pernoctaverunt, & altera die quasi invitum in *Bekelenheim* deduxerunt castellum & in Vigilia Natalis Domini *Spirensi Episcopo* diligenter custodiendum commisit. Non balneatus, & intonsus, & ab omni Dei servicio privatus ibi per omnes sacros dies permansit. Sicque filius Natalem Domini celebraturus *Mogontiam* revertitur.

Romanorum XCVI. Heinricus Rex, patre expulso cœpit regnare anno M.C.VI. Ind. XIII. Imperator verò nimis cœpit lacrimare, & mœstus esse, & de peccatis suis sibi talia evenisse, timens sibi multò peiora à Principibus futura, rogat Episcopum Spirensem se præsentari, seseque consilio ejus & Magnatorum Regni cuncta facturum, promittit. Regalia & castella, quæ optima & munitissima habebat, filio tradere, ut saltem sibi prædia ad usus necessaria impenderet. Episcopus verò in Nativitate S. Joannis Evangelistæ Magonciam venit, ipse & Wizeburgensis Episcopus sacræ Vnctionis ordinem à Ruothardo Archiepiscopo acceperunt, & post Missarum solemnia cuncta, quæ à patre audierat, filio & cunctis Principibus enarravit. Cumque Regni Principes hoc audissent, condixerant convenire ad *Ingelenheim* II. Kalendarum Jan. Ibique Imperator est præsentatus. Regnum filio tradidit, atque omnium pedibus provolutus, præcipuè Cardinali Legato, Apostolicæ Sedis veniam & absolutionem banni precabatur, confitens se multo tempore

anathe-

anathematizatum esse à Papa Hildibrando, & injustè super eum constituisse *Wicbertum Papam*, & suis temporibus rem publicam nimis esse turbatam; & cuncta, quæ sibi objecerant, confessus est; excepto, quòd idola non adoraret. Cardinalis autem, qui inopinatè ad hæc facta convenerat, dicens, se nullo modo tam magnam personam suscipere; propter quem tanta mala in toto Regno sunt perpetrata, nisi ipsemet Apostolicus adveniret. Deposito verò patre filius *Mogontiam* cum Regni Principibus revertitur & propter regalia *Werinherum Comitem Hamersten* misit & nequissimum *Volcmarum*, qui fuit consiliarius patris, & omnium scelerum conscius, & in vigilia Epiphaniæ ea attulit, & à Ruothardo Archiepiscopo & omni Clero & populo honorificè suscipiuntur; & ea coram Principibus filio tradidit, ita dicens: Si non justus Regni gubernator extitisset, & Ecclesiarum Dei defensator, ut ei sicut patri suo evenisset. Imperator autem, ut vidit, sibi denegatam esse veniam, cogitans secum, quomodo excitaret vindictam erga rem publicam, *Coloniam* venit cum paucis, qui secum remanserant: civibus illis omnia quæ ei acciderant flebiliter enarravit. Deinde venit *Leodio*, ibique honorificè ab Episcopo & civibus est susceptus & consolatus. Convocavit ad se *Ducem Heinricum* & alios plures Optimates, eorum pedibus se advolvit petivitque ab eis auxilium, eventumque suum eis per omnia enarravit. Illi verò, ut audierunt ejus querimoniam, misericordiâ moti, super eum fidele sibi adjutorium promiserunt optimumque duxerunt, ut Pascha Domini cum eis ibidem celebraretur. Filius autem ut hoc audivit, nunciavit Regni Principibus ibidem convenire & placitum cum patre habiturum; movit exercitum magnum, venit ad *Aquasgrani*, præmisitque quosdam de exercitu ad flumen, qui vocatur *Mosa*, pontem sibi obtinere. Hoc verò audientes, qui patri auxilium promiserunt, scilicet *filius Ducis*, ex altera parte fluminis convenerunt. Instigante diabolo in Cœna Domini magna cædes facta est inter eos. Multi etiam per emersionem fluminis perierunt. Rex vero, ut comperit hoc factum, timuit ne inimici irruerent super eum. Declinavit inde, & ad castellum *Bunna* venit ibique sanctum Pascha, prout potuit, celebravit. Deinde vero visum est ei apud *Wangionem* civitatem placitum habere Pentecosten; ibique *Henricum Ducem* rebus publicis privavit. Pater autem cum gaudio magno *Leodio* Pascha Domini cum suis celebravit, & post sanctum Pascha iterum *Coloniam* revertitur, civesque illi cum juramento urbem sibi custodire promiserunt, ac deinde sicut edocti fuerant ab eo, intus & foris se oportunè munire cœperunt. Rex vero, ut vidit versutiam patris, & antiquam exercere malitiam, adversus R. P. magnum congregavit exercitum de omni Regno, & post festivitatem Sanctorum Petri & Pauli ad partes *Confluentiæ* venit: ibique collecto exercitu *Coloniam* venit, eamque obsedit. Colonienses vero ut boni milites stabant imperterriti, fortiter ei resistentes, & strenuissimè, qualiter numquam antea est visum, decertantes, & quidam genus hominum, qui vocantur *Gelduni*, quos *Dux Heinricus* eis in auxilium miserat, viri bellatores & strenui, & nimis docti ad prælia, idcirco ceciderunt multi venerati, & Regis exercitus minimè eis poterat prævalere. Cumque per tres ebdomadas ibi resideret, & nulla spes sibi acquirendi esset, amovit exercitum ad *Aquasgrani*. Erat enim æstas magna, & præ nimio fervore non poterat exercitus amplius sustinere laborem. Contigit autem interim Imperatorem *Leodio* ægrotasse, & perductus usque ad mortem *Kal. Augusti* diem ultimum clausit. *Gladium & diadema*, quæ adhuc secum habebat, filio suo misit, cum *Erkenbaldo fidelissimo Camerario suo*, & *Burchardo Episcopo de Monestere*, quem tunc vinctum tenebat, mandavitque ei, ut omnibus veniam daret & indulgeret, qui secum in angustiis permanerent; & rogans eum etiam *Spiræ* juxta parentes suos sepelire. Rex vero statim convocavit ad se Principes Regni, & quærit ab eis consilium, quid de patris exequiis esset facturus. Erat enim humatus, sicut Regem decebat, si apud Deum meruisset, apud *sanctum Lambertum Leodio* honorificè ab Episcopo, qui semper sibi extiterat fidelis in omnibus. Tunc Principes Regni sibi dederunt consilium, ut præciperet eum effodi, ne esset in eadem sententia, qua Pater, si ullas sibi faceret exequias; & in ædem non consecratam illum poneret & Romam nuncios mitteret & ab Apostolico banni solutionem, si fieri posset, sibi impetraret. Sicque factum est, ut prædiximus, & in quandam Mosæ insulam est positus, nullumque divinum officium ulterius super eum est factum, nisi Hierosolymitanus quidam Monachus casu venit, & sibi die noctuque usque, dum ibi stabat indesinenter Psalmodiam cantabat. Proh dolor! quod umquam talis persona ita meruit tractari à filio suo, & à Regni Principibus, & nisi adesset ultio divina, nequaquam in extremis suis ei sic eveniret. Post hæc placuit Regi, ut patrem suum *Spiram* deferret & præcipit de aliquibus familiaribus suis maxime *Erkanbaldo*, qui semper in angustiis suis sibi adhærebat, ut sibi illuc præberet famulatum. Cumque III. Non. Sept. illuc allatus esset, solito more defunctorum exequiis honorifice à clero & populo suscipitur & in *Basilicam sanctæ Mariæ*, quam summo studio construxerat, portabatur. Idcirco Episcopus interdixit

dixit illum divinum ibi celebrare officium, donec purgarentur ab hoc facto. Et sic extra Monasterium fecit corpus statui in *Capella nondum consecrata.* Vnde factus est tumultus & planctus magnus in populo, quia dilexit locum & populum præ omnibus. Post hæc multo tempore inhumatum corpus ab incolis ibi frequentabatur. Leodiensis verò Episcopus, cum aliis, qui Regi rebellaverant, cum viderent se esse destitutos morte Imperatoris, Aquisgrani ad deditionem venerunt: excepto *Duce Heinrico*, qui in rebellione permansit. His expletis, Rex cum magna ira reversus est Coloniam, præcepitque per omnes civitates Regno adjacentes congregare exercitum, ut sibi in adjutorium navigio venirent, ut se vindicaret in eis. Colonienses hoc audientes, nimis inde stupefacti & perterriti, & undique ab inimicis vallati, & in nullo spem habentes, promiserunt se Regi daturos VI. millia talentorum argenti. Rex vero dolens, quia multi cecidissent in obsidione, diu denegavit: tandem Deo inspirante concessit; & sic exercitus elabitur, & unusquisque cum gaudio ad propria revertitur.

Quinto die post mortem Heinrici Imp. *Comes Theodericus de Embike* Aquisgrani moritur. *Dux Magnus Saxonum* moritur, & *Ducatus Liutgero de Supelingeburg* commendatur.

MCVII. Ind. XIV. Papa ex *Synodi* sententia *apud Trecas Rothardum Mogontinensem Episcopum* ab officio suspendit, eò quòd *Vdonem Hildeshemensem* sine Ecclesiæ consensu restituit; & quia *Reinhardum* contra jura canonum *Halverstadensi Ecclesia* ordinavit. Similis sententia de *Guichardo Constantiensi* . . . . atur, quia his consensit qui *Godescalcum Mindensi Ecclesia* loco *Episcopi* intruserunt, & quia *Heinricum Magdeburgensem* ordinavit. Omnibus ibi Ecclesiis Apostolicus libertatem, ut ex præcepto canonum Prælatos sibi eligant, quos dignos viderint, restituit.

Rex Heinricus obviam *Papa Radisponam* venit, sed Papa non veniente, ibidem Natalem Domini celebravit; Pascha verò *Mogoncia* celebravit, indeque obviam Papæ *in confinio Lotharingiæ & Franciæ:* per triduumque Legatis invicem missis, infecto, pro quo venerat, negocio discesserunt; & Rex *Mettis* in Pentecoste fuit. Inde *Saxoniam* veniens, invenit ibi *ducem Boemia* patrià pulsum, quem reduci jussit in Ducatum per *Comitem Wicbertum.* His diebus, cum Rex esset *Goslariæ*, tonitruum cum fragore super eum dormientem veniens nocte excitatum perterruit fulmenque sequutum umbonem clypei ad caput ipsius positi, partemque gladii juxta latus ejus jacentis liquifecit, ipso illæso permanente. Deinde circa festivitatem omnium Sanctorum cum exercitu *Flandriam* petiit, & pacto cum *Comite illius Provinciæ Roberto* confirmato, *Aquisgrani* venit, ibique Natalem Domini celebravit.

MCVIII. Ind. XV. *Rex de Vngaria* contra Regem conspirare cœpit. Quod cum audisset Rex, collecto exercitu circa festivitatem S. Michaelis bello eum petit. Eodem anno Rex *Palatinum Comitem Sifridum* retrusit in custodiam.

MCIX. Ind. I. Henricus Rex Natalem Domini *Mogontia* celebravit, & post Pentecosten *Regem de Bolena* bello petiit, eumque nimis coartat. Eodem anno desponsavit *filiam Regis de Anglica terra. Rothardus Archiepiscopus* obiit. *Archiepiscopus Coloniæ Fridericus*, *Bruno Treverensis*, *Cancellarius Adelbertus*, *Comes Herimannus de Winceburch*, aliique Principes satis clari *Romam* cum pompa non parva vadunt, inter Dominum Apostolicum & Regem concordiam facturi. Domnus Apostolicus omni paternitate, omni mansuetudine eum se excepturum spondet, si ipse se ut Regem Catholicum, ut Ecclesiæ filium & defensorem, ut justitiæ amatorem sanctæ Romanæ sedi exhiberet.

M CX. Ind. II. Non Martii *Synodus gloriosa in Lateranensi Ecclesia* præsidente domino *Papa Paschali* celebratur. Prædicti Legati *Leodium* ad Regem veniunt, responsum Papæ referentes. Ibi *Rex Anglici Regis filiam sponsam suscepit*, quam in Pascha apud *Trajectum* regio more dotavit. *Expeditio in Italiam* ab universis Occidentis Principibus *Trajecti* collaudatur. Circa V. Non. Jun. stella adulta jam nocte apparuit, radios admodum longos versus Austrum de se effundens. Eclypsis Lunæ facta est II. Non. Martij. *Slavi* regionem *Albianorum* irrumpunt, multisque occisis & captis redeunt. Inde *Dux Liutgerus* permotus terram Slavorum hostiliter invadit, regionem prædabundus perambulat, novem urbes munitiores & opulentiores capit, obsidibusque ab ipsis acceptis victor redit. Circa assumptionem sanctæ Mariæ Rex regio apparatu *Italiam* ingreditur. Omnes civitates munitæ, omnia castella Regi subduntur.

M CXI. Ind. III. Rex Natalem Domini apud *Florentiam* celebrat. Quo peracto, II. Idus Februarii *Romæ* ab Apostolico honorificè excipitur. Datis autem utrimque obsidibus in Ecclesia beati Petri consident, super negociis Ecclesiasticis tractaturi. Dum hæc aguntur, factione quorundam tumultus in Ecclesiæ gradibus oritur. Vulnerantur plures, quidam trucidantur.

dantur. Quo audito à Rege, Concilium disturbatur; Apostolicus cum Cardinalibus regiæ custodiæ deputatur. Romani trans pontem ultra Tyberim diffugiunt. Eadem nocte tota civitas Lateranensis tumultu bellico concutitur. Orto mane, erectis signis Lateranenses unanimiter Regem ex improviso invadunt. Cubicularii verò Regis arma corripiunt, multitudini viriliter resistunt. Rex verò, & acies sua jam adaucta, quæ prius rara erat, venientes audacter invadit, occursantes multos obtruncat, cæteros fugat: plenaque victoriâ potitus, adducto secum Apostolico cum Cardinalibus versus *Albam* civitatem tendit: castra in campis urbi adjacentibus figit, ubi per totam Quadragesimam moratur. His ita gestis, Regis Optimates quidam communicato consilio Papam, qui adhuc in custodia regia detinebatur, adeunt, monent, orant, ut super Regis negocio mitiùs agat; injuriæ, si quam adversus Regem habeat, obliviscatur, fœdus cum Rege ineat; Regis sibi fidelitatem & obedientiam proponunt; omnimodo sollicitant, ut quæ pacis & concordiæ sunt, cum primoribus Regni disponere dignetur. Rex ipse pedibus ejus humiliter profusus veniam postulat, obedientiam spondet, dummodò ei in Regia potestate jure antecessorum suorum Catholicorum Regum uti concedat. Sicque sæpiùs domnum Papam, ut animi rigorem aliquantisper temperaret, attemptavit. Tandem Papa vincitur & cedit, & sic Romam honorificè redire permittitur. Igitur cum Cardinalibus ceterisque personis ad tale negocium dignis de consecratione Regis tractat. Statuta autem die, scil. Id. Aprilis in Ecclesia beati Petri Regem *Imperatorem* consecrat. Cùmque usque ad communicandum Missæ solemnitas esset celebrata, Apostolicus dato silentio Regem sic alloquitur: Hoc corpus Domini nostri, id est Christi, natum ex Maria virgine, passum pro salute generis humani, sit confirmatio veræ pacis & concordiæ inter me & te; & communicantes invicem osculati sunt. Post hæc Imperator Apostolicum regiis muneribus donat, à quo tanquam filius à patre salutatus dimittitur, Pentecosten *Veronæ* celebrat. VII. Id. Augusti cum frequentissimo Episcoporum aliorumque Principum conventu *patrem suum Regio more Spiræ sepelit.*

In Assumptione sanctæ Mariæ apud *Mogontiam Adelbertus, omnium Cancellariorum, qui ante eum fuerant in Aula Regis celeberrimus*, præsente Imperatore & consentiente, unanimi Ecclesiæ electione *Mogontinus Archiepiscopus* constituitur. *Palatinus Comes Sifridus* solutus honori suo restituitur.

MCXII. Imperator Natalem Domini *Goslariæ* celebrat. Dissensio *Liutgeri, & Marchionis Rodolfi* cum Imperatore. Vnde Principum sententiâ utrique damnantur. *Ducatus Ottoni de Ballenstad* committitur, *Marchia Elperico.* Imperator *Saltwidele* obsidet, ipsi non longè cum Imperatore pugnaturi cum exercitu manent. Sed bellica tandem rabie dissipata, prædicti Principes gratiâ Imperatoris utuntur. *Adelbertus Mogonciensis electus* regiæ custodiæ mancipatur.

MCXIII. *Reynhardus Episcopus Halberstadensis* & *Wicbertus*, infidelitatis apud Imperatorem secundò denotantur. Imperator absente Episcopo *Halverstad* venit; *Horneburch* obsidet. *Episcopus* verò & *Palatinus Comes Sifridus, Wicbertus* & *Comes Lothowicus*, cum Imperatore pugnaturi castris haud longè fixis manent. Sed deditione urbis facta, ipsique Episcopo die statuta, ut se, si posset, de objectis excusaret, bellicus ille tumultus solutus est. Imperator verò versus Rhenum vadit. Dum hæc aguntur *Wicbertus* ab amicis Imperatoris capitur. *Sifridus Palatinus Comes* occiditur. Quæ res Imperatori non modicam lætitiam contulit. Imperator *Wormaciæ* Pascha celebrat. Eò adducitur *Episcopus Mogontinus. Triveles* Imperatori redditur, denuò custodiæ mancipatur. Post Pascha Imperator *Goslariam* regreditur. *Reynberus Episcopus* interventu Principum gratiam Imperatoris obtinet: *Horneburch* concrematur.

MCXIV. Imperator Natalem Domini *Bavenberg* celebrat. Altera die post Epiphaniam collectis totius regni Principibus *nuptias filiæ Regis Anglici* cum ingenti gloria consummat, quales ante eum nemo Regum longo ex tempore disposuit. Ibi *Lothowicus*, qui se putabat bene in gratia Imperatoris esse, jussu ejus comprehenditur & custodiæ mancipatur. Quæ res multos Principum contra Regem exacuit. *Vdo Hildes. Episcopus* obiit.

MCXV. Imperator Natalem Domini *Goslariæ* celebrat. *Duci Liutgero, Episcopo Halverstadensi, Palatino Comiti Fritberico, Marchioni Rodolfo*, ut Curiæ huic intersint, edicit. Non veniunt. In præsidio interim *Walbike* commorantur. Imperator *Bruneswih* occupat. *Halverstad* devastat. *Orlagemunden* ab amicis ejus obsidione vallatur. Contra quos *Liutgerus* & Principes prædicti, adjunctis sibi *Fritberico Comite Westfaliæ, Henrico fratre suo, Heinrico de Lindburch, Herimanno de Cavelage*, tendunt. Imperator verò eis in loco qui dicitur *Welpesholt* occurrit. Ibique III. Idus Februarii acriter cum eo congrediuntur, & victoria plenè potiuntur. In Nativitate sanctæ Mariæ *Theodericus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter* cum frequenti Saxoniæ Principum conventu *Goslariam* venit, & quædam de Ecclesiasticis nego-

negociis utilia disserunt. Paucis diebus interjectis, id est, ante festum omnium Sanctorum, *Frideslar* conveniunt, quæ ad honorem regni & utilitatem sunt, tractantur. Sub eodem tempore Imperator *Mogontiam* venit. Cum subitò ejusdem urbis familia, tam nobiles, tam ministeriales ipsum adeunt, orant, ad omne servicium suum fidelissimos se amodò promittunt, dum Episcopum, quem jam triennio captum tenuit, eis reddat. Tandem precibus eorum victus, tum etiam quasi vi pro temporis articulo coactus, Episcopum eis reddidit.

MCXVI. *Theodericus Cardinalis* moritur, *Coloniæ* sepelitur, astantibus Episcopis XIV. cum *Liutgero Duce*, multisque aliis Principibus. In Nativitate sancti Stephani *Mogontinensis electus* ab *Ottone* venerabili *Bavenbergensi Episcopo* ordinatur. Magna aëris inæqualitas facta est. Circa Natalem Domini Luna clarè fulgente, alia orta est ab Occidente: Qua diu cum naturali Luna congressa, modò assultus, modò fugam utrisque simulantibus, obscurissima tandem nube tectæ sunt: qua recedente, naturalis Luna sola fulgebat, simul quoque conflictus in stellis visus est.

MCXVII. In Octab. Sancti Johannis Evangelistæ latè per orbem terribili & inaudito hactenus terræ motu terra concutitur. Maximè verò in Italia minax hoc periculum per multos dies continuè desævuit, adeò ut montium collisione & subversione *Edissæ* fluminis meatus per aliquot dies obstrueretur. *Verona* civitas Italiæ nobilissima ædificiis concussis multis quoque mortalibus obrutis, corruit. Similiter in *Parma* & in *Venetia* aliisque urbibus, oppidis, & castellis, non pauca hominum millia interierunt. *Vnstrot* fluvius alvei sui profundo sciffo ex toto absortus est terræ motu. Repleto autem ipso hiatu, licet post multa horarum spacia, solito fluebat lapsu. *Abbas Corbeiensis Erk*, pluresque de Saxonia Hierosolymam vadunt. Paucis ante Natalem Domini diebus cœlum post Solis occasum igneo colore latè resplenduit, nec longè post quasi radius Solis latè emicuit, Luna quoque prodigiale intuentibus signum edidit.

MCXVIII. Dominus *Papa Paschalis* feliciter ad Dominum migravit. Successor ei eligitur *Johannes* ipsius antea Cancellarius, qui & *Gelasius* dictus est. Imperator verò alium surrogat *Bacarensem* scilicet *Episcopum*, quem *Gregorium* vocaverunt. Quo facto, Johannes electus Apostolicus *Beneventum* secedit. Imperatorem cum *idolo suo*, (hoc enim nomine, quem ipse substituit, vocatus est,) omnesque huic parti consentientes excommunicavit. *Mogontini Archiepiscopi* milites, *Comesq. Heremannus* præsidium *Ducis Friderici* in *Oppenheim* diruunt, concremant, multique igni absumpti sunt. *Baldwinus Rex Hierosolymitanus* post multos pro Christiana Religione labores moritur, & juxta fratrem suum *Godefridum* sepelitur. Hierosolymitani alium *Baldwinum nepotem suum* in locum ejus substituunt.

MCXIX. Domnus Apostolicus *Gelasius* Synodum in Francia celebraturus apud *Cluniacum* moritur, ibique sepelitur. Cui *Archiepiscopus Viennæ* vir religiosus succedit, *Kalistus* nomine. *Imperator & Principes regni* in festivitate sancti Johannis Baptistæ conveniunt, & in concordiam redeunt. Ita tamen ut omnis causa, quæ hactenus Ecclesiam disturbaverat, & inter eos fomitem discordiæ ministraverat, in præsentiam domni Apostolici Kalisti differretur. Multi mortalium à lupis devorantur. *Calistus Papa Synodum Remis* circa festum S. Lucæ celebrat, cui *Adalbertus Mogontinensis Archiepiscopus*, pluresque Episcopi Germaniæ interfuerunt. Imperator non longè cum suis consistit, auditurus super synodalibus decretis: sed nihil quod ad reconciliationem pertineret, actum est: immo Imperator anathematizatus est.

MCXX. *Dux Liutgerus*, *Fridericus Palatinus Comes*, *Rodolfus*, & plures alii Imperatori reconciliantur *Goslariæ*. Fames valida: Modius siliginis duobus solid. ven.

MCXXI. *Dux Liutgerus*, *Comes H. de Winceburch*, numerosa & forti manu *Monasterium* vadunt pro restituendo *Theoderico Episcopo*. In qua restitutione incautè S. Pauli templum nobiliter constructum incendio conflagravit cum omni ferè urbis loco. Prædictus Dux omnes ferè urbis defensores tam nobiles quàm ministeriales captos abducit. His actis, *Dulmene* urbem munitam in deditionem accepit. Circa festum S. Michaelis in Sede Episcopali *Werciburch* Imperator & totius regni Principes conveniunt, & in concordiam redeunt judicio & consilio domni Apostolici causam Imperatoris determinandam reservantes.

MCXXII. Festo Natalis Domini vehementes turbines ventorum innumera ædificia & arbores à radicibus subvertunt & inundatio aquarum ex imbrium distilatione supra, quàm cuiquam mortalium credibile sit, evenit; multisque mortalibus summersis, his qui eva-

ferant, diuturni doloris causa extitit. Circa festum sanctæ Mariæ *Spiræ* conventus Principum fit. Ibi *Episcopus Ostiensis* vir religiosus *sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus*, consulente *Papa Calisto*, Imperatorem banno absolvit. *Imperator* verò, ut Ecclesiasticæ justitiæ satisfaceret, *investituras Ecclesiasticarum dignitatum S. Petro remisit: ita duntaxat, ut libera electione præcedente, & Canonum gravitate conservata, Imperialis autoritatis, quod sui juris est, in constituendis Episcopis sive Abbatibus vel Abbatissis non amitteret: & si in constituendis his dignitatibus discordia, ut sæpe fit, oboriretur, Imperialis potestas consilio Sapientium contrairet.*

MCXXIII. *Adelberto Bremensis Archiepiscopus* canonicè electus pro reposcenda pallii dignitate Romam vadit: ibi à domno Apostolico Calisto honorificè suscipitur, in Archiepiscopum ab eo consecratur, habitaque Synodo canonico & judiciario ordine *Pallium* obtinuit, *negligentiâ duorum antecessorum suorum amissum, & in Danos translatum.*

MCXXIV. Eclypsis Lunæ facta est Kal. Februarii. Magnæ molis grando cecidit VIII. Kal. Augusti. Eclypsis Solis facta est III. Idus Augusti. Magna fames accidit. *Calistus Papa* obiit, cui *Honorius* successit.

MCXXV. Imperator *Traiecti* infra hebdomadam Pentecosten obiit, corpus ejus *Spiram* defertur. In festo S. Bartholomæi omnes totius Imperii Principes *Mogontiæ* conveniunt, omnes unanimiter *Ducem L. in Regem eligentes.*

MCXXVI. Novus Rex Natalem Domini apud *Argentinam* celebrat, dehinc ad patriam redit. *Rotgerus Parthenopolitanus Episcopus* obiit, cui Northbertus succedit. Rex rapta acie admodum parva in Boëmiam pro restituendo *Ottone*, qui injustè privatum se honore prædictæ Provinciæ querebatur, tendit, incautè quidem. Tria enim millia, non plus, secum assumpsit. Hostium verò xx. millia aut ampliùs erant. Ducenti verò expeditiores Regem præcedebant, ad præcidendas *indagines silvæ, quæ Boëmiam à Saxonia disterminant,* dispositi. Cumque hi per invia & abrupta silvæ quasi repentes laborarent, tum nivium magnitudine, tum indaginum incisione fatigati, hostium insidiis ex improviso circumveniuntur. Obtruncantur ibi plerique terræ meliores, viri fortes & nobiles, domi militiaque clari. Rex expeditionem movet super *Fridericum Ducem Sueviæ* vel *Alsatiæ*, sed eo in munitiora terræ se recipiente, Rex infecto negocio redit. *Treveris* apud S. Eucharium reperitur *corpus S. Matthiæ Apostoli* subtus altare Johannis Baptistæ. Quo dignè locato, deinceps ab omni populo Teutonico maxima devotione colitur.

MCXXVII. Rex *Norinberch* urbem munitissimam obsidione premit. Sed nil relatu dignum actum est ibi. Sed sine effectu cum damno suorum inde rediit. *Heinricus Patherb. Episcopus* obiit, cui *Bernhardus* succedit.

MCXXVIII. Circa festum S. Johannis Baptistæ Rex expeditionem contra *Cuonradum fratrem Friderici Ducis* movit, obseditque urbem *Spiræ*, acceptisque obsidibus circa festum S. Martini discessit.

MCXXIX. Post Pentecosten Rex urbem *Spiræ* iterum obsidione vallat, quia fidem, quam superiori anno dederant, infregerunt.

MCXXX. Rex Natalem Domini cum multa frequentia Principum circa urbem Spiræ in tentoriis celebrat. Tandem Spirenses videntes constantiam Regis, fame coacti, sese cum ipsa urbe Regi tradiderunt in festo Sanctorum Innocentium. *Honorius Papa* obiit, cui *Innocentius* successit. *Burchardus de Lucca* occiditur; unde Rex contristatus & iratus, *Winteburch* castrum *Herimanni Comitis*, cui hujus cædis consilium & jussum imponebatur, obsidione circumdat.

MCXXXI. Rex Natalem Domini *Gandersem* celebrat. *Herimannus* consilio Principum cum prædicto castro Regis se potestati tradit. Quem Rex custodiæ deputat; castrum verò everti solo tenus imperat.

MCXXXII. *Translatio S. Godehardi* facta est. Circa assumptionem sanctæ Mariæ Profectio Regis in *Italiam* pro consecratione sua ab Apostolico apud Romam in Cæsarem. In quo itinere cum ad urbem *Augustanam* venisset, eam pacificè ingressus est. Sed quorundam civium factione seditio contra Regis homines exorta est; & hac de causa repentino igne, ut in tali tumultu fieri solet, civitas ferè tota conflagravit, & multi tam gladiis quàm flammis perierunt.

MCXXXIII. Rex Natalem Domini in Longobardia apud villam, *Madicinam* dictam, celebrat. Per Italiam pleraque loca munita sibi resistentia capit. Tandem II. Kal. Mai as *Romam* cum summo favore ingreditur; ibique II. Non. Junii, quo tunc dies Dominica extitit, Lateranis in Basilica S. Johannis Baptistæ à domino Apostolico *Innocentio in Imperatorem consecratur*. *Bernhardus Patherb. Episcopus*, qui tunc cum Rege aderat, usum *Rationalis* in celebrationibus Missarum, constitutis temporibus, & dedicationibus Ecclesiarum, seu ordinationibus Ecclesiasticorum graduum in proprio tantum Episcopatu sibi suisque successoribus à prædicto Papa Innocentio promeruit. Posthæc Imperator in reditu cum ad locum quendam venisset, qui propter situs angustiam *Clus*, quasi *præclusus* vocatur: quippe ex una parte excelsissimo monte adjacente, ex altera parte profundissimo flumine currente, via in medio, quatuor seu quinque itinerantium simul spacio patente. Et cum ibidem transitus Imperatori ab incolis negaretur, ipse miro eventu, & perspicuo Dei auxilio eundem locum celeriter irrumpendo, fugatis hostibus cum suis pertransiit, & urbem in supercilio ipsius excelsissimi montis positam repentino assultu cepit, & Principem ejusdem urbis captivum secum abduxit. Duo circuli, major & minor, circa solem apparuerunt III. Kal. Julii circa horam tertiam. Minor circulus ambiens principale templum Patherbrunnensis Sedis, & major circumdans civitatem, ibidem consistentibus videbatur. Ipsa die hora IX. ipsum templum cum omni ferè civitate, proh dolor! incendio conflagravit. Eclypsis Solis facta est IV. Non. Augusti, circa horam sextam, in tantum, ut Stellæ in cœlo apparerent. Magna inæqualitas aëris & pluviarum inundatio per totum tempus messis subsecuta est. *Rex Danorum* pluribus advenis Teutonicis terram suam incolentibus truncationes membrorum facit. Hac de causa Imperator super eum expeditionem movere intendit.

MCXXXIV. Imperator Pascha *Halverstad* peragit. Ibi *Rex Danorum* veniens sese *in potestatem Imperatoris tradit*, obsidesque dat, juramentum facit, *se successoresque suos nonnisi permissu Imperatoris successorumque suorum Regnum adepturum*, & *pulchro spectaculo, nullis retro temporibus audito, ipso secundo die Paschæ idem Rex Danorum regio more coronatus coram coronato de more Imperatore gladium ipsius portat.* Et sic in gratia Imperatoris repatriavit. *Northbertus Magdeburg. Archiepiscopus* obiit, cui *Conradus* successit.

MCXXXV. Dominica ante mediam Quadragesimam, scilicet XVI. Kal. Aprilis, frequens *Principum* ferè totius Regni *Conventus* fit *apud Bavenberg*, Imperatore præsente. Ibi Dei gratiâ aspirante, *Fridericus Dux Suevorum* comitantibus Principibus in concordiam cum Imperatore sociatur. In festo Pentecosten apud *Magadeburgum* primum Principes Regni coram Imperatore *firmissimam pacem* domi forisque ad X. annos juraverunt. In festo S. Michaëlis, in loco qui dicitur *Mulenhusem Conradus frater Friderici Ducis* Imperatori reconciliatur.

MCXXXVI. Irruptio *Slavorum* in partes Saxoniæ. Contra quos *Adalbertus Marchio* exercitum movens, terram eorum non semel hostiliter invasit, & depopulatus est. Circa Assumptionem sanctæ Mariæ expeditio Imperatoris in *Italiam*.

MCXXXVII. Imperator Natalem Domini, similiter & Pascha, in Italia celebrat. Pentecosten verò apud *Barum* cum generali Italicorum Principum. Ibi *Bruno Coloniensis Archiepiscopus* obiit; Cui *Hugo* Decanus S. Petri successit, qui & ipse post paucos dies ibidem obiit: ibi ambo conditi jacent. *Princeps Apuliæ Rozir* nomine, ob cujus insolentiam maximè Imperator Italiam intraverat, statuit castrum satis munitum in ipso latere civitatis Baræ, in quo castro multitudinem prædonum collocaverat, qui terra marique, quæque attingere poterant, inauditis miseriis & calamitatibus regiones opprimebant. Simili modo per totam ferè Italiam fecerat. Pentecoste celebrato Imperator castrum cum exercitu circumdat; quod nimio sudore expugnans igni tradit, soloque coæquat. Prædones comprehensi suspensi sunt circa turrim exustam, numero quingenti, vel eo amplius. Quo terrore omnis civitas, omnis munitio regiæ se potestati tradit. Exin Imperator in Calabriam transivit. Ibi Legati *Græcorum* ad eum magnificè veniunt: Quos ipse magnificentius suscepit ac dimisit. *Adelbertus Mogontinensis Archiepiscopus* obiit; post cujus obitum civitas una cum principali Templo igne concremata est. *Marchio Adelbertus* collecta valida manu hiemali tempore *terram Slavorum* prædabundus perambulat. Imperator rebus in Italia compositis in ipso reditu II. Non. Decembris obiit; Corpusq; ejus delatum in patriam sepelitur regio more in hereditate paterna, in loco qui dicitur *Lutheron*.

XLVI.

CHRONICON EPISCOPORUM HILDESHEMENSIUM,

ex Codice authentico ipsius Ecclesiæ.

PYppinus filius Angysi annis XXV. regnavit.
Karolus filius ejus annis XXV. regnavit.
Pyppinus annis XXVII. regnavit.
Karolus Magnus annis XLVII. regnavit, cui Leo tertius, qui dicitur excecatus, imposuit coronam imperii Romæ & laudes Christus vincit pro Papa & regibus & Principibus dicendas instituit in die ordinationis suæ.
Lodewicus filius ejus annis XXVI. regnavit.
Lodewicus annis V. regnavit.
Lodewicus annis VI. regnavit.
Karolus annis XIII. regnavit.
Arnulfus annis XII. regnavit.
Lodewicus annis VII. regnavit.
Conradus annis XX. regnavit.
Heynricus annis XXXVI. regnavit.
Otto annis XI. regnavit. Qui *Magdeburgensem Episcopatum* cum suis suffraganeis quinque instituit.
Otto annis XVIII. regnavit.
Otto annis XXIII. regnavit.
Heynricus annis XIV. regnavit, qui *Babenbergensem Episcopatum* instituit.
Conradus annis XVII. & menses VI. Qui Goslariensem congregationem de suo construxit.
Heynricus, Heynrici filius IV.
Rex hujus nominis dictus excommunicatur a IIII. Romanis Pontificibus Gregorio VII. & Victore III. Vrbano II. & Paschali II. anno incarnationis Dominicæ M. CVII. ordinationis suæ anno III. Regnavit autem post obitum Patris beatæ memoriæ Heynrici Imperatoris LI. In vigilia Epiphaniæ Domini in *Ingbelhem* regali curia in præsentia filii sui regis Heynrici hujus nominis V. in audientia multorum Principum regni, qui ab eo discesserant propter excommunicationem, & filium suum regem elegerant, absolutionem quæsivit a Romanis Legatis Richardo Albanensi & Ghebehardo Constantiensi, & non accepit, & ibi coronam & cætera regalia Principibus reddidit. Eodem anno VII. ydus Augusti obiit Leodii non absolutus.

I. *Karolus Imperator Magnus*, qui supremo vitæ suæ tempore Saxones diversis variisque conflictibus XII. demum bello ad fidem Christi compulit, & Dei auxilio Episcoporum consilio Christianam religionem super eos corroboravit, *Ecclesias* scilicet per loca *Patherburne*, *Corbeiæ*, *Mynden*, *Hildenesheim*, *Herstelle* & ceteras ædificari fecit. Et *Episcopatus ibidem futuros præordinavit*. Anno incarnationis Domini DCCCXIII. ad Christum migravit anno ætatis suæ LXXII. regni autem ejus XLIII. Imperii vero XIIII. cui filius ejus *Lothewicus* successit. Qui & eosdem Episcopatus juxta decretum Patris instituit, & ipse *Gunthalium primum Episcopum in Hildenesbem* ordinari fecit. Qui Episcopus primo suæ ordinationis tempore in cymiterio Capellam ædificavit, in qua postmodum sepultus cum suis successoribus quievit.

II. Huic successit *Reinbertus secundus Episcopus*, quo defuncto anno dehinc prædictæ incarn. Domini DCCCXXXV.

III. *Ebo Archiepiscopus Remis* deponitur, & in *Hildenesbem* Imperatoris clementia relegatur.

legatur. Qui XII. annis Ecclesiæ præfuit, & Episcopalem ordinem, ut sibi videbatur, exercuit.

Anno deinde DCCCXLVII. Incarnat. Domini *Altfridus IIII. Episcopus* ordinatur. Qui Ecclesiam regulariter regendo quicquid antecessor suus de sacris ordinibus temere usurpavit, decreto canonum rationabiliter annullavit. Idem præsul *Monasterium nostrum* in timore Domini inchoavit, & sub ipso inchoationis exordio criptam orientalem in honorem Sanctæ Mariæ Virginis consecravit. Qui & *curtes suæ proprietatis Saleghenstad* & *Asnede* nostræ Ecclesiæ condonavit. In quibus abbatias Salegenstad monachorum & Asnede virginum coadunavit. Ipse Episcopus DCCCLII. prædictæ incarnationis Domini anno cum *Luidolfo Gandeshemense Cœnobium* primo in *Brunesteshusen*, & IV. post hæc anno in *Gandesheim*, ut prænotatum est, inchoavit. Qui & Ecclesiam ibidem ædificare cœpit & *Hathamodam ejus Ducis filiam primam* Abbatissam ibidem ordinavit. Decimas etiam ex proprietate suæ Ecclesiæ ibidem pro exhibendo sibi servimine & censu in beneficium præstitit, & cetera ibi Christo famulantibus profutura ex suo paterna pietate providit. Qui XVIII. post anno *Hathamoda defuncta Gerbergam sororem ejus* Abbatissam ordinavit. Ipse etiam anno incarnationis Domini DCCCLXXII. suæ vero ordinationis XXVI. inchoatum Hildeneshem Monasterium Deo gratias consummavit, & divinæ Majestati in honore Sanctæ Mariæ sub titulo sanctorum Cosmæ & Damiani, Tyburcii & Valeriani & Sanctæ Virginis Ceciliæ devotissime dedicavit Kal. Novembris. Qui & tertio post anno, suæ ordinationis XXIX plenus dierum & vere plenus bonorum operum XVIII. Septembris scilicet in assumtione Sanctæ Mariæ in consortium Sanctorum veraciter assumtus migravit, & *Asnede* in sua Ecclesia, quam ipse inchoavit, consummavit, dedicavit, sepultus quievit ibi usque hodie in miraculorum virtutibus per plurima sanitatum insignia, ut eo loci commanentes veraciter affirmant, omnibus innotescit. Eodem etiam anno I. incarnat. Dni. DCCCLXXV. *Lodewicus Imperator* obiit filius Lodewici. Post Altfridum *Luidolfus* quidam Monachus Corbejus designatur, sed subita morte præventus aufertur. IV.

Marcquardus dehinc *quintus Episcopus* successit, qui etiam in Gandesheim trabes Ecclesiæ posuit, qui IIII. ordinationis suæ anno occisus est à Sclavis. Ipse juxta relationem veterum prædictas abbatias *Salegenstat* & *Asnide* negligenter amisit. V.

Anno deinde incarn. Domini DCCC LXXX. *VVicbertus Episcopus* electus est, qui in suo tempore *Medicinæ artis* peritissimus fuit, & *Bibliothecam*, quæ adhuc in Monasterio servatur, *propria manu* elaboravit, & pluralem utilitatem suæ Ecclesiæ prævidit. Ipse etiam utilitati fratrum consulens omnem substantiam Ecclesiasticæ proprietatis subtili sagacitate distribuens per villas, curtes, familias & decimas tertiã partem ad præbendam fratrum instituere decrevit, sed obitu præventus eandem inscriptionem successori suo complendam reliquit. Hic etiam anno *DCCCLXXXIII.* incarn. Domini & suæ ordinationis anno *IV.* consummatam Ecclesiam in *Gandesheim* dedicavit & Gherberga Abbatissa defuncta sororem ejus *Christianam* instituit ibidem. VI.

Hinc *VValbertus VII. Episcopus* successit, qui præposituram & præbendam fratrum, ut antecessor suas prætitulavit, fideliter instituit, & ambobus æternæ retributionis præmium coram Deo acquisivit. Ipse etiam Christiana defuncta *Roswidam Abbatissam* ordinavit. VII.

Post Walbertum *Sebardus VIII. Episcopus* præponitur, qui anno *DCCCCXXVI.* incarn. Dni. turrim occidentalem in *Gandesheim* dedicavit, & Roswida defuncta *VVendelghardam Abbatissam* ordinavit. Ipse etiam in nostro Monasterio altare sanctæ crucis & parietes & pulpitæ evangelium argento honeste redimivit. VIII.

Anno dehinc *DCCCCXXVIII.* Sehardo defuncto, *Thiethardus Abbas Herveldiæ nonus Episcopus* nobis ordinatur, qui inter plurima suæ pietatis indicia tabulam principalis altaris auro purissimo gemmis & lapidibus pretiosis ut hodie apparet decenter adornavit, qui & in Gandesheim novam Ecclesiam ad Monachas anno *DCCCCXXXVIIII.* incarn. Dni. in honore Sanctæ Mariæ consecravit. IX.

Quo ordinationis suæ anno *XXVII.* defuncto *Othwinus Parthenopolitanæ sedis Abbas decimus Episcopus* ordinatur, qui pluralem utilitatem suæ Ecclesiæ per *XXX.* annos providit, specialiter tamen curtem *Gysenheim* in utilitatem acquisivit, vinum etiam in summis festivitatibus per *XVI.* dies fratribus instituit. Ipse etiam pretiosum aurum & gemmas & lapides & margaritas in constructionem calicis & patinæ colle- X.

collegit, sed infirmitate præventus sub sigillo & fide Christi successori suo reservavit. Qui *XXX.* ordinationis suæ anno ad Christum feliciter migravit. Ipse etiam Wendelgharda defuncta, *Gherbergam Abbatissam* in Gandesheim ordinavit.

XI. Othwino Pontifici *Osdaghus XI. Episcopus* successit, qui ex sua hereditate & acquisitione curtem majoris *Aleghrimesheim* cum *XXX.* mansis in utilitatem fratrum instituit.

XII. Quo IIII. ordinationis suæ anno defuncto *Gerdagus XII. Episcopus* successit, qui etiam ex sua proprietate & acquisitione curtem minoris *Alegrimesheim* & *Sighbrettthehusen* fratribus ad *XL.* mansos donavit. Qui *III.* suæ ordinationis anno Romam adiit & inde rediens *VII.* Idus Decembris ad Christum migravit.

XIII. Deinde incarn. Domini *DCCCCXCIII.* *Bernwardus regius Capellanus XIII. Episcopus* Ecclesiæ nostræ constituitur. Qui ab exordio promotionis suæ quicquid acquirere potuit utilitati suæ Ecclesiæ fidelis dispensator prudenter impertivit; Aurum namque & Lapides, quos beatæ memoriæ Othwinus, ut prædictum est, reservavit, iste in calicem & patinam magnæ pulchredinis & pulchræ magnitudinis, sicut modo videtur, fabricavit & plurima utensilia, ut inter *vitæ suæ opera* inscribitur, suæ Ecclesiæ contulit. *Monasterium* quoque *S. Michahelis* construxit, & ex parte dedicavit, in quo & Abbatiam & congregationem Monachorum instituit. Quorum utilitati prædia & curtes & familias ad *CCC.* mansos condonavit. Fratrum etiam utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit, quibus curtem *Hemethesdoron* [Hemelesdeeren] cum sua possessione in familiis & decimis ad hæc implenda delegavit. Ipse etiam in Gandesheim, ut prænotatum est, à *VVilligbiso Archiepiscopo* & etiam ab *Aribone* varia vexatione fatigatus, tandem justitia dominante victoriam obtinuit & novum Monasterium ibidem in conspectu regis *Heinrici* & *VVilligbisi Archiepiscopi* Anno incarn. Domini *M. VII.* & suæ ordinationis *XV.* digne consecravit.

XIV. Ao. incarn. Dom. *M. XXII.* suæ vero ordinationis *XXX.* Beatus Bernwardus Episcopus ad Christum migravit, cui venerabilis *Godehardus Altahensis Abbas* successit. Qui omnibus exemplar justiciæ & humilitatis in finem perseveravit in omni religione sanctitatis. Qui sub initio promotionis suæ ab *Aribone Mogontiæ Archiepiscopo* super *Gandeshemensi Ecclesia* impetitur, & per aliquot annos varia vexatione irritatur; donec tandem anno Dominicæ incarn. *M. XXVII.* regno vero *Conradi regis IIII.* Imperii autem primo Synodo generali *Francanovordi* coadunata ipso Imperatore cum Episcopis *XXII.* præsidente diocesim & potestatem super Gandeshemense territorium Synodali decreto testimonio *VII.* Episcoporum canonice retinuit. Ipse etiam fratrum utilitatem in præbenda & vestitura clementer ampliavit. Ipse etiam in curte sua Hildeneshem veteri Ecclesia quam Othwinus Episcopus ibidem ædificavit dilapsa pulchrum *monasterium in honore ascensionis Christi* construxit. In quo Clericos plures in diverso studio *scripturæ* & *picturæ* rationabiliter utiles congregavit. Quibus de acquisitione sua victus & vestitus necessaria providit sufficienter. Sed pro peccatorum culpa idem Monasterium igne consumitur, congregatio dilabitur, utilitas ibidem collata in diversa distrahitur.

XV. Quo *XVI.* ordinationis suæ anno defuncto *Thitmarus regius Capellanus* successit, qui utilitatem Ecclesiæ suæ fratrum benigna dilectione in pluribus ampliare decrevit, sed peccatis nostris impedientibus non implevit. Cottidianam tamen præbendam fratrum ampliavit & prædium in villa quæ appellatur *VVengarde* à Walberto Presbytero acquisitum fratribus condonavit. Idem Episcopus primo suæ ordinationis anno *Sophia Gandeshemensi Abbatissa* defuncta, & *Adelheida sorore sua* ei subrogata, quando eam jussu Regis in eandem Ecclesiam introduxit ante altare & obedientiam & subjectionem sibi promittenti in æternam curam commendavit & decimas quas antecessores sui ibidem beneficii gratia præstiterant, banni sui autoritate repetivit, & easdem *Christiano Comite ejusdem Ecclesiæ Advocato* reddente recepit & sibi suæque Ecclesiæ in proprietate, banni sui autoritate communivit, astante *Hermanno Coloniensi Archiepiscopo* cum innumera multitudine Cleri & populi; easdem tamen decimas ibidem ad preces Archiepiscopi cum consilio sui Cleri & populi eidem altari & Abbatiæ repræstitit pro eodem scilicet servimine & censu, sicut *Beatus Bernwardus Episcopus antecessor* suus ibidem instituit.

XVI. Quo subita morte prævento *Azelinus regius Capellanus* ei successit, qui pluralem utilitatem suæ Ecclesiæ diversa acquisitione contulit, veruntamem ut, veremur,

mur, ante Dominum reus extitit, quod Monasterium nostrum igne consumtum inconsulte dejecit. Ipse etiam fratrum commoda sæpius ampliare decrevit, sed varia occupatione præpeditus tandem subitaneo obitu occupatus non implevit. Dedit tamen annulum pontificalem & dorsale bonum suo nomine inscriptum cum campana *Cantabona* vocata. Dedit etiam coronam auro & argento radiantem & coram principali altari pendentem.

Defuncto eo *Ethylo Goslariensis Præpositus* nostræ Ecclesiæ delegatur, qui vir tam literali scientia quam matre virtutum discretione conspicuus, opus quod antecessor suus in occidentali parte nostræ civitatis inchoaverat, quippe cujus magnitudo tenuitatem rerum nostrarum excessit, antiquo capiti Ecclesiæ, quam Dominus *Altfridus* in eodem loco divina revelatione fundaverat, novum corpus moderatæ compositionis mira arte conjunxit, quod postea procedente tempore prædiis de sua acquisitione donatum palliis, calicibus, corona imaginem cœlestis Jerusalem præsentante, cæterisque Ecclesiasticis ornatibus, insuper auro & gemmis pretiosiore decoravit, ipse etiam præbendas fratrum determinato non comprehensas numero sapienti consilio ad certum numerum L. scilicet redegit, & ut secundum regularem institutionem æqua omnibus portio daretur, quod usque ad id tempus consuetudo nostra non habuit, banni sui autoritate firmavit. Fuit quoque studiosus in honorando nomine Clericalis, diligentissimus in promovendis ad Spiritualia arma Clericalis militiæ pueris, juvenibus, quibus, quod verbo docuit, seipsum qualiter fieri oporteret, exemplum proposuit. Quam largus autem fuerit in Elemosinis ipsi adhuc pauperes testantur, quorum tamen hac discretione supplebat inopiam, ut prorsus ab his, qui utcumque parum operari poterant, vitiorum matrem extirparet desidiam, habet tamen in eo divina sententia, ut veremur, quid feriat, quia institutionem nostri ordinis in abbreviatione divini officii, in superfluitate vestium, in relaxando regularis vitæ districtionem non dico mutavit, sed mutantibus non contradixit. Parie enim reatu teneris, & errori consentire, &, ubi possis, illicita non prohibere. Deinde crescentibus rebus Ecclesiæ numerum Deo servientium studens augere in *honore Sancti Mauritii in Monasterio*, quod beatæ memoriæ V. Episcopus ædificaverat, sanctimoniales instituit, scilicet considerato hoc sexu tum oportunitate loci, tum natura ad peccandum proniore, ipsis ejectis *XX.* canonicos novo in Monasterio reposuit, quibus victus & vestitus necessaria procurans, *Cononem* consanguinitate sibi proximum, post Brissinensem Episcopum, ipsis præposuit. Jam autem instante ætatis suæ vespere vespertinum oblaturus sacrificium, in orientali nostræ civitatis parte prius domum belli, in domum pacis, adjuncto etiam novo opere commutavit & *XV.* Canonicis institutis habundeque illis necessariis provisis, *Adeloldo Præposito* Viro sanctæ memoriæ regendos commisit. Sed quia idem monasterium infirmitate præventus consecrare non potuit, *Burchardo Halberstadensi Episcopo fortissimo* in bello Ecclesiæ militi sub titulo Sanctæ Crucis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli consecrandum commisit. Quoad purum infirmitatis igne excocto, * prædicti Præsulis ammonitu, fratribus nostris ex corde pœnitens quicquid abstulerat decimas scilicet & curias *Wangarde*, *Lymbrike*, *Poppenburg* reddidit, & quæ longo tempore congregaverat, ipse ut prudens animal per manus pauperum domino offerenda promisit. Considerans enim impossibile esse multorum non exaudiri orationes; nullam in tota *Saxonia* congregationem prætermisit, quam non quantolocunque Karitatis munere honoravit. Ipse quoque de immutatione nostri ordinis facta confessione pœnitentiam accepit, & fratres nostros astantes sub attestatione divini amoris, ut in pristinum restitueret consulendo, præcipiendo ammonuit, ad cujus virtutis cumulum hoc quoque laudibus ejus placuit inserendum; quia pene omnibus Italicis & Teutonicis Episcopis inauditam & in omni Canonum serie non lectam Domini *Gregorii Papæ* hujus nominis *Septimi* damnationem subscribentibus, ipse quoque timore mortis subscripsit, sed quod scripserat, ut homo sagacissimi ingenii obelo supposito damnavit. Cujus quia subscriptionis pœnam & excommunicationem, scilicet hac pro inobedientia subsecutam, maxime nostro in tempore luimus, visum est socordiæ, tantam tanti viri sagacitatem, quæ se ab hac coram Deo absolvit, silentio præterire. Hic cum *Henricus Rex* hujus nominis *IV.* totam pene Saxoniam rapina vastaret & incendio, data infinita pecunia, ut ne XVII.

* Leg. fortes *excoctus*.

ne una domus in omni nostro Episcopatu combureretur, effecit. Si quis autem objiciat pro eo non orandum, quem excommunicationis pœna diximus innodatum, certissimè sciat *Adalberonem Werzeburgensem Episcopum* cum *Eilberto Mindensi Episcopo* autoritate Apostolica Corbejæ absolvisse, nec postea eum corpore, nunquam autem animo excommunicatis communicasse. Obiit autem beatæ memoriæ dominus Hettylo Episcopus Ao. Dominicæ incarnationis MLXXVIIII. Ordinationis vero suæ XVII. * & in Monasterio *Sancti Mauritii*, in loco, quem ipse sibi præfoderat, requiescit. Cujus quia adhuc in nostra congregatione plurima vivunt beneficia, ejus quoque apud nos nova semper & celebris vivit memoria.

XVIII. Huic *octavus decimus Episcopus Vdo* successit, qui Ecclesiæ nostræ *XXXIII.* annis præfuit, hic ut omnium pace dicatur, cum oblectamentis temporalis Vitæ nimis indulgeret, justo Dei judicio condignas levitatis suæ pœnas exolvit. *Eiberto* namque *Marchione* Episcopatum nostrum incendiis ac rapinis atrociter invadente, & muros urbis gravissima obsidione coartante, idem Episcopus ob tutelam sui & defensionem Ecclesiæ, decimas, quæ omnes fere illi vacabant, aliasque Ecclesiæ possessiones coactus est militibus impertiri, & quod magis perniciosum est mulctas, pœnas videlicet pecuniarias pro criminalibus culpis institutas, hominibus suæ ditionis relaxare. Extremo tamen vitæ suæ tempore moribus sincere correctis prædia quædam suæ proprietatis cum ministris ad jus Episcopale contulit, quæ vero in *Bocholte* titulo hæreditariæ successionis possederat, & quod in *Witisleve* à quodam Godeschalco emtionis nomine acquisiverat, ad opus fratrum delegavit. Insuper ut filiæ fratris sui *Elika* & *Adelheidis* venerabiles Abbatissæ prædium suum in *Hevenbusen* cum omnibus suis attinentiis Ecclesiæ nostræ largirentur, effecit. Post hunc *Bruniggus* Goslariensis Decanus ætate maturus & industria conspicuus Ecclesiæ nostræ delegatur. Qui Episcopatum quidem nostrum IIII. annis gubernavit, sed cum à *Moguntino Adelberto* consecrationem nollet suscipere, Episcopatum resignavit & ad Ecclesiam Sancti Bartholomei cui quædam de bonis Episcopatibus, quædam de rebus proprietatis contulerat, sese transtulit, ibique diem exitus sui Deo devotus expectavit.

XIX. Dehinc *Bertoldus* venerabilis vir Præpositus Cleri plebisque consensu Ecclesiæ nostræ præficitur, qui & officio Ecclesiastico excellenter eruditus, & religiosæ conversationis studio præclarus religiosas quasque personas omnibus modis suæ aggregare nitebatur Ecclesiæ. Ipse sacras Virgines in Episcopatu nostro primus inclusit, & *Clericos*, quos *regulares* vocant, introduxit, ejusdemque ordinis præposituram in *Banchenrothe* & de suis & Episcopalibus bonis instituit. In capite etiam Sanctuarii principalis Ecclesiæ opus elegantis structuræ ædificavit.

XX. Huic *Bernhardus Episcopus* successit, qui primum magister scolarum, deinde Ecclesiæ præpositus pari desiderio Cleri & populi supra modum renitens in Episcopum eligitur. Electus autem sicut vir literatura ac discretione omnique virtutum decore conspicuus, dispersa congregare & congregata conservare & habita modis competentibus augmentare curavit. Abbatiam siquidem *Ringelemensem* prius regalem, nunc vero Episcopalem *Conrado Rege* consensu Principum donante, in perpetuũ sibi & successoribus suis obtinuit, ac præposituram in *Alsburg*, cum ante non totam possideret, *Heinrico Duce* partem suam conferente, integraliter bonis proprietariis Ecclesiæ nostræ coadunavit. In honore quoque *beati Godehardi Episcopi* nostri & Confessoris vere *Sanctorum Catalogo* ascripti, cujus ipse *translationem autoritate Innocentii PP. & conniventia Remensis Concilii* solenniter celebrarat, *Monasterium* in Australi parte nostræ civitatis construens dedicavit & dotavit, ac fratres monasticæ professionis inibi Deo servituros constituit & eis *Fridericum primum Abbatem* præfecit. Ipse fratrum utilitati pie prospiciens partem prædii quod in *Walesbusen* habebat, in augmentum præbendarum contulit. Prædia vero quæ venerabiles *Abbatissæ Adelheidis & Elika* Ecclesiæ contulerant, hac moderatione fratribus impertivit, ut curtes & litones usui fratrum cederent, ministeriales vero curiæ Episcopali curialium more deservirent, sic tamen ut ministerialium absque herede decedentium bona seu beneficia fratrum bonis semper accedant. Nec hoc silentio prætereundum est, quod

* Ad marginem recenti manu hæc erant scripta: *Nota, hic denarius numerus deest; Consecravit enim templum cathedrale à se ædificatum Ao. 1061. ordinationis suæ anno nono; præfuit itaque annis 27.*

quod curtem nostram in *Embreke*, qua longo caruimus tempore, sagaciter requisivit & fratribus reddidit, & inde quatuor servitia fratrum consilio dari ordinavit, duo fratribus *sancti Mauritii* & *sanctæ Crucis*, in Ascensione & in Pentecosten nobiscum in refectorio; unum in Apostolorum Petri & Pauli festo, quartum in ipsius *boni Comitis Thietmari*, qui eadem bona nobis contulit, anniversario. Et ut fratribus affectum fraternæ dilectionis in omnibus declararet, medietatem oblationum altaris beatæ Mariæ, & tertiam partem eorum, quæ ad beatum Godehardum offeruntur, itemque oblationes sepulchri cum omni integritate, domino *Hermanno Thuringo* venerabili Presbytero interveniente, fratribus erogavit, & ne rerum necessariarum defectum sentire cogerentur, instituit, ut per licentiam absentibus per XV. dies plenaria præbendarum portio, præter vinum ministretur, quando autem vinum deest, X nummos pro vino dari, cum ante septem darentur, ordinavit. *Castrum* etiam *Winzenburg* funditus dirutum, ut sibi ad tutamen Ecclesiæ reædificare liceret ab *Imperatore Lotario* impetravit, quod & reædificavit, & ut Ecclesiæ & sibi & suis successoribus & absque alicujus invasione liberum permaneret, duorum Romanorum Pontificum *Innocentii* & *Eugenii* magnorum in Christo virorum banno firmari rogavit. Ipse etiam ligneam turrim vetustate dirutam amovit, & novam non modico sumtu reposuit, deditque vas crismatum argenteum & dorsale valde bonum, quando *Imbrike* fratribus resignavit, in testimonium. In Dominica quoque Episcopalia aurifrigiis decenter ornata de suo Ecclesiæ comparavit annulosque duos Pontificales suo nomine inscriptos unum Topasio aliisque gemmis cum margaritis circumpositum. Alterum quadrangulum Jacintho optimo radiantem Beatæ Mariæ obtulit. Qualiter & Monasterium nostrum campanis & picturis adornaverit, coram omnibus elucescit. Prærogativam denique Episcopalis officii, quam in *Gandeshemensi Ecclesia* sui antecessores Episcopi videlicet Hildeneshemenses habuerunt, toto vitæ suæ tempore quiete possedit. Nam dominam *Luithgardam* dominæ *Berthæ*, Abbatissæ subrogatam *Goslariæ* in curia *Imperatoris Lotharii* in Ecclesia Beatorum Apostolorum Symonis & Judæ, promissa sibi debita obedientia manu propria consecravit. Qua defuncta dominam *Adelheidam* illi ritè substitutam oculorum cæcitate præpeditus per manum domini *Bernhardi Palburnensis Episcopi*, in Gandeshemensi Monasterio præsentialiter sibi obedientiam promittente, fecit consecrari. Obiit autem anno Dominicæ incarnationis MC LIII. suæ vero ordinationis anno XXIII. & in Monasterio beati Godehardi requiescit.

Post obitum Domini B. *Bruno* Decanus Vir bonus & providus Ecclesiæ nostræ præficitur. XXI. Qui rebus Ecclesiæ conservandis ac meliorandis annis X. totum se inpendit, quibus ipse præfuit. Tectum & pavimentum principalis Ecclesiæ erogatis fere L. marcis meliorari fecit. Officinas domus & curiæ Episcopalis dilapsas reparavit. Castrum quoque *VVinzenburg* non modico sumtu turre firmissima communivit. Contulit autem ad ipsum armarium totum *testamentum novum & vetus* utrumque *glossatum*. *Expositores* & *Historiographos* ac *divinorum librorum tractatores* nec non *libros Physicæ* aliosque quam plures suo nomine insignitos. Ornatum vero adauxit Ecclesiæ, casulam de examito ornatam aurifrigio, dorsale de pallio, infulam, chirothecas, sandalia nova & alia usitata, capsam cum reliquiis & pedem Crucis conferendo. Obtulit præterea ad præbendam fratrum tres mansos & dimidium & duas areas in *Eilstringhe*. Tres mansos & tres areas in *Solesze* cum octo mancipiis ac cyphum argenteum septem marcis comparatum.

Episcopo Brunone defuncto *Hermannus* præpositus Sanctæ Crucis communiter ab omnibus electus à fidelibus Ecclesiæ, consulto tamen prius Imperatore, qui XXII. eo tempore in Italia morabatur, Sacramentum fidelitatis suscepit, cunctisque negotiis suis & commodis circa reditus Episcopales libera potestate dispositis cum militia Dominum Imperatorem in Italiam secutus regalium investituram apud Papyam adeptus est. In Episcopatu denique constitutus sociam semper habens humilitatem cum timore Dei & omni mansuetudine subditos sibi gubernabat, erga fratres tanta usus benevolentia, ut tertiam partem sacrificii in Choro sancti Godehardi circa initium suæ promotionis ipsis largiretur. In *memoriam* quoque *omnium fidelium animarum*, quam ipse *primus* in Ecclesia nostra celebrem fecit, tres mansos in *Sutherem* & molendinum de patrimonio suo fratribus assignavit. *Gandershemensem Ecclesiam* incendio depravatam, sed studio *Atheleidis* Abbatissæ reparatam *Hartwico*

wico venerabili *Bremensis Ecclesiæ Archi-Episcopo* multisque aliis Episcopis cooperantibus solemniter dedicavit. Nec unquam in Ecclesia Goslariensi aliquam contradictionis molestiam sustinuit, adeo ut in quadam solenni curia Goslariæ celebrata, cum ipse adhuc Diaconus esset, & plerique Episcoporum, utpote *Moguntinus Conradus* & *Reinaldus Coloniensis* similiter in diaconatu constituti & simplici electionis honore pollentes, suscipiendi dominum Imperatorem in processione & sermonem faciendi ad populum ex officio suæ dignitatis, Hildeneshemensis electus, onus & laborem ibidem subire cogeretur. Post aliquot annos suæ promotionis quidam sui fideles, quia eorum usque quaque voluntatibus nolebat esse obnoxius, tantis rapinis & incendiis demoliti sunt Episcopatum, ut ab hac calamitate tertia pars Episcopatus vix immunis remaneret. Consilio tamen domini Imperatoris & Principum ejus, hac utcunque sedata commotione, dominus *Hermannus Episcopus* per consensum fratrum *ad sepulchrum Domini* profectus est, in qua profectione præter alios labores naufragium passus ad tantam devenit inopiam, ut tantus princeps genere & dignitate præclarus publicæ mendicitati subjiceretur. A *Patriarcha* tamen *Ierosolymitano* & ab aliis terræ illius religiosis pie susceptus, benigne habitus & honorifice dimissus reditum in Patriam suam acceleravit. Veniensque benè sospes in Italiam ibi ægrotare cœpit & apud Secusium fide plenus defunctus est & ibidem sepultus (*)

XXIII. *Adelogus* Præpositus Goslariensis post decessum Hermanni Episcopi ab omnibus electus est, qui pluribus, ut in privilegiis suis continetur, fratrum commodis pie prospiciens in præstatione Castri *Honburg*, quod ipse alienatum ab Ecclesia per *Heinricum Ducem*, Domino *Friderico Imperatore* cooperante, datis pecuniis requisivit, duos mansos in *Watrinkehusen* & *VVestenhem*, X solidos solventes, à duobus fratribus *Ludolpho* videlicet & *Adolpho*, qui partem ejusdem castri in beneficio susceperunt, & ab aliis duobus fratribus *Bodone* & *Bertoldo*, qui suam nihilominus partem ab Episcopo feudaliter perceperunt, X. marcas ad emendum prædium in opus fratrum dari ordinavit. Prædium quoque *Comitis Ottonis de Asle* à vidua ipsius Comitis domina *Salome*, quod ad ipsam legitima successione devolutum erat, sua filia consentiente aliisque suis heredibus legitimè consentientibus multis laboribus & magnis impensis comparatum cum omnibus suis attinentiis mediante *Domino Friderico Imperatore* & factum Episcopi modis omnibus corroborante Ecclesiæ nostræ acquisivit. Mansos autem VII. & VIII. jugera in *Stenem* ad idem prædium pertinentes & tunc temporis sibi vacantes ad usum fratrum sub ea determinatione deputavit, ut, redemtis bonis ac pignoribus Ecclesiæ in Emtionem eorundem prædiorum obligatis, tunc demum liberam utendi eis habeant facultatem. Præstitit insuper mutuo duobus fratribus *Ludolfo* & *VVilbrando* sexaginta marcas argenti, quando Ierosolymam proficiscebantur cum domino Imperatore, Castro Ecclesiæ *Halremunt*, quod ipsi de manu Episcopi beneficiario munere tenuerunt, loco pignoris recepto & aliquot ministerialibus suis ac interposita pactione ut eædem prædictæ marcæ redemtis pignoribus ab heredibus prædictorum fratrum in usum Ecclesiæ debeant pervenire. (**) *Consuetudines* præterea *quasdam & quædam jura Ecclesiæ, quæ ante tempora sua scripta specialiter comprehensa non habuimus*, ne in posterum aliqua possent malignantium iniquitate convelli, *scripto comprehendit*, & alia quædam ante non habita clementi bonitate superaddidit, quod videlicet nec ipse nec aliquis successorum suorum Episcoporum sine consilio discretorum fratrum, vel magna negotia diffinire, aut beneficia majora locare, sive redditus mensæ suæ, si forte necessarium fuerit, pignori obligare vel ullo modo alienare præsumat. Item ut ex depravatione monetæ congregationes in præbendis suis detrimenta nulla sustineant, statuit & banno firmavit, ut XXIV. solidi marcæ examinati argenti semper æqualiter respondeant. Firmavit etiam archidiaconis Synodalia, quæ de Ecclesiis sive capellis suis, quæ in eorum potestate consistunt, post obitum sacerdotum, qui de manu Episcopi Ecclesias easdem sive capellas tenuerunt. Testamenta quoque fra-

(*) Hactenus Chronicon Hildenesheimense scriptum fuit manu ejusdem viri, qui nomina Episcoporum usque ad *Adelogum* inclusivè præposuit, unde Autorem Adelogo coætaneum non vane conjicias; quæ vero sequuntur, aliquanto recentiori manu exarata sunt.

(**) Sequitur alia manus priore aliquanto recentior.

fratrum, quæ ipsi fecerint, vel quæ ex aliorum testamentis legata fuerint, in perpetuum donavit & banni sui autoritate munivit. Instituit quoque quod nec ipse nec aliquis successorum suorum Episcoporum bannum vel Ecclesiam aliquam alicui Ecclesiæ in Episcopatu nostro constitutæ sine consensu & consilio fratrum perpetuo possidendam debeat conferre vel donare: & cum fratres ab Antecessoribus suis Episcopis nostris id gratiæ percepissent, ut ad bona obedientiarum suarum tuenda Advocatum, qui sibi videretur idoneus, eligerent, qui tamen ad prædicta bona pro litibus decidentibus non nisi vocatus debeat accedere. Prædictus Pater & Episcopus noster amplioris benevolentiæ nobis munus impertiens super memorata fratrum bona Domino *Fritherico Imperatore* consentiente ab Advocatis penitus absolvit, & omne jus decidendarum causarum sive per se sive per amicos suos in obedientiarum transtulit, & villicationes præposuit nostræ, *Hisnem* videlicet, *Hasen* & *Lusbike* ab intolerabili jugo advocatorum in perpetuum absolvens Præposito regendas commendavit. Contulit etiam Ecclesiæ campanam valde bonam, & duo candelabra longa & ad sartatecta principalis Ecclesiæ fere XX. marcas impendit. In Gandershemensi Ecclesia toto vitæ suæ tempore officium Episcopale liberè in omnibus exercuit. Nam domina *Luitgarda* defuncta dominam *Adelheidam* illi canonicè substitutam in eodem monasterio consecravit, synodum & crismatis consecrationem ibidem quotienscunque voluit, celebravit. Obiit autem Anno Dominicæ incarnationis M. C. nonagesimo, & sepultus est in medio criptæ principalis Ecclesiæ.

Berno XXIV.

Huic successit *Berno Episcopus* qui primo Magister Scolarum, exinde Ecclesiæ nostræ Decanus unanimi cleri electione & totius populi consensu Ecclesiæ nostræ præfectus est. Electus autem sicut vir prudens & providus & literali scientia præditus, ita Episcopatum temporibus suis administrare curavit, ut & honestæ rerum acquisitioni & earundem conservationi decenti omnimodis intenderet. Ipse enim præter multas Imperiales expensas, parvo tempore, quo Ecclesiæ nostræ præfuit, in reddituum mensæ episcopali absolutione & in bonorum, quæ ab Episcopatu nomine feudi tenebantur & patenæ majoris calicis redemtione DC. & eo amplius marcas impendit, fratrum etiam utilitatibus non minus studens & commodis IV. mansos in *Olem*, à manu Laica non modicis suis expensis expeditos, præbendis fratrum consensu Episcopi assignavit, & de his tribus septimanis panem in refectorio, sicut consuetum est, dari instituit. Dedit etiam in redemtione decimæ in *Hoctenem* tertiam partem pecuniæ; de ea annuatim tria talenta dari disponens, de quibus in aniversarii sui die cuilibet præbendæ IX denarios assignavit: & eodem die ad sepulchrum suum honestum cereum & XX. solidos ad eleemosynam majorem ordinavit, castrum insuper *Halremunt* sibi vacans, dum propter plurima, quæ ipse sicut vir prudens advertit, in feodandum decerneret, multa consilii sui maturitate promovit, ut & Episcopatui plurima, quæ non habebat, accederent, & præbendis fratrum XXX. solidorum redditus accresceretur. Contulit etiam Ecclesiæ veteris ac novi Testamenti libros glossatos & magno Scolasticæ diligentiæ studio elaboratos, hoc etiam laudibus ejus placuit adjacere, quod omnes (*) præpositura *Montis Sancti Petri in Goslaria*, diu à Laycis ex negligentia præpositorum mirabiliter occupatos multis laboribus & innumeris expensis, sicut vir prudens & strenuus integraliter absolvit, & ne deinceps obligetur, auctoritate Apostolica communiri fecit. Quam beneficus autem in fratres ejusdem loci fuerit, laudabilia ejus facta testantur, apud quos celebris & digne laudanda vivit memoria. XXIV.

Conradus XXV.

Conradus Cancellarius frater noster, qui primum nostræ Ecclesiæ Episcopus deinde *ad Erbipolensem Episcopatum translatus*, in ipsa civitate propter justiciam occisus est. Ipse Ecclesiæ nostræ ornatum decenter ampliavit, dedit enim tres casulas, unam de examinato rubeo, aliam de candido, tertiam de purpura violatia, omnes ornatas XXV.

(*) Omissum est *reditus* aut simile quid.

ornatas aurifrigio; duas dalmaticas, unam ex amito rubeo, alteram de candido, albam bonam ex amito candido. Tres pallas altaris, duas de purpura rubea, unam de auro circulatam, aliam stellatam, tertiam cotidianam in altari; cortinam bonam, quæ suspendi solet in aquilonari parte sanctuarii, purpuram unam villosam, sex cappas, tres de examito rubeo, tres de albo, duo scrinia pulchra ex auro & gemmis, duas portiones reliquiarum Sancti Stephani & Sancti Laurentii, modicum Balsami, præterea Advocatiam civitatis nostræ pecunia non parva expedivit, partem Advocatiæ super villicationem ..... fratribus contulit.

Harbertus XXVI.

Anno incarnationis Dominicæ M.CC (*) Obiit *Harbertus* bonæ memoriæ nostræ Ecclesiæ XXVI. *Episcopus*, qui primum Cantor, deinde major Ecclesiæ nostræ Præpositus, præbendas fratrum toto suæ administrationis tempore utiliter & fideliter dispensans, magnum & sincerum, quem semper erga Ecclesiam nostram gesserat, affectum ipsa operum exhibitione comprobavit. Domino igitur *Conrado imperialis Aulæ Cancellario* nostræ autem Ecclesiæ XXV. Episcopo in illa gravissima imperii dissensione temporibus divæ memoriæ *Philippi & Ottonis* ad Herbipolensem Episcopatum transeunte, & ut Ecclesia derelicta in legitimo sibi Pastore prospiceret, domino *Innocentio Papa* hujus nominis *tertio* districte & sæpius injungente, communi & canonico totius capituli & cleri consensu, omnibus laicis omnino contradicentibus, in Episcopum electus est, propter quod Ecclesia nostra multos & graves labores, expensas, pericula, tam communium quam privatarum rerum dispendia & episcopalium possessionum alienationes perpessa est. Tandem, misericordia Dei evigilante pro nobis, eo jam in Episcopum consecrato & ad Episcopum nostrum, unde per annum & amplius ejectus fuerat, revertente, rebus pro tempore satis bene compositis, dispersa recolligere, incensa & destructa reædificare, alienata revocare & Ecclesiam diutina tribulationum tempestate quassatam in interioribus quam exterioribus omni diligentia studuit reformare. Sex quippe villicationes *Orsleve*, *Wackensleve*, *Stockem*, *Otfredesem*, *Vpum*, *Rengelem* pro quingentis marcis & amplius *Comitis Sifridi de Blanckenburch* à prædicto domino Cancellario obligatas datis nihilominus eidem Comiti ducentis marcis argenti & quibusdam aliis reditibus & sibi vacantibus beneficiis assignatis ab omni ejus impetitione penitus expedivit. Eorundem etiam bonorum partem à quibusdam militibus & servientibus datis XXX. marcis, & villicationem in *Mallertem* datis XVI. marcis, & item villicationem *Stockem*, quam postmodum *fratres de Wulflebuthe* violenter detinebant, solutis nonaginta marcis liberavit. Allodium Episcopale in *Aldendorp* & molendinum in Civitate pro octoginta marcis cuidam Gerhardo, & villicationem *Vorstede* Theoderico de Alten pro sexaginta marcis tempore Cancellarii obligata, CXL. marcarum solutione recepit. Ecclesiæ *Gandersebem* CCC. marcas, & in causa *Abbatiæ de Ringelem* LX. marcas expendit, in recompensatione etiam damni, quod in molendino & aliorum bonorum Ecclesiæ, quod per Lippoldum de Escherde accidit, expensis nonaginta marcis de suo, fratribus dedit villicationem & advocatiam de *Monestede* de manu Heinrici & filiorum ejus, qui eam detinebant, XVI. marcis redemit. Reditus XVI. solidorum in eadem villa à quodam Exzo de Eilstringe acquirens pro IV. marcis eos ad panem Scolarium in refectorio annuatim ordinavit. Advocatiam insuper obedientiæ in *VVittenburch*. & aliam advocatiam super XII. areis argento fratrum redemtas, similiter & advocatiam bonorum præpositurae majoris in *Idagesem* & decimam ejusdem villæ ad agendam ipsius memoriam fratrum deputavit utilitati; & ne quis successorum suorum ea alienaret, banni sui firmavit autoritate; Curam insuper *Vorstede* à Brunone de Custode C & VII. marcis comparatam Ecclesiæ nostræ condonavit, prædio etiam in *Repenarde*, quod fratres ab Ecclesia Beati Martini in *Minda* sibi comparavit, (**) de rebus suis D. marcæ impensæ sunt: decimas etiam duas in *Dunbusen* Ecclesiæ condonavit. Quantas etiam tectis

(*) Recenti manu ad marginem hæc fuere scripta: Hic incuria scribentis erratum est in numero. Vixit enim adhuc Harbertus anno 1206. ubi tria altaria in cripta consecravit, ut in hoc ipso libro sequitur.

(**) Leg. comparaverunt.

ctis Ecclesiæ principalis & officinis curiæ Episcopalis expensas impendit, quas dirutas tam à vetustate, quam ex negligentia invenit, coram omnibus eluceſſit.

Sifridus XXVII.

Anniverſarius *Sifridi XXVII. Epiſcopi* Eccleſiæ noſtræ & viri manſuetiſſimi, qui Advocatiam in *Hemedeſtore* ſuper omnia bona ejuſdem villicationis, ubicunque ſita ſunt, C. marcis à fratribus Hugone & Juſtacio comparatam Eccleſiæ contulit, ita videlicet, ut ſi quid bonum pro tempore fuerit & commodum, capitulo ſit inde liberum ordinare, Advocatiam in *VVittenburch* ſuper allodium & XII. areas ab Arnoldo Laico emtam ſuo tempore & decimam unius manſi & XII. arearum in eadem villa rationabiliter comparatam Eccleſiæ noſtræ dedit; præterea quandam aream ſuam juxta valvam ſancti Petri, quæ prius tenebatur jure feudali clauſtralem fecit, & curiæ Cantoris adjecit. Duas etiam areas in nova civitate Præpoſiti majori præpoſitura vacante ad uſum quorundam luminarium aſſignavit & locum piſcinæ qui minus utilis fuit prope noſtrum dormitorium nobis dedit. Parvam etiam aream & advocatiam ejus à Henrico Camerario & filiis ſuis emtam contulit ad ſtabiles vicarias; volens etiam Eccleſiæ pia benevolentia providere conſenſu & conſilio capituli, ſtatuit ut Advocatias præpoſituræ majoris, quas Præpoſitus nunc tenet, & quæ poſtmodum poterunt à Laicis expediri, nullus ſucceſſorum ſuorum vel alter aliquis alienet. Obiit autem poſt ceſſionem ſuam Anno incarn. Dominicæ M. CC XXVII. pridie Idus Novembris. Cujus anima per miſericordiam Dei requieſcat in pace. Amen. (*)

Anniverſarius venerabilis domini *Conradi XXVIII. Eccleſiæ noſtræ Epiſcopi*, qui poſtquam *Pariſius* in divina pagina laudabiliter rex erat & crucem contra *Avienſes* (**) prædicarat, aſſumtus fuit ad regnum Eccleſiæ noſtræ, ubi cum vir venerabilis Spiritu Dei regeretur circa ſpiritualia magnam curam habuit, & tamen idcirco diſpoſitionem per alium non neglexit. Tempore enim ſuo recepti ſunt *fratres prædicatores & minores & ſorores ſanctæ Mariæ Magdalenæ pœnitentes*, quibus in Eccleſiis ſuis & officinis ædificandis liberaliter ſubvenit, & fundos eorum fere ſumtibus propriis comparavit. Clauſtra etiam *Wluingbuſen* & *Franckenberg* ſuo tempore ſunt conſtructa, & *Winbuſen*, cui conventui Eccleſiam ejuſdem villæ parochialem attribuit, & religioſis quibuslibet aliis multa commoda præbuit & impendit, providens nihilominus ne in conventualibus & parochialibus Eccleſiis aliquod vitium emergeret, ex quo minueretur decor Eccleſiaſticæ dignitatis. Eccleſiam quoque noſtram & Epiſcopatum ſicut paſtor providus & proviſor diligens in emtione bonorum & redemtione Advocatiarum ditavit. Advocatias enim villicationum *Barem*, *Beddingen*, *Eckelſem*, *Bultem*, *Addenem* à Capitulo magna ſumma pecuniæ redemitas fratribus ad præbendam contulit liberaliter & abſolute. Similiter Advocatiam, à Domino Bertoldo de veteri foro redemtam ab Eccleſia montis Sancti Mauritii, eidem montis Sancti Mauritii Eccleſiæ contulit propter Dominum. Inſuper Advocatiam in urbe & in areis quibusdam retro urbem ſitis, & quædam officia braxatorum à Camerario & Advocatiam in *Malerten* à *Comite Bernardo de Spegelberg* data pecunia liberavit. Advocatiam etiam in *Honbameleu* à domino Theoderico libero centum ſeptuaginta marcis examinati argenti redemit, à quo etiam ſexaginta marcis ponderatorum denariorum proprietatem caſtri *Depenowe* comparavit. Advocatiam etiam villicationis in Hardeshem auxilio litonum à domino Conrado de piſcina quingentis & quinquaginta libris denariorum Hildeſem. acquiſivit. Præterea medietatem Advocatiæ in Aulica à domino Lippoldo de Eſcherte emit ſexaginta quinque libris, de quibus dedit quadraginta libras & pro XXXV. libris obligavit ei unum Vorwercum in *Rodem* & Vorwercum in *Anderten* & *Ceclen* obligatos reliquit. Dapiferatum quoque ab Erneſto Dapifero centum ſeptuaginta marcis emit, præſertim cum multa incommoda in victualibus ab ipſo ſuſtineret; & molendinum Pincernæ præpoſito & Capitulo noſtro & Abbatiæ Sancti Godehardi cooperantibus emit centum octoginta libris, & cenſum molendino ſuo de tali emtione accre- XXVIII.

(*) Poſt hæc ſequitur alia manus.
(**) Vult dicere *Albigenſes*.

accrescentem, videlicet unam plaustratam tritici, & unam plaustratam siliginis, & unam plaustratam ordei ad consolationem pauperum Scolarium coro beatæ Mariæ virginis deservientium assignavit perpetuo & donavit. *Conversionem* etiam *beati Pauli agi solemniter instituit* & eodem die Karitatem cum ferina de decima in *Gifiene* dari fratribus ordinavit. In temporalibus ita prudenter agebat, quod nociva removit, alienata recollegit, utilia construxit. Turrim quoque in superiori castro *VVincenburg* à domino Theoderico de Stockem recuperavit & eandem ad imam domum exaltavit & mansionem Episcopi emendavit, pulcris edificiis sicut liquet. *Montem* etiam *Bawarorum in eodem castro* & Advocatiam Hildensem & villicationem in *Dowen* ab illis de Escherte injuste occupantibus expedivit. Castrum & civitatem *Rosendal* construxit & munivit, ad cujus emtionem, ædificationem & obsidionis liberationem nec non ad *Peyne* civitatis obsidionem expendit monetæ Hildensemensis octo millia talentorum. Turrim quandam *Scherstede* in area sua injuste constructam diruit penitus & destruxit. *Emnam* civitatem obsidens cepit & captam destruxit. Similiter insulam castrum apud nostram civitatem situm, in quo violatores pacis se receperant, expugnavit & destruxit. Videns etiam angarias & oppressiones liberorum minoris Comitiæ juxta *Nortwolt*, emit eandem à *Comite Conrado de Lewenrod* trescentis octoginta libris monetæ Hildensem. Tandem ultimis diebus suis considerans periculum & gravamen transeuntium *Popenburg* emit partem ejusdem castri ducentis viginti libris, & minorem turrim decem libris & ædificavit ibi mansionem cum officinis suis constantem fere centum libris nec sinebat nova telonia institui, unde viatores solent indebite molestari. Cæterum medietatem advocatiæ in *Scherstede* emit sexcentis quinquaginta libris & ædificavit ibi castrum onerosis sumtibus & expensis, pro quibus quædam bona ad Episcopalem mensam pertinentia obligavit, & obligata reliquit. In *causa* quoque *Goslariensis Ecclesiæ* expendit examinati argenti ducentas marcas & in figura judicii per legitimas probationes obtinuit, *quod eadem Ecclesia subjecta erit in spiritualibus Episcopo Hildensemensi.* Præter hæc omnia *diocesim nostram à jurisdictione ducatus, quam jurisdictionem dominus Otto Dux Brunesvicensis sibi usurpare coram domino Imperatore & Principibus in curia solemni apud Maguntiam intendebat, prudenter liberavit*, ibidem voce publica protestans coram omnibus *Hildensemensem Episcopatum* nullius dominio, nullius Ducatui præterquam solius Episcopi subjacere, & hoc fuit ab universis Principibus approbatum. Quatuor etjam vicibus existens Episcopus in *negotio* & *Ecclesiæ Romanæ* & prope Alpes transivit magnis laboribus & expensis. Ex promotione etiam sua monasterium nostrum est novis trabibus & tignis & tegulis instauratum & cooperantibus fidelium elemosinis cupro tectum. Domum etiam Episcopalem Hildensemensem, quæ per stillicidium depravata fuerat, bonis asseribus tegi fecit. Hiis omnibus feliciter peractis cum se insufficientem ad regimen Ecclesiæ reputaret, tum propter senium, tum propter scisma, quod fuit inter sedem Apostolicam & imperium ab *Electo Ferrariense nunc* (*) *Apostolicæ sedis Legato* cessionem petivit & obtinuit, cedens loco non dignitati. Moratusque apud fratres Prædicatores aliquandiu propter discordiam tempore electionis in Ecclesia nostra mota, civitatem nostram relinquens, profectus est *Schonowiam*, ubi ad dominum migrans feliciter requiescit. Rexit autem Ecclesiam nostram XXVII. annis, & post cessionem suam in tertio anno XV. Kalendas Januarii Anno Domini M. CC. XLIX. (**)

Henricus XXIX.

Post cessionem venerabilis Patris ac domini Episcopi Conradi dominus *Henricus Hylgumstadensis Ecclesiæ præpositus in Episcopum nostrum eligitur*, sed postulatio de domino *Hermanno sancti Cyriaci in Brunswic præposito* electionem ipsius multipliciter perturbavit, adeo ut à Rege investitus, ab Archi-Episcopo confirmatus, possessionem quietam nostræ civitatis habere non posset, & omnibus castris Ecclesiæ & oppidis ab Adversario suo occupatis, excepto *Wincenburg*, ad reprimendas suas ac suorum injurias ad dominum *Papam Innocentium quartum*, qui tunc Lugduni morabatur,

(*) Ex voce *nunc* elucet, & hæc a contemporaneo scripta esse.
(**) Sequitur iterum alia manus.

rabatur, accessit, pro cujus maturæ personæ reverentia, nec non Sifridi Maguntini Archiepiscopi precum instantia, licet in principio sui introitus Dominus Præpositus & tota curia circa eum benigne monerentur, tamen variis suggestionibus multorum nobilium amicorum dicti postulati, negotium jam dicti Episcopi mansit per annum & amplius in suspenso. Tandem venerabili Patre de Domino *Argentinensis Ecclesiæ Episcopo* exsecutore obtento, cum multis gratiis a sede Apostolica sibi collatis a Domino Papa honorifice est dimissus. Dominus vero Argentinensis, quemadmodum in mandatis receperat prænominato Episcopo, cum juris justitia, universa ac singula redintegrari præcepit, suarum sententiarum banno contradictores ac rebelles compescendo: a cujus sententiis adversarii appellantes procuraverunt partes ad præsentiam Domini Papæ citari, ubi postulato personaliter comparente procuratoribus sæpe dicti Episcopi etiam astantibus, præfatus postulatus de ore Domini Papæ, cum silentio sibi imposito, super Ecclesiam Hildeneshemensem sententiam contrariam reportavit. Licet dictus Episcopus multis discordiis suo tempore fuerit occupatus, pro quibus multa bona ad mensam Episcopalem pertinentia obligata reliquisse tamen utilitatibus Ecclesiæ in quibus potuit providere curavit: Advocatiam enim villicationis in *Hardessehem*, quam Dominus Conradus Ecclesiæ nostræ Episcopus a Conrado de Piscina ministeriali Ecclesiæ absolverat, ipse postmodum a *Comite Meinhardo de Sladen*, a quo jam dictus de Piscina eam in feodo tenuit diu impeditam expedivit. Medietatem etiam castri in *Honburg*, quam nobiles fratres *Ludolfus & Adolfus de Dasle* in feodo ab Ecclesia tenuerunt pro trecentis libris ab eisdem absolvit, & Ecclesiæ nostræ condonavit. Item etiam medietatem proprietatis in *Empna* a Domino Conrado quondam præposito *Montis*, vero herede, obtinuit, ministerialibus Ecclesiæ infeodari; qui postmodum de consensu dicti præpositi idem feodum pro mille libris nostræ Ecclesiæ obligarunt; residuam vero medietatem sæpe dictus Episcopus a *Comite Hermanno de VValdenberge* pro sexaginta quinque marcis & V. sol. nomine Ecclesiæ impignoratam recepit, & Ecclesiæ pro pignore pecuniæ reliquit. Item etiam comeciam sitam juxta *Laenam* ab illis de Lutberge, per mortem Bertoldi Advocati ipsis vacantem, Ecclesiæ comparavit & a relicta ejusdem advocati & filia sua obtinuit sibi & suis successoribus V. librarum reditus in *Dammone* ab annuo censu arearum, pro eo videlicet, ut eam à suis molestatoribus defensaret. Item etiam ad præbendam fratrum contulit decimam novalis in *Vorholt*, advocatiam etiam in *Dampmone*, quam *Comites de VValdenberge* in feodo tenuerunt ab omnibus absolvit, & Ecclesiæ per omnia expeditam reliquit. Obiit autem anno Domini M. CC. LVII. VIII. Kalendas Junii, ordinationis suæ anno XI.

JOHANNES XXX.

POst decessum venerabilis patris nostri ac Domini Heinrici pari voto & unanimi consensu *Johannes* Præpositus *Sancti* Mauritii *in Ecclesia nostra Episcopum eligitur*, qui quantum ad exteriorem hominem, se gerebat, ut tam majorum, quam minorum in se provocaret affectum, qui etiam paci & utilitati Ecclesiæ intendens, lapsa & alienata pro viribus suis, quantum potuit, revocare studebat, primum videlicet à Lippoldo & Basilio fratribus de Escherde, advocatiam villicationis in *Scherstede* pro centum libris Hildensemensium denariorum Ecclesiæ nostræ comparavit. Item à Lippoldo de Antiquo-foro advocatiam ejusdem loci pro XXXIIII. talentis. Item à Lippoldo de Escherde partem castri *Depenowe* pro LXX. Bremensis argenti. Item ab Eberto castrum *Luttere* pro quingentis marcis examinati argenti, *XX.* marcis minus, & *XXV.* mansos. Item in eadem villa à Johanne Camerario II. mansos pro *XIII.* talentis. Item in eadem villa *à Comite Henrico de Waldenberge XVII.* mansos expeditos & *VII.* mansos infeodatos pro *VII.* marcis examinati argenti. Item a *Comite Burchardo & Comite Henrico fratribus de Waldenberge* emit villam & ministeriales & quædam bona attinentia pro quadringentis marcis examinati argenti. Item acquisitione castri, quod *Peyna* vocatur, & solutione debitorum *Gunzilini filii Burchardi de Wulflebuthe* expendit mille & *X.* talenta Hildensemensium denariorum. Item bona Episcopalia ab antecessore suo obligata pro nongentis & quadraginta talentis Hildensemensium denariorum redemit; pro istis reliquit quædam bona Episcopalia obligata. Item emit quatuor mansos ab illis de *Ringelem*, de quibus instituit dari in anniversarii sui die ad quamlibet præbendam *VIII.* denarios; camerariis & campanariis unum solidum; scolaribus *V.* solidos; ad altare Dominæ nostræ candelam de una libra ceræ. Item contulit Capellano nostro *VII.* mansos in *Ochtersem* sibi vacantes de morte Henrici filii Lippoldi Craz ad agendum festum Johannis ante portam latinam solemniter; & de eisdem bonis ordinavit dari cuilibet dominorum unum solidum, ministris altaris & illis, qui præerunt choro, duplicem portionem, duobus pueris, qui cantabunt alleluja, unum solidum, pauperibus scolaribus decem solidos, camerariis & campanariis unum solidum, ad accendendas candelas circa chorum duas libras ceræ, & eo-

dem die dabitur caritas de duobus ferculis pullorum cum pane & vino. Hic præfuit Ecclesiæ nostræ annis tribus & dimidio, obiit autem anno Dominicæ incarn. M. CC. LXI. XVIII. Kalend. Octobris, ordinationis suæ anno IIII.

OTTO XXXI.

ANniversarius Domini *Ottonis Ecclesiæ nostræ Episcopi XXXI.* Hic illo quondam nobili *Ottone Duce de Brunswich patre* natus *Alberto* & *Johanne fratribus suis* in paterna hæreditate succedentibus, primum in Canon. Ecclesiæ nostræ eligitur. Deinde vacante Ecclesia nostra per mortem venerabilis patris Episcopi *Johannis* piæ recordationis, eo agente quartum decimum annum in Ecclesiæ nostræ Episcopum postulatur, postulatione vero de se facta usque in quintum annum pendente, a *Papa Vrbano quarto* confirmatur, & sic per eum in ordine subdiaconatus Ecclesia nostra per plures annos tam in spiritualibus, quam in temporalibus gubernatur. In dicto vero *Concilio apud Lugdunum à Papa Gregorio X.* tunc primum eo in diaconatus & presbyteratus ordines promoto cum aliis coëpiscopis ad Concilium proficiscitur, ibique propter notitiam sui generis à Papa benigne suscipitur, & de mandato Papæ à reverendo *Patre VVernero Archiepiscopo Moguntino* ibidem in Episcopum consecratur, quo reverso prospere pontificale officium est executus (prout melius potuit præ diversis occupationibus). Hic nimirum ab eo tempore quo nostram Ecclesiam suscepit regendam usque in finem vitæ Zelum Dei ad Ecclesiam obtinens, eam pro viribus extollere studuit, bona quædam episcopalia a suis prædecessoribus obligata deobligavit, & quædam bona sibi suisque successoribus comparavit; ista videlicet: ante castrum *Poppenborch X.* mansos pro centum quinquaginta talentis, tres partes advocaciæ in *Cheyerstede* ab illis de Escherde, duas partes pro octoginta talentis, quandam Comitiam juxta Cherstede, de hiis villis *Hotlenem*, *Luppenstede*, *parvo Lobeke* & de aliis quibusdam villis circumjacentibus à Brunone de Gustede pro quinquaginta talentis; advocatiam in *Clowen* a Sifrido de Rutenberge pro quinquaginta talentis; advocatiam in *Borgdorpe* versus *Miricam* a Lippoldo de Escherde pro XL. talentis; piscaturam in *Layna* juxta *Ruthe* a domino Johanne de Adenoys pro *XIV.* tal. Castrum *Hudbe* cum quinque mansis, prato cum molendino & duabus piscaturis a Hillemaro de Oberge pro ducentis marcis, & quasi funditus de novo magnis sumptibus construxit. Comeciam *Rowen* a *Comite Henr. de Woldenberge* pro centum *XX.* marcis; advocatias in *Ringelem*, in *Vppem*, in *Solide* & comecias ad *Soltga* & ad *Ris*, nec non ad proprietatem *castri VVerdere* & molendini, item piscaturæ & *IX.* mansorum adiacentium a *Comite Ludolfo de VVoldenberge* pro quadringentis quinquaginta marcis & idem castrum pro libero castro Ecclesiæ obtinuit, ita quod dictus comes & sui heredes ipsum castrum eo jure obtinebunt, quo *de Halremunt*, *de Sladen Comites*, & *Dominus de Honburg* sua castra tenere ab Ecclesia dinoscuntur, eo adjecto, quod castrum jam dictum sub quocunque etiam pallio per dictum Comitem sive per suos heredes alienari non debet. Sed pro loco & tempore castrum cum molendino, piscatura & IX. mansis prædictis pro certo & constituto pretio videlicet pro trecentis quinquaginta marcis manebit Ecclesiæ, de quibus quinquaginta marcæ jam per Episcopum sunt solutæ. Item allodium veteris villæ ante Hildensem alienatum pro octoginta talentis recuperavit. Castrum *Woldenberge* cum indagine castri totum * à Comitibus de Woldenberge pro mille quingentis marcis, quod in parte australi magnis etiam sumtibus pro parte muravit. Allodium ad *Rod* juxta *VVoldenberge* & pratum castro adiacens pro LXX. marcis; villicationem *Holle*, quam obligatam invenit, pro centum quinquaginta marcis absolvit. Advocatiam in *Holle* & Comitiam ibidem, nec non *Gograviam* de XV. villis à Comite *Ludolfo de VVoldenberge* pro centum XLIV. marcis & advocatiam in *Badekenstede* ab eodem pro XXVI. talentis. Item majorem comiciam, quæ incipit à *Scirbeke* juxta *Harlessem* & prætenditur per *Hever* usque ad fontem *Sebbetbessen*, ab illa parte *Gandersem* & usque ad pontem *Olkessen*, & quartam partem comiciæ super *Amberga à Comite Hermanno de VVoldenberge* pro quadringentis marcis; advocaciam *Sibbethessen* de bonis custodiæ a Hugone de *Holthusen* pro XX. marcis; stagnum juxta *Eddessem* & molendinum *Berge* cum piscatura, silvam quandam in *Harto*, quæ dicitur *VVrochterewolt*, a multis *echtwardis* pro magna summa pecuniæ expedivit, & Ecclesiæ obtinuit. In *Tyderngerod* quinquaginta *echtwardos* a Lippoldo de Vreden pro XXIV. marcis; decimam in *Hemendorpe* vacantem sibi suisque successoribus retinuit, domum Episcopalem in Hildensem quasi dirutam muro, trabibus, tecto lapideo refecit & aliis ædificiis instauravit. Cœnaculum in *Poppenburg* & turrem parvam adiacentem lapidibus texit. Castrum *VVincenburg* a *Beyerberg* usque ad valvam muravit; valvam lapideam ante castrum *Peyne* construxit & lapidibus texit; testudinem

* Ita lego *tm.* Alius, qui Chronicon hoc exscripsit, legit *tantum.*

testudinem in castro similiter lapidibus texit, & alia ædificia in eodem castro fere omnia innovavit; feodum etiam castri civitatis & comiciæ *Peyne à Comite VVidekindo de Poppenberg* expedivit, qui illud in manus suas libere resignavit; advocatiam in *Lapidibus* a Johanne & Conrado Acken expedivit. Item a Domino Heinrico de Honborch in placitis obtinuit, quod liberum erit ecclesiæ redimere castrum Honburg, quocunque anno semper, infra festum Paschæ & Walburgis pro trecentis libris Hildensemensium denariorum. Item Camerarius, Marschalcus, Pincerna, officiati Episcopi de suppellectili quorundam prædecessorum suorum Episcoporum de facto se ingesserant, quod Episcopus penitus abolevit. Quid plura? Ecclesia siquidem per ipsum incrementum longe amplius recepisset, si & domestica & fratrum persecutione non fuisset; Unde iniquo consilio actum est, quod *Dux Johannes* armatâ manu contra Episcopum & Ecclesiam processit & non tantum laicorum, quantum Ecclesiarum possessionibus dampna gravia irrogavit. Pace tandem inter Episcopum & ipsum Ducem intercedente, eisque in amicitia firmatis ad invicem: Ecce *Dux Albertus senior*, sed aliis immanior stimulo invidiæ contra fratrem suum Episcopum agitatus, ipsum & Ecclesiam humiliare disposuit, quod opere imposuit; quia non contentus, quod Ecclesiam circumvenit in multis, sicut etiam in illis V. villis ad comeciam *Soltga* antiquo jure spectantibus, quas *Marchio Otto de Brandenborch* eidem Duci contra justitiam adjudicavit. Episcopo tamen contradicente & reclamante etiam, suscitavit Ecclesiæ adversarios, quibus ad lædendum eam rapinis & incendiis per terram Ducis liber patebat transitus & securus ad municiones suas recursus. Igitur ab Episcopo gratia consilii ad Ducem recurritur, qui cum diversis placitis, hinc inde servatis, frater fratri, apud fratrem obtinere non posset, misertus fratris promittit auxilium, & nichilominus eo procurante cum *Archiepiscopo Bremensi* & Dominis inferioribus nec non cum *Ottone & Alberto Marchionibus de Brandenborch* in favorem Episcopi contra Ducem valide inspiratur. Sed ecce iniqua sorte *Dux Johannes* præmoritur, & *Dux Albertus tutor* admittitur, unde & ex morte hujus & metu alterius pene moritur; auxilium ecce repromissum. Verumptamen Episcopus & *Magdeburgens. Ecclesiæ* & *Marchionum* confisus auxilio se contra fratrem pro Ecclesia invitum opposuit, eoque in principio viriliter contra fratrem agente, prædictis vero inferendo auxilio torpentibus *Cherstede* & Empne municiones Ecclesiæ per ignis jacula capiuntur & potiores ministeriales Ecclesiæ inibi captivantur. Ex hac magna ruina Ecclesiæ fit ingens dolor ab omnibus, sed Episcopus, quem plus dolor angebat, plus doluit, & in tantum in eo dolor invaluit, quod sibi, ut creditur, præstitit causam mortis. Ipse enim tactus vehementi dolore intrinsecus, tanquam suæ mortis præscius sexta feria ante, sicut anno Domini M. CC. LXXIX. in die beati Olrici, qui feria tertia tunc occurrit, carnis persolvit debitum, fratribus in Capitulo convocatis de novali in *Embercke*, quod ex concessione omnium, quorum intererat, exstirpari fecerat, suum coram fratribus testamentum condidit, & illud cum proprietate & decima nec non cum omni jure, sicut ipse tenuit super reliquias beatæ Virginis obtulit, liberum relinquens Capitulo, quatinus de eisdem bonis post mortem suam ordinarent, prout secundum Deum animæ suæ saluti expedire viderent: unde ex ordinatione Capituli de eodem novali in anniversario ipsius dabitur communis caritas de pullis, pane & vino fratribus & vicariis universis cuilibet Vicariorum X. tribus campanariis solidus, tribus cameraris solidus, qui coadiuvabunt campanarios ad pulsandum, pauperibus scolaribus XII. solidi. Episcopus etiam quasdam proprietates bonorum pauperum scolarium * contulit, pro quibus in nocte anniversarii ejus legent psalterium, & in die anniversarii ejus de illis XII. solidis procurabuntur; duo cerei de tribus libris ceræ ponentur, unus ad altare beatæ Virginis in choro, alter ad sepulchrum Episcopi, qui ardebunt de una vespera ad aliam. Commemoratus etiam Episcopus & personarum & Ecclesiæ utilitati prospiciens, ipsa bona, qua testamentum suum condidit, ad devotam supplicationem Capituli, annum gratiæ de beneficiis quæ de manu Episcopi tenentur, Capitulo indulsit; & Præpositus Johannes de suis beneficiis & Capitulum de obedientiis similiter indulserunt; hoc modo videlicet, quod quicunque fratrum ante diem beati Jacobi moritur, nova sequentis anni percipiet, prout in ipsius Episcopi & Capituli literis plenarie continetur. Episcopo in die beati Olrici, qui tunc feria tertia occurrit, ut dictum est, præmortuo, ecce dictu mirabile, sed Deo non impossibile, subsequitur: infra VI. ebdomades, eodem die, quo Episcopus, *Dux Albertus* post moritur, tanquam Dei judicio evocatus. Rexit autem Episcopus *Otto* nostram Ecclesiam, tempore postulationis suæ connumerato, XIX. annis & perfecte mensibus VII.

* Leg. *pauperibus scolaribus*.

SIFFRIDVS XXXII.

DEfuncto venerabili patre domino nostro Ottone Episcopo *Siffridus Magdeburgens. Ecclesiæ Decanus de domo nobilium de Quirenrode* trahens originem, vir per omnia magnanimus, literarum scientia, morum honestate, multisque pollens virtutibus, *in nostrum Episcopum* consulentibus & amminiculum ad hoc præstantibus venerabili *Bernardo sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ electo & illustri Alberto de Brandenborch Marchione*, qui eodem tempore Ecclesiam nostram viduatam contra *Albertum ducem de Brunerwich* ipsam impugnantem viriliter defendentes, in civitate Hildeneshem cum copioso exercitu moram trahebant, canonice est electus. Qui cum confirmationis & consecrationis munus ab *Archiepiscopo Moguntino* & regalium investituram a Serenissimo *Romano rege Rodolfo* esset adeptus, Ecclesiam nostram, quam ex eo quod munitiones *Tzerstede* & *Empna* per ducem prædictum penitus destructæ & non pauci ibidem ministerialium & Vasallorum Ecclesiæ erant capti, graviter perturbatam invenit, pro viribus suis studuit reformare. Ipso namque duce post paucos dies defuncto, captivos data non modica pecunia liberavit, & præcedente tempore munitiones destructas *Emnam* videlicet & *Tzerstede* restauravit. *Empnam* tamen in loco tutiori locatam, *mutato nomine Gronowe* appellatur. Sed ecce *Alberto duce*, ut præmittitur, sublato de medio, *filii ejus Hinricus & Albertus & VVilhelmus* duces paternis vestigiis inhærentes contra Episcopum & Ecclesiam ferociter eriguntur. Quibus cum Episcopus fortiter repugnaret, factum est sinistro eventu, ut de præcipuis ministerialibus & vasallis Ecclesiæ in castro *Campe*, ad quod gratia præsidii se receperant, ipso castro per duces aliquamdiu arta obsidione vallato, ac demum expugnato, septuaginta vel circiter caperentur. Ex quo tantum pericli, tanta & dejecta fuit Ecclesia, quod vix recuperandi aut resurgendi spes aliqua habebatur. Episcopus tamen in domino confidens & murum defensionis pro Ecclesia se opponens minime desperavit. Orta namque inter fratres seu duces ipsos discordia, ipse duobus eorum *VVilhelmo* videlicet & *Alberto* confederatur, a quibus & castrum *Stouphemborch* sibi obtinuit pro certa pecuniæ quantitate, stipendiorum nomine obligari, contra tertium se & Ecclesiam defensurus. Factis itaque diversis insultibus & conflictibus hinc & inde Episcopus nonnullos de parte adversa milites ac famulos captivavit, per quos plures suorum a captivitate absolvit, & rursus ad defensionem Ecclesiæ se munivit. Hiis ita gestis *Albertus* & *VVilhelmus* duces oppidum fratris eorum *ducis Henrici, Helmenstat* nomine, cooperante sibi obsederunt Episcopo, civesque obsidione artati datis treugis hinc & inde potiores milites non paucos tam de parte Episcopi, quam Ducum ad se in oppidum mitti petierunt, tanquam de pace & concordia tractaturi. Quibus introgressis & ad hospitia jam receptis nichilque mali suspicantibus, infideles cives verba pacis in ore gerentes & in corde non habentes, portas opidi concluserunt, & eos intra crudeliter occiderunt. Quod factum lugubre toti patriæ causam præstitit lamentandi. Deinde ex mandato *Romanorum regis* prædicti pace jurata inter Principes & nobiles *Saxoniæ dux Henricus* de castro *Harlingeberch* omnibus circumvicinis damna varia irrogavit. Vnde dicti principes, in quorum etiam numero Episcopus existebat, ac nobiles Saxoniæ contra ipsum ducem, tanquam generalis pacis violatorem, dictante ipsius regis sententia, insurrexerunt & castrum *Harlingeberch* obsederunt. Cumque idem dux ad liberationem ipsius castri festinaret, inito maximo cum Principibus & nobilibus conflictu, subcubuit, castrumque Harlingeberch captum fuit. Per cujus captionem ipse Episcopus ad Bocla judicium, quod *dux Albertus* & *filius ejus Henricus* dudum contra justitiam detinuerant, occupatum recuperavit, & ipsum castrum coram se tanquam loci illius judice seculari proscribi & data sententia fecit funditus demoliri. Et procedente tempore in loco haut longe posito castrum *Levenborch* magnis sumtibus construxit, per quod plura bona ac jura Ecclesiæ abstracta & distracta ad Ecclesiam revocavit. *Henricus* vero & *Albertus* tam de castri constructione, quam etiam jurium ac bonorum Ecclesiæ revocatione dolentes, ipsum castrum *Levenborch* cum adhuc esset novella plantatio, grandi exercitu obsederunt; sed cum Episcopus ad repellendum eos se fortiter præparat, magnanimitatem ejus videntes & constantiam in sancto proposito, recesserunt, machinis in campo & aliis instrumentis bellicis quæ ad expugnandum castrum apportaverant, derelictis. Eodem tamen anno hiidem Duces magno congregato exercitu, super *Fusennam fluvium* prope *Olesborch* castrum multum præjudiciale Ecclesiæ erexerunt, & nomen imponentes *Lowendal* occuparunt. Episcopus vero ne liber ac frequens ipsis de castro prædicto ad invadendum Ecclesiam pateret introitus, aliud castrum, cui nomen impositum est *Papenborch* in loco non multo plus quam ad jactum sagittæ remoto erexit, & multis munivit armatis, per quod castrum Lovendal manutenentes, fuerunt artati ac religati in tantum, ut qui antea obsederant, obsiderentur, factique ex obsessoribus sint obsessi. Demum vero ipsis in castro Lowendal deficientibus, & in

in castro Papenborch proficientibus, castrum Lowendal capitur & tam hoc quam illud penitus demolitur. Quid plura? illustris *Otto Dux Luneborch* castrum *Calenborch* super Laynam fluvium construxit, quod quia vergebat in maximum ecclesiæ detrimentum, Episcopus sustinere non valens nec volens, contra ipsum Ducem insurrexit,& modis,quibus potuit, impugnavit. Ipse vero *Otto Dux* cum *Henrico & Alberto Ducibus de Brunswich* conspiratione facta contra Ecclesiam, assistentibus eis *Ottone & Hermanno de Brandenborch Marchionibus* & non nullis aliis Principibus ac nobilibus magno collecto exercitu terras ecclesiæ invaserunt, duasque turres lapideas *Stederdorp* videlicet & *Oberge*, quorundam militum fidelium ecclesiæ mansiones ceperunt, easque incastellantes firmiter munierunt, de illis & aliis suis munitionibus terram & Ecclesiam gravissime impugnantes. Episcopus vero magnanimus in adversis desperare aut deprimi non consuetus, sed in domino Deo suo confisus conductis armigeris & stipendiariis innumeris vim vi, tum cum moderamine, tum sine moderamine repellebat. Nam eadem durante guerra, quasdam munitiones Ducum videlicet *Vslere*, *Everborch*, *Geveldehusen* & *Echte* cepit & destruxit ac in pluribus conflictibus concedente domino Deo, à quo est omnis victoria, triumphavit, sibique in hac eadem guerra tantum supercrevit. Quid plura? debita persolvit, in quibus antea tenebatur. Demum vero inter Episcopum ex una, *Ottonem de Luneborch & Albertum de Brunswich Duces* parte ex altera, *Henrico Duce excluso*, castris etiam *Oberge & Stedemdorp* primitus dirutis, compositio ordinatur. Et cum *Dux Otto* castrum *Calenberch Sona* includeret, pontem ante castrum super Laynam à *Sona* eadem Episcopus excludebat. *Dux* autem *Henricus* ecclesiam adhuc impugnans castrum quoddam *Mosborch* nuncupatum in terminis comeciæ *Bocla* construxit, quod statim Episcopus & alii, quibus constructio hujusmodi videbatur incongrua, circumdantes, penitus everterunt. Ipso nihilominus duce in persecutione ecclesiæ perdurante ac *nobilibus viris de Werdere & de Sladen Comitibus* sibi assistentibus, per ipsum Episcopum castrum *VVerder* aliquanto tempore obsessum capitur & destruitur. Castrum vero *Sladem* graviter obsidetur. Tandem compositione inter Ducem & Episcopum ordinata, Episcopus graves impugnationes & guerras postea non sustinuit; sed pace aliquali ante finem vitæ suæ, modico tamen tempore, fruebatur. Inter hæc autem, quæ superius dicta sunt, castrum *Rutam* in loco ubi Layna & *Indistria* confluunt sumtuose construxit, propter quod ab *Ottone Duce Luneburgensi* graves impugnationes & guerras longo tempore est perpessus. Pace inter eos facta Episcopus in placitis obtinuit donari sibi & ecclesiæ à Duce prædicto proprietatem *castri Lowenrode & oppidi Honovere*; quod tamen idem Dux ab Episcopo recepit in feudum, datis tantum centum marcis. Hoc autem factum est Episcopo in recompensam castri *Huden*, quod Dux destruxerat ante dictus. Quandam etiam partem castri *Popenborch* ab impetitione *Gerhardi Comitis de Schowenborch* data pecunia expedivit. Castrum *Herste* prope *Gotinge* comparavit, quod postea per traditionem captum destruitur, castrum, quod *Westerhove*, ecclesiæ nostræ perutile cum suo comitatu mille & viginti marcis puri argenti sibi & suis successoribus comparavit. Advocaciam in urbe a Ludolfo Camerario absolvit. Advocaciam in *Hasikenhusen* à Lippoldo de Dalen milite acquisivit. Palatium Episcopale in multis ædificiis emendavit, Cappellamque ibidem de novo construxit, ubi & quatuor canonicos instituit, quibus ad victum quadraginta libras dari annis singulis ordinavit. Tres etiam mansos in *Reden* sibi vacantes adjecit canonicis ante dictis. Novissimis autem diebus suis cum aliqua pace, ut dictum est superius, frueretur, castrum *Hundes-Rugge* & opidum *Dasle* cum adjacente mille & nongentis marcis emptionis titulo comparavit, relinquens ea pro majori parte suis successoribus exsolvenda. Licet itaque dictus Episcopus cunctis pene temporibus, quibus nostram rexit ecclesiam potentum Principum & aliorum duris persecutionibus circumclusus, graviumque guerrarum tumultibus fuerit occupatus & a tribulatione malorum & dolore vexatus: utilitatem tamen ecclesiæ nostræ tam in spiritualibus quam temporalibus prospicere non neglexit, immo ea utrobique, ut ita dicamus,& inter pressuras exaltavit,& inter angustias dilatavit, & ut de temporalibus superius dicta sufficiant, in spiritualibus sicut infra scribitur, se habebat. Quamvis enim temporalibus intentus adversariorum ac Principum non timuerit principatum; totis tamen visceribus diligebat Christum regem. Nam divinum officium libenter audiebat, faciens omni die missam coram se per notam decantari, nisi magna eum in hoc necessitas impediret, & quamcunque novem lectionum festum aliquod agebatur, non solum missam sed & matutinum ac vespertinum officium tonatim cum pausa & intentione multa cum suis clericis decantavit. In majoribus etiam festivitatibus & ordinationibus clericorum ac velatione sacrarum virginum aliisque Pontificalibus officiis cum per se sacrá missarum solempnia celebraret, tanta sibi virtus & devotio à Domino est concessa, ut in lacrimas prorumperet & imbre lacrimarum suam faciem irrigaret

rigaret devotionique adeo deditus existeret, ut ea quæ cantanda aut dicenda erant, vix posset dicere aut proferre, sed verba singultibus interrumpere oportebat, sacræ etiam visitationis officium multis annis à suis prædecessoribus intermissum cum magna sedulitate exercuit, evellendo & dissipando noxia, ædificando & plantando proficua, corrigendo ac reformando tam in capite quam in membris, quæ correctionis ac reformationis novit studio indigere, non quærendo, quæ sua essent, sed quæ communi JEsu Christi, & in persona sui, ante omnia ostendendo vita & conversatione, verbo pariter & exemplo, qualiter subditos in domo Domini oporteret laudabiliter conversari. Multa quidem & alia quæ contemplationis & actualitatis existunt, gessit hic pontifex gloriosus, quæ non sunt scripta in libro hoc, ne legentibus vel audientibus tædium generarent; hæc autem scripta sunt, ut sciatur per omnia valuisse & multis virtutibus claruisse. Rexit autem Ecclesiam nostram annis XXX. mensibus X. Anno enim Dominicæ incarnationis M. CCC X. pontificatus sui XXXI. v. Kal. Maji debitum carnis exsolvens migravit ad Dominum, relinquens ecclesiam honore & potentia emendatam, sed multis, ut verum fateamur, debitorum oneribus agravatam.

HENRICVS XXXIII.

HVic successit vir utique venerabilis *Henricus* ecclesiæ nostræ decanus de illustri *Comitum de Woldenberge prosapia oriundus*. Qui castrum *Hundesruge* ac opidum *Dasle* cum comitatu adjacente à Serenissimo *Henrico de Lutcelenborch* tunc *Romanorum rege*, postea autem *Imperatore* ecclesiæ nostræ perpetuo uniri, seque & successores suos de eisdem inter cætera regalia, quæ nostra ab imperio tenet ecclesia, obtinuit infeudari. Et procedente tempore castrum, opidum ac comitatum hujusmodi persolvit, quia à prædecessore suo, qui ea comparaverat, nondum fuerant persoluta. In principio promotionis suæ burgenses cives civitatis nostræ in magna ac tanta rebellione & pertinacia positos, quod fidelitatis sibi præstare homagium noluerunt, bona sibi in civitate Hildensemensi per resignationem vasallorum suorum vacantia occupaverunt, & in multis aliis se opposuerunt, quæ nostræ ecclesiæ respiciebant libertatem, competenti moderatione compescuit. Collecto namque magno exercitu civitatem obsidens castrum *Sturewold* construxit eosque subtractis molendinorum & pascuorum solatiis in tantum artavit, quod infra paucos dies cum ipso composuerunt deditionem sibi & homagium fidelitatis facientes ac salvas relinquentes ab ipsis invasas ecclesiæ libertates. Inter articulos compositionis hujusmodi spiritualiter est expressum, quod porta retro urbem, per quam itur ad sanctum Paulum, multis annis continue clausa, manebit ammodo reserata. Et ut omnis inter clericos ex una & burgenses partes ex altera dissensionis amputetur materia in futurum, & litigiorum dispendiis via, quantum est possibile, præcludatur, statuto & privilegio perpetuo est firmatum, quod si inter clerum & burgenses super libertatibus aut emunitatibus ecclesiæ aut re aliqua quæstio oriretur, quidquid canonici nostræ ecclesiæ justum esse suis affirmare voluerint juramentis, absque ullius contradictione salvum eis in perpetuum permanebit. Omni etiam anno, quando novi consules sunt statuti, hiidem consules ab Episcopo aut capitulo requisiti venient ad præsentiam eorundem, & tactis sanctorum reliquiis jurabunt, quod omnes portas civitatis fideliter tenebunt & custodient, & quod specialiter sancti Pantaleonis & retro urbem portas Episcopo aut Capitulo sive die sive nocte in omnibus eorum necessitatibus reserabunt. Item omni anno feria secunda in capite adventus in generali Capitulo jurabunt dicti consules se omnes libertates & emunitates ecclesiæ, in quantum possunt, fideliter defensuros. Hiis vero ita compositis castrum *Homboke* una cum domino de *Homborch* auxiliantibus ad hoc utcunque quibusdam aliis Principibus, potenter obsedit, obsessum cepit, captumque fecit funditus demoliri. Opidum *Bokenem* mille & centum marcis ecclesiæ comparavit. Cum illustri *Ottone Duce de Luneborch*, qui opidum *Honovere* & castrum *Lowenrode* cum quibusdam comitatibus & bonis aliis ab ecclesia in feudum tenuerat & ab ipso recipere non curavit, graves guerras habuit, plures conflictus iniit, in aliquibus succumbens & in pluribus triumphans. Tandem compositione facta idem Dux jam dicta bona ab Episcopo recepit in feudum & se vasallum ecclesiæ recognovit. Idem Episcopus usurarum voraginem, qui animas devorat & facultates exhaurit, quæ apud cives Hildensemenses multum inoleverat, valde restrinxit. Castam vitam duxit & pontificale officium devotè, & cum magna sedulitate exercuit, sicut vir bonus, simplex ac rectus, & recedens à malo Dei & proximi habens zelum. Novissime vero diebus suis mandatum apostolicum sibi grave, subditis intolerabile, non ex amore justitiæ, sed odii fomite & livore vindictæ ab æmulis sibi dirigi procuratur; unde ipse præsentiens tantum malum, surrexit sicut pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, sedemque apostolicam adiit pro fraude & dolo hujusmodi summo Pontifici exponendis. Vbi in persecutione

tione juris sui febre tactus pro grege suo mortuus est & in monasterio sanctæ Claræ *Avinioni* honorifice (*) tumulatus Anno Domini M. CCC. XVIII. III. Idus Julii, Pontificatus sui anno IX. In ejus anniversario dabuntur de decima in *Solede* cuilibet dominorum præsentium VII. denarii & dimidia stopa vini. Vicario IV. denarii & quarta vini, magistro majori, subcustodi & succentori similiter candela de libra ceræ; scolaribus V. solidi, cantori & campanariis III. solidi.

OTTO XXXIV.

VEnerabili (**) patre domino *Henrico de Woldenberge* Episcopo nostro Avinioni feliciter defuncto, de quo sufficiens scriptura superius reperitur, successit ei patruus ejus dominus *Otto de Woldenberge* Præpositus montis sancti Mauritii in Episcopum nostrum concorditer electus. Hic in principio ingressus sui habuit conflictum cum quibusdam oppressoribus terræ nostræ videlicet de *Engelinghborstel* & de *Monikhusen* prope villam *Oslevesben* & Deo victoriam nostris contendente hostes aut capti aut interfecti aut fugati succubuerunt, de quorum captivitate dominus noster Episcopus magnam extorsit pecuniæ quantitatem, unde ipse & sui locupletati fuerunt. Ipse vero tanquam fidelis & bonus dispensator, pecunias sibi taliter provenientes in utilitatem ecclesiæ nostræ convertens, castra & bona Episcopalia per prædecessores suos impignorata seu alienata recuperavit & redemit. Castrum vero *Lutter* & officium *Barke* & advocatiam in *Calevelde* à Ducibus Brunswicensibus pro tribus millibus & LX. marcis emit, & pecunias, pro quibus prædecessor suus dominus *Syffridus Episcopus* castrum *Lindowe* à *nobilibus de Plesse* comparavit, nondum solutas persolvit, & in eodem castro Palatium inexpugnabile cum alto muro construxit. Castrum Sturwolt quoque ex toto solempnibus & inexpugnabilibus ædificiis, prout liquet, præter palatium antiquum, quod patruus suus immediatus prædecessor dominus Henricus Episcopus ædificavit, magnis sumtibus construxit. Et quamplura ædificia in aliis nostræ ecclesiæ castris diruta, quæ omnia describere difficile esset, ipse reædificari procuravit, ipse etiam adhuc Præpositus Montis existens, ad laudem & honorem omnipotentis Dei & gloriosæ matris ejusdem virginis Mariæ quandam *missam*, vulgariter *auream* dictam, singulis annis sabbatho proximo post communes ab omni clero tam religioso quam seculari solemniter in ecclesia nostra instituit decantari, deputatis ad hoc de decima in *Zolde* largam & bonam consolationem in eadem missa præsentibus ministrandam. Item ordinavit duas faculas annis singulis per totum adventum ob reverentiam Ympni *Veni Redemptor* in choro nostro ante pulpitum ad completorium incendendas & ardendas, & cuilibet scolari in eodem completorio præsenti etiam undecunque venienti unam similam per præpositum nostrum tribuendam. Insuper *festum beatæ Elizabeth* cum cantu & consolatione solempnibus in ecclesia nostra pro duplici festo peragendi instituit atque redditibus dotavit. Anniversarios dominorum *Syffrydi* & *Henrici* Episcoporum nostrorum, prædecessorum suorum & suum proprium in ecclesia nostra solempniter singulis annis peragendos cum bona administratione ordinavit. Rexit autem ecclesiam nostram in summa & tranquilla pace, sic quod cum suis omnibus subditis multum fuerat locupletatus & taliter quod villani in pluribus villis suæ terræ cum bonis vestibus & mantellis de vario foderatis intendere videbantur, disponente domino cooperantibus sibi favore & amicitia nobilium Principum *Ottonis de Luneborch* & *Ottonis de Brunswic Ducum* pacis & justitiæ filiorum. Omnibus itaque per dictum dominum *Ottonem* Episcopum pro utilitate & commodo ecclesiæ nostræ tanquam per bonum & fidelem pastorem laudabiliter & feliciter consummatis anno ordinationis suæ XVI. debitum humanæ conditionis exsolvit, & in ecclesia nostra ante altare omnium sanctorum requiescit, cujus memoria in benedictione sit & æterna, Amen.

HENRICVS XXXV.

HVic successit venerabilis pater dominus *Henricus*, *illustris Ducis de Brunswic filius*, in cujus electione detestabile scisma surrexit: nam quidam de dominis nostris adherebant electioni suæ, alii vero domino *Erico de Schomborg* per Apostolicam sedem proviso, cui etiam cives Hildensemenses adhæserunt tum propter ipsius domini Henrici potentiam, tum propter depravationem monetæ nostræ per illos forte factam: quidam verò de Consulibus Hildensemensibus dicto domino Hinrico faventes erant de civitate expulsi. Remanentes autem & dicto

(*) Hic manus recentior incipit.
(**) Iterum alia manus sequitur.

cto domino Erico auxilium præstantes ferociter cum magnis guerris diœcesin nostram invaserunt. Nam opidum *Dam* domino Hinrico adhærens ceperunt & funditus destruxerunt, ut apparet cooperantibus eis ad hoc quibusdam ecclesiæ nostræ vasallis. Volens autem dictus dominus Hinricus abducere aquæ fluxum *Indistriæ* a molendino Episcopali, conflictum habuit cum incolis civitatis prope civitatem, qui prævaluerunt; quidam vero de suis in fugam conversi occubuerunt, quorum aliqui interemti, nonnulli captivati fuerunt. Dictus vero dominus Ericus volens cum viris armatis civitatem ingredi, multis de civitate sibi obviantibus prope villam *Haze* & eum introducere volentibus dictus dominus Henricus cum suis illos invasit & debellavit triumpho potitus. Post hæc factæ sunt treugæ ad decem annos, quibus finitis, major est exorta guerra quam fuit antea, quæ quasi ad tres annos duravit, in quibus plura ecclesiæ nostræ castra & bona Episcopalia ac quorundam monasteriorum & collegiorum impignorata fuerunt & eorum aliqua penitus alienata. Domino verò Henrico in hujusmodi guerra deficiente & quasi desperante Deus omnipotens meritis gloriosæ Virginis Mariæ suæ matris, in quam plenam & firmam habuit confidentiam, victoriam sibi contulit de inimicis suis in prato infra Sturwoldis & civitatem, quorum multi fuerunt submersi & quam plures abducti captivi, de qua victoria interim fuit ditatus & adversarii sui totaliter suppeditati. Etiam dicto domino Erico tunc interim defuncto, quod ex tunc in singulis factis suis prosperabatur, civitatenses etiam videntes se deficere gratiæ dicti domini Henrici, se submiserunt, sic quod invicem amicabiliter pacificati & concordati fuerunt. Sed in emenda hujusmodi controversiæ dicti civitatenses singulis septimanis apposuerunt XII. talenta Hildensemensium denariorum ad satisfaciendum lapicidis, carpentariis & aliis laborantibus in ædificatione castri *Marienburch*, quod ipse dominus Hinricus tunc ædificavit & construxit, quoadusque dictum castrum perficeretur: Deinde Domino Deo præstante, dictus dominus Hinricus ad gremium matris ecclesiæ regressus a sententiis excommunicationis, quibus per dominos Apostolicos *Clementem* & *Innocentium*, eo quod provisioni, dicto domino Erico per sedem Apostolicam factæ, se opposuit, innodatus exstiterat, per eundem Innocentium absolutus sibique de ecclesia nostra de novo provisum fuerat. Igitur sic reconciliatus & præmissis guerris & tribulationibus cessantibus ac tranquilla pace succedente castra ecclesiæ impignorata & bona mensalia pro toto suo posse recuperavit. Castra verò *Woldenstein*, *Sladum* & *Wydenla* pro magna pecuniæ summa ecclesiæ nostræ comparavit, castrum *Marienborch* de novo construxit, *Woldenstein* à nobili *Syffrido de Homborch*, *Sladum* à *Meinekone* ibidem *Comite*, *VVydenla* ab illis de Gowisch emit & eadem castra ubicunque diruta fuerant, reparari ordinavit. *Festum gloriosi corporis Christi* in Ecclesia nostra & aliis ecclesiis collegiatis solempniter instituit cum anniversario suo singulis annis peragendum. Reliquit etiam suis successoribus decem castra non inpignorata, sed libera & soluta videlicet *Sturwold*, *Marienborg*, *Rute*, *Peyne*, *Levenborch*, *Sladum*, *VVydenla*, *Lutter*; *VVoldenstein*, & *VVynzenborch* cum pluribus bonis mensæ Episcopalis. Destruxit etiam castra *Grensleve* & *Hilwerdeshusen* in *comitatu Dasle*. Rexit autem Ecclesiam nostram XXXII. annis cum dimidio. Sepultus est ante altare beatæ Katherinæ virginis, cujus anima in pace perpetua requiescat, Amen.

JOHANNES SCHADELANT. XXXVI.

POst obitum domini Hinrici de Brunsvic dominus Papa providit de Episcopatu Hildensemensi cuidam venerabili & bono viro de Ordine Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctori, quem vulgariter vocabant Episcopum *Johannem Schadelant*, qui in principio introitus sui *requisivit de libris divinis & legalibus prædecessorum*; Tunc *officiati curiæ ostendebant ei loricas, clippeos, & galeas, dicentes quod tales fuissent libri prædecessorum suorum*, & quod mores patriæ non congruebant sibi, idcirco ipsum Episcopatum ad manus domini Papæ, à quo ipsum tenuit, resignavit, & forte per suos annos in Episcopatu permansit.

GHERARDVS XXXVII.

POst hunc per dominum *Vrbanum Papam quintum* ad Ecclesiam Hildensemensem translatus est venerabilis pater dominus *Gherardus de genere Baronum de Monte prope Mindam*, tunc *Episcopus Verdensis*, & quondam Cantor, & postmodum Decanus Ecclesiæ nostræ; vir facundus, providus & magnanimus. Hic primo anno sui ingressus quosdam raptores videlicet LX. armatos de Westfalia opidum *Elze* invadentes cepit, sed attendens quod salvo honore eos forte retinere non posset, liberos & quitos dimisit eosdem. Deinde anno suo tertio circa festum nativi-

nativitatis Mariæ invadentibus hostiliter Episcopatum nostrum duce *Magno de Brunswigk* & Episcopo *Halberstadensi* cum adjutorio Episcopi Magdeburgensis Bischop Kogelwyt dicti nec non *de Anehalt*, de *Hademersleve* cum pluribus aliis bravonibus & maxima armigerorum multitudine occurrit eis propter villam *Vormersen* dominus *Gerhardus Episcopus* & prælio diutissimo commisso, auxiliante Deo & sua genitrice, victoriam gloriosam nostri reportaverunt interfectis quamplurimis adversariorum & captivatis *duce prædicto* nec non *Episcopo Halberstadensi Alberto* cum magna suorum multitudine, à quibus maximam pecuniæ summam ipse dominus noster Episcopus extorquere potuisset, sed veritus tirannidem Archiepiscopi Magdeburgensis, qui tunc apud *Karolum quartum Imperatorem* magnæ auctoritatis habebatur, & etiam potentiam *ducis Magni Junioris*, qui tunc *ad Ducatus Brunswicensem & Luneburgensem fuerat exaltatus*, à prædictis captivis summam tridecim millium marcarum argenti in amicitia duntaxat recepit. Post hoc orta est discordia inter dominum nostrum Episcopum & ex alia parte duces *Ottonem & Albertum de Brunswic*; quidam de Vasallis & ministerialibus ecclesiæ Hildensemensis Episcopo nostro rebellantes ad dictos Duces se contulerunt, quos ipse dominus Episcopus in Castro *VValmoden* potenter obsedit & miro modo per industriam ipsum castrum cum aquæ fluxu comportato aggere submergi fecit & ex toto destruit, prout intuitus hodiernus manifestat. Sinistro tamen eventu factum est, quod durantibus hujusmodi controversiis prædicti Duces opidum ecclesiæ nostræ *Alvelde* ceperunt, spoliaverunt, & castrum novum ibidem erexerunt. Sed Dominus Deus & pia mater ejus non obliti memoriæ suæ nec ecclesiam nostram omnino derelinquentes ex post aliqualem consolationem refuderunt, disponendo quod officiati domini nostri Episcopi prope castrum *Woldenstein* habito insultu cum adversariis, XXIV. armatos potiores de dictorum Ducum clientela ceperunt ipsomet *Duce Ottone* per fugam vix evadente. Ex tunc intervenientibus placitis treugæ factæ sunt, & tandem opidum Alvelde cum castro novo restitutum est nobis & captivi Ducum liberi dimissi. Idem dominus noster Episcopus toto suo tempore multas & diversas adversitates in spoliis, incendiis, & rebellionibus suorum, ab omnibus circumjacentibus Ducibus, nobilibus & oppressoribus suis inpugnatoribus gravissimè perpessus est; sed tamen dei & genetricis suæ Mariæ adjutorio, in qua plene confidebat, laudabiliter prævaluit. Castrum *Calenborch* obsedit & fluvium Leynam abduxit, magnis tamen laboribus & expensis, prout liquet. Castrum *Coldingense* ecclesiæ nostræ acquisivit, & per multa dispendia guerrarum & laborum retinuit. Castrum *Vynenborch* à *Comite Conrado de VVemingerode* pro magna summa pecuniæ emit, castrum *Blanckenborch* cepit adjuvante *Comite Tyderico de VVemingerode*, quædam tamen in placitis recepta aliquanta summa pecuniæ *Comite Borchardo de Regenstein* restituit; castrum *Steynbrugge* construere incepit; in *salina Gyter* quosdam redditus dictos Botpennige; ab illis de Knystede emit villam *Middesdeborg* & silvam attinentem ab illis de Roden, quam certa pecuniæ summa videlicet VII. marckis comparavit. Domum lapideam seu palatium in *Poppenborch* ædificari procuravit: Organa nostra nova ad ornatum Ecclesiæ nostræ sumtibus C. marcarum & ultra donavit: villam *Peyne* prope *Kerckverde* pro C. marcis comparavit: Insuper calicem de auro puro gemmis pretiosis ad ornatum ecclesiæ nostræ dedit. Anniversarium suum instituit solempniter in ecclesia nostra peragendum. Aulam Episcopalem quasi dirutam & vetustate consumptam reædificari procuravit. Claustrum Carthusiensium fundavit adjutorio bonorum virorum & reditibus dotavit. Ipse rexit ecclesiam nostram annis triginta tribus & erat suis subditis præsertim clericis multum affabilis & benignus, fuit sufficienter literatus & ideo clericorum fautor. Etiam multas orationes & dictaturas tam prosaicas quam metricas per se ipsum edidit & dictavit. Ipso autem in ætate decrepita constituto subditi sui & maxime ecclesiæ Vasalli tumultus & guerras inter se graves concitaverunt. In quibus ecclesia nostra maxime periclitata graves oppressiones & injurias sustinebat: Episcopo verò propter senium deficiente & rebellionem ipsorum compescere non valente talis modus intervenit, quod dominus *Johannes filius Comitis de Hoya* tunc Episcopus seu Electus Paderburnensis in coadjutorem domini Episcopi Hildeshemensis assumtus est, qui insolentias ante habitas refrenavit, prout aliqualiter fecit; quo translato ad Episcopatum Hildenshemensem dominus Gerardus modico tempore supervivit & defunctus apud Carthusienses Hildensemenses sepultus, feliciter in Christo requiescat, Amen.

Ante dictus autem *Johannes* ad Episcopatum Hildensemensem promotus in suo introitu aliqua satis strenue gessit; nam *Ducem Fridericum de Brunswic* terram Hildensemensem opprimentem ipse compescuit & repressit; etiam Castrum *Vreden* Ecclesiæ Hildensemensis multum præjudiciale expugnavit, cooperante *duce Hinrico*, & funditus evertit, & sic in statu competenti & satis pacifico Ecclesiam Hildensemensem circiter XX. annos juxta modum suum rexit.

Interea tamen factum est, quod venerabilis dominus *Eghardus de Hanenzee* præpositus Ecclesiæ Hildensemensis vir magnæ literaturæ & industriæ sinistro eventu ab emunitate urbis Hildensemensis violenter extractus & abductus, quasi fuisset violator pacis terræ, quæ tunc vulgariter *Landfrede* dicebatur, in turri Steurwald incarceratus & per duos fere annos inibi detentus diem suum ibidem clausit extremum: de quo dum rumor exiret, quasi fuerit in eadem turri occisus; præfatus dominus Episcopus coram multitudine congregationis cleri & populi civitatis Hildensemensis & suorum vasallorum protestationem publicam fecit, quod de interfectione seu morte ipsius domini præpositi ipse foret innocens & immunis, & ad expurgandum se ad hoc coram omnibus paratum se offerebat, sed habito colloquio inter illos, qui tunc præsentes aderant, juramentum ipsi domino Episcopo erat remissum. Vt tamen omni pace dicatur, idem dominus Episcopus in prodigalitate & fæminarum contubernio ultra mensuram & plus quam decuit, laxabat habenas; quapropter factum est, ut omnia castra & possessiones Ecclesiæ nec non bona ad mensam Episcopalem spectantia vel impignorata vel alienata ab ipso sunt relicta, & quod, ut apparuit nimium laycaliter se gessit plurimæ exorbitantiæ & inconvenientia sunt secuta, propter quæ, & etiam plura alia, prout verisimiliter formidandus est omnipotens Deus, multiplicibus flagellis nos & totam terram nostram & gentem gravissime attrivit, & præsertim ex eo, quod extremo tempore vitæ suæ videlicet ad quinque annos ante obitum ipsius domini Episcopi intolerabilis tempestas guerrarum & bellorum contra nos insurrexit; nam confœderati *Archiepiscopus Coloniensis*, *Archiepiscopus Magdeburgensis*, *Episcopus Halberstadensis*, *omnes duces Brunswicenses* & *Luneburgenses* & *Sleswicenses*, & multarum terrarum quam plures Comites & Barones cum omnibus ipsorum civitatibus & Vasallis contra solum Hildensemensem Episcopatum ferociter quasi eundem totaliter devastatum convenerunt, ac ipsum circumquaque rapinis, incendiis, interfectionibus, captivationibus, devastationibus & Ecclesiarum concremationibus hostilissime pervagarunt, quæ quidem gwerræ & inimicitiæ citra tres annos continuos protractæ sunt, in quibus nostrates etiam in duobus conflictibus dampnosissime succubuerunt; quorum unus fuit prope *Osterwik* & alter prope *Grone*, in quo *Dominus filius ducis Saxoniæ noster Canonicus* & Ecclesiæ Montis ad S. Mauritii Præpositus, heu fuerat interfectus. Qualia & quanta dampna Ecclesia & tota terra nostra ex hoc pertulerit, non facile est describere, sed hodierna debitorum onera & alia certa indicia manifeste declarant; unde factum est, quod prædictus dominus Episcopus tam senio quam penuria oppressus in coadjutorem suum recepit dominum *Magnum Illustris* [f. omissum *Ducis*] *Saxoniæ* filium tunc *Episcopum Caminensem* & ipsum accedente consensu & concordi electione Capituli Hildensemensis nec non conniventia cleri atque Vasallorum & quorum interfuit in Episcopum Hildensemensem sibi substitui a Domino *Papa Martino quinto* impetravit. Don. autem Magno in Episcopum nostrum promoto, factum est tripudium totius cleri & populi & post brevi intervallo temporis dominus Episcopus Johannes mortuus est & in medio ecclesiæ nostræ sepultus. Ipse rexit ecclesiam nostram XXV. annis citra vel ultra & maximis debitorum oneribus gravatam & omnium rerum distractionibus reliquit eandem, successori quoque suo nullum penitus locum liberum nullosve reditus aut paucissimos post se dereliquit, super quibus omnibus sibi parcat omnipotens Deus.

Idem autem Dominus *Magnus* Episcopatum Hildensemensem tam extreme depauperatum inveniens, quantum de suis pecuniis potuit, apportavit, mediantibus quibus huc usque vivit & perseverat. Idem dominus Magnus castrum *Grene* cum suis attinentiis à Domina *Ducissa de Brunsvic* in possessionem recepit. Ipse etiam fortalicium *Dachtmissen* à Ludolfo de Escharte comparavit, quod patim ex post *Duci Ottoni de Luneborch* sub certis pactis restituit pro acquisitione & emptione plurium castrorum in dominio Homburgensi, pro quibus etiam grandem pecuniæ summam eidem *Duci Ottoni* persolvit, videlicet ultra X. millia florenorum auri de Reno in promta pecunia.

XLVII.

EXCERPTA EX NECROLOGIO HILDESHEMENSIS ECCLESIÆ VETERI,

Ex eodem antiquo Codice Manuscripto authentico, posteriore subinde manu interpolato.

KAl. *Jan.* Thietmarus *Helmwardeshusensis* Abbas Godeschalcus Osenbrugensis Episcopus.

VII. Id. Januarii. Johannes quondam Præpositus & frater noster, qui contulit ad præbendam fratrum LXXX. marcas in obligatione advocatiæ Alegemesen & Muldinge & duos mansos in Repenarde & XL. jugera in Stempne ad eleemosynam refectorii & medietatem decimæ in Westenen, quam XXX. marcis expedivit, & tapete unum. Bona quoque Ecclesiæ in Dennesdorp in multis expedivit.

VI. Idus. Apud Ratisponam civitatem B. Herhardi Episcopi Beluaci.

V. Idus. Ekbertus Monasteriensis Episcopus. Bodo Comes.

Idus. Rothbertus Archiepiscopus.

XIX. Kal. Februarii. Fridericus Magtheburgensis Archiepiscopus.

XVIII. Kal. Ordinatio S. Bernwardi Episcopi & Confratris.

XVII. Kal. Godeschalcus Comes.

XV. Kal. [alia manu:] Theodericus Abbas S. Godehardi.

XIII. Kal. Alveradis comitissa.

IX. Kal. Otto Imperator.

V. Kal. Karolus magnus Imperator, cujus industria Saxones conversi sunt,

IV. Kal. Hermannus Comes occisus.

III. Kal. Febr. Fretherundis laica, quæ obtulit [sequitur recentiori manu:] catenam auream ad reliquias S. Mariæ & monilia & marcam argenti. Bernardus Comes de Welpa, qui dedit XX. marcas Ecclesiæ, ipso etiam supplicante Ecclesia nostra *genuflexionem* in gratiarum actione missæ majoris fieri decrevit: qui etiam capiebat mercatores de illis partibus, unde caligæ nobis in Saxoniam transmittuntur, & requisitus a Principibus non dimisit eosdem, donec caligas, quas in Saxoniam intulerunt, in parte interiori replere promitterent inter coxas, quia usque ad illa tempora sine impletione fuerant & junctura, quod sub bona cautione servare hæc firmiter promiserunt. Item huic eidem diabolus in pleno cujusdam Principis consilio loquebatur in hæc verba: Bernarde tene fortiter & viriliter. Quia forte de alicujus retentione juris tractabat, Diabolo respondebat sic: O diabole & ego certissime sic faciam, nec aliquo modo derelinquam. Item & alia multa eidem evenerunt, quæ non sunt aliquibus scripturis commendata.

IV. Non. Febr. S. Burchardi Episcopi & confratris. [sequitur recentiori manu:] Gunzelinus de *Wlferbotle*, qui dedit castrum *Peine* cum comeciis [f. commerciis] villis & bonis adjacentibus Ecclesiæ Hildeshemensi.

Marquardus nostræ Ecclesiæ quintus Episcopus. [recentiore manu sequitur:] Alberti Episcopi Leodiensis.

VII. Idus Februar. Conradus Abbas in Helm.

V. Idus Febr. Bernhardus Dux.

III. Idus Febr. Thiethardus Episcopus Osenbrugensis frater noster. Occisorum plus milium in loco cui nomen *Welphesholt.*

II. Idus Febr. Rembertus nostræ Ecclesiæ secundus Episcopus.

XVI. Kal. Mart. Albero IV. Babenbergensis Episcopus.

XV. Kal. Mart. Bruno Veronensis Episcopus.

X. Kal. Mart. Ludolfus de Waltinkerothe.

VIII. Kal. Mart. Methildis Comitissa.

VII. Kal. Mart. Willighis Archiepiscopus.

V. Kal. Mart. Reinhardus Episcopus.

II. Kal. Mart. Thiodericus Monasteriensis Episcopus frater noster.
VI. Non. Mart. Reinhardus Halverstadensis Episcopus frater noster.
II. Non. Mart. Retharius Episcopus.
II. Idus Mart. Methildis Regina. Bertoldus XIX. nostræ Ecclesiæ Episcopus.
XVII. Kal. April. Herbertus Episcopus. Fritherundis Comitissa.
XIII. Kal. April. Guthberti Episcopi & confratris. In Britannia S. Guthberti Episcopi, cujus corpus dum per XI. annos maneret humatum, postea quasi hora eadem esset defunctus, simul cum veste qua tegebatur, est inventum.
Ebo Archiepiscopus Remensis, nostræ Ecclesiæ III. Episcopus.
XII. Kal. April. [recentiore manu:] Hartbertus nostræ Ecclesiæ XXVI. Episcopus obiit.
IX. Kal. April. [recentiore manu:] Thetmarus Abbas S. Michaelis.
VII. Kal. April. S. Liudgeri Episcopi.
V. Kal. April. Heinricus Abbas Vuldensis.
IV. Kal. April. Rothbertus Comes.
III. Kal. April. Bertoldus Comes dedit nobis duos mansos.
Kal. April. Hermannus Comes de Lichcave dedit duos mansos in Buine.
IV. Non. April. Baldevvinus Rex Hierosolimitanus.
III. Non. April. [manu recentiore:] Burghardus Magdeburgensis Archiepiscopus, quondam Ecclesiæ nostræ custos, in cujus anniversario dabuntur V. denarii de areis & lapidibus.
II. Non. April. Ecbertus Comes dedit Bulthem cum sexaginta mansis fratribus.
VIII. Idus April. Aribo Archiepiscopus.
V. Idus April. [alia manu:] Anniversariis domini Henrici dicti de Goltorne Concanonici nostri & in Episcopum Ecclesiæ Bremensis electi dabuntur V. denarii ad vigilias vicariis, qui non recipiunt portionem cum dominis nostris. IIII. solidos scolaribus. II. sol. candela de libra ceræ. camp. & camer. I. sol. & hæc dabuntur de III. mansis in Bokenum & suis attinensiis.
III. Idus April. Beatrix Comitissa.
Idus April. Conradus Episcopus Trajectensis nobis oblationem misit.
XVII. Kal. Maji. Heinricus Maghedeburgensis Archiepiscopus frater noster.
XIV. Kal. Maji. Mylo Episcopus.
VIII. Kal. Maji. Israhel Episcopus.
VII. Kal. Maj. Meinvvardus abbas S. Michaelis.
V. Kal. Maj. [recentiore manu:] Siffridus XXXII. Episcopus obiit. [alia manu:] Et Sifridi nostræ Ecclesiæ Episcopi. Borchardi Magdeburgensis Archiep. Hermanni Halberstadensis Episc. & Sifridi præpositi nostri, dictorum de Blankenborgh. Heinrici & Borchardi fratrum Comitum de Woltenberghe. Kunegundis & - - - - - - uxorum suarum atque filiarum & filiorum dictorum Comitum cum suis uxoribus. Meynardi, Andreæ & Conradi. Et dabitur cuilibet canonico præsenti dimidia stopa vini & una solida. Cuilibet vicario quarta vini & tres denarii. Duæ libræ ceræ ad ponendum duas candelas: campanariis sol. & cum majoribus campanis pulsabitur.
IIII. Kal. Maj. Otto Abbas. Sivvardus Mindensis Episcopus, frater noster.
III. Kal. Maj. Conradus Tullensis Episcopus frater noster.
[In margine recentiori manu:] Henricus Dux Palatinus.
II. Kal. Maj. [alia manu:] Conradus de Woldenberghe Diaconus, nostræ Ecclesiæ Canonicus.
IIII. Non. Maj. Translatio S. Godehardi confratris.
III. Non. Maj. Natalis S. Godehardi. Buno camerarius S. Godehardi. Juditta Abbatissa.
II. Non. Maj. [recentiore manu:] Wulbrandus de Waldenbergh frater noster, subdiaconus, Canonicus.
IV. Idus Maj. Commemoratio omnium peregrinorum S. Godehardi.
II. Idus Maj. Dodo Episcopus.
XVII. Kal. Jun. Winnimarus Abbas.
XIIII. Kal. Jun. Volchardus Brandeburgensis Episcopus, præpositus noster.
XIII. Kal. Jun. Burchardus Abbas S. Michaelis.
VIII. Kal. Jun. Thiodericus Abbas S. Michaelis.
VI. Kal. Jun. Berta Comitissa.
II. Kal. Jun. Hildibertus Archiepiscopus. Suanehildis Comitissa.
III. Non. Jun. Bruno Episcopus.

II. Non. Jun. Conradus Imperator. [manu recentiore:] Anno Domini MCCLXXXVIII. occisi sunt milites in Helmenstat a burgensibus.
VIII. Idus Junii Nortbertus Magedeburgen. Archiepiscopus, frater noster.
VII. Idus Junii. Fridericus Abbas S. Godehardi.
V. Idus Junii. Obitus multorum millium occisorum in primo bello ad locum, cui nomen Haimburg.
IV. Idus Junii. Ghertrudis Ghandershemensis Præposita. Cunegundis in Quidelincheburg Præposita.
III. Idus Junii. Reghinbertus Episcopus. Henricus Rex Angliæ.
II. Idus Jun. Athelgotus Maghedeburg. Archiepiscopus, frater noster.
XVIII. Kal. Jul. Athelburgis Comitissa.
XV. Kal. Jul. Harthuvicus Maghedeburg. Archiepiscopus, frater noster.
XIIII. Gunzelinus Comes.
XII. Heilbertus Archiepiscopus, Lodewicus Imperator fundator nostræ ecclesiæ, cujus memoriam fratres celebrem fecerunt, & XX. quinque solidos, qui eis annuatim debentur de curia Archiepiscopi Reinoldi vendita, in ejus anniversarium deputaverunt.
X. Kal. Julii. Adolfus Abbas in Helmvvardeshusen.
VIII. Kal. Julii. Wino Abbas in Helmwardeshusen.
VII. Kal. Julii. Thietmarus Episcopus.
VI. Kal. Julii. Otto Dux.
IIII. Kal. Julii. Vdo Osenbrugensis Episcopus, frater noster. Methildis Ducissa benedictæ memoriæ.
II. Kal. Julii. Otto Babebergensis Episcopus, frater noster. Ghoderamus Abbas S. Michaelis.
Kal. Julii. Hildeburgis Abbatissa. Henricus Comes.
VI. Non. Julii. Oda Regina, soror nostra.
V. Non. Julii. Heinricus Archiepiscopus.
IIII. Non. Julii [recentiore manu:] Ottonis filii illustris Principis Ottonis Ducis in Brunswic XXXI. Episcopi.
III. Non. Jul. Guntharius nostræ Ecclesiæ primus Episcopus. Beringharius Comes dedit tres mansos cum octo mancipiis in Meinwardin Kerothen.
II. Non Jul. Wichardus Abbas S. Michaelis. Adolfus Comes & Enkelbertus occisi in Slavia cum aliis multis.
VIII. Idus Jul. Albertus Comes.
VI. Idus Jul. Albericus Abbas in Helmwardeshusen. Hermannus nostræ Ecclesiæ XXII. Episcopus dedit III. mansos in Sutherem cum molendino in usum fratrum cessuros in commemoratione fidelium animarum.
V. Id. Jul. Altfridus Althaensis Abbas.
IIII. Id. Julii. Gherberga Abbatissa in Quindelingeburgh.
III. Id. Julii. Heinrici Regis.
Byso Halverstadensis, frater noster. Heynricus primus Imperator, frater noster, nostram pia adauxit voluntate præbendam dans Bokbarden fratribus & curiam unam in Leithe, cum XXV. mansis, ecclesiam nostram ditans palliis. [recentiori manu:] Henricus XXXIII. Episcopus obiit.
II. Idus Jul. Heinricus Episcopus.
Idus Julii. Liudgardis Abbatissa in Gandersheim. [recentiore manu:] Anno Domini MCCXCI. obiit Rodolfus natione de Havekesborch serenissimus Rex Romanorum.
XVII. Kal. August. Arnoldus Abbas S. Godehardi. Methildis Comitissa.
XVI. Kal. August. Volcmarus Episcopus.
XV. Kal. August. Godefridus Dux Jherosolimitanus.
XIII. Kal. August. Rothbertus S. Mauritii. Wilbrandus Osenbrugensis frater noster. Bernhardus nostræ Ecclesiæ XX. Episcopus.
XI. Kal. Aug. Bertoldus Vuldensis Abbas frater noster. Bodo Comes.
VI. Kal. Aug. Victor Papa. Benno Osenbrugensis Ecclesiæ Episcopus frater noster.
IIII. Non. Aug. Ekkehardus Sleswicensis Episcopus frater noster.
III. Non. Aug. Conradus Præpositus Goslariæ. Ekkehardus dedit mansum unum & quinque mancipia in Adiukerothe.

Non. Aug. Amelungus Abbas in Riddageshusen, frater noster. Ettelo nostræ ecclesiæ XVII. Episcopus.

VIII. Idus Aug. Thietmarus Episcopus.

VII. Idus Aug. Wezelo Magdeburg. Archiepiscopus frater noster.

IV. Idus Aug. Conradus Dux occisus.

XIX. Kal. Septembr. Suaneheldis Comitissa. Reinnaldus Coloniensis Archiepiscopus, frater noster.

XVIII. Kal. Sept. Altfridus nostræ Ecclesiæ quartus Episcopus. Borchardus Comes dedit quatuor mansos in Osethe.

XVII. Kal. Sempt. Wicherus Episcopus [recentiori manu:] Conradus nobilis de Werberch interfectus in prælio ante castrum Harlingeborch anno Domini MCC XCI. [alia manu:] Et eodem die translatio S. Berwardi Episcopi.

XV. Kal. Sept. Heinricus Comes.

XIV. Kal. Sept. Jofredus Comes.

XIII. Kal. Sept. Bruno Episcopus.

XII. Kal. Sept. Erwinus Comm. conversus.

XI. Kal. Sept. Bodo Comes.

IX. Kal. Sept. Piligrimus Coloniensis Archiepiscopus.

V. Kal. Sept. Conradus Comes dedit pallium ad reliquias S. Mariæ & ad præbendam fratrum IV. mansos cum sex mancipiis in Stochem & Odesrode.

Kal. Sept. Heinricus Moguntinus Archiepiscopus in Embike.

II. Non. Sept. [alia manu:] Elika Abbatissa in Ringelhem soror nostra. Hæc & soror ejus Athelheidis Abbatissa prædium suum in Hevenhusen contulerunt Ecclesiæ.

VIII. Idus Sept. Ludolfus Dux.

IV. Idus Sept. Thiodericus Comes.

III. Idus Sept. Conradus Abbas S. Michaelis.

Idus Sept. Thiethardus nostræ Ecclesiæ nonus Episcopus.

XVIII. Kal. Octobr. Thietmarus Abbas in Helmvvardeshusen.

XV. Kal. Octobr. Lodewicus Rex Franciæ.

XII. Kal. Octobr. Ernestus Præpositus S. Mauritii in Nighenborgh. Adeloghus nostræ Ecclesiæ XXIII. Episc.

IX. Kal. Octobr. Thietmarus Verdensis Episcopus frater noster. Emo Halberstadensis accola, frater noster. Bernghozus Abbas Vuldensis. Odulfus presbyter Corbeiensis. Ethelgherus. Poppo. Guntherus Halverstadenses canonici cum aliis multis incendio interierunt.

VI. Kal. Octobr. Thiodericus Episcopus.

IV. Kal. Oct. Gozmarus Richenbergensis Præpositus.

V. Non. Oct. Thietmarus Comes occisus. Dedit Embrike ad præbendam fratrum.

III. Non. Oct. Everhardus Comes. Heinricus Imperator dedit dimidiam partem castelli Poppenburg ad præbendam fratrum pro anima sua & anima patris sui, pro quo in commutatione quatuor mansos accepimus, quorum unus tantum decimatur, scil. in Ghudenstede V. in Adelendorp, duos & dimidium in Herle.

Non. Oct. Erkenbertus Abbas Corbeiensis.

VIII. Idus Oct. Rainvvardus Episcopus. Ekbertus Præpositus in Backenroth.

VI. Idus Oct. Sehardus nostræ Ecclesiæ VIII. Episcopus.

V. Idus Oct. Hardvvicus Bremensis Archiepiscopus.

II. Idus Oct. Thiodericus Comes, pro cujus anima filius suus Comes Thiodericus, qui post eodem die obiit, dedit fratribus duos mansos & dimidium in Westvelde, solventes XX. solidos, & uxor sua pro anima ejus dedit ministerialem unum cum bonis suis in Dungen.

XV. Kal. Novemb. Bernhardus Comes. Bruno vigesimus nostræ Ecclesiæ Episcopus.

XIV. Kal. Novemb. Vdo nostræ Ecclesiæ XVIII. Episcopus.

XIII. Kal. Novemb. Heinricus Dux Bavarorum. Altmannus Comes.

XI. Kal. Novemb. Ghero Archiepiscopus.

X. Kal. Novembr. Alfurinus Mersburgensis Episcopus frater noster.

IX. Kal. Novemb. Fridericus Archiepiscopus.

VII. Kal. Nov. Methildis Comitissa.

V. Kal. Nov. [Recentiore manu:] Berno Episcopus XXIV.

IV. Kal. Nov Richardis Abbatissa.

III. Kal. Nov. Heinricus Magdeburg. frater noster.

II. Kal.

II. Kal. Nov. *Heinricus puer, filius Heinrici Ducis Saxoniæ.*
Kal. Nov. Wicbertus nostræ Ecclesiæ VI. Episcopus.
IV. Non. Novemb. *Heinricus Dux.*
III. Non. Nov. Walbertus nostræ Ecclesiæ VII. Episcopus.
II. Non. Nov. Robertus Comes.
VII. Idus Nov. Thiodericus Comes.
VI. Idus Nov. Osdaghus nostræ Ecclesiæ XI. Episcopus.
IV. Idus Nov. Erpo Monasteriensis Episcopus frater noster.
III. Idus Nov. Ghivehardus Constantiensis Episcopus.
II. Idus Nov. [Recentiore manu:] Sifridus XXVII. Hildensemensis Episcopus.
XVIII. Kal. Decembris. Tiethmarus nostræ Ecclesiæ XV. Episcopus.
XII. Kal. Dec. Sighebertus Comes. Bertsuidis sanctimonialis.
X. Kal. Dec. Ekkehardus Abbas.
IX. Kal. Dec. Conradus Abbas S. Michaelis.
V. Kal. Dec. Sighefridus Episcopus.
IV. Kal. Dec. Poppo Patherbornensis Episcopus frater noster.
II. Kal. Dec. Oddo Comes.
Kal. Dec. Wernherus Monastericensis Episcopus frater noster. Eilbertus Mindensis Episcopus frater noster. Othwinus nostræ Ecclesiæ X. Episcopus.
III Non. Dec. Godefridus Præpositus in Abbenroth.
II. Non. Dec. Lotharius Romanorum Imperator. Anno Coloniensis Archiepiscopus.
Non. Dec. Vulfhelmus Abbas Vuldensis.
VIII. Idus Dec. Suanehildis Comitissa.
VII. Idus Dec. Gherdagus nostræ Ecclesiæ XII. Episcopus.
VI. Idus Dec. Bertradis Abbatissa.
IV. Idus Dec. Fulgentius primus Abbas Affligensis, frater noster.
Idus Dec. Wlfildis Ducissa dedit Thurthebere ad hospitale fratrum.
XVII. Kal. Januar. Methildis Abbatissa.
XVI. Kal. Jan. Athelheidis imperatrix.
XV. Kal. Jan. Arnulfus Abbas. [Recentiore manu:] Anniversarius venerabilis domini Conradi XXVIII. Ecclesiæ nostræ Episcopi.
XIV. Kal. Jan. Gheroldus Comes.
XI. Kal. Jan. Thiodericus Cardinalis frater noster.
X. Kal. Jan. Rodingherus primus Abbas in Ringelhem.
IX. Kal. Jan. Meingozus Archiepiscopus.
VIII. Kal. Jan. Anno Episcopus. Hildesindis comitissa.
VI. Kal. Jan. Walbertus Episcopus.
II. Kal. Jan. Irmenburgis Abbatissa.

XLVIII.
INDICULI CONFRATERNITATUM ET EPISCOPORUM HILDENESHEMENSIS ECCLESIÆ:
ex eodem Codice.

Nomina Ecclesiarum, quæ nobis fratres & sorores in Christo nostras orationes in cotidianis sacrificiis a nobis expectant, & suas debent nobis vivis & defunctis, sicut a majoribus nostris accepimus.

R*Emensis* Ecclesia, quæ mater fuit Hildeneshemensis Ecclesiæ in Canonica institutione. *Parisiensis* in Francia. *S. Gereonis* in Colonia. *Babenbergensis. Monasteriensis. Paterbrunnensis. Halverstadensis. Vuldensis. Heresfeldensis. Corbejensis. Helemwardeshusensis. Heresa. Gandersheimensis. Goslariensis. Ringelhemensis. Brunesvvicensis. Pragensis. Montecassino. Turonis. Quidilingburgensis. Magetheburgensis. Osenbrucgensis. Altahensis. Tegrinsenses*, qui missale cum evangeliis & lectionario in signum fraternitatis huc dederunt. Hi omnes nomina & obitus de-

functorum suorum per literas & per nuntios nobis annunciare debent, & nos illis nostrorum fratrum, ut fiant communes orationes per XXX. dies & in anniversariis, in missis & in cæteris commemorationibus mortuorum, & in autumno per tres dies recordationis fratrum, nomina prædictarum Ecclesiarum in conventu publico recitari debent, & in publicis missis, tam pro vivis quam pro defunctis, memoria fratrum nostrorum & sororum per hos tres dies cum oblationibus celebrari debet & elemosinis.

Hæc sunt nomina Episcoporum Hildenesheimensis Ecclesiæ a tempore Karoli Magni, qui fundavit hanc ecclesiam.

Guntharius, primus Episcopus.
Rembertus secundus Episcopus.
Ebo III. qui prius Remensis Archiepiscopus.
Altfridus quartus Episcopus.
Marcwardus quintus Episcopus.
Wigbertus sextus Episcopus.
Walbertus septimus Episcopus.
Sehardus octavus Episcopus.
Tiethardus nonus Episcopus.
Otwinus decimus Episcopus.
Osdagus undecimus Episcopus.
Gerdagus duodecimus Episcopus.
Bernwardus tertius decimus Episcopus.
Godehardus quartus decimus Episcopus. (*)
Thietmarus quintus decimus Episcopus.
Ezelinus XVI. Episcopus.
Ettilo XVII. Episcopus.
Vdo XVIII. Episcopus.
Bertoldus XIX. Episcopus.
(**) *Bernhardus XX. Episcopus.*
Bruno XXI. Episcopus.
Bermannus XXII. Episcopus.
Adelogus XXIII. Episcopus.

[Sequuntur in Codice membranaceo *Nomina Presbyterorum Hildeneshemensis Ecclesiæ Canonicorum*; Item, *Nomina Diaconorum Hildeneshemensis Ecclesiæ Canonicorum*; Tandem *Nomina Subdiaconorum & Accolitorum & Scholarium Hildeneshemensis Ecclesiæ Canonicorum, qui ab Anno Incarnationis Dominicæ M LXXIX. post obitum Ettylonis XVII. Episcopi obierunt in Christo sub Vdone XVIII. Episcopo de majori Monasterio Sanctæ Mariæ Matris Domini.* Quæ omnia, quoniam mera nomina Canonicorum continent, nec cujus familiæ fuerint inde intelligi potest, prætermisimus.]

XLIX.
NOMINA ARCHIEPISCOPORVM ET EPISCOPORVM,

Qui primum in Hildeshemensi Ecclesia cathedrali Canonici fuerunt,

ex eodem supra citato Codice membranaceo.

I. Nomina fratrum nostrorum Archiepiscoporum.

Frithericus Archiepiscopus.
Reinvvardus Archiepiscopus.

Volcma-

(*) Hic versus minio scriptus erat.
(**) Hi minio scripti scriptoris contemporanei.

Volcmarus Archiepiſcopus.
Bruno Archiepiſcopus.
Willehemmus Archiepiſcopus.
Rothbertus Archiepiſcopus.
Ghero Archiepiſcopus.
Etheldagus Archiepiſcopus.
Luidolfus Archiepiſcopus.
Willeghiſus Archiepiſcopus.
Vnewanus Archiepiſcopus.
Anno Colonienſis Archiepiſcopus. Anno incarnationis Domini Milleſimo centeſimo VII.
Heinricus frater noſter a puero in noſtra Eccleſia nutritus Magedeburgenſis Archiepiſcopus; ſub Papa Paſchali vero catholicè ordinatus.
Conradus Salzburgenſis Archiepiſcopus.
Reinaldus Colonienſis Archiepiſcopus.

II. Nomina fratrum noſtrorum Epiſcoporum.

Dudo Epiſcopus.
Londwardus Epiſcopus.
Bernhardus Epiſcopus.
Ecvvriſius Epiſcopus.
Thieodericus Epiſcopus.
Eſicus Epiſcopus.
Dodo Epiſcopus.
Erpo Epiſcopus.
Bernharvis Epiſcopus.
Bernhardus Epiſcopus.
Ekkehardus Epiſcopus.
Bruno Epiſcopus.
Sigifridus Epiſcopus.
Bruno Epiſcopus.
Ezelinus Epiſcopus.
Volcwardus Præpoſitus noſter Epiſcopus.
Bernhardus Epiſcopus.
Bruno magiſter ſcolarum Hildeneſhemenſium, poſtea Veronenſis Epiſcopus a Capellano ſuo occiditur.
Poppo Patherburnenſis Epiſcopus.
Cono Briſſinenſis Epiſcopus.
Benno Oſenbrucgenſis Epiſcopus & Præpoſitus noſter.
Volcmarus Mindenſis Epiſcopus in ſciſmate.
Erpo Monaſterienſis Epiſcopus in ſciſmate.
Conradus Trajectenſis Epiſcopus occiſus.
Eppo Præpoſitus ſancti Petri Goſlariæ frater noſter Wormacienſi Epiſcopo ab Alberto ſuperponitur in ſciſmate, quod fuit inter Romanam Eccleſiam & Heinricum quartum Regem hujus nominis.
Albuyinus primum Magiſter ſcolarum Hildeneſhemenſium, poſtea Merſeburgenſis Epiſcopus.
Siwardus Mindenſis Epiſcopus.
Vdo Oſenbrucgenſis Epiſcopus, primum Præpoſitus Sancti Mauritii.
Bernhardus Patburnenſis Epiſcopus.

L.

EXCERPTA PAUCULA EX LIBRO DONATIONUM ECCL. HILDESHEMENSI FACTARUM,

ex eodem Codice MSto.

MEthildis Ducissa Ecclesiæ nostræ devotissima una cum marito suo Heinrico Duce (*) contulit Ecclesiæ optima ornamenta auro & aurifrigiis decentissime ornata: casulam candidam, casulam rubeam, dalmaticam candidam, dalmaticam rubeam, subtile album, subtile rubeum, stolam de aurifrigio cum mapulis, cappam purpuream, cappam niveam, albam unam, thuribulum Græcum, pallam altaris totam auro textam, & alteram meliorem auro acu pictam: insuper aliud pallium auro textum, scrinia duo & sandalia ad ministerium Episcopale.

Ludolfus Presbyter frater noster dedit tres mansos in Snen. III. in Suathinkeburnen & V. in Alvelde, pro quibus vero quidam Fritherjcus dedit duos, decem & octo solidos solventes, unum in Huogisen & alterum in Everdaghesen. Pro tribus in Suatinkebornen *Comes Hermannus* dedit mansum in Bethmare.

Reinaldus Coloniensis Archiepiscopus frater noster, qui præter alia nobis collata beneficia, cum *Præpositura nostra* fungeretur officio, XII. mansos, quorum IV. in Sowinke, III. in Elize, cum decima eorundem mansorum & molendino, III. in Hesethe similiter cum decima, duo siti sunt in Herite, Ecclesiæ nostræ donavit; ad hoc videlicet, ut quæsitis inde sumtibus in festo Beatæ Mariæ Magdalenæ, quam ipse pio quodam ac singulari venerabatur affectu, fratres congregationum nostrarum, qui videlicet festivitatum nostrarum stationibus interesse solent, una nobiscum in refectorio nostro congruam refectionem percipiant, nosque propter commune illud commodum annuatim in obitus sui die speciale servitium, quale per hospitia distribuitur, ac discretam portionem in refectorio consequamur, & ut eodem die D. pauperes, in cœna vero Domini CL. constitutis sibi partibus perfruantur. Cyphum insuper argenteum sed deauratum XXX. marcis comparatum ad usum fratrum contulit, cum tali additamento, ut in perpetuum qualibet die dominica finito prandio post ablutionem manuum ex parte Præpositi vino fratribus impleatur. Curiam quoque suam capellæ Beati Pauli adhærentem ædificiis valde bonis ornatam utilitati fratrum deputavit. Ecclesiam vero nostram pallio bono aureis signis distincto & vexillis exornavit. Ad hospitale præterea nostrum, quod ipse cum capella & ponte lapideo adjacente suis impensis a fundamento construxit, mansos XXX. duos, quorum III. in Volesvitherode, in Hertberc IV, in Wezenethe VIII, in Algrunesen duo & dimidius, in Arberghe III, in Himedesdore duo, in Embrike duo, in Escherte unus, in Lutinkeshem IV. cum molendino, in Ludoldeshem duo consistunt, ac III. domos in foro annuatim III. talenta solventes, præter areas quamplures sua industria ac suis laboribus acquisitas cum libris & suppellectili sua condonavit. Dedit insuper ipse & frater suus Ludolfus eidem religiosæ domui quinque mansos de prædio suo, in Mechevelde III, in deserto loco quodam I, in Beneskeshem I, non minus nostram quam Coloniensem, cui præerat, in omnibus veneratus Ecclesiam.

Bruno Diaconus frater noster contulit ad præbendam fratrum IV. mansos in Byrne, quos in commutationem curiæ suæ a *Comite Hermanno de Licbouve* accepit. Insuper quinque mansos in Elvede ad usum Capellæ curiæ suæ, & ad refectionem fratrum S. Mauritii & sanctæ Crucis in die Paschæ in eadem curia Sanctæ Mariæ obtulit. Ipse etiam duo dorsalia longa & bona, & duas cappas de rubeo examito aurifrigio ornatos, & duas cruces cum vexillis Ecclesiæ contulit. Præterea in sanctuario Ecclesiæ fenestram posuit, & opus quoddam, quod paradisum vocant, in septentrionali parte inchoavit, quod morte præventus non consummavit.

LI. FRAG-

(*) Bavariæ & Saxoniæ, qui vulgo *Leo* appellatur.

LI.

FRAGMENTVM de RELIQVIIS QVIBVSDAM Ecclesiæ Cathedralis Hildeshemensis, ex eodem MSo.

ANno Incarnationis Dominicæ M LXI Indictione XIV. templum hoc a venerabili hujus sedis *Episcopo Hecelone* renovatum est, & III. Nonas Maji devote consecratum ordinationis suæ anno nono, in honore Sanctæ & individuæ Trinitatis & victoriosissimæ Crucis, & S. Mariæ Matris, de cujus lacte & capillis hic habetur, & Sanctorum, quorum hic reliquiæ recluduntur & nomina subtrabuntur: Johannis Baptistæ, Johannis Evangelistæ, Andreæ, Pauli, Bartolomei, & Sanctorum Martirum Stephani, Viti, Iustini, Cancii, Canciani, Cosmæ & Damiani, Tyburtii & Valeriani, Justi & Arthemii, Pancratii, Mauritii, Gereonis, *Bonifacii*, Albani, Clementis, Sixti, Laurentii, Oswaldi, Marci, Marcellini, & Petri, Dyonisii, Rustici & Eleutherii, Victorini, *Blasii*, Ypoliti, Gangolfi, Lamberti, Apollotori, Theodori, Cyriaci, Quirinii, Peregrini, Sysinniii, Hermetis, Cornelii, Cypriani, Cassiani, Fabiani, Sebastiani, Proti, Adriani, Gorgonii, Naboris, Nazarii & Sanctorum Confessorum Silvestri, Gregorii, Martini, Hilarii, Augustini, Ieronimi, Benedicti, Epiphanii, *Willebadi*, Remigii, Amandi, Clodoaldi, Nicolai, Remedii, *Ludgeri*, & Sanctarum Virginum Ceciliæ, Speciosæ, Cancianillæ, Honestæ, Margaretæ, Luciæ, Brigidæ, Agnetis, Agathæ, Ludrudis, *Pusinnæ*, Barbaræ, Verenæ, Mariæ Magdalenæ.

In quolibet festo Sanctorum prænominatorum, & in quolibet festo novem lectionum ardebit candela retro altare Sanctæ Mariæ, posita ad matutinas a principio usque in finem, & ad matutinas S. Mariæ. Parabitur autem ter in anno, primo in anniversario Conradi Presbyteri de VII. libris ceræ, quæ dabuntur de duabus areis & domibus novæ civitatis Præpositi. Secundo de tribus anniversariis Rodolfi Subdiaconi Goslariensis Canonici, & Patris sui Leonardi in purificatione, & matris suæ Gertrudis in vigilia Laurentii de quinta & dimidia libra ceræ, Tertio in anniversario Wlueri Presbyteri, qui est in festo Dionisii libra & dimidia ceræ, & de anniversario Gerungi Laici, qui est in vigilia Ceciliæ de duabus libris ceræ. Ardebit etiam candela in anniversariis prædictorum ad vigilias, ad missas & ad omnes horas. Ecclesiasticis dabuntur duo solidi in anniversario Rodolfi Canonici. VI. denarii in anniversario patris sui & VI. denarii in anniversario matris suæ, & VI. denarios in anniversario Gerungi Laici.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Martini, ad tumbam Beati *Godehardi*: de vestimentis S. Mariæ, Andreæ, Jacobi & Sanctorum Martyrum, Stephani Protomartyris, Laurentii, Cosmæ & Damiani, Tiburcii & Valeriani, Cancianorum, Pancratii, Vincencii, Pantaleonis, Gereonis & sociorum ejus, Christophori, Ipoliti, Fabiani & Sebastiani, Sanctorum Confessorum Nicolai, Martini, *Godehardi*, Epiphanii, & Sanctarum Virginum Ceciliæ, Margaretæ, Mariæ Magdalenæ, Vrsulæ, Colentiæ, & S. Voti Martyris, Petri Apostoli, Mennæ Martyris, Mimatis Martyris, Floriani Martyris, Pelagii Martyris, Valerii confessoris, Burchardi Episcopi. Hoc altare fecit Bruno Presbyter & celerarius, & consecravit *Adellogus Hildeneshemensis Episcopus*. Ad hoc altare in quolibet festo cujuslibet Sancti prænominati & Patroni ardebit unum lumen a vespere usque mane in candelabro suspenso ad pedes tumbæ S. Godehardi, & ministrabitur idem lumen cum aliis luminaribus Patronorum altarium S. Mariæ & Sancti Johannis & S. Stephani, & ad altare S. Petri in quolibet festo & octava, quæ agitur Apostoli de XII. arearum advocatia in Wittenborc decima unius mansi & villæ. Hæc advocatia acquisita est ab Arnoldo Laico & decima a milite Sifrido, consentiente & donante Domino *Sifrido Hildeneshemensi Episcopo*. Tria altaria criptæ Sanctæ Mariæ, Sancti Johannis, S. Stephani destructa & reparata a Conrado Cantore, reconsecrata sunt a *Harberto Hildeneshemensi Episcopo*, superadditis prioribus reliquiis pluribus anno Dominicæ Incarnationis M CCVI.


In capsa argentea continentur reliquiæ Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, de crinibus, de unguibus, de lacte & de vestimentis, de sudario Domini, de sanguine Domini, de circumcisione Domini.

Reliquiæ Sanctorum ad altare in medio criptæ, in honore Sanctæ Crucis, & S. Mariæ Virginis, Pauli Apostoli, Sanctorum Martyrum Georgii, Viti, Castuli, Sanctorum Cancianorum Justi & Arthemii & Honestæ Virginis, Christophori, Peregrini, Sanctorum Confessorum Ambro-

Ambrosii, Epiphanii, Innocentii, Sanctarum Virginum Ceciliæ, Luciæ, Margaretæ.

Reliquiæ ad australe altare ejusdem criptæ in honore S. Iohannis Baptistæ & S. Iohannis Evangelistæ, Oswaldi Regis & Martyris, Pancratii martyris, Vigilii martyris, *Godehardi Confessoris*, Benedicti Abbatis, Remigii Confessoris, *Heinrici Confessoris*, *Ottonis Confessoris*, Mariæ Magdalenæ, *Kunigundis* Virginis.

Reliquiæ ad septentrionale altare in honore S. Stephani Protomartyris, Laurentii Martyris, Cosmæ & Damiani Martyrum, Tyburtii & Valeriani Martyrum, Marci & Marcelliani martyrum, Nycolai Episcopi, *Berewardi Episcopi.*



LII.

Catalogus
EPISCOPORVM HILDENESHEIMENSVM
Sumtus de Chronicis Eggehardi Vragiensis Abbatis ad Egbertum Corbeiensem Abbatem.

KAROLVS Imp. magnus, qui toto vitæ suæ tempore diversis conflictibus Saxones domum bello ad fidem compulit, Ecclesias per loca s. Paterbornæ, Corbeijæ: quæ tamen postea anno Hludvici filii Karoli XI. anno Domini DCCCXXII. VIII. Idus Aug. denuo est fundata. Minde, Hildensem, Herstelle & cæteras, ædificari fecit; & Episcopatus futuros præordinavit.

Anno Domini DCCCXIV. Karolus ad Christum migravit ætatis LXXIII. Regni XLIII. Imperii XIV. Cujus filius Ludevvicus successit: qui & eosdem Episcopatus juxta desiderium Patris instituit.

Karolus autem in Aulica, quæ nunc Elcen dicitur juxta Hildesen ad duo milliaria, ubi Sala rivulus perennis Leynæ influit, sita, Episcopatum esse decrevit; & ibidem Ecclesiæ fundamenta ponens S. Petro Apostolo dedicavit.

Ludevvicus filius ejus eam in Hildensem transferens, eo, quod reliquiæ S. Dei Genitricis ab eo lcoco avelli ac asportari non poterant, in honore gloriosæ virginis Episcopatum fundavit; &

I. GVNTHARIVM, primum Episcopum ordinari fecit. Hic in Cœmeterio Capellam ædificavit, in qua ipse sepultus in Domino requiescit.

II. REYBERTVS. Obiit DCCCXXV.

III. EBO, Episcopus Remensis deponitur, & Hildensem Imperatoris clementia relegatur, qui annis XII. sedit.

IV. ALTFRIDVS DCCCXLVII. Hic Monasterium inchoavit. Duas Curtes suas *S. Salingenstad*, & *Asnede* Deo offerens. In Salingenstad Monachorum: Asnede Monialium * constituit.

Hic anno Domini DCCCLII. cum *Ludolfo* primo Duce in *Brunethesbusen*; & quarto post hæc anno in *Gandersheim* virginum Cœnobium inchoavit. Qui Ecclesiam ibidem ædificare cœpit, & *Hathomudam* ejusdem Ducis filiam Luidolphi, primum Abbatissam ordinavit, qui XVIII. post anno Hathomuda defuncta, *Gerbergam* sororem ejus, secundam Abbatissam consecravit.

Ipse etiam anno Domini DCCCLXXII. Ordinationis XXVI. Hildensemense Monasterium consummavit; & Kalend. Novemb. in honore S. Mariæ, Cosmæ & Damiani, Tiburtii & Valeriani, sanctæque Cæciliæ dedicavit.

Sedit annis XXIX. In die assumptionis obiit, & *Asnede* in Cœnobio est sepultus, quod ipse fundaverat anno Domini DCCCLXXV. post Altfridum.

Ludolfus quidam Monachus Corbeiensis postulatur, sed morbo præventus aufertur.

V. MARQVARDVS. Hic Abbatias *Salingenstad* & *Asnede* negligenter amisit. Hic IV. ordinationis suæ anno a Sclavis est occisus.

VI. WIGBERTVS. DCCCLXXX. Domini anno in Episcopum est electus, Artis medicinæ

* Foret omissum: *congregationem*.

cinæ peritus. Bibliam totam, quæ est adhuc in Ecclesia, manu propria conscripsit.

Hic anno Domini DCCCLXXXIII. suæ ordinationis anno IV. *Ecclesiam in Gandershem* ædificavit; Gerberga Abbatissa defuncta, sororem ejus *Christinam* ibidem instituit Abbatissam.

VII. WALTERVS VII. Episcopus. Hic Præposituram & præbendas fratrum, ut Antecessor ejus, instituit. Proposuerat, ut scilicet tertia pars proventuum Ecclesiæ, cederet fratribus. Iste etiam, Christina defuncta, *Rotsuindam* Abbatissam Gandersem ordinavit.

VIII. SEHARDVS VIII. DCCCCXXVI. anno Domini. Turrim occidentalem in Gandersem dedicavit; & *Ruitsuinda* defuncta *Wendelgardam* Abbatissam ordinavit. Hic altare S. Crucis, & parietes & pulpitum Evangelii argento redimivit.

IX. THIARDVS. Abbas Herveldiæ. Anno DCCCCXVIII. Hic tabulam majoris altaris auro purissimo & gemmis fieri ordinavit. Et novam Ecclesiam in Gandersem in honore B. Mariæ virginis consecravit.

Sedit annis XXVII.

X. OTHWINVS. Parthenopolitanæ Ecclesiæ Abbas X. Episcopus. Hic Curtem *Gisenheim* acquisivit. Vinum in summis festivitatibus instituit. Aurum & gemmas ad calicem & patenam collegit. Ecclesiam in honore S. Mariæ & S. Epiphanii, quem de Papia adduxit, in Australi parte principalis Ecclesiæ construxit, qui XXX. ordinationis suæ anno in Domino requievit. Ipse etiam, *Wendelgarda* defuncta, *Gerbergam* Abbatissam in Gandersem ordinavit.

XI. OSDAGVS XI. Hic triginta mansos, cum curte *majoris Alchramensem* Ecclesiæ comparavit. IIII. anno obiit.

XII. GREDAGVS. Hic Curtem *minoris Alechrimensem & Sigebresteshusen*, ad XL. mansos Ecclesiæ donavit. Qui III. ordinationis suæ anno, Roma rediens VII. Idus Decembris migravit.

XIII. S. BERNWARDVS regius Capellanus. Hic calicem & patenam miræ magnitudinis de auro & gemmis, quas Othwinus reliquerat, fabricavit: & plurima suæ Ecclesiæ condonavit.

Monasterium S. Michaelis construxit, Abbatissam instituit. CCC. mansos tribuit ad convictum.

Hic novam Ecclesiam in Gandersem, præsente Henrico Rege & Willegiso Archiepiscopo anno Domini MVII. dedicavit. XXXI. ordinationis suæ anno obiit.

XIV. S. GODEHARDVS. Althahensis Abbas. Hic exemplar justitiæ, bonitatis perseverans, res Ecclesiæ ampliavit. Gandersemensem Ecclesiam in curte sua Hildensem construxit, quæ postea est exusta.

Hic XVI. ordinationis suæ anno ad Dominum migravit. anno Domini MXXXVII.

Obitus autem sui XCII. Bertoldus Hildemensis Episcopus, ipsum obtinuit transferri; & in Sanctorum catalogo numerari, ab Innocentio Papa in Remensi Concilio.

XV. THIATMARVS regius Capellanus. Hic in villa, quæ dicitur *Wangerda*, à Wilberto presbytero prædium acquisivit. Hic *Sophia* defuncta, *Adelheidam* Abbatissam in Gandersem instituit. Decimas ab eadem Ecclesia obtinuit, sed eas sub annuo servitio eidem Ecclesiæ reconcessit. Ipse etiam coronam auro & argento radiantem, ante summum altare pendentem, contulit. Anno VI. morte subitanea prævenitur.

XVI. AZELINVS regius Capellanus. Hic dedit annulum Pontificalem, Dorsale bonum. Campanam Cantibona vocatam. Et morte etiam prævenitur. X. anno obiit.

XVII. HETZILO Goslariensis Præpositus. Hic scientia & virtute conspicuus, rebus & multis ornatibus suam Ecclesiam decoravit; & præbendas ad certum numerum, scilicet quinquaginta, redegit.

In *Ecclesia S. Mauritii in Monte*, primo Moniales, postea XX. Canonicos collocavit.

In Ecclesia S. Crucis XV. Canonicos instituit.

Hic magnus Eleemosynarius, vivens, nulla loca in tota Saxonia prætermisit, quæ non quantulocunque caritatis munere moriens honoravit. Obiit anno MLXXIX. in Monasterio S. Mauricii tumulatus.

XVIII. VDO sedit annis XXXVI. Obiit MCXV. Post hunc

XIX. BRVNINGVS. Ecclesiæ canonicus. Goslariæ Decanus, a Rege Henrico investitus, scilicet IV. annis non confirmatus. Præsidens autem *Sultzam*, vitam canonicam duxit: ibique est sepultus.

XX. BERTOLDVS. Sedit annis X. Hic Præpositus major sacras virgines in Episcopatu suo conclusit. Canonicos regulares in *Brethenrode* instituit. Obiit MCXXX.

 XXI. BER-

XXI. BERNARDVS. Hic construxit *Ecclesiam S. Godehardi*. Abbatem & Monachos instituit. Sedit annis XXIV. in eadem Ecclesia est sepultus. Hic Præpositus summus fuerat, obiit MCLIII.

XXII. BRVNO obiit MCLXI.

XXIII. HERMANNVS. Hic Præpositus S. Crucis in Italia obiit.

XXIV. HADELHOGVS. Obiit MCXC. sepultus in medio cryptæ.

XXV. BERNO. Hic primo Magister Scholarum, & postea Decanus.

B. Bernwardus Sabbato ante Natalem Dom. anno MCXCIII. *in Sanctorum numerum refertur.*

XXVI. CONRADVS. *Imperii Cancellarius*, ad Herbipolensem Ecclesiam translatus, occisus est.

XXVII. HARIBERTVS, obiit MCC.

XXVIII. SIFRIDVS obiit MCCXXVII. pridie Id. Septemb. sepultus in abside meridionali.

XXIX. CONRADVS. Hic Magister in Theologia. Fratres Prædicatores, & Minores Hildensem collocavit. XXVII. annis præfuit: obiit MCCXLVIII. XV. Kal. Januar.

XXX. HENRICVS XXX. Præpositus in *Heilgenstad*. Contra illum *Hermannus* in Schismate.

XXXI. JOANNES: hic de nobilibus de Brackele, obiit MCCLXI.

XXXII. OTTO. Hic *filius* Ottonis *de Brunswig*, obiit MCCLXXX.

XXXIII. SIFRIDVS. Hic de nobilibus de Quernenvorde, Magdeburgensis Ecclesiæ Canonicus & Decanus.

Ad hunc extat nuncupatoria Epistola in S. Bernwardi vitam, cujus sub ipso veneratio & cultus renovatus est.

LIII.

VERSVS ANTIQVI de VENERABILI VICELINO EPISCOPO ALDENBVRGENSI *Primo.*

GESTA Patris primi bona Pontificis *Vicelini*
Isto tantillo comprehendit musa libello.
Saxoniæ vicus *Quernhamele* sit benedictus,
Qui genuit talem, dedit experientia qualem.
VVisara lactentem novit bene, *Brema* docentem,
Albia transvexit juvenem, *qui nos bene rexit*,
Defuncti vero cineres *adlambit Hyrundo*.
Anno milleno centeno bis duodeno
Completo, Verbum quo subluxit, caro factum,
Dum verno sole post brumam progrediente,
Cancri ferventis calor esset solstitialis,
Doctorem mirum Deus advexit Vicelinum
Istas in partes, Sathanas ubi triverat artes,
Instituens furtis homines, utique rapinis,
Et scelerum morbis, quibus impius interit orbis.
Hammaburgensem tunc rexit *Adelbero* sedem,
Qui desperatos medicum direxit ad ægros,
Illustremque virum supradictum Vicelinum
Ad *Nordalbingos* transmisit, fraude malignos,
De *Bremense schola* raptum; sub spe tamen illa,
Vt disciplinam melius, qui rexerat illam

Vir

Vir prudens, castus, humilis, patiensque, modestus,
In verbis certus, pius, & sermone disertus,
In cura populi, qui commissus foret illi,
Ex hoc argueret pravos, stultosque doceret:
Formam præberet morum, mitesque foveret.
Qui vir perfectus, discretus, cordeque rectus,
Lumbos succinxit, ut *præsul Athelbero* jussit,
In Domino fisus, Albim transire paratus.
Transiit ut flumen, secum tulit utile lumen,
Instans doctrinæ, sibi quæ fuit ars medicinæ:
Infundens oleum, curans impendere vinum,
Hos quos curavit, ad spem vitæ reparavit.
VVipenthorp venit, ibi sedem ponere cœpit,
Clerum collegit, fratres sub jura redegit.
Relligio crevit, quam disciplina subegit,
Ecclesiæque locum mutavit, nomen & ipsum.
Quam modicam reperit, in majorem reparavit.
Nomen adoptavit de jure, *Novumque* vocavit,
Idque *monasterium* bene convenientibus aptum
Christo devovit fieri, cui vivere novit.
Augustinus erat, hos qui per scripta regebat;
Nam normam vitæ clero determinat ipse.
Illam qui misit, ut præsul *Athelbero* vidit,
Ecclesiam sane per eum bene fructificare,
Perque virum talem divinam crescere laudem:
Hac lætus venit, altareque sanctificavit.
Incœptæque domus titulo satis exhilaratus,
Et dotes auxit, & honores accumulavit,
Villam cum decimis, bannum cum parochianis
Pastori primo condonavit Vicelino,
Commissa cura populi cum præpositura:
Et bis septenas in parochia bene cultas
Adjecit villas, decimas quoque contulit illas,
Inque locis quicquid accrescere postea possit
Incultis, in eas simul & collata potestas.
Ecclesiam *Bishorst* illi subjecit & *Ichhorst*:
Bishorst cum bannis, *bannos cum parochianis.*
Cum *VVicfletensi* decima bannum dedit illi,
Et decimas *Gestra*, retinet quas littus utrumque.
Ichhorst cum bannis, bannos cum parochianis.
Bredenberg decimam claudit *Stura*, *Luteson* unam,
Et *Sladen* & *VVilstram* claudit cum *VValburgoa* unam:
Præsulis has decimas donavit larga voluntas.
Et *Bishorstensis* decimatio tota paludis
Additur, & quæque fratrum labor occupat æque,
Eruit & quæque suus agricultor ubique.
Hoc quoque promisit, ut, si quis pastor obibit,
Ne lis contingat, electio libera fiat,
Et sit cunctarum rerum respectus ad ipsum,
Subjectusque locus sit Successoribus ejus,
Hammaburgensi qui præsideant bene sedi.
Talia collata pia præsul *Athelbero* dona
Chartas conscriptas, & res in scripta redactas
Bullis firmavit, bannoque suo stabilivit.
Inde videns Domini præsul studium Vicelini
Ad convertendas animas & salvificandas:
Illi vicinas placuit committere terras,
Lucrari gentes Christo simulachra colentes,
Ut vice pontificis, solventis sive ligantis,
Verba Dei sereret, credentes multiplicaret.

Tunc *Heinricus* erat, qui Slavis imperitabat
Vicinæ genti, sibi jure suo famulanti.
Hunc prudens adiit doctor, suadereque cœpit,
Vt propter summi pateretur præmia regni
Idola deponi, Christoque Deo famulari:
Ecclesiasque strui, per regnum delubra tolli.
At *Rex Heinricus* fidei non fictus amicus
Audit gratanter, quæ suaserat ille decenter,
Jureque regali, de causa spirituali,
Vt decuit, toti præfecit eum regioni:
Idola destruere, fidei portas aperire,
In fidei verbis deponere colla superbis,
Ecclesias struere, perversos quosque docere.
His homo firmatus, omni virtute probatus,
Ecclesiam *Bucue* veteri fundavit in urbe;
Misit eo fratres, missas reverenter agentes,
Officiumque suum; *Ludolfum, Brun*, *Herimannum*.
Principe vivente pacem fratres habuere:
Defuncto rege mala protinus invaluere.
Ergo concussus animo doctor reverendus,
Regem Romanum perrexit adire *Luiderum*:
Gestas exposuit res & votum patefecit,
Pro Christo plures se velle subire labores,
Vt tantum Christus cunctis fieret manifestus.
Quem bene suscepit Cæsar pius, atque remisit
Conditione bona, non imminuens ei dona,
Quantis Slavorum rex investiverat illum.
Adjecit tamen his majestas imperialis
Indigenis terræ concedens, vel sua quæque
Prædia vendendi, vel quæque volent tribuendi
Ecclesiæ cuique, quam construeret pater iste.
Insuper *Holtsatis* loca per nemorosa locatis
Hæc est libertas, hæc est concessa potestas,
Hoc etiam donis Cæsar superaddidit istis,
Ne gravet ulla suos exactio dura colonos;
Chartis inscripsit hæc, & bulla stabilivit.
Addidit ad grandem Christi genitricis honorem,
Pro prece consortis thalami manus imperialis,
In *Sigebergensi villa* loca congrua patri
Vt sub castello conversos collocet illo,
Prædia villarum donans illis aliquarum.
Nomina villarum sunt hæc subter positarum:
Est Sigebergensis illorum villa forensis,
Vicus Rikeri, cum *Zuisla, vicus Hageri*,
Cum *Witenburna* bina, vicus *Moikigga*,
Et quas incultas sibi possunt addere villas,
Quas pariter (a) funis amplectitur imperialis.
Castri namque jugum, quo tendant (b) solis ad ortum
Terminus Holtorum, fines præfigit earum
Solis ad occasum, fuit hoc regi bene suasum,
Commoda terrena dare præ cælestibus illa.
Scriptis firmavit hæc, & bulla solidavit.
Cæsar ut hæc fecit, vires pater inde recepit:
In *Sigebergenses* intendere cœpit honores,
Fundavitque domum, domino conscivit in unum,
Qui pro spe regni parerent relligioni.
Fecit conventum, bene cœpit habere proventum,
Omnibus indixit, omni quo tempore vixit,
Cæsaris ut memores & reginæ simul omnes,

Et

(a) f. Finis. (b) f. *tendat*.

Et *Sigebergenses*, pariterque *Monasterienses*
Orent his veniam, flectentes judicis iram
Pro multis donis, quæ causa relligionis
Ecclesiis illis tribuere, Deique pusillis.
Sic semen jactum succrevit centuplicatum,
Ad *Travenam* jactum cœpit contingere penum,
A modico fluvio, qui vulgo vocatur *Hyrundo*,
Ad mare nimbosum, quod vergit solis ad ortum,
Ramos extendit, in eos maris inde tetendit.
Ecclesiis positis accrevit turba fidelis.
Aldenburg, *Sarou*, *Plunen*, *Burnbavede*, *Bosou*,
Cum *Hamereſthorpe*, *Suslen*, *Wendsiva*, *Tadesla*.
Sed post hæc *annis viginti quinque* peractis,
Per quos ingenuus vir & illustris *Vicelinus*
Multos sudores tulerat variosque labores,
Et Christi cultum plantarat sanguine fratrum,
Hammaburg Hardwicus præsedit nobilis ortus,
Qui divestitam dum sedem Metropolitam
Cerneret, ac gentes sibi subtractas boreales
Danos cum *Suedis*, *Nordmannos* cum *Scridevindis*,
Hammaburgensem reparari nisus honorem
Est perscrutatus, hoc munere quis foret aptus;
Strenuus in rebus tunc inventus *Vicelinus*.
Est sublimatus in honorem pontificatus:
Aldenburgensis locus est per eum renovatus,
Et *præsul* dictus est *Antiquipolitanus*.
Est Evermodus Racesburg sede levatus,
Tertius est dictus *Einbard Magnopolitanus*.
Hi tres pontifices auxerunt Hamburg honores.
Istos Hartwicus promovit nobilis ortus.
Clarus ut exinde foret Archiepiscopus ipse,
Et successores reperirent sedis honores.
Ergo prædictus vir Apostolicus Vicelinus
Sic exaltatus in honorem pontificatus,
Extulit in culmen condonatum sibi lumen,
Lumen in Ecclesiis & clero, relligionis:
Lumen honestatis populo fuit pietatis.
Primos sudoris fructus propriique laboris,
Et *Sigebergensem*, clerumque *Monasteriensem*
Affectu patris rofovebat, amoreque matris,
Et lac maternum præbens, panemque paternum,
Sumptus carnales dans his & spirituales.
Moribus & vita fuit omnibus vnica forma.
Hinc videns portas fidei clementer apertas,
Slavorum populo, quem foverat ipse, tenello,
In fidei norma: fit & illis a modo forma,
Quo modo mente bona contemnant idola vana,
Christum vero Deum credant, qui regnat in ævum.
Promovit clerum pro curis Ecclesiarum,
Pastores posuit in eis, quas ipse dicavit,
Deque monasterio proprio sibi, collocat isto
Natu majores in claustrum *Sigeberg* omnes.
Illic præpositus *Ludolf*, *Thietmarque* Decanus
De Brema raptus, *Rachel* complexibus aptus.
Presbyter & Flandrus ibi *Volcar* claviger aptus,
Et reliqui fratres ibi, cum pueris seniores,
Cessit & *in Kevena Liudmundo præpositura*.
Presbyter aptus ei *Meinbrandus*, fit comes illi.
Hinc quoque subtracti sunt fratres per loca sparsi

 Alden-

Aldenburgensis Brun, *Holmod* erat *Bosowensis*,
Et *Eilaph Suslensis*, *Herioldus*, *Burnhavedensis*,
Et Bisthorstensis Herman, *Echrecht Porokensis.*
Tales quippe viros elegerat ille sacerdos,
Miserat in multam quem *præsul Athelbero* messem,
Qui secum sererent, & messem multiplicarent.
Sed pene disjecta domus hæc, sic est reparata.
Eppo Frisensis prior, & vir spiritualis,
Vt domino vovit, immobilis ipse remansit.
Reimberdus mansit etiam, quem Flandria misit.
Tunc juvenum numerus sensim succrevit adauctus,
Qui disciplinis instructi relligionis,
Servantesque locum cœperunt sistere gressum.
Post hæc, fervente studio pietatis ubique,
Præpositum nostrum seu pontificem Wagerorum
Et labor absumpsit multus, seniumque gravavit:
Corpore defecit, graviter languescere cœpit.
O quam judicia nobis divina tremenda!
Lectulus excepit, quem morbus pondere pressit;
Lingua privavit, languentia membra resolvit,
Detinuitque duos junctis sex mensibus annos.
Hunc ægrum fratres tenuere Monasterienses,
Suntque velut patri sibi dilecto famulati.
Vt consummatus esset, velut igne probatus,
Ille vir egregius est tandem carne solutus,
Spiritus exceptus cœlesti sede receptus,
In medio mensis, qui dicitur esse Decembris:
Idibus ejusdem præsul defungitur idem,
Anno milleno centeno ter duodeno,
Addas his annos bis dinumerando novenos,
A patre transmissus ex quo Deus est homo factus.
Hammaburg sedit tunc *Archiepiscopus Hartwich*,
Cæsar & Augustus Romanus erat *Fritbericus*.
Dux erat *Heinricus*, *Comes Holsatensis Adolfus*,
Filius Ammonis, *Marcradus* erat *regionis*
Præfectus, patriæ prudens vexillifer ipse.
Annus erat *quintus ipsius pontificatus*,
Qui *præsul* dictus est *Antiquipolitanus*,
Ecclesiæ primus pastor nostræ Vicelinus,
Cujus & *adventus* fuit hac (*) *tricesimus annus*.
Corpus in Ecclesia positum coram crucis ara
Fratres Ecclesiæ digno venerantur honore;
Et plures hodie venientes officiose
Vota vovent domino, reddunt sua vota sepulto.
Eppo præpositus hunc est virtute secutus,
Cum populi cura remanens in præpositura.
Iste domum domini fabrica perfecit in omni.
Vixit sex annis curæ linquens *Herimannum*,
Qui *bis septenis* post illum præfuit annis,
Et sua dum vixit, satis apte tempora rexit.
Hujus temporibus *Hartwicus* præsul honorus
Templum sacravit, & dotes amplificavit,
Cunctaque firmavit, quæ præsul Athelbero scripsit.
Tunc quoque *præpositus* defecit morte *Luidolfus*:
Et Sigebergenses consensu convenientes
Sumunt prælatum sibi *Bremensem Thidericum*.
Præposito vero defuncto post *Herimanno*,

Diraque

(*) L. *huc*.

Diraque mors omnes ut consumsit seniores,
Suppositis humeris onus absumsere laboris,
Qvos bona pastoris schola prima Monasteriensis
Foverat infantes, & noverat insipientes,
Artibus & studiis simul informarat honestis.
Quos Augustini lex cum monitis Vicelini,
Instituit pariter & vivere convenienter,
Vt memores patrum leges teneant seniorum,
Participes morum sint, hæredesque laborum:
Vt donum regni mereantur jure perenni.
Aldenburgensi transmittitur à duce sedi,
Geroldus Swevus, qui sedem pontificatus
Aldenburgensem primus fecit Liubicensem.
Conradus sedem *germanus frater* eundem
Post illum tenuit, *Heinrico* vero reliquit,
Flandria quem misit: hos dux in sede locavit.
Post hos *præpositum Sigebergensem Thiedericum,*
Collocat in sedem *Cæsar Fritheric* Liubicensem.
Vita decessit ubi præsul nobilis *Hartwich,*
Baldwinum sedi Cæsar misit dominari,
Qui post subtractus, accita morteque raptus,
Sifrido sedem dimisit pontificalem,
Qui *de Brandenburg translatus sedit in Hamburg.*
Tunc de *Bruneswich Dux famosissimus Hinrich*
Culmine privatus est, & ditione Ducatus.
Suscepit regimen Anabaldensis Comes idem
Bernhardus, cui germanus & ille Sifridus
Hammenburgensis fuit, *Ottoque Saltwidelensis.*
Sed post hæc *ternis* ubi sedi præfuit *annis*
Sifridus, moritur, *Hartwicus* sede levatur.
Hic mirare Deum, qui vivens nunc & in ævum
Disponit totum justo moramine mundum,
Exaltans humilem, propulsat sede potentem,
Omnibus in morum dans culmine spem meliorum.
Vtlede progenito datur infula pontificalis,
Cujus conditio fuit ordo monasterialis.
Iste manus mittens ad fortia quæque deinceps,
Est satis inventus industrius atque paratus
In causis rerum sane discernere verum.
Hic res Ecclesiæ statuens non dilapidare
Jussum papale servavit & Imperiale;
Nam non exhausit sibi credita, sed magis auxit.
Hic quoque *Birsenses* dictas dudum *moniales,*
Ejecit quasdam, maculaverant quia famam
Vitæ communis & cælibis atque salubris:
Quasdam collegit & eas sub jura redegit,
Ferit claustrales, velut decuit, moniales;
Harum cum cura suscepta præpositura,
Domnus Thietmarus tulit impositum sibi pondus
Claustri Birsensis, prior ante Monasteriensis.
Qui disciplinam reputans animæ medicinam,
Portas extruxit, valvas appendere cœpit,
Vectes opposuit, & clavibus ostia clausit,
Crudelis patulas ne mors ingressa fenestras,
Obruat incautas, æterno lumine privans,
Tollat corruptas perimens, & crimine captas.
Cujus cernentes illæ studium moniales
Sub vigili cura susceperunt sua jura,

Jura tenenda bonis habitu sub relligionis,
Et disciplinæ cervices supposuere,
Anno milleno centeno bis quadrageno
Adjectis annis à Christi tempore quinis.
Hæc est divinæ sacra commutatio dextræ,
Quæ bona sunt solidans, mala pellens, tempora mutans.
Est ad cor magnus *Vicelinus* & hic revocandus,
Pro studio cujus Deus est reverenter amandus.
Nam, velut elucet, sibi credita vinea floret:
Floret adhuc, ramos quia profert multiplicandos,
Hammaburgenses hoc norunt & *Statherenses*.
Non ignorat eum, tenuit quem *Brema* magistrum,
Aldenburgenses hoc dicunt & *Plunienses*,
Hoc *Sygebergenses* ostendunt & *Lubicenses*,
Racesburgenses affirmant & *Diminenses*.
Contradicentes non sunt his *Magnopolenses*:
Non sunt *Milenses* cum *Sleswic* ista negantes.

LIV.
COMPENDIUM
VITÆ ET TRANSLATIONIS
VENERABILIS VICELINI EPISCOPI.

VEnerabilis ac piissimus pater noster Vicelinus Myndensi parrochia oriundus, & in ipsa sua pueritia Harmoniæ Angelicæ auditor, ubi post liberalium artium studia in Magistrum artium earundem *Parisius* promotus est, *Bremis regendis scholis præficitur*, ac deinde non nullo post tempore Deo famuli sui viam dirigente, in Christi sacerdotem ordinatus missusque in Evangelium Christi sanctæ memoriæ *Adelberone Bremensi Archiepiscopo* prædicandi verbum Dei in Slavica barbarie legationem suscepit, veniensque in oppidum, quod olim *Faldera*, nunc vero *Nygemunster* vocamus, ibidem Monasterium Canonicorum regularium instituit, Anno Domini 1125. ubi quanta disciplina & quam sanctè (suscepto sub nomine præpositi fratrum regimine) cum suis vixerit, & quanto labore verbum Dei prædicando populo duro & agresti, intus monachus, foris Apostolus insudaverit, quantis etiam virtutibus primus iste noster conventus Novomonasterensis claruerit, Domino cooperante & prædicationem eorum confirmante sequentibus signis; & quibus maxime hic vir beatus in vita & post mortem miraculis coruscaverit; memorabilis ille noster frater *Helmodus* in sua chronica claro sermone digessit. Denique idem ipse beatissimus pater noster Vicelinus, posteaquam in terra Sclavica triginta annos multo sudore viam Dei annunciando animarum saluti sese totum impendit; dicente sibi Christo rebus ipsis, amice ascende superius, in *Aldenburgensem Episcopum* consecratus est, faventibus principibus, & Archiepiscopi Bremensis consensu ad hoc accedente anno Domini 1149. Sedit autem in episcopatu annis quinque, hebdomadibus novem, transiens revera per ignem & aquam in medio nationis pravæ atque perversæ, erantque viro Dei largymæ suæ panes die ac nocte oranti & deprecanti clementissimum Deum, ut ostium fidei in Slavica [Slavia] aperire dignaretur. Biennio denique priusquam ex hac vita migravit visitante se Domino & coronam ejus duplicante, gravem incidit infirmitatem, quam usque ad finem suæ vitæ cum omni gratiarum actione patientissime perferens, atque sub hoc eventu ad extremam horam veniens vir deo plenus obdormivit in pace. Sepultus est autem in Ladera [Faldera] præsente *Rasseburgensi Episcopo* & officium consumante. Mansit præterea ejus venerandum corpus ibi sic humatum annis 178. donec translato monasterio in hanc insulam *Bardesholm* ejus reliquiæ pariter translatæ sunt, & ante summum altare in medio sanctuarii reverenter positæ, anno Domini 1332. de quo tandem medio sanctuarii cum & ibi 177. stetisset annis, propter ministerium summi altaris hanc ipsam tubam (*) (beati patris veneranda

(*) L. tumbam.

randa ossa, cum aliorum duorum servorum Dei ossibus hinc inde ad latera reliquiarum viri Dei positis, & sacra veste quam alba vocamus, cum ipsis pariter involutis, indumenta quoque Episcopalia, quibus beatum virum sepulturæ traditum credimus, dalmaticam videlicet albam, sandalia & cætera hujusmodi iam præ vetustate resoluta continentem) in hunc locum translatam cum reverentia posuimus, *anno Domini millesimo quingentesimo nono* in octava almi patris nostri Augustini Episcopi; casulam vero ejus in prima sacrarum reliquiarum translatione terris extractam, divino munere usque in hodiernum diem incorruptam & illæsam servamus ad gloriam & honorem omnipotentis, Dei Amen.



LV.
Chronicon WEINGARTENSIS MONACHI de GWELFIS PRINCIPIBVS ex codice m. s. Augustano.

WELFI PRINCIPES DE ALTORFF & Domini in Ravenspurg.

GEnerationes principum nostrorum summa diligentia investigantes, ac multum in diversis chronicis, historiis, sive antiquis privilegiis quærendo laborantes, nullum nominatim ante *Gwelfonem Comitem*, qui tempore *Caroli magni* fuerat, invenire poteramus. Necessario igitur (a) .... hujus seriem ab eodem incipere oportebat. Scimus tamen ex plurimis circumstantiis & ante eum alios fuisse, qui hanc domum etiam ante susceptam Christianitatis fidem magnis divitiis & honoribus gubernaverunt; & nomen suum per diversas provincias; utpote per longa tempora alii aliis succedentes magna industria dilataverunt. Nam ut in *antiquissima quadam historia* reperimus, isti à Francis illis originem traxerunt, qui quondam à Troja egressi sub Francione & Thurco Regibus super ripas Danubii juxta Thraciam consederunt, & civitatem Sicambriam nominatam ibi ædificaverunt, manseruntque ibi usque ad tempora Valentiniani Imperatoris, à quo inde expulsi, eò quod tributa Romanis juxta morem ceterarum gentium solvere recusabant. (b.)

Egressi inde sub Marchomiro, Sunnone & Genesando Ducibus venerunt & habitaverunt circa ripam Rheni, in confinio Franciæ orientali Germaniæ & Galliæ. Illis ergo loca illa occupantibus, isti ob multitudinem eorum nimiam ab eis recesserunt, & terras has pænè inhabitabiles, & adhuc, ut cernitur, nemorosas cum multis sibi adhærentibus habitare cœperunt. Quod si cui minus credibile videatur, legat historias gentilium, & inveniet omnes ferè terras violenter ab aliis captas & possessas. Hoc Trojani, priusquam expulsi à suis sedibus fuerant, facere solebant; hoc Gothi & Alani; hoc Hunni & Wandali, hoc est Longobardi (c) & cæteræ nationum gentes, sed maximè Septentrionales. Igitur potiti terra & habitatione cuncta, confortati nostri vires suas ultra protendere, & in diversis provinciis prædia & dignitates sibi accumulare cœperunt. Vnde & in tantum ditati sunt divitiis & honoribus, Regibus præstantiores, *ipsi quoque Romano imperatori homagium facere recusabant*, & viribus propriis confisi omnes terminos suos per se magna industria & fortitudine defendebant. Domum quoque suam Regio more ordinabant, ut ita quæque officia in eis, id est, ministeria Dapiferi, Pincernæ, Marschalci, Camerarii, Signiferi per Comites, vel eis æquipollentes regerentur. Præfecerant etiam familiæ suæ (*) jam majori, minori unum de majoribus curiæ, quem nominabant *Advocatum*, qui vice sua pro omnibus suis staret coram Regibus seu Ducibus, vel aliis judicibus, & in quacunque causa vel querimonia pro eis responderet. Habebant & aliud quoddam insigne quasi sub privilegio, ut proscriptos quosque, si ad se confugerent, reciperent, & usque ad excusationem vel condignam satisfactionem, sine sanguinis tamen effusione, conservarent. Quæ omnia ad honorem videlicet curiæ pertinentia à successoribus etiam adhuc immutata consistunt. Ecclesias regales, scilicet *Constantiensem*, *Augustensem*, *Frisingensem*, *Curiensem*, *Campidonensem*, *Vtinburensem* magnis prædiis & multa familia ditaverunt. Quas-

(a) fortè: *generationis*. (b.) fabulæ. (c) Winuli. (*) f. *tam majori quàm minori*

Quasdam verò ex integro à primo fundamento, quæ adhuc ad successores spectant, honorificè construxerunt.

1. DE NOMINE WELFE SEQVITVR.

IIs itaque prælibatis de exordio nominis, quod *Welff* sonat, quod plerique inde quærere solent, sicut audivimus, in medium proferamus. Dicitur, quod quidam ex antiquissimis istis filiam cujusdam senatoris Romani, qui *Kathalina* nominabatur, in uxorem duxerit, ac filium ex ea progenitum *Kathalinam* nominavit: quod quia theutonisatum, *Gwelff* sonat, placuit omnibus, ut lingua naturali satisfacerent, & Romano nomine refutato, *Gwelfum* eum theutonicè nominarent. Alii dicunt, quod dum unus ex istis apud Imperatorem moraretur, uxor ejus filium peperisset. Mittens ergo ad virum suum, quod factum fuit, nunciavit, ipsumque ad se revocavit. Ille læto nuncio gavisus Imperatori reversionem insinuat, causam tamen reversionis non indicat. Imperator verò rem percipiens ridiculose eum taliter affatur: Pro *Gwelfo*, qui vobis natus est, repatriare festinaris? At ille, nomen, inquit, quod jam infantulo dedistis, postea plenius dare debetis; nisi enim Deus aliter ordinare voluerit, eum sub hoc nomine de lavacro sancto suscepturus estis. Quod ita factum est. Alii utrumque verum esse conjiciunt. Dicunt enim primo quidem, ut modo audistis, inventum esse, sed deinde multo tempore refutatum, & quasi in oblivionem traditum, denuo sic per Imperatorem renovatum, & sic nomen, quod in principio fuit abominabile omnibus, postremò factum est in hac prosapia quasi naturale & acceptabile. Sed jam ad propositum redeamus.

2. DE PRIMO WELFONE.

IGITVR *Welfo* genuit filium *Eticbonem* nomine, filiam *Judith*; Quam *Judith Ludewicus Imperator*, cognomento pius, Caroli Magni filius (defuncta uxore sua Jrosihgardi (**), ex qua tres filios Lotharium, Pipinum, & Ludewicum progenuit) *duxit uxorem*; quæ genuit Carolum Calvum, qui in divisione Imperii regnum Francorum obtinuit, & XLV. annis strenuissimè rexit, fratribus suis Lothario & Ludowico in Italia & Alamannia regnantibus, primo Pipino defuncto.

3. DE ETHICONE, QVI FVNDAVIT BIRGOJA.

ETICHO hujus Juditæ frater patri defuncto pius hæres successit, qui genuit filium, HEINRICVM nomine. Hic itaque Heinricus cùm ad militares annos pervenisset, & suæ voluntatis compos fieret, ignorante patre ad Imperatorem se contulit. Cumque illi summa familiaritate sociaretur, & totius Imperii vires, terminos ejus circumeundo & pertranseundo cognosceret, tandem consilio principum, & maximè ipsius Imperatoris instinctu, homagium ei & subjectionem fecit, & in beneficio *quatuor milia mansuum in superioribus partibus Bavariæ* ab eo suscepit. Quod cùm pater ejus percepisset, iratus, *nobilitatem* suam *& libertatem* nimis esse declinatam, ultra quàm credi possit, consternatus animo dolorem suum omnibus suis caris exposuit. Et assumptis XII. ex illis, infra montana ad villam, quæ dicitur AMBIRGO (regalibus ædificiis & possessionibus ditissimis relictis) secessit, & ibi non amodo visurus filium suum consenuit. Cœpit & ibidem collectis monachis cellam construere. In qua etiam postmodum cum XII. suis humatus requiescit. Heinricus autem volens omnimodis dolorem patris mitigare, provinciam ejus fugit, nec tamen solatium necessitudinis ei subtraxit: omnia enim sua illi confinia ex integro ad ministrandum ei subjecit. Deinde comperta Patris morte Heinricus considerans locum, ubi cellla incepta fuerat, incommodum & difficilem claustralibus, ad villam quæ dicitur ALTENMVNSTER, ubi sanctus Alto Confessor requiescit, supra dictos Monachos cum omnibus suis transvexit, & Abbatiam ibi satis religiosam & divitem perfecit. Postea & in ALTORFENSI villa Abbatiam cum Sanctimonialibus, in loco, ubi nunc Parochialis Ecclesia est, construxit. Idem verò Heinricus uxorem duxit *de Hohuwarte* in Bavaria, *Beatam* nomine, ex qua tres filios genuit, sanctum *Conradum Constantiensem Episcopum*, *Ethiogonem* & *Rudolfum*. Sanctus igitur Conradus in Episcopatum promotus, patrimonium, quod à patre possederat *Altdorf*, *Wolpteswende*, *Berge*, *Fronboven*, cum suis attinentiis, & omnia ultra fluvium nostrum *Stutzina* sita, sicut ad nos hodie pertinent, fratri suo *Rudolfo* per concambium donavit, & ipse ab eo remotiora recepit, id est

(**) Irmengarde.

est *Eiislingen, Andiliungen*, cum omnibus appendiciis suis & *in Alsatia Colmir*, & infra *Retiam Curiensem Amidis* fluminis *Lugenetz*. Quæ omnia *Ecclesiæ suæ Constantiensi*, partim fratribus majoris Ecclesiæ ad meliorationem præbendæ, partim fratribus illis, quos canonice in Ecclesia sancti Mauritii ordinaverat, contradidit.

Eticho frater ejus sine legitimi matrimonii copulatione de hac vita discessit, & *Constantiæ* juxta supra dictam Ecclesiam sepultus est. Genuit tamen ex quadam de ministralibus suis *filiam*, quam frater ejus Rudolfus libertate donatam pro amore fratris cuidam *nobili de Retia Curiensi* cum largis prædiis copulavit. Ex qua illi *de Herili Sella* (a), *de Vstera*, de *Raprechceswillare* & *eorum cognatio* descenderunt.

4. DE RVDOLFFO FRATRE SANCTI CONRADI.

RVDOLFFVS frater superiorum accepit uxorem de *Oninge Itam* nomine, cujus pater *Couno nobilissimus Comes*. Mater verò ejus *filia Ottonis Magni* Imperatoris *Richluit* (aa) nomine. Hic itaque *Cono* quatuor filios progenuit *Eggebertum*, *Leapaldum*, *Luittoldum*, *Counonem*. Quorum primus *Eggebertus* scilicet, *Marchiam* illam, quæ est in finibus Saxoniæ versus Danos, *Stadin* nominatam obtinuit, & filios ac filias per diversas regiones disseminatas genuit. Habuit quoque idem Couno quatuor filias, quarum una *Rudolfo isti*, alia cuidam *de Rinueldin* parenti (b) *Haringiorum*; tertia *Regi Rugiorum* (c), quarta *comiti de* (cc) *Dyehon* nupsit. *Rudolfus* præfatus ex sua *Ita* duos filios *Heinricum* & *Welfonem* & filiam *Richgardam* nomine progenuit. Hic est *Heinricus*, qui sub annis adolescentiæ in venusta valle juxta villam *Lounon* in venatione saxo percussus interiit. *Richgardam* unus *de majoribus Baioariæ Comitibus* uxorem accepit. Sed quia ex ea hæredem non habuit, tres Abbatias ex suis prædiis magnificè, ut adhuc cernitur, fundavit: Quæ sunt *Eberspergs*, *Goubac*, *Gisinueld*. Et insuper *Guelfoni fratri uxoris* suæ villas *Vringen*, & *Selinbach* cum omnibus appenditiis suis donavit, ipsaque *Richardis Eberspergæ* sepulta est. Denique *Rudolphus* postquam debitum naturæ persolvit, in *Altorfensi cœnobio* juxta patrem & matrem humatur.

5. DE WELFONE FILIO RVDOLFI.

G*Welfo* supra nominatus *Rudolphi hujus filius* uxorem duxit *de gente Salica*, *de Castro Glibberg* (*) *Juitham* nomine, *sororem Heinrici ducis Noricorum*, & *Friderici Ducis Lotharingiorum*, & *Adilberonis Episcopi Metensis* (**), postquam (d) haberemus Regalem villam *Mörigen*, & in Longobardia *Clismam* cortem nobilissimam, cujus sunt XI. milia mansuum uno vallo comprehensi. (***)

6. QVALITER AVGVSTENSEM CIVITATEM ceperit.

ISte est *Gwelf*, qui aliquando auxiliante sibi *Ernesto Duce Sueviæ* Imperatori *Conrado Salico* rebellabat, & cum *Brounone Augustensi Episcopo* maximas prædas & incendia faciens, nec non & castella, & munitiones ejus diripiens, tandemque ipsam civitatem capiens diu dimicabat. Cui *Frisingensis Episcopus* auxilium ferens eadem ab eo perpessus est. Hic etiam *Abbatiam Altorfensem*, transferendo huc monachos de *Altemünster* & sanctimoniales nostras illuc ponendo, permutavit. In qua Abbatia & ipse postmodum defunctus requiescit. Uxor verò ejus adhuc diu superstes in *Altenmünster* sepulta est. Hic cùm ad senectutem pervenisset, & malorum, quæ Ecclesiis *Augustensi*, & *Frisingensi* intulerat, sæpius sæpiusque revolvens animo, recordaretur, ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, examinationem sibi *per judicium aquæ frigidæ* elegit, in qua non aliud precium sibi sufficere æstimans, villas super villas cum omni jure suo *in ipso examine* accumulans composuit, & sic recompensando illatum damnum ad perfectam purgationem pervenit. Quas villas, juxta modum & quali-

(a) Hecilissella.
(aa) Luitgardis filia Ottonis M. nupsit Cunoni, qui factus Dux Lotharienſium, à quo descendêre Conradus Imperator & Henrici III. IV. V. Sed hæc iis quæ hic narrantur non quadrant.
(b) *Zaringiorum*.
(c) f. Russorum.
(cc) fort. *de Dachau*.
(*) Luzburg.
(**) & Cunigundis Imperatricis.
(d) ita lego. In manuscripto est: *heremus*. locus corruptus.
(***) aliis *Elsina vallis*, quæ fortasse *Val d'Elsa*.

qualitatem damni, utrique Ecclesiæ sine dilatione in perpetuam possessionem donavit. Hic genuit *filiam Chunibam* (e) nomine, quam (ee) *Atho ditissimus Marchio Estensis* (f) Italiæ, cum *turte* (g) *Elisma* dotatam in uxorem duxit, & ex ea *Gwelfum* totius terræ nostræ futurum hæredem & dominum progenuit. De quo suo in loco dicendum est. Genuit & filium sui nominis *Gwelfum*, virum per omnia probatum, qui *Ducatum Carintiorum* & *Marchiam Veronensem* acquisivit, & strenuissime rexit. Dicitur de eo, quod cùm in procinctu esset, & Imperatorem *Heinricum tertium*, per triduum ultra statutum tempus, in loco qui dicitur *Rungalle*, ubi totus exercitus convenire solet, quò & se venturum juramento constrinxerat, præstolaretur, & nec nuntium quidem, qui causam moræ illius exponeret, haberet, erecto signo convocatis Dominis reversionis iter arripuit. Cui tandem Imperator occurrens nec muneribus nec promissionibus, vel saltem minis ab incepta repatriatione removere potuit.

7. QVALITER IMPERATORI RESTITIT.

QVodam etiam tempore cùm Imperator *Veronensibus* civibus exactionem inferens, mille marchas ab eis extorsisset, ipse ex improviso superveniens, tanta eum suosque severitate & contumelia afflixit, ut vix Imperator, pecunia ex integro reddita, securitatem exeundi obtineret. Idem etiam Gwelfo monasterium in monte antiquum in honore sancti Martini fundavit, nomen *Wingartin* imposuit, in quod de villa translatis monachis, & ossibus patris sui *Gwelf* & *Patrui Heinrici*, & qui (h) *Rudolfi*, Ecclesiam priorem Parochialem esse constituit.

Hic denique *Gwelf* sub juvenili ætate, cum esset in castro *Botamo*, morbò correptus est, vidensque sibi imminere mortem omne patrimonium suum cum ministerialibus, quia hæredem ex se non habuit, ad *cœnobium Altorfense* sancto Martino in perpetuam possessionem donavit, & hoc perficiendum duobus de majoribus suis, qui tunc secum aderant, fidelissime commisit. Ipse vero diem claudens extremum, illò deportatus est, & cum maximo planctu suorum & totius vicinitatis sepultus. Mox expleta sepultura, quibus injunctum fuerat donationem perficere, volentes prohibiti sunt. Mater enim ipsius sciens se hæredem habere ex filia, missis in Italiam legatis, jussit eum adduci & veniens penitus donationem interdixit; & se certum & verum esse hæredem proclamavit.

8. DE WELFONE IV. QVI PRIMVS fuit Dux Bavariæ.

HIc est ille *Gwelf*, qui primus ex nostris *Ducatum Bavariorum* adeptus magnifica multa in eo sicut & in aliis regni partibus peregit. Erat enim vir armis strenuus, consilio providus, sapientia tam forensi quam civili præditus. Vnde & omnes tempestates bellorum contra se & contra alios in invicem in finibus suis exortas, magna vel moderatione vel severitate compescuit. Imperatori, antequam *machinationes in mortem suam* patrasset, & antequam Ecclesiam Dei manifestè impugnasset, fidelissimè adhærebat; eique cum contra *Saxones* dimicaret, in tribus funestissimis congressionibus strenuissimè militabat. At ubi multa inhonesta de eo in medium proferebantur; & quod majus est, Dominum Apostolicum *Gregorium septimum*, *Gwiperto Ravennensi Archiepiscopo* intruso, de sede sua expulit, ipse cum aliis Catholicis Principibus ab eo declinavit, & à modo eum multis modis inquietavit. Vnde & cum *Sigefrido Augustensi Episcopo*, qui parti imò inhumanitati ejus favebat, diu & acerrimè dimicavit; quem tandem cum multis in civitate sua comprehensum in vincula jecit, & in castro *Ravenspurg* catenatum multo tempore conservavit. Civitatem quoque eandem præda & incendio devastavit. Accepit autem *Reginam Angliæ* tunc viduam, *filiam* scilicet *Baldubini* nobilissimi *comitis Flandriæ Juditam in uxorem*. Ex qua duos filios *Gwelfonem* scilicet & *Heinricum*, quorum uterque *Ducatum Bavariæ*, alter post alterum possederat, progenuit. Hic est ille, qui primus ex nostris, eo quod fautoribus suis, in tot commotionibus bellorum, prædia sua distribuendo, paternos reditus comminuit, manus suas Episcopis & Abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit. Omnes possessiones *Luitoldi Comitis*, quas in partibus istis habuit, præter illas quas in *Zwifalten* sanctæ Mariæ contradidit, cum duobus castris *Achalin* & *Wul-*

(e) Cunizam.
(ee) Azo aliis.
(f) [Vox *Estensis* glossema est in codice manuscripto Augustano.]
(g) Forte: *Elsina* ut supra notatum.
(h) lego: *avi Rudolfi*.

Wulfelingen ipso donante possedit. Patrimonium quoque *Comitis Ottonis de Buchorn*, eo vivente & bona voluntate tradente, recepit & obtinuit. Denique cum ad senilem ætatem venisset, & *Raitenbuchensem Ecclesiam* construere cœpisset, & satis copiosè dotasset, *Altorfense* quoque *monasterium* prædiis, decimis & mancipiis, nec non Ecclesiasticis ornamentis abundantissimè ditavit (h), alias etiam Ecclesias ad se pertinentes aliquo modo meliorasset; volens de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere, *Jerosolymitanum iter* arripuit: Quod & in maximis persecutionibus & periculis, *Vngariam* & *Græciam* transiens, persolvit. Sepulchrum enim Domini & alia loca sancta omnibus suis pæne amissis visitavit. Deinde ad reversionem se parans *Cyprum* adiit, ubi de hac vita decedens, sepultus est. Ossa tamen ejus postea inde sublata, ad *Altorfense monasterium* translata & reposita sunt. Socii autem peregrinationis & laborum ejus, vel interfecti, vel vivi Sarracenis, machinante perfidissimo Alexio Imperatore Græco, traditi sunt. Inter quos *Themo Saltzburgensis Episcopus* comprehensus & Regi Mempheorum præsentatus ad Idololatriam *angariatur*. Ille fanum ingressus, animi & corporis viribus robustissimus, Idola, quæ adorare debuit, non Deos sed opera manuum ostendens in frusta comminuit. Ob hoc productus exquisitisque suppliciis affectus Martyrio coronatus est. *Itam Comitissam matrem Leopaldi Marchionis orientalis*, quæ similiter in eodem comitatu fuit, unus de Principibus Sarracenorum rapuit, & impurissimo sibi matrimonio copulavit, ex eaque *sanguinem* illum sceleratissimum *Vtamut* progenuit. (†)

9. DE WELFONE, QVI MEHTILDAM DVXIT & in Choufringin obiit.

IGitur post mortem patris *Gwelfo* major natu *paternum Ducatum* recepit. Vir moderatissimus, qui magis liberalitate & facilitate quàm crudelitate omnia sibi resistentia subjecit. Domum suam ordinatissimè disposuit. Vnde & Nobilissimi quique & utriusque provinciæ filios suos ejus magisterio educandos certatim commendaverunt. In Italia tamen cum his, *qui patrimonium suum injustè usurpaverant*, & suos pessimis circumventionibus molestaverant, sæpissime durissimos conflictus habuit. Romæ cum *Imperatore Heinrico quinto* fuit, cum *Papam Paschalem* captivavit, immunis tamen scelere ab hoc. Nam cum omnimodis ab eo declinare non posset, mediatorem se ad compositionem faciendam interposuit, sicque factum est, ut Imperator tandem ejus consilio ad condignam satisfactionem humiliaretur, & Papa eum pro bono pacis clementer ac paterne susciperet & consecraret.

Accepit autem *Mahtildam* nobilissimi ac ditissimi *Italici Marchionis Bonifacii filiam* in uxorem, fœminam virilis animi, quæ ad instar fortissimi Principis totam terram illam suo domino subjugavit, quam tamen postea, nescio quo interveniente divortio repudiavit. Denique omnibus suis bene compositis morbo correptus in villa *Chufringen* diem clausit extremum, & in *Altorf* deportatus juxta patrem & matrem sepultus est.

10. DE HEINRICO DVCE, QVI FACTVS est Monachus.

HEinricus Frater ejus Ducatum & omnia quæ illius erant obtinuit, & potentes (*) ditioni suæ subjugavit. Qui uxorem jam dudum vivente patre *de Saxonia* accepit filiam *Magmonis* (**) *Ducis*, & Sophiæ *sororis suæ* (k) *Regis Vngariæ Colomanni Wulfildem* nomine. Erat tandem eadem *Sophia* antea cuidam *de Carintia* copulata, ex qua genuit *Poponem Marchionem*, qui duas filias (kk), unam *Bartholdo Comiti de Bogen* copulavit. Porro soror hujus *Sophiæ Regi Græcorum* nupsit. Aliam *sororem ejus Berchtam* quidam *Comes* ex claustro quodam sanctimonialium abstractam duxit, & ex ea *Fridericum Ratisponensem Advocatum* genuit. Ipsa autem *Sophia* ex *Duce Maginone* quatuor filias habuit, *Wulfildem* nostram, *Alicugam* (l) *matrem Adelberti Marchionis de Saxonia*, tertiam *quam duxit Dux Moraviæ*, quartam *quam Egebardus Comes de Schiten* (***) à quodam monasterio sanctimonialium in Ratis-

(h) f. *ditavisset.*
(†) Restituo: *Sanguinum illum sceleratissimum, ut ajunt, progenuit.* Nam *Sanguinus* fuit Princeps Saracenorum, cujus crebra mentio est apud Scriptores belli sacri.
(*) potenter
(**) *Maginonis*, vulgo Magni.
(k) Hæc vox *suæ* videtur delenda.
(kk) habuit.
(l) vulgò Eilicam.
(***) Schiren.

Ratispona abstulit, ac sibi matrimonio copulavit, *Ottonemq; Palatinum* ex ea progenuit. *Heinricus* igitur *Dux* ex *Wulfilde*, præter illos, quos infra annos sinus cœlestis patriæ suscepit, tres filios habuit, *Cunradum, Heinricum*, *Gwelfonem*, & quatuor filias; *Juditam*, *Sophiam*, *Mathildem*, *Wulfildem*. *Judita* nupsit *Friderico Suevorum Duci*, quæ *Fridericum Imperatorem nostrum*, & *Vxorem Matthæi Ducis Lotharingiæ* progenuit. *Sophiam Bertholdus Dux de Haringen*, & eo mortuo *Leopaldus Marchio de Stira* in uxorem accepit, ex qua *Odocarum primum Marchionem* genuit. *Mathildis* primo *Theapoldo filio Theapoldi Marchionis Cambiensis de Vobeburck*, postea eo mortuo *Gebehardo de Sultzbach* copulata est. *Wulfildem Rudolphus Bregantinus Comes* duxit. *Conradus* in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi literarum studiis informaretur, tempore maturo *Coloniensi Archiepiscopo* altiori studio & disciplina (11) claustrum educandus committitur. Ibi in utroque tantum profecit, sed & aliis virtutibus, vitia declinans, tantum se exornavit, ut ab omni clero & populo amaretur, ab omnibus summo honore dignus judicaretur: Ipse vero honores, divitias, laudem humanam fugiens quibusdam se monachis sociavit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, *Claravallense monasterium* adiit ibique monachum se fecit. Deinde procedente tempore Jerosolymam petiit: ubi cuidam servo Dei in heremo manenti adhæsit. Tandem sentiens se quadam infirmitate tactum de reversione cogitavit, & ingressus navem *Bairam* (m) civitatem sancti Nicolai pervenit, ibi beato fine diem ultimum clausit, honorificeque sepultus ibidem requiescit. Circa idem tempus pater quoque ejus & mater; pater monachum professus in extremis suis in castro *Ravensburg*, mater in *Altorf* XVI. die post mortem mariti obierunt, & in monasterio sancti Martini sepulti sunt.

II. DE HEINRICO PRIMO Saxonum Duce.

IGitur *Heinricus*, defuncto patre, *Ducatum ejus* adeptus, generalem conventum *Ratispona* omnibus indixit; Quo collecto milite adveniens, quidquid insolentiæ in civitate, sive extra circumquaque ad aures ejus perlatum est, provida dispensatione dijudicavit. Discrimina bellorum inter Principes seu Majores terræ diu exagitata compescuit; pacem firmissimam omnibus annunciavit, & juramento confirmari præcepit. Et sic demum accepta à Burgensibus pecunia terrorem cunctis incutiens, civitatem egreditur & munitiones ac villas prædonum & proscriptorum per totam provinciam devastat. Interea missis legatis in Saxoniam ad deducendam sponsam suam, *Gerdrudem* scilicet, *filiam Lotharii Imperatoris*, optimates quosque Bavariæ ac Sueviæ ad nuptias invitat. Quibus laute *in plano juxta Licum fluvium ultra Augustam* in loco, qui dicitur *Contio legum* (*), in octava Pentecostes celebratis, eandem in partes istas adduxit, & in castro *Ravensburg* usque ad autumnum stare constituit. Ipse verò ad Imperatorem reversus *Ducatum Saxoniæ*, *Nurenberg* (n), *Gredingen*, & omnia beneficia, quæ Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit, suscepit; ac *rebelliorem* (**), id est, *Fridericum Ducem, sororis suæ maritum* pollicetur. Interea *Fridericus Ratisponensis Ecclesiæ advocatus*, videns potestatem Ducis prævalere, suum verò quotidianum in civitate minui, quorundam consilio, quibus pax odiosa fuit, unum de ministerialibus Ecclesiæ, qui Duci omni fidelitate in civitate & extra astabat, & ministrabat, dolo vocavit ad se, invitatum vita privavit.

Quibus compertis Dux *Bavariam* festinanter ingreditur, ac castrum Advocati fortissimum *Falschenstein* obsidione cingit, omnesque suos ad obsidionem compellit. Dum hæc in Bavaria aguntur, Imperator quoque *Spiram* civitatem Rheni in injuriam *Friderici Ducis* obsedit, missoque nuncio, *Ducem Heinricum*, ut sibi quantocius in auxilium veniat, invitat, qui omni cunctatione postposita, obsidionem & omne negotium *sorori suæ Marchionissæ de Stira* tunc viduæ, quæ eo tempore cum DCCC. loricis advenerat, committens, ad Imperatorem cum DC. & eo amplius festinat militibus (nn). Quo cum magno labore perveniens castra ultra Rhenum posuit, & ut impetus & irruptiones (o) f . . . præcaveret, militem coadunatum prope se locavit. *Fridericus* tamen, utpote vir armis strenuus, dum quadam nocte

(11) claustrali.

(m) *Bairam* pro *Barium*, quo corpus S.Nicolai Myra translatum est. Martyrol. 9. Maij.

(*) *Concio Legum*, forte *Legionum*, quæ in illis regionibus contra barbaros in stativis habebantur.

(n) Hæc corrupta, an *Nuenberg*, *Gotingen*?

(**) corruptus locus.

(nn) id est equitibus.

(o) Fort. *facilius*, vel: *fraudulentas*.

nocte monitus armis & equitatura paratus, ad fugam illum compulit, & ita fugientem usque in *Gouningen* insequitur, amissisque aliquot de suis, & omnibus penè equitaturis (oo) ignominiose evasit.

Deinde satisfactione & pactione Spirensium cum Imperatore, *Maguntino* mediante, composita, Bavariam usque regressus, castrum jam diu obsessum capit, suosque ibi ad tutandos fines illos & ad conservandum sibi castrum locavit. Non multo post *Fridericus Dux* memor pristinæ injuriæ *Altorf* & *Ravenspurg* armata manu invasit, & villas circumquaque nec non & *Mämingen* incendio devastat, & de nostris aliquot captivos abduxit. Quod Heinricus ferre non valens sequenti æstate copiosum exercitum congregat, finesque Friderici ingressus, à villa *Cougindorf*, quæ est *in ripa Danubii*, incipiens, & ultra *Stoupben* perveniens omnia circumquaque in transitu & in reditu, incendio & præda devastat. Ad *Ulmam* vero divertere noluit, quia ejus territoria & suburbia ac villas non longe ante dira vastatione destituit.

12. DE CONFLICTU CUM RATISPONENSIBUS HABITO.

CIrca idem tempus *Ratisponenses* mortuo Episcopo suo, *Heinricum unum de nobilissimis fratrum, scilicet Ottonis de Wolferatenhausen*, machinante Advocato cum aliis æmulis ducis, eligunt, & in locum illius constituunt. Quod Dux in injuriam sui factum compensans, ad depositionem ejus omnimodis laborabat, & apud Imperatorem, ut investituram ei negaret, & apud Apostolicum, ut consecrationem ejus interdiceret, calumnians electionem ejus non esse canonicam, satagebat. Ille verò inter hujusmodi discrimina Metropolitanum suum festinanter adiit, & consecrationem ab eo suscipiens nuncium Apostolicum prævenit, reversusque se & civitatem & omnes ad rebellionem præparat. Dux ergo cum hujusmodi detractionibus illum avellere non posset, ad aliud animum intendit. Sine mora Bavariam ingreditur, civitatis suburbia, & omnia Ecclesiæ territoria incendio & vastatione peragravit, castrum quoque Episcopi *Tonstaupben* ex improviso superveniens arripuit, suisque custodiendum commisit; Quos Burgenses duris congressibus sæpius inquietabant, aliquando obsidebant, accessum & recessum eis interdum per insidias impediebant. Deficiente vero aliquando annona Dux ipse collecto milite victualia circumquaque collecta illis apportabat, & sic tota illa provincia multis malis subjacebat. Interea his malis & aliud non minus execrabile in superiori Bavaria assurrexit. Quadam enim die, dum Dux per fines *Comitis Ottonis de Wolferatenhusen* transitum fecisset, ille in ultionem Episcopi patrui sui tam subito, & inopinatè eum supervenit, ut nisi unus de suis de equo, in quo sedit, procidisset, & suum pro illius domino substituisset, inermem vita privasset. Vnde & ille in equo domini fugere tentans comprehensus, & multis vulneribus affectus captivus abducitur. Quapropter Dux collecto milite circa Purificationem sanctæ Mariæ fines illius invadit, omnia intermontana devastat, castrum *Homeras* obsidet & expugnatum incendit. Ad *Wolferatenhousen* vero propter sanctum Quadragesimæ tempus, quod imminebat, divertere noluit, sed assumpto *Gwelfone fratre suo*, qui eo tempore milites transalpinos in partes illas militiæ gratia adduxit, ad civitatem usque revertitur, & suos, quamdiu jam in castro *Tunistouphen* multis malis coarctati vexabantur, inde abduxit, & castrum igne succendit. Sed quia Gwelfonis mentionem habuimus, non incongruum videtur, si aliquid de his quæ & ipse circa eadem tempora in transalpinis partibus egit, huic assertioni inseramus.

Igitur *Gwelfo* sub annis adolescentiæ suæ, mediante *fratre suo Heinrico Duce filiam Gotefridi, ditissimi Palatini de Caluve Outam* nomine accepit uxorem. Vnde & omnia quæ illius erant, tam beneficia quam patrimonia obtinuit. *Albertus* igitur *Comes, fratruelis ejusdem Palatini*, videns omnem suam spem, quam in morte patrui posuerat, frustrari, de injusta eum divisione calumnians hæreditatis, ac medietatem omnium ad se hæreditario jure spectare proclamans, castrum *Caluve* dolo subripuit, & milites in eo locavit. Deinde in brevi post milites *Gwelfonis* in villa *Gindeluingen* quadam nocte ex improviso superveniens, aliis ex eis captis, aliis in fugam conversis, omnibus pæne tam in armis, quam in equitaturis penitus (p) destitutus villam succendit, ac prædam ad castrum suum *Wartinberg* adduxit. Dux ergo collecto milite sine mora idem castrum obsedit, & machinas nihilominus adduci & præparari præcepit. *Albertus* vero *Fridericum* & *Conradum Duces* auxilii gratia adiit, eisque de allodio suo villam cum ministerialibus ac aliis appenditiis ejus, ut *Gwelfonem* de obsidione propellerent, contradidit. Illi autem dum ad redimendum castrum collecta manu militum properarent, *Gwelf* impetum eorum præveniens, castrum armata manu, machinis quoque adhibitis circumqua-

(oo) Equitibus. (p) *destitutam* vel *destitutis*.

cumquaque impugnat, ac sic laboriose captum præda sua recepta, & militib. ibidem repertis captivis abductis, igne castrum succendit. Eadem quoque tempestate *Cunradus Dux de Zaringen avunculus uxoris Stouweburch* castrum Gwelfonis obsedit, sed adjutorio *Lotharii Imperatoris* infecto negotio recessit. Post ea & aliud castrum *Lewstein*, præfati Comitis scilicet, quod inexpugnabile cunctis videbatur, artificiosa congressione *Gwelfo* expugnat, aliquotque de suis amissis, omnibus vero quos ibidem repererat, captivatis incendio devastat. Post procedente tempore cum etiam *Caluve* castrum, quod idem Comes ei dolose surripuerat, collecta multitudine obsidere voluit. Ille se in extremo discrimine positum, nullumque refugium, nullum solatium se ulterius habere compensans, ad deditionem venit, ac se ad pedes Ducis humilians, gratiam quam non meruit, invenit. Dux enim pro solita mansuetudine ac clementia illum eodem castro, aliis quibusdam villis inbeneficiavit, omnibusque suis restitutis honorifice dimisit, ac sic composita pace cunctisque terræ illius optimatibus ad se confluentibus, provincia tota ditioni suæ subjecta quievit. Sed jam digressione omissa ad inceptum redeamus.

Heinricus igitur *Dux* finita Paschali hebdomada tam copiosum exercitum in Bavariam reduxit, ut & castrum supra nominatum stricta obsidione clauderet, & se ab impetu illorum, qui sibi contumaciter comminabantur, defenderet. Episcopus enim per totam cognatos & amicos suos conveniens, hoc agebat, ut Ducem de finibus illis, si amplius eos hostiliter invaderet, ignominiose fugarent. Morante igitur in obsidione Duce, Episcopus cum *Marchione Orientali Leopoldo*, seu aliis Comitibus ac totius Bavariæ fortissimis, excepto *Palatino*, coadunato milite appropinquat, & castra in plano prope Isaram fluvium ponit. Interea *Otto Palatinus* vir sapientia præditus, cui ad utramque partem accessus patuit, utriusque exercitus apparatum contemplatur, illisque nostrum copiosiorem esse denuncians terrorem incutit; cogitansque quomodo ad bonum pacis perducat *Fridericum Advocatum cognatum suum* promissionibus ac minis circumveniens ad deditionem hortatur. Ille utpote omnibus suis destitutus, consiliis Palatini adquievit; & assumpto eo in castra Ducis veniens, & ad pedes ejus se humilians, gratiam ejus recepit. Quo perpetrato *Ottonem* quoque *generum suum* ad deditionem & satisfactionem, exponens ei miserias suorum, compellit. Qui similiter ejus & aliorum suorum consilio consentiens, ad deditionem venire non distulit, ac se ipsum cum castro in manus Ducis sub omni humilitate contradidit.

Dux vero prout rigor justitiæ exigit, illum patriam & omnes terminos Bavariæ quoadusque per eum advocaretur, abjurare coëgit, & sic eum captivum suis commisit, & ad *Ravenspurch* secum adduci præcepit; castrum quoque cum omnibus quæ auferri poterant præter ædificia abstractis, igne succendit. Abducitur ergo uxor illius, quæ & ipsa in castro obsessa fuerat; quam Dux benigne suscipiens & bene consolans, Patri suo Palatino commisit: sicque omnis contumacia Bavariorum, divina ordinatione, suppressa est. Non multo post compositio quoque inter ipsum & Episcopum fit, & *comitatus* ille, quem Ecclesia Ratisponensis circa fluvium habet, ab Episcopo ei in beneficio conceditur.

Circa hæc tempora Imperator in generali Curia *Babinberch* habita *Cunradum* & *Fridericum Duces* interventu *Bernardi* (q) *Clarevanensis Abbatis* in gratiam recepit, ac ita renovata pace expeditionem in Italiam (r) *secundo* indixit. Quam expeditionem *Heinricus Dux* perfecturus, *Ottonem* sæpe dictum *Comitem*, & alios de Bavaria, quibus initio infestus erat, in gratiam recepit; & stipendia condigna offerens, ad expeditionem illexit. Similiter & alios ex utraque Provincia, ita ut per vallem Tridentinam mille quingentos milites in Italiam duceret. Cum Imperatore ergo in citeriore Italia *Gardam* & *Garislallum* cepit, quæ in beneficio ab eo suscepit. Ibi *Mediolanenses* & *Cremonenses* diuturnum inter se bellum habentes coram Imperatore causam *Werra* exponunt. Cremonenses ergo à Principibus Italiæ hostes judicantur, proscriptique discedunt: quos ipse subsecutus territoria eorum ac villas seu castella destruxit. Indeque *Papiam* veniens, cives illos pactione pecuniæ in gratiam suscepit. Ibi & *Otto Comes de Wolferatenhausen* vita privatus occubuit. *Bononienses* quoque & *Emilienses* supplices, Duce interveniente, recepit. Post usque ad *Thaurinum* progrediens, totam citeriorem Italiam sine ferro subegit. Inde ad *Pennunum* transiens Imperator *Anchonam*, *Spoletum*, cum aliis urbibus seu castellis ulterioris Italiæ in deditionem accepit. Deinde contra *Rogerium* aciem dirigens *Campaniam & Apuliam* peragravit. Porro *Heinricus* noster per *Tusciam* exercitum duxit, quam (id est Tusciam) etiam ab Imperatore beneficio obtinuit: *Romamque* veniens summo Pontifici Innocentio usque ad Imperatorem conductum præbuit. Suburbia *Albæ* civitatis sibi resistere nitentis expugnavit, ac destruxit. *Beneventum* cepit, ac Papæ restituit. Imperatori non longe ab *Arra* cum Summo Pontifice obviam

(q) leg. *Clarevallensis*. (r) Ita lego. m. s. habet: *Sedo*.

am venit, ibique castrum quoddam, ubi præsidia Rogerii fuerant, artificiose valde expugnavit, militesque in eo repertos & præcipue Sarracenos patibulo suspendit. Post *ejecto de Campania & Apulia Rogerio*, *Reginaldo* vero viro forti ac nobili *Ducatu Apuliæ commisso* de reditu disponunt.

13. DE REDITV IMPERATORIS LOTHARII ET ejus morte.

IGitur de Italia per Tridentinam vallem redientes, Imperator morbo correptus in *Sylva*, quæ est inter Oenum & Licum, sub vilissima casa, XIII. regni sui anno, diem obiit; ac inde per Augustam & Orientalem Franciam in *Saxoniam* portatus in Monasterio *Luther* honorifice sepelitur. Dux ergo *Heinricus gener ejus*, in quibus * finibus obierat, *Regalia reservavit*, ut generali conventu Principum, qui in proximo pentecostes Mogunciæ condictus fuerat, præsentaret. Quidam autem ex Principibus timentes ne forte in generali curia Heinricus Dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam Quadragesimam consilio habito in oppido Rheni *Confluentia* conventum celebrant, ibique *Cunradum fratrem Friderici*, de quo supra diximus, præsente *Theodorico Episcopo Cardinali*, *Regem creant*. Et *Saxones & Dux Heinricus* aliique, qui electioni non interfuerant, Regem non legitime, sed per surreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proximo Pentecostes generalis Curia *Babinberch* indicitur. Quo *Saxones* omnes simul cum *viduata Imperatrice Richinza* venientes, ultro se Conrado Regi subdidere. *Heinricus Dux Regalia servans* aberat, ad quæ reddenda in festo Apostolorum Petri & Pauli dies ei *Ratispona*, in brevi post *Augusta* describitur: Quo ex condicto, assumptis fidelibus suis & milite non modico, venit; ac super Licum ex opposito civitatis, Rege civitatem tenente, castra posuit. Internuncii autem ac mediatores ad hanc causam prænominati, per triduum huc ac illuc sæpius transmeantes nihil profecerunt. Rex enim non aliter compositionem fieri voluit, nisi Dux quædam de his, quæ à Lothario Imperatore susceperat, ac possederat, resignaret. Quod cum Dux renuisset, ac se potius dubiæ sorti supponi elegisset, colloquium infecto pacis negocio dissolutum est. Rex ergo metuens aliquid in se machinari, dum peracta cœna cubitum se ire simularet, abductis clam equitaturis cum paucis, nulli de Principibus valedicens, exivit, ac militem suum reliquum in magno discrimine relinquens, *Herbipolim* pervenit. Ibi judicio quorundam Principum *Dux proscribitur, Ducatusque ei abjudicatur*. Dux ergo in subsequenti die post egressum Regis de Augusta, suis prout poterat probe dispositis, non multis comitatus in *Saxoniam* properat. Et Rex *Ducatum Saxoniæ Alberto Marchioni consobrino ejusdem Ducis, Noricum* vero post in Bavariam veniens, *Leopaldo filio Leopaldi Marchionis fratri suo ex parte matris* tradidit. Heinricus ergo Dux Saxoniam ingressus, cum casum & miserias suas fidelibus & amicis suis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & Alberto excitavit. Inde in brevi eundem Albertum, auxilio eorum, nec non & suorum qui de Bavaria & Suevia eum insecuti sub specie peregrinationis, terram intraverant, adeo humiliavit, ut castris ejus dirutis, terris circumquaque vastatis ad Regem auxilii gratia ire compelleret.

Interea *Leopaldus Marchio* suscepto à Rege *Norico Ducatu* omnibus pæne Baronibus ad Ducatum pertinentibus amore seu terrore ad se confluentibus, primo *Ratisponam* ditioni suæ subdit, post collecto milite superiores partes Bavariæ usque ad Licum pertransiens, amissis aliquot de suis festinanter revertitur. Non multo post Heinricus Dux dum in Saxonia omnibus suis rite dispositis, in Bavariam redire disposuisset, morbo correptus diem extremum clausit, *ac sic in Monasterio Luther juxta socerum humatur*. Quo mortuo Saxones amore filii sui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat, Regi denuo rebellant. *Leopaldus* vero *Ducatum Noricum* ex hinc se potenter habere confidens, dum in obsidione castri *Valeia* duorum fratrum, qui in parte ducis Heinrici steterant, incaute moraretur, *Gwelfo Ducis ejusdem frater* collecto milite superveniens, fortissime dimicando, cæsis ex utraque parte pluribus, multis captis, *Leopaldum* ignominiose fugere coëgit. Ipse vero *Gwelfo* privatum *Ducatum jure hæreditatis* ad se spectare perclamans, dum justiciam apud Regem impetrare non posset, ad rebellionem se parat. Ob hoc Rex circa idem tempus castrum ejus *Vimsperch* (rr) obsedit. Quem *Gwelfo* collecto milite, in proxima hebdomada Nativitatis Domini, dum incaute pugna aggredi tentat, amissis aliquot, multis captis, cum paucis fugit è prælio. Non multo post *Leopaldus* moritur, eique in Marchiam *Frater suus Heinricus de Austria* successit. Cui Rex Saxoniam ingressus,

* cujus. (rr) *Winsberg*. Hinc fabula nata de viris dedita urbe per uxores (quibus pretiosissima secum ferre permissum erat) dorso exceptis & exportatis; inter quos fuerit ipse Guelfus.

pacemque cum Saxonibus faciens *viduam Heinrici Ducis in uxorem dedit, eique Ducatum Noricum* concessit. Quæ res maximæ discordiæ seminarium fuit. *Gwelfo* enim, ut dictum est, eundem Ducatum impetens, extemplo armata manu sub oculis ejusdem Heinrici partes illas ingreditur, cunctisque circumquaque vastatis regreditur. Ob hocque Heinricus ille inflammatus, coadunato milite fines illorum, qui Gwelfonis fautores erant, ingressus, munitiones illoum & villas destruxit. Qui, * dum Gwelf restaurato milite occurrere parat, audito, quod Rex superventurus est, cessit. Porro Heinricus ille similiter cum Rege castrum *Cathovwe* (s) scilicet *Comitis Cunradi*, quod ex parte Gwelfonis erat, obsidione clausit, vastatisque in circuitu universis, adjutorio Regis ad deditionem coëgit, ac igne succendit. Sic tota illa provincia in maximo bellorum discrimine laborabat. Igitur *Rogerius Rex Siciliæ* audiens hujusmodi conflictationes inter Gwelfum & Regem, timens, ne forte cessante *geberra* (t) Conradus Rex quandoque Italiam intraret, ac eadem, quæ à Lothario ab eo quoque perpessus (tt) esset, *Gwelfonem* adversus eundem muneribus illectum incitat, singulisque annis mille marcas se ad hoc daturum juramento confirmat. Item quoque *Rex Vngariæ*, eundem Conradum metuens *Gwelf* ad se accersivit, dataque pecunia non modica ac deinceps omni anno dandam pollicens ad rebellandum nihilominus instigat. Gwelfo itaque strenui militis officium exercens modo in Bavaria, modo in transalpinis partibus Sueviæ, modo circa Rhenum, modo tot tempestates bellorum movit, ut Regem potius ad defensionem sui, quam ad externarum nationum invasiones excitaret. Circa has tempestates *Gens Francorum cum Rege suo Ludewico, gens quoque Teutonicorum cum Rege suo Conrado* aliisque Principibus, *Friderico Duce Sueviæ, postea Imperatore*, Episcopis, Comitibus, seu aliis cujuscunque conditionis hominibus, pro querimonia transmarinæ Ecclesiæ *Hierosolymitanum iter* aggrediuntur: Quod & *Gwelfum Ducem*, licet nondum sedata *gwerra*, ire compulit.

Egressi itaque anno Dominicæ incarnationis MCXLVII. per Vngariam & Græciam innumerabilem exercitum ducunt: *Qui totus pene, exceptis Principibus seu aliis plus cautis, vel inedia, vel aëris intemperantia, vel ciborum insolentia, vel Sarracenorum invasione, infecto negocio, interierunt.* In hoc ergo laborioso itinere *Conradus Rex* commilitoni suo *Gwelfoni*, sic enim eum nominare solebat, sæpissimè in necessitate subveniebat. Ac de omnibus, quæ à Regio isto in Constantinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partem illi tradebat. Denique Hierosolymam venientes, cum alii procinctum sub Rege Conrado contra Damascum moverent, Gwelf in infirmitate captus ac in desperatione positus ad reversionem se parat.

Transito igitur mari convalescens Siciliam attingit. Ibi Rogerius eum cum magno domus suæ tripudio suscipiens, ac honorifice dimittens, iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat. Igitur reversus in proxima hyeme circa Purificationem Sanctæ Mariæ collecto milite fines Regis invadit, ac castrum ejus *Floperch* forti impugnatione sollicitans, dum in reversione militem nimis incaute duceret, à militibus Regis circumventus, ac aggressionibus initis, cum paucis aliis circum quaque diffusis, plus ex infortunio, quam ex instantia belli, nostri fugam arripiunt, plurismisque captis nullo occiso ignominiose revertuntur. Ac sic gwerra diu anxie inter ipsum & Regem agitata finita est.

Nam *Fridericus, fratruelis Regis, sororius ejusdem Gwelfonis,* medium se ad compositionem faciendam interposuit, captivosque Duci reddi ac Regem de cœtero securum penes illum esse, provida deliberatione confirmavit. Rex ergo accepto consilio Gwelfoni aliquos reditus de fisco regni cum villa *Mardingen* concessit, ac sic confirmata pace ipse in brevi post vita decedens Friderico fratrueli suo sedem Regni reliquit. Qui *avunculo suo Gwelfoni Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitissæ Machtildis* in beneficio tradidit. Reditus tamen illos ad fiscum pertinentes, quorum jam mentionem habuimus, nihilominus recepit. Igitur dignitatibus prænominatis susceptis Italiam intrat, ac civitates, castella, seu villas per totam *Domum Machtildis* pertransiens, negotia terræ civiliter pertractat. Ibi legati de omnib. civitatibus Tusciæ nec non & ex omnibus civitatibus Spoleti ad eum venientes ac munera condigna offerentes subjectionem voluntariam promittunt. Cum quibus nuncios suos ad omnes civitates dirigens, ac se in brevi illò venturum promittens, suis rite dispositis, revertitur. Post cum Imperatore collecta multitudine terram ingreditur, ac in obsidione Cremensi (u) usque ad destructionem ejusdem castri immoratur. Deinde totam militiam suam in Tusciam movens maximum conventum apud sanctum Genesium habuit. Ibi Baronibus terræ illius *VII. comitatus cum tot vexillis dedit*, cæterisque nihilominus de civitatibus seu castellis ad se confluentibus, unicuique, quod suum erat, tribuit; simul & ipse sua, quæ singulæ civitates ad se injuste contraxerant, recepit. Denique conventu dissolutó *Pisam* in S. Sabbato cum

* cui. (s) fort. *Calouve*, de quo supra. (t) *gverra*.
(tt) *perpessurus*. (u) *Cremonensi*.

cum maximo totius civitatis apparatu ingreditur, ac ibidem Pascha jocundissime celebrans, egressus inde à Lucensibus non minori tripudio suscipitur. Sicque ab omnibus civitatibus ad quas declinaverat, honorifice susceptus atque habitus negotia terræ potenter pertractans, suosque ubique in castellis seu villis ad fiscum pertinentibus relinquens, usque *Ducatum Spoleti* procinctum movet. Ibi similiter omnibus benè dispositis, *filio suo Gwelfi* terram illam ac totam Italiam ad se spectantem commisit, ac de suis strenuissimos quosque secum relinquens per vallem Tridentinam revertitur. *Gwelfo* igitur *Junior* terra potitus constantia animi, districtione judicii, largitate & affabilitate inæstimabili omnibus se acceptabilem præbuit: militibus Imperatoris, qui eo tempore civitatibus Italiæ præerant, quotiescunque fines suos injusta oppressione invadere tentaverant, omnimodis se opposuit; & ob hoc Imperatoris offensam nonnunquam incurrit: popularem autem favorem eo magis sibi accumulans omnium civitatum in se provocavit affectum.

14. DE EXECRABILI PVGNA apud Tubingen.

INterea *Hugo Palatinus comes de Tubingen* in comitatu, quem à patre istius possederat, quosdam de ministerialibus ejus injusto, ut ajunt, judicio damnatos, patibulo suspendit; ac castrum eorundem *Moringen* destruxit. Pro quo *Dux Gwelfo* querimonia eum impetens, & pro satisfactione humile ab eo responsum accipiens, ut erat mansuetissimus, ab impetitione, licet querimoniam non deponeret, cessavit. Deinde procedente tempore pater filium de Italia revocavit, ipseque illò iturus & negotia terræ per se tractaturus filio omne patrimonium & possessiones, quas ex parte Matris habiturus erat, ex integro tradidit; sicque factum est, ut recedente patre *Gwelf* præfatam querimoniam renovaret, & Palatinum illum pro satisfactione sæpius ac sæpius impeteret. Ille autem non tam in suis suorumque viribus quam in *Friderici Ducis filii Conradi Regis* confidens, qui & eum ad hoc impellebat, quasi bonæ famæ Gwelfonis invidens, & honestis actibus ejus detrahens, responsionem contumacem ac minacem pro satisfactione obtulit; per quam & animum juvenis ad rebellandum incitavit, & toti Alamanniæ execrabile infortunium & infaustam depopulationem machinabantur. Gwelfo enim sibi illatam injuriam amicis, cognatis, & fidelibus suis exponens, omnium animos in adjutorium sibi cum optima voluntate ascivit. Conveniunt ergo collecto milite Episcopi tres, *Augustensis, Spirensis, Wormatiensis; Bertholdus Dux de Zaringen; Bertholdus Marchio de Voheburch; Herimannus Marchio de Baden; Rudolphus Comes de Pfullindorff, Albertus Comes de Habespurch, duo Fratres Comites de Calewe, duo de Berge, Gotefridus* cum *Rudolfo fratre de Romesperch, Hartmannus de Kilchbergh, Heinricus de Feringen Comites, Conradus Advocatus Constantiensis* cum cæteris terræ nostræ Majoribus, quinque milibus & ducentis armatorum & eo amplius: & castra non longe à *Coningen* circa vesperam Sabbathi VIII. Idus Septembris ponentes, dominicum diem in quiete & otio deducere statuerunt. In adversa autem parte *Fridericus Dux* cum omnibus quos amore vel terrore excitare poterat, *Zolrenses* omnes cum magno apparatu ac alii quam plures erant & militem suum coadunatum secum in castro locaverant, totaque illa nocte alii orationi incumbebant, alii de satisfactione, & compositione anxiè tractabant. Sed Domino, qui omnium novit corda, cujus & judicia abyssus multa, aliter ordinante seu permittente terminatum est. Quidam enim de nostris, minus provide ac parum præmeditantes eventum rei, cœteris ignorantibus, ac diem otio deducere volentibus, castris circa horam VI. prorumpunt, & cum quibusdam de hostibus, qui simili temeritate à suis prodierant, prope castrum sub oculis inimicorum congrediuntur. Fit igitur clamor in castris, nostri prosiliunt, arma arripiunt, quique alios, in quo poterant, prævenire satagunt. Sicque fit ut aliis præcurrentibus, aliis subsequentibus, plurimi confusim, & sine acie ad locum congressionis suis auxilium perveniunt.

Interim & hostes de castello non minus properantes locum sibi tutiorem eligunt, & nostris aditum difficillimum super ripam fluminis in modum vallis præsignant. Mox & multitudo nostrorum acie coadunata *Heinrico Comite de Veringen* advolat, sed præ difficultate aditus per pauci ad locum congressionis transierant. Fortissime tamen ab his qui congressi sunt, per spacium duarum horarum pugnatum est; licet nullus utriusque partis, excepto uno, corruisset: adeo enim armis omnes muniti erant, ut multò facilius capi, quam occidi potuissent. Itaque illis, ut dictum est, conflictum habentibus, cæteri fugam arripiunt, hostibusque immeritam victoriam dantes, sibi ac posteris perpetuum opprobrium accumulant. Hostes igitur cognita fuga primo illos, qui congressi erant, paucis emersis captivantes ad castrum remittunt: deinde alios insequentes velut oves de pascuis ad caulas propellentes, ut totam summam

mam comprehendam DCCCC. captivos cum maxima præda adducunt. Reliqui præsidio sylvarum ac montium seu vicinorum castellorum effugiunt. Gwelfo ad *castrum Achalmen* tribus tantum comitatus pervenit.

Eodem tempore *Gwelfo Pater* de Italia reversus, audito, quod acciderat, pro redimendis captivis agebat. *Hugo* igitur inito consilio captivos reddidit, & facta compositione, terra ejus ab omni vastatione per annum quievit. Transacto anno pax inter eos rumpitur, terra omnis circumquaque depopulatur, castra ejus duo, *Chelminzen* scilicet & *Invallere* destruuntur; in quibus de suis XL. captivantur. Ille itaque fractus animo propugnatorem suum *Fridericum Ducem* de auxilio interpellans ad *Ducem Boëmiæ* auxilii gratia ire compulit. Qui collecta multitudine Boëmos gentem horribilem ac Deo hominibusque odibilem in fines nostros adduxit, totamque Germaniam à lacu Lemanno usque Boëmiam execrabilibus spurcitiis illorum & turpissimis deprædationibus ac incendiis inter Epiphaniam & Purificationem Sanctæ Mariæ commaculavit, anno videlicet ab incarnatione Dom. M.CLXVI. Humiliata est & illico ejusdem Palatini contumacia. In feria enim IV. capitis jejunii sub generali curia *Vlmæ* habita, in præsentia *Ducis Heinrici Domini nostri* sub oculis quoque ipsius *Imperatoris ac Friderici Ducis*, idem *Hugo Gwelfoni juniori* ad deditionem venit, ac se pedibus ejus prosternens custodiæ mancipari, & vinctum abduci non respuit; & sic in captivitate usque ad obitum ipsius Gwelfonis per annum scilicet & dimidium tenetur. In subsequenti vero hyeme circa Epiphaniam *Gwelfo senior* Hierosolymitanum iter aggreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, ac filium suum cum omnibus ad se spectantibus gratiæ ejus commendans, Pascha sanctum apud Sepulchrum Domini celebravit. Interea Imperator *Gwelfum juniorem* multis illectum promissionibus ad se in Italiam revocat. Qui collecto milite sub Paschali tempore Pireneum (x) per jugum, VII. montes, qui Rhenus & Oenus fluvium oriuntur, (y) transcendens Papiam usque pervenit. Vbi legatos Imperatoris inveniens & stipendium ab eis promissum recipiens, in *Tusciam*, negocia terræ ubique tractans, transivit: & sic ad Imperatorem circa medium Julium non longe à Roma pervenit. Eodem quoque tempore pater ejus Hierosolymis veniens, reversus Romæ ei occurrit, ac *visis Imperatoris detestabilibus piaculis, ipsum & omnem exercitum detestans*, ad propria per vallem Tridentinam revertuntur. Imperator enim tanta eo tempore in destructione Ecclesiarum, in strage populorum, sive aliis abominationibus Romæ exercuit, ut vindictam Dei justo judicio sequi oporteret. Maxima n. pars exercitus interiit. *Episcopi Coloniensis,* ille qui totius mali hujus nec non & schismatis diutini incentor fuit, *Spirensis*, *Ratisponensis*, *Bragensis*, *Werdonensis*, *Leodiensis;* ac cæteri Principes, *Fridericus* scilicet *Dux*, *filius Conradi regis*, *Gwelfio Dux filius Gwelfonis Ducis*, *Benrengarius Comes de Sultzbach*, *Heinricus Comes de Cuningen*, cum pluribus Regni hujus Majoribus *occubuerunt.* Quorum omnium penè *ossa carnibus per excoctionem consumptis*, ad propria reducta sunt. Translata sunt autem & *ossa Gwelfonis nostri*, & in monasterio *Staingaden* à patre suo fundato reposita sunt.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo primo, *Gwelfo Dux senior* iter Hierosolymitanum aggressus est, Tertio calendas Aprilis.

Anno Dominicæ Incarnationis M.CIX. IV. Idus Januarii prælium juxta *Idungensheim* inter duos Comites, *Rudolphum* videlicet *Comitem Bregantinum*, & *Hartimannum Comitem de Kilichberg* commissum; cæsis ex utraque parte plurimis, cruenta tandem *Victoria HARTIMANNO cessit. Cecidit in eo conflictu WALTHERVS COMES, & alii complures* Anno Dominicæ Incarnationis M.CXI. Expeditio Romam facta est *per Heinricum V. in qua Paschalis papa captivatur.*

Anno M.CXXIII. *translatio* (*) *sancti Cunradi* facta est VI. Cal. Decembr.

Anno M.CXIII. *Heinricus Dux junior*, qui postea *in Saxonia humatus est, arma accepit.*

Anno M.CXXIV. inceptum est *Monasterium sancti Martini Wingartin.*

Anno M.CXXVII. *Heinricus Dux senior cum conjuge sua Wulfildi*, quæ XVI. tantum dies supervixit, obiit.

Anno M.CXXXV. *Heinricus Dux filius Heinrici*, (**) postea *Bavariæ & Saxoniæ Dux*, in Pentecoste baptizatus est. Quo & in anno pater ejus *in secunda expeditione Lotharii Imperatoris soceri sui* per Italiam in Apuliam mille ducentas loricas duxit.

Anno M.CXXXIX. *Heinricus Dux*, qui *in Saxonia humatus est*, obiit.

Anno

(x) Hodie *Prenner.*

(y) Per jugum *septem-montes* (dictum) quibus Rhenus & Oenus &c.

(*) Episcopi Constantiensis.

(**) Henricus Leo.

Anno M.CXL. *Welfo Dux Leopaldum Ducem Bavariæ* in Idibus Augusti pugna juxta castrum *Valejum* aggressus vicit: ipse verò eodem anno in festo sancti Thomæ à *Rege Cunrado* apud *Winisperch* devictus est.

Anno M.CXLVII. *Iter* illud *Hierosolymitanum* sub *Conrado Rege* nostro & *Ludowico Rege Francorum* factum est.

Anno M.CL. *Welfo* apud *Flohperg* cum principibus, & militibus Regis Conradi conflictum habens devictus est.

Anno M.CLII. *Fridericus* regni gubernacula suscepit.

Anno M.CLIII. *divortium factum est Constantiæ inter Fridericum & Adilam filiam Diopoldi Marchionis.*

Anno M.CLIV. Fridericus *expeditionem Romanam* aggressus est, in qua *Imperali benedictione* ab Adriano Papa sublimatur. In festo sancti Michaëlis recedens, & post annum in eodem tempore revertens.

Anno M.CLVII. Regni verò Friderici VI. nix magna & frigus insolitum circa Passionem Domini inhorruit, quod mortalitas hominum ad tempus, & exustio maxima per totam æstatem subsecuta est. Porro in ipsa die Kalendarii (z) Julii tanta severitas grandinis, tantaque concussio ventorum invaluit, ut segetes circumquaque consumeret, robustiores arbores radicitus evelleret. In Altendorfensi quoque cœnobio campanas omnes usque ad duas de minoribus confringeret, ædificia etiam castrorumque munitiones humo prosterneret.

Anno M.CLVIII. *Fridericus Imperator secundo expeditionem in Italiam* imprudenter movit, *propter rebelles Mediolanenses.* Sed quia ex levi eos itinere vincere nequiverat, Principes, qui relicti fuerant, sequenti anno subsequuntur; *Heinricus* videlicet *Dux Bavariorum & Saxonum* circa Pentecosten, in mille ducentis loricis. *Welfo* vero circa festum sancti Michaelis in trecentis loricis Teuthonicorum, anno videlicet M.CLIX.

Sequenti anno, id est, M.C.L.X. *Dux Heinricus* rediit ab expeditione.

Anno M.C.LXII. In festo Sancti Clementis dissidium factum est inter *Ducem & Uxorem suam Clementiam filiam Conradi Ducis Constantiæ.*

Anno M.C.LXVI. devastatio Boëmiorum *sub Ducatu Friderici Ducis filii Conradi Regis* in partibus istis facta est.

Anno M.C.LXVII. *Gwelfo secundo Hierosolymitanum iter* persolvit: filiusque ejus *Gwelfo* eodem anno defunctus est.

Anno M.C.LXXII. *Heinricus Dux Bavariorum & Saxonum Hierosolymitanum iter aggressus* est circa Purificationem sanctæ Mariæ.

Anno M.C.LXXIV. Fridericus Imperator expeditionem tertio in Italiam movit, circa festum sancti Matthæi; & in sequentis Paschæ vigilia conflictum cum Italicis habuit apud Alexandriam.

Anno M.C.CLXXVI. In diebus Rogationum feria quarta fuga miserabilis, & devastatio in partibus istis facta est, *Episcopo Coloniensi*, & *Comite Flandriæ* cum aliis quamplutibus hic transeuntibus, ab Imperatore in Italiam avocatis.

Anno M.C.LVIIXX. Unio Ecclesiæ sub Alexandro Papa reddita est.

Anno M.C.LXXX. infra festum sancti Galli & Sancti Martini Fridericus Imperator habita curia *Herphart Ducem Saxonum & Bavariorum duobus annis bellis attritum exilii proscriptione damnavit.*

Anno M.C.LXXXII. Indictione prima & (a) Idus Novembris dedicatum est *monasterium novum sancti Martini Wingarten* à venerabili *Bernio Constantiensi Episcopo.*

Anno M.C.LXXX. (b) vero filii Imperatoris Friderici S. (c) *Heinricus Rex*, & *Fridericus Dux Suevorum* in Pentecostes Moguntiæ *arma sumserunt.*

Eodem anno in Augusto Imperator sine armis Italiam ingressus est, & à Veronensibus cum maximo honore susceptus.

Sequenti dehinc anno *Heinricus Dux Saxonum post festum Sancti Michaëlis de Anglia reversus est.*

Anno M.CLXXX. (d) *Welfo Dux Illustrissimus* Wingartensi cœnobio duas curias hæreditario à se jure possessas contradidit, *Berge* videlicet & *Willare* cum omnibus appenditiis suis,

Hhh hh &omni

(z) f. Kalendarum.

(a) f. ad *ad Idus.*

(b) Leg. *Anno M.CLXXXIV.* uti constat ex Godefr. monacho Chron. August.

(c.) f. *scilicet.*

(d) Suspectus numerus propter anteriores, & ea quæ Chron. sequens habet sub an. 1191.

& omni utilitatis proventu, qui exinde provenerit, pratis & nemoribus, pascuis, molendinis, aquis, aquarum decursibus; & insuper beneficia, quibus vasalli sui inbeneficiati erant, ea conditione dedit, ut ipsi iisdem beneficiis dum vivunt, utantur; successores vero eorum, nisi secundum velle Abbatis & fratrum de his nihil hæreditabunt. Acta sunt hæc Idus Augusti, regnante Friderico Imperatore serenissimo, in villa *Mamigen*, testibus quam pluribus astantibus.

FINIS.

LVI.

CHRONICON Ejusdem WEINGARTENSIS MONACHI A CHRISTO NATO VSQVE AD annum 1197.

Post tempora Consulum Monarchi in Romana Republica imperium obtinuerunt, primo Julio Cæsare arripiente imperium repetitusque est Romæ mos uni parendi, anno ab urbe condita DCCXX. uno, ab exactis vero Regibus D. LXXX. pro Rege *Imperatore*, vel sacratiori nomine post *Augusto* appellato.

Primus Julius Cæsar regnavit annis quinque post quem Cæsar Augustus regnavit annis LVI. Cujus anno quadragesimo (a) vero natus est Christus. Propterea anni, quibus regnavit Augustus ante Nativitatem Christi, id est Anni XL. vero (b) non computantur ad summam, sed XIV. sequentes quibus tempus ab Incarnatione Verbi colligimus.

Regnavit autem quinque annis Julius Cæsar, à quo Cæsares. Augustus Cæsar, à quo Augusti, qui non est passus dominum se vocari. Hic Antonium & Cleopatram vicit, & sub eo Herodes alienigena subintravit, & Cyrinus in Syriam mittitur.

Christus nascitur (c) anno LVI.

Tyberius privignus Augusti, sub quo Pilatus Judææ Procurator dirigitur.

Herodes Tetrarcha Joannem Baptistam decollavit & Christus crucifigitur. Stephanus lapidatur. (d) r. a. XXIII.

Cajus Caligula, sub quo Pilatus interfecit se ipsum. Herodes Agrippa Rex constituitur. Matthæus Evangelium scribit. Regnavit annos III.

Claudius, qui & Tyberius. Dispersio Apostolorum facta est. Jacobus decollatur. Petrus incarceratur. Idem Romam venit. Marcus Evangelium scribit. Regnavit annos XIII.

Nero Sororius Caligulæ, sub quo prima persecutio Ecclesiæ. Petrus & Paulus Romæ necantur. Marcus Evangelista coronatur. Regnavit annis XIII. Lucas Evangelium scribit.

Vespasianus. Sub quo Hierosolyma evertitur. Josephus captivatur. regnavit annos 8.

Titus regnavit annos 2. filius superioris.

Domitianus frater prioris, sub quo persecutio vero (e) orta est. Joannes in Pathmos relegatur. Regnavit annos XV.

Nerva, qui dicitur Pius. Joannes Ephesum rediit cum cæteris. Regnavit annum I.

Trajanus. Joannes obiit. Persecutio III. orta est, sub qua Clemens Papa & Alexander, Hermes, Nereus & Achilleus passi sunt. r. an. XIX.

Alius

(a) Forte leg. quadragesimo *secundo*. Autographum forte habuit *XLII.* Exscriptor autem numeri binarii notam pro *u*. accipiens, *vero*, interpretatus est.

(b) f. *duo*.

(c) Vitiose.

(d) *Regnavit annis*.

(e) f. *secunda*. illud *vero* pro *secundo* usurpatur passim in hoc MSto.

Ælius Adrianus. Hic Hierosolymam reædificavit. Aquila interpres fuit. r. a. XXI.

Antoninus Pater cum filiis regnavit annos XXII.

Marcus Antoninus Verus cum fratre Aurelio, & post cum filio Lucio Antonino. Persecutio quarta orta est. Polycarpus presbyter patitur. Regnavit annos XIX.

Lucius Antoninus Commodus post mortem patris, sub quo Theodocion interpres. r.a.XIII.

Ælius Pertinax regnat menses VI. Julianus Jurisperitus.r.menses VII.

Severus Pertinax. Symmachus interpres. Persecutio V. orta est, in qua Perpetua & Fælicitas passæ sunt. reg. annos XVII.

Balbinus Juliani socius. Sub quo Narcissus Episcopus. regnavit annos V.

Antoninus Caracalla Severi filius. Thermæ Romæ conduntur. r. annos VII. Quinta editio habetur.

Macrinus qui & Opilius, regnavit annum I.

M. Aurelius Antoninus Eliogabalus, sub quo editio VI. regnavit annos IV.

Aurelius Alexander filius Mammeæ. Origenes claruit Romæ. Coronantur Calistus, Papa Vrbanus, Cæcilia, Tiburcius & Valerianus, Palmatius, Calipodius, Gordianus. regnavit annos XIII.

Gordianus, regnavit annos IV.

Maximinus Julius, sub quo persecutio sexta. Regnavit annos III.

Philippus cum Philippo filio. Hic primus Imperator Christianus. r. a. VII.

Decius sub quo persecutio VII. Romæ. Coronatur Fabianus, Papa Cornelius, Abdon & Sennes, Sixtus, Laurentius, Hippolytus, Stephanus Papa. Antonius Monachus claruit. r. a. III.

Gallus cum Volusiano filio. regnavit annos XV.

Æmilius regnavit menses III.

Galicius cum filio regnavit annos VII.

Valerius cum Gallieno filio regnavit annos XV. Cyprianus coronatur.

Gennus regnavit annos decem.

Postumus r. a. X.

Claudius sub quo persecutio VIII. Quintillus frater ejus regnat dies XVII.

Aurelianus primò quidem clemens. Persecutio IX. orta est. r. annos V.

Tacius vel Tacianus sub quo Vincentius & Gregorius passi sunt.

Florianus regnavit menses II. & dimidium.

Prusbo. r. a. VI.

Carus cum Caricio & Numeriano filiis regnavit annos II.

Diocletianus & Maximinianus Herculius. Pesecutio exorta est, in qua divinis libris adustis, plures passi sunt, Agatha, Cyriacus, Sebastianus, Pancratius, Marcellinus, Primus, & Fælicianus, Agnes, Mauritius, Vitus, Afra, Lucia. Regnavit annos XX.

Constantius cum Valerio Maximo regnavit a. XVI.

Carasius regnavit annos VII.

Maximinus & Severus regnavit VIII.

Constantinus Constantii ex concubina Helena filius. Hic Constantinopolim sedem regni fecit, & dimisit sancto Sylvestro Romam. Synodus fit. Nicolaus claruit. Regnavit annos XXX.

Constantius cum Constantino & Constante fratribus; filii Constantini. Regnavit annos XXIV. Athanasius & Hilarius claruerunt.

Julianus Apostata regnavit annos II. sub quo Basilius & Gregorius.

Jovinianus Pannonius Christianissimus, sub quo Athanasius. Episcopi revocantur. regnavit menses VIII.

Valentinianus cum Valente fratre, qui & ipsi Pannonii. Iste Valens fuit hæreticus, cujus gratia Gothi Arriani fiunt. regnavit annos XI. Ambrosius, Maximus, Hieronymus claruerunt.

Valens post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano filiis fratris regnavit annos IV. Hermanaricus Gothorum Rex claruit.

Gratianus cum Valentiniano post mortem Valentis r. a. VI. Gratiano Romæ Gothi subjecti sunt, mortuo eorum Rege Athalarico. A Valentiniano expulsi sunt Franci à Sicambria. Postea Gratianus Theodosium Hispanum in regni consortem assumpsit.

Theodosius post mortem Gratiani regnat annos XI. Augustinus Episcopus, Joannes Chrisostomus, Orosius presbyter.

Arcadius & Honorius filii Theodosii regnant annos XIII. Alexius Confessor.

Honorius defuncto Archadio cum Theodosio filio fratris regnat annos XV. Wisigothi sub Alarico Rege eorum, rupto fœdere, Romam irrumpunt. Corpus Stephani protomartyris revelatur.

Theodosius filius Archadii Honorio defuncto regnat annos XXVI. Augustinus & Briccius Episcopi obierunt.

Valentinianus filius Constantini regnat annos XII. Hic fuit filius sororis superiorum. Athila Hunnorum Rex & Theodoricus Wisigothorum Rex. Paulinus Episcopus.

Martianus & Valentinianus regnavit annos VII. Geisericus Wandalorum Rex secundo cum suis Romam irrupit. Athila Hunnorum Rex cum Romanis bello congressus est, in quo Theodoricus Wisigothorum Rex occubuit.

Leo Major r. a. XVII. Hic Theodoricum Theodmari filium ab Ostrogothis obsidere accepit. Remigius Episcopus claruit.

Avitus Romæ. Zenon cum Basilio Constantinopoli regnavit annos II. solus XV. Theodoricus Rex Ostrogothorum extitit.

Majorianus Ro. r. á. IV.

Severus. Anthemius Ro. Hos Leo Imperatores fecit, quorum uterque occiditur, Imperante Leone r. fuerunt O libris menses VII. Glycerius Annos II.

Nepos Patricius Anastasius regnat constanter annos XXVIII. Hic Clodoveo, qui Ludewicus dicitur, Francorum Regi consulatum obtulit. Olybrius Rom. menses VII. r. Fulgentius Episcopus claruit.

Justinus senior Illyricus verus Christianus regnat annos XI. Benedictus Abbas claruit. Cassiodorus & Boëtius Severus, Dionysius Abbas.

Augustulus. Hic Zenone Augusto XI. mense deposuit regnum Romanum.

Odoacer. Iste Odoacer genere Rugus cum procinctu veniens Romam subegit. Theodoricus, qui occiso Odoacro regnavit. Zenon Augustus Theodorico Theodmari filio, Ostrogothorum Regi Imperium Rom. permisit. Theodoricus iste Arrianus Symmachum patricium Boëtium & Joannem Papam in vinculis fame necavit.

Athalaricus Nepos prioris ex filia Rom. r. Hic à suis occiditur.

Justinianus Justini ex sorore nepos constanter regnavit annos XXV. Sanctus Remigius migravit. Lotharius Rex Franciæ. Totila Rege occiso Wandali in Affrica extinguuntur. Priscianus Grammaticus. Iste Justinianus Rempublicam factis & dictis reparavit.

Theodatus Rom. r. hunc Belisarius ab Augusto, missus interfecit. *Vitigus*. Hunc idem captivum Constantinopolim misit. Hic Justinianus reduxit Imperium superato Witigi per Belisarium, & deinde *Totila* per Narsetem interfecto, qui illi successerant.

Justinus minor regnavit annos XXI. Armenii fidem suscipiunt. Sanctus Vedastus. Hilpericus Rex f. Thotila iste Rex Gothorum Romam occupavit. Hunc Narses Patricius missus à Justino minore, auxilio Longobardorum interfecit.

Tiberius Constantinus largus pauperibus; regnavit annos VIII. Longobardi Italiam invadunt. Gregorius claruit.

Mauritius Capadox regnat annos XX. Gothi Catholici fiunt & Angli. Columbanus Abbas, Gallus & Alii.

Focas regnat annos VIII. Persæ superant Romanos.

Heraclius. Crux Christi exaltatur. Isidorus Gallus cellam construxit. Sanctus Oswaldus. r. Lotharius filius Hildperici. r. Regnavit autem Heraclius annos XXVI.

Heraclonas regnavit annos II. Filius Heraclii cum matre sua Macrina.

Constantinus filius Heraclonæ, nepos Heraclii Augusti regnavit menses VI. Glodoveus r. & Sigibertus.

Constantinus filius Constantini regnat annos XXVIII. sanctus Oswaldus à Penda Rege occiditur.

Constans filius Constantini superioris regnat annos XVII. Sanctus Lampertus Episcopus.

Justinianus minor filius Constantini regnat annos X. Willibrordus Episcopus, sanctus Kilianus.

Leo Leoncius r. annos III. Ludewicus, qui & Clodoveus. Pippinus Ansigisi filius Major domus: cujus filia sancta Gerdrudis. (*) Günpertus Episcopus claruit.

Abimarus, qui & Tiberius, regnat annos VII. Beda presbyter.

Justinianus secundo cum Tiberio filio regnat annos VI. Hyltipertus Rex filius Theodorici, & Dagobertus junior. *Philippi-*

(*) Al. *Gudpertus*.

Philippicus qui & Bardanicus r. annum I.

Anastasius qui & Arthemius verus Christianus regnavit annos III.

Carolus Tutucles, Major domus, magni Caroli avus Sueviam subjugavit.

Theodosius regnavit annum I. Romæ ex inundatione Tiberis Letaniæ instituuntur.

Leo filius Constantini Syrus & impius r. annos IX. Wünfridus qui & Bonifacius Archiepiscopus. Othmarus Abbas. Pirminius Episcopus. Theodoricus Rex filius Tagoberti.

Constantinus Leonis filius r. annos XXVII. Burchardus & Wilibaldus Episcopi. Rödpertus Episcopus. Fuldense cœnobium fundatur. Pippinus filius Caroli Rex Franciæ.

Leocazarus filius Constantini regnavit annos V. Corbinianus Episcopus Frisingensis. Andogarius primus Campidonensis Abbas.

Carolus Magnus Rex Franciæ.

Constantinus cum matre Hyrene regnavit annos XIV. Hic consilio matris excæcatur. Carolus Magnus patricius Romæ fit.

Hyrene sola regnavit annos V. Carolus ex Patricio Rom. Augustus factus coronatur. Hyrene dum pace facta Carolo nubem posuit (†), ejecta est.

Anno ab Incarnatione Domini D. CC. LXXVIII. sub hoc tempore Imperium Romanum ad Reges Francorum translatum est, Carolo Magno filio Pipini Regis primo Imperatore facto: In Constantinopoli vero regnum solo imperii nomine permansit, & post Hirenen Nicephorus, qui & Theophilus imperium arripuit.

Carolus Magnus regnavit annos XLVII. Imperii XIV. Brema constituitur, & Dacia convertitur à sancto Wilibrordo.

Ludovvicus Magnus, qui & Pius Caroli Magni filius r. annis XXVII. Qui Ecclesias ditavit. Huic successerunt IV. filii.

Angsardus (*) Episcopus Suevos convertit.

Welfo primus pater Judith. Hanc idem Ludewicus defuncta uxore sua Irmingarda (ex qua III. filios, Lotharium, Pippinum, & Ludewicum progenuit) *duxit uxorem*; quæ genuit *Carolum Calvum*, qui in divisione Imperii Regnum Franciæ obtinuit XLV. ann. postea Imperator an. III.

Lotharius filius Ludewici III. imperat annis XVII. in Italia. Carolus Calvus in Francia sive Gallia regnat: Ludewicus in Alemannia sive Germania, Pippinus in Aquitania. Hi quatuor fratres filii Ludewici III. imperium diviserunt. Corpora sanctorum Martini & Remigii transferunt. Rabanus claruit, & *Maginardus* heremita.

Ludewicus filius Lotharii cum fratribus Lothario, Carolo, Pippino regnavit annis XXXVI.

Carolus minor filius Ludewici cum fratribus Carolomanno & Ludewico regnavit annis XI. *Eticho filius Welfonis.*

Arnolfus filius Carolomanni r. a. XII. *Salomon Abbas & Episcopus Constantiensis.* Vngari Italiam vastant.

Ludevvicus filius Arnolphi r. a. XII. *Heinricus filius Ethichonis, pater sancti Conradi, primus fundator Altorfensis cœnobii.*

Cunradus filius Cunradi Principis r. a. VII. Vngari Saxonia & Turingia invasis.

Heinricus filius Ottonis, Ducis Saxonum r. a. XVI. Sanctus *Vdalricus* & *Sanctus Cunradus* Episcopi claruerunt. *Rudolphus princeps filius Heinrici, frater sancti Conradi Episcopi.*

Regnum Theutonicorum cœpit & hinc.

Otto Magnus filius Heinrici r. a. XXXIX. Parthenopolis construitur.

Otto filius Prioris, r. a. IX.

Otto filius ejus r. a. XVIII. *Nogger Abbas claruit.*

Heinricus Dux Bavariæ r. a. XXIII. Sub hoc tempore *Ravenspurg* construitur. *Babinberg* construitur. *Russi, Poloni & Vngari Christiani fiunt.*

Cunradus Francus r. a. XV. Stephanus Vngariorum Rex piæ memoriæ obiit. *Spira* conditur. *Bruno Augustensis Episcopus, & Welf Rudolphi filius* confligentes.

Heinricus pius filius Cunradi. r. a. XVII.

Herimannus Contractus claruit. *Welf Dux Carinthiæ, filius Welfonis, frater Chounihæ, quam duxit Azzo Marchio Italiæ*, Baldenwinus Gomes Flandriæ incendia faciunt.

Heinricus filius Heinrici pii r. a. XLIX. Hierusalem à paganis capta est. Alexius Constantinopolitanus. *Welf Dux Noricorum filius* (**) *Chonihæ & Azzonis.*

Heinricus filius superioris r. a. XVIII. Qui patrem ejecit, & Paschalem Papam captivavit.

(†) *dum Carolo nubere voluit.* (*) Ansgardus. (**) Chonizæ.

(*) *Kalo Joannes* Imperator Græcorum. *Heinricus & Dux Welf Duces Bavariæ filii Welfonis.*

Hierusalem Franci Duce Gothefrido liberant anno ab incarnatione Domini M.XCII. Lotharius regnavit annos VIII.

Emanuel Græcorum Imperator. *Heinricus Dux Saxonum & Bavariæ, filius Heinrici, & Welf frater ejus.*

Conradus filius sororis Heinrici Regis r. a. XV. Huic præfati Duces prope ad finem restiterunt. Sub hoc expeditio Hierosolym. facta est anno ab incarnatione Domini M.C.XL. Vnde pro querimonia transmarinæ Ecclesiæ propter immanitatem impiissimi illius sanguinis. Hujus expeditionis principes erant *Rex ipse Conradus, Rex Franciæ Ludewicus, Dux Sueviæ Fridericus, filius Friderici Ducis, fratris Cunradi Regis, postea Imperator; Gwelf Dux, Heinrico fratre jam defuncto; Heinricus frater Regis; Cunradus tunc Dux Bavariæ;* Episcopi plures cum Comitibus & diversis hominibus.

Fridericus filius Friderici Ducis & *Ludvitæ sororis Welfonis* r. anno ab Incarnatione Domini M.CLII. *Hic avunculo suo Welf Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitissæ Machtildis* in beneficio tradidit: & *Heinrico Duci Saxonum, filio Heinrici Avunculi sui Ducatum Bavariæ, Patruo suo Heinrico de Oesterich ablatum restituit;* tali compositione facta, *ut quæ prius Marchia, exhinc Ducatus per se consisteret.* Hic secundo expeditione in Italiam facta contra rebelles Mediolanenses, turribus tandem civitatis depositis eos subegit, anno Regni sui VII.

Eo anno defuncto Adriano Papa, schisma inter Alexandrum & Octavianum cœpit.

Orta demum *gewerra* idem Imperator *Heinricum Ducem Saxonum & Bavariorum filium avunculi sui & Welfonis fratruelem* duobus annis bellis attritum, ablato utroque Ducatu, nec non beneficiis & prædiis exilii proscriptione damnavit.

Sub hoc etiam Saladinus Rex Babiloniæ omni Palestina occupata ipsam Christi urbem Hierusalem cepit anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXXVII.

Anno dehinc tertio circa festum sancti Georgii Imperator Hierosolymos expeditionem movit cum filio Friderico Duce Suevorum & Episcopis & Comitibus, & innumerabili multitudine electorum militum. Transiens autem hyemavit in Græcia, & circa Pascha cum omni multitudine transvectus *Brachium sancti Georgii, quod est mare Proponticum,* cum incredibili periculo suorum tandem circa Pentecosten venit Iconium. Qua subacta & omni recreato exercitu cum summa alacritate ceptum iter aggreditur. Sed occulto Dei judicio *inter montes Ange lacrimabili obitu vita privatur anno Regni* . . . . Hujus verò filius *Dux Fridericus* Princeps totius exercitus constitutus Antiochiæ veniens carnem quidem patris honorificè tumulavit, sed ossa usque Accaron transtulit, ubi & ipse cum multis nobilibus migravit.

Heinricus filius Friderici Imperatoris regnavit anno ab incarnatione Domini M.CXCI.

Anno M.C.XCI. XVIII. Cal. Januarii *Gwelfo nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus, Heinrici Ducis* videlicet *& Woulfhildis filius carne solutus migravit à seculo;* in quo *nobilitas Altorfensium* non mediocriter completa desiit. Innatam siquidem nobilitatem virtutum ampliavit moribus: sæculari etiam dignitate plenissimè præditus: circa statum spiritualis vitæ summa vigilare studuit diligentia. Quid plura? Quotidie pauperum *comminavit* expensas, atque donis munificentiæ suæ Monasteriorum vel Ecclesiarum discretè supplevit indigentiam. *Monasterio* etenim *Wingartensi* principaliter à Parentibus suis fundato speciali condescendit benevolentia & fratribus Deo & sancto Martino ibidem servientibus inter alia beneficia tradidit *Berge* & *Willare* cum non modica familia, & suis appenditiis. Fratribus etiam in *Augea* pro remedio animæ suæ contulit prædium in *Fidansboven*. In montanis etiam claustrum *Steingadin* à primaria fundatione constituit, quod suæ providit sepulturæ, quod & consecratione & multa dote ditavit. Quibus ex ordine rerum ita dispositis *nobile patrimonium cum prædiis nec non Advocatiis & Ministerialibus Friderico Romanorum Imperatori, filio videlicet sororis suæ & filio illius Friderico Duci Suevorum sub jure possessionis contulit.* Quibus in expeditione Hierosolymitana mortuis idem *Welfo propter innatam familiaritatem & consanguinitatis lineam prædictorum patrimonium cum omnibus suis pertinentiis Heinrico illustri Romanorum Imperatori sub hæreditaria possessione contradidit.*

Diffusa latè Welfonum nobilitate,
Nomine postremus obit & virtute supremus:
Sublato fatis hoc principe nobilitatis

Glo-

(*) *Joannes Comnenus.*

Gloria multorum ruit, & lux aurea morum:
Plangant orbati vitam Ducis incinerati;
Mortis in edicto qui vivimus ordine ficto
Labimur ut fænum, cum florem perdit amænum.

Anno ab incarnatione Domini (†) M.C.XXI. *Heinricus Imperator* Friderici Imperatoris magno electorum militum comitatus exercitu circa mediam Quadragesimam *Romam* ingressus est, & à Domino *Apostolico Cælestino* in secunda feria Dominicæ Resurrectionis gloriosè *consecratus*: Roma vero digrediens cum eodem exercitu *Apuliam* infestaturus adiit, & obtentis quibusdam castellis circa mensem Augustum *Neapolim* obsidione vallavit; ubi maximum exercitus consecutus est infortunium. Nam ex insolita corruptione aeris cecidere quique majores & nobiles, adeoque excrevit pestis illa miserabilis, ut idem Imperator amissis viribus languesceret, & relicta obsidione per montana rediens mortalitatem illam quodammodo declinando vix evaderet. Transiens ergo per terminos Alemanniæ *Welfonem illustrem* cognovit occubuisse, *cujus omne patrimonium suo mancipavit dominio.*

Eodem anno *Leopaldus Dux Austriæ Richardum Regem Anglorum* à mari ignotis in partibus præcipitatum *captivavit*, *&* quandam habens de eo transmarini negotii querimoniam *Imperatori tradidit*: sed inter se facta compositione, idem Rex à Domino Imperatore satis honestè dimissus est.

Circa terminum autem ejusdem anni *Heinricus Imperator* casum primæ expeditionis animo revolvens, *Apuliam* consultius disponit invadere, edictaque Imperiali Curia, cunctos sui Regni convocavit principes, illisque paratis ad arma secunda in Apuliam juratur expeditio, atque larga militibus dantur stipendia.

Anno M.C.XCII. *Heinricus Imperator* coadunato milite circa Ascensionem Domini montana transcendit, & à Mediolanensibus cum maximo gloriæ apparatu susceptus potenti manu totam sibi subjugavit *Apuliam*. *Palermum* quoque metropolim Siciliæ obtinuit. Atque *Margaritam* piratam pessimum cum aliis perfidis captivatum rediens ante se præmisit.

Utroque igitur regno tam Romanorum, [quam] Siciliæ in pace disposuit (*), Imperator gloriosus Hierosolymitanum cœpit iter disponere. Pollicitisque non modicis stipendiis multos accendit, ad redimendam civitatem Domini.

Infra idem tempus *Chunradus Illustris Dux Suevorum* mota gwerra adversus *Bertholdum Ducem Zäringensem*, omnes regni istius pæne commovit provincias. Sed eodem Bertholdo in magno terrore posito morte præventus in mense Augusto occubuit. Pro cujus requie ministerialibus & hominibus suis mediantibus non parva cœnobiis donata sunt allodia. Inter quæ monasterio Wingartensi collatum est prædium in *Beengartin* cum Ecclesia & omnibus appenditiis nec non familia.

Heinricus Romanorum Imperator in *Apulia* positus, audito tristi rumore, ultra quam credi potest, animo consternatus est, quippe cujus mæstitia ex tanti viri & fortis amissione vix alleviari poterat. Demum consumpta consolatione, *Philippo fratri suo* penes se posito *Ducatum Sueviæ* concessit. Qui quamvis puer, partes istas ingrediens, terram, satis strenue rexit, *Herena filia Regis Græcorum assumpta in matrimonium*, quam pridie Imperator devicto Palerno filio *Dancredi* desponsatam illi copulavit.

Anno ab incarnatione Domini M.CXCVII. Philippus illustris Dux Suevorum convocatis cunctis terræ istius Principibus nec non adducta uxore insigni equitatura in Pentecosten gloriose *arma sumpsit*, in loco, qui *Contio legum* dicitur. Transacto postmodum aliquanto tempore assumptis iterum terræ majoribus, nobili militum apparatu Dominum & fratrem suum visitare volens, transmontanas partes adiit, ubi infausto quodam exagitatus omine, ut in sequenti linea videbitur, difficulter rediit.

Anno ab incarnatione Domini M.C.XCVII. *Heinricus Imperator* regnum totius *Siciliæ*, *Apuliæ* & *Calabriæ* potenti manu nullo resistente tenuit; sed postquam multas indigenarum, ut ajunt, evasit insidias, post depositos terræ illius præfectos & Tyrannos, post direptas munitiones & castella, morte interveniente, diem clausit extremum.

Eximium sydus, lucens assidere (**), refert,
Quod factor sydus stellis hoc munere præfert
Ætheris infixa solio stat clarius una
Cornibus innixa, noctis fugat abdita, Luna,
Sydera regali sata partu quina ruere
Lege pater tali, genitrix, sol, luna fuere.

LVII. ARBOR

(†) Leg. 1191. (*) disposito. (**) à sidere.



LVII.

ARBOR GENEALOGICA

præfixa Codici antiquo Membranaceo MSto

HISTORIÆ DE GVELFIS PRINCIPIBVS.

Welfo I.

Ethico — Juditha uxor Ludovici Pii Imp.

Henricus I. uxor Beata s. Hatta

Rudolphus: uxor Ita. — Ethico II. qui ex concubina filiam habuit, ex qua descenderunt familiæ Vstaare, Raprechtisvillare, Heziliscellare. — S. Conradus.

Richart. Hanc unus ex majoribus Bajoariæ Comitibus uxorem accepit, sed hæredem ex illa non habuit. — Welfo II. uxor Immiza. — Henricus II. obiit in venatione.

Welfo III. sine liberis obiit. — Chuniza uxor Azonis.

Welfo IV. — Juditha uxor.

Henricus III. uxor Wulfhildis filia Magnonis Ducis Saxoniæ & Sophiæ sororis Colomanni Regis Vngariæ, quæ ante Magnonem maritum habuit quendam de Carinthia, ex quo genuit Popponem Marchionem. — Welfo V. Dux Noricorum, primus in familia hunc Ducatum obtinuit. Vxor Mathilda, quam deinde reliquit. Decessit sine liberis.

Welfo VI. uxor Vtha.	Henricus IV. superbus: uxor Gertrudis.	Sophia uxor I. N. Duc de Zaringen. 2. Bertholdi Duc. Stiriæ, ex quo genuit Othocarum primum Marchionem.	Juditha uxor Friderici Duc. Sveviæ, unde natus Fridericus Barbarossa Imperator.	Wulfildis uxor Rudolphi Comitis Bregant.	Mathildis uxor I. Theobaldi, filii Theobaldi march. Cambiensis de Voheburck. 2. Gebhardi de Sultzbach.	Conradus clericus.	Alii infantuli.
Welfo VII.	Henricus V. Dux. Hic fuit Leo.						

LVIII.

LVIII.

LADISLAI SVNDHEIMII, ex OPPIDO RAvenspurg, Canonici Viennensis, Familia Welphonum nobilissima & antiquissima.

WELPHO PRIMVS hujus nominis aliàs *Catulus* dictus ex quodam de antiquissimis Francis ortum habens, & cujusdam nobilis Senatoris Romani filia *Catelina* nomine genitus fertur, vel quod ille Welpho hoc nomen acceperit ab uno Imperatore Romano, cui N. Pater suus serviebat, & Imperator ille de sacro fonte eundem levavit & sibi illud nomen *Welpho* imposuit, floruit anno Christiano octingentesimo tempore *Caroli Magni* Romanorum Imperatoris, Francorum Regis, Ducis Brabantiæ & Lotharingiæ. Et ille *Welpho* duxit originem ex Francia occidentali & tulit arma regni Franciæ tria lilia aurea in campo cælestino, & factus fuit *Comes Andacensis*, proprie **Andechs** in Bavaria sitæ, & ejus posteri Comites Andacenses facti fuerunt *Comites Altdorffenses* in Svevia prope monasterium Weingarden, quod situatur prope oppidum Imperiale **Ravensburg**. Hic Welpho genuit ex N. uxore sua, cujus genus nescitur, *Ethiconem* filium & *Judithbam* filiam.

Ethico primus ejus nominis & senior filius Welphonis primi ejus nominis Comitis de Andechs, *Comes Altdorffensis*, cujus comitatus arma *Leo rubens in aureo campo* & arma comitatus **Hohenwardt**/ cujus vel dominus fuit, in Bavaria siti *flava taris in albo campo super monte triangulari rubeo*. Hic Ethico se Imperatori Romano, Regi Francorum Ludovico Pio, Caroli Magni filio, sororio suo, commendatissimum reddidit, ut quatuor milia mansuum in Bavaria superiori ab eo dono arriperet. Postea cùm Ethico nobilitatis suæ libertatem suspicans fractam, animo laborabat, amicissimis suis conquerebatur, privata vita degere constituit, locum ad montes prope villam ..... **Ambirgow** in Bavaria cum duodecim fidelissimis suis occupavit ædificiisque, quoad potuit, construxit, monasticum ordinem instituit, observavitque; victuique providebat, & commoditate optima ibidem potiebantur, tandem cum suis vita ibidem excessit.

Juditha filia Welphonis primi ejus nominis & soror Ethiconis primi ejus nominis, *uxor Ludovici Pii* Romanorum Imperatoris, Francorum Regis, qui fuit filius Caroli Magni Romanorum Imperatoris Francorum Regis.

Carolus Calvus Romanorum Imperator, Francorum Rex Judithæ & Ludovici Pii filius.

Hainricus Comes Altdorffensis Patre Ethicone mortuo monasterium à Patre inceptum **in Ambirgaw** ad monasterium **Altenmünster** in Bavaria situm traduxit, Abbatem monachosque victus copia satis ampla donavit, quibus Ambirgawenses monachos conjunxit; eo loco sanctus *Altho* confessor Christi humo clauditur atque veneratur.

Beata ejus uxor Comitissa de **Hohenwart**/ natione in Bavaria sitæ & **Hohenwardt** olim fuit castrum & Comitatus prope sanctum Leonhardum in Inichehofen situm, nunc est monasterium monialium ordinis sancti Benedicti quinque miliaria ab Augusta Vindelicorum distans: ibi quiescit sancta *Pachilla* Virgo. Et ille Heinricus super nominatus subjecit se Ludovico Pio Romanorum Imperatori Francorum Regi & propter hoc idem Imperator dono dedit ei quatuor millia mansuum in superiori Bavaria. Exinde Ethico senior Pater suus multum iratus nobilitatem ac libertatem suam putabat nimis esse declinatam, quam credi posset, consternatus animo dolorem summum omnibus charis suis exposuit, & assumsit duodecim caros suos infra montana, villam **Ambirgaw**/ regalibus ædificiis & possessionibus ditissimis relictis, secessit, ibidem collectis monachis cellam seu cœnobium construere cœpit, in quo se postmodum cum duodecim caris suis contulit & cum illis ibidem humatus quiescit, ut supra patuit.

Hainricus primus ejus nominis *Comes Altdorffensis*, filius Ethiconis primi senioris post mortem Patris sui transvexit monasterium inceptum in **Ambirgaw** ad monasterium **Altenmünster**/ & ibidem Abbatiam satis religiosam & divitem perfecit ac dotavit, & illuc monachos de Ambirgaw transtulit, ibi sanctus *Altho* confessor quiescit. Idem Hainricus Comes Altdorffensis postea in Altdorff Abbatiam satis religiosam sanctimonialium ordinis sancti Benedicti, in loco, ubi nunc est Parrochialis Ecclesia, erexit & dotavit. Hic Hainricus ex Beata uxore sua tres genuit filios *Rudolphum sanctum Conradum* & *Ethiconem juniorem*, secundum

cundum ejus nominis. Et *Hainricus Comes* & Beata ejus uxor in monasterio *Waingarden* ibidem in Ecclesia in sepulchro elevato sepulti jacent.

Rudolphus Comes de Altdorf primogenitus Hainrici supradicti & Beatæ ejus uxoris Comitissæ de **Hohenwart** / & *Itha ejus uxor Comitissa de Oningen*, in Hegovia in Suevia sita, genuerunt duos filios & unam filiam, *Hainricum*, *Welphonem* & *Richardam*. Rudolphus prædictus cum Patre & Matre in monasterio *Weingarden* in Ecclesia ibidem (*) sepulti sunt.

Sanctus Conradus Episcopus Constantiensis frater Rudolfi supradicti fuit Comes Altdorffensis filius Hainrici & Beatæ ejus uxoris, & sedit in Episcopatu anno Domini VIIIICXXXIII. & præfuit illi annis 42. & viguit tempore sancti *Vdalrici Episcopi* Augustensis, qui fuit natione *Comes in Dillingen*, qui fuerunt tanquam Fratres conjuncti, ut habetur in legenda S. Vdalrici. Sanctus Conradus patrimonium Altdorf, quod à Patre possederat, Rudolfo Fratri suo per concambium dedit videlicet *Wolpersvvendi* (a), *Berg* & *Fronhofen*, omnia videlicet ultra *Schussinam* (b) fluvium proprie **die Schuß** / & reciprocè à Fratre suo recepit *Enslingen* (c), *Andolfengin* (d) & *Colmar* (e), ex quibus tres Ecclesias fundavit in Constantiensi civitate, scilicet sancti *Laurentii*, sancti *Johannis Baptistæ* & sancti *Johannis Evangelistæ* ac *sancti Pauli*; & Constantiæ in summa Ecclesia, in cripta subterranea, sepelitur.

Ethico junior, secundus ejus nominis, tertius filius Hainrici Comitis & Beatæ ejus uxoris, Comes in Altdorf, Frater Rudolfi Comitis & sancti Conradi Episcopi Constantiensis; hic ex N. concubina sua genuit unicam filiam, quam Rudolfus ejus Frater cuidam nobili ex Recia Curiensi largis prædiis copulavit, ex qua illi de *Herilnella* (f) & de *Ustera* ac *Rappersvveiler* & eorum posteri descenderunt. Ethico postea monachus factus post mortem suam Constantiæ in Ecclesia sancti Mauricii sepultus fuit.

Hainricus Comes de Altdorff filius Rudolfi Comitis & Ithæ ejus uxoris Comitissæ de Oningen, pulchritudine nimia conspicuus, compositus adolescens, in *valle venusta*, proprie *im Virstbgen* juxta villam **Lenau** (g) prope Pulsonum oppidum vulgariter Potz in Atehsi in venatione saxo percussus periit, & ut anima ejus Deo commendabilior esset, monasterio Weingarden prædium in Mingoldesava donavit &c.

Welpho Secundus ejus nominis Comes Altdorff. secundo genitus Rudolfi Comitis & Ithæ Comitissæ ejus uxoris, *Tmisan* (h) gentis Salicæ de castro **Gleysperg** (i) duxit uxorem. Arma **drey rothe Zweckhen herab und drey weisse Zweckhen hinauff.**

Tmisa fuit soror Hainrici Duc. Noricorum & Friderici Duc. Lotharingiæ ac Adalberonis Episcopi Metensis in Lotharingia sitæ, ex qua unam filiam genuit *Cunisan* vel *Contzam* nomine & unum filium *Welphonem tertium* ejus nominis. Hic Welpho *Augustam* civitatem occupavit & vi cepit & *Conrado Imperatori*, qui Salicus dictus fuit, rebellem se ostendit, auxiliante sibi *Ernesto Duce Sueviæ*. Hic Welpho etiam *Brunonem Augustensem Episcopum* maxima præda & igne aggressus ejus castra & arces diripuit; Episcopum Frisingensem auxilio habuit, qui tamen postea oppugnationes ab eo sentiebat. Hic monachas, quas Hainricus primus ejus nominis, Comes in Altdorf, Ethiconis primi & senioris filius, in Altdorf constituerat, ad Altenmünster in Bavariam traduxit, & monachas, quas ibi invenerat, ad Altdorf collocavit, tandem pœnitentia ductus Ecclesiis Augustensi & Frisingensi debitam restitutionem fecit: in Altdorf moritur atque ibidem tumulo obcluditur.

Tmisæ corpus, postquam diem clauserat extremum, in Altenmünster sepultum fuit.

Welpho Tertius ejus nominis, filius Welphonis Secundi ejus nominis & Ymisæ ejus uxoris, Comes Altdorfensis & Dux Carinthiæ, dominus Marchiæ Veronensis, quam strenuissimè rexit, vir per omnia probus; hic *Friderico primo Cæsari*, Duci Svevorum rebellis fuit, qui tandem ei redeundi ex Italia securitatem præstitit, fuit princeps justus & fortis: monasterium Altdorf ad *montem antiquum* transtulit, ei nomen *Weingarden* imposuit anno 1124. & sanctum Martinum eo in loco venerari jussit, & anno Domini 1124. traducebat illuc ossa majorum suorum: Altdorf parochiam constituit. Ætatem provectiorem nondum nactus in *arce Potamo*, proprie *Potino* prope Constantiam morte premebatur: cùm filios non haberet patrimonium sancto Martino & Aulicis suis donavit. At ejus mater donationem irritavit hoc pa- cto

---

(*) Anonym. de Guelf. *in Altorfensi cœnobio juxta patrem & matrem humatus.*
(a) Anon. de Guelf. *Wolptesvvende.*
(b) An. de Guelfis: *Stutzina.*
(c) An. de Guelf. *Eüsilingen.*
(d) An. de Guelf. *Andiliungen.*
(e) An. de Guelf. *Colmir.*
(f) An. de Guelf. *Herilisella*, legendum *Heciliscella.*
(g) An. de Guelfis: *Lounon.*
(h) An. de Guelf. *Juithan.*
(i) An. de Guelf. *Glibberg.*

cto monast. in Weingarten, Lannetkhaim, Lansprunnen & Henickſöven tradiderat, ſine uxore & liberis deceſſit in cenobio Weingarden ſepultus.

Cunitza vel *Contza* filia Welphonis ſecundi ejus nominis & ſoror Welphonis tertii ejus nominis Ducis Carinthiæ, Comitis Altdorfenſis, Domini Marchiæ Veronenſis; *Azoni* (k) *Marchioni Eſtenſi* opulentisſimo matrimonio jungitur, ex quo *Welphonem* filium *quartum* ejus nominis genuit; Comitatus Altdorfenſis hæres & dominus factus, cui *Juditha* uxor erat *Baldvini Comitis Flandriæ filia* & Regis Angliæ relicta anno Chriſti 1071.

Richarda Comitiſſa de Altdorf filia Rudolfi Comitis de Altdorf & Ythæ ejus uxoris Comitiſſæ de Oningen, ſoror Welphonis ſecundi ejus nominis Comitis de Altdorf majorem ex Comitibus Bavariæ maritum habebat videlicet *Eberhardum Comitem de Sempt & Ebersperg* (l); nullos ex eo filios habuit, tres Abbatias ex ſuis prædiis magnificè inſtituit & dotavit Ebersperg / Ruebach (m) & Geyſſenfeld. Welphoni Fratri ſuo villas Utingen (n), Ubenbach (o) cum adhærentiis ſuis dono dedit, cum diem obiiſſet; in Eberſperg monaſterio monachorum ordinis Sancti Benedicti ſepulta jacet.

Richlindis filia Rudolfi Comitis & Ythæ ejus uxoris ſoror Welphonis ſecundi ejus nominis Comitis de Altdorf uxor Adalberonis Comitis in Ebersberg / non habuerunt proles.

Welpho quartus ejus nominis filius Dominæ Cunitzæ Comitiſſæ de Altdorff & Azonis Marchionis Eſtenſis ejus mariti: ex quibus hic Welpho habuit Comitatum Altdorfenſem. Hic per *Hainricum quartum* ejus nominis Romanorum Imperatorem fuit Dux Bavariæ factus anno Chriſti 1071. *Juditha* ejus uxor *filia Balduini Comitis Flandriæ* & relicta regis Angliæ, Sacrum Sanguinem & multa precioſa clenodia monaſterio in Weingarden dono dat. Et ipſe Welpho obiit in Cypro ibidem ſepultus. Erat hic vir ſtrenuus, apud Bavaros cæteraſque provincias rerum magnarum commendatus, foris & domi prudentia præditus, Hainrico quarto Cæſari, antequam Eccleſiæ Romanæ rebellis eſſet, auxilio fuit: poſtea mutatus bello flagrantiori eum plurimum aggrediebatur; idcirco *Sigfridum Epiſcopum Auguſtenſem* Hainrico Cæſari auxiliantem oppugnat & in Auguſta civitate capit, ferreis catenis ligatum in arce Ravenſpurg multo tempore vinctum tenuit & civitatem nihilominus depopulatus devaſtabat. Monaſterium *Raitenbulch* in Bavaria conſtruxit; petiit terram ſanctam, de qua cum reverteretur, ingentia ei pericula imminebant. Oſſa ejus de Cypro ad monaſterium Weingarden translata per aulicos ſuos, quorum plures in terra ſancta capti atque obtruncati ſunt; ex comitibus ſui itineris videlicet *Thiemo Saltzburg. Præſul* captus obiit.

Itha ejus uxor divi *Leopoldi Marchionis Auſtriæ mater* à Saracenorum quodam Principe rapta Alexium (p) ſceleratiſſimum Græcorum Cæſarem genuit, qui Chriſtianis plura mala intulit.

Welfo quintus ejus nominis Comes Altdorf. & Dux Bavariæ, filius Welfonis quarti Ducis Bavariæ & Judithæ ejus uxoris Comitiſſæ Flandriæ natione, major natu habuit in uxorem Dominam *Mechtildem* Mantuæ, Ferrariæ ac Lucæ dominam ſimul ac aliarum civitatum & oppidorum Lombardiæ, *Bonifacii Marchionis Lucenſis filiam*, neptem ex ſorore Dominæ *Beatricis* Hainrici tertii ejus nominis & Nigri Romanorum Imperatoris. Qui Welpho fuit moderatiſſimus & plura ei proſpera ſucceſsêre, unde & ab omnibus amabatur; optimum vitæ inſtitutorem dicebant, & ei filios ſuos ex nobilioribus erudiendos tradebant. Militaris diſciplinæ peritiſſimus brevi tempore Italiæ provincias ſubegit: poſtea tamen divortio inter ipſum & Mechtildem uxorem facto, cauſa quidem dubia, impotentiæ tamen accuſabatur, ſi *Bohemiæ annalibus* creditur; & hæc anno Domini 1074. acta ſunt. Anno deinde Domini 1088. in villa Kauffringen (q) moritur ac in monaſterio Weingarden ſepelitur; prius tamen cum Hainrico V. ejus nominis Romanorum Imperatore, filio Hainrici IV. ejus nominis Romanorum Imperatoris, quando Paſchalem Papam ceperat, erat, actorum tamen innocens. Eccleſias in oppido Puechorn Imperiali & Meckenbeiren monaſterio Weingarden adjunxit, quas ab *Ottone Comite de Puechorn* legato acceperat, licèt plerique patrem ejus feciſſe autumant, tamen verius creditur hunc ea donaſſe, eo quod nullos ſuperſtites haberet.

Sigibertus Comes Bavariæ filius Welfonis quarti & Frater Welfonis quinti ac Hainrici Nigri Ducum Bavariæ, *Ada* ejus uxor filia *Gebhardi Comitis de Supplenburg* in Saxonia & ſoror Lotharii Cæſaris, Ducis Saxoniæ. *Adalhaide filia Welphonis quarti* Ducis Bavariæ, ſoror Wel-

Iii ii 2 phonis

(k) In Anom. de Guelf. *Athoni.*

(l) Nomen hoc in An. de Guelf. non exprimitur, ſed vocatur tantum *unus de majoribus Bajoariæ Comitibus.*

(m) An. de Gvelf. *Goubac & Giſinueld.*

(n) An. de Guelf. *Uringen.*

(o) An. de Gu. *Selinbach.*

(p) Anonymus de Gvelfis nominat *Sanguinum.*

(q) An. de Guelf. *Chufringen.*

phonis quinti, *Hainrici nigri* & *Sigeberti Comitis Bavariæ*; uxor *Conradi Burggravii Magdeburgensis.*

Hainricus Niger Dux Bavariæ & Comes Altdorffensis, filius Welphonis quarti & frater Welphonis quinti Ducum Bavariæ fuit etiam Princeps aliarum provinciarum.

Wulfildis ejus uxor, Magni Ducis Saxoniæ de Lunenburg filia, quam ex Domina *Sophia* sorore *Calomannii Regis Vngariæ* habuerat, ex qua tres filios & quatuor filias genuit, videlicet *Conradum*, *Hainricum* & *VVelphonem*, *Juditham*, *Sophiam*, *Mechthildem* & *VVefildem*: tandem cum mors sibi appropinquaret, monachum se profitebatur, & obiit in castro Ravenspurg. Wefildis vero ejus uxor sexto decimo die post virum decessit in monasterio Weingarden uno tumulo sepulti, habuerunt etiam alios pueros, qui omnes juvenes obierunt.

Conradus ejus filius Monachus Clarevallensis in Burgundia Comes Altdorfensis, Jerusalem peregrinatus, se cuidam heremitæ adjunxerat, adversa valetudine gravatus domum repetens, eo in itinere in civitate Bari (r) obiit. *Hainricus* senior dictus *superbus* filius Hainrici nigri & Wefildis ejus uxoris, Hainrico duce Bavariæ Patre suo vita functo, Bavariæ ducatum obtinuit, & *Gertrudem* Lotharii Romanorum Imperatoris, Saxoniæ Ducis filiam, uxorem duxit; optimatibusque Bavariæ Sueviæque ad nuptias vocatus invitavit, & juxta Licum fluvium, Augustam prope, eo loco, qui *Concioleje* (s) dicitur celebravit in octava Pentecostes, & in arce Ravenspurg usque in autumnum stare constituit, & à Lothario Imperatore, Duce Saxoniæ, *Dux Saxoniæ* creatus fuit, ratione uxoris suæ Gertrudis. *Fridericus Dux Sueviæ* de Hohenstauffen oriundus sororius ejus in odium Hainrici superbi Ducis Bavariæ & Saxoniæ; Altdorff/ Ravenspurg/Baÿrfurt/Memmingen & villas circumquaque positas incendio vastavit & aliquos cepit & abduxit; & Welpho Dux Bavariæ Hainricum superbum fratremsuum juvit. Et Hainricus superbus ex Gertrude uxore sua genuit filium *Hainricum* juniorem superbum, cui cognomen erat *Leo*; & Henricus Senior superbus dictus a Conrado Romanorum Rege, Duce Sueviæ de Hohenstauffen propter rebellionem ducatibus Saxoniæ & Bavariæ privatur: Saxoniam *Alberto Marchioni*, consobrino Hainrici, & Bavariam *Leopoldo Marchioni Austriæ* & postea Duci Bavariæ, fratri suo ex matre, filio sancti Leopoldi Marchionis Austriæ concessit.

Welpho Sextus ejus nominis Dux Bavariæ &. Comes Aldorfensis, filius Hainrici nigri Ducis Bavariæ & frater Hainrici senioris superbi, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, *Vutam* filiam *Gotfridi Palatini de Calvo* opulentissimi viri, duxit uxorem, qui omnia bona soceri sui Gotfridi acquisiverat atque possedit; tandem *Albertus Comes de Calvo* Gotfridi fratruelis arce Calwo Welphonem dolo spoliavit: cui *Fridericus* & *Conradus Sueviæ Duces* Fratres auxilio fuerunt & *Conradus dux Zaringiæ* arcem Stauenburg, quæ Welphonis erat, obsedit: verum auxiliante Lothario Imperatore Duce Saxoniæ infecto negotio abiit, tandem arcem Leostain oppidum Welphonis oppugnat. Is Welpho sextus pius dicebatur & fuit *Dominus Spoleti* in Italia & *Princeps Sardiniæ*, rerum magnarum commendabilis, penultimus hujus nobilissimæ familiæ Princeps; quia Welphus septimus ejus nominis ejus filius ante patrem moriebatur annis quatuor. Welpho pius bina vice terram Sanctam visitavit & anno Domini 1171. monasterium *Steingadin* Præmonstratensis Ordinis in valle Lici situm fundavit & dotavit ibidemque obiit & humatus est. Prædictum Welphonem Pium *Rogerius Rex Siciliæ* & *Rex Vngariæ* stipendiaverunt annuatim contra *Conradum Regem Romanorum*, Ducem Sueviæ de Hohenstauffen. VVelpho Sextus & pius cum Conrado Rege Romanorum & *Ludowico Rege Francorum* contra Sarracenos mare transfretavit anno Domini 1146 (t) & Conradus Rex VVelphonem commilitonem appellavit, & *Fridericus primus Cæsar*, Dux Sveviæ VVelphoni seniori, ut pio avunculo suo, *Marchiam Thusciæ*, *Ducatum Spoleti*, *Principatum Sardiniæ* & *Dominium Mechtildis Comitissæ* tradidit & prædictas terras VVelpho senior commendat VVelphoni juniori filio suo regendas. Et prædictus VVelpho pius nostrorum Principum illustrissimus & ultimus, quia filius ante eum obiit quatuor annis, & obiit in montanis. Arma uxoris suæ Leo rubeus in campo nigro. VVelpho junior & septimus ejus nominis filius VVelphonis senioris sexti ejus nominis & Dominæ *Votæ* Patatinæ de Calvvo anno 1177 adhuc adolescens forma conspicuus atque martialis, cum Fridericus primus Cæsar Romam obsideret, obiit in eadem obsidione & ossa ejus ad monasterium Steingaden Præmonstratensis ordinis Patris sui fundationem delata fuerunt; sed antequam moreretur magnum conflictum cum *Hugone Palatino Comite de Tubingen* habebat & amisit nongentos viros, vix tribus secum fugientibus ad arcem Achalm (u) venit: & ei auxilium præstiterunt *Augustensis*, *Spirensis* & *Wormatiensis Episcopi*; *Berchtoldus Dux Zaringiæ*; *Berchtoldus Marchio de Vochburg*, *Hermannus Marchio de Baden*, *Rudolphus Comes de Pfullendorf*, *Albertus Comes de Habspurg*,

(r) An. de Guelf. *Bairam* vocat. (s) An. de Guelf. *Conciolegum.* (t) An. de Guelf. habet 1147. (u) An. de Guelf. *Achalmen.*

Habspurg, duo Comites de Calvo fratres, duo Comites de Berg. Gotfridus & Rudolfus fratres Domini de Romsperg; Hartmannus Comes de Kirchperg, (w) *Hainricus Comes de Veringen, Conradus Advocatus Constanciensis;* illi omnes fuerunt in parte VVelphonis junioris Ducis Bavariæ. Sed in parte Hugonis Palatini Comitis de Tubingen fuerunt *Fridericus Dux Sueviæ de* **Hohenstauffen** & Comites Zollrenses.

Adalhaidis filia Welphonis sexti senioris & pii & soror VVelphonis junioris septimi ejus nominis, uxor *Friderici Comitis de Roteburg super Tubero* in Franconia, mulier prudentialis & optima domestica, quæ in Patris sui absentia patriam sapientissimè gubernavit.

Juditha prima filia Hainrici nigri Ducis Bavariæ & Dominæ VVelfildis ejus uxoris, soror Hainrici senioris superbi Ducis Saxoniæ & Bavariæ, Germana VVelphonis senioris, uxor Friderici Ducis Sueviæ de **Hohenstauffen**/mater Friderici primi Cæsaris & Judithæ ejus sororis Ducissæ Lotharingiæ.

Sophia secunda filia Hainrici nigri Ducis Bavariæ, soror Dominæ Judithæ supra scriptæ, uxor *Berchtoldi Ducis Zaringiæ* cui nullam prolem genuit, post eius mortem nupsit *Leopoldo forti Marchioni Stiriæ* & genuit ei *Ottacarum primum* ejus nominis Stiriæ Marchionem.

Mechtildis tertia filia Hainrici nigri Ducis Bavariæ uxor *Theobaldi junioris Marchionis de Vochburg* in Bavaria, post eius obitum duxit *Gebhardum Comitem de Sulzpach* in Bavaria.

Wefildis quarta filia Hainrici nigri ducis Bavariæ, uxor *Rudolfi Comitis Brigantini* proprie **Bregnitz**. *Hainricus junior* etiam superbus dictus propter egregia sua facta *Leo* cognominatur, filius Hainrici senioris, qui *Superbus* dictus fuit, fuit Dux Bavariæ & Saxoniæ, Dominus in Braunschvveig & Luneburg, fuit etiam Reni Palatinus.

Clemencia Conradi Ducis Zaringiæ filia, uxor ejus prima, quam repudiavit propter consanguinitatem. *Mechtildis* secunda uxor ejus, *Hainrici senioris Regis Angliæ* filia & soror *Richardi Regis Angliæ,* ex qua tres filios genuit *Ottonem, Hainricum & Wilhelmum.* Et Hainricus Leo erat Princeps pulcher, elegans & animosus, strenuus & bellicosus & a Friderico primo Romanorum Imperatore Duce Sueviæ de **Hohenstauffen**/ in obsidione civitatis Alexandriæ, quæ in ducatu Mediolani situatur, defecerat, in exilium relegatus & utroque ducatu Bavariæ & Saxoniæ privatus anno Domini videlicet 1180; retinuit tamen Dominia Braunsvveig & Luneburg, quoad vixit, & cum Friderico primo Cæsare per novem annos bella habuit & in civitate Braunsvveig obiit & sepelitur.

Otto quartus ejus nominis Dux Saxoniæ Dominus in Braunsvveig & Luneburg filius Hainrici junioris superbi, qui Leo cognominatus fuit, Ducis Bavariæ & Saxoniæ, Reni Palatini, Domini in Braunsvveig & Luneburg primogenitus filius, electus fuit in Romanorum Regem contra *Ppilippum Ducem Sueviæ* de **Hohenstauffen** Regem Romanorum competitorem suum.

Maria ejus uxor prima fuit filia *Ducis Brabantiæ*, ex qua non habuit proles.

Beatrix secunda ejus uxor fuit filia *Philippi Regis Romanorum Ducis Sueviæ*, per quam ad concordiam venerunt. Et ex illa etiam non habuit proles. Demum *Fridericus secundus* ejus nominis, nepos Philippi Regis, Rex Jerusalem & utriusque Siciliæ, Sueviæ Dux contra Ottonem electus fuit in Regem Romanorum. Tandem Otto IV. in Imperatorem creatus fuit; postea excommunicatus iniit bellum cum *Philippo Rege Francorum*, à quo fugatus & prostratus in Saxonia in excommunicatione mortuus & sepultus.

Heinricus secundus filius Hainrici Leonis junioris Ducis Saxoniæ & Bavariæ, Reni Palatini, Domini in Braunsweig & Luneburg, frater Ottonis IV. ejus nominis Romanorum Imperatoris.

Agnes ejus uxor prima, filia *Conradi Reni Palatini*, qui fuit frater Friderici primi Imperatoris Ducis Sueviæ, ex qua *Palatinatum* consecutus fuit.

Agnes altera uxor *Heinrici Palatini Reni* filia, *Conradi Marchionis Lusatiæ*, ex qua neque ex prima proles habuit præter unam filiam.

Agnes filia Hainrici Palatini Reni & Agnetis ejus uxoris, Reni Palatina nata, uxor *Ottonis Ducis Bavariæ*, ratione cujus Otto *Palatinatum* habuit & ab eodem Ottone omnes moderni Palatini Reni processerunt.

Wilhelmus tertius filius Hainrici junioris, qui Leo cognominatus fuit, fuit Dux Saxoniæ, Dominus in Braunschweig & Luneburg.

Helena ejus uxor, filia *VValdemari Regis Daciæ* propriè **Dennemarck**.

Otto dictus *puer*, filius Wilhelmi Ducis Saxoniæ, Domini in Braunschvveig & Luneburg, fuit Dux Saxoniæ & Dominus in Braunschweig & Luneburg. Is per Fridericum secundum ejus nominis Cæsarem Jerusalem & Siciliæ Regem, Sueviæ ducem, *Saxoniæ Ducatu* privatus est, & ab

(w) An. de Guelf. *Kilichberg.*

eodem Cæsare in recompensam *primus Dux Brunswic. & Luneburgensis* creatus fuit, a quo Ottone consequenter moderni Duces Bunsvicenses & Luneburgenses originem ducunt. Ducatum vero Saxoniæ Fridericus secundus Cæsar *Alberto Comiti de Anhalt & Saltzbedl*, filio *Bernhardi Domini in VVolp* contulit, à quo *antiqui Saxoniæ duces* descenderunt *de castro Leonis* dicti, proprie von der Lawinburg / qui hodie in humanis degunt, sed Electoratum non habent.

Mechtildis filia *Alberti Marchionis Brandenburgensis* filii *Ottonis Brandenburgensis Marchionis* ex antiqua familia Marchionum Brandenburgensium, & non ex moderna familia Marchionum Brandenburg.

Item *Familia Welphonum* dotavit Ecclesias sequentes vel fundavit, videlicet: *Curiensem*, *Constantiensem*, *Augustanam*, *Frisingens. Campidonens. Vtenbeirens. Augiens. minorem* vulgo die Weißaw prope Ravenspurg/Weingarten/Ambirgawen/Altmünster/Reitepuech/Steingaden & *sancti Nicolai* prope oppidum Imperiale Memmingen: prætereaque in Saxonia & in aliis provinciis fundaverunt & construxerunt Ecclesias & Monasteria. *Hæc per dominum Ladislaum Sundheim ex oppido Imp.* Ravenspurg *oriundum Canonicum Viennensem comportata sunt anno Christi 1511. & collegit vel in Monasteriis* Weingarden in der Weißnau/ in der Puchnaw / zu *St.* Ulrich zu Augspurg und zu Ebersberg bey München gelegen und andern Klöstern und Stifftern.

LIX.

OTHONIS MORENAE
ET ACERBI OTHONIS F.
Rerum Laudensium tempore Federici Ænobarbi Cæsaris Historia.

QVicunque res à Sanctissimo Domino nostro Imperatore *Federico* religiosissimo ac prudentissimo seu dulcissimo Viro, divina favente misericordia, in Lombardia prosperè gestas sapienter audire desideras; quascunque etiam civitates, & quæ loca sua potentia ceperit atque destruxerit; quascunque etiam civitates, & quæ loca destructa sua pietate ac benignitate ad Imperii totius honorem in suo statu relevaverit ac pleniter in suo honore reformaverit; quæ etiam, & quanta bella, & quo tempore in Italia peregerit; quomodo etiam hostes Imperii suæ ditioni subjugaverit; quosque amicos & maxime *Laudenses* sublevaverit, ipsosque multimodis honoribus atque divitiis repleverit; quantas etiam calamitates & tormenta Laudensibus à Mediolanensibus ferè per quinquaginta annos illata ipsi Laudenses sustinuerint: *Hunc libellum à me Othone judice*, qui dicor *Morena*, ac *Misso Domini tertii Lotharii Imperatoris & secundi Corradi Regis*, *scriptum* perlege; in quo supra dicta omnia, & alia multa compendiose ac veraciter, prout melius ab aliis discere potui, ac meis propriis oculis vidi, scripta reperies.

Itaque à primo initio pietatis, ac benignitatis, quam Sanctissimus Dominus Imperator Federicus circa primum exhibuit, incipiens; *causam & occasionem*, *quia prædictus Imperator in amorem Laudensium ac odium Mediolanensium primum exarserit*, oblivioni tradere non putavi. Accidit namque, quod non post multum tempus, quo *Sanctissimus Federicus* in Regno fuit electus, ipse Rex maximum colloquium cum suis Principibus apud *Constantiam* se habere ac tenere disposuit. Evenerat etenim eo tempore, quod duo Laudenses Cives, *Albernardus* Alamanus videlicet, & *Homobonus* Magister nomine, rogatu Constantiensis Episcopi, Euumanus nomine, apud Constantiam civitatem in Alemaniam ierant; & in veritate dico; non propterea, quod ipsi jam dictum colloquium ibi tunc fieri debere scirent, non quod ipsi in toto illo anno se prædictum Regem visuros existimarent, Constantiam ambulaverunt, sicut ipsemet Albernardus mihi retulit, sed divino quasi spiritu eos illuc tunc ducente, ut apertius ex post facto apparuit, pro quodam servitio Constantiensi Episcopo fiendo Constantiam perrexerant.

Qualiter Laudenses impetraverunt literas contra Mediolanenses.

CUm autem ipsi Laudenses ipsum Regem, aliosque Principes Constantiam venturos, ibique colloquium habituros præsenserunt, visum fuit eis, bonum esse, si colloquio interessent, & Regem

Regem Sanctissimum viderent, quem nondum viderant; & quæ in ipso colloquio dicta aut facta cognoscerent, civibus de Laude notificarent. Itaque Rege aliisque Principibus Constantia existentibus, maximum inceptum colloquium, in quo multi tam pauperes, quam divites de injuriis eis illatis Regi conquerebantur. Rex vero justitiam faciebat plenarie. Quæ prædicti Laudenses, qui ibi aderant, considerantes, placuit eisdem *de mercato, quod Mediolanenses Laudensibus abstulerunt*, ante ipsum Regem querimoniam proponere; statimque in quandam Ecclesiam introeuntes, duasque inde maximas *cruces ad humeros levantes*, coram ipso Rege cæterisque Principibus redierunt, & pedibus ipsius Regis cum ipsis Crucibus prostrati sunt maxime lugentes; & hoc fuit in quadam die Mercurii capitis jejunii, quæ fuit anno ab Incarnatione Domini MCLIII. Principes vero ante Regem cruces portari cernentes, quod videre ausi non fuerant, valde mirati sunt. Tandem autem Rex ait illis, ut sursum levarent, & ob quam causam *cruces ante ipsum detulerunt*, sibi narrarent. Ipsis vero sursum erectis & coram ipso Rege plorantibus, tandem jussu Regis Albernardus, qui Theutonicam linguam optime didicerat, voce prorumpens sic ait; *Domine Rex Sanctissime*, nos pauperes cives de *Laude*, Deo & vobis universæ Curiæ conquerimur de Mediolanensibus, qui nos ac omnes cives Laudæ, qui Vestri eramus, olim de ipsa civitate Laudensi injustè expulerunt, ac majores nostros tam masculos quam feminas expoliaverunt, multos etiam ex ipsis interficientes, ipsam civitatem nostram penitus destruxerunt, ac cives Laudenses, ne amplius in ipsa civitate vel ejus suburbiis habitarent, jurare compulerunt. Postea vero multis ex ipsis Laudensibus per universas terras euntibus, reliqui remanentes extra Burgos ipsius civitatis circa ipsam civitatem in sex Burgis habitare cœperunt, & mercatum, quod intra civitatem ex unoquoque die Martis habere consueverant, in quodam ipsorum Burgorum, qui vocatur Burgus Placentinus, & qui major est omnibus aliis Burgis, similiter in unoquoque die Martis fieri constituerunt: ad quod ipsi Mediolanenses atque Papienses, Placentini quoque atque Cremenses, ac Cremonenses & Pergamenses in omni hebdomada venientes in Laudensibus domibus hospitabantur; unde ipsi Laudenses multum inde proficientes, ditabantur. Cum autem, carissime Domine, Mediolanenses perspexerunt, ipsos Laudenses in rebus ac personis valde multiplicare, maximè condoluerunt, atque quorundam sapientum Mediolani convocato consilio ad diminutionem Laudensium, ut in rebus ac personis decrescerent, jam dictum mercatum de Burgo Placentino, in quo primitus fieri solitum fuerat, abstulerunt, & in quodam campo aperto, ubi nullus habitabat, ipsum fieri decreverunt, ac ipsos Laudenses ibi mercatum deinceps facere coëgerunt. Ob quam causam, Rex sanctissime, ego & complures homines de Laude ad inopiam deducti sumus. Quapropter deprecor vos, carissime Rex, ac universos Principes vestros hic astantes, quatenus rogent Vos carissime, ut per literas vestras ac nuntium vestrum Mediolanensibus præcipiatis, quod prædictum mercatum Laudensibus restituant, ac in eum locum, quo fieri consueverat, adhuc eis facere permittant. Quod namque omnes Principes annuentes unanimiter Regi persuaserunt, ut, sicut Albernardus dixerat, ita perficeret. Rex itaque, qui pius fuerat & misericors, statim Cancellarium suum vocavit, ac literas, quæ sic dicerent, sicut Albernardus dixerat, eum statim facere præcipit, & cuidam suo Legato, *Sicherius* nomine, jussit, quatenus literas susciperet, Mediolanumque deferret, ac viva voce Mediolanensibus ex parte ipsius præciperet, ut, sicut eis literæ nuntiaverint, ita peragant omni modo. Quo sic peracto prædicti Laudenses à Curia discedentes Laudamque redeuntes, ac convocato Consulum consilio aliorumque sapientum de Laude, qui *credentiam* Consulum pararent, omnia, quæ ad Regem fecerant, per ordinem eis patefecerunt. Cum autem Laudenses Consues aliique de Laude sapientes hoc audierint, quamvis non firmiter crederent, tamen valde ipsos omnes increparunt, ac multas injurias & turpia verba ipsis dixerunt; ipsos etiam de terra se dejecturos, si verum esset, minati fuerant. Insuper etiam illis firmiter præceperunt, ne cuiquam unquam illud amplius dicerent, nisi statim mori desiderarent.

Qualiter Imperator misit Legatum cum eis Literis Mediolanum.

POst paucos vero dies prædictus Sicherius Regis Legatus cum literis ipsius sigillatis, sed tamen apertis, Laudam magno cum gaudio venit, & omnes Consules aliosque de Laude Sapientes, qui de *credentia* fuerant, ad se insimul venire præcipit. Quibus congregatis, propter quod venerat, aperit, literasque Friderici Regis publicè ostendit, atque Mediolanum eas deferre debere ait. Laudenses autem ipsas literas videntes, & quod prius per verba prædictorum Albernardi & Homoboni non crediderant, oculata fide videntes, & per literas Regis firmiter credentes, quasi semivivi omnes effecti, valdè dolentes, quidve dicerent, vel facerent, nescientes, per nimium obstupuerunt, ac unus versus alium prospiciens per quoddam tempus quasi

muti

muti obstupescentes omnes præ nimia tristitia effecti sunt, præque maximo Mediolanensium timore nihil loquentes steterunt. Tandem unus ex Consulibus surgens quasi lugendo, & voce mutata versus Sicherium sic ait: *Domine Sicher*, de istis rebus nos omnes miramur, quia ipsum Deum in veritate testamur, Albernardum nec ejus socium in Alemaniam nostro consilio nec etiam scientia unquam venisse, nec has literas, quas nobis ostendisti à Domino nostro Rege, unquam impetrasse in veritate scias. Vnde multum admiramur, quod duo tam stultissimi viri tam magnam & periculosam rem, quæ non solum ad amissionem rerum omnium nostrarum pertinet, verum etiam ad destructionem & interitum omnium personarum nostrarum spectat, sine nostro consilio perpetrare ausi fuerunt; Dicentes insuper ei, quod, si res hæc fieri deberet, non tamen aperto adhuc tempore facta foret: quia, postquam hoc Mediolanenses pro certo cognoverint, Rege præ nimium à nobis adhuc distante, nec aliquod auxilium nobis tunc præbere valente, statim nos omnes, quos capere poterunt, interficient; reliquos vero, qui manus ipsorum effugerint, de terra ejicient, ac omnia ipsorum bona sine dubio eis auferent. Quapropter ipsum Sicherium valde rogant, quatenus Mediolanum non proficisceretur, nec literas illas, quas secum attulerat, illuc deferret, nisi ipsos omnes mori desideraret. Sed omni modo deprecantur eum, ut ipse ad Regem rediret, gratesque multas de hoc, quod erga eos fecerat, ab eorum parte referret; timoremque, quem in Mediolanensibus habebant, Regi notificaret, & literas ipsas, quas à Curia reportaverat, ipsis Laudensibus dimitteret: dicentes ei, ut, si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas literas Mediolanensibus dandas aptum fore ipsis videatur, Rege videlicet veniente in Lombardiam, & ad ipsos Laudenses appropinquante, satis ipsi illas literas Mediolanensibus tunc sine aliquo timore ostenderent. Quæ verba, ut ipse Sicherius talia à Laudensibus proferri audivit, ac eorum voluntatem, ne Mediolanum appropinquaret, cognovit, quia multum eis servivisse, ac maxima dona à Laudensibus reportare putabat, & eos magis offendisse præsensit; quamvis inde multum dolens, tamen ait illis: se pro centum Marchis non dimissurum, quin Mediolanum pergeret, legationemque Domini sui adimpleret. Quod si aliter faceret, se ad ipsum amplius redire nullatenus fore ausum dixit. Quo dicto, quamvis inde valde mœstus foret, tamen ab eis discessit, Mediolanumque perrexit; & ad Consules veniens ipsas literas eis repræsentavit. Consules vero palam & in communi cœtu literis ipsis perlectis, valdè *ira & furore commoti, ipso Sicherio aliisque videntibus, ipsas literas pariter cum ipso sigillo in terram projecerunt, & pedibus suis fregerunt atque conculcaverunt*; insuper etiam super ipsum Sicherium omnibus unanimiter irruentibus, ipse fugiendo se abscondens, vix evasit, nocteque proxima veniente extra Mediolanum exiens Laudam venit, & omnia quæ ei acciderant, per ordinem Laudensibus narravit: ideoque ad Regem reversus est. Laudenses vero hoc audito tam maximo timore perterriti sunt, quod aliqui eorum de Laude ad habitandum alibi processerunt, alii autem in die ibi morantes, & in nocte circumquaque jacentes quasi latrones vagabantur. Alii namque in die fugientes quasi fures in nocte veniebant, & die veniente recedebant. Hoc vero tormentum & passionem miserabilem Laudenses usque in aduentum jam dicti Federici Regis substinuerunt. Mediolanensibus itaque de interficiendis Laudensibus ac omnibus bonis ipsorum auferendis valde machinantibus, & multa consilia ineuntibus, tandem Dominus sua divina providentia atque misericordia eos, ut pote miseros, semper liberavit. Sicherius autem, cum ad Curiam venit, Regis pedibus se prosternens, omnia, quæ & qualiter sibi contigerant, per ordinem Regi omnibusque astantibus exposuit, rogavitque ipsum ac universos Curiæ Principes, quatenus eum & se ipsos de hac injuria vindicaret. Hoc autem Rege & universis Principibus audientibus, maxima ira & dolore commoti sunt, altiusque in corda eorum hæc verba ascenderunt, quam quisquam iratus unquam faceret, & sicut scintilla ignis totam domum accenderunt: statimque se in Lombardiam cum exercitu magno venturos esse decreverunt.

Interea *Laudenses quandam clavem ex bono & pretiosissimo auro factam per Marchionem Guilermum de Monte Ferrato*, qui eos adiuvare promiserat, *clam Regi direxerunt*; mandantes ei, quod seipsos & civitatem Laudensem sibi commendaret & in sua protectione, utpote sui* semper esse & manere vellent. Ipse vero Rex cum magno gaudio suscipiens Laudenses, & eorum civitatem quamvis destructam, in sua custodia & protectione suscepit. *Mediolanenses* autem, & ipsi unam copam auri & denariis plenam ipsi Regi portaverunt, quatenus tam gratiam & bonam voluntatem recuperarent, quamvis hoc minime facere potuerunt. *Cremonenses* quoque, ac *Papienses*, & ipsi sua munera Regi afferentes, & privatim Mediolanenses inculpantes, ac pro ipsis Laudensibus sæpe Regem deprecantes, ipsum infensum esse Mediolanensibus redebant. Rex itaque suos Legatos per *Alemaniam*, *Saxoniam Provinciam*, *Durbandiam*, *Tusciam* & per universum Rom. *Imperium* misit, jubens Archiepiscopis, Episcopis,

* fortè: utpote qui sui.

pis, Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus ac universis aliis dictarum Provinciarum Principibus, quatenus ipsi cum suis equitibus, quàm honorificè possent, usque ad festivitatem sancti Michaëlis proximè venientis, & unum annum cum ipso in Lombardia in *Roncalia* essent, qui locus est inter Placentiam & Cremonam. Quæ res (Deo annuente) sicut jussit, ita bene peracta est.

Venit itaque D. Federicus in Lombardiam anno MCLIV. ab Incarnatione Domini mense Novembris indictione prima, hospitatusque est in die Mercurii, qui fuit secundo die ante Kalend. Decembris, in quo fuit vigilia sancti Andreæ Apostoli, apud *Sanctum Vitum de Castillione in Lodesana*, & ipso die venerunt Theutonici à prædictis Albergariis, & expugnaverunt Burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii Burgi insimul convenerant. Sed ipsi Laudenses tunc viriliter se defendunt. Sequenti verò die Jovis, in quo tunc festivitas prædicti sancti Andreæ, ivit prædictus Rex cum omni exercitu suo in Roncaliam, & hospitatus est ibi, mansitque illic per sex dies, residente etiam tunc in honore Apostolicatus Domino *Eugenio Papa Tertio*. Mediolanenses verò Regi obviam euntes, & secum fraudolenter inientes fœdus, quatuor millia Marchas argenti ei dare spoponderant, ac in Roncaliam cum ipso fuerunt. Interea Rex in Roncaliam existens, misit quendam suum Capellanum Laudem, qui fidelitatem ab omnibus ipsis Laudensibus exigeret. Laudenses etenim alii cum suis uxoribus & filiis cum ipsorum mobilia, timore Alemanorum ad *Pizighitonum* fugierunt: alii autem ad Mediolanum, plerique etiam ad Cremonam & Placentiam. Sed ipsi ferè *omnes Laudenses cum suis personis idcirco redierunt, quia prædictus Rex suam propriam tensam in ipso proprio Burgo Placentino posuerat.* Postremo, cum prædictus Regis Capellanus Laudem venisset, & fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses dixeruntque, se non esse ausos hoc sine consilio & *parabola* Mediolanensium, in quorum potestate & virtute erant, peragere. Dato igitur eis termino venerunt Laudenses ad Consules Mediolani, & eis, qualiter Rex legatum ad eos Laudem miserat, qui ab eis fidelitatem exigebat, per ordinem narraverunt, & dixerunt, se omnes ipsi Legato respondisse, ipsam fidelitatem sine voluntate & consilio ipsorum Mediolanensium nullo modo se facere velle. Ipsi verò Mediolanenses, maximo consilio valde diu inter eos agitato, tandem Laudensibus respondentes *parabolam* eis dederunt, quòd ipsi de eorum bona voluntate fidelitatem Regi facerent, referentes insuper & eis gratias de tali responsione, quam Regis Legato fecerant. Laudenses itaque Laudem reversi sunt, & nuntiantes aliis, quæ à Mediolanensibus audierant, omnes læto animo fidelitatem Regi fecerunt.

Postremo in Roncalia expleto *parlamento* petiit Rex à Mediolanensibus, quatenus ipsi per optima & meliora loca eum usque ad *pontem Ticini* ducerent. Ipsi verò sic se facere velle respondentes, duxerunt ipsum & ejus exercitum per loca vasta, & quæ deserta fuerant propter bellum, quod inceptum fuerat inter *Mediolanum* & *Papiam* præterito proximo mense Augusti; in quo mense Mediolanenses cum Comensibus & Laudensibus & Cremonensibus super Papiam equitaverant, & tam magnum exercitum super eam duxerant, quòd nec ipsi, nec ulla alia persona, vel Lombardiæ civitates recordentur, unquam amplius talem insimul habuisse nec collegisse, & hoc fuit in die Mercurii, quæ fuit decimo mensis Augusti in festivitate sancti Tiburtii Martyris, scilicet primo die post festum S. Laurentii: qui castrametati sunt ad *Lardiragum* super flumen *Olonæ* ex illa parte fluminis versus *Papiam*. Altera verò die Jovis factum est tunc prælium ad *Lavernagolam* inter Mediolanum & Papiam, in quo prælio multi homines mortui, alii vulnerati, alii etiam capti ab utraque parte fuerunt. Dirempto itaque prælio, quod à mane usque ad vesperas tenuit, Mediolanenses ad castra remeaverunt.

Ipso verò die Jovis, cum omnes ferè Mediolanenses jam cœnassent, quoddam divinum miraculum super Mediolanenses & eorum exercitum evenit. Accidit namque, quod, cum quidam ex Mediolanensibus, qui in prælio vulneratus fuerat, à sociis ipsius Mediolanum duci vellet, ipsi socii ejus tentorium eorum, quod in capite *Albergariæ* versus Papiam fixum fuerat, defixerunt & in terram dejecerunt. Hoc autem videntes omnes alii equites & pedites, & quid in veritate ageretur, ignorantes, putantesque, Papienses omnes exercitum Mediolanensem invasisse, & illos timore Papiensium tentorium eorum defixisse, sic omnes maximo timore perterriti in fugam versi sunt, nihil ferè portantes, nisi sola arma; multi etiam sine armis, atque Mediolanum fugientes abierunt. Reliquerunt itaque ferè omnia plaustra, tentoriis, loricis, pane, vino aliisque rebus, quæ secum portaverant, onusta. Per viam autem omnes simul euntes, dum flumen Olonæ transire festinarent, ac invicem se præpedirent, plaustrorum magna multitudo in ipso flumine corruebat. Bubulci verò ibi morari non audentes cum solis bobus, plaustris relictis, fugiebant; pauci verò ex Mediolanensibus in campo per totam noctem steterunt, & maximam prædam, quæ à recedentibus dimissa fuerat, recupera-

verunt. Sed tamen ipsi ante diem fugientes plus quam decem millia marcharum argenti valentia in campo reliquerunt. At revertamur ad historiam. Cum autem Mediolanenses per loca (ut diximus) deserta ipsum Regis exercitum duxissent, in ipso die castrametati sunt propè *Landrianum*. In illa verò nocte equi ipsorum nihil fere ad comedendum habuerunt. Alia verò die duxerunt eum propè castrum, quòd dicitur *Roxate*, ibique tentoria affixerunt. Morantes verò ibi per duos dies, ferè omnia victualia sibi eorumque equis necessaria defuerunt, nec ad comedendum ad sufficientiam unquam invenire potuerunt. Viso autem hoc à Rege, scilicet, quod Mediolanenses eum deceperant, & fraudolenter eum per loca deserta duxerant, tunc Rex Mediolanensibus ait jussitque, quod ipsi extra prædictum castrum de Roxate exire facerent omnes Mediolanenses, qui causa custodiendi illud intus erant: quoniam ipse & sui equites, cum aliter miseram famem evadere non possent, omnia, quæ intra dictum castrum erant ad comedendum apta, auferre volebant. Mediolanenses autem hæc audientes, & inde valdè contristantes se, nec Regis præceptum infringere audentes, statim omnibus illis, qui in ipso castro erant, ut exirent, jusserunt, & omnia, quæ intus erant, Regi & ejus exercitui dimiserunt. Quod audientes hi, qui intus erant, quamvis sol ad occasum jam ivisset, & quam sero esset, & etiam fortiter tunc plueret, omnes de terra illa, tam masculi quàm fœminæ, & tam magni quàm parvi cum maximo dolore & luсto foras exeuntes, omnia, quæ intus erant lacrymabiliter dimiserunt.

Mane autem facto, Theutonici in ipsum castrum prosilientes omnia, quæ intus reperierunt, cito abstulerunt, posteaque totum castrum comburentes, penitus dissipaverunt. Mediolanenses verò, quamvis tunc Regi palam ostendere non auderent, tamen maximo dolore & ira perciti, æquo animo se ferre publicè demonstraverunt. Rex itaque inde discedens venit ad castrum, quod *Abiate Grassum* dicitur, ibique ipso die resedit. Alio verò die equitavit cum omni exercitu suo ultra pontem Ticini. Cumque omnis ejus exercitus pontem pertransisset, statim ipsum pontem destrui fecit, & ibi ultra omnes hospitati sunt. Deinde Rex ad castrum, quod *Viandrate* dicitur, pergens, ibi etiam castrametatus est. Mediolanenses verò ad ipsum Regem pergentes, & pecuniam, quam sibi dare promiserant in Roncalia, offerentes ei dare voluerunt. Rex autem, quia observasset, & quia eos subdolos & malitiosos ac deceptores, & parum fidei esse cognovisset, nec cum tam perfidis & nequissimis hominibus aliquid agere se velle referens, pecuniam ipsorum omnimodò refutavit; ac eos de curia sua statim exire præcepit: dicens etiam insuper eis, ipsos deinceps nullam fiduciam in se habere nec tenere, nec ullum fœdus seu pactum cum ipsis Mediolanensibus amplius se facturum, nisi de Laudensibus atque Cremonensibus se omnes absque timore sibi submitterent. Mediolanenses verò cum hoc facere noluissent, tristissimi statim abierunt, Mediolanumque reversi, omnia quæ egerunt & audierunt, narraverunt. Mediolanenses itaque his auditis nolentes quidem, quod Laudenses vel Cremonenses de ipsorum jugo vel potestate exirent, valdè condoluerunt. Rex autem post quatuor dies unà cum *Papiensibus* & *Novariensibus* duo nobilissima castra Mediolanensium, quæ ultra Ticinum habebant, unum quorum *Galiate*, alterum verò *Trecate*, cepit, eaque penitus destruxit.

Quo cognito Mediolanenses pro mortuis se reputantes, deinde omnia, quæcunque potuerunt, mala de Rege, utpote hoste dicere conati sunt. Rex verò inde discedens cum *Marchione Guilermo de Monte Ferrato* ad *Asten* perrexit. Astenses vero civitatem suam deserentes ad quandam eorum *Rocham*, quæ vocatur *Novim*, quodam monte super ipsam civitatem non multum longè positam, cum omni ipsorum mobilia fugiere. *Rex itaque ipsam civitatem capiens tradidit eam prædicto Marchioni*, pro quo ipsos Astenses in bannum posuerat, civitatemque ipsam propterea ceperat, *quia pro eo justitiam eidem Marchioni facere renuerat*. Ipse verò Marchio partem muri ac quam plurimas turres ipsius civitatis destruens, fœdus cum Astensibus fecit.

Propterea Papienses, qui cum *Terdonensibus* tunc guerram habebant, ad prædictum Regem venientes, graviter de Terdonensibus conquesti fuerunt, dicentes: ipsos maximas injurias eis intulisse, & castrum eorum invasisse: petieruntque ab eo, ut faceret, eos justitiam sibi facere. Rex autem, ut hæc audivit, Terdonenses ad justitiam Papiensibus plenè faciendam per suos Legatos convocavit, admonens eos, quatenus se de hujusmodi negotio sub ipso & curia sua ponerent. Terdonenses verò tum quia Regem amicum esse sciebant, & ideo eum in hoc suspectum habebant, tum quia fortè de justitia diffidebant, tum etiam, quod magis verum est, quia in virtute & potentia Mediolanensium, qui eos acriter adjuvabant, plurimum confidebant, tali judici colla supponere repudiaverunt. Rex vero semel & pluries in jus vocatos ipsos Terdonenses, & semper venire recusantes, publicè bannivit; & minans postmodum eis, quòd nisi resipiscerent, super eos equitaret, & ipsos & civitatem caperet

ac

ac penitus destrueret. Sed Terdonenses multa ineuntes consilia, tandem hortatu & consilio, maximoque Mediolanensium impulsu verba ipsius Regis vilipendentes, ac ad eorum perniciem & interitum suam proximam fortunam, ut ex post facto apparuit, properare cupientes, Regi parere aliquatenus noluerunt. Rex igitur super ipsos cum exercitu suo se iturum proposuit, bellumque super eis se facturum indixit. At Mediolanenses hoc audientes se præparaverunt, & multos equites Terdonæ obviam Regi miserunt. Rex itaque Federicus una cum *Duce Henrico de Saxonia, qui in Lombardiam cum ipso Rege ferè non cum minori copia equitum, quam ipse Rex venerat,* necnon etiam cum Papiensibus versus *Terdonam* veniens, castrametatus est circa ipsam civitatem in anno ab Incarnatione Domini MCLV. primo die Quadragesimæ, qui fuit tunc XIII. mensis Februarii indictione tertia, obseditque eam cum Machinis & *Precheriis* (*) usque in diem . . . sequentis mensis Aprilis. Ipso verò die *Ugone Vicecomite*, aliisque quampluribus Mediolanensibus & Terdonensibus, Machinis & *Precheriis* & aliis armis interfectis, vivis etiam maxima aquæ penuria constrictis, Terdonenses & Mediolanenses, qui ibi aderant, & intra solam civitatem se omnes reduxerant, quia *Dux Henricus cum suis Saxonibus* jamdudum Burgum ipsius civitatis ceperat, & illum comburendo penitus destruxerat, se amplius Regis manus evadere non posse cernentes, Regi omnes se penitus tradiderunt, eo videlicet pacto, quòd ipsi omnes, tam masculi quam fœminæ extra civitatem cum omnibus rebus, quas ipsi portare possent, exirent: alias verò res, quas inde portare non possent, ipsi Regi ejusque exercitui penitus dimitterent. Cumque omnes foras exissent cum rebus illis, quas portare potuerunt, exercitus Regis ac Ducis & Papiensium intra civitatem pergens, totamque eam expolians ac postea comburens eam penitus usque ad fundamentum dissipavit.

His itaque peractis Rex Terdonam deserens, Papiensesque ibi, ut ipsam civitatem bene dissiparent, relinquens, Romam cum suo exercitu perrexit. Papienses verò muros civitatis, turres ac domos omnes destruentes, post ipsum Regem ibi per octo dies steterunt, & deinde Papiam cum magno gaudio reversi sunt. Mediolanenses igitur, qui in auxilium Terdonæ, antequam capta fuisset, ambulaverant, cum ipsam civitatem intrare non possent, apud castrum, quod *Sarzanum* dicitur, quod distat à civitate per duo miliaria, morati sunt. Cum autem Papienses à Terdona recessissent, statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum à Terdona fuerant, in destructam civitatem Terdonæ intraverant, Mediolanumque, quid egerunt, miserunt. Mediolanenses hæc audientes, & ob id valde dolentes, quia jam invitis Papiensibus se tenere posse diffidebant, miserunt illis, qui erant Terdonæ, quatenus eam desererent, Mediolanumque redirent: qui hoc agere recusaverunt. Papienses itaque cùm cognovissent, Mediolanenses intrasse Terdonam, ac eis illam velle reædificare: Terdonam revertentes, ipsos tamen invadere non sunt ausi; deinde nihil proficientes reversi sunt. Cum autem Mediolanenses, qui erant Mediolani, audissent; Papienses cum eorum exercitu ivisse Terdonam, nec fuisse ausos invadere Mediolanenses, qui in Terdona pauci erant: tunc corda omnium Mediolanensium ad Terdonam eorum proprio dispendio restituendam mirabiliter exarserunt. Quare eligentes omnes equites & pedites *portarum*, *Ticinensis* atque *Vercellensis*, statim illos miserunt Terdonam, qui muros civitatis suis propriis expensis reædificare confestim cœperunt, ac ibi per tres hebdomadas permanserunt. Postea verò aliarum duarum *portarum*, *Romanæ & Arentiæ* omnes *equites & pedites iverunt Terdonam*, & primum in quodam die Mercurii, in quo fuit festum Sancti . . . . . & quæ fuit XIIII. ante Calendas Junii, *apud Terdonam in brolio Episcopi extra civitatem* ferè omnes castrametati sunt. Sequenti verò die Jovis omnes pedites dictarum quatuor portarum & equites ipsarum iverunt ad *Salam*, ut eam caperent; Sed rustici & pauci etiam equites, qui in ipso loco erant, ita viriliter se defenderunt, quod villam ipsius loci capere non potuerunt. Multis tamen utrinque vulneratis, Terdonam redierunt. Alio verò die Veneris omnes equites, & pedites *portæ Ticinensis* & *portæ Vercellinæ* Mediolanum redierunt, aliarum duarum portarum equitibus & peditibus Terdonæ remanentibus cum magno gaudio; quamvis postea hoc versum sit eis in gemitum & dolorem. Sequenti ita proximo die Mercurii, in quo fuit festum sancti Urbani Papæ, Papienses cum magno exercitu Terdonam iverunt; & Mediolanenses robusto & alacri animo extra fossatum Burgi ipsius civitatis exeuntes, usque ad Ecclesiam sancti Martini & etiam ultra, foris obviam eis in campo exierunt, ibique in manus Papiensium inciderunt. Sed inprimis omnes ex utraque parte sibi obviam excurrentes, ita acriter se invaserunt, quod ultra centum milites inter utramque partem ex equis eorum dejecti fuerunt. Tandem omnibus ab

(*) *Precheria*, Maurenbrecher: Felix Osius putat legendum *petreriis* vel petrariis.

utraque parte dimicantibus, cum Mediolanenses tantis viribus resistere non possent, in fine terga verterunt, & usque in civitatem Terdonæ fugientes ferè omnia tentoria omnemque eorum mobiliam, totumque etiam mercatum, quod in castris habebant, amiserunt: quoniam ipsi ferè omnes, *mecum* quoque ipso, in *brolio Episcopi* & alibi extra civitatem hospitati fuerunt: maximamque copiam equitum & peditum Mediolanensium Papienses ceperunt, multosque etiam ibi in campo interfecerunt. Altero verò die Jovis Papienses, qui primo die per tria milliaria longe à civitate Terdonæ hospitati fuerant, prope ipsam civitatem hospitium mutaverunt; ac postea in ipso die tam maximum ab omni parte civitatis prælium cum Mediolanensibus fecerunt juxta ipsam civitatem, quod ipsi ultra Mediolanensium voluntatem in loco, ubi *Turris Blanca* dicitur, deinde in civitatem cum duobus vexillis intraverunt. Quapropter multi ex Mediolanensibus perterriti tunc fuerunt taliter, quod bello ab eis derelicto, cùm omnibus armis in Ecclesiam majorem confugerunt. Sed alii Mediolanenses acriter tunc pugnantes, & maxime cum lapidibus se defendentes, extra civitatem maxima vi eos repulerunt; Papienses verò iterum viriliter pugnantes, omnes Mediolanenses tunc debellassent, ac maxima *curtesta* eos cepissent, nisi Dominus sua pietate & clementi misericordia quandam pluviam eis tribuisset adeo magnam, quæ sic terram madefecit, quod Papienses ultra super fossatum civitatis inhærere non valuerunt. Itaque Papienses circa civitatem commorantes, usque ad proximam diem Sabbati Terdonam obsederunt: ipso verò die Sabbati à Terdona recedentes, cum magno gaudio Papiam sunt reversi. Sed in eo quidem die tam magna panis & vini inopia cæterarumque rerum comedendarum fuit in Terdona, quod aqua etiam ferè tota penitus in ipsa civitate tunc defecerit; quod vix ad comedendum aliquid in ea inveniri potuisset, ita, quod si quatuor solummodo dies adhuc ibi Papienses stetissent, sicut *egomet*, qui tunc in ipsa civitate Terdonæ cum Mediolanensibus eram obsessus, *vidi & cognovi*, sine prælio, sine periculo Papienses potuissent capere omnes Mediolanenses ibi tunc existentes. Sed quia hoc tunc fieri non erat à Deo dispositum, ideo nullatenus est impletum. Mediolanenses itaque Terdonæ morantes totum murum ipsius civitatis eorum propriis facultatibus reædificaverunt, & ipsam civitatem, ubi oportebat, fossato aliisque rebus necessariis optimè munierunt. Sequenti igitur festo Sanctorum Gervasii & Protasii, quod fuit XIX. sequentis mensis Junii, ceperunt Mediolanenses *Staranos* de Pavia, qui *Serexanum* deprædati fuerant, pluresque ipsius loci domos exarserunt, & multos ex ipsis interfecerunt. Ab eo autem die, cum fere per totam guerram omnia prosperè Papiensibus accidissent, mutata est adversus eos fortuna, ita, quod ferè semper postea, donec *D. Federicus Imperator* in Lombardiam rediit, omnia bene & prospere Mediolanensibus evenere. Post paucos verò dies factum est prælium ad *Pozzolum* inter Mediolanenses, qui erant in custodia Terdonæ, & Papienses, qui jam ad dictum locum causa custodiendi eum iverant. Ibique in eo prælio multi ex Mediolanensibus & Papiensibus ab utraque parte capti, in carcerem reducti sunt. Sed tamen plurimi ex Papiensibus tunc sunt capti.

Interea *Rex Federicus*, cum à *Terdona* discessisset, tunc eo Romam pergente multa castra multique Principes *Lombardiæ*, *Tusciæ*, *Romaniæ* se ei subdidere. Qui Rex, cum Romam pervenisset, ibi à *D. PP. Adriano* honorificè susceptus est, & *apud sancti Petri Basilicam coronatus, Romanorum Dei favente misericordia Imperator est effectus*: qui ibi postea permanens, *à Senatoribus Romæ aliisque ipsius civitatis majoribus suum jus & rationem seu usum plane & humiliter exigebat*, mali aliquid eis facere non intendens. Romani verò omnino se ea facere recusantes, & colla jugo quasi abjecto temerè adversus eum erigentes, non solum in civitate, sed ultra Tyberim se nolle vel non debere ei hoc facere prætenderunt: sed maxima superbia commoti, ex hac parte Tyberis per pontem, qui est supra ipsum flumen, in insula cum armis ad bellum faciendum parati, ipsi obviam Imperatori venerunt. Imperator verò cum exercitu suo, ut eos omnes tam equites, quam pedites sic armatos contra se venire prospexit, omnes suos protinus armari præcepit, qui cum arma festinanter accepissent, in bellum omnes alacriter prosilientes se cum ipsis Romanis commiscuerunt. Imperatore itaque cum Theutonicis aliisque omnibus, qui in ejus exercitu erant, dimicantibus acriter cum Romanis, multi ab utraque parte interfecti multique vulnerati, plerique etiam ex equis sunt dejecti. Tandem Romani vim Imperatoris ejusque exercitus substinere non valentes terga verterunt. Imperator vero cum suo exercitu eos acriter persequens, & multos viros in ipsa fuga capiens, multosque interficiens, usque in Tyberim eos fugare non cessavit. Romani vero cum ad Tyberis fluvium pervenissent, eorum multa millia cum armis, alii vero sine armis in ipsum flumen se præcipitavere: quorum plurimi in ipso flumine perierunt; eorum vero, qui in ripa fluminis remanserunt, multi capti fuerunt, alii vero per dictum

pontem

pontem ultra Tyberim in insulam fugientes, in Romam se recollegerunt. Postera vero die Imperator cum Romanis fœdus iniens, *Roma discessit* qui procedens usque ad *Anconam*, multas civitates multosque Principes suæ ditioni & potentiæ subjugavit: in *Apulia* etiam & *Romania* per totam æstatem & etiam per hyemis partem versatus, tandem in *Alemaniam* reverti proposuit. Itaque cum ipse Imperator in Alemaniam rediret, *Spoletum* veniens, ibi non multum longe à civitate ipsa hospitatus est: qui, quamvis Spoletanis nullum adhuc damnum intulisset, illi tamen tanquam stulti, Imperatore cum suis ad prandium sedente, Spoleto, ut mihi relatum fuit, exierunt armati. Imperator vero hoc audiens, valde turbatus suis præcepit, quatenus in continenti arma susciperent, & cum eis viriliter pugnarent. Ipse Imperator vero cum exercitu suo sic robustè pugnavit, quod ipsorum Spoletanorum multos cepit, multosque campi victor exiens in prælio interfecit, denique ipsos intra civitatem fugientes sic persecutus est, quod unà cum eis civitatem ipsam intrans eam cum hominibus cepit: quam exercitus ejus spolians totam combussit. Cives vero ipsius civitatis, qui capti fuerant, ligatos ad tentoria deduxit. Sed Imperator tanquam pius & misericos cum ipsis postea fœdus inivit, & multa pecunia ab eis præstita, captos abire civitatemque intrare permisit.

Post hæc vero Imperator inde discedens, ac iter suum faciens, dum *Veronam* appropinquasset, indeque humiliter pertransire vellet; Veronenses, qui eorum mala fortuna cum Mediolanensibus jam convenerant, & pecuniam ab ipsis, ut Imperatori obstarent, acceperant; extra civitatem venientes armati in viam, per quam transiturus erat exercitus Imperatoris, obviam ei se ponentes, ne inde transiret, prohibere voluerunt. Imperator autem, & omnis ejus exercitus ira commoti arma robustè ceperunt, & super Veronenses acriter irruentes, fortiter cum eis pugnaverunt: qui Imperatoris viribus nequientes resistere, in fugam turpiter sunt conversi. Imperator vero ipsos acriter persequens, ex eis cepit ferè mille: quorum ducentis nasum cum labiis amputavit, & totidem & plures in arboribus suspendit: cæteros vero captos in tentoria ducens catenis firmiter alligavit. Cæteri verò Veronenses, qui in civitate remanserant, maximo timore perterriti, mox cum Imperatore fœdus inierunt, & ei magnam pecuniam tribuentes, captivos de carcere liberaverunt. Quo pacto Imperator inde discedens in *Alemaniam est profectus*.

Interea dum *Mediolanenses* maximam guerram facerent cum *Papiensibus*, ipsorum Mediolanensium equites & pedites pro commune ultra Ticinum ad devastandum *Lumellinam* perrexerunt: quibus venerunt obviam Papienses, tunc vero volentibus Mediolanensibus, Papienses super eos irruerunt, maximumque cum ipsis prælium commiserunt; in quo prælio utriusque partis multi equites fuerunt interfecti, multique capti & retenti. Denique Papienses, qui multo pauciores Mediolanensibus erant, bellum tam grave sustinere non valentes, usque ad *castrum Viglevani* fugerunt: semper tamen, prout melius poterant, se defendendo: ubi se colligentes viriliter Mediolanensibus obstiterunt, & Mediolanenses ad ipsum castrum venientes & illud obsidentes, manserunt per tres dies circa illud. Tandem, quia Papienses ibi victualium maximam patiebantur inopiam, fœdus cum Mediolanensibus coierunt: inique tamen postea in ipso fœdere sunt versati. Hoc autem contigit anno Domini MCLVII. de mense Junii, indictione quinta. *Mediolanenses* igitur, quia tunc temporis eis cuncta prospera accidebant, super opprimendos *Laudenses* nimium . . . . . . videntes illos multiplicari quotidie in personis & in rebus pariter. Inter enim cætera mala, quæ ipsi Mediolanenses Laudensibus intulerunt, hoc terribile & iniquum atque in sæculo inauditum induxerunt noviter super eos . . . . . . præceperunt enim publice in ipsorum concione, quod nullus hominum Laudensium terram suam propriam, & quam pater seu avus ejus dimiserat, & per LX. annos & etiam ultra quietè possederat, deinceps sine consilio & licentia Consulum Mediolani aliquatenus venderet, nec aliquo alio modo in alium transferre præsumeret. Contra quod præceptum, si quis faceret, tam emptor quàm venditor in bannum publicum poneretur; & insuper etiam venditore pretio carente, emptor rem ipsam amitteret; & quod deterius erat, pretium & res vendita in fiscum Mediolanensium pervenirent. Hoc autem audientes ipsi Laudenses, quamvis de re tam gravi valde dolerent, putantes tamen, se magis servitiis posse vincere Mediolanenses, nihilominus postea eis plurimum servierunt. Aliud quoque nimis detestabile statuerunt super ipsos Laudenses, videlicet, quod quicunque inveniret aliquem Laudensem, qui extra Laudem ad habitandum exiret, vel aliquid de rebus suis alio deferret, ipsum capere & omnia ejus bona auferre posset; & insuper Laudensis, qui deferebat, & omnes ejus res in publico banno essent. Propter quam occasionem ipsi Mediolanenses bona plus tercentas auri libras valentia ipsis Laudensibus abstulerunt.

In ſequenti vero menſe Novembris anni prædicti, indictione ſexta, Mediolanenſes Conſules Laudem venerunt, & *fodrum* ipſis Laudenſibus petierunt: minantes eis, quod niſi darent, ipſos in publicum bannum ponerent, & inſuper accuſantes de terra ejicerent ſine ſpe aliqua redeundi. Laudenſes autem eorum bannum & minas valde timentes, ac eorum adventum ac malam voluntatem ſcientes, adeo perterriti ſunt, quod ſtatim plures eorum de Laude recedentes, per diverſas terras poſtea ſunt vagati. Qui autem ibi remanſerunt, quamvis dolentes nimium, quia veteres & nobiles Lombardiæ cives ſe exiſtimabant: eis ipſum *fodrum* denegare Mediolanenſium timore non ſunt auſi. Quod ſi qui fortè dare recuſarent, eorum domus intrantes, ipſos expoliabant, auferentes inde omnem mobiliam, quam poterant, & vinum ipſorum per terram effundentes, eos de terra penitus ejiciebant. His itaque ſic peractis, Mediolani Conſules iterum anno M. C. L. VIII. menſe Januarii Laudam venientes dixerunt ipſis Laudenſibus, quatenus omnes eorum à quindecim annis ſupra usque ad centum, absque ullo timore jurarent ſtare ſub ipſis, & eorum præcepta omnia obſervare. Laudenſes vero inde maximo timore perterriti, cognoſcentes, illos occaſiones adverſum eos quærere, quibus ab eorum amicitia poſſent ſine ignominia recedere, eosque de terra ſua ejicere, ac ipſos bonis ſuis expoliare, quaſi, exanimes ſunt effecti. Tandem dixerunt eis, ſe ſuper hoc velle habere conſilium cum ſapientibus de Laude, & eis cum ipſorum conſilio reſpondere. Cumque Laudenſes ſuper hoc conſilium habuiſſent, Conſulibus Mediolanenſibus reſpondêre, ſe velle jurare, ſtare præceptis eorum, & quæcunque ſibi præciperent, obſervare: *ſalva* tantummodo *fidelitate Domini Federici Imperatoris*, quam ei jamdudum fecerunt, ipſorum Mediolanenſium *parabola* & conſenſu. Mediolanenſes autem prædictum Sacramentum cum illa conditione, ſcilicet, *ſalua Imperatoris fidelitate*, recipere nullatenus voluerunt: Sed graviter eis minantes dixerunt, quod niſi ipſum Sacramentum absque ullo tenore facerent, eos in bannum publicè ponerent, ac eos de terra ejicerent, & omnia ſua bona eis auferrent. His autem dictis Mediolanum ſunt reverſi. Conſules itaque Laudenſes, accipientes dictum *Lanfrancum, Laudenſem Epiſcopum*, & alterum Dominum Lanfrancum Eccleſiæ Majoris Præpoſitum, & alios omnes Præpoſitos & Abbates & Presbyteros de Laude, una pluribus ſexaginta ſapientibus de Laude, nec non & Dominum Abbatem Claravallenſem, & Dominum Abbatem de Cereto, & Dominum Albertum de Pontia Priorem, cum D. tunc temporis de Climea, venere Mediolanum cum eis. Quibus omnibus exiſtentibus in Palatio Domini *Vberti de Pirovano, Mediolanenſis Archiepiſcopi*, prædicti Laudenſes tam Clerici quam laici ſe pedibus dicti Archiepiſcopi & omnium Conſulum Mediolani, ac quam plurimorum aliorum Mediolanenſium civium, tam majorum quam minorum, flendo amariſſimè proſtraverunt; deprecantes eos omnes ſuppliciter, quatenus ipſos non cogerent perjurare, dicentes & promittentes, ſe animo paratos eſſe ſtare & obedire omnibus eorum præceptis, dum tamen perjurium non committant; & recordantes eis, quo modo, ſicut bene ſciebant, ipſi Laudenſes Imperatori fidelitatem juraverant, requiſita prius ab eis de hoc licentia & conceſſa. Dicebant, quod ſi ipſi prædictum juramentum facerent, & Imperatoris fidelitatem, quam prius juraverant, non anteponerent, ipſi dejerarent, & poſtea interfecti, & omnia bona ſua perdere mererentur. Archiepiſcopus itaque & Epiſcopus Laudenſis unà cum prædicto Abbate de Claravalle, & Priore de Pontia, & Domino de Climea omnes unanimiter rogaverunt, & admonuerunt prædictos Mediolanenſes, quatenus ab infeſtatione Laudenſium ceſſarent; & quod eis volebant facere, libenter acciperent, quia ſibi ſufficiens videbatur. Sed neque preces, vel lacrymæ aliquid profuerunt. Quare prædicti Laudenſes cognoſcentes, quod ſic apud ipſos Mediolanenſes nihil proficerent, Laudam cum magno dolore reverſi ſunt.

Interim *duo Cardinales Romanæ ſedis Legati*, videlicet *D. Arditio Rinoltella* & *D. Otho de Brixia* Laudem venerunt. Ad quorum pedes proſtrati Laudenſes eos valde deprecati ſunt, quatenus Mediolanenſes rogarent, ne ipſos cogerent ad prædictum periurium faciendum: recitantes eis ea, quæ ipſi Mediolanenſes ab eis requirebant, & quæ eis facere volebant, & cauſam, quare prædictum Sacramentum eo modo, quo petebant, facere recuſabant. Cardinales autem miſericordia moti audientes ea, quæ ſibi Laudenſes de Mediolanenſibus retulerunt, & per nimis gravia reputantes ea, quæ Mediolanenſes à Laudenſibus ſibi fieri requirebant, ſpecialiter perjurium ſuum indecens & iniquum, promiſſerunt eis; quod quam cito Mediolani, quo tendebant, eſſent, ſtatim pro eis ipſos Mediolanenſes precarentur, quantum poſſent. Qui ſi eorum precibus obtemperare nollent, ex parte omnipotentis Dei & D. P. P. ipſis præciperent, quod ipſos Laudenſes aliquatenus non compellerent ad hujusmodi perjurium faciendum, ſed pacificè reciperent illud Sacramentum à Laudenſibus eo modo, quo facere valebant; quia hoc eis non ſatis ſolum eſſe, ſed ſuperfluum videbatur; cum Laudenſes Mediolanenſibus non aliter, quam per violentiam ſubpoſiti dignoſcantur. Poſt hæc cum Cardinales Mediolanum perveniſſent, ipſos Mediolanenſes deprecati fuerunt, quatenus Laudenſes prædictum

dictum perjurium facere non compellerentur: cum hoc non possent facere absque Dei offensa gravi, & ipsorum tam personarum quam rerum omnium periculo vehementi: sed potius ab eis pacifice reciperent, quod eisdem de jure facere poterant & volebant. Mediolanenses vero nec Cardinalium preces exaudire volentes, illud se nolle Laudensibus facere responderunt. Quare ipsi Cardinales eisdem Mediolanensibus ex parte Dei & Apostolicæ Sedis publice præceperunt, ne Laudensibus ex tam prava & iniqua occasione bona sua auferrent, nec quicquam mali eis inferre deberent: & his dictis à Mediolano, tamen post multum temporis, recesserunt. Mediolanenses vero, donec Cardinales prope Laudam vel Mediolanum fuere, præcepta ipsorum, quæ sibi de Laudensibus fecerunt, optimè servaverunt. Cum autem Cardinales inde longe recessissent, Mediolanenses statim in sequenti proximo die Martis sancto, in quo etiam pravi homines à malis operibus solent desistere, omnes Laudenses posuerunt in bannum, nisi ab ipso die Martis sancti usque ad proximum diem Jovis post Pascha juravissent omnes simpliciter, nulla conditione interposita, suis præceptis omnibus obedire. Laudenses vero hoc audito, cum illud juramentum non vellent aliquatenus facere: quid dicerent quidve agerent, penitus ignorabant. Sciebant enim, quod, nisi illud facerent, Mediolanenses eos de terra expellerent, & eorum bona omnia raperent festinanter. Denique, cum undique sibi adessent tristitiæ, nec in hoc scirent, quomodo se haberent, ad Deum mœstorum verum Consilium recurrerunt. Quare ipsum omnipotentem Deum magis, quam Mediolanenses timentes, ac eum omnibus suis personis ac rebus præponentes; noluerunt aliquatenus facere illud nefandissimum Sacramentum. Proximo itaque die Mercurii post Pascha Mediolanenses, non expectato prædicto die Jovis, in quo erat terminus banni, cum plaustris, bobus atque sacculis Laudem venerunt, & violenter Laudensium domos, ipsis præsentibus & videntibus ac contradicere non audentibus, sed magis dolore morientibus intrantes, equis *bladum* atque vinum, omnemque aliam eorum mobiliam abstulere, absque aliqua ratione. Insuper etiam graviter eis minati sunt, summa adjuratione firmantes, quod si ipsi ibi morarentur, immo non cito ab eorum conspectu recederent, eos omnes tam masculos quam fœminas, & etiam parvulos, adhuc in cunabulis jacentes, absque dubio interficerent. Laudenses vero hæc audientes, & scientes ipsorum corda adversus se graviter indurata, timentes carcerem, &, quod deterius est, mortem, quam minabantur: proposuerunt sibi animas & corpora magis, quam divitias conservare.

In sequenti die Jovis proximo, qui fuit MCLVIII. ab Incarnatione Domini, cum Sol jam ad occasum esset, omnes Laudenses masculi & fœminæ, tam magni quam parvi, relictis eorum domibus & omnibus aliis suis rebus, januas suarum domorum claudentes, solis canibus ac gattis ibi relictis, ad *Pizigbitonis Castrum*, quod est inter *Abduam* & *Serium*, per totam noctem unanimiter fugerunt. Sed qui tunc vidissent mulieres parvulorum suorum alium in collo, alium in brachiis suis deferentes; aliosque ad *gaydes* vestium suarum se tenentes, cæterosque post eas ire lugentes, ipsas etiam sæpissime cum ipsis infantulis in fossata cadentes, grandesque capitaneos ac eorum uxores, qui non habentes equos peditabant, prout melius poterant, multique ex ipsis in fossata cadebant cum uxoribus suis, vociferantes, quia nox erat, & etiam pluebat: haud quisquam tam lætus esse posset, quin pietate motus mœstus inde non esset, & lacrymas non fuisset *, compassione ductus. Cum ergo ad *Pizigbitonem* venissent, non habentes ibi domos nec alia receptacula, in quibus recipi possent, quia locus ille parvus erat ad multitudinem recipiendam: tres familiæ aut quatuor in una parvula domo ibi simul hospitabantur, atque ibi ita districte habitabant, quod fere unus super alium jacebant. Ex hoc itaque tali districto, & ex molitione terræ, quam mutaverant, quoniam æstas tunc erat: tum etiam ex ciborum mutatione & maxime propter aquam, quam ipsi fere omnes bibebant quotidie, cum non aquam, sed bonum vinum soliti fuissent bibere: maxima ipsorum multitudo tam fœminarum quam masculorum, & specialiter parvulorum sic moriebantur, quod fere in tota die non poterant sepeliri. Sicque factum est, quod terra non inveniretur apud Ecclesiam ipsius loci ad sepeliendum tot cadavera mortuorum. Immo ex hac parte *Abdua* apud Sanctum Petrum de Pirolo sepeliendi mortui ferebantur. Multi autem hoc videntes, quia ibi manere non poterant, *Cremonam* processerunt, ubi eorum quam plures infirmati cum magno dolore de hoc seculo migraverunt. *Mediolanenses* itaque in ipso die Jovis, quo Laudenses à Laude, ut dictum est, recesserunt, Laudam venerunt, & primo omnia suburbia spoliantes in ipsa nocte & in sequentibus duobus diebus, totam succenderunt. Postea ipsas domos diripuerunt, vites quoque & arbores Laudensium inciderunt, hominesque Laudenses, qui adhuc ibi remanserant, capientes eos in carcerem deduxerunt. Præterea in hac eadem æstate Mediolanenses iterum Laudam redeuntes, totam eorum segetem in Laude, & per totam etiam fere Lodesanam

(*) Leg. *fudisset*.

nam ad suam voluntatem collegerunt. Deinde turres de Montessello & turrem de Castellione, turremque de sancto Vito, & turrem de Camairago diripuerunt. Venientibus postremò ipsis Mediolanensibus in campos supra *costam* de Cava curta, obviam eis iverunt cum vexillis & aliis insignibus levatis; usque ad campos de Salua terra Laudenses, qui ad Pizighitonem fugerunt una cum ipsis de Pizighitone, & cum forte triginta equitibus Cremonensibus. Mediolanensibus igitur & Laudensibus in aperto campo morantibus, & bene se ad invicem prospicientibus, nullo nemore nullisque vitibus, nullo etiam fossato aut *costa*, nullis arboribus inter utramque partem existentibus: quamvis Laudenses multo pauciores essent, Mediolanenses tamen eos invadere tunc aliquatenus non sunt ausi, sed cum magno timore ad eorum castra, quæ erant ad Castillionum, rediere: deinde Mediolanum reversi sunt. Hac eadem æstate, quæ fuit in MCLVIII in mense Julii, venit Dominus *Federicus Imperator una cum Rege Boëmiæ*, maxima multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum & Comitum aliorumque Principum plurium, cum maximo & innumerabili exercitu in *Lombardiam*. Qui cum venisset, & appropinquasset *Brixiæ*, & nullum detrimentum Brixiensibus facere decrevisset, nec fecisset; nisi forte, quod ipsorum scutiferi * consuevit, nec levius aliud esse potest: Brixienses pecunia magis qua amore Mediolanensium - - - - - - - - super scutiferos *Regis Bohemiæ*, qui prius, quam Imperaror, venerant, irruentes, equos ipsorum abstulerunt pluresque interfecerunt: alii vulnerati, pluribus semivivis relictis, fugerunt. Quod cum audisset Rex Bohemiæ, valde ira commotus est; ac deinde cœpit ipse & omnis ejus exercitus, qui magnus nimis erat, totum Episcopatum Brixiæ, quantum poterat, devastare. Interea Imperator cum maximo ejus exercitu ibi in Brixiensi Episcopatu cum ipso Rege Bohemiæ hospitatus est, qui ibi per quindecim dies morantes multas villas, multaque castra, innumeraque Brixiensium loca dissipaverunt atque igne cremaverunt; infinita etiam Brixiensibus usque prope ipsam civitatem abstulerunt. Tunc vero Brixienses maximo timore perterriti, ac etiam, ne caperentur aut penitus dissiparentur, valde dubitantes, statim cum Imperatore pactum ** inientes, quod tunc optavit Imperator, fecerunt.

Inde itaque Imperator discedens, *Mediolanumque* se velle ire disponens; cum ad pontem, qui dicitur de Cassiano, qui super Abduæ flumen positus erat, pervenisset, indeque per eum pertransire vellet, quamplures Mediolanenses una cum multis villanis ex alia parte ipsius fluminis super ripam fuerunt Imperatori obviam, ei per ipsum pontem transitum prohibentes. Imperator autem & omnis ejus exercitus hoc prospiciens, ac nesciens, qua parte posset tunc dictum flumen transire, valde condoluit. *Bohemienses* vero una cum Theutonicorum parte deorsum à ponte juxta ipsum deambulantes, tamdiu perrexerunt, quousque venerunt ad quendam locum, ubi aqua ita eis videbatur parva, quod satis inde ipsum flumen transire per ipsam aquam putaverunt. Cum autem illuc pervenissent, ubi aqua eis tam parva videbatur, statim in eam, ac si nulla ibi tunc esset aqua, se projecerunt; unde multi eorum cum equis & aliis armis in ipsa aqua perierunt, alii vero ex alia fluminis parte foras exeuntes versus Mediolanum ire cœperunt cum vexillis levatis. *Mediolanenses* igitur, ut eos ultra flumen transire & convenire à longe prospexerunt, statim terga vertentes ire cœperunt versus Mediolanum, ponte turpiter derelicto. *Imperator* vero ac *Bohemiæ Rex*, omnisque eorum exercitus, dum per pontem transirent, & jam maxima pars exercitus esset ultra pontem ipsum, totusque adhuc pons ab una parte usque ad alteram hominibns & equis onustus esset: valde tunc fracta quadam parte pontis, omnes, qui super ipsum pontem erant, milites scutiferi atque equi, intra ipsum flumen Abduæ ceciderunt; quorum ibi multis periclitantibus, alii, prout melius potuerunt, foras exeuntes una cum Imperatore ac Rege Bohemiæ, & his, qui pontem jam transierant Mediolanenses sunt acriter persecuti. Deinde multos ex villanis, qui cum Mediolanensibus fuerunt, nec non & plurimos ipsorum Mediolanensium occiderunt, & Alcherium de vico mercato, Ardivi Vice-comitem, Robo castrum & Monacum de Abonis, & Frincherium Basabelletam, aliosque quam plurimos Mediolanenses capientes, omnes alios fugaverunt. Mediolanenses itaque, quia Imperatori transitum Abduæ se leviter probibere posse putabant; posteaque Imperatorem & ejus exercitum Abduam tali virtute pertransisse cognoverunt, & suos sic esse interfectos, captos atque fugatos audierunt, valde timuerunt. Sed Imperator cum omni suo exercitu ad *Castrum Trecii* ambulavit, atque illud graviter expugnans devicit ipsum & cepit, suosque Theutonicos milites in ipso castro custodiendo posuit. Deinde Imperator die Jovis, quæ tunc fuit pridie Calendas Augusti, ad *Lambrum* in prato de *Castiraglia* veniens, ibi castrametatus est. Tenuerunt autem castra ejus spissa ab utraque parte Lambri a *Castringa* usque ad *Salevanum*.

Laudenses

* Locus corruptus. In cod. Med. notante Osio ita legitur: *nisi forte, quod ipsorum scutiferi aliquid causa comedendi rusticis eorum auferebant, sicut in exercitibus fieri consuevit.* ** ineuntes.

Laudenses itaque cum civibus illuc ante Imperatorem venientes, pedibusque suis se projicientes, rationem de Mediolanensibus, qui eos de propriis laribus expulerant, omniaque ipsorum bona abstulerant, ab ipso Imperatore quæsierunt; petierunt insuper etiam ab eo, ut amore Dei & honore totius sui Imperii locum eis tribueret, in quo possent ipsi Laudenses ad ejus totius Imperii honorem & servitium permanere. Qui hoc totum se libenter velle facere promittens, interrogavit eos, in quo loco morari, aut quem locum sibi dari vellent? Laudenses vero, sibi dari velle Montem Ghezonem responderunt. Imperator autem sic respondens ait: in crastina die post prandium illuc cum Principibus meis veniam, locumque vobiscum videbo; & si aptus mihi esse videbitur, ipsum libentissime vobis tribuam. Laudenses hoc audientes magno gaudio ad eorum hospitia reversi, sperantes, ab eo adhuc posse majora servitia impetrari.

Postera vero die, quæ fuit Dominica, & tertia dies Augusti in festo Sancti Gaudentii, & in inventione Sancti Stephani Protomartyris, & quæ fuit anno MCLVIII. ascendit *Dominus Federicus Imperator* equum suum una cum pluribus ex Principibus suis, insimul etiam & cum Laudensibus militibus & peditibus, omnesque in montem Ghezonem perrexerunt. Cum vero super ipsum montem essent, & cum undique conspicerent: quoddam divinum miraculum tunc accidit ibi. Nam tunc, cum Imperator montem ipsum ascendisset, & in cœlo aëris magna serenitas appareret, subito in uno oculi momento fortiter pluere cœpit, quod pro omine bono est acceptum ab omnibus. Pluvia vero recedente, Imperator cum quodam vexillo Consules Laudenses, qui tunc præerant, videlicet *Kosmum Morenam* & *Archembaldum de Summaripa* & *Loterium de Abonis*, aliosque eorum socios de terra, in qua nunc ædificata est *civitas nova*, ipsa Laudenses ad proprium investivit. Fueruntque termini ipsius civitatis sic constituti, videlicet *Acosta*, quæ dicitur nunc St. *Vincentii* ab Abdua usque ibi, ubi inceptum est fossatum parte imperiali supra paludem, & ab ipsa palude sicut vadit dictum fossatum usque in aliam paludem, quæ est versus Sylvam Græcam supra costam ipsius paludis, & etiam sicut vadit fossatum a costa Palatii Imperatoris usque ad flumen Abduæ versus mane. Hoc itaque sic peracto Imperator & Laudenses cum magno gaudio ad castra sua remeaverunt.

Sequenti autem die Martis, cum Imperator jam castra sua posuisset ultra flumen *Vitabia*, ab ipso flumine usque ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Vgino per totos campos ab utraque parte viæ, quæ vadit Mediolanum, inverunt Theutonici invadere civitatem Mediolani fere usque ad *Casinam Tomadi*. Mediolanenses vero foris exierunt, præliumque cum eis commiserunt, in quo plures ab utraque parte capti, pluresque interfecti fuerunt. Postea sequenti die Mercurii, quæ fuit anno MCLVIII. indictione sexta, & quæ fuit tunc sexta die Mensis Augusti, equitavit *Dominus Federicus Imperator una cum Rege Bohemiæ, Cremonensibus* atque *Papiensibus*, nec non & *Laudensibus* aliorumque Principum maxima multitudine, ac super Mediolanum castrametatus fuit. Itaque ipso die Mercurii ipsemet Dominus Imperator apud Ecclesiam, quæ dicitur Omnes Sancti, quæ est Ecclesia templi, & extat ipsa Ecclesia in capite Brolii juxta ipsum Brolium: Rex vero Bohemiæ intra Monasterium Sancti Dionysii hospitatus est. Cæteri autem Principes ab ipso Sancto Dionysio usque ad Pusterlam Sanctæ Euphemiæ juxta Mediolanum hospitati sunt. Tunc autem Mediolanenses armaverunt turrem, quæ dicebatur Arcus Romanus, quæ valde erat magna, & ad videndum mira, & quæ ædificata erat in capite Burgi portæ Romanæ: super quam ipsi Mediolanenses ascenderunt, & eam ferè per octo dies ab exercitu Imperatoris defenderunt. Theutonici vero eam tota die expugnantes cum malleis & securibus sub aream ipsius turris maxima vi intraverunt, & eam firmiter dissipabant. Hi vero qui super ipsam turrim erant, videntes, eam funditus destrui, nec amplius se defendere valentes: valde etiam timentes, ne in terram cum ipsa turri * - - - - - - nec eis Mediolanenses darent nec dare auderent aliquod subsidium, Imperatori se continuo tradidere. Deinde Imperator Mediolanenses de ipsa turri descendere, suosque ascendere jussit, scalasque ad ipsam turrim fecit apponi; posteaque super eam fabricari fecit quandam optimam *petreriam*, quæ intra portam, quæ propè Ecclesiam Sancti Nazarii fabricata erat, lapides maximos jactabat. Ipsi equidem Mediolanenses duas petrerias alias intra ipsam portam habentes, quandoque super ipsam turrim, quandoque etiam satis ultro projiciebant. Interea quodam die Mediolanenses per Pusterlam per medium Sanctum Dionysium foras prosilientes, Bohemienses acriter invaserunt: qui cum aliis Theutonicis & Papiensibus, & qui ex ea parte similiter erant hospitati, contra Mediolanenses armati viriliter exeuntes, sic eos expugnaverunt, quod *Ghirardum Vicecomitem*, & *Azonem de Mandello*, duos nobilissimos Mediolani Capitaneos, aliosque etiam complures ex illis interfecerunt, plurimosque vivos captivos in castra deduxerunt: reliquos vero usque ad portam, per quam exierant, virtute magna fugaverunt. Postea alio die quodam Mediolanenses per Pusterlam, quæ dici-

* Explenda fortè est lacuna: *deciderent, cum.*

tur Porta Tonsa ad præliandum exierunt; quibus Theutonici una cum Cremonensibus & Laudensibus obviam iverunt. Maximo igitur prælio incepto, multisque ab utraque parte interfectis, pluribusque etiam captis, tandem Mediolanenses resistere non valentes, terga verterunt; super quos Theutonici, & Cremonenses atque Laudenses acriter irruentes, magnamque multitudinem ipsorum capientes, magno robore usque intra dictam Pusterlam de Porta Tonsa omnes reliquos fugaverunt. Plerique etiam ex ipsis etiam ultra fossatum intus per ipsam portam pugnando maxima vi intravere: sed ibi stare non valentes, foras redierunt. Mediolanenses itaque tunc fugientes, cum præ multitudine fugientium per ipsam portam redire non possent, ipsorum plurimi in fossatum ab utraque parte pontis, uno super alium cadente, præcipitaverunt: quorum plures in aquam ipsius fossati usque ad colla repentes ab his, qui super ipsum fossatum erant, adjuvabantur, & intro trahebantur. Alio quodam die Mediolanenses exierunt armati per portam, quæ erat per medium arcum Romanum, quo cognito Theutonici cum Laudensibus statim obviam eis fuere, maximumque prælium cum eis inierunt: in quo quidem prælio multi Laudenses, videlicet Joannes Tudesis & Petrasius de Pusterla, & alii quam plures usque ad mortem vulnerati fuere: etiam qui dicebatur Bononus Laudensis, in ipso prælio vulneratus, paulo post obiit. Postea quodam alio die Dominus Imperator cum maxima parte exercitus circa Mediolanum pergens, omnes segetes, quas invenit, devastavit, vites & arbores succidit, domos combussit, molendina destruxit. Mediolanenses itaque hoc totum videntes exire ultra fossatum non sunt ausi. Milites vero Imperatoris ejusque Principum, & eorum scutiferi per *comitatum Mediolani*, seu per *Martesanam* & *Seprium* euntes, omnia castra, omnesque villas & Burgos expoliaverunt, & postea comburentes penitus destruxerunt. Vnde fere totam terram Mediolanensium ita ceperunt ac devastaverunt, quod pauca loca Mediolanenses habebant, quæ omnia vel destructa vel devastata non forent. Mediolanenses itaque videntes, totam eorum terram destrui: scientes etiam, se non posse defendere, timentesque insuper, ne Imperator ab obsidione discederet, donec ipsos caperet: cum ipso Imperatore pepigerunt, ac se in ejus manibus ponentes, ei de suis præceptis observandis plures ducentis obsidibus tradiderunt. Post hæc itaque ab obsidione discedens, ibique de suis relinquens, qui fidelitatem à Mediolanensibus exigerent & reciperent: *Modœtiam* perrexit, ibique militibus de Martesana & Seprio convenientibus, & pactum cum ipso inientibus, omnibusque sibi fidelitatem facientibus, eos in sua tuitione suscepit.

Interea Dominus Federicus in *Roncalia colloquium*, in Sancto Martino proximo veniente, maximum se constituit habiturum, præcepitque omnibus ferè Italiæ Principibus atque civitatum Consulibus, ut ipsi colloquio interessent: ad quod etiam *quatuor principales legis doctores*, videlicet *DD. Bulgarum* atque *Martinum Grosiam*, *Jacobum* atque *Vgonem de porta Ravegnana*, *Bononiæ magistros*, interesse fecit. Istorum autem quatuor Doctorum & quam plurimorum aliorum fuit Magister Dominus *Gvarnerius doctor antiquus*. Ad quem cum in extremis laboraret, accesserunt sui scolares dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram doctorem nobis constituere? Quibus ipse respondit per hæc duo carmina:

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Mons legum est Vgo, Jacobus id, quod ego.

Et sic dictus *Jacobus* fuit *Doctor*. Post ista cum Dominus Imperator semel equitaret super quodam suo Palafreno in medio DD. Bulgari & Martini, exquisivit ab eis, utrum de jure esset *Dominus Mundi*? & dictus *Dominus Bulgarus* respondit, *quod non erat Dominus quantum ad proprietatem; Dominus* verò Martinus dixit, *quod erat Dominus*, & tunc Imperator, cum descendisset de Palafreno, super quo sedebat, fecit eum præsentari dicto Martino. Bulgarus autem hoc audiens dixit hæc elegantia verba: *Amisi equum, qui dixi æquum, quod non fuit æquum.* Omnes prædicti convenerant ad colloquium nono Calend. Decembris ultra *Padum* propè Ecclesiam Sancti Petri de Conturbia M C LVIII. indictione septima. Cum autem Dominus Imperator, universique Principes ac civitatum Consules ibi insimul convenissent: in primis vocavit Imperator omnes prædictos *Bononienses Magistros* jussitque eis, quod ipsi *judicarent sibi in veritate* omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent, & sua esse deberent. Qui respondentes Imperatori dixerunt, se hoc nolle facere sine consilio aliorum judicum universarum Lombardiæ civitatum ibi tunc existentium. Imperator itaque duos uniuscujusque civitatis Lombardiæ judices elegit, jussitque eis, quod ipsi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ Magistris ad consilium irent, omniaque jura regalia, quæcunque essent, diligenter investigarent, & cum à consilio recederent, sub nomine fidelitatis, quam sibi juraverant, & ea omnia recto tramite, prout melius possent, publice demonstrarent

rent. Ipsi autem judices cum XXVIII. exceptis Bononiæ magistris statim, ut Imperator jusserat, ad Consilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter se diligentius contulerunt. Qui postmodum ad Imperatorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibusque Civitatum Lombardiæ Consulibus *narraverunt in scriptis omnia jura, quæ ei jure regali noverant pertinere.* Hoc autem sic peracto D. *Vbertus Mediolanensis Archiepiscopus*, unà cum *Consulibus Mediolani, omnesque alii præsentes Lombardiæ Episcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ Civitatum Consules ibi astantes, publice in colloquio ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris omnia, quæ prædicti judices jura regalia esse dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipsis omnibus fecerunt:* statimque Imperatore eis omnibus *sub nomine fidelitatis* firmiter præcipiente, ne ipsi amplius de ipsis rebus intromitterent, omnes, unusquisque tamen per se, amplius se de ipsis rebus non intromissuros unanimiter spoponderunt. Insuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter se & cum omnibus aliis personis deinceps se firmiter *tenere juraverunt*, & *promiserunt ponere signum Aquilæ super Campanile Ecclesiæ majoris in signum fidelitatis*: ac etiam, quod Mediolanenses liberarent centum nonaginta Papienses, quos habebant carceratos. Vltra hoc Mediolanenses privavere se de multis rationibus & dignitatibus obtentis à diversis Pontificibus & Imperatoribus, ac etiam præcepit eis Imperator, ut servarent pacem perpetuam suis vicinis. Tamen hoc *Mediolanenses* atque Cremonenses paucioribus septem mensibus servaverunt: immo ante hoc spatium Laudenses, cum nullum adhuc illis malum intulissent, invadentes pacem ipsam violavere. Deinde Mediolanenses atque Cremonenses, Papienses quoque ac Placentini de stando & per omnia attendendo ipsius Imperatoris præcepto ei tunc multos obsides tradiderunt, ibique *Imperator multas leges, quas fecerat, in scriptis redigi fecit*, multaque etiam præcepta hortatu suorum Principum custodiri præcepit. His itaque peractis, cum Imperator omnia se benè peregisse, & Imperium suum, sicut se decebat, in pace quieta obtinere putaret, quamvis in contrarium sibi paulo post contigerit, de Roncalia tandem discessit.

Sequenti vero Januarii mense, qui fuit MCLIX. Indictione septima præcepit *Dominus Imperator Placentinis*, quod ipsi omnes turres, quas in eorum civitate habebant, à viginti brachiis supra, destruerent, atque omnia fossata, quæ pro se defendendo ab eo fecerant, penitus devastarent, & deinceps quamvis eum nimis graviter offendissent, in sua bona voluntate & quieta pace, remissis omnibus offensis, viverent & manerent. Placentini autem hoc audientes, quamvis mœstissimi, tamen fossata explanare & turres destruere cœperunt: sed fraudolenta tenti occasione, ut ad id pervenirent, quod ex post facto apparuit, non perfecerunt. Eodem mense Januarii Dominus Imperator Legatos suos mittit *Cremam*, qui ex parte sua Cremensibus præciperent, quod muros & fossata castri Cremæ ab die usque *ad Sanctam Mariam*, quæ dicitur *Cerealis*, destruerent. Ipsi vero Cremenses hoc audientes & in magnum dedecus accipientes, super ipsos Legatos fortiter irruerunt, & eos interficere volebant. Sed ipsi fugientes, & se abscondentes, vix evadere potuerunt. Quod cum evenisset, valdè tristes ad Imperatorem redierunt, renunciantes ea, quæ sibi Cremenses fecerant. Imperator verò ut hoc audivit, quamvis mœstus inde foret, in pace tamen substinuit. Ipso etiam tempore, cum *Imperator Papiæ* primùm, deinde Placentiæ atque *Cremonæ*, atque etiam *Laudæ* suos *Potestates* de civibus ipsarummet civitatum *constituisset*: *Rainaldum Cancellarium suum*, & Otthonem Falgigranam (*) misit Mediolanum, jussitque eis, quatenus ibi de civibus Mediolani, sicut in prædictis aliis civitatibus jam fecerat, *suos Potestates crearent*. Omnes enim Lombardiæ civitates tunc temporis regebantur à consulibus sumptis de civibus ipsarum civitatum. Mediolanenses itaque eos videntes, & quid agere vellent, cognoscentes, maximo rumore statim inter eos habito, super eos irruerunt, & quosdam equos eis abstulerunt, ipsosque interficere minati sunt. Sed januis palatii, super quod erant, clausis vix evaserunt. Sequenti vero nocte Falgigranus privatim exiens de ipsa civitate, fugiit. Cancellarius vero, quamvis usque ad diem stetisset, tamen & ipse nihil proficere valens, de Mediolano recessit........ (**) Imperatorem rediissent, & ei, quid eis acciderat, retulissent, Imperator quasi vilipenderet, & pro nihilo hoc haberet, tacuit. *Mediolanenses* itaque nequitiam suam compescere non valentes, in primo die Sabbati, quæ fuit post Pascha resurrectionis Domini anno MCLVIII. cum Dominus Imperator nullum malum fecisset Mediolanensibus, postquam pacem fecerant cum eis, ad *Castrum Tercii* perrexerunt, ibique illud obsidentes, ligneumque Castellum atque petrerios ibidem levantes & graviter

(*) *Falcigranum* sive *Falcigravium* alibi vocat i. e. Palatinum Comitem. (**) Desunt hæc verba: *Hi cum ad.*

ipsum expugnantes, plures homines interfecerunt. In sequenti vero die ipsum castrum ceperunt, & illud totum expoliantes, maximamque pecuniam, quam in eo Imperator cumulaverat, auferentes, totum castellum ipsiusque murum destruentes, omnes Theutonicos, quos in ipso castro Imperator pro ipso custodiendo posuerat, qui plures ducentis erant, & una cum *Rotogeriis* aliisque villanis, qui in ipso castro morabantur, captos & ligatos turpiter deduxerunt, & reversi Mediolanum omnes in carcerem posuerunt.

Imperator itaque hoc audiens, quamvis de pace sibi facta, ac de suo castro diruto, suisque hominibus captis & in carcerem absque ulla ratione ab his, qui fidelitatem ei jurarant, positis valdè condoleret: tamen nec propter hoc super eos insurgere adhuc, nec aliquid malum eis inferre curavit. Interea Imperator *Laudam* veniens, cum castrum Tercii captum esse audivit, Bononiam reversus est. In sequenti verò Paschate Pentecostes, quod fuit tunc vigesimo septimo Maji, Indictione septima, *equites Mediolani* primo *Laudam* post pacem factam invaserunt: sed Domino nostro JEsu Christo anxietatem Laudensium misericorditer præcavente, & ipsis in tam præclara jucundaque festivitate malum injustè & sine ulla ratione fieri non ignorante, Laudenses sunt de manibus Mediolanensium liberati. Nam tunc Laudensium equites, foras audacter prosilientes, & cum Mediolanensibus acriter pugnantes, ac ipsos in campo, Dei magis quam eorum virtute, maximo robore devincentes, quatuordecim de ipsis Mediolanensibus vivos ceperunt: duos verò ex eis, scilicet Arnaldum Cagatosicum equitem nobilem & fortissimum & quendam alium interfecerunt. Reliquos autem, plures quinque millibus, viriliter fugaverunt, & de equis plures quindecim habentes, domum cum magno gaudio sunt reversi. Qui statim ad Imperatorem Legatum direxere, qui ei omnia, quæ eis acciderant, per ordinem enarravit. Imperator vero & tota ejus curia audientes, & quæ libenter audire cupiebant, ipsos Laudenses magnos & mirabiles equites esse dicentes, ipsa verba alacriter receperunt, ipsosque Laudenses valdè commendaverunt. Post hæc verò *D. Imperator* non multum moratus *Laudam* venit; ipsosque Laudenses in concione publica valdè ac valdè laudavit, ac eis magnas gratias de eo, quod ipsi tam malè Mediolanenses tractaverunt, retulit. Laudenses vero omnes Mediolanenses, quos ceperunt, equites, ipsi Imperatori repræsentaverunt. Imperator vero ipsos omnes Papiam in carcerem deduxit.

Postea autem die Jovis, qui fuit undecimo sequentis proximi mensis Junii, & in quo fuit festum sancti Barnabæ Apostoli, *Mediolanenses* civitatem Laudæ fraudulenter ac sub dolo capere se putantes, fecerunt Cremenses ab alia parte Abduæ, quæ est versus Cremam ad pontem, qui tunc levabatur, sed nondum erat completus, invadere prius Laudenses, ut ipsi Mediolanenses, Laudensibus omnibus propter timorem pontis illuc concurrentibus, ab alia parte, quæ est versus Mediolanum, venientes, antequam Laudenses, qui ultra Abduam cum Cremensibus pugnarent, illi parti, in qua Mediolanenses essent, occurrere possent, leviter civitatem intrarent. Quæ res licet nefaria esset, tamen de invasione sicut tractaverant, ita ad finem perduxerunt. Laudenses vero se ab utraque parte viriliter defendentes, filium Vasalli de porta Cumana in loco, qui vocabatur in Sylva græca, qui ipse ex illa parte prosilierat, interfecerunt. Ex Cremensibus autem multos vulneraverunt. Ipsi autem Cremenses multos ex Laudensibus, qui fortiter pontem defendebant, sauciaverunt. Sed cum à mane usque ad meridiem acriter ab utraque parte pugnatum esset, Mediolanenses atque Cremenses, se ex hoc, quod optabant, nihil proficere posse videntes, & civitatem, quam leviter se posse capere putabant, in aliquo lædere se non posse cernentes, a prælio discesserunt, & mœsti quam nimis, ac graviter dolentes domos eorum sunt reversi.

Postea autem die Jovis, quæ fuit septimo die sequentis proximi mensis Julii, iverunt *Cremonenses* ad obsidionem circa castrum Cremæ absque Imperatore. Post octo autem dies *Imperator* cum omni exercitu suo ad ipsam *Cremam* obsidendam perrexit. Interea die Lunæ, in quo fuit festivitas sanctæ Margaritæ, & fuit undecima die ejusdem mensis Julii, venit *Imperator* à castro Cremæ ad *civitatem Laudæ*, cum Sol jam esset ad occasum, cum pluribus trecentis suis militibus Theutonicis. Qui cum illuc pervenissent, per totam sequentem noctem cum ipsis his militibus & Laudensibus equitibus versus *Landrianum* equitavit. Mandavit autem tunc ipse *Imperator* Papiensibus, quatenus centum de suis militibus Mediolanum, quam propinquius possent, acriter invaderent: alii vero Papienses omnes equites in abscondito loco se ponerent. Illis vero, qui Mediolanum debebant invadere, jussit, ut cum jam ipsi reverterentur, & Mediolanenses fortiter persequerentur; quod ipsi redirent per illam viam, in qua ipse Imperator cum Theutonicis suis una cum Laudensibus atque Papiensibus esset absconditus. Papienses itaque centum milites, ut Imperator eis mandaverat, viriliter Mediolanum per unum

unum fere milliare prope invadentes, quam plures homines etiam interficientes, maximam prædam levavere. Mediolanenses vero, ut hæc audierunt, statim equos ascendere, ac tam graviter persecuti sunt Papienses, quod ipsi per illam viam, per quam redire debebant, & in qua Imperator cum suis erat absconditus, reverti non potuerunt. Mediolanenses igitur Papienses persequentes, multos ex eis ceperunt, pluresque etiam vulneraverunt. At Imperator cum suis expectans redire Papienses, vidensque illos per illam viam non redire, quam eis indicaverat, putansque etiam, eis illud accidisse, quod acciderat, statim Papiensibus, qui cum eo erant, præcepit, ut ipsi per unam viam, quæ Mediolanum ibat, pergerent. Ipse vero cum suis & etjam Laudensibus per aliam viam, quæ similiter versus Mediolanum tendebat, perrexit. Papienses itaque, cum Mediolanum irent velociter, in Mediolanenses incidere: qui super ipsos Papienses fortiter irruentes & cum eis pugnantes, multos ex eis ceperunt, reliquos vero fugaverunt. Interea Imperator, cum ipsi Mediolanenses valde læti à prælio jam redirent, eis obviam robuste veniens, ac in Theutonica lingua fortiter vociferans, statimque super eos irruens, mirabiliter invasit. Mediolanenses igitur Theutonicam linguam nescientes, in nullo se defendere sed statim terga vertere cœperunt. Imperator itaque, ejusque Theutonici cum Laudensibus, ipsos Mediolanenses acriter persequentes, plures tercentis militibus Mediolani de melioribus ceperunt. Equos etiam quadringentos habuerunt; cepit namque Dominus Imperator tunc Codemalum de Pusterla, Guidonem & Henricum germanos de Landriano, Passaguadum de Setara, Abbaticum de Mediolano, Marcellium Vgonem, Crustam, & Manfredum Bandum, Arderium Nasellum, Nigrum Grassum & Paganum Borrum, & alios plures ducentis quinquaginta, quos omnes per civitatem Laudæ *egomet* captos & vinctos in carcerem *vidi* detrudi. Postea vero cum per aliquot dies Laudæ permansissent in carcere, ipsos omnes à Laude Papiam transduci fecit, ibique eos iterum in carceribus poni præcepit.

His itaque sic peractis, *Imperator* ad *obsidionem Cremæ* rediit. Erat autem ibi ad illam obsidionem quædam magna societas solummodo pauperum & egenorum tunc insimul congregata, qui derisione *filii Arnaldi* appellabantur, & qui quotidie, die ac nocte Cremenses, omnesque, qui intra ipsum castrum Cremæ erant, sic infestabant, quod nullus intra ipsum castrum prope murum castri se movere poterat, quem ipsi cum *romphis* & lapidibus non sauciarent. Idcirco ipsi magis quam alii, multum timoraverunt ipsos Cremenses. Interficiebant enim quotidie multos eorum, quia tum parum aliquem vulnerare non poterant, quin interiret, prout ipsimet Cremenses post ipsam Cremam captam sæpe mihi multisque aliis retulerunt. Interea Cremonenses quoddam castellum ex optimis lignis fabricatum, tam miræ magnitudinis construxerunt, quod citra mare unquam par nec simile visum fuit. Tres *manganos* etiam ita magnos ibi fecerunt, quod nunquam ab aliquo tales visi sunt. Insuper etiam & alios multos manganos, quamvis non tam magnos, multasque *petrerias*, duosque etiam magnos mirabiles *gattos* ibi circa castrum Cremæ fabricaverunt. *Imperator* quoque & Dux *Conradus frater ipsius Federici*, *Dux quoque Federicus filius Regis Conradi*, *Comes etiam Otho*, *qui & Falcigranus* dicitur, *Comes* quoque *Rubertus de Bassavilla*, multique alii Duces & Principes, innumerabiles *manganos*, *petreriasque*, & *gattos* circumquaque fecerunt. Imperator vero à *porta Serii* ultra ipsum *Serium* & ferè usque ad portam de *Rivolta* cum suis castrametatus est. Cremonenses autem ante ipsam portam de Rivolta hospitati fuerunt. Supradictus vero *Dux Conradus*, *frater Imperatoris* cum suo exercitu, Comesque *Otho Falcigranus*, aliique etiam cum eo Principes ante portam de Ombriano & portam de Plavengo cum aliis Ducibus castrametatus fuit.

In diebus vero illis *Imperatrix, uxor Imperatoris*, *quæ Beatrix vocabatur*, cum suo exercitu & una cum *Duce Henrico de Saxonia*, *qui maximum Exercitum secum duxerat*, ad eandem obsidionem Cremæ in die Lunæ, quæ fuit 12. Calen. Augusti, venerat; deinde sequenti die, quæ fuit festum sanctæ Praxedis, ipsa *Domina Imperatrix*, relicto ibi ad obsidionem prædicto *Duce Henrico de Saxonia* ejusque Exercitu, primo Laudam venit: cui omnes Laudenses tam equites quam pedites, tam masculi quam fæminæ parvulique obviam euntes, eam cum magno gaudio maximaque lætitia receperunt. Prædictus vero *Dux Henricus* ad obsidionem remanens, ante portam de Plavengo cum toto Exercitu sua castra firmavit. Papienses autem intra portam de Plavengo & portam Serii se cum suis tentoriis posuerunt. Imperatrix itaque cum per plures dies Laudæ stetisset, deinde recedens, Pergamum perrexit. Post hæc *Dux Gvelphus de Bavaria* cum suo exercitu ad dictam obsidionem Cremæ venit. Imperator vero locum, in quo prius ante portam Serii hospitatus fuerat, ipsi *Duci Guelpho* penitus dereliquit, & ex hac parte Serii veniens inter portam de Rivolta & portam de Vmbriano per medium castelli, quod Cremonenses ædificaverant, sua castra composuit. Tunc vero Cremenses sic undique obsessi erant,

quod nullus extra castrum ultra sagittam unam ire, nec aliquis extraneus nisi per medios hostes transire poterat. Ipsi tamen Cremenses cum Mediolanensibus, qui intus erant, sæpe foras ad prælium exeuntes, maximum certamen quandoque cum Theutonicis, quandoque cum Cremonensibus & Papiensibus, qui ibi tunc erant, committebant. Inter cætera autem certamina, quæ ibi fecerunt, unum quidem maximum, eisque pernitiosum cum Theutonicis commiserunt. Quadam enim die summo mane, antequam homines exercitus de lectis surgerent, Cremenses cum Mediolanensibus, qui intus erant, cum igne accenso foras per portam de Vmbriano armati prosilierunt, & ad *manganum* Imperatoris, qui ante hospitium *Ducis Conradi fratris Imperatoris* & *Othonis, qui Falcigranus dicitur*, erat, ut eum comburerent, iverunt. Hi vero, qui ipsum custodiebant, ut eos cum accenso igne venire viderunt, obviam eis, ut ipsum manganum ab igne defenderent, valde vociferantes exierunt. Qui quamvis non possent resistere, quin ipsi Cremenses mangano ignem supponerent: secum tamen prælium commiserunt. *Dux* igitur *Conradus Imperatoris germanus* & *Comes Otho, Comesque Robertus de Bassavilla*, aliique Duces & Comites atque Principes, qui erant in illa parte Cremæ, unà cum suis equitibus hoc audientes, & citissime armati foras de suis castris exeuntes, super eos irruerunt viriliter, & ex ipsis quatuor ceperunt. Quorum quatuor captivorum statim uni absciderunt caput, alteri vero utrosque pedes à corpore penitus projecerunt, tertio autem utrumque brachium truncaverunt, quartum vero multis plagis impositis interfecerunt. Relictis omnibus his in campo mortuis, ex aliis plures ceperunt, aliosque omnes tam graviter insecuti sunt, quod eorum plurimi per portam, per quam exierant, redire non valentes, in fossatum ipsius Cremæ, quamvis in eo maxima esset aqua, se præ nimio mortis timore projecerunt; qui quamvis gladiorum mortem vitaverint, tamen in aqua ferè omnes perierunt. Alii vero Theutonici ad prædictum manganum currentes, ita viriliter ipsum ab igne defenderunt, quod nisi tres vel quatuor crates, quæ ante ipsum manganum erant positæ, ex ipso mangano combustæ sunt, & cætera omnia ipsius mangani ligna . . . . (*) permanserunt. Cremenses vero per fossatum ipsius castri cum *maniculis* & rampinis euntes, suos, qui in fossato necati erant, quos invenire poterant, lugendo & maxime se contristando foras extraxerunt. Post hæc vero Imperator *gattum maximum*, cujus par nec similis unquam visus fuit, usque supra fossatum ipsius castri unà cum alio minori *gatto* duci fecit, fossatumque ipsius castri de terra repleri præcepit. Sed cum nimis grave fossatum ex sola terra impleri videretur, venit ipsemet Imperator, petiitque à Laudensibus in concione publica, quatenus ipsi Laudenses pro ejus amore vegetes, si quas *vacuas* haberent, quas sibi sine ipsorum incommodo dare possent, ei tribuerent, ipsasque etiam Cremam deferri facerent. Laudenses vero læti, omnes magno gaudio se multas ei daturos, statim spoponderunt. Alio namque die ipsi Laudenses plures ducentis *vegetis* Imperatori Cremam miserunt. Qui eas omnes de terra impleri præcepit, posteaque in fossatum castri plenas fecit projici, & super ipsas plura duobus millibus plaustris terræ & lignorum, quæ Laudenses conduxerant, jactari præcepit: & ita viam prædicto gatto destinavit facere, per quam ipse *gattus* usque ad murum ipsius castri destruendum facile duci posset. *Gattum* igitur via sic sibi præparata Theutonici per medium fossatum ducere cœperunt. Præterea Imperator castellum maximum, quod Cremonenses construxerant, versus murum castri Cremæ duci per eam partem, per quam *Gatto* fossatum implendo viam fecerat, præcepit. Cum autem Theutonici & Cremonenses ipsum castellum firmiter ducerent, & ad fossatum jam appropinquassent: Cremenses unà cum Mediolanensibus, qui intus erant, cum quinque magnis *manganis*, quos intra dictum castrum construxerant, cum pluribus etiam *petreriis* super ipsum castellum, ut illud omnino frangerent, maximos lapides & miræ magnitudinis projicere cœperunt. Imperator itaque hoc videns: timens etiam, ne frangeretur castellum, jussit Cremenses atque Mediolanenses obsides, eosque etiam, quos ex ipsis in bello ceperat, ad ipsum castellum duci, & super eum ac etiam ex latere ipsius castelli eos poni præcepit. Putabat enim Imperator, ut postquam ipsi, qui intus ipsum castrum erant, & lapides foras projiciebant, eorum filios & parentes, germanos & consobrinos super ipsum castellum positos esse cernerent, nec in ipso castello leviter ferire possent, quin ipsos, qui super ipsum castellum erant, percuterent, & sic in ipsos lapides trahere cessarent. Quibus obsidibus in ipso castello positis, tunc jussit Imperator ipsum castellum in antea duci. Cremenses vero & Mediolanenses, ut obsides super ipsum castellum prospexerunt, cum jam dictis quinque manganis & cum petreriis pluribus, super ipsum castellum à tribus partibus lapides prægrandis miræque magnitudinis acriter projicere cœperunt, ac super ipsum castellum fortiter diu noctuque trahere non cessaverunt: donec ex

(*) Supplendum: *integra*, sive *illæsa*.

ex his, qui super dictum castellum erant, novem de melioribus & majoribus Mediolani & Cremæ interfecerunt. Illi de Mediolano, qui tunc interfecti fuerunt, sunt hi: Codemalus de Pusterla, Henricus de Landriano, & alii duo. De Cremensibus vero fuerunt presbyter de Calusio, Tinctus de Bonate, Hymnus de Galioso & alii duo. Alberto autem Rubeo de Crema crura fregerunt. Joanni vero Garensio brachium ruperunt. Cum autem nequitiam tam magnam Imperator cognosceret, videretque, illos nec patribus, nec filiis, nec parentibus, nec amicis parcere: nolens illos, qui adhuc super castellum vivi remanserant, interfici dimittere, quia Cremenses lapides maximos die noctuque super ipsum castellum projiciebant, ut jam ipsum in quadam parte paululum colliserant: jussit ipsos obsides, qui vivi erant, de castello deponi, & ipsum, ut melius fortiusque quàm erat, aptaretur & cooperiretur, retroduci. Quod ut Imperator jussit, ita factum est. Super ipsum castellum erant adhuc vivi Niger Grassus, Sqarzaparte de Bisnate, Vgo Crusta & plures alii de Mediolanensibus. De Cremensibus vero remanserunt Joannes Garesius, Ardericus Blancus, Albertus Ruffus, Sozzo Berunoli & alii multi, quorum nomina ignoramus. Sed postquam *Mediolanenses*, qui erant in Crema atque Cremenses patres & filios, parentes & amicos suos, quos super castellum lapidibus interfecerunt, mortuos conspexerunt, valde dolentes & maxima ira commoti, statim Theutonicos atque Cremonenses & Laudenses, quos captos habebant, de carcere super fermialias & *machinas ipsius castri* deduxerunt, atque irruentes plures ad dedecus Imperatoris, ipso vidente, interfecerunt. Inter quos fuere Albrigonus Locabaffa de Laude, & Balertus Matagius de Cremona. Imperator autem magis cupiebat, ut Cremenses sponte se sibi sanos traderent, quam eos capere violenter. Sciebat enim ipsorum plurimos perituros, si eos insuperaret, (*) & castrum ipsum vinceret expugnando, & ideo duos eorum, quos in campo ceperat, fecit prope portam de Serio in curiam adduci. Qui cum essent adducti, conquestus est coram omnibus Principibus ibi astantibus de illis duobus, dicens, se velle curiam consulere, si ipsi, tum quia in banno positi sunt, tum quia contra eum pugnantes perjuri fuerant effecti, mori deberent, an non. Itaque tota curia hoc audiente, consilium maximum super hoc ab eis est habitum. Tandem à consilio ipsi Principes redeuntes, judicaverunt, eos jure supradicto mori debere. Quod cum audivissent Cremenses, minati sunt suspendere suos, quos habebant. Imperator vero hoc audiens, & non putans, eos tam dementes esse, quod licet verbis hoc facere minarentur, facto adimplerent: ex hoc solo, quod suos suspendere minati fuere, utrumque illorum, qui de sua parte erant, suspendi præcepit. Cremenses igitur, ut videre suos suspensos, statim Imperatore cernente ad ipsius dedecus & injuriam ambos illos, quos illuc adduxerant, suspenderunt. Imperator autem ira commotus, in continenti jussit obsides atque alios, quos captos habebat, adduci. Quibus deductis, alias multas furcas, supra quas suspenderentur, levari præcepit. Episcopi vero & Abbates aliique religiosi viri ad Imperatorem venientes, eum valde precati sunt, ne ipse, qui fons misericordiæ esse debebat, ad malitiam & malignitatem eorum, qui destructionem suam procurabant, attenderet. Imperator autem eos audiens, nec ex toto eis credere volens, nec omne eorum consilium atque preces refutare disponens, novem ex ipsis videntibus Cremensibus atque Mediolanensibus, qui ibi erant, suspendi fecit: reliquos autem omnes propter Deum & religiosos viros vitæ donavit. Postea Imperator castellum suum, ut bene retroductum fuit, statim bene aptari firmiterque ex duplicibus *fastivis* viminum cooperiri fecit. Ex simplicibus enim in primis erat coopertum. Deinde optimis *feltris* coriisque, pannis etiam insuper laneis illud armari præcepit. Cum vero coopertum aptatumque mirabiliter fuit, præcepit idem Imperator ipsum castellum in antea duci. Cum ergo duceretur, Cremenses super ipsum maximos lapides die ac nocte trahere non cessabant. Sed nihilominus Cremonenses ac Theutonici cognoscentes, tunc castellum ipsum bene firmiterque aptatum, in antea usque ad medietatem fossati ipsius castri per viam illam, quam Gattus jam fecerat, virtute magna ipsum deduxerunt. Gattus quippe jam viam per medium fossatum faciens, jam antea prope murum ipsius castri præcesserat. Erat autem in ipso Gatto quædam trahes ferrata, quam *Barbizellum* appellabant: quam trahentes hi, qui intra ipsum Gattum erant, foras plus viginti brachiis projicientes, in murum ipsius castri mirabiliter feriebant, ac tandem ea tantum fecerant, quod de ipso muro plus viginti brachiis in terram projecerant. Cremenses vero cognoscentes, se non posse defendere murum castri, quin destrueretur, *travacham* magnam ex lignis & terra insimul compositam ibi intus in ea parte, in qua ipsum murum destrui videbant, juxta eum construxere. Fecerunt etiam quendam cuniculum sub terra, qui subtus

(*) Forte: *vi superaret*.

subtus pedem ipsius muri usque foras in fossatum per medium Gattum pergebat; per quem ipsi foras exeuntes, ignem prædicto Gatto, ut eum comburerent, supponebant. Sed his, qui super castellum ligneum de foris erant, super eorum capita magnos lapides trahentibus, & his, qui in Gatto erant, viriliter se defendentibus, ipsi Cremenses non potuerunt in aliquo, nec cum igne nec cum aliqua alia re nocere ipsi Gatto. Immo Theutonici & Lombardi, qui intus sub ipso castello, & hi similiter, qui erant in ipso Gatto, foras exeuntes, sic cum ipsis fortiter pugnabant, quod vix poterant ipsi Cremenses defendere, quin eorum adversarii intra ipsum castrum foris per medium ipsum cuniculum intrarent. Quæ res ita Cremenses timoravit, quod ipsum cuniculum cito de foris clauserunt. Interea Imperator castellum in antea propè ipsum Gattum duci fecit, multosque petrerios in eo composuit, per quos, ballistariis suis foras trahentibus, ferè nullus ex Cremonensibus ibi ad Serimalios seu machinas ipsius castri appropiare poterat, quem ballistarii, qui in ipso castello erant, non interficerent, vel ad mortem non sauciarent. Nec etiam ibi intra castrum ultra murum ipsius castri per terram planam ad ipsum murum aliquis appropinquare poterat, quem hi, qui supra castellum stabant, lapidibus vel pilotis non vulnerarent. Erat enim ipsum castellum plus septuaginta brachiis altum, & plus triginta latum & longum. Vnde in ipso castro Cremæ fere nullus se movere poterat, quem hi, qui supra dictum castellum erant, videre non possent: per totum etiam castrum Cremæ lapides atque pilotos projicere leviter poterant. Quæ res ipsos Cremenses nimis pavidos reddebat. Interea quadam die, in qua fuit Pascha Epiphaniæ, venere Cremenses supra quandam machinam, quam fecerant supra *travacham*, quam ipsi ex lignis & terra intus juxta murum castri composuerant, & adduxerant carrarias multas plenas lignis siccis, sulphure, lardo, oleo, axungia, & pice liquida madefactis: quas cum haberent super ipsam machinam, ignem accenderunt in eis cum *manticis*, quos ibi habebant: & postea ipsas bene accensas super quendam pontem ligneum, quem super ipsam machinam ita fabricaverant, quod foras de ipsa machina plus decem brachiis jactabant: versus ipsum Gattum, ut eum comburerent, mittere intendebant. Quare ipsas *carrarias* sic undique accensas & maximam flammam jactantes, unam post aliam juxta Gattum Imperatoris projectabant. Imperator itaque, qui tunc sub ipso Gatto erat, & alii, qui tunc erant cum eo projicientes aquam & terram super ipsum ignem, & ab hora tertiæ usque ad vesperas ipsum ignem semper extinguentes, ita se viriliter defendère, quod Gatto manente illæso, nullum malum inde habuere. Interea autem *Dux Conradus frater Imperatoris, Comes Robertus de Bassavilla, Comes Otho, qui Falcigranus*, aliique multi Principes à castello Imperatoris usque ad portam de Vmbriana multos Gattos & crates fecerunt, ex quibus fossatum multis partibus implebant terra & lignis. Theutonicos tamen sub ipsis cratibus cum arcubus, & balestris occultè morantes, Cremenses intus juxta murum ipsius castri, sive de subtus euntes, sive super *Serimalias* & machinas, ipsis ignorantibus mirabiliter sauciabant. Interea quidam Magister valde ingeniosus super omnes Magistros, qui tunc erant in Crema, qui Marchisius vocabatur, & qui fere omnes manganos & petrarias, Serimalios seu machinas, cæteraque defensionis Cremæ instrumenta suo mirabili ingenio composuerat: Imperatorem & partem ejus magis, quam partem Mediolanensium & Cremensium, & de parte Imperatoris esse potius quam ipsorum, quibus serviebat, cupiens: tum Imperatoris & Cremonensium amore, tum Mediolanensium & Cremensium, qui ipsum invitum retinebant, odio: tum etiam per pecuniam sibi promissam, cum Imperatore & Cremonensibus pepigit, & quadam nocte Crema exiens, desuper murum ipsius castri, & per medium aquæ, quæ erat in fossato ipsius castri, transiens, ad Imperatorem confugit. Imperator verò eum cum magno gaudio suscipiens, statim optime induit ipsum, bonumque *dextrarium*, duodecim libris denariorum veterum comparatum, illi donavit. Ipse vero Marchisius, quando de Crema exivit, statim quandam suam *machinam mirabilem ex lignis* fabricavit, *super quam quendam pontem plus quadraginta brachiis longum, & plus sex latum constituit, quem extra dictam machinam plus viginti brachiis nemine sibi contradicere valente poterat ejicere.* Cum vero ipse Marchisius suam machinam suumque pontem optimis cratibus cooperuisset, tunc fecit eam in antea perduci, usque dum fere fuit juxta castellum Imperatoris. Gattus enim jam prope murum ipsius castri processerat, fossatum ab ea parte usque ad alteram lignis & terra impleverat, & viam planam atque latam fecerat, per quam castellum Imperatoris & machina Marchisii procedere debebat. castellum eundo post Gattum sic eum persecutum fuerat, quod ipse Gattus nec antea ambulare poterat nec redire, castello prædicto sibi obstante. Quod Imperator considerans, tum

tum quia machinas Cremensium sibi intus contra gattum factas comburere noluit, tum etiam, quia prædictum castellum in antea ducere non poterat, nisi gattum combureret, in ipso gatto ignem apponi præcipit. Qui gattus totus exarsit, machinis Cremensium ab ipsis defensis & illæsis conservatis. Quo gatto sic combusto, præcepit Imperator, castellum eo loco duci, in quo gattus erat: quo illuc ducto, prædictus Marchisius fecit suam machinam duci ad latus ipsius castelli: deinde Imperator publicum prælium super Cremenses faciendum certa die indixit. Cumque ea die Imperator Principes suos, sicut voluit, ad bellum ordinasset: fecit *Ducem Conradum fratrem suum & qui Comes Palatinus erat de Rheno*, cum suis militibus ascendere super prædictum castellum, aliosque Principes Theutonicos & Lombardos super machinam Marchisii fecit ascendere. Jussit eis, ut quacunque hora pons machinæ super murum castri Cremæ jactatus esset, quod ipsi omnes Principes & equites per pontes extemplo currentes, viriliter robusteque hostes invaderent, & cum ipsis fortiter pugnarent.

Qui, si hoc totum bene peregissent, ut eos instruxerat Imperator, castrum tunc captum fuisse dicebatur. Bello itaque sic ordinato, & pontibus supra murum castri projectis, præfatus frater Imperatoris cum suis militibus per pontem castelli usque super murum castri pergens, Cremenses viriliter invasit. Sed alii Principes & equites per pontem, quem Marchisius super murum castri jactaverat, ita viriliter sicut debuerunt, non concurrerunt. Cremenses autem, qui subtus suas machinas stabant intus juxta murum, prædicto Duci ejusque militibus occurrentes, se optime defenderunt. Quidam vero vexillifer ipsius Ducis nobilissimus atque fortissimus miles, de muro castri se in terram projiciens in medio Cremensium, putans, omnes alios se sequentes similiter facturos, magnum prælium cum ipsis Cremensibus super eum irruentibus fecit, ac ab eis, prout solus erat, diu mirabiliter se defendit. Sed hic licet fortissimus esset, tantæ multitudini non valens resistere, aliquibus Cremensibus ab eo vulneratis, tandem ab eis captus & in terram projectus est & multis ei plagis impositis interiit. Alios etiam tres ipsius Ducis milites, cum *rampinis ferreis* de ponte in terram trahentes ipsi Cremenses, vivos retinuerunt. Pars vero Cremensium cum manganis lapides non modicos super pontem jactando, sic eum in quadam parte fregerant, quod alii Theutonici, qui post Ducem currere debuerant, ipsum postea sequi non sunt ausi. Sed Cremenses, ut pontem ruptũ præsenserunt, nec alios Theutonicos viderunt sequi Ducem, qui cum paucis præcesserat, super ipsum Ducem ejusque milites fortiter irruentes, sic eos lapidibus & ensibus atque lanceis eo maxime cum conatibus urgebant, quod ipse Dux aliquantulum sauciatus cum parte suorum equitũ rediit in castellum; pars vero per pontem usque ad castellum redire non valens, de ipso ponte extra castri murum in fossatum se projecit. Cæteri quoque, qui pontem Marchisii intraverant, Cremensibus eis robuste resistentibus, nihil proficientes, intra machinam, de qua exiverant, se recuperarunt.

Licet autem Imperator ejusque Principes, quod statuerunt, plenariè non perpetraverint, assidue tamen diu noctuque Cremenses cum *ballistis* & arcubus oppugnabant; & tam boni *ballistarii* quotidie in castello Imperatoris latitabant, quod fere nullus Cremensis poterat contra castellum super machinas se opponere, quin ab ipsis ballistariis interficeretur, nihil proficiente lorica. Ipsemet Imperator optime sciens sagittare, prout extimo, multos de Cremensibus interfecit. Quo circa Cremenses maxime perterriti, & intolerabilibus vigiliis, quas faciebant, assidue fatigati & ex magna parte sauciati, ac iram & dolorem Ducis Conradi, qui suos milites amiserat, metuentes plurimum; videntes etiam, quod multi, qui ab initio castrum Cremæ defenderant, clam de ipso exierant, Imperatori & aliis Principibus se tradentes, ac assidue magna ipsorum copia clam exire properabat: paventes etiam, ne per vim caperentur; quod si eis accideret, sciebant, ipsorum magnam partem & à Theutonicis, & maxime à Cremonensibus, quos per longum tempus offenderant, gladio fore perituram: consilium inierunt cum Imperatore fœdus iniendi, ac de manibus ipsius, qualitercunque possent, se eripiendi. Quod Imperator per Legatos ipsorum audiens, quoniam pius & misericors erat, Legatis respondit, dicens: ut si Mediolanenses & Brixienses omnes, qui intra castrum erant, absque omnibus armis, quæ habebant in castro, egredi vellent: & Cremenses omnes masculi & fœminæ cum tanto solummodo vellent exire, quantum una vice extra castrum portare possent, quod ipse eos omnes sic immunes exire permitteret, ac ipsis talem vitam, qua privari digni erant, concederet. Quod nisi facerent, nullum aliud pactum, nullumque fœdus, nullamque *treguam* se ipsis aliàs in toto tempore vitæ suæ facturum promisit. Legati vero verbum Imperatoris sic firmum audientes, intra castrum statim reversi, sic per ordinem, ut ab Imperatore audierunt, Mediolanensibus & Cremensibus atque Brixiensibus simul convocatis recitaverunt. Consules vero Cremæ, & Mediolanenses cum sapientibus Mediolani, qui aderant ibi, & Cremensis ac Brixiensis Consilium inientes, & omnia, quæ à Legatis audiverant, inter se conferentes: scientes

entes etiam, Imperatorem esse tam constantis animi, quod fere omnia, quæ incepit, donec ad finem perduxit, nunquam desinit, sicut in destructione Terdonæ, & Mediolani obsessione, & in multis aliis cognoverunt: firmaverunt, pacem potius sic esse faciendam, seseque omnes cum castro Imperatori tradendos, & ipsos vivos exire de castro, quam ipsum castrum per aliud tempus defendere: postremo vero, in bello captos esse debere, & ulterius tam ambiguam subire fortunam vitæ, quod & capita & omnem suam suppellectilem, ipsum quoque castrum amitterent, si per vim caperentur. Consilio itaque ab omnibus sic firmato, statim Legatos direxerunt ad Imperatorem, per quos omnia, quæ Imperator eis mandaverat, se omnino velle facere nuntiaverunt. Imperator vero, quod optaverat, audiens, ac Deo omnipotenti cum magno gaudio gratias referens, statim per suos Legatos, ad Cremenses missos, fœdere inito cum Cremensibus pacem, & Mediolanensibus atque Brixiensibus, sicut eis ante mandaverat, stabilivit. Hoc autem factum fuit in anno MCLX. ab Incarnatione Domini die Martis, sexto Calend. Februarii, octavo die post festum Beati Bassiani Confessoris, Laudensis Episcopi. Sequenti vero die Mercurii Cremenses masculi & fœminæ, atque Mediolanenses & Brixienses Imperatori se tradiderunt; qui exeuntes de castro, quia totam suam suppellectilem amittebant, nisi quantum una vice poterant deferre, ingenti dolore fremebant: quia vita vero eis confirmata & conservata fuerat, in parte gaudebant. Donavit autem Imperator Laudensibus ultra tercentas loricas, & multas *gamberias*, quas de prædictis suis hostibus habuerat. Nec esse prætermittendum opinor, quod Imperator Christianissimus omni ferocitate & severitate deposita, hostilique odio abjecto, ipsos Cremenses per quendam locum angustum, unde egrediebantur, adiuvans exire: suis propriis manibus quendam ipsorum languidum, cum aliis militibus exportavit. Quæ tantæ benignitatis, tantæque Imperialis mansuetudinis actio omnibus hominibus maximum præstare debet exemplum. Theutonici vero & Lombardi castrum introeuntes, prout quisque sortiti erant, unus solus tamen unam viciniam occupabat, & de rebus, quæ erant in illis domibus, quas occuparant, nulli alii permittebant accipere. Quod alii & maxime scutiferi, qui postremo intraverant castrum, considerantes: dolore simul & invidia concitata, in quamplurimis castri partibus ignem apposuerunt, & totum castrum subito combusserunt cum his rebus, tam victualibus quam aliis, quæ in eo erant, cum adhuc plenum esset, nec expoliatum. Postea vero omnibus fere domibus castri destructis à Cremonensibus & partim à Laudensibus, & fossato complanato, murum castri totum in terram prostraverunt. Insuper etiam Cremonenses, avidi nimis dissipationis Cremæ, etiam quasdam Ecclesias ipsius castri destruxerunt. Imperator autem per quinque dies ibi moram faciens, postea discessit, & Laudam cum omni exercitu suo reversus est. Cremonenses vero & Theutonici in castello Imperatoris, & in omnibus *manganis* & *petreriis* seu *gattis*, & *machinis*, quamvis per longum tempus fabricata essent, & in eis ultra duo millia marcharum argenti esset erogatum, ignem apponentes, omnia velociter combusserunt. In sequenti autem die Mercurii, in quo fuit festum Sancti Blasii, & quæ fuit tertio die Mensis Februarii, Cremonenses omnes sunt reversi Cremonam: Imperator cum omni exercitu Papiam perrexit.

In illo tempore erat magna discordia inter *Papam Victorem*, qui prius vocabatur *Octavianus, & Raynaldum* * *Cancellarium, qui in electione sua vocatus fuerat Alexander*, qui similiter ad papatus honorem levatus erat: ob quam dissensionem Imperator olim mandaverat suos legatos, scilicet *Comitem Palatinum, & Comitem Guidonem de Blandiate* & quendam alium, ad præfatos electos, rogans eos, quod vellent usque ad proximum caput jejunii *Papiam venire, suas rationes allegaturi coram Archiepiscopis & Abbatibus, aliisque viris religiosis, & coram ipso Imperatore, Romanæ Ecclesiæ advocato*; ut ibi per Dei virtutem tam detestabilis dissensio sopiretur. Mandavit etiam ipse D. Imperator Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus de *Alemania*, de *Burgundia*, de *Lombardia*, de *Tuscia*, de *Appulia*, & de *Romania*, & de aliis partibus Imperii: *Patriarchæ* etiam *Aquilensi*, ut in prædicto capite jejunii deberent esse Papiæ, audituri rationes utriusque prædictorum electorum: ut ipsis auditis, qui justus, & esse deberet Apostolicus, judicarent. *Octavianus* vero legatos Imperatoris audiens, eos magno gaudio suscepit, atque prædictæ dissensionis desiderans audire sententiam sanctorum virorum, promisit legatis, ad proximum terminum se venturum. *Raynaldus* autem eisdem legatis renuntiavit, se minime venturum ad talem conflictum, dicens; se à nemine debere judicari, cum ipse potius omnes alios deberet judicare: & sic respondit, ac si esset in concordia, & sine aliqua dissensione ad Apostolicatus honorem sublimatus. Octavianus itaque ad terminum statutum veniens, & alii prædicti similiter, pro quibus miserat Imperator, Papiæ omnes congregati sunt, secundum quod ordinaverat D. Imperator.

Cum igitur *Orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas* in nomine Domini sedisset causa

* *Rolandum.*

causa sedis Apostolicæ per aliquos dies, remoto omni sæculari negotio judicioque, ipsa quæstione legitime & canonice agitata & diligenter inspecta, sufficienter in conspectu concilii per testes idoneos est probatum, *Dominum Papam Victorem, & nullum alium, in Basilica Beati Petri à saniori parte Cardinalium, ad petitionem Populi Romani, cum consensu & voluntate Cleri immantatum: & quod præsente, & non contradicente Raynaldo, quondam Cancellario, in Cathedra Beati Petri fuit collocatus*: & quod ibi, & à Cardinalibus & Clero Romano, *Te Deum laudamus* gloriose est decantatum: & quod ipse ad Palatium *cum blandis* * & aliis *insignibus papalibus* est deductus. Probatum est etiam, quod eo tempore, quo electio Romæ celebrabatur, erant in urbe tantummodo XXI Cardinales. Cardinalis autem Sancti Petri ad vincula erat Anagniæ infirmus, qui consensum & voluntatem suam aperuit Domino Cardinali Sancti Martini, & Domino Guidoni Comensi. Ex quibus omnibus Cardinalibus cum Dominus *Victor, tunc Octavianus*, & *Raynaldus* segregati fuissent, remanserunt tantum XX. electores; quorum novem sanioris consilii & nulla conjuratione fœdati prima vox erat in electione D. Victoris; & una cum capitulo D. Petri petitione populi, consensu & desiderio cleri, annuente ordine Senatorum & Nobilibus Romanis, Dominum *Victorem* elegerunt; & electus, & secundum consuetudinem interrogatus per scribam, si placeret, tribus vicibus clara voce respondit, placet. Probatum est etiam, quod Raynaldus duodecim dies post Domini *Victoris* promotionem ab urbe egressus, apud cisternam prope terram Siculi in loco non celebri est primo immantatus. Probatum etiam fuit, quod in secundo die post promotionem D. Victoris *Raynaldus* interrogatus a Rectoribus D. Romani cleri, & à clericis de suo Cardinalatu, si Domino Victori esset obediendum, expresse confessus est, se nunquam fuisse *immantatum*, & expresse dixit: ite, & obedite ei, quem *immantatum* esse videtis. Super his capitulis fuerant testes, & sub stola Sacrosanctis tactis Evangeliis juraverunt D. Petrus Christianus, Decanus Basilicæ Beati Petri, cujus plenum testimonium ibi receptum est. Juraverunt etiam honestissimi Rectores & Prælati Clerici Romani, quia omnia viderunt & tractaverunt: & fuerunt ultra inter Archiepiscopos & alios Clericos. Præterea *Petrus Illustris Urbis Præfectus*, & alii quam plures Romani nobiles in conspectu concilii super omnes similiter testimonium perhibuerunt, & jurare voluerunt. Sed quia prædictorum testimonium visum fuit concilio esse sufficiens, a Sacramento sunt excusati. Deinde venerabiles Episcopi *Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis de Bohemia*, & *Otho Comes Palatinus*, quos D. Imperator de consilio viginti duorum Episcoporum, & multorum aliorum Religiosorum tunc præsentium Romam destinaverat, ut primates ante concilii præsentiam evocarent, testimonium perhibuerunt, quod *Raynaldum Cancellarium*, & ejus partem trinis edictis per temporum intervalla, & solemniter ad præsentiam Ecclesiæ, tunc Papiæ congregandæ, vocaverunt; & quod ipse Raynaldus & sui Cardinales una voce & manifeste dixerunt: judicium vel examen Ecclesiæ se nolle aliundè recipere. His igitur & aliis quam pluribus rationibus auditis, quas longum esset enarrare, communicato concilio prædicti Patriarchæ, & novem Archiepiscoporum, & triginta octo Episcoporum & multitudinis magnæ Abbatum, qui omnes aderant concilio: *D. Victorem laudaverunt, & electionem Raynaldi cassaverunt*: post quos omnes *Christianissimus Imperator electionem D. Victoris comprobavit*, & post eum omnes ejus Principes, videlicet *Dux Henricus de Saxonia, Dux Bertaldus de Arvigia, Dux Federicus de Rotemburgo, Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, Comes Palatinus de Saxonia, Comes Palatinus de Baveria*, & alii quam plures Marchiones & Comites, tam Lombardi quam Theutonici, electionem Domini Victoris firmaverunt.

His itaque sic peractis, dedit licentiam dulcissimus Imperator *Duci Henrico de Saxonia* & *Duci Bertaldo*, ac etiam omnibus fere Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis, qui secum erant in exercitu cum suis militibus, ad suam patriam remeandi. Quibus recedentibus, remansit Imperator Papiæ cum *Duce Federico, Regis quondam Corradi filio, & cum Corrado Comite Palatino de Rheno, fratre suo*, & cum Othone Palatino Comite & cum aliis quibusdam Principibus. Postea vero *Imperator* cum *Domina Beatrice conjuge* sua, & Principibus suis ac exercitu, qui sibi remanserat, *ultra Padum* in partibus *Gamodii* & Marenghi atque *Terdonæ* perrexit, & in illis partibus in quadragesima remansit. Mediolanenses autem, destructionem Laudensis civitatis summè desiderantes, die Martis Sancti prædictæ Quadragesimæ, tam milites quam pedites cum multis vexillis & plaustris *Laudam venerunt*, & summo diluculo ipsos aggressi fuerunt. Pars vero peditum Laudensium per portam egrediens, cum Mediolanensibus prælium incepit: Qui per longum tempus bellantes, ex Mediolanensibus plures interficientes, & multos sauciantes, maximo impetu in eos unanimiter irruerunt. Hi vero ipsos Laudenses paucissimos ad comparationem hostium, tanto robori resistere non valentes, usque in fossatum civitatis acriter impulerunt, & ex ipsis quinque ceperunt, tres vero interfecerunt:

 reliqui

* [leg. f. *bandis* i. e. ut alii istius ævi scriptores vocant, *Fanonibus*.]

reliqui vero Laudenses intra civitatem se receperunt. Sed Mediolanenses suos interfectos & vulneratos recolligentes, quamvis etiam nimis dolerent, quod civitatem, quam sine gravi labore putabant capere, illæsam relinquebant, & de suis multos vulneratos & multos interfectos reportabant: Mediolanum tandem reversi sunt. Laudenses vero suos Legatos ad Imperatorem direxerunt, qui omnia, quæ eis acciderant, eidem Imperatori per ordinem narraverunt. Imperator vero congratulatus, quod Laudenses quam pauci in tanta multitudine hostium sic se viriliter defenderant, & cum ipsis in campo prælium fecerant: statim post paucos dies Laudam cum suis militibus est profectus. Quo cum pervenisset, ipsis Laudensibus multas gratias in concione retulit de hoc, quod ita viriliter pugnaverunt cum hostibus Imperii. Eos tamen admonuit, atque iis præcepit, ne ulterius contra Mediolanenses in campo extra civitatem ad pugnandum se opponerent, sed civitatem solummodo defenderent, non agros: dicens, se metuere, ne nimia Laudensium audacia & præsumptio perducat eos ad civitatis amissionem. Deinde cum Laudensibus equitibus atque peditibus est profectus ad Pontem, quem Mediolanenses ad *Pontirolum* reædificarunt suis maximis sumptibus, *Castrumque Pontiroli* cepit, & ipsum concremans dissipavit, ipsumque pontem de Pontirolo destruxit & in Abduam projici fecit, atque ad civitatem Laudæ rediit. Post paucos vero dies idem Imperator, qui multos poterat pati labores, cum Laudensibus equitibus atque peditibus, & cum parte equitum Cremonensium qui ex mandato Imperatoris Laudam venerant, & cum quadam petreria Laudensium ad diripiendum *Pontirolum* reversus est, ubi quædam Ecclesia bene armata & munita hominibus remanserat; quam partim bello partim ipsius petreriæ pavore capiens, homines, qui ibi aderant, cepit, & ipsos bonis suis spoliatos Laudam duci præcepit. Post hæc *Faram* venit, & castrum ipsum post diu factum prælium cepit. Qui cum homines de Fara captos, & magnam prædam bonorum, quæ in dicto castro erant, Laudam conduceret, multitudinem magnam equitum Mediolani ex alia parte Abduæ super ripam conspexit. Qui milites illuc venerant, ut ipsum Imperatorem offenderent, si possent: putantes, eum cum solis Laudensibus Pontirolum venisse, sicut alia vice fecerat. Et tunc Mediolanenses ad quendam Abduæ vadum nimis altum venere, fingentes, se velle transire & Imperatorem invadere, ut milites, qui cum Imperatore erant, allicerent ad flumen transeundum; ut in aqua, quæ nimis erat ibi discurrens & alta, periclitarentur. Imperator vero omnium suorum militum peritissimus præcepit, ne aliquis curreret ad Mediolanenses, neve aquam transiret. Quidam tamen bellorum nimis avidi versus Mediolanenses per medium vadum currere volentes, in aquam se projecerunt, ex quibus evaserunt aliqui, & multi in ipsa aqua perierunt; inter quos fuit Henricus Saccus de Laude & Obsertus Vetulus de Cremona, & quidam alii.

Post paucos vero dies D. *Imperator* cum Cremonensibus & Papiensibus, aliisque civitatibus Lombardiæ ad *Comitatum Mediolanensem devastandum* perrexit, & ibi multa devastavit. Qui postmodum per Novariensem Episcopatum *Papiam* rediens, Italiæ militibus, qui secum iverant, domum redeundi licentiam concessit. Post hæc vero quam plurimi milites *Mediolanenses* quodam die Jovis, quæ fuit nona dies mensis Junii, indictione octava, & in qua fuit festum Sanctorum Primi & Feliciani, Laudam venerunt, & per unum & dimidium miliare se occulte posuerunt: mittentes etiam intra villam *Corneliam*, quæ parum distat à civitate Laude, plures XL. militibus ad civitatem Laude invadendam. Quo peracto Laudenses equites audito clamore, persecuti sunt Mediolanenses sic fortiter, quod antequam ad socios redire valuissent, ultra viginti ex eis cum equis & armis capti sunt. Mediolanenses autem cognoscentes, socios fugientes acriter urgeri, unanimiter Laudensibus occurrerunt, & cum eis magnum prælium inceperunt. Sed Laudenses, ut pote multo pauciores, non valentes resistere, in fugam sunt reversi, & usque prope civitatem partim se defendendo repulsi sunt. Quo circa Mediolanenses multos ex ipsis, qui capti ducebantur, recuperaverunt, ac etiam de Laudensibus ceperunt decem & octo milites, inter quos fuit unus filius Lanfranchi de Trissino, Bernardus de Bagnolo, Arberius Lomellinus, Ottobellus Cagamustus, Otho Mezaperentus, & quidam alii quatuordecim. Plures autem de Mediolano in carcerem sunt ducti; inter quos fuit *Codeguerra* Vicecomes & Manatus de Palatio, Brunus de Coneoretio & filius Burri de Burris & Joannes Salerius, Ambrosius Paliarius, Joannes Feroldus, Vgo Camarus, Otho Bella Busca, Obizzo Paganus & quidam alii. Mediolanenses autem non multum longe à civitate cum militibus & peditibus ac sagittariis, aliquantulum fortiter dimicantes, quia viderunt, se non posse superare Laudenses, cum pluribus ex suis vulneratis, & cum illis Laudensibus, quos ceperant, valde mœsti recesserunt, Mediolanum revertentes. Quo dolore ipsi Mediolanenses commoti, cum se vindicare nec etiam Laudenses per vim habere potuissent, saltem dolose illos capere cupientes, statim alia sequenti die Veneris miserunt non multos milites, qui Laudenses invaderent; & alia parte Corneliani usque ad portam Cremonensem: quibus militibus præceperunt Mediolanenses,

nenses, ut cum Laudenses eos persequerentur, versus Juvenicum fugerent in Lodesanam, fingentes, se non posse redire versus Mediolanum, ut Laudensibus longè à civitate remotis, ex inproviso exercitus Mediolanensium ipsos extra civitatem comprehenderet. Quibus, ut statuerant, civitatem aggredientibus, cum Laudenses eos acriter prosequerentur, hi, qui supra castellum erant versus Mediolanum, à parte fossati, quod dicitur *de pane perdito*, præcaventes, viderant plurima vexilla equitum venire festinanter. Orto autem clamore maximo, cum Laudenses non multum adhuc à civitate distarent, & suorum clamorem audirent, & *pulvinum* (*) maximum conspicerent: subito revoluti ab eis ad civitatem, antequam Mediolanenses possent ibi esse, reversi sunt usque ad portam Cremonensem, ibique cum peditibus & arcatoribus, & ballistariis Mediolanenses expectaverunt. Mediolanenses verò cum robore magno ac fremitu venientes, & per campum ante civitatem currentes, non fuere ausi Laudenses aggredi, circa propugnacula commorantes; nec etiam Laudenses ipsos invadere in campo sunt ausi: sicque Mediolanenses à mane usque ad horam tertiam prospicientes, quod ipsos Laudenses non possent in campo ad pugnam perducere; tum, quia hoc non potuerunt facere, cum magno furore ab eis posito igne in quodam plaustro stipulæ, quod erat in campo relictum, Mediolanum reversi sunt. Postea die Lunæ, in quo fuit festum sanctorum Mariæ & *filiastri*, & fuit XIV. Calend. Augusti anno MCLX. indictione octava, venerunt Mediolanenses tam milites quam pedites cum arcatoribus & ballistariis, & cum caraxolo suo, atque petreriis & gattis ad civitatem Laudæ obsidendam à costa, quæ est supra paludem portæ Imperialis, usque ad mediam portam Cremensem tentoria ponentes, nec multum longè à civitate summo mane castrametati sunt. Deinde multi ex eis tam equites quam pedites, sine equis & sagittariis prope fossatum venerunt, causa bellandi. Pars quorum ivit ad portam Imperialem, & pars ad portam Papiensem, pars etiam ad Cremonensem. Ex contrario Laudensibus obviam illis occurrentibus, aliquandiu præliati sunt, & multis ab utraque parte vulneratis, & duobus de Mediolanensibus captis ad portam Papiensem, dirempto prælio, ad prandendum utrique recesserunt. Cumque Mediolanenses comedissent, omnibus ad concionem per sonitum tubarum convocatis atque collectis prope caroxolum ipsorum, præceperunt consules Mediolani omnibus hominibus de porta Vercellina & porta Ticinensi, ut ex illa parte Pusterlæ sancti Vincentii Laudenses acriter expugnarent. Illis vero de porta orientali Romana præceperunt, quod invaderent ad Pusterlam de sylva grecia. Illis de porta Cumana & de Porta Nova præceperunt, ut ante portam Imperialem, Papiensem atque Cremonensem se ponerent, & gattum & petrerias illuc adducerent, & ignem cum petreriis in civitatem traherent. Et sic omnibus constitutis, a concione discedentes, cum ingenti clamore ad accipienda arma concurrerunt. Qui postquam fuere bene armati, omnes per illa loca, quibus fuerat eis præceptum, cum vexillis & magno sonitu sunt profecti. Quod Laudenses considerantes, & per portas & *pusterlas* & alia loca, prout melius visum est, se armatos dividentes, & se obviam Mediolanensibus opponentes magnum prælium inter se commiscuere. Ipsi namque Laudenses, qui ad Pusterlam sancti Vincentii concurrerant, cum lanceis & ensibus atque lapidibus se viriliter defendentes, statim duos de Mediolanensibus interfecerunt: quorum unum, dum quidam alius ad se trahere conaretur, ripa Abduæ, supra quam stabat, deficiente, in ipsam Abduam corruit, ibique necatus est, multi etiam ex illis sunt ad mortem vulnerati. Sed & Laudensium multis vulneratis, nemo tamen tunc interfectus fuit. Illi autem, qui ad prædictas portas iverant, magnum prælium à Laudensibus receperunt; à quibus multi ex eis cum sagittis & petreriis, quæ erant intra civitatem, morti sunt traditi. Sed illi Mediolanenses, qui ad portam Papiensem duxerant gattos & petrerias, ferè usque ad fossatum recepti, projicientes ignem cum ipsis petreriis, & *pilotas* seu sagittas igne accensas intra civitatem, Laudensibus se robustè defendentibus, opitulante Deo, nihil eis nocere valuerunt. Illi quoque, qui ad Pusterlam de sylva grecia, quæ de Serravalle dicitur, adeò robustè Laudenses, quos ibi invenerunt, expugnaverunt, quod ipsi intrà portam ipsius Pusterlæ vi maxima impulsi, vix potuerunt ipsam portam claudere. Qua clausa, Mediolanenses foris supra fossatum juxta collinum euntes, in quibusdam partibus ipsum collinum extirpaverunt, ita etiam, quod aliqui ipsorum in Serravalle intraverunt, Laudensibus resistere non valentibus. Quod Laudenses considerantes, maximo timore perterriti, plurimi eorum usque ad alium fossatum fugerant: alii verò potius mori volentes quam civitatem sic amittere, Mediolanensibus acriter occurrendo, illos, qui intraverant, summa vi ejecerunt, duobus de his occisis, & duobus aliis foras exire properantibus, & in Abduam currentibus, ibi mortuis: Alii verò omnes præ timore nimio de fossato transeuntes, vix de fossato exire valuerant. Ibi fuit interfectus Theobaldus Bardonus

(*) i. e. pulverem.

à Mediolanensibus, & multi alii Laudenses fuerunt ibi vulnerati: Levachesia quoque Gambarus Mediolanensis ictu petræ fuit occisus. Quidam verò alii de Mediolanensibus per mediam paludem de Sylva Græca intrantes, & fossatum transgredientes, supra costam civitatis ascenderunt ex ea parte, ubi est Domus Henrichi, quæ dicitur Sertozani, filii Riccardi. Ibi fuerunt eis obviam pauci, inter quos fuit Ligabos, qui dicitur Scanpigna; qui cum magno lapide sic unum de eis percussit, quod ipsum semivivum usque in fundum fossati in aquam projecit; quem vix tunc de fossato extraxerunt socii. Sed cum maximum prælium per magnam partem diei Mediolanenses commisissent, videntes, se parum posse Laudensibus nocere, tum propter fossata maxima, tum propter paludes, quibus civitas erat circundata, tum etiam propter multitudinem Laudensium bene armotorum & se fortiter defendentium: à prælio recesserunt, ad sua tentoria revertentes. Laudenses verò Cremonam atque Papiam quamprimum suos nuntios miserunt, qui illis nuntiarent atque Imperatori, qui tunc erat Papiæ, quæ fuerant acta, & intimarent; etiamque ab eis auxilium postularent. Sero autem facto venerunt *Placentini* in auxilium Mediolanensium, per medium Portæ Cremonæ ferè usque ad paludem castra ponentes. Laudenses autem per totam noctem civitatem undique cum multis armis custodiri fecerunt. Interea unus de Placentinis ad portam Papiensem ea nocte veniens, multa injuriosa verba Laudensibus, qui portam custodiebant, inferre non cessabat. Ex quo Laudenses dolore commoti, & tamen quasi verba illius vilipenderent ostendentes, tandem privatim per fossatum & per aliquam tumbam egredientes, & post terga ipsius Placentini ex improviso irruentes, ipsum fugere nequeuntem multis plagis interfecerunt. Altera verò die, quæ fuit Martis, ipsi Mediolanenses & Placentini ad prælium benè armati venientes, summo mane viderunt Cremonensium partem ex alia parte Abduæ venire in succursum Laudensium. Quapropter Laudenses læti valde, contra Mediolanenses & Placentinos clamare cœperunt, ut ad prælium venirent. Sed ipsi perterriti statim signo dato tentoria cœperunt deponere, omnesque pedites cum plaustris & *carazolo*, super quod *maxium vexillum album cum cruce rubea* deferebatur, abire cœperunt. Deinde Placentini primo recesserunt, timentes plurimum, ne Imperator cum Papiensibus eos inveniret. Postremum omnes equites Mediolanenses, se simul congregantes, post pedites suos & plaustra abierunt. Qui cum octo diebus ad obsessionem civitatis Laudæ stare disposuissent, nec unum etiam diem & dimidium, timore Cremonensium & etiam Imperatoris, stare fuerunt ausi; qui se maxime præparabant ad succursum ipsorum. Sed ne frustra Laudam venirent, laboremque paterentur, legatos miserunt Papiam, qui omnia, qualiter acta fuerunt, eis indicarent.

Postea vero die Mercurii, quæ fuit tertia dies mensis Augusti, & in qua fuit festum sancti Gaudentii & inventio sancti Stephani Protomartyris, fuit inceptus murus civitatis Laudæ à Tinta Mussa de Gava de Cremona in angulo civitatis supra paludem de Sylva græca propè portam Cremonensem, & *D. Albericus Laudensis Episcopus*, qui fuit de progenie procerum de Merlino, primum lapidem in fossatum ipsius muri suo manu projecit. Octavo autem die prædicti mensis in festo sancti Ciriaci Martyris, iverunt Laudenses equites & pedites cum duabus eorum petreriis, & cum parte Cremonensium equitum, qui aderant tunc Laudæ, ad pontem, quem Mediolanenses reædificaverant, ad Cropellam super flumen Abduæ, ut ipsum pontem destruerent: quem maxima vi captum partim combusserunt, partim in aqua projiciendo totum dissipaverunt, capientes aliquos de his, qui pontem custodiebant, cæteris fugiendo evadentibus.

Sequenti verò die Martis, in quo fuit festum Sanctorum Firmi & Rustici, & vigilia Beati Laurentii, factum est *prælium inter Imperatorem & Mediolanenses* apud castrum *Carcani*: quò etiam Brixienses equites in succursum Mediolanensium venerant in ultima hebdomada prædicti mensis, & castellum magnum & manganos construxerunt ad castrum ipsum Carcani capiendum, quod erat de parte Imperatoris. Quapropter Imperator sanctissimus cum suis fidelissimis amicis ivit ad auxilium illorum de Carcano, cum paucis equitibus Papiensibus, & cum equitibus & peditibus Novariæ atque Vercellarum, & Cremensibus, & parte illorum de Seprio, & de Martesana, & cum *Marchione de Monferrato* & *Comite de Blandrate*, & cum paucissimis Theutonicis, inter quos fuit *Dux Bertaldus de Zarugo*, qui cum paucis suis militibus venerat ad Imperatorem de terra Theutonica cujusdam sui negotii causa, & *Dux Bohemiæ* & *Comes Conradus de Balamixe*, & quidam alii. At verò Mediolanenses & Brixienses ita circumdederat Imperator, quod victus eis ferri nullatenus poterat. Quapropter Mediolanenses multum perterriti, qui Mediolanum reverti non poterant, nec ibi stando victum habere valebant, quid facere deberent, ignorantes; tandem tamen, ut sæpe solet accidere, necessitas consilium reperit, & fortunam pugnæ potius tentare proposuerunt, quàm ibi morantes fame perire. Vnde ipsi Mediolanenses in ipso die Martis prædicto prælium cum Imperatore

tore cœperunt. Imperator vero cum suis Theutonicis & aliquibus aliis robuste contra Mediolanenses irruens; ferè usque ad *Carazolum* ipsorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanensium, eos impulit, & magnam ipsorum peditum copiam, maximè de porta Romana & porta Orientali, quæ vulgariter dicitur porta Rienxa, interfecit: & boves ipsius Carozoli occidit, ipsumque Carozolum incidit, & crucem deauratam, quæ super perticam Carozoli erat, atque vexillum ibi positum, abstulit: & multos ex ipsis tam equites quam pedites ad tentoria duxit. Ex alia vero parte prælii, ubi major pars equitum Mediolanensium & Brixiensium erant contra Novarienses & Cumenses & alios multos, qui erant ex eo capite prælii: unanimiter irruentes cohortes Brixienses & Mediolanenses, maximam de eis stragem fecerunt, & maxime de Novariensibus, multos ex ipsis capientes, & multos interficientes, ut plures duobus millibus fugaverint. Interea orta magna pluvia redierunt ad castra. Paulò verò post *Mediolanenses* & *Brixienses* armis reassumptis ad prælium currunt. Econtario Imperator videns, se cum paucis Theutonicis & non multis aliis relictum, decrevit potius bello fore cedendum, quam pugnando superari: sicque versus Cumas cum illis, quos adhuc secum habebat, profectus est, multa tentoria multosque, quos ceperat in bello, ibi relinquens. Mediolanenses verò & Brixienses, castris Imperatoris expoliatis, & multis de suis, qui capti fuerant, recuperatis, desertoque eis campo, cum ingenti gaudio, ut in talibus fieri solet, cum magno clamore ad castra redierunt: suorum cadavera colligunt, & multa plaustra ex eis onerata Mediolanum mittunt. In illo autem prælio Mediolanensibus orta est lætitia magna atque magna tristitia: puto tamen, gaudium tunc superasse dolorem. Interea Cremonenses equites & pedites erant Laudæ parati ad occursum Imperatoris, sicut eis ab ipso literis mandatum erat: qui hæc, quæ gesta erant apud Carcanum ignorantes; timentes etiam tam ipsi quam Laudenses, utrum securè & sine obstaculo Mediolanensium ad Imperatorem possent accedere; & avidi nimis honoris & victoriæ Imperii, multum dolebant, si Imperator sine eis cum Mediolanensibus bellum inciperet. Quo circa maximè desiderabant ad Imperatorem quam citissime proficisci. In hac tamen ambiguitate de communi consilio decernunt, ut ducenti equites de Cremonensibus, & octoginta de Laudensibus in Imperatoris auxilium pergant, aliis omnibus tam peditibus quam equitibus Laudæ remanentibus. Die igitur Mercurii, in quo fuit festum Beati Laurentii, omnes prædicti equites circa vesperas iter arripiunt, copiam victualium, Imperatori maximè necessariorum, sicut per literas Laudenses acceperant, secum ducentes; quod quidem in maximum eorum detrimentum redundavit. Propter enim asinos pane onustos & pigriter incedentes tantam in itinere moram fecerunt, quod ipsa die, & in nocte proxima tota ambulantes non potuerunt ire, nisi ad *Marlianum*. In quo loco quidam miles Mediolani, videns eos ire ad Imperatorem, & peracti belli conscius, per aliam viam subito ad exercitum Mediolanensem currendo equitavit, & eis aperuit, qualiter Cremonenses & Laudenses, belli peracti nescii, ad Imperatorem pergerent. Quo audito, Mediolanenses dato signo statim ad eos equitant, ipsosque inter locum *Canturii* & castrum, quod dicitur de *Baradello*, inveniunt quasi circa horam tertiam die Jovis super quandam aquam & paludem, ubi dicitur *ad aquam nigram*. Vbi clamore magno super eis irruentes, ex improviso cum aliquibus Cremonensibus & Laudensibus subito revertentibus bellum inceptum est; & aliquibus utrinque mortuis, aliis vero captis, Cremonenses & Laudenses non valentes resistere, in fugam sunt prorupti. Quorum aliqui fortuito per quandam viam fugientes bene evaserunt. Alii vero, magna pars, per medium aquæ paludis, quam parvam extimabant, transeuntes præ magnitudine luti, quod erat in aqua, vix transire poterant: equis & armis in luto relictis. Ibi fuerunt capti de Laudensibus decem equites, & 14. de Cremonensibus, ducentis equis ibi amissis. Imperator verò, qui tunc erat in Baradello, subito, quæ gerebantur, cognoscens, confestim in succursum Laudensium & Cremonensium veniens, quatuor cepit de Mediolanensibus, qui paludem transierant, reliquis in fugam conversis. Quidam Laudensis, qui dicitur Carnevalis de Erzago, inter frondes cum equo suo præ timore latitans, quendam probum militem, qui dicitur Burgerius de sancto Seprio de Mediolano cepit, & in terra eum suffocavit, ut à suis, qui erant intra frondes, multum quærentes, si quos possent capere, non posset habere auxilium clamando. Laudenses itaque & Cremonenses, qui evaserunt, cum Imperatore Cumas iverunt, Mediolanensibus ad sua castra redeuntibus. Ibique prædicti Cremonenses & Laudenses, accepta ab Imperatore licentia, die Veneris discedentes à Cumis, per Novariensem Episcopatum Papiam venerunt, Laudamque reversi sunt. Tertia decima autem die Calend. Septembris, qui fuit dies Veneris, qui obsidebantur in castro *Carcani*, ex improviso castrum egredientes, & ignem supponentes in castello ligneo, quod ibi Mediolanenses construxerant Carcani capiendi causa, totum combusserunt, Mediolanensibus, qui illud custodiebant, defendere nequeuntibus. Quo dolore Mediolanenses commoti, & ipsum castrum nequaquam posse capere cernentes: timentes

mentes etiam, ne Imperator reassumptis viribus cum Papiensibus, Cremonensibus atque Laudensibus, aliisque Lombardiæ civitatibus ibi eos comprehenderet, vel ad civitatem Mediolani devastandam ipsis absentibus pergeret; sequenti die Sabbati Carcanum deserentes, Mediolanum revertuntur.

Sequenti vero die Mercurii, in quo fuit festum sancti Bartholomæi Apostoli, ivit *Imperator* cum maximo exercitu Cremonensium, Papiensium, Laudensium, Marchionum & Comitum, & cum Papiæ navigio, & cum petreriis duabus Laudensium, ad pontem Placentinorum, quem ex navibus per mediam Placentiam construxerant, destruendum; & in die Jovis summo diluculo cœpit pontem expugnare. Quem Placentinis ab initio defendentibus, duæ petreriæ subito exiguntur. Quapropter Placentini pontem sic integrum se non posse defendere considerantes, ipso toto destructo, ad suam ripam naves omnes integras conduxerunt. Ipso quoque die maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, & maxime illis de Porta Romana, scilicet, quod bene tertia pars Mediolani totius combusta est: nec fuit aliqua porta in toto Mediolano, quæ ex aliquo latere non combureretur: & magna aura tunc ventilante, multæ domus optimæ, in quibus valde confidebant, combustæ sunt. Et idcircò ad inopiam & summam necessitatem pervenerunt, amissis in igne omnibus victualibus tam hominum quam jumentorum, & vestibus. In sequenti die Veneris reversus est *Imperator Papiam*, ubi fecit ipse Imperator eo tempore jurare *Episcopos Novariensem, Vercellensem & Astensem*, & *Marchionem Guilermum de Monte Ferrato*, & *Marchiones de Albusco*, & *Marchionem de Langusto*, & *Marchionem Obizonem Malaspinam*, & *Comitem de Blandrate*, & *Comites de Cavaliate*, aliosque multos Lombardiæ Prælatos & Principes, ad dandum sibi milites & arcatores, atque ballistarios; qui secum Papiæ habitarent à festo sanctæ Mariæ de Septembri usque ad Pascha Resurrectionis.

Post hæc autem Imperator cum Cremonensibus, Papiensibus parteque Laudensium, & cum Papiæ navigio, & cum duabus petreriis iterum ivit ad pontem Placentinorum capiendum & destruendum in die Mercurii, quæ fuit die 13. Calendis Novembris indictione octava. Quod Placentini præsentientes, ipsum pontem destruxerunt, reducentes omnes naves usque ad ripam Padi, quæ est versus Placentiam. Sed Laudenses ibi in quodam *mexano*, quæ insula dicitur, prælium cum Placentinis incipientes, unum ex ipsis interfecerunt. Eodem die captus est Bagna Gatta, qui in itinere Papiæ latitabat die ac nocte in nemoribus, cum multis aliis suis sociis, ad capiendum Theutonicos & omnes, qui erant de parte Imperatoris: & qui audacissimus deprædator erat, & multos ceperat & etiam interfecerat de his, qui fuerant amici Imperatoris: & qui magis timebatur, quam aliquis Mediolanensis. Cumque Laudam duceretur, quidam Papiensis pedem sibi tunc truncavit. *Imperator* vero considerans, se tunc Placentinos non posse multum lædere, *Cremonam* est profectus.

In die vero Veneris, quæ fuit quarta Calendis Novembris, *Mediolanenses*, qui pontem custodiebant de Ponterolo, qui tunc levabatur, cum *Comite Henrico de Crema* aliisque militibus Cremensibus, à Dovaria versus Laudam venientes, fere usque ad portum publicum velociter concurrere; maxima ipsorum parte in villa Dovariæ relicta, ut ibi latitarent & Laudenses caperent. *Laudenses* autem, ut clamorem audierunt, cum magno fremitu ultrà pontem Abduæ subito armati equitantes, & acriter Mediolanenses insequentes, antequam Dovariam redire possent, eos ceperunt, & cum de Laudensibus non essent ibi congregati plures viginti, qui alios præcesserunt, inter Mediolanenses ferientes, aliquos ex eis prostraverunt ab equis, & Albertum de Enxago; reliquis Mediolanensibus in fugam conversis, quia nolebant resistere, donec ad suos latitantes confugissent. Interea latitantes aspicientes, quia Laudenses jam appropinquaverant, repente prosiliere super Laudenses: qui adhuc ibi pauci cũ essent, resistere non confidentes, terga subito vertunt. Vbi de Laudensibus quatuor sunt capti, videlicet Arialdus de Arziago, qui fuit Mediolanensis, sed post captione Cremæ civis Laudæ fuerat effectus; & Bernardus de Bagnolo, qui de alia captione jam fuerat redemptus, & Otho Denarius, atque *Manfredus Morena filius meus*. Quibus captis Mediolanenses & Cremenses reverti cœperunt. Interea Laudenses tam hi, qui præcesserant, quam qui sequebantur, insimul collecti, usque prope castrum *Ripaltæ* post Mediolanenses equitaverunt. Quos Mediolanenses conspicientes, revoluti ab eis steterunt; Laudensibus quoque stantibus, & eos à longè prospicientibus: & utraque acie alteram formidante, neutra fuit alteram invadere ausa. Laudenses denique, cum per aliquod tempus sic dubii stetissent; videntes, quod nihil possent lædere Mediolanenses, tum quia plures illis erant, tùm etiam, quia castrum Ripaltæ erat eis ad tutelam; cum jam nox esset, domum revertuntur. In tota autem illa

hyeme

hyeme stetit *Imperator Papiæ* cum militibus, quos Episcopi & alii Principes Lombardiæ sibi tribuerant, & cum paucis Theutonicis.

Dominica autem prima Quadragesimæ, quæ fuit anno MCLXI. mensis Martii autem duodecimo die indictione nona, & in qua tunc fuit festum sancti Gregorii, venerat militia Placentinorum in *Lodesanam* in quodam nemore, quod dicitur in *Butegnano*, & prope *Meregnanum* se occultaverunt, ut Laudenses caperent, si quos invenirent. Ex contrario vero Laudenses præcedenti nocte equitaverant versus easdem partes, ut Placentinos offenderent, si quos invenissent in Lodesana: & cum ipsi quoque in prædicto nemore se deberent occultare, in primo diei octo viderunt Placentinos in nemore latitantes. Tunc videntes Laudenses inermes adhuc, utpote hujus latitationis ignaros, velociter bene armati super eos currunt; qui improvidi hujus rei, & sine *dextreriis* & absque armis venientes, non valentes Placentinorum multitudini resistere, in fugam convertuntur, & ex eis multi capiuntur. Inter quos fuit Vgerius de Villa, Oldratus Mondalianus, Petrucius de Pusterla, Gualterius de Riccho, Oliverius, Jacobus & Zerbus de Abonis, Castellus de Enzago, Maldotus de Vignate, Otho Medius parens, Vivianus de Vaveri, Albertus Barbonus, Anselmus de Corello, Mussus Garbanus, Zamuillus de Guasco: & de servitoribus communis Laudæ fuerunt capti Gratianus Ponitannes, qui dicitur de la Turre, Guffredus Aramtus, & quamplures alii: Albertus verò de Sexto fuit ibi occisus. Ex Placentinis autem duo capti sunt, Vbertus de la Porta, & unus alius, & quinque ipsorum equi. Deinde sequenti die Veneris, quæ fuit die 17. prædicti mensis Martii, proficiscuntur *Mediolanenses* obsidere castrum de *Castillione*, quod est in *Comitatu Sepriensi* cum manganis & petreriis & Gattis, ipsumque graviter expugnare cœperunt. Ex converso hi, qui erant in castro, se pro posse muniunt, suos ædificantes manganos: & cum optimis ballistis sæpe sagittantes, ac Mediolanenses multoties ex improviso aggredientes, multos sauciant, pluresque occidunt, & quosdam capiunt. Postremum autem non valentes (*) usque ad murum castri Gattum reducentes, adeo coarctant eos, quod ipsi non poterant accedere ad aquam, quæ erat extra castrum, nec intra castrum quicquam aquæ habebant. Quo circa ipsi oppidani ad maximam necessitatem, aqua deficiente, deducti sunt. Gattum tamen Mediolanensium summa vi incendunt, multosque ex his, qui erant intus, capiunt, & alios detruncant. Legatos deinde ad Imperatorem nocte mittunt, qui ea, quæ geruntur ad castrum, sibi denuntient, ab eo auxilium subitum implorando. *Imperator* igitur, ut hæc audivit, *Laudam* venit die Martis sancto, & ibi maximum colligens exercitum ex *Parmensibus*, & illis de *Regio*, *Cremonensibus* quoque ac Pergamensibus, & his de *Vercellis* & de *Novaria* & de *Papia*, & Ducibus etiam & Marchionibus atque Comitibus, aliisque Principibus, ad castra auxilium ire disposuit. Quod Mediolanenses intelligentes, quia putabant, quod Imperator parvum exercitum congregasset, factum Imperatoris parvi pendere cœperunt, palam in concione dicentes, se ab obsidione castri non discessuros propter Imperatorem, nec ejus exercitum, quem posset de Lombardis colligere, donec ipsum castrum caperent. Die vero Veneris sancto cum dicto exercitu, qui supra *Lambrum* castrametatus fuerat, inclytus Imperator, & cum *Comite de Barollona*, qui ad ipsum venerat cum 60. militibus, ad præfati castri tendit auxilium. Cum autem Mediolanenses pro certo cognovissent; scientes, Imperatorem esse tam robusti animi, quod nullatenus dimitteret, quin prælii fortunam cum ipsis experiretur: metu maximo compulsi, reversi sunt Mediolanum die Sabbati, relictis apud castrum manganis & petreriis atque Gattis, aliisque eorum machinis igne combustis. In die autem Paschæ majoris, Cremonensibus aliisque militibus multis, qui cum Imperatore iverant, Laudam reversis, in sero magna pars portæ Imperialis usque ad ipsam portam combusta est per Scutiferum cujusdam militis Cremonensis, qui non sapienter in quadam domo portabat ignem. Eodem mense Martii fuit inceptum *Palatium Christianissimi Friderici Imperatoris Laudæ, prope Monasterium sancti Joannis supra costam fluminis Abduæ.* Post hæc verò die Martis, quæ fuit quarta die sequentis mensis Aprilis, in festo sancti Ambrosii, Placentini equites, qui venerant usque ad sanctam Mariam, quæ dicitur in strata prope fossatum album causa deprædandi, ex Laudensibus eis occurrentibus ceperunt Trincafolium de Pusterla, qui tunc esset Potestas Laudensis, & Vgonem de Pusterla, & Joannem de Overgnate, & tres alios: Laudenses vero quendam nobilem militem de Placentia, qui vocabatur Jacobus Vicedominus, interfecerunt.

Interim gens Theutonica maximè fremens, quod Imperator adeo cum paucis Theutonicis relictus erat in Lombardia, quod plenariè non valebat expugnare Mediolanum, ad ejus auxilium obnixe se præparavit, Inter quos fuit *Lantgravius cognatus Imperatoris*, & *Conradus*

(*) Lacuna.

radus Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, atq; Fridericus frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris, Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentum milites bene armatos. *Raynaldus* quoque *Cancellarius*, & tunc *electus Archiepiscopus Coloniæ*, duxit secum ultra quingentos milites. *Filius* quoque Regis Bohemiæ unà cum *Duce Bohemiæ, patruo suo*, ultra tercentos equites secum duxit, alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites & alii nobiles in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt. Imperator itaque in die Lunæ, quæ fuit tertio Calendis sequentis mensis Junii, in festo sancti Maximi, cum dictis Principibus & maxima quantitate Lombardorum supra Mediolanum tendit, ad eorum segetes devastandas; & devastaverunt ipsas segetes usque ad *sanctum Caremolum*, & ad Ecclesiam omnium Sanctorum, quæ est in capite *Broili*, & Ecclesiam sancti Barnabæ & *monasterium sancti Dionysii;* fixeruntque castra ea die à *Cassina Guazine de Aliete* usque *Morsengiani*, ibique per biduum stantes, omnes segetes ac partem Mediolani devastaverunt. In sequenti vero die Mercurii castrametantes, ad Sanctum Dionysium hospitati sunt, & tunc Mediolanenses ab alia parte armati exeuntes, magnum prælium cum Papiensibus, aliisque Lombardis inceperunt, & captus est quidam nobilis Mediolanensis, qui vocabatur Adam de Palatio. Quem statim Imperator videntibus Mediolanensibus fecit suspendi . . . . utrinque captis & aliis vulneratis, quibusdam mortuis, prælium est diruptum.

Item sequenti die Jovis Mediolanenses usque ad castra pergunt; quibus Papiensibus aliisque Lombardis acriter obstantibus, post magnam inter eos pugnam tandem ipsi Mediolanenses, utpote pauciores, usque ad fossatum violenter expulsi sunt. Ex eis aliqui capiuntur, alii morti donantur, parsque magna vulneratur: alii vero in fossatum currentes necantur, cæteris inter propugnacula receptis. Ex parte dictorum quoque Papiensium, aliorumque Lombardorum, qui fuerunt ad prælium, alii capti, plerique vulnerati, alii etiam mortui sunt. Theutonici vero timentes præceptum Imperatoris, qui præceperat, ne quis prælium cum Mediolanensibus inciperet, ad prælium non accesserunt. Imperator vero inde discedens, ad Portam Vercellinam cum exercitu suo consedit. At Mediolanenses denuo belli fortunam tentantes, cum exercitu Imperatoris prælium incipiunt. Multi ibi utriusque partis sauciantur: gladiis res geritur, maxima vi certatur, alii confodiuntur. Postremo inde Mediolanenses, qui civitatem exiverant, non valentes resistere tantæ multitudini, intra portam repelluntur: alii in vallum præcipitantur, ut solet in angustis locis fieri, dum omnes properant, invicem sibi nocere.

Deinde Imperator circa Mediolanum usque ad Portam Ticinensem proficiscens, totas segetes devastavit: vites & arbores succidit: & circa Mediolanum ferè per decem dies se revolvens, omnia, quæ circa Mediolanum erant, devastavit. Denique à civitate recedens, *blada*, vites & arbores, ac loca per decem ac etiam per quindecim milliaria à civitate distantia, dissipando, cum omni suo exercitu *Comazum & Cornelianum*, quod dicitur *Bertarii*, revertitur: ibique pene toto exercitu Theutonicorum relicto, Cremonensibus & Papiensibus aliisque Lombardis licentiam domum redeundi concessit, & cum paucis suis Principibus *Laudam venit ad Concilium* à D. III. *Victore Papa* die Sabbati, quæ fuit vigesima septima mensis Junii. (*)

Sequenti vero die, in quo fuit Festum sanctorum Gervasii & Protasii, inceptum est sacrum *Concilium*, quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat. Postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratum. In quo *Dominus Imperator* cum suis Principibus, & *Dux Bohemiæ* & D. *Pellegrinus Aquilegiensis Patriarcha*, & *D. Guido electus Ravennæ Archiepiscopus, & D. Raynaldus electus Archiepiscopus Trariensis, & D. Viavensis Archiepiscopus*, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum aliorumque Clericorum, qui venerunt ad Synodum seu Concilium, unanimiter confirmationem approbaverunt, quæ in præterito anno Papiæ jam facta fuerat de ipso *D. Papa Victore*. Fuerunt autem in ipso Concilio recitatæ *literæ excusatoriæ Regis Datiæ, Regis Novegiæ, Regis Vngariæ* & *Regis Bohemiæ*, & *sex Archiepiscoporum & viginti Episcoporum* multorumque Abbatum, tam *Claræ Vallensis* quam aliarum congregationum atque Præpositorum; in quibus omnibus literis continebatur, ipsos Reges cum universis eorum Provinciis, prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & Præpositos velle se tenere præfatum *D. Victorem pro Papa & Domino, & se velle ratum habere hoc totum, quod D. Victor statuit in ipso Concilio* cum aliis ibi præsentibus.

In ipso etiam Concilio fuerunt examinati *Dominus Vbertus de Pirovano Archiepiscopus Mediolanensis* una cum Consulibus Mediolani, & *Episcopus Placentinus, & Episcopus Brixiensis*; & *Pla-*

(*) Supplendum: *indictum* aut simile quid.

& *Placentiæ* & *Brixiæ* Consules omnesque ipsorum Consiliarii, ac etiam omnes illi, qui interfecerunt *Moguntinum Archiepiscopum*, & qui in ejus morte consenserunt: & *Episcopus Boniensis* & . . . . . depositi fuerunt irrecuperabiliter. *Episcopus* vero *Paduanus* & *Episcopus* . . . . usque ad Calendas Augusti termino eis dato ab officio suspenduntur, & hæc acta sunt in die Jovis, cum festum sancti Jacobi Alphei.

Finito denique Concilio, D. *Vercellensis Episcopus* una cum multis aliis Episcopis Papiam tendere volentes, à Potestatibus Laudæ postulant secum Laudenses milites, ut securius incedere valeant. Quibus ad Episcoporum placitum à Potestatibus missis, cum jam per decem milliaria equitassent versus Papiam, apparuerunt eis viginti quatuor milites Mediolanenses, post quos currere cœperunt. Mediolanenses vero putantes, quod Laudenses, qui non erant, nisi viginti duo, satis plures essent, terga subito vertunt ad nemora fugientes; & Laudensibus eos cum magno clamore persequentibus, de equis se dejecerunt, ut in nemore se occultent, & ab oculis Laudensium, qui adhuc longe distabant, penitus disparuere. Laudenses vero ad nemus pervenientes de equis descendunt, & Mediolanenses interficiendos quærunt. Postremo novem de equis ipsorum invenerunt, & quatuor Mediolanenses captos in carcerem Laudam ducunt, videlicet Flamenghum de Hermenulphis, & Suardum de Corezo, & Othonem de Faroldis de Mulinaxo, &c.

In sequenti verò die, in quo fuit festum sanctorum Prosperi & Severæ virginis, cepit D. Imperator *Rocham*, quæ dicitur *de Cornu*, cum pluribus centum hominibus, qui erant intus inter rusticos; quos, tota Rocha exarsa & dissipata, fecit in carcerem detrudi. Sequenti etiam mense Julii cepit *Comes Gazolinus Theutonicus*, & quem Imperator proposuerat illis de *Seprio* & de *Martesana*, castrum de *Blandrone*, & omnibus dimissis, quos intus invenit, totum ipsum castrum combussit & omnino destruxit.

Postea quoque die Lunæ, quæ fuit septimo die sequentis mensis Augusti, ceperunt Placentini 14. milites Laudenses: videlicet Margotum & Gruelam de Abonis, & Guielmum de Fissiraga, & *Vergondium Filium Oldrati Morenæ*, & decem alios. Ipso eodem die, cum Imperator inclytus cum suo duntaxat Theutonicorum exercitu & Bohemensium prope locum, qui dicitur Cerrum hospitatus esset: Mediolanenses ad Lantgravium & Ducem Bohemiæ, & ad Palatinum Comitem, fratrem Imperatoris, Legatum mittunt, denunciantes, Mediolani Consules velle cum ipsis Principibus colloquium habere: & sic utrinque fide data invicem, Consules Mediolanenses nihil molesti timentes, dum ad præfatum colloquium veniunt, *milites Cancellarii*, colloquii statuti & fidei datæ ignari, Consulibus occurrentes, prope monasterium de Bagnolo eos ceperunt. Milites autem Mediolani, putantes Consules suos esse perditos, post milites Cancellarii pro suis Consulibus recuperandis velociter currunt, præliumque inter eos inceptum est. Quibus sic dimicantibus, *Lantgravius* & *Dux Bohemiæ* atque *Comes Palatinus de Rheno*, audientes Consules esse captos, quibus fidem tribuerant, non modicè indignati, Cancellarium hujus rei ignarum, qui adhuc erat in castris, proponunt interficere. Quod Cancellarius audiens, ad Imperatorem subito proficiscitur, & quomodo se inscio Consules Mediolani à suis militibus capti fuerant, asseverat. Imperator prædictis Principibus . . . . (*), ne quid molesti contra Cancellarium præsumant. Postmodum ipse Imperator cum suis & *Ducis Friderici de Rotemburgo*, aliorumque Principum militibus ad prælium currit. Dux vero Bohemiæ & Lantgravius propter iram & indignationem, ipsum Imperatorem secuti non sunt. Cum prope prælium venisset Imperator, præcipit Duci de Rotemburgo, ut à montis parte via per ipsos cum suis curreret, & quibusdam aliis Principibus ab alio latere, similiter per campos cum vexillis currerent, hostes ex duabus partibus alacriter & intrepidi aggressuri: ipse vero per viam, in qua bellum fiebat, fortissimum prope locum, ubi dicitur ad Cassinam Grazive de Aliate, cum suis hostes invadere disposuit. Quibus omnibus sic secutis, ut statuerat, Mediolanenses ex transverso ab utroque latere videntes properare Theutonicos, & se non posse ipsis resistere cognoscentes, quia maxima pars equitum Mediolani detinebatur, versus civitatem fugiunt. Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad portam fossati, & ex ipsis triginta milites & CCLVI. pedites cepit, quos omnes postea Laudæ in carcerem detrusit. Plures vero milites & pedites cum gladio, in fossato præcipitando, interfecit; & super portam fossati, dum acriter Imperator inter hostes præliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur. Tandem Mediolanenses intra portam se recipiunt, & ipsorum quamplures in Ecclesiam sancti Laurentii confugiunt,

 non

(*) Supplend *præcipit*, *injungit*, aut simile quid.

non audentes ad portam accedere, & ipsa Ecclesia, tum quia fere non erat, (*) tum etiam, quia non poterant expugnari, nisi per ostium Ecclesiæ, viriliter se defendentes, illæsi permanserunt. Imperator igitur cum suis ad castra cum gaudio ingenti revertitur.

Sequenti vero die Mercurii prope sanctum Donatum castrametatus est, segetes Mediolanensium quotidie devastans. Deinde proximo die Sabbati, prælio commisso inter Theutonicos & Mediolanenses ante portam Mediolani, tres milites Mediolani interfecti sunt, scilicet Cacciaguerra de Sorocina, & filius Guarverii Grassi & quidam alius.

Sequenti vero die Lunæ Imperator in brolio non multum longè à fossato Mediolani, à Porta Ticinensi usque ad Portam Rentiam castra collocari præcepit, deinde omni die Mediolanensium segetes depopulans, civitatem circumibat, & si quos de Mediolanensibus, qui pro lignis accipiendis exibant, capiebant illi de exercitu Imperatoris, manum cuique ipsorum detruncari præcipiebat, ut tam divites quam pauperes timerent, nec civitatem egrederentur. Et sic quasi omnes Mediolanenses segetes & vineas, atque arbores devastans, ferè omnem vivendi spem abstulit eis, & postea Papiam reversus est.

Peritissimus autem Imperator, considerans, se plenariè inhibere non posse Mediolanensibus, quin à Placentia & Brixia mercatum victualium haberent, si Papiæ moraretur: statuit hyemare *Laudæ* cum *Beatrice serenissima conjuge* sua, & cum *filio Ducis Guelphi*, & cum *Friderico de Rotemburgo consobrino suo*, & cum *Comite Rodulpho de Lando*, & cum *Episcopo Parvilengi*, & cum aliis paucis Principibus. Nam Lantgravio, qui conduxerat secum quingentos milites, & fere omnibus militibus Cancellarii, qui fuerant similiter plures quam quingenti, & militibus Ducis Bohemiæ, licentiam domum redeundi concesserat. *Conradum* vero Palatinum *Comitem de Rheno*, *fratrem suum*, & *Guilermum de Monteferrato*, atque *Guidonem Comitem de Blandrate* castrum *de Mombrione* munire, ipsumque custodire cum ipsorum militibus præcepit. Circa Ecclesiam de Ripalta magna propugnacula fossatorum aliarumque machinarum ad defensionem utilium fecit fieri, relictis ibi quibusdam suis militibus, qui ea die noctuque custodirent. *Comitem* vero *Marcoaldum de Gambarana* posuit cum aliquibus militibus in castro de sancto Gervasio, quod est prope *Tricium*, ut sic undique viis quasi occlusis non auderent Mediolanenses mercatum ducere à Brixia vel à Placentia; nec Brixienses vel Placentini, amicissimi Mediolanensium & hostes Imperii, quicquam victualium auderent ipsis Mediolanensibus deferre. Proximo vero mensis Decembris, dum Imperator esset *Cremonæ*, venit *Imperatrix* à Papia *Laudam*: & infra proximos tres dies, venerunt ultra quingenti milites Mediolani, ut Laudenses invaderent. Quorum parte plurima latitante in nemore, quod dicitur sancti Joannis, quasi centum de ipsis usque ad Lavanderium de Pulegnano, quod est multum longe à civitate Laudæ currentes, magnam prædam levaverunt. Laudenses autem & *Dux de Rotemburgo* cum militibus suis, & cum militibus, qui cum felicissima *Augusta* venerant, aliique milites Theutonici, qui tunc erant Laudæ, velociter egredientes, eos ita persecuti sunt, quod fere totam prædam recuperaverunt, aliquibus de Mediolanensibus captis; & eos fugaverunt, usque dum viderunt Mediolanenses, qui latitaverant in auxilium suorum currere. Deinde Mediolanenses, fugientibus Theutonicis atque Laudensibus, fere totam prædam recuperaverunt; pluresque de Theutonicis ac Laudensibus capientes, unum bellicosissimum militem Imperatoris occiderunt. Prope vero Ecclesiam sancti Martini de Cassatis utraque acies inter se diu dimicavit: Sed neutra parte super alteram plenarie currere audente, utpote se invicem timentibus, prælium tandem diremptum est.

Imperator vero Laudæ hyematus nocte dieque, tam Laudenses quam Theutonicos strata custodire fecit, per quæ à Brixia & Placentia consueverant victualia Mediolanensibus afferri. Et si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dexteram manum amputabant eis: Sicque protriti & perterriti sunt Mediolanenses, Brixienses & Placentini, tum quia strata, per quæ ire assueverant, à Papiensibus, & ab his, qui morabantur apud *Munbrionem*, & à Laudensibus, & equitibus Imperatoris Laudæ habitantibus, & à *Mercoaldo* assidue custodiebantur: tum etiam, quia manus amputabantur his, qui mercatum inveniebantur deferre; Mediolanumque ad se invicem proficisci non audebant, & ad tantam inopiam victualium devenerunt Mediolanenses, quod in Sextario salis dabantur duodecim denarii Mediolanenses: in Sextario verò frumenti dabantur duo solidi ad Sextrarium Mediolanensem. Quo circa Mediolanenses considerantes, se non habere tantum, quod usque ad novas segetes vitam perducere possent: scientes etiam, Imperatorem esse tam constantis animi, quod usque ad longa tempora non cessaret ipsos opprimere, donec Mediolanum haberet in sua potestate: consilium inter se habuerunt, utilius esse, cum Imperatore

(*) Deest nescio quid; fortè vox: *accessibilis*.

peratore ad ipsius placitum pacem componere, sibique de offensis satisfacere, & ab eo misericordiam implorare; quam ulterius in tantis angustiis & necessitatibus consistere. Itaque ad Imperatorem incitant, per quos denuntiant, se pro honore ipsius velle murum civitatis & fossatum à sex partibus destruere, & per eum *Potestatem* recipere. Imperator autem habito consilio suorum Principum, & Cremonensium, Papiensium, Novariensium, Comensium, Laudensium & aliarum civitatum & Principum Lombardiæ, legatis respondit, se nolle Mediolanenses aliquatenus recipere, nisi sub eo se ponerent omnifariam sine aliquo tenore, & absque ulla conditione futuri (*), quicquid eis præciperet. Legati vero Mediolanum reversi, quæ ab Imperatore audierunt, sapientibus Mediolani aperiunt. Qui diu inter se revolventes, & dentium stridore frementes, quid faciendum sit, titubabant, subversionem civitatis metuentes, si sic Imperatoris jugo penitus se submittant: paventes etiam, si se taliter Imperatori submittere denegaverint, ne post magna detrimenta iterum, velint, nolint, se ipsi supponi cogantur. Et dum eorum animi sic ab invicem luctantur, postremo quasi omnes in hanc declinant sententiam, se velle potius voluntati Imperatoris parere, & clementiæ ipsius expectare fortunam, quam ulterius in guerra permanere. Remittunt igitur ad Imperatorem Legatos, qui Mediolanensium voluntatem sibi aperiant.

Interea die Mercurii, quæ fuit primo die Kalendas Martii anno Dominicæ Incarnationis M C LXII. indictione decima hora noctis, vento plurimum ventilante, ortus est ignis Laudæ in Valle Sella, qui combussit quasi medietatem Valle Sellæ, & Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Ecclesiam Monialium sancti Joannis cum aliquibus domibus. Sequenti vero die Jovis in Calendis Martii venerunt Consules Mediolani, scilicet *Otho Vicecomes*, Amixo de Porta Romana, Anselmus de Mandello, Gutifredus Maynerius, Ardericus Cassimassa, Anselmus Orto, Aliprandus Judex, Ardericus de Bonate, & octo alii milites Mediolani ante Dominum & Serenissimum Imperatorem in *Palatio ipsius, quod est Laudæ*, cum *Spathis nudis in manibus*; reddentes se Imperatori nomine & vice totius civitatis eorum, & juraverunt omnes, prout placuit Imperatori, quod parerent omnibus præceptis ejus, quod facerent similiter jurare omnes cives Mediolani. Dominica vero proxima sequenti venerunt trecenti milites Mediolani ad ipsum Imperatorem in præfato Palatio, inter quos fuerunt triginta sex vexilliferi, qui *vexilla in manibus Imperatoris tradiderunt*, osculantes illi pedem; ibique fuit *Quintelinus Magister Mediolanensis ingeniosissimus*, & in quo maximam spem habuerant Mediolanenses, & *claves Mediolani Imperatori tradidit in signum totius Civitatis*. Omnes vero tam vexilliferi quam alii juraverunt, quod ulterius bona fide sine fraude observabunt omnia mandata, quæ fecerit eis Dominus Imperator, vel ejus certus missus, tam de personis suis, quam de civitate. Itaque præcepit Imperator Consulibus Mediolani, quod ipsi adhuc facerent venire omnes illos, qui fuerant Consules Mediolani à tribus annis retro, & etiam partem peditum Mediolanensium. Igitur in proximo die Martis venerunt quasi mille pedites cum *Carozolo suo & Vexillo maximo super Carozolum*, & cum nonaginta quatuor aliis vexillis, quæ omnia in duas *Tubas*, quas habebant, Imperatori tradiderunt, in *signum totius Reipublicæ Mediolani*: omnesque supra scripto modo juraverunt. Prima vero die Mercurii abstraxit benignus Imperator Mediolanenses de banno, & præcepit Mediolani militibus, quod adhuc facerent centum quatuordecim milites, ut haberet ex eis quadringentos obsides inter hos centum quatuordecim, & alios, qui venerant jam in die Dominica, & qui erant ducentum octaginta sex. Omnibus autem peditibus tribuit licentiam redeundi domum, præcepitque eis, ut tantum de fossato & muro Mediolani demolirentur per unamquamque portam Mediolani, quod cum exercitu suo possit largiter civitatem introire. Elegit quoque Imperator *sex Lombardos & sex Theutonicos*, qui Mediolanum irent, & universos Mediolanenses præfato modo jurare facerent. Et *ego Acerbus Morena filius Othonis Morenæ, qui deinceps hanc historiam dictavi, qui tunc eram Potestas Laudæ, fui unus de prædictis duodecim*, & usque ad Sabbatum proximum fecimus jurare quasi omnes Mediolanenses, quos invenimus. *Ego* quidem & *Fridericus de Asia, Camerarius Imperatoris*, fecimus jurare habitantes in Porta nova: *Comes Conradus de Balamite* & *Girardus Carnazano* fecerunt fieri sacramenta per Portam Romanam: *Guido de sancto Nazario Papiensis* & *Vgo Theutonicus* per Portam Cumanam: *Monachus Otteriti de Cremona* & *quidam Theutonicus* per Portam Ticinensem. In primo autem die Dominico venerunt centum quatuordecim milites de Mediolano ad inclytum Imperatorem, sicut ipse præceperat, & etiam viginti sex plures, qui præfato modo juraverunt coram Imperatore. Sequenti autem die Martis recessit clementissimus *Imperator Fridericus de Laude*, & ivit Papiam

(*) Legend. fortè: *facturi*.

piam una *cum* benignissima *Conjuge sua* & cum *Duce Bohemiæ* & cum *Friderico Duce de Rotemburgo, qui fuit filius Regis Conradi patrui Imperatoris*, & cum *Marchione Friderico de Saxonia*, & cum *duobus fratribus ipsius Marchionis*, & cum *Comite Oldrico de Lanziburgo*, & cum *Comite Rodulpho* de Lando, & cum *Raynaldo Cancellario*, qui *electus erat Archiepiscopus Coloniæ*, & etiam cum multis aliis tam Episcopis quam Marchionibus & Comitibus Theutonicis, qui omnes erant Laudæ cum Imperatore & cum omnibus fere militibus, quos Laudæ habebat; duxitque secum omnes prædictos Mediolanenses, quos pro obsidibus retinuerat.

Sequenti deinde die Lunæ præcepit Imperator Consulibus Mediolani, ut usque ad octo dies facerent omnes personas, tam masculos quam fæminas exire civitatem Mediolani. Quod equidem licet luctuosè, plenarie adimpleverunt Mediolanenses, euntes Papiam, Laudam, Bergomum atque Cumas, & per alias civitates & loca Lombardiæ. Maxima pars tamen ipsorum stetit circa civitatem circa fossatum, Imperatoris misericordiam expectantes atque putantes, quod Imperator civitatem intrare subito eis concederet, & in ipsa solito amore * habitare. Verum ipse Imperator die Lunæ, quæ fuit sexta die ante Calendas Aprilis, Mediolanum venit cum Principibus suis, & cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Comensibus & Laudensibus, & cum illis de Seprio & Martesana. Qui illuc cum pervenisset, præcepit Laudensibus, ut Portam Orientalem, quæ vulgo Rentia dicitur, totam destruerent; Cremonensibus vero Portam Romanam demoliendam commisit, Papiensibus Portam Ticinensem, Novariensibus Portam Vercellinam, Cumanis Portam Cumanam, illis vero de Seprio & Martesana Portam Novam: qui omnes destructionem sic conati sunt, quod usque ad proximam diem Olivarum tantũ de muro civitatis consternaverunt, quod ab initio à nemine credebatur, in duobus posse mensibus dissipari. Et vero, ut opinio est, quinquagesima pars Mediolani non remansit destruenda; remansit tamen totus murus civitatẽ circumdans, qui adeo bonis & magnis lapidibus confectus fuerat, & quasi centũ turribus decoratus, quod, ut existimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, nec deinceps videbitur, præter fortem murũ Romanũ. Remansit etiam campanile majoris Ecclesiæ, miræ pulchritudinis & magnæ latitudinis atque mirandæ altitudinis, quale nunquam dicitur fuisse in Italia; quod post paucos dies Imperator in terra deponi fecit; quod tunc super majorem Ecclesiam ruens, magnam ipsius Ecclesiæ partem dissipavit. Laudenses autem præteritorum & innumerabilium dolorum memores, quos à Mediolanensibus olim sustinuerant: non solum Portam Orientalem eis commissam ad destruendum plenarie demoliti sunt, verum etiam de Porta Romana magnam partem ad terram prostraverunt. Ipso die Dominico Olivarum reversus est Imperator Papiam, & quicunque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est.

Proximo die vero Paschæ fuerunt *Papiæ* fere omnes Lombardiæ Potestates & quam plures Episcopi & Marchiones & Comites, aliique multi nobiles Italiæ, fuitque ea die *Imperator incoronatus Papiæ ad Missam in Ecclesia majori* una *cum Serenissima Augusta*, cum magnis solemnitatibus maximaque lætitia, *quod Imperator ipse annis retro minimè fecerat. Proposuerat enim, quod ipse nunquam Coronam sumeret in capite, donec Mediolanum* superasset. Post missam vero Imperator dulcissimus fecit invitare ad prandium suum omnes Italiæ Episcopos, Marchiones, Comites & civitatum consules, qui ibi aderant: inter quos fui *ego Acerbus Morena, Filius prædicti Othonis, qui hunc librum composui, qui tunc eram Potestas Laudæ. Comederuntque Imperator & Imperatrix cum Coronis in capite* cum quibusdam Episcopis, qui erant in mensa sua à dextris & à sinistris cum mitris in capite, & aliis ornamentis Episcopalibus; & fuit ipsum convivium in *Curia Episcopi Papiensis*, ubi Papienses faciunt concionem. Fuit autem ibi maxima lætitia maximumque gaudium propter fortunam, quam Deus nuper donarat Imperatori.

Sequenti proxima die Martis fuit jurata *obsessio Placentiæ* coram Imperatore in brolio Sancti Salvatoris de Papia, ab Episcopis & Marchionibus, atque Comitibus & proceribus Lombardiæ aliquibus, & à Potestatibus Cremonæ, Novariæ, Cumarum, Vercellarum & Pergami, & ego *juravi pro Civitate Laudensi.* Quo audito *Brixienses*, iram Imperatoris timentes quamplurimum, die Dominico post octavam Paschæ miserunt Consules suos & plures alios milites Brixiæ ad Imperatorem; qui se Imperatori addiderunt ipsa die, vice totius civitatis, cum *nudis spathis in manibus suis.* Imperator vero eos benigne suscepit, sub his pactis videlicet, quod ipsi destruerent omnes turres Brixiæ, & totum murum civitatis totumque fossatum; & quod per Imperatorem Potestatem reciperent, quemcunque vellet eis dare, & quod ei darent totam illam pecuniam, quam olim à Mediolanensibus receperunt, ut Imperatori resisterent, & ultra hoc sex libras Mediolanensium denariorum veterum: & insuper, quod redderent Imperatori omnes arces & omnia fortia castra, quæ sunt in Episcopatu Brixiæ; & quod jurent omnes Brixienses

* forte: *more.*

xienses obedire omnibus præceptis Imperatoris, tam pro faciendo exercitum Romæ vel in Apulia, & ubicunque præciperet Imperator, quam etiam pro omnibus aliis rebus. Interea *Placentini*, postquam hæc audivere, non leviter terrefacti sunt; tum propter Mediolanenses, & Brixienses, qui ipsorum sustenstaculum fuerant, & Imperatoris jugo se supposuerant; tum etiam propter præfatam obsidionem, quæ super eos jurata fuerat; partim quoque, quia Cremonenses & Papienses atque Laudenses, aliasque Lombardiæ civitates, quæ cum Imperatore erant, inimicos suos esse cognoscebant. Quare, ne per fortiam ab Imperatore aliisque Lombardis caperetur eorum civitas, formidantes, exinde, qualiter amorem Imperatoris ejusque gratiam recuperare possent, tentare assidue non cessabant. Tandem vero ab Imperatore sibi multis datis indiciis, interventu *Domini Corradi fratris Imperatoris*, *quadam* die Veneris duodecima mensis Maj. se reddidere consules Placentiæ cum aliquibus militibus Imperatori Clarissimo apud Sanctum Salvatorem, qui est extra civitatem Ticinensem, cum *spathis evaginatis in manu*; & juraverunt dare Imperatori sex millia marchas argenti, & destruere omnia fossata suæ civitatis & *muros cirules*, & recipere Potestatem, qualem eis dare vellet Imperator; & refutare sibi omnia jura regalia, & dare sibi omnia castra Episcopatus Placentiæ, quæcunque vellet ipse Dominus Imperator.

Quibus omnibus feliciter actis, dedit *Imperator* nobilissimus *Brixiensibus* & *Pergamensibus in Potestatem Marcoaltum de Gambara*: *Mediolanensibus* vero *Dominum Episcopum de Legio*: Placentinis autem primo dedit *Anguinalfum*, deinde *Arnaldum Barbavariam*. *Comitem Conradum de Balamite* præposuit *Ferrariæ*: *Cumensi Comitatui* Magistrum Paganum: & sic in multis aliis civitatibus & castris, alios præposuit. Cremonensibus & Parmensibus atque Laudensibus, & quibusdam aliis, præposuit se sub propriis de ipsis civitatibus regi Consulibus. Deinde sequenti mense Julii felicissimus Imperator cum Duce Austriæ *avunculo*, & cum *Comite Palatino fratre ipsius Imperatoris*, & cum copiosa multitudine tam Ducum quam Comitum, Marchionum atque Episcoporum, aliorumque militum Theutonicorum & Lombardorum versus *Bononiam*, quæ nondum Imperiali jugo plenariè fuerat subdita, iter arripuit. Qui, dum utramque partem *Rheni* castris occupassent, Bononienses terrefacti sunt; quoniam non multum fideliter servivisse Imperatori cognoscebant; & ignorantes, quid facerent, & Bononiæ ruinam timentes, si se Imperiali culmini subderent. Denique, cum se tanto exercitui non posse resistere cernerent, timerentque plurimum, ne sicut Mediolanum, *quod fuerat flos Italiæ*, si rebelles Imperatori existerent, funditus subverterentur: colla magis Imperatori submittere, quam resistere, decreverunt, & ad placitum Imperatoris jurantes, de fossato & de muro civitatis explanando, de pecunia ei tribuenda, ac de Potestate per eum recipiendo, sunt ipsi Domino Imperatori subjugati. *Pollebat* equidem *tunc Bononia in literalibus studiis præ cunctis Italiæ civitatibus*, *quatuor legum Columnis inter cæteros magnifice radiantibus*. Subjugata est igitur plenariè ipsa civitas Bononiæ Domino Imperatori *his quatuor Doctoribus tam excellentibus*: scilicet *Domino Martino Goria & Bulgaro*, *Jacobo* atque *Vgone de Porta Ravegnana*. Post hæc Imperator profectus est *Imolam*, deinde *Faventiam*, civitatibus ipsis ad placitum ejus colla flectentibus. Similiter omnes civitates Lombardiæ & totius Italiæ, & castra & arces, in illa æstate Domino Imperatori subditæ sunt, præter *Guardam*, quæ est prope *Veronam*, quam tunc tenebat procer quidam, *Tirisendus* nomine, qui se Imperatori parere quasi dedignabatur. Contra quem *Comes Marcoaldus* cum Pergamensibus & Veronensibus atque Mantuanis veniens, & quasi per annum ipsam arcem obsidens, tandem cum ipso Tirisendo fœdere composito obtinuit ipsam arcem. Æstatis vero prædictæ mense Augusto statutum est *maximum colloquium in Lombardia* apud *Berenzonam à Domino Papa Victore*, *& ab Illustrissimo Imperatore Friderico*, *& à Rege Franciæ*, *& à Raynaldo quondam Cancellario*, *qui & ipse Apostolicum nomen assumpserat*: ut quis dignus in Apostolicatus honorem sublimandus esset, dilucide discuteretur. Fuitque ad ipsum colloquium præfatus *Papa Victor* & *serenissimus Imperator* cum immensa multitudine Archiepiscoporum, Abbatum, aliorumque Clericorum & Principum atque militum; ibique cum statutum fuisset per decem religiosos Episcopos, quorum quinque *ex parte Papæ Victoris*, & quinque *ex parte Raynaldi* præfati ac *Regis Franciæ*, qui *Raynaldo favebat*, electi essent; ut discuteretur veritas, atque plenarie ex utraque parte indagaretur; prædictus Raynaldus ipsorum decem Episcoporum examini se subdere recusavit. Ita dirupto colloquio Dominus *Papa Victor Cremonam* ivit: *Imperator* vero cum *Serenissima conjuge ejus Augusta* & aliis Principibus, ac immenso Exercitu proficiscitur in Theutonicam.

Post paucos vero dies remisit Dominus Imperator in Italiam *Raynaldum Archicancellarium*, & *electum Archiepiscopum Coloniæ*, *ut vice sua*, *quæ forent ordinanda in Italia*, *statueret* ipse. Archicancellarius aliquantulum in Lombardia & in Marchia, deinde Tuscia & Romania singulas civitates perambulans, sua solertia eximia omnes civitates & Principes Marchiæ & Tusciæ, atque Romaniæ

Romaniæ ad Imperatoris amorem & obsequium mirabiliter provocavit, & ad honorem Domini Papæ Victoris quosdam Episcopos rebelles ei deposuit, aliis in locum eorum subrogatis. Deinde misit in Italiam Clarissimus Imperator quasi circa festum Sancti Andreæ *Hermannum Verdensem Episcopum de Saxonia*, deditque ei potestatem, ut de omnibus causis Italiæ, tam de principalibus quam de litibus appellationum sua vice cognosceret, easque legitimo tramite definiret. Qui & ipse partim Laudæ, partimque in aliis, tam Marchiæ quam Lombardiæ civitatibus sapienter & moderate mandatum Imperatoris adimplevit.

Sequenti vero proxima æstate, quæ fuit MCLXVII. ab Incarnatione, cœpit *Rodulphus Theutonicus, quem Imperator monetæ suæ, quæ fiebat in Burgo Noxeta, præfecerat*, quandam maximam Turrim in ipso burgo, *ad gubernandum ibi intus monetam Domini* Imperatoris: & *apud Magantiam inceptum est maximum Palatium ad ejusdem honorem. Archiepiscopus vero electus Coloniæ fecit castrum de monte malo*, quod est in Episcopatu Laudæ, *reædificari.* Eodem anno redditum est *castrum Gardæ* à *Comite Marcoaldo* Terisendo, cujus ipsum fuerat, & qui usque nunc Imperatori restiterat, omnibus aliis civitatibus & castris atque arcibus Italiæ Imperatori tum suppositis, & quam arcem Guardæ prædictus Marcoaldus partim cum Brixiensibus partim cum Pergamensibus, tum etiam cum Veronensibus & aliis Lombardis quasi per annum obsederat.

Die vero Lunæ, quæ fuit quarta dies ante Calendas Novembris prædicti anni, *reversus est de terra Theutonica Christianissimus Augustus* in civitatem Laudæ *cum Serenissima Conjuge sua*, & cum *electo Coloniæ* Archiepiscopo, & *cum Hermanno Verdensi Episcopo*, & *Conrado electo Mogontiæ Archiepiscopo, qui frater erat Othonis Comitis Palatini*, & cum ipso *Comite Gabardo*, & *Comite Marcoaldo*, & *Comite Conrado de Balamite*, atque cum *filio Ducis Guelphi*, & cum multis aliis Principibus & Baronibus Alemaniæ. Deinde proxima die Sabbati, quæ fuit secunda dies mensis Novembris, *venit Laudam Dominus Papa Victor* cum suis Cardinalibus: & proximo die lunæ fuit ductum à Laude veteri in novam civitatem Laudæ *Corpus Beati Bassiani* Confessoris, cum maximo honore maximaque lætitia. Ipsemet enim *Apostolicus* & Imperator inclytus, & *Patriaca Aquilegiensis* & *Abbas Cluniacensis*, cum aliis quibusdam Episcopis & Archiepiscopis & extra majorem Ecclesiam Laudæ corpus ipsum pretiosum suis humeris portaverunt, & ab aliis deinde tam Clericis quam laicis ad novam Laudæ translatum est. Obtulit autem ipse clementissimus Imperator ad fabricationem Ecclesiæ triginta libras denariorum Imperialium, Serenissima verò conjux ipsius obtulit ipsi beato Bassiano libras quinque.

Deinde quadam die sabbati 16. prædicti mensis Novembris, ivit Imperator cum Imperatrice & universo exercitu suo Papiam, ibique per aliquot dies moratus est. Papiensibus autem ipsum multum rogantibus, jussit murum civitatis *Terdonæ* totum destrui; eo quod Mediolanenses ipsum olim construxerant ad dedecus Imperatoris & Papiensium. Papienses vero magno repleti gaudio non solum murum civitatis, verum etiam domos universas intus ædificatas celeriter destruxerunt. Hyemavit denique clementissimus Imperator partibus illis. Die autem Mercurii, quæ fuit calend. Aprilis anno Domini 1164. indictione 12 reversus est Laudam, & proxima die Jovis *Papiam* profectus est. Præfata vero hyeme fuit inceptum reædificare castrum *de Sancto Columbano* ex præcepto Imperatoris ad ejus honorem & utilitatem, magnumque Suburbium ibi fieri præcepit. Et eisdem temporibus Veronenses & Paduani ac Vicentini, cæterique de illa Marchia, præter paucos Imperatoris fideles, Imperatori se opposuerunt; partim etiam quia dicebant, se a *Comite Palatino, cui Imperator Guardam donaverat*, & etiam ab aliis missis Imperatoris enormiter gravatos esse. Quod ut Imperator cognovit, multum doluit, & nuncios de Cremona, de Papia, de Novaria, Lauda atque de Cumis Veronam misit, qui Veronenses & illos de Marchia commonerent, ut de stultitia, quam inceperant, resipiscerent: & si quod eis molestiæ Nuntii Imperatoris intulissent, plenam inde justitiam ab Imperarore reciperent in Laude. Sapientes Lombardiæ, qui Veronam sunt profecti, convocatis sapientibus Veronæ & Marchiæ, ibi, sicut eis Imperator mandaverat, omnia retulerunt: denique post multa verba hinc inde dicta ad Imperatorem cum Nuntiis ipsius venerunt. Coram quo Papiam cum venissent, & ad invicem de concordia diu tractassent: tandem Imperatore justitiam facere sub nulla potestate volente, recesserunt. Dominus verò Papa Victor die Lunæ primo mensis Aprilis, *in civitate Lucæ fati munus implevit: cujus sanctis meritis dicitur, Deum multa fecisse ibi miracula.* Deinde in locum ipsius D. *Guido Cremensis* substituitur à Cardinalibus tunc ibi existentibus, & à Domino *Raynaldo Archicancellario ac Episcopo Laudensi*, & aliis quibusdam Episcopis in Apostolicæ sedis honorem sublimatus est.

Proximo vero mense Junio profectus est *Imperator* cum militibus civitatum Lombardiæ, & cum paucis Theutonicis usque *prope Veronam*: & multa Veronensium castra & villas dissipavit.

vit. Econtra Veronenses cum multo majori peditum & equitum agmine se Imperatori oppofuerunt. At Imperator considerans, paucos Theutonicos secum fore, & Lombardos tepidè ad ejus auxilium venisse, bellumque si tunc committeretur, damnosum sibi futurum pavescens, cum toto suo exercitu reversus est. Quo dolore commotus in Alemaniam causa congregandi maximum Theutonicorum exercitum ire disposuit.

Ea vero tempestate *quidam Judex de Sardinia de civitate Eborca* maximè opulentus, ad majorem dignitatem provehi desiderans, *ab Imperatore cœpit implorare, ut regio solio decoraretur.* Tandem Principum ac non modicæ pecuniæ interventu, pro posse licet resisterent ac rogarent populi, ne illum Regem constitueret, die Lunæ tertia mensis Augusti *ipsum Imperator Regem Sardiniæ instituit, promittentem & jurantem Imperatori fidelitatem.* Sequenti vero mense Septembri Imperator cum Imperatrice causa colligendi exercitum, ut superius dictum est, in terram Theutonicam cum omnibus fere, qui secum erant ex Theutonicis, perrexit: suosque Missos & procuratores per omnes fere Lombardiæ civitates, qui sua jura suasque rationes, quas in Lombardia habere debebat, colligerent, dimisit.

Qui cum in Alemaniam profectus esset, ibique causa congregandi exercitum plurimum moraretur, prædicti sui procuratores non solum jura & rationes Imperatoris in Lombardia exigebant: sed in septuplo plus, quam sibi de jure deberetur, a Lombardis inique & irrationabiliter extorquebant, & in tantum ipsos Lombardos omnes, tam Clericos quam laicos, magnos & parvos, opprimebant, quod se quasi mortuos reputabant: & cum tam graviter ab ipsis Imperatoris Nuntiis comprimerentur, se ab eis, licet possent, defendere non volebant, Imperatoris magis amore quam timore; dicentes intra se, mala, quæ sibi fiebant, Imperatori displicere: cum ipse veniret, eos a tantis oneribus adjuvabit. Quare adventum suum quotidie expectantes, mala omnia, quæ sibi ingerebantur, pacifice sustinebant.

Imperator * siquidem apud *Cumas Magistrum Paganum* reliquit, *Comitatum Seprienſem Comiti Gazolino* donavit: *Mediolanensibus* autem *Girardum præesse* jussit. *Laudæ* autem *Lambertum de Vignate* suum procuratorem esse constituit, qui etiam omnes Cremonenses distringebat. Apud castrum *Trecii* Ruinum disposuit: quique suas rationes per totam Martesanam & per totum Bergomensem Episcopatum, & etiam usque ad Ripaltam rivam exigerent. *Placentiæ Aginulphum*, quandoque *Arnaldum Barbavariam* - - - - - - - - præcepit. Apud *Brixiam Bertoldum* præesse jussit, sicq; etiam per alias Lombardiæ civitates, quas enumerare longum esset, suos procuratores ordinavit, atque reliquit. Sed cum Imperator in Alemaniam profectus est, ibique legendi exercitus causa moraretur, procuratores illi, quos Imperator in Lombardia, ut supra diximus, reliquerat, non solum hujusmodi - - - - - - - - Imperatoris; de quibus solummodo exactis nullum malum nec scandalum accidisset, neque Lombardi mœsti inde fuissent, exigebant: sed etiam plus de septem, quam Imperatori jure deberetur, ab omnibus injuste excutiebant. Ac in tantum Episcopos, Comites, Marchiones, civitatum etiam Consules, Capitaneos, omnesque fere alios Lombardos, tam magnos quam parvos, opprimebant: quoniam ipsi tum pro amore, tum etiam pro Imperatoris timore ab eis se defendere nolebant. Quod ipsi Lombardi sine maximo personarum & rerum incommodo atque opprobrio, nullo modo sustinere poterant, & maximè Mediolanenses, quibus de omnium terrarum suarum fructibus non nisi solummodo tertium de tertio relinquebant. Atque item Cremonenses, quibus omnium terrarum suarum tertium, ac si ipsi Domini eorum fuissent, auferebant. Præterea per omnem focum, tam bonorum ac nobilium civium in villa seu potius castris manentium, quam villanorum seu rusticorum tot solidos veteres vel Imperialis monetæ, per unumquemque annum solvere ipsos nobiles ac rusticos compellebant. Insuper etiam pro unoquoque molendino, quod in aquis navigabilibus *macinabat*, à Dominis ipsorum molendinorum in aliis aquis macinantium tres solidos veteris monetæ accipiebant. Piscatoribus vero tertiam partem omnium piscium auferebant, & si aliquis præter eorum præceptum aliquam feram bestiam vel volucrem capiebat, & ipsi scire hoc poterant, & bestiam & volucrem captori auferebant.

Præterea omnia districta, quæ Capitanei vel aliqui alii Domini alicujus castri soliti fuerant & ipsi eorum antecessores, per trecentos annos a retro temporibus habere & tenere, in ipso castro aut in villa ipsius castri habitantes; Imperator ipsis Dominis omnimodo abstulerat: nec eos ipsos districtu uti, nec ipsum exercitium exercere permittebant, sed ipsi totum judicabant. Sed quid ad ultimum dicam? nisi quod insuper etiam aliis tantis malis eos quotidiè opprimebant, quæ si per ordinem narrari deberent, nimis difficile redderetur ac in fastidium præ nimia multitudine verteretur. Interea namque, dum Lombardi sic, ut supra dictum est, & etiam multo

* Sequentia, usque ad illa verba: *Interea dum hæc in Lombardia &c.* primus editor Olim, nesciens, an in quibusdam codicibus sint auctaria, in calce operis ponenda judicavit. Notandum autem, præter exactiones, quæ recensentur, injustas, pleraque jam in præcedentibus haberi.

multo magis, opprimerentur; cum ipsi bene ac largè, & sine districtu alicujus in sui libertate vivere ac manere soliti fuerant, & res ipsorum secundum eorum libitum & voluntatem disponere consueverant, nec sub imperio vel conditione alicujus retro temporibus sic districtè steterant, in magnum dedecus maximumque opprobrium, & ultrà etiam quam dici vel excogitari possit, acceperunt, dicentes inter eos, melius esse eis penitus mori, quam hanc talem turpitudinem taleque dedecus eos pati. Sed tamen vindictam facere, vel aliquod malum agere vel excogitare semper differebant: nec aliquis Lombardus fuit (quod ego unquam vidissem, vel ab aliquo audissem) qui aliquam vindictam inde sumeret: quoniam semper Imperatoris adventum quotidie expectabant, dicentes insimul: non credimus, hoc malum & dedecus permissu Imperatoris fieri, sed bene credimus, quod, cum Imperator venerit, sibi hoc displicebit, & omnia mala, quæ nobis ingerunt, penitus removere faciet: nec unquam sit aliquis interim, qui ante Imperatoris advenrum aliquod malum alteri ingerat, sed totum pro Imperatoris amore, donec venerit, in pace sustineamus.

Interea dum hæc in Lombardia agerentur, tandem *Imperator* cum sua nobili conjuge in anno MCLXVI. mense Novembris indictione quintadecima, *reversus est in Lombardiam*, & *Laudam* veniens cum conjuge multisque etiam suis Principibus tam Theutonicorum quam Lombardorum: ibi maximum *colloquium Lombardorum* & *Alemanorum* habuit, & in ipso colloquio cum toto exercitu *Romam* ire disposuit. Tunc vero Episcopi, Marchiones, Comites, Capitanei & alii proceres & magnates Lombardiæ, venientes ante Imperatorem, de prædictis suis procuratoribus & nuntiis durissimè conqueruntur, & mala ab eis sibi illata Imperatori ejusque curiæ ordine retulerunt. Imperator vero hoc audiens, inprimis multum se dolere monstravit; sed tamen in fine querimonias Lombardorum quasi vilipendens & pro nihilo habens, nihil inde fecit. Hoc autem videntes Lombardi, plurimum doluerunt, & quasi existimantes, quod Imperatoris voluntate & consilio, qui de suis querelis parum curare videbatur, tantas injurias sibi fecissent Procuratores sui: timuerunt nimis, ne sibi majores fierent in posterum, deteriusque contingeret. Finito itaque colloquio, & transacta sanctissimæ Dominicæ Nativitatis festivitate, Imperator cum conjuge sua & cum toto exercitu suo, die Mercurii 16. mensis Januarii in anno 1167. indictione quintadecima, *Romam* versus profectus est. Qui cum Bononiam pervenisset, a Bononiensibus obsides petiit. Bononienses vero petitioni suæ libenter obtemperantes, ei plures triginta obsides concesserunt; quos omnes Imperator Parmam misit, mandans, ibi eos omnes diligenter custodiri. A Bononia verò discedens, cum apud *Imolam* pervenisset, ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, & à *Faventibus* & ab illis de *Forlini*, & à *Forli* populo multas pecunias exegit; & ibi circumquaque usque ad quadragesimam & usque ad festum sancti Petri permansit. Deinde ad civitatem *Anconæ* perrexit, & eam capere volens fortiter expugnavit: sed quia ipsa civitas fortis erat valdè & etiam bene murata, cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quamplurimis ex eis vulneratis, multisque mortuis & etiam captis, cum Imperatore fœdus inierunt, magnam sibi pecuniam promittentes, pro qua sibi solvenda, ei quindecim obsides tradiderunt. Hóc verò fœdere inito Imperator inde recedens, versus Romam cepit iter.

Dum hæc autem Thusciæ & Romaniæ ab Imperatore agerentur, Procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos iniquius solito sævientes, ipsos tantis & tam gravibus contumeliis & injuriis affligebant, quod nullo modo sic gravatos se posse vivere existimabant. Quare *Mediolanenses*, qui durius aliis opprimebantur, cum *Cremonensibus*, *Pergamensibus*, *Brixiensibus*, *Mantuanis* & *Ferrariensibus colloquium* statuerunt, in quo, cum omnes insimul congregati, mala sibi à Nuntiis Imperatoris illata ad invicem retulissent: magis mori cum honore, quam miserabiliter vivere eligentes, hoc *pactum* ibidem cum juramento inter se firmaverunt, videlicet: unaquæque civitas alteram adiuvaret, si Imperator aut Procuratores ejus de cætero eis vel alicui earum aliquam malitiam inferrent, vel eos contra rationem in aliquo molestarent: *salva* tamen *Imperatoris omni fidelitate*, quam per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam colloquio certum terminum statuerunt, in quo omnes Mediolanum pergerent, & ipsos Mediolanenses in sua civitate ponerent, & cum eis in ipsa tamdiu manerent, & eos ad fossata eorum relevanda adjuvarent, quamdiu ipsi Mediolanenses se solos ibi manere securiter posse minimè dubitarent. Quibus sic peractis, omnes ab ipso colloquio recedentes, ad suas civitates cum ingenti gaudio redierunt. Appropinquante verò ipso termino, prædictæ civitates Mediolanum venientes cum vexillis & armis, ipsos Mediolanenses in civitatem Mediolani cum magna lætitia mense Aprilis introduxerunt, & eis omnia, quæ promiserunt, impleverunt. Quando vero Mediolanenses putaverunt, se ibi posse manere securè, prædictas civitates, maximas gratias referentes, omnes redire domos suas concesserunt. Hæc autem omnia, cum ad Imperatorem pervenissent, palam se habere pro nihilo, & quasi

& quasi de hoc non curare monstravit. Tamen hæc clam graviter accipiens, doluit vehementer. Posthac verò Cremonenses Ambasciatores Laudam miserunt. Qui cum venissent Laudam, & totam insimul Laudensium credentiam habuissent: rogaverunt eos ex parte Cremonensium, quod ipsi cum Cremonensibus & aliis civitatibus secum conjuratis fœdus inirent, salva tamen Imperatoris fidelitate: dicentes eis, quod si Imperator vel ejus Nuntii vellent eis de cætero aliquod malum inferre, prædictæ civitates eos in omnibus adjuvarent. Laudenses vero id, quod nunquam audire volebant nec putabant, audientes, & in magnum dedecus magnumque dolorem accipientes tunc ipsa verba, inde simul omnes vociferati sunt, dicentes: se magis velle mori, & eorum bona omnia amittere, quam hoc tale scelus perpetrare. Et sic nullo bono verbo à Laudensibus super hoc tunc audito nec habito, Cremonenses, qui putabant, Laudenses omnia sine dubio facere, quæcunque sibi suggererent, discesserunt. Qui cum pervenissent Cremonam, & omnia, quæ à Laudensibus audierant, per ordinem enarrassent, omnes inde valde condoluerunt. Post paucum tempus iterum Cremonenses alios Ambasciatores Laudam miserunt; quibus hoc idem, quod primis, persuadentibus, acrius, quam prius responderunt. Ambasciatores verò talia audientes, quamvis mœsti, statim domum sunt reversi. Postremò igitur Cremonenses multum inde turbati, convocatis aliis civitatibus, & secum colloquium habentibus, sicut cum Laudensibus egerant, & qualiter eis responderant, narraverunt. Qui omnes tam gravem responsionem Laudensium audientes, statim communicato consilio statuerunt, exercitum, quam magnum poterant, facere super ipsos Laudenses. Antea tamen ex eis nobiles & sapientes Ambasciatores miserant, qui ipsos Laudenses ex parte eorum omnium intimè rogarent, quatenus pro totius Lombardiæ sustentatione & honore cum eis fœdus inirent, & pactum & concordiam, sicut etiam per alios Ambasciatores rogati fuerant, secum firmam in perpetuum facerent: & hoc si facere renuerent, scirent, ipsas omnes civitates super eos procul dubio venturas, & totum *Episcopatum Laudensium* igne, præda omnique, alio damno, quo poterunt, vastaturas; & cives ipsius belli manganis, & omnibus aliis ad prælium faciendum & civitatem capiendam necessariis prout melius poterunt, oppressuras. Et si civitatem violenter caperent, sicut bene posse facere putabant, totam ipsam in primis expoliarent, deinde eam igne accenderent & penitus dissiparent; homines insuper & fæminas, quas in ipsa civitate invenirent, occiderent. Ambasciatores autem cum Laudem pervenissent, cum ipsis Laudensibus colloquium facientes, narraverunt sibi per ordinem omnia supradicta. Laudenses verò hoc audito, quamvis mœsti nimis indè forent, tamen propositum suum firmiter tenentes, his Ambasciatoribus hoc idem, quod aliis responderunt. Qui tali responsione habita statim ad eos, à quibus missi fuerant, revertentes, eis voluntatem & responsionem Laudensium narraverunt. Qui cum hoc audissent, adversus Laudenses multum irati, incontinenti super eos exercitum facere decreverunt. Tempore vero inter eos statuto, *Mediolanenses*, *Pergamenses*, *Brixienses*, *Mantuani* & *Cremonenses*, maximum exercitum insimul colligentes, cum navibus coöpertis & discoopertis, atque cum plaustris & ballistariis & cum arcatoribus & manganis & aliis ad prælium faciendum necessariis, die Veneris, duodecimo mensis Maji ejusdem anni indictione decima quinta, venerunt ad obsidendam civitatem Laudensem. Cremonenses namque per totam Sylvam Græcam cum navibus & tentoriis hospitati sunt: Mediolanenses autem cum omnibus aliis, exceptis Pergamensibus peditibus, à Curte, quæ dicitur de Isola usque ad hospitale sancti Blasii, quod est situm supra costam Paludis de Sylva Græca, ante portam Imperialem & portam Papiensem & portam Cremonensem castrametati sunt. Pergamenses verò pedites ex alia parte Abduæ postea post plures dies applicuere. Sequenti itaque die Veneris maximum prælium inter Cremonenses & Laudenses ad Cantonem de Serra Valle juxta flumen Abduæ & etiam in ipsa commissum est, in quo multi ab utraque parte vulnerati sunt. Sed tamen Laudenses fortiter pugnantes, viriliter se defenderunt. Ipso etiam die Veneris prædictæ civitates fabricare cœperunt quendam pontem super ipsum flumen Abduæ prope portum publicum, ex navibus insimul confixis. Sequentibus autem diebus Sabbati & Dominicæ ipsos Laudenses ex improviso cum *pillotis* & lapidibus, plerumque etiam cum ensibus & lanceis plurimum die noctuque infestabant. Denique Laudenses cum tantæ multitudini se nequaquam posse resistere cernerent, viderentque sibi imminere periculum mortis, quam eis minabantur ipsorum inimici, si eos per vim vincere contingeret: post damna plurima, eis in rebus & personis illata, *pactum* & *concordiam* cum prædictis civitatibus, salva semper Imperatoris fidelitate, proximo die Lunæ sequenti fecerunt, prout ab eis ipsæ civitates requirebant. Sequenti verò die Martis omnes ab obsidione civitatis Laudæ cum magno gaudio recesserunt. Sed aliis domum sic lætanter redeuntibus, Mediolanenses & Pergamenses, cum manganis & petreriis ad obsidendum *Castrum Trecii*, in quo Imperator dimiserat quendam suum militem Theutonicum, nomine Ruinum, & ipsum castrum optime

muro grossissimo & turre altissima muniri fecerat, multasque divitias & pecunias ibi congregaverat, valdè læti perrexerunt. Ipso etiam die Martis Lambertus in Lauda Procurator & missus Imperatoris, una cum *Comite Lantelmo* de Crema ejusque filiis, & Joanne della Montagna, & Bellone Pius (*) impulse, qui dicitur de Curte, tunc Consule Papiæ, qui omnes in occursum Laudensium tunc venerant, una & cum Medio presbytero de summa ripa, & *Manfredo Morena*, & Petrutio Muntio, & Arialdo Pocaledo, & Malfaxado de Lixano Laudensibus equitibus tensa Cremonæ (**) rituum iverunt ad civitatem Papiæ, qui tam parvo tempore cum ipso Lamberto Papiæ morati, domum reversi sunt. His itaque Laudæ sic peractis, Mediolanenses & Pergamenses, qui ad castrum Trecii obsidendum perrexerant, castello ligneo & manganis & petreriis quampluribus ibi ædificatis; quodam etiam ponte ligneo super flumen Abduæ, quæ ferè circumquaque deambulabat post castellum, fabricato; ad obsidionem castri ipsius usque ad festum sancti Laurentii tunc proximè venientis steterunt, antequam ipsum capere possent. Sed cum prædictus Ruinus & Theutonici atque Lombardi, qui amore Imperatoris castrum ipsum causa defendendi intraverant, pluries Imperatori misissent, quod nisi eis succurreretur, ipsum defendere nequaquam possent: & ab eo nec ab eis amicis succursum aliquem haberent: scientes, Mediolanenses & Pergamenses firmiter ordinasse, eos omnes interficere, si per fortiam ipsos caperent: tandem ipsum castrum, dolentes multum, hoc modo reddiderunt, videlicet: quod omnes, qui in ipso erant, relicto castro; omnibusque etiam rebus, quæ intus erant, dimissis, sani & incolumes extra castrum abirent: præter jam dictum Ruinum & omnes Theutonicos, & paucos Lombardos, qui illud intraverant; quibus solummodo vitam concesserunt, & eos Mediolanum in vinculis ducentes, in carceribus detruserunt. His itaque extra castrum ire præmissis, Mediolanenses & Pergamenses, & alii, qui ad obsidionem ejus fuerant, ipsum intrantes, in primis totum expoliaverunt: deinde totum combusserunt. Postremo muros ipsius & Turrem pulchriorem, quam in tota Lombardia tunc fuisset, in terram prostraverunt. Hæc autem omnia, cum Imperatori fuissent relata, quamvis inde se multum dolere non monstrasset, tamen graviter nimis suscepit.

Interea dum hæc in Lombardia sic agerentur, *Raynaldus Coloniæ Archiepiscopus electus*, qui *Imperatoris Archicancellarius fuerat*, & *Christianus Imperatoris tunc Cancellarius*, *Comes Robertus de Bassavilla*, *Comes Macharius*, & *Braymerres*, qui erat miles fortissimus, & alii primates Tusciæ tunc temporis cum eorum exercitu in Romania apud Tusculanum erant: qui omnes non erant ultra mille equites. *Dux* verò *Fridericus Regis quondam Conradi filius*, homo pulcher, multum fortis, sapiens & ingeniosus cum suo exercitu in illis partibus tunc manebat. Sed tamen cum prædicto Archiepiscopo apud Tusculanum non erat. *Romani* verò, quia Imperatori ejusque fidelibus tunc adversabantur, audientes; prædictum exercitum apud Tusculum fore, & ipsum invadere cupientes: ubique pro suis amicis & fidelibus mittunt, ut delectum habeant, exercitumque præparent, proficiscendi diem statuentes. Statuta verò die, omnes tam equites quam pedites parati, qui ferè innumerabiles erant, versus Tusculum ire cœperunt. Contra quos *Coloniensis Archiepiscopus*, *Christianus Cancellarius*, *Comes Robertus* & *Comes Macharius*, cæterique Principes, qui cum ipsis erant, cum eorum parvo exercitu, tam Theutonicorum quam Tuscorum & Lombardorum, quamvis essent paucissimi respectu Romanorum, qui plus triginta millibus extimabantur, audacter & intrepidè perrexerunt. Cum vero utraque pars in campo fuit, & una aliam diligenter inspexit, vexillis levatis signoque dato, & maximo clamore hinc inde levato, acriter se invadunt fortiterque pugnant, & ab utraque parte multi vulnerantur, multique interficiuntur. Sed quia Romani erant pro uno XX. respectu adversariorum, impetum magnum super eos fecerunt. Theutonici autem, quia paucissimi erant versus illos, propter multitudinem ipsorum vix sustinere potuerunt. Sed tamen viriliter se defendentes, firmiter permanserunt. Archiepiscopus autem & Cancellarius aliique Principes, qui secum erant, hoc videntes valde perterriti sunt: sed tamen ipsi videntes, se non posse evadere, nisi ferro iter aperiretur, ipsemet Archiepiscopus & Cancellarius vexillum in manibus afferentes, acriter nimis irruerunt super ipsos Romanos. Quibus .... equites Romanorum pedites suos in Campo deserentes, fugere cœperunt. Pedites verò videntes, sic se deseri, terga verterunt similiter & ipsi; super quos Theutonici graviter irruentes atque sequentes; plures duodecim millibus interfecerunt, pluresque tribus inter equites & pedites ex ipsis ceperunt; quos omnes vinctos ducunt *Viterbium*, & in carcerem introducunt ibidem. His quidem sic peractis, Archiepiscopus & Cancellarius, quam citius possunt, ad Imperatorem Nuntios dirigunt, qui sibi per ordinem nuntient supradicta. Qui cum hoc audisset, Deo multas

(*) Locus depravatus. (**) Iterum locus corruptus.

multas gratias agens valdè gavisus est. Tunc vero temporis *Rex Siciliæ* quoddam castrum Imperatoris volens capere, cum suo exercitu fortiter expugnabat. Quod Imperator audiens, assumptis solummodo equitibus, privatim die & nocte equitans, in succursum prædicti velociter ire festinavit. Cum autem jam perplures dies equitasset, & prope exercitum Regis venisset, nuntiatum est eis, Imperatorem appropinquare cum exercitu suo. Quod ut Rex audivit, statim castris desertis atque relictis, cum suo exercitu cœpit abire. Imperator autem hoc audiens, ita eum persecutus est, quod apud transitum cujusdam aquæ, plures ex ejus equitibus, qui tam cito ipsum flumen transire non potuerunt, cepit.

Cumque flumen idem Imperator transire non posset, revertens, prædictum castrum bene munivit, & postea castrum quoddam aliud, quod prædictus Rex *Comiti Roberto de Bassavilla* jam abstulerat, obsedit & devicit, ac jam dicto Comiti Roberto alacriter restituit. Deinde lætus ad castrum remeavit. Ad locum autem, qui dicitur - - - - - permanens, & ibi circumquaque ferè omnia oppida villasque deprædatus est, combussit atque dissipavit; inde etiam multam pecuniam extorsit. Interea *Dominus Guido Cremensis*, qui Viterbii morans ab Imperatore & à multis Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus aliisque quam pluribus mundi hominibus t. nc pro *Papa* habebatur, Imperatoris adventum diu expectans, & affectu nimio desiderans: ad eum quamvis sæpe alios misisset, novissimè Legatos suos quamplures destinavit, mandans, ut quàm citius posset, absque dilatione *Romam* veniret, hostes debellaret & *Raynaldum Cancellarium*, qui tunc pro Papa in Roma & in quibusdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipsum Romæ in possessione Papatus poneret & manteneret. Imperator vero voluntati & consilio dicti domini *Guidonis*, *qui dicebatur Papa Paschalis*, annuens, Romamque cum magno gaudio veniens, in anno 1167. die Lunæ nono Calendis Augusti Indictione decima quinta, in monte prope Romam cum suo exercitu castrametatus est. Deinde cum omnibus suis equitibus, sicut armati venerant, ad portam Romæ, quæ dicitur Porta Viridaria, quæ est ex parte sancti Petri versus montem Gaudium veniens, ibique maximum prælium committens, tandem eos superavit & devicit atque fugavit; totumque locum, qui Cortina sancti Petri dicitur, & etiam porticum sancti Petri cepit, & domos expoliavit atque combussit, pluribusque etiam hominibus interfectis multos cepit. Romani igitur intra civitatem ex illa parte Tyberis se recipientes, & multum pavidi stantes, ex hac Tyberis parte venire non sunt ausi. His autem, qui ex parte jam dicti Papæ Alexandri tunc tenebant, & ipsam Ecclesiam bene muniverant, se defendentibus viriliter, Imperator jam intrare nullo modo tunc potuit, sed per totam hebdomadam ipsam eos quotidie invadens & prælio infestans, eos vincere nitebatur. Theutonici verò, cum se eos per fortiam capere non posse prospicerent, proximo die Sabbati infra Ecclesiam sanctæ Mariæ Virginis, quæ dicebatur de Laborerio, & quæ sita est supra Ecclesiam sancti Petri ante atrium ipsius Ecclesiæ apponentes ignem, totam ipsam Ecclesiam sancti Petri...... Ipsa verò Ecclesia beatissimæ Virginis tota est combusta & penitus dissipata. Tunc etiam liquefacta est & combusta quædam mirabilis Imago facta in muro ipsius Ecclesiæ versus Ecclesiam sancti Petri, & auro purissimo & splendidissimo decorata, cui similis in Italia nunquam fuerat visa, & quæ facta erat ad imaginem Domini nostri JEsu Christi: ante quam stabat quædam alia pulcherrima Imago, facta ad imaginem sancti Petri, quæ similiter liquefacta est penitus & combusta. Quod videntes illi, qui supra Ecclesiam sancti Petri stabant, non ullum succursum à Romanis posse habere cernentes, maximo timore perterriti, statim Imperatori se & ipsam Ecclesiam reddiderunt: jurantes etiam fidelitatem sibi, sicque eos Imperator abire permisit.

Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus *Papa Paschalis* cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia sancti Petri missam honorificè & cum magno gaudio celebravit, ipsoque die *in capite Imperatori circulum aureum tantummodo imposuit*. Sequenti vero die Martis, in quo fuit festum sancti Petri ad vincula, prædictus D. *Papa Paschalis* D. *Federicum Imperatorem & Serenissimam Augustam Beatricem conjugem suam ex coronis auro purissimo & multis pretiosissimis gemmis decoratis coronavit in ipsa Ecclesia sancti Petri. Romani* itaq; hoc cernentes, & cum Imperatore pugnare se minimè posse considerantes, nec etiam flumen Tyberis transire audentes, fœdus cum Imperatore magis, quam bellum facere decreverunt. Ambasciatores igitur ad Imperatorem dirigunt, fœdusque cum eo faciunt, *Papamque Paschalem* in perpetuum se pro Papa habere & tenere firmiter cum jurejurando promittunt: ac omnes, præter *Fricapanes* & quamplures alios Romæ nobiles, qui maximas turres & domos & fortitudines habebant in Roma, nec leviter capi tam cito poterant, fidelitatem Imperatori facere disposuerunt. Hoc itaque sic peracto Imperator suos Nuntios ad fidelitates Romanorum suscipiendas in Roma ultra Tyberim direxit. Inter quos fuit *Acerbus Morena Laudensis civis, & Imperialis Curiæ Dux*: qui jussu Imperato-

peratoris in Roma ultra Tyberim præsens, per plures dies innumerabiles fidelitates Imperatori factas suscepit.

Hucusq; pertinet (*) historia Acerbi Morenæ, quam morte correptus ulterius producere non potuit.

Interea, dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima ac miserabilis & mortalis pestilentia super Imperatorem, ejusque totum exercitum divinitùs accidit. Sequenti namque die Mercurii proxima, cum maxima cœli serenitas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit; deinde post aquam serenitas magna & clara nimis facta est: statimque infirmitas super Imperatoris exercitum talis excrevit, quod equites & pedites atque scutiferi corruebant & moriebantur. Ob quam rem Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Marchiones & Duces, aliique multi nobiles & ignobiles, qui in ipso exercitu erant, corruebant. Obiit namque *Dux Fridericus in Rotemburgo, Regis quondam Conradi filius*, & *Imperatoris Germanus Consobrinus*, de quo immensus dolor ferè per totum inolevit, quoniam ipse homo erat magnæ virtutis. Decessit etiam tunc *Dux Guelphus, Ducis Guilermi filius, & Raynaldus Archicancellarius & Coloniæ electus Archiepiscopus*, homo maximi ingenii, & cujus scientia & probitate Imperium multum fuerat sublimatum. *Episcopus* etiam de *Lexe* vita privatus est. Tunc etiam mortuus est hujus *libelli hucusque auctor Acerbus Morena:* qui cum febricitare cœpisset in Roma, domum redeundi ab Imperatore licentiam per plures vices petierat, eaque sibi concessa usque ad Senam lavagelam, in quodam lectulo super duos equos facto, à scutiferis suis se duci fecit, ibique plures duodecim hebdomadis infirmus jacens, postremo die Mercurii, quæ fuit 14. ante Calendas Novembris in anno 1167. Indictione prima, in festo sancti Lucæ Evangelistæ ibi mortuus est, & apud Ecclesiam sancti Petri, sitam in suburbio civitatis Senæ, propè viam Romeam, sepultus est.

Imperator vero videns, gentem suam strage corruere, relictis multis infirmis, Romam deseruit, & versus Tusciam ire cœpit. Deinde jam dicto Papa Paschali relicto, quam citius potuit, Lombardiam intravit. Sed tamen, antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui secum fuerant, in ipso itinere gladio solummodò Dei perierunt. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt: tamen, qui evaserunt, per totam hyemem omni colore perdito passi sunt. Ad locum autem *Pontremolus* cum appropinquasset, Pontremolenses eum nequaquam per locum suum transire permiserunt. Sciens vero Imperator, se per fortiam ipsis nolentibus inde transire non posse, cum suis, qui infirmi, & pauci erant, cum hac parte castri, quod *Malinium* vocatur, jam transisset: versus marinam partem tendens, per terram *Marchionis Malaspinæ Obizonis*, ipso Marchione eum ducente, iter arripuit; & inde die Martis 11. Septembris eadem indictione *Papiam* intravit. Postea verò eodem mense Septembris, eadem indictione quadam die Jovis, quæ fuit decimo die ante Calendas Octobris, in festo sancti Matthæi Apostoli, in anno 1167. *posuit* dictus *Imperator* palam in concione omnes civitates Lombardiæ, quæ sibi erant contrariæ & adversus eum juraverant, in *banno, projecto ibi coram omnibus guanto*, exceptis *Laude* & *Cremona*. Sequenti autem die Martis ibidem Imperator unà cum Papiensibus, Novariensibus & Vercellensibus equitibus, & *Marchione Guilelmo de Monte Ferrato*, & *Marchione Obizone Malaspina*, & *Comite de Blandrate*, qui omnes cum eo tunc apud Papiam erant, super terram Mediolanensium equitavit; & totum locum de *Rosate*, & de *Abbiate Grasso*, & de *Maxenta*, & de *Corbetta*, aliaque etiam multa Mediolanensium loca, prope Ticinum manentia, devastavit, & maximam cum suis prædam reportavit. Hoc autem Laudenses & Pergamenses atque Brixienses equites, qui tunc pro custodia Laudæ erant; & Cremonenses & Parmenses, qui tunc etiam pro custodia Placentiæ erant, cognoscentes; Mediolanum in succursum eorum concurrerunt. Quod Imperator ut audivit, quam citius potuit, ad Ticinensem civitatem rediit; & non descendens de equo, sed stans super eo ad sanctum Petrum Cælum Aureum, qui situs est parum contra Portam Palacensem civitatis Papiæ, parum comedens, statim cum omnibus suis jam dictis militibus, qui secum tunc erant, ultra Padum per pontem quendam, quem Papienses super ipsum flumen Padi ad locum, ubi dicitur Portus Pioclosius, ex navibus jam antea construxerant, super Placentinorum territorium equitans, ipsorum oppida & loca plurima devastavit, combussit multamque etiam prædam inde extorsit. Hæc autem *Cremonenses*, *Mediolanenses*, *Laudenses*, *Pergamenses*, *Brixienses* atque *Parmenses* audientes, statim iverunt versus Placentiam in succursum eorum. Quod ut Imperator audivit, quam cito

(*) Legend. *pertingit*.

cito potuit, Papiam cum suo exercitu est reversus. Interim Papienses super Laudam multoties equitantes maximam inde prædam extorquent. Laudenses sibi Ambasciatores mittunt, mandantque eis, quatenus prædam, quam abstulerant, reddant, & eos amplius non offendant: Dicentes etiam, ipsos Papienses secum in perpetuum fore conjunctos, nec ipsos per se unquam offendisse nec offendere velle. Sed Papienses nullum bonum verbum Ambasciatoribus responderunt. Quod cum audissent Laudenses, magno furore commoti, super Papienses statim equitant, & magnam prædam sæpe extorquent. *Imperator* post parvum tempus ad castrum *Marbionis* cum Papiensibus ac suis militibus Theutonicis equitavit; totam villam ipsius castri deprædavit posteaque combussit. Imperator itaque in Lombardia quandoque in partibus *Papiæ*, quandoque *Novariæ* & *Vercellarum* aut *Montis Ferrati*, vel Astensibus ferè per totam hyemem stetit. Sequenti vero mense Martii privatim, ita quod nec ipsi Lombardi, qui cum eo fuerant, nisi fortè paucissimi sciverunt, per terram *Comitis Vberti de Saxonia, filii* quondam *Comitis Amodei*, qui dicitur *Comes de Moriena*, iter arripiens, in *Alemaniam* est profectus. Post cujus recessum supradictæ civitates, quæ insimul juraverant, inprimis cum *Novariensibus* & *Vercellensibus*, postea cum *Cremonensibus* & illis de *Belforte*, & cum *Seprienfibus* convenerunt, & pacem omnes inter se facientes, unum corpus sunt effecti.

Interea Dominus *Galdinus de la Sala*, Mediolanensis civis & Clericus, & qui quondam *Cancellarius Domini Ribaldi* & *Domini Vberti de Pirovano Mediolanensium Archiepiscoporum* per annos multos fuerat, & in locum jam dicti Vberti ad *Archiepiscopatum Mediolani* fuerat sublimatus à Domino *Alexandro Papa: In Lombardia ipsius Papæ tunc legatus constitutus*, suos Nuntios, scilicet Abbatem sancti Ambrosii & Abbatem sancti Vincentii de Mediolano, misit Domino Alberto de Cozano, majoris Ecclesiæ Laudensis tunc Præposito, cæterisque Præpositis, Abbatibus, Presbyteris & Clericis, & etiam Consulibus de Laude: dicendo atque monendo, quod ipsi partem *Papæ Paschalis* & *Domini Friderici Imperatoris* omnino relinquerent, & parti *Papæ Alexandri* faverent; & ipsi Papæ de injuria sibi facta satis facerent, atque Episcopum Catholicum eligerent: & nisi hoc facerent, ab officio & beneficio Ecclesiastico abstinerent. Dictus vero Præpositus cæterique Clerici hoc audientes, mœsti valde fuerunt; tum quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverant, se Papam Paschalem pro Papa in perpetuum tenere, tum etiam, quia omnes fere fidelitatem juraverant Domino *Alberto Merlino*, tunc temporis, ut eis videbatur, *Laudensi Episcopo* Catholico, nec adhuc canonicè jure deposito: & ideo hoc facere timebant valde, & sibi in maximum dedecus reputabant: Inter se etiam conferentes, quod si etiam dicti, Papa Paschalis & Imperator victores adhuc existerent, ipsi in perpetuum se damnarent, & quilibet eorum dignitate & gratia privarentur. Formidabant nimis mandatis suprascripti Galdini obedire: hoc etiam recusare, quod eis mandaverat dictus Dominus Galdinus. Stupebant plures; tum propter Papam Alexandrum & secundum Dominum Galdinum Archiepiscopum, qui quasi tum illis partibus victores existerent, tum propter civitates Lombardiæ ferè omnes insimul conjurantes: quia sciebant, quod si de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum aut locum, in quo se possent reducere, non haberent. Tandem dubii, angustiis hinc inde satis diu revolutis, cum nullam misericordiam à dicto Archiepiscopo invenire possent, nisi quod eis mandaverat, adimplerent: eligentes potius vivere quam mori, magisque etiam stare in sua patria quam in aliena vagari, in Papam Alexandrum credere ejusque parti favere, & Episcopum novum secundum voluntatem Archiepiscopi eligere disposuerunt. Igitur die Jovis sancti, quæ fuit tunc quarto Calendas Aprilis, indictione prima in anno 1168. suprascriptus Dominus Albertus, Laudensis Ecclesiæ majoris Præpositus, communicato insimul consilio, tam Laudensis civitatis Abbatum, Præpositorum, Presbyterorum aliorumque Clericorum, quam etiam illorum, qui extra civitatem in Episcopatu Laudensi fuerant, ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ atque beati pretiosi Confessoris Bassiani, Dominum *Albertum*, & tunc temporis *Ecclesiæ de Ripalta Præpositum*, virum honestum & religiosum *elegit in Laudensem* Episcopum & Pastorem. Proximo vero die Mercurii post Pascha, Laudenses Abbates, Præpositi, Presbyteri, aliique Clerici multi: Consules etiam Laudenses, multique Judices & Sapientes de Laude Pergamum, ubi tunc Dominus electus aderat, iverunt, & ipsum in sequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt. Qui ibi honorifice nimis ab omnibus, tam Clericis quam laicis, est susceptus.

Nunc de qualitatibus tam Serenissimi Imperatoris Augusti, quam aliorum Principum aliquantisper discurram. Lectores vero obsecro, ne absonum vel inutile reputent, quod invenient de eisdem.

De

De statura Imperatoris.

Imperator igitur de nobilissima prosapia ortus erat, mediocriter longus, pulchræ staturæ; recta & bene composita membra habens, alta facie, rubeo colore suffusa. Capillis quasi flavis & crispis; hilari vultu, ut semper velle ridere putares; dentibus candidis, pulcherrimis manibus, ore venusto; bellicosissimus, tardus ad iram, audax & intrepidus; velox, facundus, largus, non prodigus; in consiliis cautus & providus; velocis ingenii; in sapientia multum abundans; amicis & bonis dulcis & benignus; malis vero terribilis & quasi inexorabilis; justitiæ cultor, legum amator, Deum timens; in eleemosynis promptus, maxime fortunatus, ab omnibus ferè dilectus; & in omnibus sic perfectus, quod à longævis temporibus nullus fuit Imperator, qui sibi potuerit rationabiliter comparari.

De statura Beatricis Uxoris Imperatoris.

Beatrix vero conjux ipsius Imperatoris fuit & ipsa *nobili genere orta de Provincia Burgundiæ;* mediocris staturæ, capillis fulgentibus auro, facie pulcherrima; dentibus candidis, bene compositis; erectam habens staturam; ore pusillo, vultu modesto, oculis claris, suavibus & blandis; sermonibus pudica, manibus gracilis; & consorti suo plenissimè subdita, eumque timens ut Dominum, & diligens omnifariam ut virum; litterata, & Dei cultrix.

De statura Conradi Fratris Imperatoris.

Conradus Frater Imperatoris & *Comes Palatinus de Rheno* erat spissus corpore, mediocris statura; capillis blondis; virtuosus multum; modestus, non multum loquens.

De statura Raynaldi Archiepiscopi.

Raynaldus electus Archiepiscopus Coloniæ, qui *Canonicus primus* vocabatur, sed postea fuit *Italiæ Archicancellarius*, erat mediocris staturæ, compositus & spissus; venustam & coloratam habens faciem; membris bene compositis; capillis quasi flavis; disertus & optime litteratus; facundus, providus & sagacissimus, & ad sublimandum Imperatoris honorem cupidissimus, adeo quidem, ut nullum magis quam sui consilium faveret Imperatori; eratque largus, hilaris, affabilis, alti cordis maximè, patiens laboris; & cujus sagacitate & opere decus Imperii plurimum sublimatum est.

De Hermando Verdensi Episcopo.

Hermandus Verdensis Episcopus de Sassonia erat non multum longæ staturæ; benignus, misericors & pius; sapientia imbutus; dulcis & affabilis; hilaris corde; amator justitiæ; timens Deum & mandata ejus servans; & in cujus providentia & consilio maximè confidebat Imperator.

De Henrico Duce Sassoniæ.

Henricus Dux Sassoniæ erat mediocriter magnus, bene compositus, viribus corporis valens, magnus facie; oculis magnis & nigris, capillis quoq; quasi nigris; albi coloris; in divitiis & potentia pollens; genere nobilissimus, & filiæ quondam Lotharii Imperatoris filius.

De Friderico Duce de Rotomburgo.

Fridericus Dux de Rotomburgo, qui *Regis Conradi patrui Imperatoris Friderici fuit filius*, erat pro ætate fortis, justitiæ cupidus, bene compositus, grassus & spissus, albus, pulcher atque formosus, hilaris, jucundus; capillis quasi albis & nigris.

De Comite Othone.

Comes Otho Marcoaldus de Grebar erat & ipse similiter longus & bene formatus, nigris capillis & longis, & in prædictis omnibus probitatibus erat Comiti Gabardo similis.

De

De Marchione Montisferrati.

Marchio vero *Guilermus de Monteferrato*, qui Lombardus erat, fuit mediocris staturæ, bene compositus & spissus, facie rotunda & subrussa, capillis quasi albis, ore facundo, virtuosus & sapiens, hilaris atque jocundus, munificus, non prodigus.

De Comite Guidone de Blandrate.

Comes Guido de Blandrate erat parvæ staturæ, grossus in pectore & membris, facie quasi subruga (*), capillis nigris, calvus aliquantulum, miles optimus, providens in bello, lingua facundus, audax vehementer, consilio pollens, magnos labores sustinens, Imperatori fideliter serviens, & ab eo plurimum dilectus.

De Comite Conrado de Belamite.

Comes Conradus de Belamite erat staturæ non magnæ, albus, formosa facie, capillis albis, litteratus & sapiens, dulcis & effabilis, providus & in bello strenuus, lingua Theutonica, Gallica & Italica doctus: & in consilio Imperatoris maxime potens erat.

LX.

CHRONICON STEDERBVRGENSE,

cui inserta

GERHARDI PRÆPOSITI

De

HENRICI LEONIS

postremis rebus gestis beatoque ex hac vita excessu historica narratio, ex MSto.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Eventus rerum temporalium, in quibus nulla vel modica est utilitas, tantum ut favor vanæ laudis, ab ore hominum non deficiat, per scripta memoriæ commendantur, & plena nugacitatis volumina aureis gemmatisque scriniis recondenda inseruntur; ea vero, quæ ad laudem & honorem Dei geruntur, quamlibet necessaria fuerint, ab eis etiam, à quibus promoventur, silentio pressa penitus negliguntur; sicque fit, ut Ecclesiis Dei Ecclesiarumque rectoribus & eorum filiis error inextricabilis & damna rerum temporalium irrecuperabiliter generentur. Quod si ab initio hæc fuisset negligentia, nec præcedentium Sanctorum vel Patrum vita clarescеret, nec ante acti status regni cuiquam pateret. Liceat igitur nobis, imo expediat ecclesiæ Dei, quantum possumus, prospicere; & ad utilitatem sequentium, & ad devitandum totius erroris incommodum sano, ut speramus, consilio, actionem in ecclesia nostra habitam, scripto stabilitam memoriæ tradere; & ut iniquis imposterum malignandi aditus usquequaque præcludatur, ea, quæ, autore Deo, vel ante tempora nostra vel in temporibus nostris per immensam ejus clementiam acta sunt, fidelibus innotescant; quatenus nostræ parvitatis memoria apud justum judicem in benedictione fiat dulcedinis; & rei gestæ ordo filiis, qui nascentur & exurgent, fideliter transmittatur; qualiter Domina *Frederundis filia serenissimi Comitis Altmanni* ecclesiam in *Stederborch* fundaverit.

Fundata est ecclesia in *Stedereburch* à *Friderunda* venerabili Domina *Altmanni Comitis & Hadewigis de Alsburch filia*, quæ de castro latrocinii claustrum fecit Virginis filio, *Bernwardo Hildensemensi Episcopo* id promovente, sub *Henrico Imperatore secundo*.

Ppp pp Anno

(*) Forte: *subrufa*.

Anno igitur post partum Virginis millesimo venerabilis Domina *Frederunda*, *Serenissimi Altmanni comitis* & felicis uxoris ejus *Hathewigis comitis de Olesburch filia*, divinæ inspirationis ductu castrum suum in *Stederborch* divino servitio mancipavit, cujus quondam fama ac timor barbaras etiam nationes adeo exterruit, & robur fortissimum debellavit, ut, sicut verorum chronicorum testatur digestio, *Attilam* famosissimum Hunnorum Regem, cum partes Orientis prospero sibi subjugasset eventu cum exercitu infinitæ multitudinis, ab eodem castro invasum, fugatum & cæsum & adeo annullatum, ut ipse cum paucis, id est septem viris turpiter aufugerit, Stederburgis exterminavit exercitus. Quæ venerabiles fœminæ cum de *Olsburg*, comitante exercitu, castrum suum *Stedereburg* venandi studio inviserent, venatoribus bestias cornicolando insequentibus, egregia virgo *Friderundis* in sinu venerabilis *Comitissæ Hathewigis* matris suæ reclinata obdormiens præstantissimum *egregiæ formæ miræque longitudinis* gloriosissimum Christi martyrem *sanctum Christophorum* altitudine muri incumbentem, taliaque sibi dicentem, aspexit: In hoc loco divinitus electo mihi monasterium ædificabis, & sanitatem integerrimam tam animæ quam corporis recuperabis. Quæ subito evigilans supernæ visitationi congaudens, spiritaliter jucundata, matri devotissimæ cœlicam visionem simul & divinam jussionem alacriter intimavit. Quibus gratissimæ filiæ dictis, devota *Comitissa Hathewigis* ardentissimo sancti spiritus fervore succensa gratulabundo animo consentiens ejecta raptorum & prædonum violentia, de castro latrocinii claustrum largissimis expensis & ædificiis decrevit fieri. Hoc, inquam, castrum Deo servientibus deputavit & collegium sanctimonialium canonicarum, ut vulgo dicitur, secularium, prout de patrimonio eodem sustentari poterant, coadunavit. Eo tempore gloriosissimus & summe justus, ut post inferius claruit meritis, *Henricus Bavenbergensis* totius imperii monarchiam feliciter tenebat, & *septimo anno ante institutionem ecclesiæ Bavenbergensis*, quæ de studio fundatoris sui & regii apparatus futuro relucet seculo, hujus donationis & felicis institutionis cœpit initium: ad cujus regiam Majestatem gloriosa virgo *Friderundis* cum *cognato suo* venerabili *Domino Berwardo Hildensemi episcopo* summa industria personaliter accedens ab ipsius dominatione imperialis mundiburgii defensionem super liberalissimam propriæ hæreditatis donationem sagacissime, *Anno Domini millesimo septimo*, * ubi ad Imperatorem accessit, *sicut in privilegiis suis continetur*, impetravit. Eo namque præsidente & attestatione privilegii sui eandem constitutionem corroborante, sub *Willegiso Moguntinæ Sedis Archiepiscopo & summo Imperatoris Cancellario* definita est, præsidente tunc sanctæ Hildensemensi ecclesiæ venerabili ac sanctissimo viro, Domino *Bernwardo*, qui, ut putatur, *de ejusdem generositatis prosapia oriundus, hac consanguinitatis familiaritate*, consuluit, ut jus fundatoris *beatæ Mariæ in Hildensem* contraderet. Igitur, Deo autore, eis temporibus, & talibus, ut dictum est, Principibus, *ecclesia in Stedereburck* à primo instituta est *ad laudem ipsius Domini nostri JEsu Christi & beatæ Mariæ Virginis & beati Jacobi apostoli & sancti Christophori martyris singulare patrocinium.* Hujus bonæ indolis puellæ, ejusque reverendæ matris prima donatio legitimæ dotis facta est in patrimonio, cujus est summa CC. & XI. mansi, cum mancipiis, areis, sylvis, nemoribus, pascuis, pratis, aquis, aquarum decursionibus, piscationibus, molendinis & molendinorum locis & eorum justitiis. Postquam hæc Deo dicata virgo claustrum fundaverat, & omnia honorifice disposuerat, habitum religionis adiit, seseque cum omnibus pompis suis omnipotenti Deo, sancto Jacobo sanctoque Christophoro, hostiam immaculatam obtulit, deinde capellis subscriptis cū villis & omnibus pertinentiis patrimonium adornavit. Omnes quoque, quos jure hæreditatis possederat, *litones* feodales, officiales nostro Domino subjugavit, & quod ad hujus mundi gloriam pertinet *secundum ritum Principum, Dapiferis, Pincernis, Marscalcis, militibus, ministerialibus* nostram ecclesiam gloriosissime decoravit. Eodem tempore idem venerabilis *Bernwardus* nobilissimæ *ecclesiæ B. Michaëlis in Hildensem* fundamenta initiavit. *Fundato* igitur *in Stedereburch*, ut diximus, *cœnobio*, postquam suam in Domino donationem scripto commendavit, & jura ejusdem ecclesiæ tam Imperatoris quam episcopi privilegiis & multis testimoniis confirmavit, carne soluta, Deo vocante, spiritum reddidit, & pro manufactis in terra ædificiis domum non manufactam in cœlo æternæ beatitudinis præmio assecuta est. Pro his largissimis expensis liberrime ab ea receptis & usque in finem recepturis, sit summæ Trinitati gloria, eique cum matre devotissima angelorum societas & requies æterna sit perhenniter in Jherusalem superna. Amen. Hujus autem ecclesiæ sub primæ institutionis regula *Priorissæ* usque ad *centum sex annos* administrationem post mortem bonæ memoriæ prædictæ dominæ *Fridegundis* obtinuerunt, quarum nomina, prout memoriæ nostræ occurrunt, dignum duximus exprimere: *Hathewiga*, *Ricburgis*, *Athelsinindis*, *Hathewiga*. Quibus procedente tempore decedentibus & aliis sibi invicem succedentibus, ecclesia nostra non solum incrementa sui non accepit, verum etiam ex prædiis suis in prima

* videatur infra privilegium ipsum.

ma donatione sibi collatis, sicut adhuc se carere gemit, detrimenta non modica passa est. Nam undecim villas, quas in Oriente supra fluvium *Horam* aliquando quiete possidebat, quæ & *in privilegio supra dicti Imperatoris piissimi Domini Henrici* lucide enumerantur, usque ad hæc tempora injuste perdidit. Ita in hac rerum defluxione & negligentia ecclesia nostra miserabiliter *per annos centum viginti sex* decidit in eadem desolatione & miseria sub quinque Regibus, *Henrico Bavenbergensi, Conrado, Henrico filio ejus, fundatore Goslariensis civitatis, Henrico,* qui *senior* dicebatur, & *Henrico filio ipsius*; sub quinque Præsulibus, Domino *Godehardo*, Domino *Titmaro*, Domino *Ezzelino*, Domino *Udone*, Domino *Etthelone*; sub quinque Priorissis hi, quos præsignavimus, anni elapsi sunt.

MI. Henricus Rex Boëmiam & gentem Slavorum superavit.
MII. Frater Regis Bruno, Augustensis episcopus, Regi adversatur.
MIII. Cometes longo tempore apparuit.
MIV. Fames valida fuit.
MV. Helpericus librum de ratione computi scribit.
MVI. Episcopium Bavenberg à Rege Henrico construitur.
MVII. Burchardus Wormatiensis episcopus magnum illud canonum volumen scripsit.

* * *

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis *Henricus* divina favente clementia *Rex*. Si episcoporum & servorum Dei petitiones pro suis desideriis & præcipue in divinis, quas nobis innotuerunt, ad effectum perducimus, non solum regium jus adimplemus; verum etiam ad utriusque felicitatis gaudia suscipienda id nobis profuturum liquido cognoscimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum sciat industria, qualiter venerabilis *Bernwardus* sanctæ ecclesiæ cum quadam matrona domina videlicet *Frederunda, Altmanni filia comitis* ad nos veniens nostram Celsitudinem deprecatus est, ut præfatam dominam cum parte suæ propriæ hæreditatis, quam pro remedio suæ animæ ac utriusque sui partis * omniumque suorum tam viventium quam & defunctorum salute ad principale sanctæ Hildensemensis ecclesiæ altare contradidit; in nostrum mundibundium susciperemus, id est, quicquid in oppido *Stederborch* nominato habuit, undecim & ducentos mansos in locis & incolis sic nominatis, *Lindim, Thidi* in alia villa *Stedere, Northem, Stockem, Meinolvesrode, Regindegesrode, Herskesgebutle, Thuringesgibutle, Theletunnum, Rindum, Wagken, Meginsnichebutle, Winnenroth, Brenhorst, Hechorst, Meynum, Smelcke, Onhorst, Wendebutle, Devangebutle, Bokele, Zinilike, Oztruo, Mislike, Dobirunke, Kipli, Mildanbovede, Klestenike, Palemke, Starbunde, Kosikestorp, Mapanttorp, Slitanvelt, Ricbaldesgebutle, Dalhem,* areas duas & *panstel* duas. Ea namque ratione, ut in præfato oppido *Stederborch* ab illo prædio catervula puellarum quantulacunque congregari posset, aleretur, quæ pro nostra sospitate totiusque regni nostri stabilitate cottidiana instantia divinam misericordiam deprecaretur. Cujus petitionem, quam justam & salubrem esse cognovimus, assensum ei libentissime præbuimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus neque quisquam ex judiciaria potestate villas sive agros seu reliquas possessiones ad illam ecclesiam pertinentes, quas juste & rationabiliter habere videtur, vel quicquid a modo propter divinum amorem ibidem collatum fuerit, ulterius invadere aut inquietare præsumat. Sed liceat illic Christo famulantibus ancillulis sub nostra defensione æque ac quiete residere, Deum, ut diximus, exorare, & prædicti episcopi jussionibus obtemperare. Si autem aliqua persona se inde abusive intromittere voluerit, nos illis fore tutorem ac defensorem certissime sciat. Insuper etiam ecclesiæ Christi ancillulæ, cum autoritate præfati antistitis, plenariam habeant intra se, si digna inveniatur, eligendæ Abbatissæ potestatem. Si autem hujusmodi inter illas soror non invenitur, consilii sæpe dicti episcopi aliunde ad hoc idonea eligatur Abbatissa. Et ut licentiam eligendi Advocatum habeant, volumus; jubemus quoque, ut cuncta præfati monasterii intus & foris juxta autoritatem *Bernwardi Episcopi* ejusque successorum, qui pro tempore ibi ordinati fuerint, examinentur. Et ut hæc nostræ autoritatis pagina stabilis ac inconvulsa perpetualiter permaneat, hanc inde conscriptam manu propria corroborantes Sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Domini Henrici, Regis invictissimi. *Everhard Cancellarius vice Willigisi Archicapellani* recognovit. *Data IX. Kal. Febr.* anno Dominicæ incarnationis *millesimo VII. Indictione III. Anno* vero Domini *Henrici secundi, regn. V. Actum Mulibusen feliciter. Amen.*

MVIII. *Bruno* episcopus à Prucis multis suppliciis affectus cœlos petiit.

* Legendum forte: *Patris*.

MIX. *Retharius Pathelburgensis episcopus* obiit. *Monasterium Moguntiacense* igni conflagravit.
MX. *Godehardus abbas* claruit.
MXI. Bonæ memoriæ *Willegisus, Moguntinus episcopus* ad Christum migravit.
MXII. *Henricus* Romæ imperiali benedictione coronatur à Papa.
MXIII. *Hildesimensis ecclesia* gravi incendio cum multis ornamentis attrita est.
MXIV. *Simeon monachus* virtutibus claret.
MXV. *Ernestus Dux* in venatu occiditur.
MXVI.
MXVII.
MXIIX. *Henricus Wirceburgensis episcopus* obiit.
MXIX. *Heimeradus sanctus Presbyter* ad Christum migravit.
MXX. *Erkenboldus Moguntinus Archiepiscopus* obiit.
MXXI.
MXXII. Piæ memoriæ *Berwardus episcopus* ad Christum migravit, in cujus locum *B. Godebardus* utiliter subrogatur.
MXXIII. *Beatus Godehardus* ecclesiam in loco, qui *Sulza* dicitur fabricavit.
MXXIV. *Henricus Imperator* ad Christum feliciter migravit.
MXXV. *Conradus* Rex creatur.
MXXVI. Monasterium *S. Mauritii in Hildesheim* à S. Godehardo fundatur.
MXXVII. *Conradus* Imperiali benedictione provehitur, & *Henricus F. ejus Rex* creatur, qui *Goslariensis ecclesiæ fundator* extitit.
MXXVIII.
MXXIX. *Bruno Augustensis episcopus* obiit.
MXXX.
MXXXI. *Aribo, archiepiscopus Moguntinus* migravit ad Dominum.
MXXXII. *Dedicatio monasterii S. Michaëlis* archangeli in Hildensem.
MXXXIII. *Monasterium S. Michaëlis* fulmine concrematum est.
MXXXIV. *Stephanus Rex* moritur. *Knut Rex Danorum & Anglorum* obiit.
MXXXV.
MXXXVI. *Kunegundis regina* obiit.
MXXXVII. *Conradus Imp.* obiit.
MXXXVIII. *Beatus Gregorius* migravit ad Dominum.
MXXXIX. *Henricus Rex Boëmiam* cepit.
MXL. *Eberhardus Bavenbergensis primus Episcopus* obiit.
MXLI.
MXLII.
MXLIII. *Gisla Imperatrix* obiit.
MXLIV. *Tietmarus Hildensemensis episcopus* obiit.
MXLV. *Henricus Rex* à Romanis pacifice susceptus *tres Papas deposuit.*
MXLVI.
MXLVII. *Svidgerus Papa* obiit.
MXLVIII. *Poppo*, qui & *Damasus, Papa* obiit.
MXLIX. *Synodus Moguntiæ* celebratur, cui interfuerunt Apostolicus & Imperator.
ML. *Dedicatio Goslariensis monasterii.*
MLI. *Bardo Archiepiscopus* obiit.
MLII.
MLIII. *Papa* Leo cum Romanis contra Nordmannos pugnans vincitur, & eodem anno obiit.
MLIV. *Ezelinus episcopus Hildes.* obiit.
MLV. *Hermannus episcopus Coloniensis* obiit.
MLVI. *Henricus III. Imp.* obiit: *Henricus IV. filius ejus* regnavit. Pestilentia, fames, egestas & multa mala universam regionem afflixere.
MLVII. *Victor Papa* obiit. *Stephanus Papa* obiit.
MLVIII. *Otto de Svinforde* obiit, & *Rudolfus Ducatum Svevorum* suscepit. *Agnes Imperatrix Ducatum Bavariæ* suscepit.
MLIX. *Henricus Rex Galliæ* obiit.
MLX. *Lippoldus Moguntinus Archiepiscopus* obiit.
MLXI.

MLXII.

MLXII.
MLXIII. *Seditio Fuldensium & Goslariensium* in vigilia Pentecostes ad vesperas.
MLXIV.
MLXV. *Guntherus Bambergensis episcopus* obiit.
MLXVI. Cometes per totum orbem apparuit.
MLXVII. *Cono Trevirensis Archiepiscopus* occiditur.
MLXVIII. *Henricus Rex Bertham de Italia* sibi conciliat. *Angli à Normannis* vastantur.
MLXIX. *Henricus* castella in Saxonia & Thuringia construit.
MLXX. *Otto Dux*, Saxo genere, *ducatum Bavariæ* amisit.
MLXXI. *Welpho*, genere Svevus, *Ducatum* recepit.
MLXXII. Conjuratio Principum contra Henricum Regem.
MLXXIII. *Hartesburg* à Saxonibus destruitur, & sepulcrum filii Regis violatur.
MLXXIV. *Alexander Papa* obiit.
MLXXV. Saxones contra Henricum Regem pugnant juxta fl. *Vnstrot*, ubi *Gothardus Comes* obiit.
MLXXVI. *Concilium Wormaciense*, ubi *Papa Hildebrandus* abdicatur.
MLXXVII. *Rudolfus Rex* constituitur: *Werceburg* obsidetur: *Anno Coloniensis archiepiscopus* obiit: *Agnes Imperatrix* obiit.
MLXXIIX. *Wizcel Magdeburgensis archiepiscopus*, *Albertus Wormatiensis*, *Hermannus Comes Palatinus patruus Magni Ducis* occiduntur.
MLXXIX. Bellum *inter Henricum & Rudolfum*, ubi *Rudolfus* occiditur.
MLXXX. *Hermannus* Regnum invasit, & *Tilo Hildensemensis episcopus* obiit, cui *Vdo* successit.
MLXXXI. *Henricus Rex* Romam obsedit & cepit.
MLXXXII. *Vdo Marchio Saxonicus* obiit.
MLXXXIII. Rex *Wickbertum* in Apostolicum consecrari fecit.
MLXXXIV. Rex cum *regina Bertha*, imperiali corona à suo *Wicberto* nomine sublimatur.
MLXXXV. Rex de Italia rediens *Augustam* cepit. Henricus Imp. *Saxoniam* vastat.
MLXXXVI. *Gregorius*, qui & *Hildebrandus Papa*, obiit.
MLXXXVII. *Werceburg* à Saxonibus capitur: bellum juxta *Blechfeld*.
MLXXXVIII. *Berta Imperatrix* obiit.
MLXXXIX. *Bucco Halberstadensis episcopus* occiditur.
MXC. In vigilia nativitatis Domini bellum apud *Glicho* juxta *Erpesfort inter Regem Henricum & Marchionem Ecbertum*.
MXCI. *Henricus Imperator Italiam* petiit: *Eckbertus Marchio* occisus est.
MXCII. *Machtilt de Longobardia* Imperatori rebellat.
MXCIII. Pestilentia magna fuit.
MXCIV. Eclipsis solis. Eodem anno mirabilis pertransivit in universum mundum ignis.
MXCV. *Expeditio Hierosolymitana*.
MXCVI. Apud Moguntiam *Judæi* mille & quatuordecim occisi sunt.
MXCVII. Imp. de Italia rediit: *Vrbanus Papa* obiit: *Godefridus Dux* cum Christianis Ierosolymam cepit.
MXCIIX. Hiems dura fuit: fames magna: *Vdo marchio* cum Saxonibus de barbaris triumphat.
MXCIX. *Godefridus Dux* arcem *Ierosolymæ* cepit.
MC. *Godefridus Dux Christianorum* Hierosolymis obiit.
MCI.
MCII.
MCIII.
MCIV.
MCV.
MCVI. *Henricus Imperator* obiit. Magnus, Dux Saxonum obiit.
MCVII. *Theodoricus Comes de Katelenborg* obiit. *Vdo marchio* obiit.
MCIIX. Cometa apparuit.
MCIX. *Rothardus archiepiscopus Moguntiæ* obiit.
MCX.
MCXI.
MCXII. Henricus pacifice à Romanis susceptus *Papam Paschalem* cepit, & *regni privilegium ecclesiasticæ fidei contrarium ab eo extorsit*.

MCXIII. *Paschalis Papa* privilegium, quod invitus statuerat, cum CXV. episcopis damnavit.
MCXIV. *Bellum apud Welpheshols* inter Regem Henricum & Principes Saxonum.
MCXV.
MCXVI.
MCXVII. *Ecclesia in Richenberg* primum incepta est.
MCXVIII. Terræ motus factus est magnus per totum orbem. *Paschalis Papa* obiit.
MCXIX. *Gelasius Papa* obiit Inundatio fluminum.
MCXX. *Elferus presbyter* obiit.
MCXXI.
MCXXII. *Gozmarus Præpositus* obiit: *Dedicatio ecclesiæ in Richenberg.*
MCXXIII. *Hermannus Comes* obiit.
MCXXIV. *Reinhardus Episcopus Halberstadiensis* obiit; *Fridericus Marchio* obiit: *Otto Comes* obiit: *Calistus Papa* obiit.
MCXXV. Eclipsis solis IV. Idus Augusti. *Henricus V. Imperator* obiit. Mirabile signum in Luna apparuit.
MCXXVI. *Fridericus Comes de Arnsberge* obiit: *Luderus electus Rex.*

DEfuncta Domina *Hathewiga, extrema Priorissa*, Dominus *Bertholdus Hildensemensis Episcopus* desolationem & tenuitatem loci attendens *pro cognata sua Priorissa* in propriæ administrationis curam locum ipsum suscepit. Quo item defuncto, Dominus *Bernhardus* piæ memoriæ subrogatur *Episcopus*, qui in spe bonæ voluntatis & emendationis bono prædecessoris sui proposito, nihil diminuens eidem ecclesiæ in propria persona per annos tres decem providit.

Fuit in eo tempore vir magnæ apud Deum & homines virtutis & gratiæ, cujus vitam omnibus hominibus [in] bonorum exemplum exhibitam divina pietas adeo commendaverat, ut in eo summa non deesset prudentia animi, polleret industria, vitæ specialis eluceret munditia, morum efficax esset gravitas, quicquid & mirum in modum in homine esse potuit, odore bono ad summum perfectionis apicem in eo consummaverat honestas. Nam in *ecclesia B. Matthiæ Apostoli, quæ ad palatium Domini Imperatoris constructa est in Goslaria* sub canonica institutione ab exordio militavit, & secularium causas negotiorum exequendo quicquid ad humanam spectabat industriam felici consummatione adeptus est; & in ea conversatione probatus, Deo inspirante, arctioris vitæ & districtioris regulæ tramitem concupivit, & patre ac matre & cognatis omnibus cum concupiscentiis mundi postpositis, ad *ecclesiam Dei* genitricis *Mariæ in Richenberge* cum omnibus ad se pertinentibus confugit, & opus bonum, quod ab ingressu ætatis inceperat, libere Deo vacans & ab omnibus abstinens irreprehensibiliter adimplevit, & ut post claruit, in cunctis actionibus suis commendabilem se reddidit. In brevi namque eidem ecclesiæ suæ pater præficitur, in qua quantum elaborando profecerit, in præfata patet [ecclesia,] quæ adhuc in ædificiorum structuris & disciplinæ & utilitatis non modicæ assecutione pii patris sentit odorem. Hic est *Gerhardus* ille apud potentissimos Principes honoratus, & in omnium ore laudabiliter commendatus. Nam ut de aliis obmittamus, in conciliis & episcoporum conventibus adeo celebris habitus est, ut non solum causas idonee tractaret, verum etiam causarum adeo sententiosarum decisiones approbatis & in ecclesia nominatis viris sollicitudinis ipsius industriæ committerentur, & ab omnibus judex vel patronus exposceretur. *Dominus* etiam *Papa* propter bonæ conversationis & industriæ ejus nobilem famam *patrem capituli* in nostro ordine eum constituit, ac familiarissime sibi eum ascivit. Familiaritates etiam Principum, *Lotharii* videlicet *Imperatoris & uxoris ejus nobilissimæ Imperatricis Richense* nec non & *Henrici Senioris Ducis* & aliorum Principum ita plene assecutus est, ut consiliis eorum nunquam deesset, & secretissimis eorum tractationibus, quæ ad eorum spectabant salutem, conscius imo consiliarius & consolator inter Deum & ipsos medius existeret, unde apud ipsos quantæ fuerit autoritatis, animadvertitur, qui & captivos absolvere poterat, & super oppressos, ut superpia gestabat viscera, apud ipsos solo verbo potens erat. Claustralis etiam religionis & districtionis ita sollicite curam gerebat, ut gravitate morum non solum subditis sed & æqualibus exhibita ad conformandum se religionis solo exemplo induceret, unde suo in tempore ordinis nostri religio, quæ sicut apud plerosque ita apud nos tepuit, & dilapsa est, ferventissime custodiebatur, & postremo quicquid in sanctis patribus vel in scripturis sanctis de morbo conversationis audivit, in se ipso implendum esse statuit, & subditis suis recte vivendi formulam prior in se ipso ostendit. Hic igitur talis ac tantus, dum in prædicta ecclesia Pastoris fungeretur officio, *ecclesiam B. Georgii in Monte* informem & quasi de nihilo in bonum statum, ut modo cernitur, laudabiliter levavit, & Deo in ea famulantes tam in ædificiis quam in aliis utilitatibus efficaciter adjuvit. *Ecclesiam in Heniggbe* sollicite procurando sublimavit, ac de seculari conversatione inclusas faciens in melius commutavit.

tavit. Itemque *ecclesiam in Katelenburch* divino cultui ubi ante non fuit, mancipavit. Cum igitur tantas desolationes ecclesiarum felix iste bonæ administrationi restituerit, perpendat quisque fidelis, quantæ fuerit solertiæ, quæ in tot distracta curas omnibus & singulis ad meliorationem suffecerit. Ea itaque discretione omnibus in domo Domini, ut luceret, ostensa, *ecclesia Dei in Stedereburch* sub domini *Bernwardi Episcopi* cura, ut dictum est, constituta erat; & ex cottidianis defectibus dejecta imò ad nihilum redacta suo egebat reformatore. Communi denique cleri ac totius populi inductu de eadem ecclesia aliter ordinare compellitur, & consilio Canonicorum principalis ecclesiæ in Hildensem, qui dominum *Gerhardum* pio, ut patrem, venerabantur affectu, dominus Episcopus eundem Gerhardum deprecatus est, ut sicut alibi benè ac laudabiliter fructum bonæ operationis deposuerat, ita & hoc in loco Deo per bonæ voluntatis studium in promotione servitii divini devotus existat. Dominus itaque *Gerhardus* licet in senectute bona jam emeritus ab annis adolescentiæ vitam in hujusmodi labore expenderit, & grata sit seni post laborem requies, & licet amplius contemplationi vacare desideraverit, quam novis laboribus involutus activè anxiè deservire, Episcopi sui devictus precibus, & cleri ac populi exhortationibus curam regendæ ecclesiæ in *Stedereburch* ad laudem Dei suscepit. Ingressus itaque locum ipsum ex dilapsione horridum invenit, & homines incultos ac ferè nullius religionis adspexit. Quid plura? Virtus semper inclusa est, & ideò qui ea utitur nulla immanitate laboris deterretur. Quinque igitur matronas jam decrepitas invenit, quasdam mutata pelle pravæ consuetudinis: inter quas erat *Meregardis* quædam probatæ conversationis matrona, quæ diu in conversatione sancta permanens plena dierum & digna præmio, felici transitu migravit ad Dominum, cum bonæ indolis puellulis, quas colligere poterat, autoritate domini Episcopi inclusit, & spiritalis consuetudinis ritum in loco quondam inculto efficaciter confirmavit, alias verò, quia coacta Deus non eget habere servitia, in spatiosa seculi via dereliquit. Locus autem ipse tàm in recuperatione perditorum, quàm in utilitate Deo famulantium per eum extollitur, ut verè claruerit, quod Dominus per eum locum ipsum misericorditer visitaverit, & ita sub fideli administratione sex annos permansit. Dominus etiam *Bernwardus Episcopus* perspecta ejusdem domini *Gerhardi*, quem semper ut familiarissimum habebat, industriâ, licet laborioso conamine, eum induxit, ut *archidiaconatum in civitate Goslaria* in sua procuratione secum teneret, ut civitas illa, quæ gentem ex natura feram & indomitam ex opulentia rerum superelatam nutrit, ipsius discretione facilius coërcere posset. Cujus rei sollicitudinem ut ad Deum euntem nulla retardaret gravitas, deponere disposuerat; quod tamen laboriose, quia domino Episcopo summè necessarius erat, uno anno ante felicem ejus obitum effecit. Sed quia, ut dicitur, cum multum ambulaveris, deinde redeundum; beatus ille servus lucra talenti sibi crediti reportaturus ad Christum confectus senio & infirmitate morose detentus in lectum ægritudinis decidit, & *in principali ecclesia sua in Richenberche* ad purum decoctus est, & sicut nihil omni parte beatum quicquid ex transgressione mandatorum Dei & ex pulvere terrenæ conversationis ipsi adhæsit, justus Dominus vas, quod misericordiæ deputavit & gratiæ, ut in eo nulla esset macula, expurgavit. Deinde ex infirmitate convalescens ad *ecclesiam S. Georgii in Montem* transivit, ubi similiter, quia humana fragilitas in multis ostendit omne suum delictum, quod ibi contraxerat, ad plenum expendit. Postquam expurgationem *in Henighe*, ubi longè antea virum industrium servientibus Deo *Guntherum* præfecerat, devenit, & omnibus vale faciens quasi transitum suum non ignoraret, occasione se offerente *ad nos usque* profectus est. Dominus autem, cujus miserationes in omnia opera ejus, ne ulla in luna remaneret macula, primo adventus sui die à suis familiaribus in lectum depositus est. *Adolescens* autem *quidam, Gerhardus* nomine, & *cognatione sibi comparticipans*, quem, ut sæpè testatus est, sincere ac piè præ omnibus suis dilexit, filius ut patri spirituali adstitit, ac devotè ac familiariter ministravit. Crescente autem dolore, ab ipso patre nostro, Deo, ut speramus, devoto, illud Martini sæpè revolvitur: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Et illud deplorationis miserabile quasi præscium: Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Viribus igitur corporis jam destitutus, cum finem dierum suorum adesse sensisset, prædictum *Guntherum* advocari fecit, & sacræ unctionis oleo per ipsius manus impositionem in remissionem peccatorum illinitus est, & LXXII. ætatis suæ anno vi doloris & torsione vitalium excessus suos domino libavit, & in hac nostra ecclesia laborioso certamine quasi in ultimo purgatorio igne emundatus, felicem animam cœlo reddidit, & desolatis filiis maximum de transitu suo dolorem reliquit, concrepantibus interim campanis cum fletu & gemitu utriusque sexus, beata illa anima præteritorum laborum suorum præmia receptura cœlo, ut speramus, illata est, & commendatione & Missarum celebratione peracta, *Henighe* perducitur, ubi solennibus completis exequiis *ad montem B. Georgii* devehitur, ac sancta ejus anima in loco, in quo prælaturæ dignitate vigebat, Domino com-

no commendatur, ac demum sequenti die cum multo Cleri ac populi comitatu in locum requiei suæ *Richenberch* devotè infertur, ac per biduum sacro ipsius corpore cum psalmorum expensione in laudem Dei custodito, congregatis aliquantis *Hildensemensibus* Canonicis, & in crypta novi monasterii ante altare, quod ipse exstruxerat, corpus ejus humatum deponitur.

Vt ergo vera ipsius efficeretur, ut liceat nobis dicere, prophetia, universa procurationis suæ monasteria viri nimis utiles subintraverunt. Ex quibus ecclesia nostra Romanum quendam natione, *Azonem* nomine, Priorem inutiliter habuit, qui nullam boni memoriam posteris reliquit, quia ex nimia ipsius simplicitate loco huic negligentia nata est. Prævalente igitur hujusmodi ecclesiæ nostræ defectu, cogente rerum inopia ex querimonia totius congregationis & omnis populi acclamatione & summa necessitate deponitur. Cui dominus *Eckbertus S. Victoris apud Parisios Prior* subrogatur, vir præclaræ scientiæ forma & vitæ honestate commendabilis. Hic de antiquæ munitionis propugnaculo in ipsa urbe monasterio adjacente turrim ecclesiasticam ordinavit & exstruxit, & ipsum monasterium, quod horridam jam minabatur ruinam ad terram usque devolvens novi monasterii fundamenta ordinavit & jecit; sed inopinatâ morte præventus *prælationis suæ anno sexto* è medio tollitur; ei verò dominus *Bernhardus Prior in monte S. Georgii* substituitur, qui *eodem, quo intravit, anno* morte præventus est. Defuncto interim felicis memoriæ domino *Brunone, Hildensemensi episcopo*, Dominus *Hermannus Præpositus* in locum suum non minus utiliter quàm canonicè intravit, & ecclesia Dei per obtentum justitiæ suæ & promotionem utilitatis viri industriam experta est.

Anno Dominicæ incarnationis M CLXIII. tota inibi congregatio in nomine Domini coadunata. *Gerhardum cellarium in Richenberch* præferri sibi præoptabat, ut qui à pii patris sui domini *Gerhardi primi præpositi cognatione* descenderat, & quasi heredis jure nomine participabat, & sub eo enutritus, a tempore, quo septem erat annorum usque ad annum discretionis familiarissime conversatus est. Virtutum quoque ejus exempla & disciplinæ & industriæ vestigia pede certo secuturus fore sperabatur. Nam *secundo post mortem domini Gerhardi* in obedientiam celleraturæ in eadem ecclesia est positus, in qua per novem annos quàm idoneè profecerit, adhuc hodiè cernitur. In ipsius igitur persona prima ab omnibus facta est denominatio, & tempore condicto, in die videlicet Thomæ Apostoli unanimis & voluntaria in nomine Domini subsecuta est electio. Nuncium itaque ad dominum *Hermannum Hildensemensem* electum festinate dirigentes, de electo suo ipsi formam aperiunt, &, ut moris, ut quicquid juris sui erat, ab eo expleri constantissimè exposcunt. Quam electionem non solùm ratam non tenuit, verùm cum pro futura, quam sperabat, loci recuperatione, cùm pro speciali personæ suæ dilectione completionis operam adhibere festinabat.

Quid multa? Dominus Episcopus electioni applaudit, legatos mittit, & dominum Gerhardum cum Præposito suo vocat, rem gestam aperit, & ad conscientiam sollicitè hortatur. Ille verò quia nec adhuc viribus suis confidebat, constanter renuit, & dominus Episcopus eum infecto negotio dimisit. Nec multò post quasi indignans, cùm sibi de unanimi constaret electione, sub obtentu obedientiæ Præpositum, ut jam dictum, Gerhardum præsenter adstringit, unde uterque eorum in curia, quæ *Ruibere* dicitur, dominum Episcopum adiit, & cohortatione ipsius, cum amplius resistere non potuisset, sed Deo & patrocinio beatæ Mariæ & S. Jacobi Apostoli & S. Christophori humiliter committens assensum adhibuit. Et in octava Epiphaniæ curam regendæ ecclesiæ in Stedereburch suscipiens investitus est, & sequenti die per dominum *Eillardum* præpositum & de Richenberg præpositum legatione & autoritate domini Episcopi functos, honorificè inducitur, & à toto conventu & omni populo, *gloria tibi, Christe, de tuis datis*, cum exultatione & lætitia devotè suscipitur, & in ipso ingressu suo debitam obedientiæ professionem ab omnibus adeptus est; unde quia totius actionis suæ promotionem Deo commiserat, voluntati bonæ pietas divina non defuit; sed ad omnia, ad quæcunque manum misit, suum misericorditer adjuvit famulum. *Primò* igitur *anno* inquietudini dominarum, quam ex dilapsione ædificiorum patiebantur, ipse compassus est. Nam refectorium eis summè necessarium exstruxit. Deinde dormitorium, quod omnino fuit inhabitabile, trabibus ac tectis ac laquearibus aliisque ad ædificationem pertinentibus restauravit. Fuit autem moris, ut laica persona sub antecessoribus suis villicationi præsideret, ac per eum summa rerum distributa in minima utilitate ecclesiæ ageretur. Ipse verò quia magnum in hoc perpendit dispendium, imò irrecuperabile ecclesiæ recognovit damnum, manum suam misit ad fortia, & à ministerialibus ecclesiæ fidelitate sibi præstita, *Brunonem de Vimmelse* audacter aggressus est, & villicationem ab eo detentam multo labore de manibus ejus extorsit. Insuper & alia quædam, quæ jure, ut dicebat, feodi injustè sibi usurpaverat, in potestatem propriam & usum congregationis non sine magno adjutorio Dei redegit. Religionem etiam, quæ ex tenuitate

rerum

rerum tepuerat, in bona pace & caritate præcipuè ferventissimè reformavit, & in his *primus annus* expenditur.

MCLXIII. *Henricus Dux Werla* castrum Slavorum evertit: *congregationem clericorum in Lubeke* constituit. *Adolfus Comes* & *Reinoldus* & alii occisi sunt. Post Henricus *Demin* evertit: filium *Meloc* Christianum suspendit.

Anno secundo (*) rem difficilem & extra spem consummationis positam aggressus est. Nam *Theodoricum comitem de Haldesleve*, qui quasdam villarum, de quibus ante prædiximus, quas & *de privilegio antiquissimo domini Henrici Imperatoris* collegit, ditioni suæ injustè addixerat, confidenter aggrediens eò usque perduxit, quod idem Theodericus comes vera recognoscens, sex villas non proprietati, sed beneficio ab antiquis episcopis ad se deductas addixit, & in signum & monumentum recognitionis compromittente legitimo *fratre suo Henrico*, qui heres suus esse debuit, quinque mansos & sex areas in *Dangerbecke* & in *Alrem* cum mancipiis & omnibus utilitatibus suis, *præsente Duce Henrico*, in quo tunc summa totius patriæ constabat, eo ipso suscipiente contradidit & firmissime promisit, ut eædem villæ post mortem suam, quia sine spe fuit heredis, ad ecclesiæ nostræ, unde distractæ erant, proprietatem liberè redirent. Ipso etiam anno exstructionem *novi monasterii*, cujus fundamenta bonæ memoriæ dominus *Ekbertus Præpositus*, ut diximus, ordinaverat, in Dei voluntate & adjutorio magna cum alacritate inchoavit. Fuit autem civis quidam Goslariensis, *Luderus* nomine, vir summæ fidelitatis ac devotionis, qui filiam suam *Gertrudem*, quam unicam habebat heredem, spe enutritionis in habitu seculari, ut in bona disciplina stabiliretur, in claustro dominarum collocavit, ne fortè, matre defuncta, quia eam custodem habere non potuit, in aliquod devium in domo sua commorata per illectiones seculares leviter devolveretur. Itaque quia vir fuit bonæ discretionis, animadvertit eam honestius virginum erudiri sollicitudine, quam suæ credere custodiæ, donec tandem nubilibus aptam annis deliberativè viri thoro eam collocaret. Puella igitur, ut erat bonæ indolis, laudabiliter boni propositi iter arripuit, & blandimenta seculi paulatim absque humana cohortatione postponere cœpit. Et si qua de honestate vitæ ab aliis gesta perpendit, in suo desiderio adimplere curavit. Ita aliquamdiu apud nos demorata, cœpit Deo devota existere, & quod intus habebat, foris ostendit, & in festo B. Cæciliæ, tanquam ipsius exemplo, informata spiritu fortitudinis nihilominus confortata, patre invito, qui secundum hominem se in prole filiæ lætificari sperabat, deterrentibus eam amicis & notis, universa quæ ex matre & patris donatione habuit, confidentissimè abjecit, & aurum suum & gemmas pretiosas in altari deposuit. Posteà se Deo ac sanctæ Mariæ & B. Jacobo & sancto Christophoro servituram, gloria tibi, Christe, alacriter obtulit, & contemtum seculi publice coram omnibus professa est. Tunc demum pater ejus affectum, quem circa Ecclesiam nostram simplum habuit, inducente eum filiæ suæ dilectione, duplum ostendit, & siquid ecclesiæ nostræ servitii vel utilitatis sive per se, sive per alios attrahere potuit, fidelissimè elaboravit, multa nobis contulit, & inopiæ nostræ sæpius opportunè subvenit. Eodem fere post tempore sepulchrum Domini visitaturus quicquid habuit vel in patrimonio vel in mobilibus rebus, Ecclesiæ nostræ contradidit, & in his omnibus eam heredem suam constituit. Profectus itaque, Deo favente, feliciter rediit, & in devotione sua erga Ecclesiam, ut cœperat, permansit.

Anno MCLXIV. Nova confusio maris & fluctuum orta est, quæ terram & oppida cum innumera hominum & animalium multitudine circa Occidentem & Aquilonem subruit. Ipsa die XIV. Kal. Martii in *Magnopoli* multitudo Christianorum à Slavis capta & occisa est.

MCLXV. *Reinaldus Coloniensis Archiepiscopus tria corpora Magorum Coloniam* transtulit: *Victor Papa* obiit: *Veronenses* Imperatori rebellant. Dissensio inter *Henricum Ducem*, & *Marchionem* & *Palatinum*. Sors super *Palatinum* cecidit, qui *Lowenberg* castrum suum Duci resignat.

MCLXVI. Fames validissima.

Anno Dominicæ incarnationis MCLXVI. Præpositus eo usque elaboravit, quod in honorem Domini nostri Jesu Christi ac sanctæ Mariæ genitricis ejus in australi plaga altare consecrari concupivit, unde vocato dignæ memoriæ domino *Hermanno Hildensemensi Episcopo* aliisque Ecclesiarum Prælatis ac majoris Ecclesiæ in Hildensem canonicis, concurrente maximo utriusque sexus populo, collatis in eo præcipuis sanctorum reliquiis, in magna expensa, die videlicet, quo reliquiæ beatæ (**) in Hildensem illatæ sunt, qui in adventu Domini celebratur, eadem consecratio celebriter peracta est. Nec prætermittendum, quod *eâ die, cùm apud omnes*

(*) Præposituræ Gerhardi, qui erit Christi nati 1164.

(**) Legendum *Beati*, quod sequens pronomen relativum *qui* indicat. Quis autem Beatus ille fuerit, incuria descriptoris omissum.

omnes ferè ecclesias tàm in nostro quàm in aliis episcopatibus velatio virginum in nulla esset consuetudine, apud nos, Deo favente, initiata est, & prædicta *Gertrudis* cum aliis Deo devotis virginibus per manus impositionem præmemorati Episcopi igne caritatis uberrimas tàm ab ipso quàm ab aliis eliciente lacrymas sacræ professionis velamen assumsit, & sic ea devotio festivitati nostræ adauxit, & longè fideles quosque ad simile opus bonum boni imitatores effecit. Eodem anno fames validissima fuit, unde Præpositus in acquisitione annonæ multa, circa triginta videlicet marcas, expendit. Eodem ferè tempore agente *domino Hermanno Episcopo, Bertholdus de Scartvelde filiam suam, Bertam* nomine, in claustro nostro collocavit, & duos mansos in *Badesleve* & unum molendinum in eadem villa nobis contulit. Circa idem tempus *Ludolfus Comes de Peine filiam suam* divino servitio mancipavit & argentum contulit, unde Præpositus quatuor mansos in villa, quæ *Swlbere minor* vocatur, à *Reinoldo* quodam, libero homine emit, & coram multis testibus hoc factum confirmatum est, ipso *Ludolfo Comite* præsente. Defuncto itaque domino *Hermanno*, bonæ memoriæ *Episcopo*, & succedente ei domino *Adelbogo*, eo ipso agente, item præfatus *Bertoldus de Scartvelde aliam filiam suam Machtildem* in collegio dominarum esse statuit, & item duos alios mansos in *Badesleve* Ecclesiæ contulit, & ita quatuor mansos cum mancipiis & aliis utilitatibus & unum molendinum inibi Ecclesia nostra habuit, in quorum redemtionem Præpositus tresdecim marcas persolvit. Unum (*) in *Arebeke per judicium aquæ frigidæ* recuperamus. Circa idem tempus Præpositus dedit *Brunoni de Vimmelse* & *filiis suis* quatuor marcas & quatuor talenta pro absolutione unius mansi in Stedereburch & alterius in *Stokhem*, qui beneficium suum erant, eosque ditioni ecclesiæ addixit. Item *Brunoni de Vimmelse* & heredibus suis dedit Præpositus sexdecim marcas pro resignatione totius feodi sui, quod ab ecclesia tenuerunt. *Ervoni de Ridbe* dedit Præpositus quatuor talenta & duas marcas pro impigneratione prædiorum suorum in *Ridbe*. Item *Hildebrando de Stokem* unam marcam. Item cuidam Thetmanno dedit Præpositus Gerhardus tres marcas & dimidiam pro quibusdam prædiis suis. Nec multò post hoc, quod dicimus, elaboratum est. *Botmannus de Hemstide & frater suus Siffridus* jure feodi ab ecclesia nostra duos mansos proprietatis in eadem villa & dimidium in *Malveroth* habebant. Præpositus autem, *præsente Duce Henrico* promissis & datis viginti quatuor marcis feodum absolvit, proprietatem cum omni utilitate sibi adhærente emtione comparavit, & posteà coram domino *Adelbogo, Hildensemensi Episcopo* abrenuntiantibus prædicto prædio matre ipsorum ac sororibus & Botmanni filiis, quos ei nobilissima domina *Sophia Comitissa de Asle* genuerat, hujusmodi factum determinatur, ipso domino Episcopo recognoscente, & banno suo ecclesiæ nostræ jura in eodem prædio corroborante. Testes ejus confirmationis, quæ in palatio domini Episcopi in civitate Episcopatus sui facta est, hi sunt: *VVichardus Abbas S. Michaëlis*, Werno Præpositus major, Erpo, Conradus, Burchardus Canonicus majoris ecclesiæ, Johannes Præpositus in Ba. . . Luthewicus cappellanus. *Thidericus de Insula, Bertholdus de Scartvelde, Burchardus de Bornem*, cui in hac ------ ecclesiæ commissum est. Intereà surgente novi monasterii opere, in altum parietes erecti sunt, & non considerata invalitudine fundamenti ei parti, quam sanctuarium nominamus, cocleas supponi fecimus. Sed minante ruinam admodum ponderosa massa, cocleam ipsam dejecimus, & trabibus ac laquearibus reordinatis maximi operis labores expendimus. Interim infra claustrum domum in australi plaga continentem duo refectoria & alia commoda instruximus.

MCLXVII. Dissensio magna *inter Ducem Henricum & Principes Orientales*. Dissensio inter *Henricum Episcopum* & *Ducem Henricum* adeo, ut totus Episcopatus rapinis attritus sit.

M CLXIIX. *Reinaldus Coloniensis Archiepiscopus & Dux de Rodenborg* & alii quàm plures nobilium *Romæ* ex pestilentia perierunt.

M CLXIX. *Hermannus Hildensemensis Episcopus* sepulchrum Domini visitans moritur, cui *Adelbogus* successit.

M CLXX. *Albertus Marchio de Brandenburg* obiit.

M CLXXI. *Henricus Dux* cum Episcopis, Abbatibus, Præpositis & aliis multis Baronibus *sepulchrum Domini* visitat. Imperator de Italia redit.

Nec hoc præter mittimus, quod infra urbem cappellula, quæ muro adjacens *cappella curiæ* dicta est, ex antiquitate dilapsa temporibus piæ memoriæ *domini Gerhardi Præpositi* penitus neglecta erat. Unde quia perpendit *Præpositus Gerhardus secundus* ex hoc diminutum Dei cultum & B. Nicolai, cujus in ea singulare habitum est patrocinium, confidens etiam animæ pii patris ac prædecessoris sui domini Gerhardi profuturum esse remedium, cappellam, quæ turri ad aquilo-

(*) Scil. *mansum*.

aquilonem adjacet, ut prioris cappellæ loco venerabilis esset, consecrari proposuit. Anno igitur Domini MCLXXII. præparatis ad hoc expensis necessariis, venerabilem dominum *Adelbogum Episcopum* advocavit ac pio desiderio suo ac antecessoris sui saluti satisfaciens, in honorem sancti Michaëlis & beati Nicolai, cujus ibi reliquias collocavit ab eodem, quem prædiximus, episcopo cum multa exultatione cordis sui devote consecrari fecit. Postea vero Præpositus quædam prædia hoc modo conquisivit: *Herboldus* quidam de *Stidegem* in eadem villa in beneficio de manu domini duos mansos tenuit. Præpositus itaque conventionem cum prædicto, data pecunia, fecit, ut ipse eosdem duos mansos domino episcopo resignaret, quod & compromittente fratre suo Arnoldo, qui legitimus ejus hæres fuit, factum est. Data item pecunia, Præpositus Gerhardus dominum *Episcopum Adelbogum* eo usque induxit, ut ipse proprietatem eorundem mansorum ecclesiæ in Stedereburch jure perenni contraderet. Duos etiam mansos proprietatis in villa, quæ *Bungestide* dicitur, idem Gerboldus possedit, quos idem Præpositus Gerhardus, promittente domino Episcopo & consentiente prædicto Arnoldo legitima emtione comparavit, & ita quatuor illos mansos in his duabus villis ecclesia nostra obtinuit. Donatio autem Episcopi & recognitio utriusque facti postea in Ecclesia in - - - - - - - *cum in ea dominus episcopus & Dux convenissent*, præsentibus multis nobilibus viris ac ministerialibus tam episcopi quam *ducis Henrici*, rei veritate omnibus contestante, firmissime stabilita est. Nec hoc ignorandum, quod Præpositus prædium ecclesiæ multo tempore neglectum in *VVolfeshagen* à fratribus *VV* - - - - - *de Rothne* post mortem ejus laboriose requisivit, quod postea *VVernero de Dalem*, addito uno manso in *Rothne* pro universo patrimonio suo, quod in *Thidhe* habuit, duobus videlicet mansis & dimidio, consentientibus heredibus suis, in commutationem dedit. Hujusmodi autem laboribus & utilitatibus occupatus Præpositus ab exstructione monasterii non destitit, sed Dei bonitate adjutus consummationi ejus totam operam ardentissimè impendit, & in his omnibus *Lüderum Goslariensem*, cujus supra mentionem fecimus, virum fidelissimum ac summè devotum adjutorem & cooperatorem tam consilio quam auxilio super habuit.

M C LXXIII. Dedicatio novi monasterii in Stedereburg cum tribus altaribus *ab Adelbogo & Esermodo venerabilibus Episcopis* in præsentia reliquiarum sanctæ Mariæ *** indict. IIX. VIII. Kal. Aug. feria V.

Anno autem Domini M C LXXIV. imperante glorioso ac victoriosissimo *Friderico* præfato Domino *Gerhardo* ecclesiæ eidem præsidente, &, eò laborante, *monasterium novum in Stedereburch*, Dei favente clementia, consummatum est. Unde Præpositus voti sui compos consecrationem ejus fieri proposuit. Deus autem, qui voluntati bonæ fidelium nunquam deest, & justis postulationibus semper præsens est, ipsius in bonum adjuvit desiderium. Tanto namque proposito maximas scivit adesse debere expensas & multas ad tale negotium necessarias esse divitias. Dei ergo confisus adjutorio meminit Deum corvos pascentem, lilia agri vestientem & quotidie de granis minimis horrea magna replentem, sibi, ut in quo totius propositi sui fixerat effectum, nunquam defuturum, sicque fieri posse, ut manus ejus vacuæ non essent à munere, quia arca cordis ejus repleta erat bona voluntate. Dedit namque Deus ei hanc in omnibus operationibus suis gratiam, ut, ad quæcunque manum misisset, felici Dei dono effectu consummasset. Sane fidelium suorum corda ita excitavit Dominus, ut in multis ei subvenirent, unde quorundam benefactorum nostrorum nomina, ut memoria eorum non deleatur in seculum, hic inserere curavimus: *Serenissimus ille Bavariæ & Saxoniæ Dux Henricus* primus auxilio suo nos juvit, & non parvam expensæ partem vultu hilari nobis tradidit, nostramque festivitatem suâ illustrasset præsentiâ, si necessaria occupatione detentus in *Bavariam* iter . . . . non arripuisset. Officiatis tamen suis, hoc est, *Dapifero, Pincernæ*, ceterisque omnibus ita sollicitè injunxit, ut huic festivitati, tanquam suæ, præessent: *Comes Gunzelinus de Zvarin*, ut sæpe ante fecerat, in hac necessitate nobis subvenit, *Ericus de Gasterleve*, *Eckbertus de Wulferebutle*, *Jordan dapifer* aliique plures, qui ut centuplum de benefactis suis recipiant, divinæ committimus clementiæ. Inter hos primus & nominatus benefactor noster *Luderus Goslariensis* pro eis, quæ tunc nobis contulit, ut placidam & quietam mansionem accipiat à Domino, non injustè petimus. Omnibus ergo, ut sperabamus, idonee dispositis & sufficienter necessariis præparatis, venerabilis Dominus *Adelbogus Episcopus* ad diem festum consecrandæ ecclesiæ vocatus est. Gaudebat autem in Domino tali ecclesia in episcopatu suo per manus ipsius Christo consecranda, unde majori devotione festivus adesse disposuit. Confluebant etiam ad hanc solennitatem Prælati ecclesiarum, Abbates & Præpositi majoris ecclesiæ in Hildensem, Canonici reginæ cœli & speciali suæ dominæ beatæ Mariæ dignum exhibentes obsequium, ipsius quippe reliquiæ ad decorum domus Dei venerabiliter allatæ sunt, quarum præsentia Virgo suo in dedicatione templi sui

congauderet filio, & populus item earum præsentia speciali applauderet gaudio. Allatæ sunt etiam à domino Episcopo præcipuæ sanctorum reliquiæ in eadem ecclesia cum aliis, quas Præpositus longè à fidelibus Christi collegerat, & sollicitè comportaverat, recondendæ. Confluebant undique de vicinis civitatibus & incolis monachorum, clericorum, sanctimonialium & multitudo plebis copiosa, ut de encæniis legimus, ut impleretur: Et fluent ad eam omnes gentes, & dicent: Gloria tibi, Domine. Dominus itaque *Adelhogus Episcopus sexto episcopatus sui anno*, cooperante sibi beatæ memoriæ domino *Hervermodo, Razeburgense Episcopo*, monasterium novum in Stedereburch sub administratione domini *Gerhardi Præpositi* ad honorem Domini nostri Jesu Christi & beatæ Mariæ virginis, & B. Apostoli Jacobi & sancti Christophori martyris singulare patrocinium in die natalis eorum cum tribus altaribus devotè consecravit. Ipso etiam die velatio virginum celebrata est, & facta est lætitia magna in omni populo.

M C LXXV. Imperator cum Mediolanensibus dimicans vincitur.

M C LXXVI.

M C LXXVII. *Concilium Venetiis* celebratur ab Apostolico. Vbi schismate destructo, ecclesia rediit in unitatem. *Odelricus episcopus Halberstad.* rediit.

M C LXXIIX. *Coloniensis Archiepiscopus* cum multis terræ suæ principibus totam *Westvaliam* incendiis & rapinis devastat.

M C LXXIX. *Imperator* cum *Coloniensi Archiepiscopo* & universis pene regni Principibus, *Ducem Henricum* cum universa terra sua miserabili clade afflixit, ita, ut nec cœnobiis, nec ecclesiis nec præbendis fratrum, nec ulli ætati vel sexui parceret, & ipsum Ducem proscripsit. Eodem anno Halberstadensis civitas cum majori monasterio & universis tam monasteriis quàm ecclesiis, miserabili incendio plus quam cum mille hominibus per homines Ducis attrita est. *Odelricus Episcopus & Romarus Præpositus* cum pluribus militibus capti sunt. Castrum *Horneborg* à militibus Ducis viriliter expugnatum destruitur.

M C LXXX. Henricus Dux *Thuringiam* vastans incendio, *Landgravium & fratrem ejus* cum multis nobilibus captivum duxit. *Odelricus episcopus* obit: *Tidericus* substituitur. *Hartesburg* reædificatur.

Anno M C LXXXII. Werra maxima in terra oriri cœpit. *Imperator* enim *Fridericus* cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus regni, & toto Imperio nobilissimum *Ducem Henricum* invasit. Iisdem inimicitiis perdurantibus, *Coloniensis Episcopus* vice Domini Imperatoris vastator hostilis & impius exactor, nec cœnobiis, nec ecclesiis parcens, impietatis suæ efficaces executores de partibus occidentis adduxit. Et licet ad nos tunc non pervenerit, nos, sicut universam terram, crudelitatis ejus fama perterruit: unde quantæ nos circumdederunt angustiæ, discretio cujuslibet animadvertere potest. Coacti enim sumus Deo sacratas virgines de cœnobiis suis in tuta loca deducere, quia veraciter auditum est in suo transitu cœnobia violenter irrupta, & quod sine gemitu & lacrymis non dicimus, virgines sacras impudicè tractatas, & totius sceleris immane flagitium completum esse. Abductis itaque, ut diximus, tam sororibus quam aliis utensilibus nostris, non modicum perpessi sumus dispendium. Hac igitur terræ nostræ confusione per quinquennium perdurante sive in malum nostrum accrescente, si qua residua fuerunt hostibus, qui amici nostri esse videbantur, penitus ea tulerunt. Nam hi, qui in civitate *Brunschwich* erant, omnes fruges agrorum ad supplementum cibariorum intulerunt, sicque factum est, ut vicinam de nostro labore aleremus urbem tanquam nobis diceretur:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Quanto *per hoc quinquennium* labore & dispendio necessaria cibariorum contraxerimus, cum cor meminit, lingua exprimere insufficiens est. *Sexto* denique *anno*, generali Domini Imperatoris expeditione proposita, cum jam ipse Imperator & Principes non nisi propulsioni Ducis intenderent, unusquisque Principum partes sibi adjacentes, quæ ad Ducis ditionem pertinebant, atrociter invasit. Nam Dominus Imperator *mericam* transiturus, *Coloniensem Archiepiscopum, Treverensem, Monasteriensem, Pathelburnensem, Hildensemensem, Mindensem, Osenburgensem, Abbatem Corbejensem*, cum nobilibus tam nostræ quam remotæ terræ, in obsidione civitatis juxta *Ovekaram*, in villa, quæ Leiforde dicitur, reliquit: *Halberstadensem* ad obsidionem *Blanckenburg* deputavit. *Magdeburgensis* priori anno auxilio Orientalium civitatem *Haldensleve* miro artificio & multo labore aquæ redundatione ad deditionem coegerat: in qua à *Bernhardo de Lippia* longo tempore ante deditionem viriliter repugnatum est. Nobis itaque, quibus tanta multitudo incumbebat, nulla misericordia deputata est. Regionem enim nostram coram nobis alieni devorabant, & à tempore messis, festo videlicet B. Margaretæ

retæ usque ad initium autumni & amplius ista mala perpessi sumus. Vidimus enim optima quæque diripi: viculos nostros succendi: rapinis nos exponi: equos & jumenta nostra depopulari, & domos nostras absque habitatore relinqui. Desolatis igitur nobis & in desperationem ferè delapsis, sola Dei miseratio & patronorum nostrorum pia apud Deum interventio nos respexit, & inimicis nostris aliquantum mitigatis, cor ipsorum & hostile propositum in melius commutavit. Datum est enim nobis, sicut Joseph & Danieli, in oculis Principum gratiam invenire, ut aliquo modo pax nobis sicut redderetur, ne penitus cum habitationibus nostris evelleremur: ac per nos etiam circumjacentibus villis subventum est. Fiduciati igitur in Domino exteros ad misericordiam inflectere potuimus, sed familiares nostros non evasimus. Quicquid enim à manibus alienorum servavimus, *Hildensemenses* non abhorrebant diripere, in quorum tamen pace securi esse debuimus. Tandem consummato malitiæ suæ tempore, cum irrecuperabiliter attriti essemus, in vigilia B. Ægidii terga vertentes castra moverunt. Nec silendum, quod piæ memoriæ dominus *Arnoldus*, *Treverensis Archiepiscopus*, exceptis aliis consolationibus, quas nobis sæpe adhibuit, nam specialis noster defensor extitit, quindecim marcas argenti, inopiæ nostræ opportunè subveniens nobis tradidit. Eo tempore nec ad præsentem annum spectantes fruges habuimus, & futuro prospicere, quia seminare non potuimus, nullatenus voluimus, unde pro conquirenda annona sexaginta novem marcas expendimus. Postquam autem Imperator voluntatis suæ compos rem cœptam prospero satis eventu effectui mancipavit, & nobilem *Ducem Henricum* in deditionem accepit, terra quasi de multis malis respirans siluit. Nos autem, ne pusillanimitas nostra in majus malum excresceret, velut novellam plantationem exstruere cœpimus, & ad colendos agros nostros & ædificiis restaurandis primam manum adhibuimus. Interim etiam alia ad hæc prædia conquirere studiosè laboravimus. Cum his, quæ prædiximus, & his similibus diligentissime intenderemus, nondum ad plenum deleta est iniquitas terræ. Nam cum multo ante particularis plaga nos attriverit, justo Dei judicio universo orbi mœstitia accrevit, & terram, quam calcaverunt pedes Domini, inquinati & immundi conculcare & contaminare permissi sunt, & civitas sancta *Jherusalem* tradita est in manus gentium, quæ ignorant Deum. Audivimus enim, quod *Saladinus* urbis Damascenæ potentissimus Princeps, collecta innumerabili virtute exercitus sui, Christianos hostili bello aggressus est: in quo bello, eheu! nimis prosperatus est Saladinus. Nam capto salutifero ligno dominicæ crucis, Patriarcham & Regem urbis Hierosolymitanæ in eo conflictu fugavit, cepit, & quod seculò deflendum est, immani strage Christianorum peracta, civitatem sanctam cum superbia magna ingressus est, ac loca sancta, quæ pro sui veneratione contingere non debuit, stabula equorum constituit. Vsque quo, Domine, iratus in finem, memor esto vinctorum tuorum & terræ, in cujus medio operatus es salutem nostram. Hujus igitur calamitatis & miseriæ rumor horribilis dum ad nos perlatus est, succensi zelo Principes tam nostri, quam de remotis terrarum locis una cum Imperatore Friderico feliciter *signati sunt*. Sed idem Imperator ab odio *nobilis Henrici* non cessavit, quia antequam expeditionem arriperet, conventum Principum in *Goslaria* habuit: ubi jam dictum *Henricum Ducem* trium annorum exilio deputavit, ipsum & omnia sua in firmissima pace constituens. In proximo Pascha *Henricus Dux* exsulavit, *Machtilden Ducissam*, *filiam Regis Anglorum* post se relinquens: quæ eodem anno in vigilia apostolorum Petri & Pauli defuncta est. Imperator igitur in festo S. Georgii apud *Ratisbonam* militum habito conventu, *expeditionis Hierosolymitanæ* iter arripuit, & cum multa gloria & Principum & Baronum & militum, & reliqui vulgi copia iter terraneum trans Græciam aggressus est: alii multi se mari committentes apud Ptolemaidem maritimam resederunt. Itaque *Imperator* aberat & *filius suus Henricus* regiâ usus est potestate. Absens etiam *Dux Henricus* policitam sibi ab Imperatore non sensit pacem: sed bona ipsius omnium exposita erant direptioni. Vnde idem Dux *Henricum filium suum majorem* inopinatè misit, & ipse contra constitutum sibi in brevi eum subsecutus est. Audiens hoc Rex, tanquam contra se ageretur, publicas inimicitias adversus Ducem habuit, & omnimodò destructioni & propulsioni ejus intendit. Convocatis igitur Rex Principibus in Goslaria, remota omni misericordiâ causam, imò modum destructionis ipsius tractare cœpit, & licet hiemis inclementia eum posset deterrere, quæ tunc ut semper post festum S. Martini imminens est, inconsultè expeditionem cum suis & *Moguntino* & aliis Principibus Ducem persecuturus arripuit, fugam ipsius eò molestiorem fore existimans, si hieme fieri videretur. Interim *senior Dux* castrum Bernhardi Ducis *Lawenburg* obsedit, quod viriliter oppugnans, eos, qui se in eo contulerant, ad deditionem compulit suosque in ipso collocavit: filius autem suus in civitate sua *Brunswich* se recepit: qui acceptâ certitudine de adventu Regis, ad supplementum cibariorum ea, quæ in villis erant, intra muros intulit. Adveniens autem Rex, adjuncto sibi *Moguntino* & *Duce Bernhardo*

ac *Hildesimensi Episcopo*, & aliis Principibus & Baronibus non obsidioni civitatis intendebat, sed vastationi circumjacentis regionis. In cujus executione jam dictus Moguntinus ita se efficacem exhibuit, ut non jam Episcopus, sed magister militum esse videretur. Nam non pacem, sed facem: non infulam, sed galeam ostendebat: cœmiteriorum & ecclesiarum deprædationem, non consecrationem exemplo suo fieri monstravit: clavam vel fustem, quô feriret, non virgam, quâ regeret vel sustentaret, manu gerebat: caligis ferreis, quibus conculcaret, non purpureis, in quibus torcular solus calcaret, tibias circumdedit: tunicâ ferrea, non cilicinâ induebatur: non mandatis charitatis, sed minis diræ hostilitatis dilatabatur, insidens equo rapido, frenô spumantia stringens ora; evagatus ipse effrenis per latos campos perniciosissimæ dissolutionis. His armatus non Regem sequebatur, sed præibat: non compescebat, sed compellebat ad iram. Completâ igitur hâc, quam prædiximus, malitiâ, *Rex* & *Moguntinus Episcopus* civitati appropiant, solo terroris incursu incolas ejus sibi subjacere existimantes. Sed spe impetûs sui penitus frustrati, licet ipse Rex, omni diligentia adhibita, & toto virtutis suæ robore in vanum expenso, casas ante-urbanas non fossa aut munitione aliqua, sed balistariorum & lancearum portitorum, liberè in campo discurrentium, præsidio defensas exurere non potuerunt. Itaque inglorioso effectu propositi sui Rex per *episcopatum Hildensemensem* regreditur, hostilem magis deprædationem quàm regiam pacem suis ostendendo subditis: *Honovere* succendit: castrum *Conradi de Rothem* Limbare appetens primo insultu inhonestè repulsus est. Inde regrediens, collectione militum dimissa, *Goslariam* intravit, sicque factum est, ut qui inconsideratum & impetuosum in actionibus suis habuit initium, infeliciter & sine omni gloria suam terminaret expeditionem. Postea *Henricus Dux* consilio Principum, *Moguntini* videlicet & *Coloniensis*, *Archiepiscoporum*, se subdidit, & proposita sibi spe recuperandi pristini honoris, Regi suam satisfactionem exhibuit duos filios, *Henricum* videlicet & *Luderum*, obsides constituit: quorum alter *Luderus* apud Augustam urbem defunctus est: alter cum Rege in *Apuliam* cum militibus sibi à patre deputatis abiit, nihilque Henrico Duci de his, quæ sibi promissa erant, concessum est. Licet autem hujus Werræ inevitabile malum multo nos attriverit dispendio, ne dejectos in unum nostra nos pusillanimitas penitus annullaret, ad altiora semper repere & de eadem tenuitate nostra augmentum rerum nostrarum consultè agere curavimus.

Eodem anno 1187. venerabilis Dominus *Adelhogus*, specialis ac pius noster in benefaciendo Patronus eheu defunctus est, cui Dominus *Berno* major Decanus substitutus est; in cujus primo ingressu decimam in *Mandere* nostræ ecclesiæ attrahere curavimus, sicut suprà meminimus, cùm quædam prædia in hac villa nobis usurpaverimus, commodum nobis visum est, si ad decimam ejusdem villæ quoquo modo attingere possemus. Vir illustris *Henricus Dux*, antequam à beneficiis suis suspenderetur, hanc eandem decimam, de manu Episcopi jure beneficii tenuit, quâ item fratres de *Halremunt* à domino Duce inbeneficiati erant; à quibus item *Arnoldus de Burchtorp* jure feodi eam possedit. Sicut diximus ex voluntate Domini Imperatoris, *Henricus Dux* à beneficiis suis suspensus est, & *fratres de Halremunt*, *Ludolfus* videlicet & *Willibrandus* eandem decimam ab Episcopo tenuerunt, quibus in expeditione defunctis, *Arnoldo de Burchtorp* hæc eadem decima cessit in beneficio ab Episcopo. Cui Arnoldo dedit *Præpositus Gerhardus de Stedereburch* centum marcas argenti, eo videlicet pacto, ut compromissione filiorum suorum decimam jam dictam resignaret Episcopo. Vnde Dominus Episcopus, acceptis à Præposito quindecim marcis, absque omni reclamatione decimam in *Mandere* usui Deo servientium in Stedereburg contradidit Postea vero *Comite de Reverenberch* agente cum episcopo, ut feodum, quod habuit *Ludolfus de Halremunt* & *frater suus Willibrandus* sibi cederet decima in Mandere, tanquam aliàs translata, ab episcopo denominatè excepta est. Egit etiam hoc Præpositus Gerhardus cum *Duce Henrico*, ut eo non contradicente hoc fieret. Acta sunt hæc in civitate Hildensemensi in generali capitulo, præsentibus omnibus fere Canonicis ecclesiæ majoris & multâ familia ejusdem ecclesiæ. Deinde jam dictus Arnoldus in magno placito in Ringelem hanc actionem recognovit coram Domino Episcopo Bernone, & his testibus. . . . . . .

Rectâ igitur Henrico Rege (*) iter agente in Apuliam, mors Imperatoris audita est: de qua nihil gloriosum, nihil memoriâ dignum dicere possumus, præter id, quod exsul mortuus est. Qualis enim fuerit intentio ejus ab incepta expeditione, inglorioso vitæ ipsius termino, qui secretorum est inspector cordium, palam ostendit. Imperator itaque Fridericus, de quo dicimus, transit à Græcia & Soldani regno, cùm præteriisset Iconium, terram desertam & inhabitabilem, terram sitis & inviam periculo suorum attigit, ubi plus quàm medietatem sui

(*) Anno 1189.

ſui perdidit exercitus. Quô periculô tandem laborioſè evictô, cum ad cujusdam torrentis alveum confediſſet, dehortantibus eum omnibus, qui aderant, alveum fluminis inconſultè intravit: quem mox ut ingreſſus eſt, reniti non valentem impetus aquæ intra manus ſuorum confectum ſeniô miſerabiliter obvolvit: ibique exitu tam improviſo! tam celeri! vitam finivit. Judicia tua, Domine, abyſſus multa! Quis audeat in inſcrutabile tuæ majeſtatis conſilium mentis aciem intendere? terribilis es in conſiliis ſuper filiis hominum. Filius autem Imperatoris *Fridericus Dux Sueviæ*, honore, quo potuit, oſſa patris *Antiochiam* detulit: ſed & ipſe in brevi poſt trans mare vitâ exceſſit: ſicque ille exercitus, quem collegerat totius robur Imperii, absque nominati alicujus operis executione mirabiliter eſt diſſolutus. Rex igitur eò amplius anhelabat ad coronam, quantò ne quid erroris interveniret, anxius erat. Profectus itaque *Romam*, ordinationem, quam in brevi accipere ſperabat, morte domini *Clementis Papæ*, dum ad muros urbis ſederet, intercipi doluit, donec electo domino *Jancinctto*, & ſancto die Paſchæ conſecrato, ſequenti die Rex à *Celeſtino Papa* coronam Imperialem cum benedictione unà cum uxore ſua percepit. Ad cujus conſecrationem *adoleſcens de Brunſvich, filius Henrici Ducis*, ut *conſanguineus domini Papæ* (*), ſummam diligentiæ ſuæ operam oſtendit, propoſitâ etiam ſibi ſpe, imo datâ ſibi certitudine, quam inde conſequeretur, maximi honoris & fructuoſæ utilitatis. Profectus inde Imperator cum *Colonienſe* & *Duce Boëmico* & jam dicto *adoleſcente de Brunsvich*, ut primùm *Apuliam* appulit, viribus atque minis caſtella cum opibus & civitatum munitionibus, quo potuit modo, aggreſſus eſt, repugnante ſibi *Tancredo*, qui regnum Apuliæ poteſtative ſibi uſurpaverat. Sed Imperatoris exercitum ſubitæ magnitudo cladis terribiliter turbavit, adeo ut plerique jam ſani & validi miſerabili mortis articulo ſolo ſternerentur. *Henricus* itaque *adoleſcens, filius Henrici Ducis*, audita morte *fratris ſui Luderi*, cui divina clementia cum naturalium decore donorum venuſtam etiam morum honeſtatem contulerat, timens etiam malo imminentis morbi, florem ineuntis perdere juventutis, nihilque conſecutus promiſſi ſibi honoris, nec aggreſſos ſibi videns reſpondere labores, cùm Imperator apud *Neapolin* coadunatô ſederet exercitu, à familiaritate ipſius diviſus eſt. Eapropter ira Imperatoris in ipſum graviter accenſa eſt, ratus aliquam ſibi ex hoc naſci intricationem. Vnde terrâ marique omnes ei vias præcludere conatus eſt: ipſe autem cautè inde elapſus in Neapolim ſe contulit, unde navigio calliditate, quâ potuit, evaſit. Interim incredibilis illa peſtilentia magis ac magis invaluit, & *Archiepiſcopum Colonienſem* unà cum *Cancellario* ac *Duce Boemico*, & multis aliis involvit, & ipſe Imperator irrecuperabili infirmitate corripitur, adeo ut deſperatus & ſemivivus à Neapoli, nullo peracto negotio, aſportaretur. Imperatrix autem apud *Salernum* ab incolis ipſius cuſtodita eſt: & ſic per biennium Imperatorem non vidit: ipſe autem, perdita uxore, rebus & exercitu, redire cogitur, terræ noſtræ etiam ſigna ſui oſtenſurus infortunii. Nec adoleſcentem illum, quem in dubiis fortuna regebat eventibus, ceſſabat perſequi, ſperans alicubi terrarum eum invenire vel circumſepire poſſe. Tandem Imperator noſtro redditur regno, & ipſe, quod deliquerat filius, in patrem refudit, certus adoleſcentem objectos inſidiarum laqueos non poſſe evadere, patrem acerrimis minis aggreditur. Interim junior Dux, Deo ſe cuſtodiente, per medios hoſtes & per diſpoſitas cuſtodias, viâ, quam homo non poſſet oſtendere, mirabiliter elapſus, per multos labores & gravia pericula inopinatè *Brunſvich* advenit: in cujus adventu patri ſuo lætitia accrevit; Imperatoris autem ira vehementiſſimè efferbuit. Dux ergo Henricus ſperans Imperatoris poſſe mutari animum, ſciens etiam ſuam de non læſa majeſtate ejus innocentiam, Legatos ſuos ad ipſum diſponit, videlicet Abbates & Præpoſitos, viros religioſos, non ſolùm Imperatori, verum etiam Principibus & Conſiliariis, pro integritate gratiæ ſuæ ſupplicaturus. Cujus tota legatio, tanquam ludibrium & inſipidum quoddam in auribus ipſorum habita eſt, non intendens, niſi Ducem funditus exſtirpare, qualiacunque vel quantacunque emendationis obtuliſſet obſequia. Nam aliquando ſe in Apuliam iturum pollicebatur, ut eandem terram ſuo redderet dominio: Imperatricem honorifice reduceret: quæ omnia tanquam nihilum & inane reputata ſunt ei. Poſtremò emerſerunt quidam iniqui, qui immanis odii inter Imperatorem & Ducem incentores exſtiterunt. Hi enim à ſervitio Domini ſui Ducis ſe infideliter abſtrahentes ſicut erraverunt ab utero, ita locuti ſunt falſa, in hoc malitiæ ſuæ conſtituentes ſolatium, ſi hujusmodi inimicitiæ uſque ad dejectionem Ducis perdurarent. Iſti ergo ab Imperatore ſequacem poſtulabant exercitum, certum eum reddentes, ſine gravi difficultate ſe Duci poſſe prævalere. Erant autem hi, quos ſi nominare ſuperſederemus, ex his, quæ geſta ſunt, noſtro noti erunt ſeculo:

(*) Pro *Papa* legend. *Imperatoris*.

feculo: quoniam fiduciati non in Domino, magnitudinem suæ malitiæ circumjacentibus villis iniquæ promotioni acriter instabant, & si quos in civitate *Brunsvich* complices habuerunt, sequens actio declarabit. Tales itaque tam nominati viri, immisericordes pacis turbatores, quorum injustitiæ oblivionem non accipient: quorum semen in confusione erit, quoniam secundum impetum animi sui, spe inaniter proposità, absque consilio spiritum narium superbientium secuti, nolentem etiam impellebant Imperatorem: qui longa mora, sine effectu, ampullas minarum terroremque sui adventus præambulare fecit, sed cum concussione montium & coruscatione fulgurum inani.

In (*) nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. *Berno Dei gratia Hildensemensis Episcopus* ecclesiarum profectibus plurimum expedire dinoscitur, si donationes eis factæ vel aliæ justæ conquisitiones debita firmitate roborentur, ut ita malignari volentium iniquitas elidatur & prodesse volentium charitas ad benefaciendum ecclesiis animetur. Inde est, quod notum esse volumus tàm præsentibus quàm futuris, quod reverendus frater noster *Gerhardus Præpositus in Stedereburg* zelo domus Dei sibi commissæ fervens, ut in ea ampliari posset numerus Deo famulantium, reditibus ejus ampliandis piæ sollicitudinis impendit studium, cujus desiderio, sicut rei probat evidentia, Dominus optatum concessit effectum. Divina enim favente clementia, & antecessorum nostrorum, & nostra opitulante benivolentia, locus ille à laborante prædicto ejus Præposito crevit personis, crevit ædificiis, crevit & prædiis. Hæc autem sunt prædia, quæ ecclesiæ in Stedereburg per solertiam Præpositi Gerhardi de novo conquisita sunt. In *Lienethe* novem mansi & quatuordecim areæ; in *Mandere* quatuordecim mansi & quindecim areæ; in *Ardesheim* octo mansi & dimidius cum totidem areis; in *Lefforde* novem mansi & quatuor areæ; in *Linden* duo mansi & duæ areæ; in *Stokem* & in *Melverode* quatuor mansi & dimidius & totidem areæ; in *Swlbere* quatuor mansi & totidem areæ; in *Brunsele* quinque mansi & totidem areæ; Villa, quæ *Hop* dicitur, in qua sunt novem mansi & areæ & prata & pascua; in *Alerem* & *Dunckerbecke* quinque mansi & sex areæ; in *Stidiem* tres mansi & tres areæ; in *Bungenstide* duo mansi & duæ areæ; in *Stidere* duo mansi & duæ areæ; in *Northeim* tres mansi & tres areæ; in *Thide* quatuor mansi & dimidius, & totidem areæ; in *Lewardesbuttle* unus mansus; in *Machtersem*, unus mansus; in *Sulethe* quatuor mansi & tres areæ; in *Senethe* tres mansi; in *Stockeim* unus mansus; in *Alvetesheim* unus mansus & area; in *Linden* molendinum unum & duos mansos; in *Meinolverode* unum molendinum; decima in *Senete*; decima in *Echte*; decima in *Mandere*, & medietas decimæ in *Lefforde*. Cùm igitur ecclesia in Stiderborch nostræ ecclesiæ sit specialis filia, utpote ei à fundatrice sua *Friderunda Altmanni Comitis filia* cum prædiis, quibus eam dotavit collata à *Rege Henrico secundo* jurisdictioni sancti patris nostri Episcopi *Bernwardi*, & successoris ejus integraliter supposita, ut testatur privilegium loco illi regia liberalitate ejusdem Henrici secundi indultum; Nos securitati ejus & perpetuæ paci meritò consultum esse volentes prænumeratorum prædiorum proprietatem eidem ecclesiæ in Stiderborch confirmamus, & ne quisquam eam super his inquietare præsumat, autoritate Apostolorum Petri & Pauli & nostro banno ipsam munimus, Advocatiam quoque super jam dictis prædiis ecclesiæ in Stiderborch concedimus, ut causas, quæ emerserint, Præpositus ejusdem ecclesiæ definiat, vel ad nos & successores nostros, si negotii qualitas postulaverit, referat. Vt autem hæc ordinatio perpetuo vigore inconcussa permaneat, eam præsentis paginæ scripto sigilli nostri charactere insignito roboramus. Actum in pleno capitulo, anno Dominicæ incarnationis M C XCI. Indictione nona. Hi sunt testes: Bertholdus major, Præpositus, Hilarius Decanus, Bruno Cellerarius, Gotfridus Præpositus, Lodewicus Sacerdos, Johannes de Poppenborch, Thietmarus de curia dominorum. Gilbertus Præpositus, Bertoldus custos. Ludolfus Præpositus, Poppo Præpositus, Conradus de Bobentum, Ekkehardus Canonicus, Fridericus Canonicus, Hermannus de Lichowe, Rodolfus de Zygenhagen, Hermannus de Bodensteine, Borchardus de Walldenberch, Ludolfus de Waldenberch, Rolandus Scholasticus, Theodericus Abbas S. Michaelis, Theodericus Abbas S. Godehardi, Alexander Abbas de Rinckelum, Richmannus Decanus montis, Bertholdus Decanus S. Crucis, Rodolfus Præpositus de Richenberch, Ekkehardus Præpositus de monte S. Georgii, Johannes Præpositus de Heninghe, Gerhardus Præpositus de Lammespringhe, Hiddo Præpositus de Sulta, Geroldus Præpositus de Backenrod, Magister Herwicus, Scholasticus S. Crucis.

Anno igitur M C XCI. convenerunt nobiles terræ cum *Halberstadense Episcopo* & *Hildensemense*, & *Corbejense Abbate*, & inutilem terræ & indecorum imperio contraxerunt exer-

(*) Hoc modo insertum est narrationi sequens diploma in Manuscripto.

exercitum, qui in loco super *Ovekaram*, in villa Lefforde / ubi prior federat exercitus, in festo S. Barnabæ apostoli se contulerunt, una parte aquæ munitione securi, altera vero fossa vallati. In hoc igitur loco non Duci, sed incolis terræ & sibi ipsis nocentes, non jaculis, sed epulis: non militiæ, sed crapulæ studebant: nunquam insultum aliquem in hostes, nisi ab ipsis provocati facientes: unde sine damno hostium regressi sæpissime volucres, lupos, & canes suis escaverunt equis: unde vulturum & corvorum triste eis præmonstrans portentum multitudo eos insecuta est. Ad castra autem regressi, sine præeunte eos capite, sui compotes, quisquis inter eos erat flagitiosior, hic inventus est nominatior: quisquis ad direptionem villarum erat paratior, propter impios actus suos habitus est potentior. Principes non dominabantur nobilibus: nec nobiles suis præerant minoribus: domini non imperabant servis; sed unusquisque eo, quod potuit & libuit, abusus est pro licito.

Vastitas ergo talis nobis, qui vicini eramus, incubuit, qualem nunquam antea sensimus. In villa enim *Lefforde, Stockheim, Meinolverotb, Stederburch, Stedere, Adersheim, Thide, Vimmelse, Northeim*, omnem fructum ejus anni totaliter amisimus. Nam seges in herba præcisa est; in aliis autem minimam partem frugum & raros torres igne rapuimus. Vnde pro conquirenda annona dorsalia nostra & campanam unam maximo dolore & miseria distraximus. Ita autem, quæ præmisimus, aut quæ subinferemus, nemo in vanum à nobis stylo signari æstimet: profecto cum in utraque parte malum werræ graviter senserimus, utriusque partis, quæ fuerit commoditas aut incommoditas, veritate non omissa, loquemur. Tanta enim ex diutina terræ contritione incommoditas nos attriverat, quod sæpe dormitavit anima nostra præ tædio; nunc autem omni spe subsistendi remota, modicum passos nos æstimabamus, si modo tantæ dejectionis malum nos non attigisset. Perdurante vero hujusmodi malo, Principes jam dicti Imperatoris adventum falso sibi sæpius præfixum inaniter præstolantes sui destructionem magis quam Ducis propulsionem agebant. Interim in civitate *Brunsvich* pro quibusdam captivis intestina quædam seditio orta est; in qua *Advocatus Ludolfus* cum filiis suis & cognatis perniciosissime notatus est: qua, ut plerique autumant, non, ut dispositum erat, terminata; siquid in animo gerebat, jam dictus Advocatus ad lucem exposuit: nam cum filiis suis à servitio Ducis & civitate elapsus in tuta loca, scilicet *Dalem* & *Winethen*, se contulit. Qui legitime vocatus & usque ad præfixos sibi dies exspectatus non rediit, donec decisa in eum sententia prolata est. Ac deinceps hostibus Ducis adjunctus est, omnemque sui animi in malum Ducis affectum ostendit. Sed in brevi à filio Ducis *Winethen* capta est: sed de *Dalem* omnis circumjacens regio rapinis & incendiis vastata est. Usquequo, Domine, exaltabitur inimicus? Sed de die in diem visum est Principibus ab Imperatore se deludi, tantæque exspectationis pertæsi sunt. Inito igitur consilio simiam * quandam pacis statuere voluerunt; sed cum aditum non haberent, aliquantulum protraxerunt adhuc sibi fiduciam constituentes. Erubescebant enim Duci supplicare de pace: nec ipsi, ut pacem darent, à Duce sollicitabantur: ubi efficax *Gerhardi Præpositi Stidereburgensis* diligentia operata est, qui internuncius utriusque partis adduxit consensum, & pace usque ad festum S. Michaëlis promissa, in die Agapiti martyris satis inopinate & misero termino conventus ille dissolutus est. In hac pace Ludolfus non est inclusus: quem postea *Palatinus Rheni*, cum apud *Brunsvich* eandem pacem protelaret, magno labore inseruit. Ex hoc tempore sicut infirmitas Imperii, ita & robur Ducis omnibus patuit hominibus. Discurrunt interim ad Imperatorem primi mali effectores, vana fiducia plenas ferentes schedulas, & Ludolfus Advocatus cum his, qui ad eum pertinebant, ante præfixum diem primus irrupit: unde omnia, quæ Ducis erant & ecclesiarum ab ipso & *Ecberto de Wulferebutle* diripiuntur: grassati in ira magna, scientes, quia modicum tempus habent. Sed ante ruinam exaltatur cor. Dux igitur, ut de suis plenam consequeretur vindictam, & se à circumcurrentibus exoneraret latrunculis, collecta valida multitudine per filium suum & *Bernhardum de VVelepa*, & plures nobiles, *VVolferebutle* obsedit: quod machinis & instrumentis ad hoc deliberative apparatis viriliter appetentes ad deditionem Guncelinum quarto die compulerunt: majori filio suo alias transeunte. Hi sunt, qui foderunt foveas, & inciderunt in eas. Ludolfus Advocatus cum filio suo captivus abducitur, & castrum suum his, qui eum oderant, commendatur. Ipso tempore castrum *Ludolfi de Peina*, qui *avunculi sui* exempla devia secutus *Conradum de Rothen* in sui perniciem sibi adsciverat, altera die capitur, inceditur & æquatur, & nomen Ducis ex hujus facti memoria, quod fieri posse videbatur incredibile, eo gloriosius dilatabatur.

Defatigatis igitur nobis in tantis ac diutinis malis defecit ac defatigatus est spiritus noster, ut tædeat nos in scribendo numero miseriarum nostrarum ulterius immorari. Perdurante adhuc odio Domini Imperatoris, quanto virtuosius *Dux junior* in cunctis actionibus suis pa-

* An legend. *formulam*, aut simile quid.

tris ... virtutem est secutus, eo major Imperatoris circa ipsum accenditur ira, & irritum *inter Ducem & filiam Palatini de Reno* dissipare nitebatur matrimonium. At illa, quamvis à multis impetebatur, ab Imperatore ad hoc destinatis, in Ducis, quem elegerat, amore immobilis permanebat. Tandem matre sua agente, Palatino inscio, vocatus, per medios fines inimicorum suorum & per varias insidias mirabiliter elapsus, protegente se Deo, cum etiam ipsa, quæ futura erat sponsa, quid gereretur, vespertino crepusculo intravit, & ipsa nocte absque nuptiarum celebratoribus, non tamen sine benedictione sacerdotali, in thalamum collocati sunt, & felix contractum matrimonium. Vocatus postera die Palatinus, qui tunc ad latus erat Imperatoris, dum castrum intravit, quæ gesta sunt, audivit: & tunc demum cum gaudio & exultatione celebres divulgatæ sunt nuptiæ. Deinde Palatinus Imperatorem adiit, se de conscientia facti juramento expurgat, & omnibus modis filium, quem sibi adoptavit per filiam, gratiæ Imperatoris elaborat restituere. Factus itaque voti sui compos, ut primum filio suo Imperatoris mitigavit animum, Ducem seniorem in Brunsvich adiit, eumque ad præsentiam Imperatoris evocat, pollicendo bona, si ad Domini Imperatoris voluntatem suum inclinaverit animum, & se gratiæ suæ ordinationi submiserit. Dux itaque, licet non ignoraret, quoniam difficilis ei foret Imperialis iræ mansvetudo, tamen ut Principum ordinationi esset consentaneus, consilio Palatini acquiescit, eique *curia in Salvelde* præscribitur: ad quam cum Imperator accederet, & Dux esset in itinere, in arduo nemoris, cum appropinquaret loco, qui *Bothvelde* dicitur, Dux de equo corruit, & ex contritione tibiæ ab itinere, quod coeperat, impeditus est. Sequenti die *VValkenred* deportatus nuncios suos ad Imperatorem ordinat & destinat; ipse vero mansit in eodem loco gravi ex læsione laborans infirmitate. Imperator ut audivit, quamvis artem suspicaretur subterfugii, Principes, qui convenerant, detinuit, adventumque Ducis exspectare disponit.

Interim *Præpositus Gerhardus* per interventum Domini *Conradi, Imperialis aulæ Cancellarii*, à Domino Imperatore obtinuit, ut ipse ecclesiam suam in *Stederborch* in suum speciale patrocinium assumeret, eique super hoc præsente Domino Bernone Hildensemense episcopo & Palatino Conrado & Duce Bernhardo per manus *Sigelboi, Imperialis aulæ Protonotarii* privilegium dedit in hunc modum: Circa idem tempus Dominus Berno Hildensemensis episcopus de acquisitis & acquirendis prædiis privilegium dedit in generali capitulo in Hildensem. - - - -

Postquam autem intellexit Dominus Imperator non fictam Ducis infirmitatem, viciniorem loco, & tempore productiorem diem ei constituit in **Dulleche** / certificatus à *Præposito Stidereburgensi Gerhardo, qui legatione Ducis fungebatur.* Dux itaque aliquantum receptis viribus suis, ad diem & locum sibi constitutum venit, & in plenam gratiam Imperatoris ibi receptus est, & filius suus beneficiis *Palatini*, quæ ab Imperatore tenuit, solenniter est vestitus, expetente Domino Imperatore, ut secum iter arriperet in *Apuliam.* Dux ad sua rediit, & filium suum ad obsequendum Domino Imperatori modis omnibus adjuvit, spe ductus inani: quia aliqua ex his, quæ sibi promissa erant, exspectabat. Mittitur itaque *filius Ducis, Palatinus Comes Reni*, cum Domino Imperatore in Apuliam, sicque Dux beato Job in hoc non dissimilis omni orbatus est filio: siquidem duos minores natu, *Ottonem & VVilhelmum* Rex Angliæ, avunculus ipsorum, pro multis millibus marcarum argenti, quod pro sui liberatione debebat Domino Imperatori, dederat in pignore: & hic major natu sub dubia spe revertendi & ancipiti periculo peregre profectus est.

Post hæc *Præpositus Gerhardus* duos mansos in *Beddinghe* suæ acquisivit ecclesiæ. Siquidem *Rotholfus Præpositus in Richenberge*, & universæ ejusdem ecclesiæ Canonici pro ordinanda ecclesiæ suæ utilitate, acceptis à *Præposito Gerhardo* decem & octo marcis argenti prænominatos duos mansos in *Beddinghe* vendiderunt, & super hoc facto certitudinem, quam debebant privilegio & attestatione sua ecclesiæ in Stedereburch præstiterunt. Non multo post Præpositus Gerhardus emit quinque mansos in *Getlede à Bernone & Ludolfo & Hermanno de Cramme*, datis quinquaginta marcis argenti. Sane ejusdem prædii medietas *Bernoni* cesserat, & pars reliqua *Hermanno.* Dedit itaque Præpositus Bernoni viginti quinque marcas pro parte sua, & abrenunciavit prædio, compromittente matre sua, & Ludolfo & Hermanno fratribus suis. Sed quia idem Berno duos habebat filios parvulos, dedit fidejussores Ludolfum fratrem suum, & patruum puerorum, & Hermannum fratrem suum & *Thidericum de Vlotbede*, ut cum ad annos discretionis venerint, Præposito & ecclesiæ suæ hanc emtionem ratam esse recognoscant. Pro reliqua autem parte dedit Hermanno viginti quinque marcas argenti, item compromittente Bernone & Ludolfo, fratribus suis, & matre ipsorum, qui legitimi heredes erant, hanc emtionem. Facta est hæc emtio in Stedereburg in capella S. Nicolai, in die Apostolorum Petri & Pauli. Testes hi sunt: *Thidericus de Barem, Burchardus senior de Thide, Ludolfus & Alderus de Getlede, Bertoldus & Burchardus & Henricus, fratres de Thide, Bertramus de Stöckem* & alii quam plures. Sed ut ad ea, quæ circa *Ducem Henricum* gesta sunt, redeamus, styli cursum transmutandum esse putavimus, quippe

quippe cum secundum præceptores nostros rerum proprietates aptis & convenientibus ad hoc sermonibus sint exprimendæ. Porro idem nobilissimus Princeps eventum filii sui, quem Imperialibus obligaverat obsequiis, anxius exspectabat, quem tamen infra ipsum, quo abierat, annum, rebus in Apulia bene gestis, sanum & incolumem recepit. Ipse vero nihil nomine dignum, vel honoris, vel utilitatis, ab Imperatore consecutus est. Videns igitur senior Dux, Imperatorem flecti non posse ad benevolentiam, cœlesti Regi placere desiderans cultum domus Dei ampliare intendit: specialiter autem monasterium S. Johannis Baptistæ & S. Blasii, quod à fundamentis exstruxerat, decorare studuit: unde imaginem Domini nostri JEsu Christi crucifixi cum aliis imaginibus miro & decenti opere in medio monasterii summo studio collocari fecit: pavimento & fenestris ipsum monasterium laudabiliter ornavit: crucem auream opere fabrili instituit, cujus pretiũ in auro & gemmis ad mille quingentas marcas argenti computabatur. Ipse etiam licet robore & viribus corporis deficeret, & infirmitas, quæ quemlibet hominem dejiceret, graviter ipsi accederet, animi sui naturalem virtutem nobiliter regebat, & *antiqua scripta chronicorum colligi præcepit & conscribi & coram recitari, & in hac occupatione sæpe totam noctem duxit insomnem.* Negotia etiam permaxima ad ipsum quotidie deferebantur: quia asvetus in his animus consilii prudentiam non amiserat.

Vestes etiam sacras divinis aptas ministeriis in sui præsentia fecit aptari, quas in usum ecclesiarum partim distribuit, partim in capellæ suæ usum reservavit. Interim Dominus Imperator Ducem inanibus promissionibus suspensum tenet, & frequenter mittit nuncios ad ipsum, qui se & filium suum ab indebita læsione debebant eximere, & eos, qui indebite ipsi rebelles erant, suæ gratiæ reformare. Eo tempore *Dux Austriæ Lippoldus* de equo corruens vitam miserabiliter finivit, & *filium Ducis Willehelmum*, quem habebat in pignore, sero pœnitens, antequam moreretur, *Regi Ungariæ* Duci Henrico reddendum transmisit: sed & hoc arte Imperatoris impeditum est. Expensa igitur hyeme, & tota quadragesima, dum eleemosynarum largitionibus insisteret, in vigilia Paschæ, nocte media, repentinus eum dolor invasit, & solito plus invaluit malum. Ipse tamen operibus bonis, quæ cœperat, infatigabiliter insistebat: ab hoc ipso tempore usque ad diem obitus sui vix aliquod de continuo dolore habebat remedium. Sic, exacta æstate, cum dies caniculares instarent, immoderata, sed naturali solutione ventris laborare cœpit; ipse tamen nullius medicinæ remedium admisit. Nec hoc silendum, quod XIV. ante obitum suum die, quæ est vigilia Jacobi, hora diei nona, exorta subito nube à partibus Occidentis, in ictu oculi fulgur miri acuminis & velocitatis apparuit, & tonitru terribile subito subsecutum est: & ex ipsa occulta vi sub tecto plumbeo inter murum plumbũ & monasterii *tegillæ* ligneæ incensæ sunt: sed omnibus, qui circa Ducem erant, consternatis, ipse permansit interritus. Acclamantibus igitur omnibus ad incendium, & uti Duci succurratur, quia super caput ipsius erat incendium, grandis pluvia secuta est, & divina potentia, quæ invisibiliter hunc ignem accendit, sine humano molimine mirabiliter eum exstinxit. Dux itaque, quia vim morbi in se timuit, nuncios suos post filium, qui tunc in partibus Reni morabatur, misit: & *Episcopo Raceburgensi Isfrido*, cui specialiter confiteri solebat, nuncium destinavit. Qui subito veniens vidit eum morbo acrius laborare, verbum exhortationis ad ipsum habuit, ut spiritu fortitudinis in hoc articulo habito Dominum se vocantem hilari corde sequeretur. At ille his & similibus verbis salubriter compunctus puram coram Deo & episcopo peccatorum suorum confessionem fecit, & quarto Nonas Augusti in remissionem præteritorum suorum delictorum, secundum consuetudinem ecclesiæ oleo inunctus est, participans sacrosanctis mysteriis Christi. In hac itaque morbi molestia quatuor adhuc dies supervixit, non querulus, non gemens, ut plerique solent infirmi, sed si quando erupit in vocem: Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori. Erectus namque in virtutis culmine animus passionibus corporis non succubuit, cui etiam in divisione corporis & animæ morti succumbere quasi videbatur indecorum. Eodem tempore famosus ille Princeps *Henricus Dux* inter manus cleri sui, quem ipse tenere dilexit, & gloriosæ tramite disciplinæ imbutum ad altiora tendere semper hortatus est, ex hac luce subtractus obdormivit, ut speramus, in domino, anno ætatis suæ LXVI. De cujus morte sicut sui non modicam habuere tristitiam, ita æmuli sui magnam concepere lætitiam. Audivimus tamen postmodum, eos, qui eum odio habuerunt, commendare gloriam & virtutem Principis, & vivere eum instantissime optabant. Deportatus itaque inter manus flentium *in monasterium S. Blasii*, quod ipse exstruxerat, *in medio pavimento ante crucem, quam erexerat, in dextro latere uxoris suæ Mathildis Ducissæ, Anglorum Regis filiæ*, honorifice sepultus est: sicque factum est, ut quam habuerat consortem thalami, haberet etiam sociam sepulchri. Quorum animæ per misericordiam Dei lucidas & quietas mansiones in sorte Sanctorum possideant. Amen. - - - - -

Anno 1275. Refectorium Dominarum, quod per stillicidium & vetustatem omnimodo perierat, ita ut nihil præter muros remaneret, magnis expensis & laboribus incepimus

 refor-

reformare & ad commodum Dominarum dormitorium desuper decrevimus construendum. Eodem anno orta est *werra inter Ducem & Marchiones*, & servivimus Domino Duci cum tribus curribus sumtuose. Eodem anno comparavit Dominus *Episcopus Hildensemensis* castrum *VVoldenberch*, ad cujus solutionem in omnia claustra nostræ diœceseos fecit exactionem, nobis verò ex præcepto Ducis cum aliis quibusdam cœnobiis non licebat ad hanc emtionem eidem in aliquo subvenire; unde post multas adversitates & minas per sententiam à Domino Episcopo contra nos latam oportebat per decem septimanas excommunicationi subjacere, cujus indignationem non sine sumtu & dispendio poteramus pertransire. Dedimus etiam eodem anno Episcopo quatuor marcas puri argenti pro gratia sua acquirenda, & postea quatuor, quando comeciam comparavit.

Anno Domini M CC LXX VIII. ferè generalis & miserabilis plaga nostræ provinciæ, peccatis hominum exigentibus, est exorta, nam tota siligo cùm jam esset in flore, per gelu periit, similiter aliæ segetes per ariditatem temporis minus valuerunt, & sic in comparanda annona eodem anno plus quàm quinquaginta marcas expendere oportebat; vix semina in omnibus curiis nostris colligere poteramus. Eodem anno ferè tota civitas *Brunswich* est exusta, unde non modicum detrimentum passi sumus.

Anno Domini M CC LXXIX accessit nobis inopinabile malum, nam werra maxima oriri cœpit in terra: Multi enim Principes, *Dominus Magdeburgensis electus* & *Bremensis Archiepiscopus*, *Hildensemensis Episcopus* quidam *ex Marchionibus de Brandenburch* cum multis nobilibus & Comitibus, Baronibus & ministerialibus & potestatibus terræ contra *Ducem Albertum de Brunswich* conspiraverunt, & ad malum terræ & destructionem Ducis juramento confœderati sunt, unde multa mala per rapinas & incendia & exactiones diversas nimis fuimus angariati. Bona & reditus ecclesiæ nostræ ferè omnia in dominio Ducis sunt sita, unde coacti ad servitia Ducis oportebat nos esse paratos, pro qua causa Dominus Episcopus nos pro inimicis reputabat; unde post multas minas ab Episcopo ipso & suis Advocatis nobis illatas, & cùm videremus mala, quæ fiebant in terra, nimis esse indurata, consilio super hoc habito pro vexatione redimenda, ut sperabamus, viginti sex marcas dedimus puri argenti Domino Episcopo, de qua spe tamen multotiens fuimus viduati, nam bona nostra postea fuerunt exusta in *Brotzede*, in *Alvedessen*, in *Beddinge*; homines ecclesiæ nostræ fuerunt captivati, spoliati, & nos cùm eis, quandoque nostra nobis fuerunt reddita, quandoque non. Eodem anno ambo nobiles & illustres Principes, videlicet dominus *Otto Hildensemensis Episcopus* & dominus *Albertus*, *Dux de Brunswich* mortui sunt, nam dominus Episcopus in die sancti Olderici viam universæ carnis est ingressus; transactis inde sex septimanis, hoc est, in die assumtionis beatæ Mariæ Dux debitum omnis carnis non sine magno gemitu & dolore suorum heu! persolvit, cujus corpus quinto die cum magno honore in *Brunswich* est sepultum. Eodem die *Advocatus de Peina* cum suis cooperatoribus magnam rapinam de omnibus villis nobis adjacentibus attulit.

Dei gratia *Henricus Dux de Brunswich* omnibus in perpetuum. Cùm dominus Johannes Stederburgensis ecclesiæ Præpositus ac familiares sui unà cum domino *Ecberto* dicto *de Asseborch* & suis legitimis hæredibus in emtione quorundam prædiorum concordarent coram nobis, rogaverunt ut talem ordinationem tanquam coram domino terræ factam firmare dignaremur. Testes hujus confirmationis sunt Domina Adelheidis, Ducissa, mater nostra, in cujus præsentia hæc donatio est facta, *Comes Henricus de Blankenborch*, Dominus Burchardus Marschalcus dictus de Asseburch, Ludolfus de Weverlinge, Henricus de Campe, Bertramus de Veltem, Otto de Gerchsheim, milites & Consiliarii nostri, Balduinus de Campe, Notarius noster & quàm plurimi fide digni. Datum in Brunswich, anno gratiæ M CC LXXX. XVI. Kalend. Aprilis.

Anno Domini M CC LXXXII.

Quia jam dictus *Sifridus* bona prænotata à Duce in feodo tenuit, oportebat, ut ipsum Ducem & suos Consiliarios imo scriptorem pro privilegio, muneribus & diversis clenodiis nobis placatos faceremus, & sic eadem hæc bona per legitimam donationem & per debitas sententias à *Duce Henrico* & fratribus suis, *Alberto VVilhelmo* & *Ludero* Ecclesiæ nostræ sunt confirmata.

Anno futuro Dux circa messem incepit ædificare *castrum VVolfrebutle*, & ad hoc factum exercitum collegerat, & quia nobis in vicino fuit, oportebat ut cum magno dispendio cibariorum multis importunis servitiis eis subveniremus.

Eodem anno Dominus Episcopus, cooperante sibi *Duce de Luneborch* castrum *Luttere* obsedit, & novam petitionem imò exactionem in totam diœcesin fecit, quæ petitio nobis sex marcas & dimidium constitit.

De

De emtione castri in Thide, & sex mansis & areis ibidem, Præpositus Arnoldus de Gherindissen promovit.

In nomine Dei Amen. Dei gratia *Otto Dux in Brunswich.* Omnibus in perpetuum memoria hominum consultè juvatur, cùm gestæ rei veritas literarum testimonio roboratur. Claro igitur profitentes indicio præsentium & tàm ad futurorum quàm ad modernorum volumus notitiam devenire, quod accedente consensu dilectorum Alberti Præpositi ecclesiæ sancti Alexandri in Enbeke, Henrici Canonici Hildensemensis, *Luderi*, *Johannis*, *Magni* & *Ernesti fratrum nostrorum, Mechtildis, Juttæ sororum nostrarum* & omnium hæredum nostrorum, quorum meritò consensus fuerat requirendus, pro centum & sexaginta marcis puri argenti Brunsvicensis ponderis & valoris vendidimus, dimisimus, donavimus, & per præsentia in nomine Domini ex nunc donamus monasterio & conventui sanctimonialium sancti Jacobi Apostoli, & sancti Christophori in Stedereborch *castrum in Thide*, & sex mansos sitos ibidem in campis liberaliter cum omnibus suis juribus, proventibus, utilitatibus tàm in sylvis, campis, areis, agris, pratis, pascuis, viis & inviis, quàm cæteris pertinentiis suis universis, ab omni jure tamen comeciæ, Advocatiæ & servitute prorsus liberos, proprietatis ac libertatis titulo perpetuo possidendis transferentes in dictum monasterium Stederborch omne jus & proprietatem, quæ nobis seu nostris hæredibus in dictis competebant mansis seu castro, possentque modo quocunque competente in futuro. Misimus insuper procuratores seu provisores prædicti monasterii & conventus tàm suo, quàm ejusdem conventus nomine in prædictorum sex mansorum & suorum pertinentium ac castri possessione corporalem, & renunciavimus ac renunciamus præsentibus pro nobis & nostris hæredibus omni jure, quod nobis aut ipsis competebat aut posset competere in eisdem. Volumus etiam suprà dictum monasterium & conventum de hujusmodi bonis ac ipsorum proprietate legitimè warandare, & ab omni impetitione seu impedimentis prædictorum hæredum nostrorum, si, quod absit, contingerent, per ipsos aut ipsorum quemlibet legitime - - - - - - - - Vt autem præmissa omnia rata & inconvulsa sæpe dicto monasterio & conventui in Stedereborch jugiter permaneant & inviolabiliter observentur à nobis & nostris hæredibus, præsente litera sigilli nostri munimine in eorundem evidentiam duximus roborandum.

Testes hujus rei sunt Eckbertus de Asseborch, Jordanus de Nendorpe Pincerna, Hinriricus de Wenden, Wedekindus de Garslebutle, Ludegerus de Garslebutle Dapifer, Ludolfus Hollege, Johannes de Ampleve, Didericus de Hollege & Gevehardus de Weverlinge, milites nostri, Hermannus Wolveramus, Cunradus Holtnickerus Senior, Eilardus Boneke, Bernhardus Drusebant, Henricus Eliæ, Rodolphus de Calve, Wedege de Veltstede, Henricus Egelhardi, David Cronsben, Bertramus de Dammone, Hildebrandus Eleri, cives in Brunsvich nostri fideles & quàm plures alii fideles digni. Actum & datum Brunswich Anno Domini MCCCXIX. In die Ascensionis Domini.

De fraternitate Frederundæ & Hadevigæ & loci hujus familiæ & omnium fidelium defunctorum.

VNiversis Christi fidelibus liqueat per præsentes, quod nos *H. Præpositus*, *Jo. Priorissa*, *totusque conventus Stederburgensis ecclesiæ*, liberalissima devotione, pronis vultibus, flexis genibus summæ majestati provolutæ ad petitionem cujusdam confratris nostri Ludolfi filii domini Martini militis de Brotzem, & cui, ut speramus, Dominus talia inspiravit, recipimus in fraternitatem nostram dominam *Friderundam & Hadewigam loci hujus & familiæ institutrices cum Altmanno Comite patre ipsius* & universa donatione sua, quorum beneficiis utimur, & animas Adæ & Evæ & omnium, de quibus originem carnis duximus, & suas eleemosynas largiti sunt, aut qui nobis ullum beneficium aut servitium præbuerunt, & qui se nostris orationibus commendaverunt, & qui nobis consanguinitate vel familiaritate conjuncti sunt, & animas omnium, qui in hoc seculo occisi sunt, jugulati, suspensi laqueo, in aquis submersi, bestiis commesti, combusti, in rota positi, & animas omnium, qui rectum sensum perdiderunt, & qui singularem apud Deum non habet intercessionem, & animas omnium, qui propter paupertatem oblivioni dati sunt, & qui in peccatis mortui sunt, & nullam pœnitentiam egerunt, & animas omnium fidelium defunctorum, qui ab origine mundi usque in hodiernum diem de hoc seculo migraverunt, & usque in finem seculi migraturi sunt, plenam eis participationem vigiliarum, orationum, jejuniorum & castigationum & omnium bonorum operum præsentium tenore concedentes, quæ per conventum nostrum præsentem & futurum operari dignabitur clementia Salvatoris.

Insuper ad confirmationem perpetuæ fraternitatis statuimus, ut à communi conventu in Dominica Lætare cantentur vigiliæ: Parce mihi, Domine; & sequenti feria secunda: *Si enim credimus*. Deinde in feria quarta ante Pascha in communi legatur psalterium: *Factus JEsus*. Legatur etiam post Parcha in feria quarta psalterium: *Gloria tibi, Domine*, ad versum. Post assumtionem vero beatæ Mariæ in die S. Berwardi psalterium: *Ave Maria*, ad versum. Et in die Innocentum, psalterium: *Gloria Tibi, Domine*, ad versum. Et ut hæc firmiter à procuratricibus infirmarum procurentur, & à communi conventu fideliter pro salute omnium fidelium animarum perpetuò conserventur, sigillo ecclesiæ nostræ fecimus roborari.

Hi sunt libri S. Jacobi & S. Christophori ecclesiæ in Stedereborch.

LIber Genesis Biblia, tria Kalendaria, in quibus continetur de passionibus sanctorum, liber de pastorali cura, liber de moralibus beati Job, liber B. Gregorii super Ezechielem liber, qui vocatur *dialogus*. Tres libri de homiliis, duo antiqui & unus novus liber, qui vocatur de divinis officiis. Duo libri *Dominæ de Peyna*, unum plenarium, & unus liber, in quo continetur Paulus & Actus Apostolorum. Duæ regulæ, antiqua & nova, quæ vocantur *Expositiones*. Duæ aliæ regulæ, in quibus legetur ad capitulum. Liber, qui vocatur *Smaragdus*, in quo continentur homiliæ totius anni, qui legetur per totum annum in singulis septimanis, nisi in Natalitiis sanctorum, tunc legetur in *Kalendariis*. Et unus liber, in quo legetur in Pascha, & in Assumtione Sanctæ Mariæ, & liber antiquus de actibus Apostolorum, & liber de singulis quaternionibus compositis, in quo continetur de S. Christophoro: & Maria stabat ad monumentum. Duo libri S. Augustini, unus magnus, quem *domina de Ovesvelde* scribi fecit, & unus parvus de vita ipsius. Quinque gradualia in choro Dominarum; tria matutinalia in choro dominarum; duo antiphonaria in choro dominarum Et unus liber, qui vocatur *Flos virginum* & liber; qui vocatur *Ephrem*; & liber: in Principio, & evangeliorum secundum Marcum; & liber de ordine totius anni; & liber de miraculis sanctæ Mariæ; & liber *Ave Maria*; & liber *domini Bodonis*; liber sancti Jacobi; speculum ecclesiæ, liber de Canticis.

LXI.
Ex
HISTORIA GODESCHALCI MSta
excerpta quadam.

Prologus.

LIcet ad signandam visionem, quam Deus nostris temporibus, nostris in partibus, nobis noto *parochiano*, puto *nostro*, revelare dignatus est, sufficiens caussa religiosorum sit petitio; principalis tamen caussa timor Domini est, pœnam intentans negligentibus, & amor ipsius denarium pollicens laborantibus, sicut finalis dilectio proximi est, ad cujus ædificationem nostra summopere se dirigit intentio.

Accessus.

ANno incarnationis Dominicæ *millesimo centesimo octuagesimo octavo* gloriosus *Imperator Fridericus*, Christi cruce insignitus, ad expugnandum ipsius crucis inimicos, *peregrinationi Hierosolymitanæ* devotè se dicavit: Et inter cætera pro conservanda interim pace reipublicæ providè ordinavit, Dominum *Henricum, Ducem Bavariæ atque Saxoniæ*, pro priori infestatione sibi suspectum, *fines Imperii ad triennium abjurare* coëgit. *Qui* tamen de Imperatoris absentia recuperandi honoris sui spe opportunitatis concepta, cum pacta sibi non servari videret, *primo egressionis suæ anno, de Anglia in Saxoniam rediit*, susceptusque *ab Archiepiscopo Bremensi, Hartwico, castrum & Comitiam Studensem, cum omni feudo*, quod aliquando Dux à Bremensi ecclesia sibi collatum tenuerat, ab eo recepit. Inde Albiam transiens *Comitiam Atholfi* cum Cæsare peregrinantis, Vice, comite Atholfo de Dasle *animum totius pene gentis Holsaticæ in favorem Domini Henrici proniorem* sentiente, & ob id resistere non præsumente, facile obtinuit. Vice-Comes vero in *castro Sichebergensi* præsidio militum collocato, se cum suis in civitatem Lubicensem

censem transtulit, putans inibi securè à persecutione ejus posse manere. Dominus igitur Henricus castrum facilè capi non posse jam tum expertus, *divisa in octo partes tota Holsatorum gente*, quamlibet harum ad duas septimanas castrum vallare, non quidem ad ipsum expugnandum sed observandum, ne forte milites erumpentes patriæ nocerent, & quæ usui suo necessaria viderent, conquirentes, sibi proficerent, constituit.

1. De Godeschalco, qualiter ad castra veniens infirmatus ibidem domum sit reductus.

Est in *parochia* nostra, *Novimonasteriensi* videlicet, homo, *Godeschalcus* nomine, *vir simplex & rectus*, pauper spiritu & rebus, eremi cultor & eremita, scilicet *agricola*, unius uxoris vir, præterquam aliam fœminam non cognovit, habens ex ea filium & filias duas. Diversis diurnis & gravibus tota vita sua laborans *infirmitatibus*, sospitatis suæ tempore in vellicandis sive *radicitus evellendis fagis, quercetibus & cæteris arboribus operosus* arva seminibus serendis extendens, ipsaque *arva colendo*, in sudore vultus sui comedens panem suum. Alieni non appetens, *nec per furta & rapinas, ut nostratibus, Holtsatis* videlicet *imponitur*, assequens, sed sua justis laboribus tantum conquisita pro facultate sua benignè aliis communicans. Cum igitur ordo dispositionis parochianos nostros ad obsidionem castri evocaret, Godeschalcus imbecillitatis propriæ ad laborem & periculum obsidionis perferendum non ignarus, præfectum patriæ supplex & per se & per interventores adiit, obsecrans, ut ejus permissu licitè huic negotio supersedere mereretur. Nec impetravit. Necessitate igitur cogente, qualibuscunque stipendiis præparatis & proprii dorsi saginario impositis, iter cum conviatoribus arripuit, *uxore* minaciter eum revocante, quæ *visione quodam edocta* pronunciavit, eum nunquam vita comite reversurum, aut infirmitate tùm lethali vexandum, ut expediret ei, mortuum esse potius quam vivere. Ille autem retinere se volenti non acquiescens, licet jam tunc infirmitatis molestia pulsaretur, emenso itinere, quod ceperat, *vespere dominicæ diei ad castrum pervenit*. Sic enim dispositum fuit, ut semper die dominico, duobus hebdomadibus evolutis, aliis supervenientibus illi, qui vicem suam explessent, ad propria remearent. Feria tertia, vespertino tempore, *obripilatione gravi primum tactus* dein sensim *viribus deficientibus, tandem stratu decubuit*, compos tamen sensuum, nec officio linguæ usque in dominicam proximam privatus. Visitatur à contubernatibus, ægritudini ejus admodum compatientibus. Vocatus presbyter & rogatus sacramento corporis Christi eum communivit; præter quod, ex quo decubuit, donec tandem quoquo modo convaluit, *nullum alimentum sumsit*. A dominico autem die usque ad feriam quartam *sensibus pariter deficientibus*, facie pallente, *corpus totum velut exanime* apparuit. Feria quarta de vase corporis *anima* penitus, ut ipse patiens testatur, *effusa est*, ut *videret invisibilia*, audiret inenarrabilia. Cum enim dubitet Paulus, utrum in corpore, an extra corpus raptus fuerit, *Godeschalcus* indubitanter asserit, à corpore anima resoluta, vere se *toto visionis suæ tempore*, quæ per quinque dies, ut dicit protelabatur, fuisse *mortuum*. Quod si ita est, miraculose interim à Deo *motus quidam corpori provisus est*, quo, cum ceteris membris immotis, *os solum palpitavit*, quatenus in opinionem homines ducerentur, naturaliter ipsum vivere, ne si vitali prorsus careret signo, illud subterrarent, priusquam anima hoc repeteret. Nam cum anima in sui natura simplex, sicut ex partibus non est compacta, sic nec in partes distribui patiatur, partim evagari a corpore, partim in ipso remanere non poterat, alioquin homo vere mortuus non fuisset. Die Dominico, qui ultimus parochianis nostris *dies* in obsidione castri, & *postremus Godeschalco visionis* extitit, omnibus pariter ad sua redeuntibus, amici eum in vehiculum plaustri levatum domum reducere cœperunt. In itinere autem cum pertranseuntes ecclesiam nostram de vicino viderent, serio alterutrum conferebant, utrum compendioso labore ad ecclesiam tunc eum deferent? ibidem præstolaturi, donec palpitatio illa oris omnimodo conquievisset, & sic eum tumulaturi; ne, si domum eum perferrent, proxima die, ut putabant, rursum ad ecclesiam humandum reducturi, *villa ejus Horchen, per milliare magnum à Novomonasterio distante*, dispendium sibi laboris insumerent. Saniori tamen consilio, quantum ad eventum rei attinet domum eum pertulerunt. Ita quidem circa hominem, inter homines & ab hominibus actum esse, quàm plurimis constat. Qualem autem interim eventum anima, disponente illo, qui facit mirabilia magna solus, habuerit, sicut ex veridica *ipsius relatione* aliquoties audivi: nam personæ simplicitas in corde, & corde versutè loqui nescientis, verborum sanitas rebus consona nec a fide dissona supiriorum assiduitas, lacrymarum ubertas, testimonio erunt referenti, veritatis legem volenti: ac scire cupienti fideliter pandere gestio.

2 *De visione Godeschalci, de duobus Angelis, ductoribus ejus.*

3 *De tilia & calceamentis.* [Tilia in latitudine diffusa per singulos & totos ramos suos calceamentis onusta erat. Angelus dicit: quicunque digni inventi fuerint de calceamentis istis accipere, periculum horrendum, quod imminet, illæsi transire poterunt.]

4. De

4. *De pœna terræ & de transituris per eam.* [terra spinas & tribulos germinabat, latitudine duorum milliarium. Animæ defunctorum pœnas inevitabiliter transituræ illuc confluebant.]

5 *De Angelo calceamenta distribuente.* [in summitate tiliæ constitutus erat]

6 *De calceamentorum meritis.* [Qui indigenti opem fert, ei Deus in periculo tanto talem consolationem rependet.]

7 *De Godeschalco & aliis punitis.* [Godeschalcus non munitus pedes super myricam spinosam deducitur, spinisque nimis penetrabilibus totos pedes configitur. Pariter ferme centum viginti alii per pœnalem illam myricam transibant, quatuordecim tantum calceatis.]

8 *Qualiter Angelus officiosus Godeschalcum consolatus, justis gratulando alios redarguerit.* [Angelus ad tiliam redit & inde calceamenta Godeschalco affert.]

9 *De collatione justorum & miserorum.*

10 *De pœna aquæ & duplici periculo ejus.* [fluvius erat ferreis aciebus repletus, quem transire oportebat.]

11 *De consolatione & ratione consolationis justorum.* [ligna natantia sponte ad littus appulsa eos recipiebant & transvehebant, atque inter eos Godeschalcum.]

12 *De pœna iniquorum.* [Hos flumen transituros acies illæ conscindebant & carne privabant.]

13 *De restauratione & separatione punitorum, & de processione partis utriusque.* [substantia punitorum in ictu oculi ad integrum est restaurata. Sex tertium subituri erant supplicium]

14 *De trivio.*

15 *De pœna aëris* [fœtidi & baratro viæ ad sinistram.]

16 *De via* [dextra ad cœlum elevata lucida & jucunda, media spatiosa & luminosa pro bonis, sed minus perfectis.]

17 *De Angelo, quemlibet in viam suam dirigente* [quinque calceatos ad dextram, reliquos ad mediam, exceptis sex, qui inter viam mediam & baratrum per aspera loca ivere.]

18 *De gloria & gaudio perfectorum & bonorum, & de luctu miserorum*, [qui per viam asperam ire cogebantur, cum quibus Godeschalcus ab Angelis ducebatur, ut spectaret eorum mala.]

19 *De collatione officiosi* [Angeli] *cum miseris.*

20 *De pœna ignis & de punitis in eo.* [furibus manu, gulosis ventre, quibusdam toto corpore.]

21 *De Godeschalco Dasonida.* [Dasonis senioris filio, qui excepta facie vitreo vasi erat inclusus, & novem follibus ignem in ipsum spirantibus cruciabatur.]

22 *De facinoribus & sacrilegiis Bakaridarum & de incusatione & expugnatione Godeschalci.*

„Erat in parochia Nonthorpensi, quæ Novimonasteriensi contigua est parochiæ, in qua „& Dasonides miser habitavit, Slavus, Tributi nomine, quinque filiorum pater, filius *Bakari* „à quo *Bakaridæ* progenies dicebatur, qui post multa flagitia, quibus indigenis admodum se „invisos exhibuerunt, rapta admisso, lege terræ decapitari meruentes de terra cum familia „clam profugerunt: sed demum clanculo reversi in abditis nemorum locis se recipientes, pa„rochiam illam & terram ex parte magna furtis & rapinis diversis infestaverunt. Unde Daso„nides, vir secundum prudentiam carnis sagacissimus, cauté sibi consulens, facinorosos illos & „ante sibi expertos non insectatus, sed favorabiliter sibi concilians, pactum cum eis conser„vandæ ad invicem pacis & fidelitatis pepigit. Hac infœderatione securiores illi effecti am„plius grassari cœperunt, ita ut passim honestas mulieres conjugatas, virgines quoque & pue„ros, quoscunque captivare potuissent, in captivitatem abigerent. Dasonidæ vero fidem „integram, uti mos est Slavis, conservantes, participem eum totius quæstus sui fecerunt, & „ipsum consilium ab eo aliis opportune nocendi & sibi præcavendi, nec non & victualium ne„cessaria, cum opus esset, receperunt. Hinc magnum malum & grave damnum accessit pa„rochiæ, cum illum proditorem habuit, quo defensore jure uti deberet. In omni ergo con„ventu, villa & homo, nomen & facinus Bakaridarum, quolibet de jactura sua querimoniam „faciente, celebre habebatur. Postremo sceleribus consuetis non contenti suasu infelicis „illius attentare aggressi sunt. Jam nocte quadam, consilio ejus prævio, & ductore ab eo de„stinato conscio, Ecclesiam in Northorpe in honorem B. Martini constructam, & ad titulum „ejus dedicatam, per fenestram humiliorem irrepentes, ecclesiæ supellectilem totam cum scri„nio, relliquias Beati Martini continente, diripientes, absportaverunt, parochialem nihilo„minus ecclesiam ligneam in Guienstide, quæ parochiæ Northorpensi à plago septentrionali ad„jacet, sub fossam ingressi, pari scelere & damno supellectile illius cum reliquiis ablata teme-

rare

„rare nequaquam exhorruerunt. Quin & nostram ecclesiam quasi opulentiorem tota cu-„piditate spoliare nitebantur; quod tamen nos minime latuit, nec ad eorum repellenda moli-„mina locatis in ecclesia excubitoribus, pervigil cura nobis defuit. Quod cum illi per ex-„ploratorem, vespere quodam in ipso crepusculo præmissum, qui hic a simplicissimo quodam „servulo nostro, ut idem mihi postmodum confessus est, investigavit, didicissent, animo defi-„cientes, quod moliebantur, attentare non præsumserunt, quoniam salva salute propria, hic „se perficere posse non æstimaverunt. Tanto ergo sacrilegio ubique divulgato, tota terra „facinus pariter perhorrescens exsufflavit, protinusque tam familiarem illorum accessum & „præsumtionem temeritatis tantæ præter favorem & instinctum indigenarum non esse ani-„madvertit. Multis itaque & aliis in suspicione habitis Dasonides miser & Hubico Proto-„cleps, præcipuus namque furum in generatione sua extitit, in conventu gentis publico, Lach-„stide, de proditione patriæ proclamati & pulsati, verisimilibusque satis & forte veris argu-„mentis de impacta sibi nota confutati, ab Atholfo Comite seniore tunc Prætorio præsidente, „in vomeribus ignitis expurgare se sunt compulsi. Sed cum apud nos die condicto, præsente „Comite, innocentiam suam tali argumento asseveraturi affuissent, interventu religiosorum „domus nostræ, Comes licet invitus judicium distulit, nec postmodum occasione, nescio qua, „interveniente hæc ab eis exegit. Quidam enim valentiores pro speciali damno suo mono-„machia cum impetere meditati, cum recogitarent rursum, per traditionem ejus facinore „scelestorum illorum, incendio, aut aque alio damnoso flagitio, vel certe vitæ suæ ademtione, „præsumtionem suam forte multandam, simplicem jacturam multiplici portabiliorem sibi ra-„ti, intentione conatus sui tandem laxata quieverunt.

23 *Qualiter Northorpenses Bakaridas perscrutati unum eorum captum puniverint.*

„Northorpenses igitur tanto tamque dilecto patrono suo tam probrose tam damnose „perdito pro variis affectionibus suis diverso modo agebantur. Decrepitis enim & mulieri-„bus parvulisque languentibus, adolescentes & viri indignatione non damnabili permoti, „sævierunt spiritu, irrogatamque sibi injuriam, si quo modo possibile videretur, ulcisci omni-„no statuerunt. Invidit autem iis consilium bonum, & acceptô ab Atholfo Comite Seniore „cane gnaro vestigatore, Teutones una cum Slavis, quorum tunc pars maxima in parochia illa „degebat, Dasonida etiam, ut impactam sibi notam hoc modo sopiret, versutè ipsos comitan-„te, per saltus & nemora sæpe diligenterque illos perscrutantes inventos tandem infugam ver-„terunt. Quorum unus sive ad effugiendum cæteris tardior, sive ingenio subtilior arte mira-„bili fugiens ipse insectantium se turbæ Slavorum interseruit, & unum de persequentibus se „esse finxit, quem tamen unus Slavorum persequentium forte agnitum prodens, nonne, in-„quit, tota die Bakaridas persequimur? ecce unus & eorum non infimus inter nos. Quem „sero nimis effugere conantem ictu lanceæ continuo a quodam transfossum, cæteris effugien-„tibus solum ceperunt. Secum ergo eum reducentes, & linguam primum ei amputantes, „ventrem ejus per medium dissecuerunt, stomachumque versantes explorare nitebantur, quo-„nam tanto tempore cibo fuissent sustentati? Cum enim omnes de collata eis alimonia in su-„spicione habiti pervicaciter negarent, experientia tali ad indaginem veritatis latentis perve-„nire satagebant. Nihil autem in visceribus secti alimoniæ ferunt repertum fuisse, præter „vestigia pomorum nucumque sylvestrium, in tam forti & indefesso labore, quo patri suo & „domino Diabolo servierunt, æternamque damnationem meruerunt, nec victualium neces-„saria consecuti.

24 *Qualiter Bakaridæ se ulti abscesserunt.*

„Ludibrio igitur tali de uno isto habito, reliqui de tam probrosa morte ipsius medullitus „permoti sanguinem ejus cum periculo vitæ propriæ in totam quoque parochiam, si fieri pos-„set, ulcisci statuerunt. Vnde domum illius qui lancea eum transverberaverat, & aliorum „quos in nece ejus præcipuos fuisse audiverant, primum statimque succendentes, non tam „quæstum proprium ut antea, quam damnum alienum lucrosum sibi æstimabant. Bubulcum „dein, pecora in pascuis custodientem, & inter pascendum in præsagium futurorum crucem, „cruciatum forte ipsius portendentem, in alno arbore incidentem, ex improviso accurrentes „in fugam conversum & effugere tentantem, cum socio pastore alio comprehenderunt. Ita-„que in ultione sanguinis fratris sui velut talionem reddituri, sed talionem non contenti, pri-„mum utrique guttur secantes, dein ab ore ad aures usque maxillas scindentes ventrem per „medium dissecuerunt, & stomachis versis ventribusque ad instar pernarum suillarum de li-„gnis distentis, ablata corda eorum ad perversos, nescio quos, usus secum asportaverunt. Gre-„gem nihilominus, quatuor tantum sibi equis optimis reservatis, transfossis aut subnervatis „animalibus, totum perdiderunt. Duos autem istos tam crudeli morte innocenter extinctos

„Godeschalcus noster postmodum in requie in præcipua vidit gloria. Dasonidæ etiam, eo, „quod quæstum eorum, quemadmodum fabulæ de leone venationem dividente, & divisam „particulatim non particulariter, respectu multiplicis eminentiæ suæ potestative sibi usur- „pante, perhibent, contra votum eorum vel totum aliquoties vel quotacunque proportione „elegisset, astu mirabili eos circumveniens sibi vendicasset, primitus offensi, tandem quasi „prævaricatorem pacti cum cæteris eos persequentem execrati, hostiliter in eum, bobus ejus „aliquot transfossis, famuloque ipsius interfecto, animadverterunt. Sic igitur omnibus in- „festi, omnes quoque habentes sibi infensos, in terra ultra delitescere non valentes abierunt, & „ultra cunctis merito admirantibus, nusquam comparuerunt.

25 *De asportatione & reportatione reliquiarum beati Martini.*

„Sacrilegio igitur, ut dictum est, furti reliquias beati Martini ablatas abominabiles illi latro- „nes in Wagriam, quæ est pars terræ Slavorum, quam Teutones Slavis ejectis possident, de- „portantes, Slavo cuidam servandas tradiderunt. At ille, mali quid nescio utrum de susceptis „passus, aut de retentis pati metuens, alii cuidam Slavo, villam Ascheberch inhabitanti, custo- „diendas commendavit. Quibus ille domi caute, ne forte proderentur, reconditis, cum die „quadam de vico egressus post tergum forte respiceret, ecce domum propriam totam quasi „ardere videt. Celerrimo igitur cursu, quatenus de incendio res suas raperet, reversus, ubi „domum pervenit, jam periculi nihil invenit. Itaque iter & negotium interceptum peractu- „rus, denuò exiens, cum item respiciens domum velut conflagrare conspiceret, velocissime re- „currens illæsam reperit. Idemque tertio ei accidit. Quapropter sanctum depositum illud „causam miraculosi eventus hujus esse reputans, timensque, ne forte, si diutius hoc apud se „retineret, periculum incendii, cujus quasi præludium viderat, sive quodlibet damnum aliud „malo omine incurreret, continuo illi, à quo susceperat, resignavit. Ille quoque audito, quod „acciderat, pavefactus celerrimè sacrilegis illis, qui ei crediderant, reddidit, & sic per eos Da- „sonidæ sanctæ illæ reliquiæ, qua nescio conditione, sunt exhibitæ: qui longo eas apud se „tempore celans, exsecrabili nondum quæstu, quem de facinoribus nefandorum illorum toties „assecutus fuerat, oppletus, tandem acceptis à parochianis quatuordecim, ut quidam volunt; „ut alii, sedecim; secundum tertios, viginti marcis, tanto pretio à raptoribus illas se redemisse „prætendens, patronum eis in reliquiis ipsius restituit. Tale ergo commissum ejus inter alia „præcipuum venditionem B. Martini Angelus appellavit. Taliter miserrimus ille iram divinæ „ultionis tam diram sibi thesauravit.

26 *Qualiter puerum homicidam factum hic & ad ignem puniri Godeschalcus viderit* [ubi di- dicit Godeschalcus, nullum homicidam Christiani ad generale usque judicium ab omnimoda pœna absolvi]

27 *Quomodo tortor* [qui pueri, propinqui sui, homicidam illum puerum rotæ supplicio pu- nierat] *pœnituerit.*

28 *De tribus generibus homicidarum.*

29 *Quod Godeschalcus, à ductoribus quibusdam sequentibus reductus ad comites suos, pariter tripudiaverit.*

30 *Quo processerint: quæ & qualia secus viam viderint.*

31 *De odore illos reficiente.*

32 *De qualitate visæ Godeschalco regionis* [vivorum] *& contentorum ejus.*

33 *Quæ regio illa fuerit* [Autor putat, esse cœlum Empyreum.]

34 *De qualitate basilicæ Godeschalco visæ.*

35 *De mansionibus circa basilicam constitutis.*

36 *Quod B. Johannes apparens disparuit, & quod comites Godeschalci primùm transfigurati disparuerunt.*

37 *De mansiuncula Godeschalco monstrata, & habitaturo in ea denominato.*

38 *Quos de conventu Novomonasteriense ibi recognoverit* [Concanonicos autoris Epponem & Harioldum &c.]

39 *De mansione & meritis viduæ.*

40 *De gloria ineffabili super basilicam visa.*

41 *Quod raptim tantum visa ultra non apparuit gloria.*

42 *De eo, quòd abeuntes solennitatem beati Andreæ adierunt.*

43 *De homicidis occisos bajulantibus* [nisi ipsi homicidæ in ultionem occisi fuerint.]

44 *De dominis & dominabus, reverentiam famulis & familiaribus suis exhibentibus.*

45 *De peregrinis insignitis.*

46 *Qui*

46 *Qui affuerunt & defuerunt solennitati.* [inter alios *Adolfus Comes Senior* & Marcradus præfectus ejus cum filio Tymmone.]
47 *De qualitate solennitatis.*
48 *De conatu* [cantandi], *luctu & consolatione Godeschalci.*
49 *De spe & ratione spei solennizantium* [dum diem judicii exoptant.]
50 *De quantitate & qualitate civitatis.*
51 *De qualitate & numerositate habitatorum ejus.*
52 *De reditu Godeschalci & adventu Vnnonis.*
53 *De eo, quod Godeschalcus ipse visionem magnipendat.*
54 *Quæ post visionem Godeschalco acciderint.* [retulit tres testes visionis: dolorem capitis, lateris & pedum.]
55 *De cantu Godeschalci.*
56 *Quanto labore ad se redierit.* [anima toto conatu nexus corporis evadere conabatur.]
57 *Quod ardorem ignis non senserit.*

Omnia vero, quæ in mundo vel terrore suo fugienda vel illecebra oblectatione appetenda,, consideravit, ad comparationem rerum illarum, quas viderat expertusque fuerat, phanta-,, stica nullius momenti esse primum reputabat & affirmabat. Vnde die quadam foco lar-,, giore in lare domus ejus ardente, verba sua factis confirmaturus, crus ut erat nudum, rogo,, flammivomo intrepide immersit, patienterque tenuit, nec aliquatenus vacillando retraxit.,, Cujus fortissimam constantiam qui aderant; nam præter familiam illam de civibus quidam,, fortè supervenerunt, obstupescendo mirantes, nimisque jam eum læsum & irrecuperabi-,, liter, si eum sibi permisissent, lædendum arbitrati; necesse non habentem, cum per se facile,, obstaculo nullo præpeditus, si voluisset evadere potuisset; de incendio tandem eripue-,, runt. Ille vero sicut adustionem ignis in ipso igne membro defixo non sensit, sic dolo-,, rem de adustione illa postmodum nullatenus sustinuit; sed diu semperque, ut ipso asse-,, rente didici, sufferre vim ignis illius posse sibi videretur, si spiritu, quo tunc agebatur,, semper confortaretur.,,

58 *De dolore pedum.*
59 *De dolore capitis.*
60 *De dolore lateris.*
61 *De infirmitate & defectu appetitus.*
62 *De adnotatione visionis post unctionem ejus.*
63 *De perditione substantiæ.* [equus moriebatur &c.]
64 *De anno visionis.*

Acta sunt autem hæc anno nonagesimo post millesimum centesimum incarnationis an-,, num. Quo etiam anno *Fridericus Imperator* de laborioso peregrinationis Hierosolymita-,, næ stadio, anno regni sui XL. imperii vero XXXVII. ad bravium cœlestis patriæ, Jerusalem,, æternum, feliciter transiit.,,
65 *Exhortatio.* [nemo propter personæ obscuritatem visionis dignitatem despiciat.]
66 *Petitio Godeschalci.* [omnes Christi ministros, Episcopos & Presbyteros exorat, ut plebi sibi commissæ omnia fideliter annuncient.]

LXII.

EXCERPTA
ex
ROGERIO HOVEDENO
de Rebus gestis
Henrici Leonis Saxoniæ Ducis, & filii ejus Ottonis IV. Imperatoris.

EOdem anno [1180] *Fridericus Romanorum Imperator* expulit à regno suo *Henricum Ducem Saxoniæ*: cujus expulsionis causa hæc est. Inprimis itaque notandum est, quod decem Principes constituti sunt *custodes portarum civitatis Coloniæ* (a), quorum nomina hæc sunt: *Dux de Lombure, Dux Saxoniæ, Dux de Saringes* (b), *Dux de Saxland* (c), *Dux de Luvain, Comes de Wilch* (d). Comes de Loo. Comes de Gerle (e). Comes Palatinus de Rhene, Comes de Larmual. (f)

Et hi decem sunt homines Archiepiscopi Coloniæ, & habent singulis annis de mensa Sancti Petri Coloniæ duo millia marcarum argenti in retributione custodiarum suarum. Præterea Archiepiscopus Coloniæ multos habet redditus, maximos autem in Ducatu Saxoniæ, quos *Henricus Dux Saxoniæ* gener Henrici Regis Angliæ injuste occupavit, & occupatos detinuit. Vnde Reginaldus Coloniensis Archiepiscopus conquestus est Domino suo Friderico Romanorum Imperatori. Præterea ipse Imperator calumniatus est præfatum Ducem de perjurio, de fide læsa, de læsione majestatis imperialis: & eum citari fecit, ut veniret in curiam suam, satisfacturus tam sibi quam Archiepiscopo Coloniensi. Venit igitur data ei securitate veniendi & redeundi. Et cum multa objicerentur ei de fide læsa, de perjurio, de læsione majestatis imperii, & de injuriis Archiepiscopo Coloniensi illatis; & cum ipse ad objecta cum consilio suorum respondere deberet: (h) ascendit equos suos, & abiit, nullo dato responso, & Imperator petiit de illo sibi fieri judicium, & judicatum est illum demeruisse Ducatum suum, & data est licentia Archiepiscopo Coloniensi intrandi cum exercitu terram Ducis Saxoniæ, & eam devastavit ferro, flamma, fame, & ad tantam Ducem illum coegit inopiam, (i) quod ipse posuit se in misericordiam Imperatoris, & exulans venit ad Henricum Regem Angliæ patrem uxoris suæ. Tamen ipse Imperator postmodum prece Alexandri summi Pontificis, & Philippi Regis Franciæ & Henrici Regis Angliæ, & Philippi Comitis Flandriæ, relaxavit præfato Duci Saxoniæ quatuor annos de injuncto sibi exilio. (k)

Eodem anno [1182] Rex Angliæ pater misit nuntios suos videlicet Willielmum de Mandevilla Comitem Albemariiæ, & quosdam alios familiares suos ad Fredericum Romanorum Imperatorem, ut si aliquo modo fieri posset, averterent iram, & malevolentiam suam ab Henrico Duce Saxoniæ, quod cum ad plenum fieri non posset, concessit Imperator, quod omnes, qui cum eo ire vellent, licentiam haberent repatriandi. Præterea idem Imperator concessit *Matildi* Ducissæ Saxoniæ, pro amore Regis Angliæ patris sui, ut ipsa libere, & in pace remaneret, & totam dotem suam liberam, & quietam haberet, & si mallet cum Domino suo in exilium ire, concessit ei Imperator, ut custodes suos poneret ad dotem suam custodiendam. Appropinquante igitur termino, quo præfatus Dux à terra & cognatione sua recederet, ipse

(a) Fabula
(b) *Zaringiæ*
(c) Hic non alius, quam Dux Saxoniæ; nisi corruptus locus.
(d) Forte: *Comes de Wieth.*
(e) F. *de Cleve*
(f) Forte: *de Arensberg.* Nam nostra nomina sæpe ab exteris mire corrumpuntur. Sane Comes iste fuit inter vasallos seu homines Episcopi.
(h) Hæc male narrantur.
(i) Hæc omnia male narrantur; Dux Episcopos & Principes repulit, partim & prælio victos cepit, donec totis Imperatoris viribus est impetitus, qui potius Duci jus debebat reddere contra invasores, sed ipse terris ejus hæreditariis præsertim in Svevia & Italia inhiabat.
(k) Hoc nostrates Historici non habent.

ipse & uxor ejus, cum filiis & filiabus suis, & cum Comitibus, & Baronibus, & ditioribus terræ suæ egressi sunt de terra & cognatione sua, & venerunt in Normanniam ad Henricum Regem Angliæ patrem prædictæ Ducissæ, quos ipse cum gaudio suscepit, & paulo post præfatus Dux dedit Comitibus & Baronibus, & ditioribus terræ suæ licentiam repatriandi; quibus Rex Angliæ pater Ducissæ munera multa dedit, & dimisit eos, & Dux ipse peregre *profectus est ad beatum Jacobum*, & Ducissa uxor ejus remansit cum Rege patre suo in Normannia prægnans apud Argentomum, & peperit filium.

Eodem anno [1184] Ducissæ Saxoniæ filia Regis peperit filium apud Wintoniam. (l)

Eodem anno [1184] Henricus Dux Saxoniæ gener Regis venit in Angliam.

Deinde Dominus Rex firmavit pacem, & finalem concordiam scripto, & Sacramentis confirmavit inter *Richardum*, & *Gaufridum*, & *Johannem* filios suos coram *Alienor* regina matre eorum, & *Henrico* Duce Saxoniæ & aliis multis. Eodem anno Archiepiscopus Coloniæ venit in Angliam in peregrinatione ad S. *Thomam* Cantuariæ, cui rex Angliæ occurrens cum gaudio suscepit & adversus eum effecit, quod ipse perdonavit *Henrico* Duci Saxoniæ iram, & malevolentiam suam & eum in pristinam dilectionis familiaritatem recepit. Prædictus autem Archiepiscopus Coloniensis ad petitionem regis Angliæ concessit *Richardo Comiti Pictaviæ* Regis filio, filiam Friderici Romanorum Imperatoris dari in uxorem. Sciebat enim ipsum Imperatorem hoc velle, & plurimum desiderasse. Deinde prædictus Archiepiscopus, & Philippus Comes Flandriæ, qui cum eo in Angliam venerat, reversi sunt in Flandriam, & magno congregato exercitu invaserunt terram Comitis de Henou, & devastaverunt eam propter injurias, quas ipse fecerat Comiti Flandriæ. Eodem anno obiit Imperatrix Romanorum uxor Friderici Imperatoris.

Eodem anno Dominus Rex Angliæ sollicitus de pace facienda inter Ducem Saxoniæ, & Imperatorem Fridericum, consilio Archiepiscopi Coloniensis misit nuncios suos, videlicet Hugonem de Nunant, Lexoviensem Archidiaconum, & quosdam alios de Clericis, & familiaribus suis ad Lucium summum Pontificem, ut auxilio illius præfatus Imperator recepisset Ducem Saxoniæ in amorem. Venientes itaque nuncii Regis ad curiam Domini Papæ invenerunt eum in Italia apud Veronem; & dum ibi moram cum eo facerent, venit illico Fredericus Romanorum Imperator, dedit Duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam suam, & relaxavit ei omne Sacramentum Imperator ad loquendum cum Domino Papa, ad cujus instantiam prædictus Imperator dedit Duci Saxoniæ licentiam redeundi in patriam suam, & relaxavit eum de Sacramento illo, quod ipse Imperatori fecerat. (n)

Eodem vero tempore [1189] quo prædictus Rex Angliæ [Henricus II.] obiit [quod factum in octavis Apostolorum Petri & Pauli feria quinta] *Matildis* Ducissa Saxoniæ filia ejus similiter obiit. Deinde . . . Comes [Pictaviensis] Richardus [filius primogenitus Regis & Successor] dedit *Gaufrido* filio *Rotrodi Comitis de Pertico Matildem* filiam Ducis Saxoniæ neptem suam in uxorem.

Eodem anno [1189] mense Octobris Henricus Dux Saxoniæ gener Henrici Regis Angliæ rediit in Saxoniam, terram suam, & magno congregato exercitu, invasit eos, quibus Imperator terram suam dederat, & expugnavit eos, & plus quam triginta castella obtinuit.

Eodem anno [1190] Henricus Rex Alemannorum audita morte Frederici Romanorum Imperatoris patris sui, reddidit Henrico Duci Saxoniæ universa, quæ pater suus ei abstulerat, & in incrementum dedit ei decem castella optima. Similiter fecit cæteris omnibus, à quibuscunque pater suus aliquid abstulerat: reddens unicuique quod suum erat. Reconciliatis itaque sibi omnibus hominibus suis, misit nuncios suos ad Clementem Papam, & ad Cardinales, & Senatores urbis: petens Romanorum Imperium, & promittens se in omnibus leges & dignitates Romanas servaturum illæsas. Clemens vero Papa habito cum Cardinalibus & Senatoribus & populo Romano super petitionibus Regis Alemannorum cum deliberatione consilio, concessit Regi Alemannorum, & statuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Pascha sequens; sed antequam illuc venisset, Clemens Papa obiit.

Eodem anno [1190] *Richardius* Rex Angliæ dedit Othoni nepoti suo, filio *Mathildis* sororis suæ, quondam Ducissæ Saxoniæ, Comitatum Eboraci, & quamvis multi recepissent eum, & fecissent ei homagia & fidelitates, multi tamen ei resistebant, dicentes, quod à fidelitate Regis non recederent, prius quam cum eo ore ad os loquerentur. Vnde factum est, quod

(l) Guilielmum, qui postea familiam propagavit.

(n) Hoc nostri Historici ignorant. Rogerio autem plurimum fidei meritò tribuitur in his, quæ per Anglos sunt acta.

quod Dominus Rex dedit eidem *Othoni Comitatum Pictavis* (o) in commutationem *Comitatus Eboraci.*

Epistola Henrici Imperatoris ad Philippum Regem Franciæ de captione Regis Angliæ Richardi.

HEnricus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, dilecto & speciali amico suo *Philippo* illustri Francorum Regi, salutem, & sinceræ dilectionis affectum, quoniam Imperatoria celsitudo non dubitat, regalem magnificentiam tuam, lætiorem effici, de universis, quibus omnipotentia Creatoris, nos ipsos, & Romanum Imperium honoraverit, & exaltaverit, nobilitati tuæ præsentium tenore declarare duximus, quod inimicus Imperii nostri, & turbator regni tui, Richardus rex Angliæ, cum esset in transeundo mare, ad partes suas reversurus, accidit, ut ventus rupta navi sua, in qua ipse erat, duceret eam versus partes Histriæ, ad locum, qui est inter Aquilejam & Venetias, ubi ipse Rex Dei permissione passus naufragium, cum paucis evasit, quidam itaque fidelis noster Comes Mainardus de Görtze, & populus regionis illius, audito quod in terra erat, & considerato diligentius, qualem nominatus Rex, in terram promissionis proditionem & traditionem, & perditionis suæ cumulum exercuerat, insecuti sunt, intendentes eum captivare; ipso autem rege in fugam converso, ceperunt, de suis octo milites, postmodum processit Rex ad Burgum in archiepiscopatu Saltzeburgi, qui vocatur Frisorum, ubi Fridericus de Botesowe, Rege, eum tribus tantum versus Austriam properante noctu, sex milites de suis cepit, dilectus autem consanguineus noster Dux Austriæ, Liupoldus, observata strata impositis ubique custodibus, sæpe dictum regem juxta Wenam in villa viciniori in domo despecta captivavit. Cum itaque in nostra nunc habeatur potestate, & ipse semper tuæ molestiæ, & turbationis operam præstiterit, ea quæ præmisimus nobilitati tuæ insinuare curavimus, scientes ea dilectioni tuæ beneplacita existere, & animo tuo uberrimam importare lætitiam. Datum apud Rithiencie, 5. Cal. Januarij.

Interim Anno 1193. appropinquante termino colloquii inter Imperatorem & Regem Franciæ, Rex Angliæ per cætera indicia cognovit, quod si colloquium illud haberetur, Imperator, & Rex Franciæ confœderarentur contra Archiepiscopos Coloniensem & Moguntinum, & contra Duces de Louvain, & de Lemburc, & *Saxoniæ*, & multos alios magnates, qui conspiraverant contra Imperatorem propter necem episcopi de Leges (p), fratris Ducis de Louvain, quam Imperator machinatus erat, timebat etiam Rex Angliæ, quod si colloquium illud haberetur, ipse sine dubio traderetur in manus Regis Franciæ, unde Rex Angliæ plurimum se intromisit, ut colloquium illud deficeret, & pax inter Imperatorem, & prædictos magnates fieret. Ad illius igitur instantiam Imperator, & magnates prædicti inter se pacis fœdus & concordiæ inierunt, in hunc modum: quod Imperator jurare fecit Episcopos quam plures, & Comites & Barones in animam suam, quod ille nec præcepit, nec voluit, ut prædictus Episcopus de Leges occideretur, & quando hoc scivit vehementer inde doluit, & de satisfactione reddidit unicuique prædictorum virorum qui contra eum conspiraverant omnia castella, quæ pater suus, vel ipse eis abstulerat, & sic facti sunt amici, *excepto Duce Saxoniæ*, & colloquium illud quod inter illum, & Regem Franciæ esse debuit, apud Valculur (q) adnihilatum est.

Forma Compositionis, inter Henricum Imperatorem, & Richardum Regem Angliæ.

IN nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, amen, hæc est forma compositionis, inter Dominum Imperatorem semper augustum, & Dominum Richardum illustrem Regem Angliæ.

(o) Hunc comitatum priùs habuerat ipse Richardus Rex, cum adhuc esset primogenitus Regis. Revera autem erat *Ducatus Aquitaniæ*, cui inerat hic Comitatus, ut patet ex diplomate ipsius Ottonis, in quo se Ducem Aquitaniæ scripsit.

(p) Leodiensis, qui contra Imperatoris sententiam electus, æmulorum factione occisus fuerat, quod Imperatoris machinatione factum dicebatur.

(q) *Valcouleur*, locus non procul à fontibus Mosæ, in ipsis confiniis Imperii & Regni. Videatur edita in codice Diplomatico nostro depositio Testium de dictis confiniis. Cæterum dies colloquio inter Tullum & Valcouleur dictus erat in crastino nativitatis Johannis Baptistæ feria sexta, ut autor noster paulo ante dixit.

gliæ. Dominus Imperator mittit nuntios suos, cum nuntiis Domini Regis, qui Lundonias ibunt, & ibi recipient centum millia marcarum puri argenti, ad pondus Coloniæ, quæ pecunia à nuntiis Imperatoris accepta, & ponderata sigillabitur in præsentia nuntiorum ipsius, & in conductu Regis, per regni sui terminos ducetur, ita ut si eam in regno suo perdi contigerit, periculo Regis perdatur. Postquam verò ad terminos imperii pervenerit dicta pecunia, per nuntios Regis, nuntiis Domini Imperatoris præsentabitur, qui eam illico ibi recipient, & si forte in partibus imperii eam perdi contigerit, periculo Imperatoris perdetur, & Rex in ea non tenebitur, nec obsides sui; alia quoque quinquaginta millia marcarum argenti dabit Rex Imperatori & Duci Austriæ, & pro illis ponet obsides, scilicet Domino Imperatori pro triginta millibus marcarum sexaginta obsides, Duci vero Austriæ septem obsides, pro viginti millibus marcarum, solutis ergo centum millibus marcarum & datis obsidibus, Rex liberè decedet; si autem Dominus Rex solverit promissionem, quam Domino Imperatori de Henrico quondam Duce Saxoniæ fecerat, (r) Imperator de quinquaginta millibus marcarum, Regem liberum demittens, & absolutum; pro ipso Rege solvet Duci Austriæ viginti millia marcarum, & Rex non tenebitur dare Duci Austriæ septem obsides, nec Imperatori sexaginta, cum igitur Rex prædictam promissionem de Henrico quondam Duce Saxoniæ impleverit, & centum millia marcarum solverit, libere recedet. Præterea Rex fecit jurare in animam suam, quod neptem suam filiam Comitis Brittaniæ, tradet nuptui filio Ducis Austriæ, infra septem menses, postquam liberatus fuerit, & in terram suam redierit, & eam transmittet usque ad introitum Imperii, si eam recipere voluerint, & si noluerint, erit absolutus. Item si promissio de Henrico quondam Duce Saxoniæ, completa non fuerit, quinquaginta millia marcarum, quæ residua sunt, solventur intra septem menses, postquam Dominus Rex, in terram suam redierit; cum autem Dominus Rex liberatus fuerit, & redire voluerit, Imperator dabit ei conductum per terram suam, usque ad fines Imperii sui, & in portu illo, ubi mare intrabit, quamdiu ibi stabit, donec prospero vento recedat; præterea ea omnia, quæ tam in his quam in aliis familiaribus litteris sigillatis sigillis Imperatoris & Regis, super contractibus, qui inter eos ordinati sunt, uterque pro parte sua, rata, & firma habebit, & bona fide observabit.

Eodem anno [1194] Wilhelmus Rex Scottorum ægrotavit in villa sua, quæ dicitur Clacmanan, & statuit *Otthonem, filium Henrici Ducis Saxoniæ* nepotem Richardi Regis Angliæ sibi successurum in regnum Scottorum, ita quod ipse Otho, filiam suam primogenitam, in uxorem cum regno duceret, & quamvis Rex plures haberet, qui voluntati suæ, in hoc consentirent, tamen Comes Patritius, & alii multi contradixerunt, dicentes, quod filiam suam non reciperent reginam, quia *non erat consuetudo regni illius, quod mulier regnum illud haberet, quamdiu frater, vel nepos esset in progenie sua,* qui regnum de jure habere posset; & paulo post per Dei misericordiam Rex Scottorum de illa convaluit infirmitate, manens in eodem proposito, quod habebat de filia sua maritanda prædicto Ottoni, cum regno suo.

Anno gratiæ millesimo centesimo nonagesimo sexto, qui est annus 7. regni Richardi Regis Angliæ, idem Rex fuit apud Pictaviam die natalis Domini, quæ feria secunda evenit, & Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliæ Institiarius, & Apostolicæ Sedis Légatus, fuit eodem die, apud Eboracum, missus ex parte Regis, loqui cum Willielmo Rege Scottorum, de matrimonio contrahendo, inter Ottonem filium Henrici Ducis Saxoniæ, nepotem Richardi Regis Angliæ, & Margaretam filiam suam; convenerant enim inter Richardum Regem Angliæ, & Willielmum Regem Scottiæ, quod idem Rex Scottiæ daret prædicto Ottoni Margaretam filiam suam in uxorem cum toti Loenais; & quod Rex Angliæ daret Ottoni & filiæ Regis Scottiæ & hæredibus eorum, totam Northumbriam & comitatum Carleoli, & Rex Angliæ haberet in custodia totum Loenais cum castellis suis, & Rex Scottiæ haberet in custodia totam Northumbriam, & Comitatum Carleoli, cum castellis suis; sed quia Regina Scottorum tum temporis prægnans erat, noluit Rex Scottiæ stare prædictæ conventioni sperans quod Dominus daret ei filium.

Eodem die, cum Rex Angliæ, & Marchadeus circuirent castellum [Chaluz] hinc & inde explorantes, in quo loco esset commodius insultum facere, quidam arcubalista nomine Bertramnus de Gurdun traxit sagittam de castello, & percutiens Regem in brachio vulneravit eum plaga insanabili, & sic Rex vulneratus ascendit equum suum, & ad hospitium suum equitavit, & præcepit Marchadeo, & exercitui suo universo, ut insultum facerent indesinenter in castellum, donec caperetur, & factum est ita, quo capto præcepit Rex omnes suspendi, excepto illo solo, qui eum vulneraverat, quem (ut fas est credere) turpissima morte damna-

(r) Imperator redemta à Welfo Duce, patruo Henrici Ducis Saxoniæ bona Suevica & Italica sibi & fratri suo Philippo vindicabat. Henricus Dux consentire nolebat, se proximum agnatum pro hærede gerens. Imperator per Richardum Regem consensum Ducis extorquere conabatur.

te damnaret si convaluisset, deinde Rex commisit se manibus cujusdam medici Marchadei, qui, cum conaretur ferrum extrahere solum lignum extraxit, & ferrum remansit in carne, & cum carnifex ille circumquaque brachium Regis minus caute incideret, tandem sagittam extraxit, cum autem Rex de vita desperaret, divisit Johanni fratri suo regnum Angliæ & omnes alias terras suas & fecit fieri prædicto Johanni fidelitates ab illis qui aderant, & præcepit ut traderentur ei castella sua, & tres partes thesauri sui, & omnia baubella (a) divisit Ottoni nepoti suo, regi Alemanorum, & partem quartam thesauri sui præcepit servientibus suis, & pauperibus distribui.

Interim Innocentius Papa, & Romani elegerunt sibi in Imperatorem Othonem Regem Allemaniæ, & Philippum Ducem Suaviæ, & omnes alios Electos refutaverunt; confirmata ergo à Domino Papa Innocentio & Ecclesia Romana electione præfati Othonis, Innocentius Papa excommunicavit Philippum Ducem Suaviæ, & omnes fautores suos, & consiliarios suos, & coadjutores, nisi desistant à persecutione prædicti Ottonis, & publice clamatum est in capitulo, & per totam urbem, vivat Imperator noster Otho; Otho itaque *electus Imperator* mandavit Johanni Regi Angliæ, avunculo suo, ut ipse modicum temporis sustineret, & differret pacem facere cum Philippo Rege Franciæ, quia ipse Deo volente faceret ipsi in proximo succursum bonum, qualem Imperialis Celsitudo facere posset meliorem.

Eodem Anno [1200] Otho Rex Allemanorum, electus Romanorum Imperator, misit Henricum Ducem Saxoniæ, & Willielmum Wintoniensem (b) fratres suos, ad Johannem Regem Angliæ, avunculum suum, petens ab eo comitatum Eboraci, & comitatum Pictavis, quos Richardus Rex Angliæ ei dederat, & duas partes totius thesauri Richardi Regis Angliæ, & omnia exenia (c) sua, quæ idem Rex Angliæ ei divisit, sed Johannes Rex Angliæ, nihil horum quæ petebat, facere volebat, propter jusjurandum quod juraverat Regi Franciæ, videlicet quod nullum auxilium faceret ipsi Othoni contra Ducem Suaviæ. Eodem anno paulo ante festum sancti Petri ad vincula, habitum est campestre bellum, inter prædictum Othonem, regem Allemanorum, & Philippum Ducem Suaviæ apud Bruneswich: in quo prælio Otho exstitit victor, & cepit plus quam ducentos milites de familia Ducis Suaviæ.

(a) Legendum *jaubella*, jubélen, joyaux. (b) Id est Wintoniæ natum anno 1184 ut supra narravit autor. (c) *Xenia* id est dona.

LXIII.

GERVASII TILBERIENSIS
OTIA IMPERIALIA
ad
Ottonem IV. Imperatorem
ex MSStis.

In nomine Domini nostri JEsu Christi incipit liber à magistro Gervasio Tilleberiensi editus, & intitulatur OTIA IMPERIALIA, Amen.

OTtoni quarto, Romanorum Imperatori semper Augusto, *Gervasius Tilleberiensis*, vestri dignatione *Mareschalcus Regni Arelatensis*, humilis, devotus & fidelis, salutem, victoriam, & pacem, interiorem & exteriorem.

Collatio Regni & Sacerdotii.

Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic mundus regitur, *sacerdotium* & *regnum*. Sacerdos orat, Rex imperat. Sacerdos peccata & debita dimittit, Rex errata punit. Sacerdos animas ligat & solvit, Rex corpora cruciat & occidit. Vterque divinæ legis executor suum justitiæ debitum cuique tribuit, malos coërcendo & bonos remunerando. Quippe divisum imperium cum Jove Cæsar habens terrena moderatur & lutea figmenta judicat, hæc probans, ista conterens. Sacerdos animas informat spiritu, divini seminis ubertate recreat: Dum cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum. Sanè filios hominum decent arma & sagittæ, filios DEI orationes, vota & sacrificia, ut carbones succendantur ab eis. Dum vita pastoris, doctrina est pascualis ovibus, & rigor punientis pax est popularis. Porrò sacerdotio regnum se noverit adesse, non præesse; adjici, non præfici; in executionem dari per adjutorium, non in majoritatem efferri per dominationis autoritatem. Constituens enim Dominus in homine corpus & animam, in utroque per prævaricationem, suam sentiens læsam majestatem, corpori dedit legem talionis, & animæ satisfactionem contritionis, cum adjuncta verecundia confessionis, secundum illud Apostoli: Quem enim fructum tunc habuistis, in quibus nunc erubescitis? Sicut ergò prius corpus ex lutea formatur materia, & ex hinc anima vasi infunditur, nec tamen anima, corporis inclusa carcere, corpori debet subesse, sed carnis opera regendo ad mensuram rationis disponere; Ita Rex sacerdotium ante tempora legis Mosaicæ in Belo & Nino, Assyriorum Rege primo, præcedens, ad hominum studens oppressionem, non antefertur dignitate, sed ætate. Totiusque rex ille summus simul & sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech suo sacerdotium consecravit imperio, sortem suam in clero constituens, cujus merito *clerici*, velut in sortem domini vocati nuncupantur. Utrorumque ergò creator & Dominus clericos in funiculum suæ vocavit portionis, & laicos in corporale venire voluit ministerium executionis. Hinc est, quod cum communi quadam actione Aaron & Saul, sacerdos & Rex ungerentur in capite, quando puer natus est nobis & filius datus est nobis, factus est principatus ejus super humerum ejus, & unctio sacerdotalis: sicut ungventum de capite descendit in Regibus super humerum, ut portent onus vindictæ, in fortitudine regentes populum, nunc in virga ferrea, cùm duræ is fuerit cervicis; nunc in virga vigilantium, cum sunt cordis pigri: Ast nunc in virga virtutis, quam emittet Dominus ex Sion, dominari in medio inimicorum tuorum, Princeps sacratissime. Has quippe virgas regales innuit propheta, cum diceret: Reges eos in virga ferrea. Et alibi: virgam vigilantem ego video. Et iterum: virgam virtutis tuæ emitte, dominare in medio inimicorum tuorum. Dum unctio sacerdotalis immutata semper & uniformis in capite persistit, ad virgam pertinet directionis. De qua rex ille & Propheta David: Sedes tua, DEus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui: Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: Propterea unxit te DEus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Quoniam igitur ad sacerdotalem pertinet unctionem diligere justitiam & odire iniquitatem, jus suum cuique tribuendo: & contra æquitatem juris naturalis nihil proprium affectando, cum per iniquitatem quis hoc dixerit meum, illud tuum, ut c. XII. q. I. c. 2. De qua iniquitate, (quæ est) quasi contra communionem legis naturalis æquitas depravata, dicit Dominus in evangelio: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, quasi de divitiis, contra æquitatem juris & communionis naturalis congregatis. Meritò ab unctione capitis non descendit unctio sacerdotalis ad humerum, quia non in fortitudine viri beneplacitum

erit Domino; sed super humilem & mansvetum & trementem verba domini, requiescit spiritus ejus; ut, qui percusserit te in una maxilla, præbeas ei & aliam, secundum illud: Dedi genas meas vellentibus & conspuentibus in me. Ecce quod duobus rectoribus mundus iste subjicitur, & tamen à manu sacerdotali Rex principatus sui unctionem habet, & ab utrorumque domino uterque suam recipit potestatem. Vicario Christi, Petro, dicitur à Domino: Tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum: caput. Et adjungitur: Tu es Petrus, & super hanc petram, quæ ego sum, & in cujus fide tu consolidatus es, ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Et iterum: Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris, &c. & quodcunque solveris, & cætera. Et alibi: Et tu conversus confirma fratres tuos. Sic ab ipso ore Dominico Petrus principatum & Aaron sacerdotium obtinuit. Sanè regnum divinâ permissione non à divina cœpit institutione, quod oppressionem habuit pro exordio; naturâ communis libertatis in ipso violentiam patiente; quasi eatenus humanum genus ritu pecudum vixerit, & tunc primùm veluti ad novam providentiam concussum excitatumque vigilaverit. Ninus enim, rex Assyriorum primus, ut scribunt Historiographi, propagandæ dominationis libidine arma foràs extulit, cruentamque vitam quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit, à meridie & mari rubro surgens, sub ultimo septentrione Euxinum pontum vastando perdomuit, Scythicamque Barbariam adhuc tunc imbellem ac innocentem, torpentem, excitare sævitia vires suas volentem, non lacte jam pecudum vivere, sed sanguinem hominum bibere, ad postremum vincere, dum vicit, edocuit. Enimverò qui dat salutem Regibus, hic locutus est ad Mosen ducem & Aaron sacerdotem: Mosi peculiariter loquens, & per ipsum ad populum mandata sua transfundens. Mosi duci impeditionis & tardioris linguæ Aaron jungitur, ut ponat verba Domini in ore ejus. Notans ergò Dominus, quod utriusque potestas ab ipso sit, sine livore paritatis, ait: ego ero in ore tuo & in ore illius, ut ostendam vobis, quid agere debeatis: Ipse loquetur pro te ad populum & erit os tuum: Tu autem eris ei in his, quæ ad Dominum pertinent. Ecce, quod Moses præfertur Levitæ, & quòd præest dignitate. In sancta sanctorum non intrat, neque sacerdotium accipit, nec orationes & sacrificium. Ipse tamen Aaron in summum ungit sacerdotem, eique vestimenta ornamentaque pontificalia donat. Enimverò Saul à Domino in Regem eligitur & à Samuele inungitur. Si à Propheta vel à Sacerdote regnum procederet, lex regis ab ipso, non à Domino prodiisset. Verùm ab ipso Domino dicitur ad Prophetam: Contestare eis & prædica jus Regis, qui regnaturus est super eos. Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros ponet & tollet in curribus suis, & faciet sibi equites, præcursores quadrigarum suarum. Et constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, filias quoq; vestras ungventarias, fossarias & pannificas: Agros vestros & vineas & oliva optima tollet & dabit servis suis: Greges vestros addecimabit. Sicut ergò potestas Petro datur ligandi & solvendi super terram, ita Regi jus regium datur super populum. Utrumque à Domino, utrumque ab eodem autore Deo. *Constantini* gesta si memoramus, ab ipso collata legitur potestas in partes Occidentales tantum *Sylvestro*. Orientalis regio facta est caput Imperii. Licet vicario Christi Petro in tempore ejusque successoribus jus Regis in Occidente constituisset, diademate Cæsaris ceterisque insignibus Sylvestro collatis ad gloriam: Non tamen imperii nomen aut Imperium ipsum transire voluit Imperator in Sylvestrum: quod sibi ac successoribus suis conservavit intactum, solâ sede mutatâ, non dignitate. Unde primus *Karolus magnus* à Græcorum ditione legitur recessisse, monitu *Gregorii Papæ*, ut 1. T. de imperio. Quis ergò major in terrenis, qui dat, an qui accipit? profectò qui dat, autor est honoris, non qui accipit: Deus autor imperii: Imperator autor papalis triumphi. Pontifex animarum caput est post Christum: Imperator corporum dominus post Deum: Quinimò per Deum, à quo jus Regis est institutum, Pilati nempè potestas in Christum data desursum perhibetur. Si ergò, qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit: Si Ducibus est obediendum tanquam à Deo missis: Si Reges venerandi sunt: Si, quæ sunt Cæsaris, reddenda sunt Cæsari, & quæ Dei, Deo: Si descriptioni Augustali Christus matrem subjici voluit: Si staterem Christus pro tributo solvit: Quis ambigat regnum divinâ autoritate firmatum? si tamen à Christo petra, ut à fidei fundamento, non separatur. Utriusque Deus autor, sacerdotii & regni, utriusque protector, utrumque privilegio suo insignivit, dum sacerdotium in se uniens regno, constitutus ex Rex à Deo super Sion, sanctum montem ejus, & prædicans præceptum Domini factus est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Univit in se regnum & sacerdotium, tollens de æqualitate invidiam, & de imparitate calumniam, dixit: qui major est in vobis, fiat sicut minor. Per hoc docens, nullam inter eos habendam de dignitate majoritateque discordiam, quorum erat cor unum & anima una in Domino. Terrenis siquidem dictum est, quod Reges domi-

dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper illos, benefici vocantur. Porrò in ſacerdotio æqualitas mater eſt poteſtatis agendi, nec illic quæritur, quis major ſit, ſed quis in diſpenſatione fidelior. Verumtamen in ſummo pontifice, velut primi Aaron ſucceſſore, ſummique ſacerdotis Chriſti Vicario, Petrique hærede plenitudo viget poteſtatis, & in alios per eum portio transfunditur ſollicitudinis. Et in paucis (initio) fuit monarchia Principibus, & poſt illos diviſio fuit mater diſcordiæ, minoratioque poteſtatis terrenæ. Omne ergò imperium aut cœleſte eſt, quod integrum eſt & non veteraſcit; aut ſubcœleſte, quia ſpirituale, quod Petro datum à Chriſto, glorificatum à Conſtantino in Sylveſtro; aut terrenum, quod rarò pacificum & per multa tempora diviſum. Duo ergò temporalia: Primum æternum. Duorum finis erit: Primum ſine fine, à modò & usque in ſempiternum. Rapinæ namque terminus eſt; juſtitiæ verò finis infinitus. Terrenum imperium cum carne cinis erit & pulvis. Quaſi cœleſte vel ſubcœleſte militantis eccleſiæ eſt, quæ dum ad triumphandum properat, curſum ſuum dirigit ad id, quod eſt perfectum. Et quoniam apud nos ſunt mutationes & viciſſitudinum obumbrationes, nunc inter felicia lætatur animus, nunc inter triſtia meditatur, ſemper movetur, rarò quieſcit. Enimverò in dilucidis intervallis imperialis majeſtas nonnunquam ſono citharæ David, vexationem, in Saule à Spiritu perturbante factam, amotam ſentit aut emollitam. Quia ergo optimum naturæ fatigatæ remedium eſt amare novitates & gaudere variis, nec decet tam ſacras aures ſpiritu *mimorum* fallaci ventilari, dignum duxi aliquid auribus veſtris ingerere, quo humana operetur recuperatio. Quippe ex animi mei voto pridem fuerat, poſt *librum facetiarum*, quem *ex mandato* Domini mei illuſtriſſimi *Regis Anglorum, Henrici junioris, avunculi veſtri*, dictaveram, *alium* ad recenſendam ejus benevolentiam *libellum* dictare, *per tres deciſiones diſtinctum*, in quo *totius orbis deſcriptio*, ſaltem in ſumma contineretur, & provinciarum diviſio cum majoribus minoribusque ſedibus: & ſic ſingularia cujusque provinciæ mirabilia ſubnectere, quæ fuiſſe mirabile, audiſſe apud ignorantes delicioſasque aures delectabile foret. Nec jam, ſicut fieri ſolet, optimates per *mimorum aut hiſtrionum* linguas mendaces percipiant Dei virtutes; ſed per fidelem narrationem, quam vel ex veteribus autorum libris congeſſimus, vel ex oculata fide firmavimus, cui cotidiana ſubeſt probatio; ſi loca ſingularia fuerint per deſcriptas provincias perſcrutata. Quoniam igitur tam honoratiſſimi Principis, domini avunculi veſtri judicio devotum opus ſervitutis meæ ſubtrahitur, deliberavi Celſitudini veſtræ id oblatum ferre, ut, qui ex divina diſpoſitione digniorem locum imperii tenetis; illi in devoto tractatus mei ſervitio ſuccedatis. Et quod *ex officio Mareſchalciæ ſub debito armorum miniſterio* exequi teneor, acutæ lingvæ gladio ducam in miniſterium. Id ergò precor apud imperialis majeſtatis benevolentiam, ut non ex veſtra dignitate judicetis, quod offero, ſed ex affectione offerentis; qui, quod defuit in oblationis tantillæ pretio, ſupplevit votivo miniſtrandi deſiderio. Valeat in ævum dominatio veſtra, ſic feliciter regnans in temporali regno, ut conregnetis in æternum cum Chriſto.

Explicita eſt præfatio.

Seqvuntur capitula operis ſequentis.

Finiunt Tituli.

I. Incipit prima libri decisio de origine mundi & ejus creatione, & quot modis dicitur mundus.

DUm uniuscujusque rei principium ejus pars sit potissima: ad susceptæ materiæ seriem & contextum arbitror pertinere inter initia descriptionis mundanæ primùm pauca constituere *de mundi creatione, dispositione & ornatu* quasi prolixioris tractatus præambula, more cursorum sic mediocriter temperata, quòd materiam amplius inquirendi præstare poterunt sciolis, & fastidium non debebunt generare perfectè scientibus. Enimverò Imperialem decet celsitudinem, ad ministrationem fidei laborantem; ut summatim noverit, quod in catholicis comprobet, confirmet & plantet; in hæreticis quod reprobet, puniat & evellat.

Originem ergò mundi à divina ordinatione & creatione sumsisse initium, testatur Moses, cum dixit: In principio creavit DEus cœlum, &c. Ordinavit DEus creanda prævidendo, quæ posteà creata disposuit, & de congestâ materia separavit. Pater creavit in sapientia, quæ est filius, operante spiritu sancto. Unusquisque in unitate Deus creata disposuit, & disposita ornavit ac ordinavit. Hoc, inquam, fecit, qui dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt, in filio & cum filio, qui se testatur esse principium, cùm dicit: Ego sum alpha & O. Ego principium, qui & loquor vobis. Filius ergò principium temporis, principium mundanæ creationis. Si enim, ut ait Boëtius, fuit, quando non fuit tempore, tempus & mundus, creatus in principio temporis, coæva sunt. Unde sicut DEus solus æternus, ita mundus sempiternus, quia semper, id est, per omne tempus æternus. Angeli quoque sempiterni, quia temporaliter æterni. Principium itaque ens sine Principio. Cum principio, de principio, in principio temporis creavit cœlum & terram, hoc est mundum. Sanè nunc cœlum empyreum, nunc mundus archetypus, nunc mundus sensilis, nunc sola regio sublunaris, nunc homo, nunc renovatio rerum ejusdem generis, *mundus* nuncupatur. *Empyreum* cœlum mundum dixerim propter sui munditiam, à πῦρ, Græco, quod est *ignis*, quasi eminens super cœlum igneum sive sidereum. Hoc quàm cito factum, statim dispositum, est & ornatum, id est, sanctis angelis repletum. Super istud arbitror esse *cœlum Trinitatis*, ubi sola Trinitas habitat non localiter, sed incircumscriptè, & inenarrabili & inattingibili gloria, de quo Poëta: *Mitte arcana Dei cœlumque inquire quid sit*, de quo Lucifer ajens in Empyréo: Ascendam in cœlum, & ero similis altissimo. Conspiciens enim Trinitatis pluralitatem in personis & æqualitatem in Deitate, cogitabat eâdem ratione æqualitatis quartam posse superaddi personam, & pro suæ claritatis eminentia se id esse præsumsit. Porrò sub cœlo hoc est cœlum *super-Empyreum*, in quo tradunt esse Christum hominem, & ibidem gloriosam virginem, secundum illud ecclesiasticum: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna, ubi cum Christo regnat in æternum. Hinc est, quòd, ascendente Domino, intuentibusque discipulis in cœlum, ecce duo viri, hoc est angeli sub forma virili adstiterunt juxta illos, qui dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum, quasi obliti, quid facere debeatis. Hic Christus, qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum. Sic enim bajulis nubibus videbitis in aëre ad judicium venientem. Ideò quippe apparuerunt angeli, ut Dominum verè in cœlum ascendisse demonstrarent, scilicet in regionem supereminentem regioni angelorum; non sicut Elias, qui raptus in curru igneo ascendit ad *sublunarem regionem*, nec eam transcendit, sed translatus in *paradisum terrestrem*, qui adeò eminet, quòd pertingat ad sublunarem regionem. Sub *empyreo* cœlum est *sidereum* vel æthereum, quod *firmamentum* nominat Moses, dicens de opere secundi diei: Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, quandam scilicet exteriorem mundi superficiem, ex aquis congelatis adinstar chrystalli solidatam, perlucidam, & sensibilia intra se continentem. In hoc firmamento infixa sunt sidera. Quod non tantùm propter sui firmitatem firmamentum dicitur, sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus & intransgressibilis. Unde in psalmo: Extendens cœlum sicut pellem: Qui tegis aquis superiora ejus. Et iterum: Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Istud pro sui cameratione Græci dicunt οὐρανόν, quod sonat *palatium*. Dicitur quoque cœlum quasi καθ' ἥλιον, sol enim ipsi suppositus ipsum illustrat. Hanc quoque camerationem Philosophus summitatem ignis intellexit. Cùm enim ignis non habet, quò ascendat, circumvolvitur, ut in clibano patet. De hoc igne dixit Ovidius: *Ignea*

Ignea convexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.

Summâ dixit, quia cœli empyrei notitia ad philosophos non pervenit. Sanè cœlo sidereo subjungitur *cœlum aëreum*, in quo sancti habitant usque ad judicium, & in ejus confinio est *infernus* malorum, ut infra decisione tertia titulo *de Mortuo*. Sub hoc est cœlum *aqueum*, quod terram contingit, & humectat, de quo illud evangelii: aves cœli comederunt illud. Et in cantico puerorum: Benedicite volucres cœli Domino. Et *septimum cœlum*, de quò transferentur sancti post judicium, de quo scriptum est: Erit cœlum novum & terra nova. Cum de aliis cœlis & sublunari Regione inferius dicatur: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non pertransibunt. Ad hoc *mundus sensibilis*, dicitur à Græcis πᾶν, à philosophis *omne*, constatque ex quatuor elementis, qui & terra dicitur, velut materia omnium eorum, secundum illud: Cœlum & terram ego impleo. Et iterum: In principio, tu Domine, terram fundasti. Est autem ad exemplum archetypi mundi, secundum quod legitur: qui manet in æternum, creavit omnia simul. Mundus quoque sublunaris regio nominatur, quia hic sola animantia nobis nota habet. Hic quoque mundus dicitur nunc per species & formas sex dierum distinctus, secundum quod legitur: Viditqve Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Nunc dicitur ab uno ad aliud traductus, ut est homo ab homine, pecus à pecore, arbor à sua semente, secundum quod scriptum est: Pater meus usque modò operatur. Sanè mundus à motu, quò semper movetur, sic dicitur. Forma ejus rotunda est ad modum pilæ, & instar habet ovi, elementis distinctus. Ovum quippe exterius undique testâ circumcluditur; album verò testâ & vitellum albumine, vitello verò gutta pinguedinis, in qua vis germinis consistit. Sic mundus, cœlo quippe, ut testa, purus æther; puro æthere turbidus aër; turbido aëre terra, quæ est materia germinis, circumcluditur. In summa homo mundus appellatur, quia in se totius mundi repræsentat imaginem, habens esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum angelis. Unde Dominus in evangelio omnem hominem dicit creaturam, cùm ait: ite, prædicate omni creaturæ. Et Græcus hominem microcosmum, hoc est, minorem mundum appellabat. Mundus quoque renovatio dicitur per ejusdem generis diversas species. Unde illud: Ecce ego nova facio omnia. Et alibi: Et erit cœlum novum & nova terra. Has sanè varias mundi appellationes innuit evangelista pro magna parte, cùm ait: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Venit in hunc mundum, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, mundus eum non cognovit. Filius enim hominis in terra visus est, à mundo enim cœlesti egressio ejus ad mundum terrenum, & cum hominibus conversatus est, per quem mundus factus est, dicente propheta: Tu Domine, terram fecisti in principio, & omnia in te sunt condita. Et mundus, hoc est homo, eum non cognovit, quando in propria venit, & sui eum non receperunt. Venienti quippe Christo sidera famulantur, occurrunt angeli, terra fontem olei producit, bos & asinus cedunt, arbores procedenti ramos & flores producunt. Imperanti obediunt venti & mare; aqua pedibus ambulantis subjecta firmatur; immundi spiritus obsessos deserunt; sol & luna morienti compatiuntur; petræ scinduntur, corpora sanctorum resurgunt; abyssus in tenebras redit; infernus ululans prædam reddit; solus homo, omnium malorum ipse coagulum, coagulatum cor habens: semper feliciter usus præcipiti cursu bellorum & temporum raptorum, damnat mundi factorem, vitam adimens illi, per quem vivit & sine quo ejus vivere mori est. Qui ponit nubes ascensum suum, & ambulat super pennas ventorum. *Misero* quippe *homini* clamat:

Mitius inveni quàm te genus omne ferarum.
Tantum ausa est scelerum non Syrtis barbara, quantum
Deliciæ fecere tuæ.

II. Diversitas opinionum, & confutatio Albigensium.

CReavit, ut dixi, DEus cœlum & terram, non ex præjacente materia, non ex hyle, quam coæternam Deo & ideis Plato conscripsit, non quòd duo sint coæva, mundus & opifex, qui ex duobus principiis, materia scilicet & forma, operatus est sine principio, & operatur sine fine, ut ait Aristoteles. Non quòd duo fuerunt omnium primordia, inane & atomus, quasi natura quasdam atomos conflaverit in terram, alias in aquam congesserit, alias in ignem extulerit, ut ait Epicurus; sed solâ dispositione providentiæ suæ. Dixit & fecit omnia, quæcunque voluit, in cœlo & in terra, mari, & in omnibus abyssis. Simul creavit in dispositione suæ providentiæ, non hoc prius, illud posterius, non hoc solus, illud cum alio, non hoc plenius, illud imperfectius. Quod ergò semiplenum defectivumque nascitur aut producitur, non ex defectu provenit artificis, apud quem nihil imperfectum, nihil majus

aut minus, sed ex diminutione procedit seminis aut sementis. Quis enim consiliarius opificis fuit? quis perficit, quod apud eum reputavit imperfectum? mendaces hæretici delitescant, adhæreant faucibus suis Albigensium lingvæ, *qui dicunt duos esse Dominos: bonum, à quo bona, malum, à quo punitiones malorum.* Bonus, ut inquiunt, perfecta creavit, non peritura, cœlum cœlorũ & angelos. Malus corpora corrupta creavit, sublunaris regionis fecit opera, talionem indixit pro facinore, iustitiam exercet cum sangvinis effusione. Malus fecit terram motu meretriciæ conceptionis germinare. Bonus in altis sedet, dimittit peccata, non punit. Mosi locutus est Deus ille malorum. Evangelium loquitur Deus altor bonorum. In Apostolis bonis bonus erat; in nostris sacerdotibus, ut ajunt, regnat malus. Proh pudor! Prophetas damnant, apostolos prædicant, sacramenta nostra derident, & quasi sparsi velleris oves inter se contendunt, dum renuis tu, quæ petit alter. Inter se diversi in opinionibus suis & adversi, scissuras faciunt. Profectò audite, miseri & infelices, apostolum inducentem Davidis illud in autoritatem: In principio tu, Domine, terram fundasti, & omnia manu tuâ sunt creata, ipsi peribunt, tu autem permanebis. Si propheta à malo Deo cum cœlo & terra factus est; at non potest arbor mala fructus bonos facere, ut quid apostolus ad epistolæ suæ firmamentum producit verba malorum, quasi fructus sit bonus de arbore mala? sed & apostolus arbor bona est, & ita ab alio Deo, creatus quàm nos aut propheta. Aut si arbor mala est, fructus respicite, qui ex eo sunt, & ipsum reprobate, qui ex malo patre bonus fructus est, quibus, inquam, dixit dominus: ego sum vitis, vos palmites, si bonis hominibus, ergò ex humana corruptione nati bonos fructus facere possunt. Si malis, ergo mali & à malo Deo facti palmites sunt bonæ vitis, quæ est Christus. Sed & ad quid Christus David in evangelio producit in testimonium de Christo, cùm ait: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Sic & loquens ad Judæos ait: ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes, cùm non possit, ut ipse Christus dicit, solvi scriptura. Aut ergò filii estis excelsi cum Judæis & Christianis, aut solvitur scriptura. Audite miseri symbolum Apostolicum: Credo in DEum creatorem cœli & terræ. Sed & in ipsa oratione dominica subjicitur: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. De opere mali Dei, quæ potuit esse boni Dei voluntas, nisi ut pereat memoria ejus cùm sonitu: Dominus autem permanet in æternum. David autem arbor mala fuit, & ita aut Christus non est ex David, quod evangelio refragatur, aut Christus bonus fructus est ex arbore mala; aut David arbor bona est, & ita admittenda sunt verba ejus, cùm dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit cœlos in intellectu, lunam & stellas & cetera. Si bonus Dominus, & idem est Deus bonus, hæc fecit. Quid DEum malum hæc dixistis operatum? attendite infelices, quòd gentiles sanius de Deo sentiunt quàm vos, qui Christianos vos dicitis. *Estque Dei sedes, ubi terra, & pontus, & aër, & cœlum, & virtus. Superos quid quærimus ultra? Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris,* Jupiter enim, quasi juvans omnium pater, Deus est omnia in omnibus; nam & mendaces filii hominum in stateris, &c. credite DEum, (qui dixit: Cœlum & terram ego impleo) creasse cœlum & terram, terram utique ab initio inanem & vacuam, quia inutilem & infructuosam & ornatu suo vacuam. Hanc confusam machinam mundialem velut primordialem materiam, nunc *hylen*, nunc *chaos*, nunc *terram*, nunc *abyssum*, nunc *aquas* nominant. Unde in Genesi sequitur: Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, id est, lucis absentia vel obscuritas quædam à Deo creata. Unde in catalogo creaturarum dicitur: benedicite lux & tenebræ Domino. De hac massa philosophatus est Poëta, cùm dixit:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe
Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem,
Non benè junctarum discordia semina rerum.

Spiritus autem Domini quasi consiliatrix ejus voluntas ad dispositionem creaturarum ferebatur super aquas, id est, super factam congeriem, sicut voluntas providi artificis fertur super materiam, de qua suum formaturus est artificium. Non hunc ergo spiritum dicimus animam mundi, ut Plato, sed spiritum creantem, de quo illud: Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

III. De dispositione Chaos.

Videns ergò DEus, confusa parùm profutura ad discreta generanda, si non essent ipsa discreta, velut ad operandum lucerna accensa; Fecit *lucem*, quam tradunt nubem lucidam fuisse illuminantem superiorem mundi partem claritate tenui, ut apparere solet in aurora. Et divisit lucem à tenebris, dispositione distingvente ea per loca & tem-

tempora, quasi diversis hemisphæriis sibi è regione respondentibus. Sicque luce migrante sub terris, tenebrisque subortis, & tamen luce redeunte super molem congestam, factus est *dies primus* à *** Græco, quod est claritas, sicut *nox* *** quod est obscurum. *Secunda die* disposuit Deus superiora mundi sensibilis, constituitque cœlum, quod tegit omnia, & firmamentum inter aquas, ut diximus, stabilivit. Hoc die tradunt Hebræi angelos cecidisse, unde feriâ secundâ *Missam de angelis* ad laudem stantium canit ecclesia. Tradunt alii factam esse divisionem angelorum, quando divisit Deus lucem à tenebris, quasi bonos lucem appellans, & malos tenebras. Nec prætereundum, quod Judæi septem cœlos distinguunt, unicuique nomen suum tribuentes, & septem terras, quas, ut ajunt, David *fundamenta montium* vocat, sacro septenario totum assignantes. Tertio die congregavit aquas sub firmamento, & terra paululum subsidens sicut matrix ipsas conclusit, & sic, quæ *humus* anteà propter circumfusum humorem tum *arida* dici potuit, ab ariditate; *terra*, quia teritur. His satis respondit Poëta, cum diceret:

Frigida pugnabant calidis ac humida, siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, terris abscidit & undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.

Dum freta diffudit. *Et post pauca:*

Addidit & fontes & stagna immensa lacusque,
Flumina, & obliquis cinxit declivia ripis,
Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsis,
In mare perveniunt partim.

Addidit & *tertio Diei*, ut germinaret terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum. Ex hoc arbitrantur plerique, mundum factum in vere, quia tunc omnia virent. Alii sentiunt in Augusto sub Leone, quia subjungitur: Lignum faciens fructum. Sed in Martio mense factum docet ecclesia. Ovidio fortassis innititur illa veris opinio, quando dixit:

Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.
Ver erat æternum.

IV. De dispositione aëris.

DE dispositione cœli & terræ nihil credendum est esse prætermissum, nihil incompositum; ideoque quamvis de aëre non sit specificatum, sanè intelligenti non fuit omissum. Dispositus enim est, cum ab aquis liber notam nobis formam accepit, quod apud philosophos indubitatum est. Unde Poëta, cùm cœlum igneum quasi sidereum præmisisset, subjunxit:

Proximus est aër cœlo levitate locoque,
Densior his tellus elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui. Circumfluus humor
Ultima possedit solidumque coërcuit orbem.

Notantur per hoc quatuor *elementa*, sic dicta, quia sunt hyles ligamenta, ex quibus constant. Sunt autem in modum circuli in se revoluta, dum ignis in aërem, aër in aquam, aqua in ignem convertitur: rursus terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem commutatur, ut ait Ovidius. Hæc velut innodatis brachiis sibi connectuntur, dum frigida frigidis, calida calidis sociantur. Aqua frigida & humida aëri humido, aër humidus & calidus igni calido, ignis calidus & siccus terræ siccæ. Deputantur autem terræ gradientia, aquæ natantia, aëri volantia, igni radiantia.

V. De Sole & luna, & stellis & signis.

QVarto die ornatum fecit, in firmamento stellas minores, in æthere planetas, ut ait Fulgentius. Stellam Magorum in aëre creatam dicit *Fulgentius* mobilem & terræ magis vicinam, primò tamen in motu non erat. Dicunt plerique, stellam Magorum tunc creatam, cum Magis apparuit, completoque suo ministerio in nihilum venisse,

*** Vocabula hic inserenda in Codicibus legi non potuere, δάος est fax, tæda, à δαίω uro. Νὺξ ἀπὸ τοῦ νεύειν (unde nuo, innuo) ab inclinando, nomen habere videtur. Nisi malis amissam quandam radicem in Græco & latino fuisse, à qua νὺξ, nubo, obnubo, nubes, nebula, νεφέλη, involutionis significatione.

venisse, sicut de columba dogmatizant, quam ex corpore aërio sumtam in idem dicunt rediisse, sicut & angelica corpora in usu habere proponunt. Unde *Origenes in sermone de purificatione:* Par turturum & duo pulli columbarum non fuerunt tales, quales oculis carnis adspicimus, sed qualis Spiritus sanctus est, qui in specie columbæ descendit. Non erant istæ volucres, ut illæ, quæ per aërem volitant, sed divinum quiddam, & humanâ contemplatione augustius. Sub specie columbæ ac turturis apparebat, ut non talibus victimis, qualibus alii homines, ille Dei filius honoraretur, qui pro toto mundo nascebatur: Sed ut dispensatio ejus nova, ita novas quoque haberet & hostias secundum voluntatem Dei omnipotentis in Christo JEsu. Sunt tamen, qui dicunt, stellam Magorum suo completo ministerio in puteum cecidisse Bethlehemiticum, & illic eam intrò videri autumant. Ut autem cœpta prosequar, fecit Deus *solem* quasi solùm lucentem, quia nullum cum eo lucet. Vel antonomasticè, quia lucidior est ceteris, & *Lunam,* quasi luminum unam, primam sibi proximiorem & nobis. Unde vocantur hæc duo luminaria magna, non solùm pro quantitate luminis, sed & corporis. Sol enim dicitur octies major, quam terra, & luna major terra perampla, quamvis *Martianus* dicat, Lunam septies minorem terra, proportione circuli. Sidera quoque Deus infixit firmamento, ut lucerent cum luna per noctem, ad operandum, ad gradiendum & ad navigandum, maximè, quod in desertis Æthiopiæ propter nimium solis ardorem terra admodum pulverisatur, & modico ventorum impulsu inventa viatorum vestigia complanantur. Sed & quædam bestiæ nocte venantur, nocte pascuntur, & nocte magis in visu acuuntur, & luce diei caligine obducuntur. Sunt autem sol & luna, & sidera posita non tantum ad decorem, sed & ad signa & tempora, & dies & annos; signa quippe serenitatis sunt & tempestatis, secundum illud:

Manè rubens cœlum notat imbres, serò serenum.

Signa quoque sunt corporalium incrementorum, aut decrementorum. Vnde in mari fiunt per certas lunationes, æstuationes, fluxus & refluxus, inundationes, ut in mari Britannico apertius apparet. Fiunt quoque tam in animantibus, quàm in arboribus medullarum repletiones aut exinanitiones. Sic distinctione facta plenilunii, alia si occidantur, cocta crescunt frusta, aut decrescunt; lignaque aut citius aut tardius putrescunt, sylvaque cædua citò recrescit, aut deficit. Unde *egregius ille versificator & philosophus:*

Luna quibus vicina meat, terrena, marina,
Legibus exagitat imperiosa suis.

Porrò quod ad motum siderum ventus vel fata disponantur, fides catholica non admittit, cùm hoc magis antiquitatum redolere videatur errorem, quô suadetur, omnia esse in Deo & marmore, ut ait *Iosephus de triplici secta Judæorum.* Sunt quoque à sole & luna signa duodecim, quæ majora dicuntur, ad instantiam minorum, quæ ad discernenda tempora in sideribus minoribus signavit antiquitas. Sanè tempora cum mundo cœperunt, sed a sole & luna cœperunt distinctiones; sol enim descendens ad Capricornum solstitium facit hyemale, ascendens ad cancrum æstivale; inter utrumque, pari ab utroque distantia, facit æquinoctia. Sed & dies naturalis 24 horis concluditur; dies autem usualis vel artificialis 12 horis terminatur, & ex ascensu vel descensu solis nunc pluribus, nunc paucioribus compaginatur. Humores quoq; certis horis dominari, & magis intendi Physici docent, ascensum solis & descensum complexionibus corporum tribuentes. Unde asserunt, à tertia hora diei usque ad horam nonam calorem dominari; ab hora nona diei usque ad tertiam horam noctis melancholiam; ab hora tertia noctis usque ad horam nonam noctis phlegma; ab hora illa usque ad horam tertiam diei sanguinem; graviusque à quolibet humorum affligitur patiens, quando humor illius horæ dominatur.

VI. Quot modis distinguitur annus.

DIscrevit Deus tempora per dies, ut diximus, & annos, voluitque ad omnia sidera annum pertinere, dum diversis spatiis annos distinxit, nunc breves, nunc prolixos sideribus contribuens. Dicitur autem annus ab *am*, quod est *circum*, quia in se revolvitur. Hinc est, quod antiquiores ante usum literarum annum sub specie serpentis figurabant, cujus cauda ad os revolvebatur, sicut Janum bifrontem pingimus, quia caput incipientis anni & finem deficientis respicit. Est ergò *annus* circumvolutio siderum, & hic nunc *lunaris* constans ex CCCLIV diebus, nunc *solaris*, constans ex CCCLXV & quadrante, scilicet sex horis. Nunc *bissextilis*, constans ex CCCLXVI diebus; nunc *embolismalis*, id est, superexcrescens, qui CCCLXXX. dies excedit, habens tredecim lunationes. Nunc *annus magnus*, qui planetis omnibus ad sua loca creationis reversis completur, quod fit demum post quingentos

tos & triginta annos. Nunc *annus mundanus*, qui completur, omnibus stellis ad sua loca primitiva reversis, quod fit, ut ait *Josephus*, demum post quinque millia annorum. Constant autem anni lunares & solares ex mensibus lunaribus & solaribus. Lunares plerumque infra tricennarium reperiuntur, ultra verò non. Solares plures hunc numerum excedunt. Solares semper constant ex CCCLXV. diebus, nisi sit annus bisextilis; lunaris annus est 12. lunationum, qui dicitur communis, quia frequentior est, & tunc habet CCCLIV. dies. Nunc tredecim, & tunc habet dies CCCLXXXIV. Si verò fuerit bisextilis, augetur uno die. Sunt ergò lunares solaribus breviores XI. diebus. Unde in visione Danielis *LXX hebdomadæ* annorum solarium faciunt annos CCCCLXXV, lunarium vero CCCCLXXXX. qui fluxerunt ab impetratione Nehemiæ, ut narrat *Esdras* usque ad 17. annum Tiberii. Sed & *annus* solaris à Januario incipit secundum Romanos ex traditione Numæ Pompilii, quia tunc incipit sol ascendere post solstitium hyemale. *Arabes* incipiunt à solstitio æstivo; *Ebræi* à Martio, quia tunc mundus conditus legitur. In *Aprili ceremoniali* differunt à nobis, in *temporali* conveniunt nobiscum. Enimverò præter annum naturalem, qui incipit à quolibet instanti, Judæi *tres annos* distinguunt, *usualem*, qui à Januario incipit, & hunc nobiscum communem habent in contractibus & negotijs suis agendis. Habent & annum *legitimum*, quò utuntur in legitimis, quæ agunt, & distinguunt per lunationes, cujus est Aprilis lunatio prima. Habent & annum *emergentem*, quem in memoriam liberationis suæ computant ab exitu de Ægypto; sicut *Græci* à prima Olympiade; *Romani* ab urbe condita; *Christiani* ab incarnatione Domini. Captâ siquidem Troja *Græci* ad gloriam victoriæ suæ cœperunt computare annos *Olympiadis*, hoc est quadriennium à capta Troja. Sic etiam *Romani* ab urbe condita annos computant. *Græci* quoque Olympiades, *Romani* Indictiones, *Judæi* hebdomadas annorum computant. Sane ab anno dicitur annuum pascha & annotinum. Annuum pascha, quod celebratur singulis annis, die dominicâ, non tamen semper concurrit lunatio paschalis cum die dominica. *Annotinum Pascha* dicimus, ubicunque quarta luna concurrit. Unde *in quibusdam ecclesiis, quamvis non concurrat cum die Dominicâ, cantatur: RESURREXI, cum toto paschali officio.* Porrò Lunam factam dicunt in plenilunio, ex eo, quod in alia translatione dicitur Lunare minus in inchoatione noctis; in principio enim noctis non oritur, nisi pansilenos; Hoc est rotunda vel tota à πᾶν, quod est totum, & σελήνη, quod est luna. Luna enim secundum sui augmentum nomina variat. In neomenia, hoc est, novilunio dicitur neonides, in majori incremento diaconios, in circuli perfectione amphikyrtos, in plenilunio pansilenos. Ex his perpenditur, quòd manè factus est sol in oriente & in vespere, similiter in Oriente luna; vel ut alii putant, in manè simul facta sunt, sol in Oriente, & luna in Occidente, sicque, occidente sole, luna sub terra rediit in Orientem.

VII. De ornamentis aëris & ventis.

ORnavit Deus aërem quintâ die & aquam, volatilia dans aëri, natatilia dans aquis; utraque tamen ab aquis orta sunt; facilis enim transitus est aquæ in aërem per attenuationem, ut apparet in aqua, quæ per ebullitionem resolvitur in *fumum;* & aër facilè spissatur in aqua, ut in uligine terræ perpendimus, quæ ventis in altum agitata densescit in pluviam. Aëri ergò ventos contribuimus ex oppositâ sibi regione spirantes, de quibus Poëta:

Imminet his aër, qui quanto pondere terræ
Pondere aquæ levior, tantò est onerosior igne.
Illic & nebulas, illic consistere nubes
Jussit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes fulgura ventos.

Ventus autem nihil aliud est, quam aër commotus & agitatus, unde aëris fluctus dici potest. Porrò ventorum quatuor sunt principales, qui octo habent collaterales. Cardinalis est & principalis Subsolanus in Oriente; Zephyrus vel Favonius in Occidente; Boreas ad septentrionem; Auster ad meridiem. Ovidius tamen Eurum posuit pro subsolano, cùm ait:

Cùm lanient mundum, tanta est discordia fratrum,
Eurus ad auroram Nabathæaque regna recessit,
Persidaque & radiis juga subdita matutinis
Vesper & occiduo, quæ littora sole tepescunt;
Proxima sunt Zephyro; Scythiam septemque triones
Horrifer invasit Boreas. Contraria tellus
Nubibus assiduis pluvioque madescit ab Austro.

His, inquam, collaterales junguntur, Eurus subsolano, cui Euro Auster, quasi Austro proximus, item Austro ex altero latere Africus, cui Africo Zephyrus proximus, Zephyro chorus, cui circius boreæ proximus. Unde illud: Non Corus in illum Jus habet aut Zephyrus solus sua litora turbat Circius. Boreæ aquilo, cui proximus Vulturnus, de quo illud:

Flat, volat, & pugnat Vulturnus, stillat & undat.

VIII. De jumentis, reptilibus & bestiis.

SExto die cùm creasset Deus jumenta, reptilia, & bestias; jumenta juvamini, reptilia & bestias in exercitium; ad ultimum formavit hominem. Sanè reptilium quædam sunt trahentia ut vermes, ore se trahentes; quædam serpentia ut colubri, vi costarum se rapientes; quædam repentia pedibus ut lacertæ; quæ verò ex humoribus vel corruptionibus lignorum ut teredines; vel herbarum, ut tineæ ex oleribus; vel fructuum, ut gurguliones ex fabis; vel ex corruptione humorum, ut vermes puteorum; vel ex cadaveribus, ut apes ex jumentis; scarabæi ex equis & scarabones, qui sunt muscæ grandesonantes, cum volant. Hæc, inquam, omnia post peccatum ex rebus corruptis orta sunt. Quæ verò ex exhalationibus, ut bibrones ex vino, papiliones ex aqua, sexto die facta sunt. Porrò nociva animantia tribus de causis facta sunt, propter hominis punitionem, ut cùm ab his læditur; aut ad timendum ducitur propter correctionem, cùm scit, ista sibi accidisse propter peccatum; propter instructionem, ut per ista humilietur, & opera Dei magis admiretur. Admiratur enim magis onera formicarum, quàm onera camelorum, & telam araneæ, quàm opera manuum hominum. Creatis animantibus, ad ultimum creatur homo, ita quod in una sui parte plasmatur, id est altera creatura. *Plasmavit* enim Deus hominem de limo terræ *in regione Damascena*, & animam *creavit*. Unde sequitur: Inspiravit in eum spiraculum vitæ, id est spiritum fecit. Alia translatio habet: insufflavit, quia flatum, hoc est animam fecit, sicut legitur in Esaia: Omnem flatum ego feci. Hunc sanè locum non rectè intellexit *Plato*, dicens, Deum animas creasse; angelos verò corpus formasse, ubi ait: diis deorum, quorum * opifex idem pater; opera siquidem mea dissolubilia me sic ita volente indissolubilia sunt, quia voluntas mea major est nexus, & omne quod ratione junctum, est modulatum, firmum, & stabile perseverat. Enimverò in tribus notatur hominis dignitas, primo, quia imago Dei est per rationem, & virtutes. Secundo, quia cum deliberatione factus est, in aliis siquidem dixit, & facta sunt. In hoc tanquam tres deliberantes personæ dixerunt: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Tertiò, quia Dominus factus est omnium animalium, ut essent ei in alimentum & indumentum, & laboris adjutorium. Unde per peccatum perdidit homo in dentatis bestiis dominium, & in minutis, ut in muscis. Sed & cum summo labore jumenta & boves mansuescunt ad subsidium.

IX. De creatione animæ & spiritus.

DE anima quoque hominis, ubi fuerit creata si quæritur, respondeo, me hoc scire, quòd omnes * aliæ animæ simul infundendo creantur, & creando infunduntur. Sunt, qui dicunt, quod in empyreo fuit anima Adæ cum angelis. Unde in Psalmo: *Domine, probasti me & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam & substantiam meam in inferioribus terræ.* Dicitur, quòd ille primus homo creatus fuit inter angelos, secundum animam. Huic sententiæ consentiunt philosophi, sicut ait Ovidius:

Sanctius his animal mentisq; capacius alta
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera posset;
Natus homo est, sive hunc divinò semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Sive recens tellus seductaq; nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli,
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit cœlumque tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Sanè cum *in homine solo sit anima*, in animantibus est quidam spiritus vitalis, sive corpus vegetans, qui anima motabilis in pecudibus dicitur, ex quo spiritu quinque sensus corporis nunc intenduntur, nunc remittuntur. Hic quoque spiritus suffocatur, unde fit spasmus secundum Physicos; nunc interciditur, ut in truncatis; nunc in mortuis amittitur, & esse desiderat, ut in

brutis;

brutis; cum anima semel creata perpetuetur, sive ad bonum, sive ad malum, quod notat *Lucanus*, cum ait:

Dii tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur,
Sed sensus post fata tuæ dent, Crastine, morti,
Cujus tanta manu commisit lancea bellum.

Quasi dicat, ut non moriatur velut animal, cujus spiritus non sentit pœnam post mortem, sed ita, ut post mortem corporis pœnam sentiat perpetuam spiritus. Gregorius quoque in dialogo dicit spiritus vitales à Deo creatos, unum, qui carne non tegitur neque moritur, ut angelicus; alterum qui tegitur & non moritur, ut hominis terreni; qui tegitur & moritur, ut in jumentis. Homo ergo medius utriusque, participat in umbratione hujus spiritus vitalis. Dixit *Plato* sedem animæ esse in sanguine. Ex hoc sanè spiritu provenit, quod quædam animalia sunt sagacia & fida, ut canes, quibus solis naturâ insitum est voluntariè ad id, ad quod præparantur urgeri, & per ingenitam quandam obedientiæ formulam solâ disciplinati timoris expectatione suspendi, donec ad peragendi licentiam nutu signôve mutantur. Habentque proprios appetitus quantùm brutis excellentiores tantum rationabilibus appropinquantes, hoc est discernere, amare, servire. Nam discernentes inter dominos atque extraneos, non eos, quos insectantur, oderunt; sed hos, quos amant, zelant; & amantes dominum ac domum non quasi ex natura apti corporis vigilant; sed ex conscientia solliciti amoris invigilant. *Augustinus* etiam videtur velle, quod pisces habeant animas; ait enim: fontem esse in *Bullensi regione*, plenum piscibus, qui cum hominibus supergradientibus gregatim natando eunt & redeunt. Stant cum stantibus, exspectantes, ut aliquid eis jaciant, quia sic consueverunt. Sed *in Hibernia*, adveniente *solennitate sancti Brandarii*, sub altari pisces à fluminibus & mari, ut dicitur, ascendunt, factâque chorea, velut ordinatâ processione redeunt post exhibitam sancto reverentiam. Videmus quoque porcos, oves & arietes, & verveces *ad altare sanctissimi confessoris Antonii* oblatos passim genua coram altari incurvare, quasi virtute divinâ ad id edoctos.

X. *De quatuor monarchiis, & quinque zonis, & paradiso.*

EXposuimus de origine mundi & dispositione, ornatu, prout à majoribus traditum accepimus, ut *Imperialis majestas* creatorem suum agnoscat ex creatione, revereatur ex operum dispositione, veneretur ex ornatu, utque ex vilitate luteæ materiæ, de qua sumus, ex celsitudine rationis, quâ intelligimus, meminerit Imperator, quod pulvis est & cinis, & in cinerem revertetur. Fallax enim equus in salutem, & gigas in multitudine virtutis suæ non salvabitur. Cùm morietur Princeps, non descendet cum eo gloria ejus. Hinc est, quod *Imperator pomum aureum fert in sinistra plenum favilla & cinere*, ut per auri fulgorem gloria notetur imperii, & per favillam levis gloriæ temporalis transitus designetur. Jam nunc ad orbis descriptionem nobis transeundum est, sed prius monarchia primi parentis est repetenda. Hunc orbis dominum novimus atque monarcham, cui terra data est in possessionem, & animantia in subjectionem, ut de illo dici possit: Omnia subjecta sub pedibus ejus, oves & boves, ursi in sylvis & pecudes campi, volucres cœli & pisces maris, cujus dominationem notat nominis ejus interpretativa compactio. Ut enim ait *Augustinus*, Adam in quatuor literis Græcis, ex quibus constat, quatuor habet principia verborum Græcorum, ἀνατολή, quod est Oriens, dysis, quod est occidens, arctos, quod est septentrio, μεσημβρία, quod est meridies, quasi subjiciantur ei quatuor orbis climata. Unde in *Historia seu Bibliotheca Versificata*:

Anatole dedit (A), *Dysis* (D), *contulit Arctos*
(A), *Mesembrios* (M): *collige, fiet* ADAM.

Porrò post Adam memini tres monarchiam tenuisse, non in dominatione animantium, sed in possessione terrarum. Primus fuit *Noë*, secundus *Alexander Macedo*, tertius *Augustus Cæsar*. Dixit enim Dominus ad *Noë*: Crescite & multiplicamini, & sit tremor vester super animantia terræ. Hic terram excoluit, & orbem in tres filios divisit, ut ex sequentibus apparebit. De *Alexandro* legimus, quod in Occidente timebatur, & cum totum occupasset orientem, etiam in aërem invasit, marisque tentavit profundum, & usque ad permissos à Deo terminos terram tunc à monstruosis animantibus habitatam intravit. Ab Oriente redeunti exterritarum totius orbis provinciarum Legati occurrebant, hoc est Carthaginiensium, totius Africæ civitatum, sed & Hispanorum, Gallorum, Siciliæ Sardiniæque, plurimæ præterea partis Italiæ. Tantus timor in summo Oriente constituti Duces populosque ultimi Occidentis invaserat; ut inde peregrinam cerneres legationem, quò vix crederes pervenisse rumorem. *Augusti* nomen Occidens susce-

pit Scythaque perhorruit. Hic anno ab urbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus unâ pace compositis, Jani portas tertiò tunc ipse clausit, quas ex tunc per 12 fermè annos quietissimo semper obseratas sono, ipsa etiam rubigo signavit, nec prius unquam nisi ab extrema senectute Augusti pulsatæ, Atheniensium * seditione & Dacorum commotione patuerunt. Augusti quoque dominationem testatur Lucas, cum ait: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Si totum descripsit, utique toti imperavit. Porrò monarchia *Adæ* caput habuit in paradiso, ubi, dum vixit sine peccato, regnavit, & ut scriptura testatur, animantibus sibi subjectis imposuit nomina linguâ quidem Ebræa, quæ usque ad divisionem linguarum sola in usu fuit. Est autem Adam creatus in agro Damasceno, & statim, ut creatus, in paradisum translatus, qui locus est plantatus ab initio, hoc est, ab Oriente. A principio in Eden plantatus est, id est in deliciis, quia idem sonat Eden, quod deliciæ. Est ergo locus amœnissimus, longo terræ marisque tractu à nostra habitabili regione segregatus; sic excelsus, ut usque ad lunarem globum attingat, unde & aquæ diluvii ad locum hunc non pervenerunt. Utrum autem sit ultra zonam torridam, non assero, sed id defendi potest, quod *locus propter solis interpositum calorem nobis inaccessibilis* perhibetur. Sanè de quinque zonarum distinctione id arbitror, quod ait *Ovidius:*

Utque duæ dextrâ cœlum totidemque sinistrâ
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis.
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur,
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tegit alta duas totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit mistâ cum frigore flammâ.

Sunt ergò zonæ circuli terram distinguentes, quorum duo sunt extremi, inhabitabiles à frigore, ad quos nunquam sol accedit. Medius inhabitabilis calore, à quo nunquam sol recedit. Medii duo habitabiles, hic ardore, ille frigore temperati, ut notari potest in igne sub dio accenso in hyeme, qui *quinque lineas* facit, unam in medio fervidam, duas circumgelidas, duas inter has temperatas. Quas si circumires, nimirum circulos faceres. Ex his sanè zonis vel circulis primus septentrionalis, secundus solstitialis, tertius æquinoctialis, quartus hyemalis, quintus Australis nominatur. Sed solus solstitialis habitabilis est. Porrò Majores nostri civitatem sanctam *Jerusalem in medio* nostræ habitabilis sitam scripserunt secundum illud: Operatus est salutem in medio terræ. Unde ita exponitur illud evangelicum: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio primò facta est à Præside Syriæ Cyrenio. Prima dicta est quoad Cyrenium, Præsidem Syriæ; quia enim Judæa in umbilico nostræ habitabilis est, provisum est, ut in ea inchoaret. Deinde per circumstantes provincias alii Præsides prosequerentur. Unde tradunt, tantam terram à Jerusalem protendi ad Orientem, quantam ad Occidentem, quod probant ex eo, quod legitur: DEus ab Austro veniet & sanctus de monte Pharaan. Auster enim & Aquilo, qui pro Borea scribitur, ut ibi: ab Aquilone pandetur omne malum. Et alibi: Ponam sedem meam ab aquilone, & ero similis altissimo. Per contrapositionem oppositi per effectum, & locorum distantiam objecti æqualiter distant à centrô, quod est inter Orientem & Occidentem. Hoc autem circumferentiæ centrum arbitrantur quidam in illo loco esse, ubi Dominus locutus est ad Samaritanam ad puteum, illic enim in solstitio æstivo meridianâ hora sol recto tramite descendit in aquam putei, umbram nullam aliquâ parte monstrans, quod apud Syenem fieri tradunt philosophi, sicut plenius, Deo duce, dicetur infrà, in descriptione meridianæ partis majoris Asiæ & Ægypti inferioris.

XI. De fonte & quatuor fluviis Paradisi.

FOns sive fluvius egrediebatur ad irrigandum paradisum. Hic est lingua paradisi. Fons iste matrix fuit omnium aquarum, quasi abyssus, & irrigabat, hoc est, ministrabat humorem. Dicitur etiam terra circumjacens humectari à fluminibus per *trachones*, quasi per vias subterraneas, vel per meatus 14 vel 16 stadiis. Fons hic dividitur in quatuor flumina, quorum unus dicitur Pison, hic à Gangaro, Rege Indiæ, dictus est Ganges, & sonat secundum Isidorum Fison, hoc est, caterva, quia decem flumina recipit in se; vel sonat mutatio oris, quia faciem mutat, exiens à paradiso, tùm in colore, quia hic clarus, ibi obscurus, alibi turbidus, tùm in quantitate, quia alibi parvus, alibi diffusus, tùm in sensu; quia alibi frigidus,

frigidus, alibi calidus. Hic circuit terram Evilath, id est Indiam, & postea transit juxta Jerusalem per Ægyptum, & dicitur terra Evilath, sic dicta ab Evila, nepote Noæ. In India alius fluvius Gihon, qui & Nilus, & sonat hiatus terræ, vel terrenus, quia turbidus est. Hic circuit Æthiopiam, postea transit juxta Hierusalem per Ægyptum. Tertius Tigris propter sui velocitatem ut tigridis; hic fluit contra Armenios. Quartus Euphrates, quasi frugifer, vel fructuosus. Hic est in Chaldæa, unde venit Abraham, & irrigat terram Mesopotamiæ. Hæc itaque quatuor flumina ab eodem fonte manantia separantur, & iterum quædam eorum inter se commiscentur, iterumque dividuntur, nonnunquam à terra absorbentur, & iterato emergunt, sicut scimus fluvium *Gardonem in Narbonensi provincia in confinio civitatis Nemausensis* in æstate frequenter absorberi sub loco, qui vocatur *Campiniacum*, deindeque *sub castro Sancti Privati* in lacum & ampliorem amnem renasci. Porrò ubinam quatuor dicta flumina oriantur, diversi diversa sentiunt. Dicitur Ganges prorumpere in locis Caucasi montis; Nilus verò non procul ab Atlante. Tigris & Euphrates in Armenia. Sanè quòd diximus Paradisum locum esse diluvio inaccessum, nemo miretur, cùm idem de Olympo plurimi tradiderint. Asserunt enim Olympum montem Thraciæ tantæ celsitudinis esse, quod usque ad liquidum aëra vadat, quod probatur, qui nullus ibi vel levis auræ motus sentitur, cui est pro argumento, quod literæ, si pulveri cacuminis imprimantur, revolutô annô in suâ figura integrè perseverant. Sed & pro nimia aëris raritate aves illic vivere nequeunt. Nonnunquam philosophi illuc ascendentes diu ibi manere non poterant, si non spongias aquâ plenas in manibus tenerent, quas naribus apponentes crassiorem inde aërem attrahebant.

XII. De rore cœli, pluvia & nebula.

PLantaverat Deus in paradiso ligna pomifera & facientia fructum, fecitque illa tàm perfecta materialiter & essentialiter, ut orirentur & germinarent, non sicut modo quando paullatim pullulando germinant, & cum tempore longo maturantur in fructum, beneficio roris infusi & labore manuum. Rorem autem istum autumant descendere à nebula quadam vaporabili, quam dicunt vocari *aquas, quæ super cœlos sunt*, ut apparet in æstate. Sunt & qui dicunt rorem æstivum ab inferiore vaporatione terræ surgere, quod probant ex panno herbæ superstrato, qui inferius invenitur humidus, superius verò sine omni humectatione siccus. Unde & dicunt testulam ovi si impleatur rore madiali, præclusо modicô foramine, quacunque levi materià per hastam in sterquilinio fixam vel aliàs in arena calida ad cacumen hastæ suâ virtute secretà ascendere. Non tamen negamus rorem alium de cœlo descendere, juxta illud: In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Unde *apud antiquos majoris Britanniæ inolevit, quod in nocte natalis Domini ponunt manipulum avenæ sub dio, aut vasculum aliquod plenum avenæ vel hordei*, ut si fortassis, ut assolet evenire, pestis mortifera cœperit alia tangere, ex illo vel hordeo vel avena cibentur, *super quam asserunt rorem cœlestem nutu divino quotannis hora nativitatis Dei descendere.* Sed & *de pane nocte illa sub dio composito compertum habeo, quod febricitantibus prodest*, si tamen adsit fides, quæ operatur. Plurimos quoque vidimus potentes, qui *sancto die Pentecostes cibum non sumerent, donec rorem de cœlo hausissent, vel super se descendisse sensissent.* Quod quandoque citius, quandoque tardius eveniebat, sicut in sepulchro Dominico solet nunc ocyus, nunc serius, *ignis cœlestis in vigilia Pascha Hierosolymis quotannis* venire. Ut autem ad materiam redeamus, in paradiso non ligna nec herbæ rore cœli vel imbribus reficiebantur, quia, ut in Mose subjungitur, non pluerat dominus super terram, sed fons irrigabat faciem terræ paradisi per partes diversas; sicut creditur Jordanis irrigasse Pentapolin ante submersionem, & Nilus Ægyptum. Sicut & Augustinus narrat, quosdam fontes vicissim quasdam terras irrigare. Sanè dicunt pluviam nullam fuisse secundum ordinem pluendi, quem nunc ex nubibus & nebulis videmus, usque ad tempus Noæ. Cùm ergo egressus esset ab arca post diluvium, & ædificasset altare Domino, factô sacrificio, odoratus est Dominus odorem svavitatis, dixitque ad Noe: Non maledicam ultra terram, propter homines. Tempus sementis & messis, frigus & æstas, nox & dies non requiescent. Fortè nondum ita plenè distincta erant tempora quatuor, quia nec usque ad diluvium aquæ collectæ fuerant in nubes. Unde Dominus loquens de diluvio ait: Ingressô Noe in arcam, rupti sunt fontes abyssi & cataractæ cœli quasi fenestræ apertæ sunt propè meatus Nili, ubi in septem ostia separatur vel ejusdem præcipitia, quæ catadduppa vocantur; in quibus hoc est mirabile, quod homines in eorum nati confinio propter nimium sonitum obsurduerunt, ut legitur *in somnio Scipionis.* Sic ex nimio solis fulgore visus intuentis obtunditur, & ex nimio firmamenti fragore aures hominum, ut illas non audiant, quæ sursum sunt harmoniæ,

niæ, obstupescunt. Collectis igitur aquis in nubes, pluvia generatur, vel ex humore terræ exhalantis uliginem, unde ex attractione salis vapor terræ & fluminum ascendens ad caloris nutrimentum & remedium, densatur in nebulam, quæ ventis agitata, nunc contrarietate elevantium deprimentiumque flatuum suspenditur in aëre, nunc attenuatur in nubes, nunc conflatur in grandinem, nunc rarescit in nivem, nunc spissatur in imbrem, vel, ut ajunt, in confinio aëris nostri aquæ virtute dispositionis divinæ statim post diluvium nebulæ, quæ suspensæ fuerunt, unde & nubes, quasi terram obumbrantes, id est, operientes. Sanè nubes ascendisse, quinimò excessisse montes, credimus, quorum cacumina, ut præmisimus, nec venti, nec nebulæ unquam contingunt. Unde Poëta:

Illic & nebulas, illic consistere nubes
Jussit.

XIII. De mari.

Sunt, qui dicunt, terram ut centrum in medio circumferentiæ omni parte æqualiter ab extremitatibus distantem mari circumcingi atque concludi, secundum illud tertiæ diei: Congregavit aquas sub firmamento in unum, & apparuit arida; subsidit enim terra ut centrum, & aquæ in circuitu sunt includentes terram, secundum illud: qui firmavit terram super aquas. Quòd ergo aër sit inter terram & aquas, arbitrantur plerique, & quod aquæ circumferantur aëri quâdam creatoris virtute. Sic enim constat, omnia in Dei virtute formata, quod nullum illorum sit fundamentum alterius, & si unum sit altero inferius, & aliud superius. Cœlum quippe empyreum sidereo non sustentatur, neque sidereum aëri vel aquis, quæ super cœlos sunt, innititur, nec aër infigitur terræ, sed superfertur, nec terra aquas conjunctas aut superpositas deprimit. Quod autem fontes à mari procedant, arbitrantur quasi per occultos terræ poros resudantes, & quod ex mari salsuginoso fontes liquantur dulcissimi, ex mari calido fontes frigidissimi, ex beneficio terræ est, quæ aquam plurimum colatam facit dulcescere, & ex sua frigiditate calorem maris exuere. Sic vinum rubrum colando per pannos albescit, & in littore maris fontes, & in ipso maris fundo aquæ dulcissimæ reperiuntur. Sed & in urna grandi si capillos veneris, epaticam, Ceterach, * & Polytricum, herbasque in fontibus nascentes arenæ fontium superstraveris, per duo vel tria disponens solaria aquam maris ita in modum lixivii colatam dulcissimam invenies, quia navigantibus licet paucis expertum est. Accedit ad probandam maris superioris supereminentiam temporibus nostris novum divulgatum, tamen mirabile. Cùm enim die festo in majori Britannia populus post audita Missarum solennia Ecclesiam plebanam passim egrederetur tempore quidem plurimum nubilo ac propter nebularum densitatem subobscuro; apparuit anchora navis lapideo tumulo, infra septa circuitu infixa, fune in aëre protenso ac pendulo, obstupuit populus, dumque super hæc varia inter se conferrent, tandem viderunt funem moveri quasi laborarent ad evulsionem anchoræ. Dum ergò plurimùm profligata non cederet, audita est vox in aëre spisso, velut *clamor* nautarum ad revocandam projectam anchoram contendentium. Nec mora frustrata laboris, spe nautæ unum de suis dimittunt, qui secundum peritiam nostrorum funi anchorali impensius vicariâ manuum permutatione descendit. Cùmque jam anchoram evulsisset, à circumstantibus capitur, & inter manus contrectantium, quasi in mari naufragium faceret, crassi aëris nostri humectatione præfocatus exhalavit. Sed & superiores nautæ arbitrati * otium naufragantium post unius horæ spatium funem anchoralem præciderunt, relictâ anchorâ navigantes. In hujus itaque rei memoriam de anchora illa ferramenta ostii basilicæ illius prudenti consilio fabricata sunt, quæ in publicô patent conspectu. Accedit adhuc aliud in eadem regione mirabilius. Est castrum in Comitatu Claudii Castriæ, Bristol dum nomine, opulentum, & civibus ditissimis complantatum. Hic portus est, quô transitur à majori Britannia in Hiberniam. Uno tempore *in Hiberniam* cùm illius loci indigena navigasset, domi relictis uxore & filiis, post emensa diutinæ navigationis curricula, cùm in remotis Oceani partibus navis decurreret, civis memoratus cum nautis ad epulandum consedit circiter horam tertiam. Cumque finitâ mensâ civis cultellum ad spondam navis ablueret, subitò de manu lapsus eadem horâ per fenestram domus ipsius civis, in culmine patentem, quam lucernariam Angli nominant, ad mensam coram uxore civis positam cultellus defigitur, cujus rei novitate tacta mulier obstupuit, & notum sibi pridem cultellum reponens longô post tempore, annô redeunte didicit, casum & diem navigationis cum die receptionis concordare. Quis ergò ex publicato facti hujus testimonio mare super nostram habitationem in aëre vel super aërem positam dubitabit?

XIV. De

* *Ceterach* nomen est barbarum officinis receptum, quo significatur *asplenium* seu *scolopendrium*.

XIV. De ligno vitæ, & ligno scientiæ boni & mali historia.

INter alia paradisi ligna duo præcipuè legimus, lignum scientiæ boni & mali, & lignum vitæ. Lignum scientiæ boni & mali dicitur ex effectu & per consequentiam; si enim non contemsissent mandatum, scientiam tantùm boni dedisset, qui est fructus bonus obedientiæ meritorius. Quia verò contemserunt, scientiam mali habuerunt, & ita fuit in eis scientia boni, quô & caruerunt, & mali, quod meruerunt. Lignum autem vitæ talis est naturæ, quod si de illo gustassent, diutius vixissent, etiam post peccatum. Nec mirandum de ligno vitæ, cùm in gestis Alexandri legatur ad Aristotelem epistola ejus, in qua apponitur terram esse, quam mors nulla tentavit, quinimò decrepiti efferri se faciunt, ut moriantur, ut infrà, decisione secunda, Deo duce, in descriptione Indiæ dicetur. Sic etiam lanugo fit in foliis arborum apud Seres, cujus esu vita protelatur. Sed & Alexander scripsit Aristoteli de sacerdotibus arborum solis & lunæ, quod cùm sol oritur & splendor tangit arborum summitatem, arbores ad radices usque concutiuntur, & tunc responsa dant interrogantibus. Illic Alexander de uxore & familia sua, de morte quoque sua, cum Babyloniam intraret, responsum accepit. Hæ arbores poma faciunt, quorum esu sacerdotes illarum quadringentis annis vivunt.

XV. De oculis apertis post peccatum.

PEccavit Adam mandatum transgrediendo, & statim peccatum pœna sequitur, aperti enim sunt oculi eorum, ut viderent & sentirent, ut viderent pudenda, quæ in simplicitate bona transegerant, more infantum. Ut sentirent, quia naturales motus concupiscentiæ ante peccatum repressi & clausi, post peccatum aperti sunt, tanquam rivuli, cœperuntque moveri ac diffundi. Ex hinc anima, quæ divinæ est naturæ, carne velut jumento vehitur, & tamen nunquam ultra, quàm oportet, evehitur.

Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rapidos præmorsò carcere dentes,
Obsessusque gerit. Tanta est constantia, mentis
Expugnantis opus.

Considera, felix Auguste, quod peccato animæ concupiscentis sit opposita verecundia confessionis. Peccato carnis esurientis opponitur pœna afflictionis, & satis mirandum, quòd siquis multos habuerit turpitudinis suæ socios, illorum tamen verebitur præsentiam, præsentiumque notitiam. Unici verò sacerdotis audientia ducit in verecundiam. Quinimò in articulo mortis positus, *si secretario tuo nota pridem crimina confiteris*, verecundiam contrahes de confessione; quam non contraxisti ex ejus scientia in ipsius criminis perpetratione? Duo quippe sunt, quæ te movent: aspectus severi judicis, cum rubore confessionis, & metus punitionis; ecce, quod oculi sic aperiuntur peccatoris, & cùm de sua verecundatur prævaricatione, affectatio tamen redeundi ad cor si fuerit, prævaricatoris verecundia commendanda erit. Sequitur, quod Adam, ut ajunt, post septem horas ejicitur à paradiso, ideoque *septem psalmos pœnitentiales* instituit ecclesia, quibus felicis illius statûs jacturam lamentando deploremus. Nec erit omittendum, quod ait *Beda,* loquens de serpente, qui Evam seduxit. Elegit enim diabolus quoddam genus serpentis fœmineum vultum habentis, quia similia similibus applaudunt, & movit ad loquendum lingvam ejus. De serpentibus tradunt *vulgares*, quod sunt quædam fœminæ, quæ mutantur in serpentes, quæ ita dignoscuntur: Habent enim ligaturam albam, quasi vittam in capite. Sanè, quod in serpentes mutari dicunt fœminas, mirandum quidem est, sed non detestandum. Vidimus enim frequenter in Anglia, per lunationes *homines in lupos mutari*, quod hominum genus *gerulfos* Galli nominant, Angli verò *Were wlf*, dicunt. *Were* enim Anglicè *virum* sonat, *Wlf* lupum. Creberrimum quoque apud mulieres Græcas & Hierosolymitanas extitit, ut ajunt, quod contemtores suæ libidinis *in asinos transformant* miro incantationis genere; ita quod faciem asini, laborem & onus sustinet, quousque ipsarum autricum miseratio pœnam relevet, quod tamen nescio delusioni oculorum spectantium assignem: aut quia dæmones discurrunt per mundum, & subitò semina rerum, de quibus hic agitur, referunt, ut ait *Augustinus* de virgis, quas Magi verterunt in Dracones. Scio equidem jampridem relatum veridicâ narratione, quod in *Aquensi provincia* paucis ab Aquis milliaribus est castrum *Russetum*, quod vallem Trezensem sub se missam respicit. Hujus castri Dominus, *Raimundus* nomine, cum uno aliquô die solus in equo vectaretur juxta decursum interluentis *Laris* fluvii, ex improvisò occurrit domina nulli decore secunda, in palafredo phalerato, vestibus & apparatu pretiosis, cumque salutata à milite

ipsum ex nomine resalutasset, ille ab ignota se nominatum audiens, miratur, & nihilominus illam, ut moris est, cœpit verbis lascivis interpellare, ut ei consentiat. Cui illa interponit, hoc præter conjugalem copulam nulli licere, verùm si in ejus nuptias consentiat, ipsius possit optatis frui complexibus. Quid ultra? acquiescit conditionibus miles in nuptiis; at illa replicat, illum summa temporalium felicitate ex ejus commansione fruiturum, dum ipsam nudam non viderit; verum ut ipsam nudam conspexerit, omni felicitate spoliandum asserit, & vix ei vitam miseram misericordia servandam esse præponit. *Pendet, dubiusne timeret, optaretne mori?* tandem in nuptias consentit & conditionem admittit. Inflammatus & æstuans omnem conditionem facilem arbitratur, quâ cupitum thorum possit obtinere. Consentiunt in matrimonium & contrahunt, & crescente militis felicitate in brevi, favore & hominum gratiâ, temporalium copiâ & corporis strenuitate in tantum excrevit, quod pares excessit, & paucis proceribus & illustribus secundus invenitur. Hominibus amabilis, apud omnes gratiosus liberalitatem discretâ largitate atque urbanitate condiebat, filiis & filiabus summæ pulchritudinis procreatis. Cùm post longa tempora unô die domina, ut assolent, in thalamo balnearet, Raimundus miles, à venatu rediens & aucupatu perdicibus aliisque carnibus ferinis dominam,** & dum parantur cibaria, nescio quô motu vel spiritu militi venit in mentem, quod nudam videat dominam balneantem, constituens in animo, siquidem quod ex inhibita nuditatis conspectione potuit ex fatis esse periculum. Temporis diuturnitate, tamque diuturnæ commansionis longinquitate evanuisse maritus exposuit uxori; quæ diuturnam felicitatem ex conditione servata objicit, & infelicitatem minatur secuturam. Tandem præceps in præcipitium miles non temperatur interminatione pœnæ, neque precibus flectitur, ut à stulto proposito desistens suæ consulat utilitati. *Tangunt animum motusque metusque, & timet eventus, indignaturque timere.* Quid moror? erepto linteo, quô balneum operitur, miles, ut uxorem nudam videat, accedit statimque domina in serpentem conversa, missô sub aqua balnei capite, disparuit, nunquam visa imposterum nec audita, nisi quandoque de nocte, cùm ad infantulos suos visitandos veniebat, nutricibus audientibus, sed ab ejus aspectu semper arctatis. Sanè miles pro maxima parte felicitate ac gratiâ minoratus *filiam illius dominæ cuidam nostro affini ex nobilibus Provinciæ oriundo posteà dedit in uxorem, quæ inter coætaneas & confines suas plurimum extitit gratiosa, & cujus jam successio ad nos usque pervenit.*

XVI. De gladio versatili.

Ejectus homo per esum pomi vetiti de paradiso, translatione divinâ, vel in spiritu, ut Elias, vel ab angelo, ut Habacuc, vel raptus ut Philippus in Azotum, rediit in agrum Damascenum, & collocavit Dominus ante paradisum voluptatis Cherubin & flammeum gladium, atque versatilem. Angelum præmisit ad arcendum diabolum ab ingressu, ignem, ut arceret hominem ignito gladio atque versatili, hoc est utrinque secante, quia pœna fuit hominis, in utraque parte sui, corpore scilicet & animâ, puniri: Corpore, per sudorem vultus; animâ, per infernum. Hujus gladii exemplo, *serenissime Imperator, gladius tuus* utraque parte secare debet, eô mysterio, ut qui per Deum castigator debes esse aliorum, & alienorum punitor vitiorum, primò tua seces vitia, & sic ab oculo tuo trabe criminationis ejectâ festucam de corde subjectorum educas. Sanè aliâ ratione *ecclesiasticus Domini Papæ gladius* utrinque secat. Nam cùm trahitur homo Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus secundum apostolum salvus sit in die judicii, corpus affligitur per satisfactionem exteriorem, & anima secatur per contritionem. Porrò cùm quis excommunicatur, duabus aciebus gladius arctat peccatorem, dum & ipsi interdicatur aliorum communio, & aliis ipsius excommunicati præcluditur participatio. Unde in domino Papa utrumque efficit sententia lata per plenitudinem potestatis juxta illud: Si inimicus est alieni, iste demens, pro actibus suis noli expectare, ut nobis dicat: Abstinete ab illo; sed statim cavete & vitate illum, ut *in decret. dist. 93. c. Si inimicus.* Non enim de ejus sanctitate vel sententia erit dubitandum, quem apex tantæ dignitatis extollit, *ut dist. 40. Non nos.* Sanè in episcopis, quos vocavit Petrus in partem sollicitudinis, unâ parte tantum secat quandoque gladius, ut cùm suo parochiano interdicit aliorum communionem, & tamen aliis illius excommunicati participium non rectè tollit, cùm sui non sinit, ideoque per literas facienda erit excommunicatorum denunciatio à suo episcopo ad vicinos, ut *extr. XI. qu. ult. c. debent.* Hinc est quod altera parte gladii Judæus punitur aut gentilis ab ecclesia, dum ejus communio Christianis interdicitur, sed ipsorum communio Judæo non potest interdici, quia de his, qui foris sunt, non judicat ecclesia. Enimverò gladius versatilis nonnunquam ad tempus tollitur, ut in reconciliatis & correctis; mise-

misericordia enim & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Sed & gladius igneus paradisi ad tempus sublatus fuit, intrantibus Helia & Henoch; penitus verò non fuit ablatus, donec in morte Christi fuit extinctus. Erat autem ignis gladii urens & non comburens, sicut in *vita B. Nicolai* legitur & non eget materia, quam consumat; urit enim spiritum.

XVII. De duobus paradisis & infernis.

NOn erit parvipendendum, quòd duo sunt paradisi, terrestris, de quo diximus, & cœlestis, cœlum scilicet empyreum, & dicitur spiritualis regio, quia regio est ibi spirituum. Similiter duo sunt inferni; terrestris, quem in cavitate dicunt terræ positum; & in illo inferno dicunt locum esse longè semotum à locis pœnalibus, qui ob quietem ac separationem ab aliis *sinus* dicebatur, sicut sinum maris aliàs appellamus, & dicitur *sinus Abrahæ* in parabola divitis & Lazari, quia etiam Abraham ibi erat usque ad mortem Christi, quia ipse fuit prima credentium via; ipse enim primus prædicavit, unum tantum esse Deum. Est & alius infernus aëreus caliginosus, in quem detrusi sunt ad suam pœnam mali angeli, sicut in empyreo sunt boni. Et in hoc erravit *Plato*, qui descendens in Ægyptum legit ibi libros Mosis, & putavit Mosen sensisse volatilia esse ornamentum aëris circa terram tantùm, ornatum verò superioris aëris esse calodæmones & cacodæmones, id est malos & bonos dæmones. *Apulejus* autem *in libro de Deo & sanctis Spiritibus* dicit, quod inter lunam & terram habitant immundi spiritus, quos incubos dæmones nominant, à mentis incubatione, quia in somnis mentes hominum opprimunt, ita quod videntur homines ex alto præcipitare vel suffocare, habentque partim naturam hominum, partim angelorum, & cum volunt, assumunt naturas humanas & cubant cum mulieribus. De his generatus fertur *Merlinus*, qui fuit, ut ait *historia Britannorum*, ex matre sine patre homo. Et ex tali generatione erit, ut dicunt, *Antichristus*, ideoque dicet se filium virginis. De hujusmodi multa scimus quotidiè videri. Nam vidimus quosdam dæmones tanto zelo mulieres amare, quod ad inaudita prorumpunt ludibria, & cum ad concubitum earum accedunt, mirâ mole eas opprimunt, nec ab aliis videntur. Sunt & quidam, qui à virginibus tantùm videntur; caro enim incorrupta magis spirituales habet intuitus. Unde asserunt nigromantici, in experimentis *gladii* vel *speculi* vel *unguis* aut *circini* solos oculos virgineos prævalere.

XVIII. De Faunis & Satyris.

SUnt & alii, quos *Folletos* vulgus nominat, qui domos simplicium rusticorum inhabitant, & nec aqua, nec exorcismis arcentur, & quia non videntur, ingredientes lapidibus, lignis & domesticâ supellectile affligunt, quorum verba utique humanô more audiuntur, & effigies non comparent. De istis pleraque miracula memini me in *vita abbreviata & miraculis beatissimi Antonii reperisse.* Sunt & alii spiritus, nescio dixerim an corporeas & sylvestres bestias, qui *Fauni & Satyri* dicuntur, de quibus *in vita beati Pauli*, primi eremitæ, ita narrat *Hieronymus:* Cogitanti Antonio, nullum ante se monachorum in eremo consedisse, nocte quiescenti revelatum est, esse alium interius multò meliorem, ad quem visendum properare deberet, in quo erumpente luce venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans cœpit ire velle, quò nesciebat. Et cùm jam media dies, ex quo desuper sole fervebat, conspicatur hominem equo mixtum, cui opinio poetarum *Hippocentaurum* vocabulum indidit, quô visô, salutaris impressione signi armat frontem. Heus tu, inquit, quânam in parte servus Dei hîc habitat? at ille barbarum nescio quid frendens & frangens potius verba, quàm loquens inter horrentia sedis ora blandum quæsivit alloquium, & dextræ manus protensione cubitum indicat, ac sic per patentes campos volucri transmissus fugâ ex oculis mutatis evanuit. Stupens itaque Antonius, & de hoc, quod viderat, secum volvens ulterius progrediebatur, nec mora, inter saxosum convallem .... aut grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus exasperatâ, cui extrema pars corporis in capratum pedes deficiebat. Ex hoc Antonius spectaculo scutum & loricam fidei bonus præliator arripuit; nihilominus memoratum animal palmarum fructum ad viaticum quasi pacis obsides offerebat, quô cognitô, gressum pressit Antonius, & quisnam esset, interrogans hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum & unus ex accolis eremi, quos vario errore delusa gentilitas *Faunos*, *Satyrosque* & *incubos* colit. Legatione fungor gregis mei; precamur, ut communem Deum pro nobis depreceris. Salutem mundo olim advenisse cognovimus, & in universam terram sonus ejus

 exivit.

exivit. Talia eô loquente, longævus viator ubertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ cordis indices effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, de interitu satanæ, simulque admirans, quod ejus posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens ajebat: Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Civitas meretrix, in qua totius orbis dæmonia confluxere! quid nunc dictura es bestiæ? Christum loquitur. Necdum verba compleverat, & quasi pennigero volatu peculeum animal aufugit. Hoc nunc ne cui ad incredulitatem scrupulum moveat, sub Rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exanime; ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est. Si autem sale corpus infunditur, aërem non vitiat, quia emortuum putredinem facit. Satius ergò corpora bestialia censentur, quàm spiritus aërei. Verùm quod spiritus, quos gentilitas coluit, in aëre sint, innuit Ovidius, cum dixit:

Astra tenent, cæleste solum formæq; deorum.

Hæc hactenus, nunc ad ordinem cœptæ materiæ redeamus; quæ enim ad hæc vel similia pertinere videbuntur, *in tertia decisione*, Deo permittente, plenius explicabuntur, ubi cuilibet terræ sua assignabimus miracula.

XIX. De filiis Adæ, & divisione eorum, & primâ civitate.

Post ejectionem à paradiso cognovit Adam uxorem, & anno 15 vitæ ejus, natus est ei Cain & soror ejus *Calmana:* fortassis & antè multos genuerat, qui à Mose tacentur; nam legimus Adam triginta filios habuisse & totidem filias, præter Cain & Abel & sororem ejus Delboram. Tradunt Judæi, Adam dedisse Cain Delboram turpem facie, & Calmanam Abel in uxorem, ne gemelli commiscerentur. Invidens ergo Cain pulchritudini Calmanæ, acceptà occasione, quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò non respexit, eò, quòd rectè offerebat, quæ Dei erant, sed non rectè dividebat per fraternum odium, Deo se devovens, qui oblatione dignior erat. Occidit Cain Abel in agro Damasceno, de quo sumtus Adam fuit, juxta quem in spelunca duplici sepulti sunt Adam & Eva. Cumque increpando diceret Dominus ad Cain: ubi est Abel frater tuus, clamat enim sanguis ejus ad me? comminationem maledictionis audiens Cain, ait: major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Hic, *Imperator Auguste*, duo tibi sunt notanda: unum, quod judicem instruit: alterum, quod delinquentem confundit. Quamvis enim *D. Trajanus* Aufidio Severo rescripsit, ex suspicionibus neminem debere damnari, cum satius sit impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare, in publicè tamen notorio, quod publicat evidentia facti vel rei publicata confessio, ubi jam reus diffiteri non potest, suspecti trahuntur in causam, quia sanguis Abel clamat & clamor Sodomæorum ascendit & punitur noxius, secundum quod invincibilis præsumtio accusaverit, ut *5. q. 1. scelus.*, *&c. multi, & causa 32. q. 1. dixit, & c. 1. .... de adulteriis, si qui. Et in authent. collect. 9. ut liceat matri & aviæ.* Hic quoque sequitur, quæ delinquentem confudit, desperatio; quo malo Cain damnatur, & Judas cum latrone infernum meretur & cœlum demeretur. Unde sequitur: major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, hoc est omni merito, vel quia tanta est, quod major est omni misericordia veniam dantis, quod est contra illud Davidis: misericordiæ tuæ non est numerus. O miserrime Cain, quid modum ponis miserendi in Deo, cujus finis infinitus *& modus est, hominum non tenuisse modum. Quisquis te flere coëgit impetus, à vera longè pietate recessit; acquirisque fidem simulati fronte doloris.* Non aliter manifestè putans abscondere mentis gaudia, quàm factum damnando tuum veniamque negari posse tibi credens. Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui invenerit te, occidet te, & ita justo judicio occisor occisus liberaberis à miseria corporali. Tunc egressus Cain à facie Domini habitavit ad plagam Orientalem, & hanc arbitrantur fuisse primam mansionum divisionem. Cognovit autem Cain uxorem suam, & genuit Enoch, & fecit Cain civitatem ex nomine filii, nominans eam Enoch. Unde patet, multos homines jam natos, quos convocavit ad ædificandam civitatem. *Josephus* ait, quod Cain rapinis & violentiis opes congregans, suos ad latrocinia invitabat & simplicitate hominum ad mensurarum & ponderum inventionem permutavit. Terminos terræ primus posuit, civitates munivit, & timens quos lædebat, ob securitatem suos in urbibus collegit. *Tunc data libertas odiis, resolutaque legum frenis ira ruit; non uni cuncta dabantur, sed fecit sibi quisque nefas.* Enoch quoque quasdam literas invenit & quosdam libros conscripsit, ** sub quo Adam intelligitur mortuus.

XX. *De inventione Musicæ & multorum artificiorum.*

Septimus descendens ab Adam per Enoch fuit Lamech, primus bigamus, qui ex una uxore Ada vel Obda genuit Joabel, qui invenit tentoria pastorum, ad mittenda pascua. Hic primus greges ordinavit & characteribus distinxit, separans greges, ordinavit secundum genera sua greges ovium à gregibus caprarum, & secundum qualitatem, scilicet unius coloris à grege sparsi velleris, & secundum ætatem, ut agniculos à maturioribus. Hic quoque commissuras certis temporibus faciendas intellexit; & nomen fratris ejus Jubal, qui fuit pater cantantium in cithara & organo, non quod instrumenta ista invenerit, quæ longè post inventa fuerunt; sed inventor fuit Musicæ, hoc est, consonantiarum, ut labor pastoralis qvasi in delicias verteretur. Et quia audierat Adam prophetasse de duobus judiciis, ne periret ars inventa, scripsit eandem in duabus columnis, in qualibet totam: Unâ marmorea, altera lateritiâ, ut una non dilueretur diluvio, altera non periret incendio. Marmoream narrat *Josephus* adhuc esse in terra Syrica. Ad hæc Sella genuit Tubalcain, qui artem ferrariam invenit, res bellicas decenter exercuit, sculpturas operum in metallis in libidinem oculorum primus fabricavit, quô fabricante, Jubal, de quo dictum est, sonô malleorum delectatus ex ponderibus eorum proportiones & consonantias, quæ ex his nascuntur, excogitavit; quam inventionem Græci *Pythagoræ* fabulosè attribuunt. Sic ex opere fruticum excogitavit operari in metallis; cum enim frutices incendissent in pascuis, venæ metallorum fluxerunt in rivulos, & sublata lamina figuras locorum, in quibus jacuerant, referebant. Quia verò primas rerum causas, & eorum, quibus utimur, inventores scire delectabile videmus esse naturæ hominum libenter cuncta rimanti; breviter *inventores* diversorum operum *Imperiali vestræ Celsitudini* rememorabimus; ut non vaniloquis fabulis aures vestræ exponantur, sed rerum veritate licentius delectentur. *Methodius* igitur agens de quodam filio Noæ, de quo Moses non egit, sic ait: Centesimo anno tertiæ chiliadis, (hoc est tertii milliarii, à χίλια Græco, quod sonat mille, unde militem chilion dicunt à millenario, quia millenario numerô primò fuerunt milites designati, ut sunt *de testamento milit. L. 1. §. miles.* & χιλιάρχην, Dux militiæ.) Hoc, inquam, anno, natus est Noë filius, in similitudine ejus, & dixit eum Yonicum. Hic accepit à Deo donum sapientiæ, & invenit Astronomiam, ad quem veniens Nimrod gigas, eruditus est ab eo; frater autem Nimrod filius Chus, qui filius fuit Cham, filius Noë, qui cœpit primus potens esse in terrâ & robustus venator hominum coram Domino, id est extinctor & oppressor, amore dominandi; & cogebat homines ignem adorare. Unde super locum illum, ubi loquens Dominus ad Abraham ait: Ego sum, qui te eduxi de Ur Chaldæorum, legitur, quod Ebræi Ur vocant ignem. Inde fabulantur, quod Chaldæi ut ignem, per quem trajiciebant parvulos suos, projecerant Abraham & Aran, qui fuit primogenitus filius Tharæ, & frater Abrahæ & Nachor; projecerunt autem eos, quia nolebant ignem adorare, & Aran ibi exspiravit, Abraham autem auxilio divino liberatus est. Josephus tamen Ur nomen civitatis esse dicit Chaldæorum, in qua Aran sepultus fuit, ubi & sepultura ejus ostenditur. Sed filio Adæ natus est filius, qui dictus est Enos, quod sonat homo, vel vir, quasi fortis & rationalis, quia primus cœpit invocare nomen Domini. Fortè invenit verba deprecatoria primus ad invocandum Deum. Sed plerique Ebræorum arbitrantur, quod imagines ad honorem Dei excogitaverit & erraverit, non ipse Enos, sed alios errare fecerit, vel forte ad excitandam pigritiam, memoriæ effigiaverit Deum, sicut hodiè fit. Porrò Josephus loquens de Abraham sic ait: Primus præsumsit pronunciare Deum creatorem unum esse cunctorum, & opiniones, quas cæteri de Deo habebant, innovare & immutare prævaluit. Hæc autem conjiciebat per terræ passiones & maris, & per ea, quæ contingunt circa solem & lunam, & ex omnibus, quæ circa solem sunt & semper eveniunt. De eodem meminit Berosus Chaldæus, dicens: Post diluvium decimâ generatione fuit apud Chaldæos vir in cœlestibus rebus expertus. Tradunt etiam quidam, Abraham instituisse in astrorum peritia Zoroastrem, inventorem magicæ artis, qui Zoroaster aliô nomine Cham filius Noæ vocabatur, qui adhuc vivens in Bactria regnabat, quem Ninus, filius Beli, rex Assyriorum vicit. Hic autem Zoroastres septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit, septem æneis & septem lateritiis contra utrumque judicium. Ninus vero libros ejus combussit. Ad hæc Abraham, quia peritus erat in astris, instituit annum jubilæum, hoc est, quinquagesimum remissivum captivorum, cum rediret à cæde quatuor Regum, diciturque jubilæus à jobel, quod est remissio vel initium. Ob hoc autem institutus est quinquagesimus ille, quia tunc erat Loth, ut dicunt, quinquaginta annorum, vel quia tunc erat quinquagesimus annus, ex quo Dominus locutus est Abrahæ in via, vel ex quo egressus erat de Charan; vel quia, cùm esset peritus astrorum, noverat, quod intemperies,

quæ fuerat ex elementis vel depressis planetis semper usque ad quinquaginta annos ad temperiem redeat; & quod vidit fieri in astris, voluit imitari in terris. Decimarum præstatio cœpit ab Abraham, qui cùm rediret à cæde quatuor Regum, Kedorlaomor, Regis Elamitarum, Raphael Regis Sannaar, hoc est, Babylonis, Regis quoque Ponti & gentium, qui quinque Reges Sodomorum expugnaverant, eò quòd solitum tributum negarent, Regem Elamitarum & Loth captivum duxerant, occurrenti sibi Regi Salem vel Solymæ, quæ nunc est Jerusalem, Melchisedech, & offerenti sibi panem & vinum, hoc est secundum Josephum, multarum abundantiam rerum opportunarum, & super epulas benedicenti Deum, qui Abrahæ subdiderat inimicos; erat enim Melchisedech sacerdos Dei altissimi; tunc Abraham decimas dedit. Hunc sanè Melchisedech tradunt Ebræi fuisse Sem, filium Noe, & vixisse usque ad Isaac, & omnes primogenitos à Noe usque ad Aaron sacerdotes fuisse, qui in conviviis & oblationibus populo benedicebant, & habebant primogenita. Ex hinc, *felix semper Auguste*, doctrina tibi sumenda est de benedictione ante prandium danda à sacerdote, sicut ab ipso Domino nostro JEsu Christo, & *ad mensam benedictio*, & post mensam gratiarum actio cum hymno Deo facta commemoratur. Nec erit tibi prætereundum, quod quidam aviditate gulæ breviter benedictionem in principio transcurrunt, & brevius gratiarum actionem ex saturati ventris pigritia transfugiunt. Unde quid nostris temporibus intra fines vestri contigerit Imperii, recensendum arbitratus sum. Cùm enim in *monasterio S. Rufi apud Valentiam civitatem à sanctissimo Papa Adriano constructam* cellerarius ejusdem loci propter nimiam temporalium sollicitudinem ac instantiam, præ tractationibus, orationibus vacare non posset, post prandium gratias acturus psalmum: *Miserere mei, Deus*, in psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes* commutabat, ut exactis breviter versiculis negotiis domus expeditius vacaret. Hoc in usum deductô, peractis viæ suæ terminis, diem clausit extremum, & cùm aliquo die unus bonæ religionis confrater in ambitu solus horâ solitariâ deambularet, orationes jugiter in ore deportans ex insperato obvium sibi respexit cellerarium pridem antè defunctum; dato ergò verbo benedictionis, unde veniat? quò eat? quid agat? inquirit, & quid patiatur inter mortuos? sollicitius investigat. Ad hæc cellerarius, se post multas hostis antiqui calumnias spem salutis adeptum proponit; verum inter omnia & præ omnibus gravissimè torqueri se asserit, eò quòd seculum Deo postponens psalmum misericordiæ psalmo breviusculo postposuit, cùm maximè justis misericordia Domini semper sit inquirenda, quibus de venia magis agendum est, quàm de meritorum justitia. Requirens frater, si quod ei possit dari per confratres remedium, audivit illum, continuis confratrum vigiliis, eleemosynis & orationibus, maximeque Missarum sacrificiis posse post annum liberari. Tandem ex compacto inter se sibi pollicentur, quod si liberatus ad annum non fuerit cellerarius, iterum prædicto fratri, revoluto annô, apparebit, quid circa statum ejus adhuc ei sit necessarium, expositurus. His itaque condictis, disparuit, & confrater in capitulo fratrum rem exponens orationum & Missarum affluentiâ cellerarii animam post annum liberatam, ab omni pœnarum angustia exultantem iteratò invenit. Considerandum ergò nobis est, quantæ sit distinctionis justitia calculusque judicialis, quantæ miserationis dulcedo Domini miserentis, ut & offensam Dei timeamus incidere, & de misericordia Dei doceamur non desperare. De Melchisedech isto legimus, quod *Josephus* in fine libri sui ait: Potentissimus Cananæorum, qui linguâ patria justus Rex appellatus est, primus Deo sacrificium obtulit & fanum ædificavit & urbem, quam Hierosolymam dixit, cùm antè Solyma vocaretur & Salem à filio Salem Arphaxat. In ea, expulsis Cananæis longè post primus Judæorum Lesbius regnavit, qui fuit alio nomine Jebus. In diebus Sarug proavi Abrahæ Belus Nembrocides, Rex Babylonis, (quia fuit alter Belus, Rex Græciæ,) intravit Assyriam, sed parum obtinuit in ea, à quo etiam dictam dicunt Babyloniam, licet à Babel turre Nembrot alii Babyloniam vocatam scripserint, uti infra *in mappa mundi, decisione secunda*, duce Deo, trademus. Mortuo Belo, Ninus, filius ejus, totam Syriam obtinuit, & civitatem, in qua erat caput Regni, ampliavit itinere trium dierum, & à suo nomine Niniven dixit. Regnum ergò Assyriorum à Belo incepisse dicimus, ratione initii, anno quinto ratione ampliationis, sicut aliàs fundatio patronum ecclesiæ constituit, aliàs locupletatio, ut *16. q. ult.* A Nino orta sunt idola. Mortuo enim Belo, Ninus in solatium doloris imaginem patris sui construxit, cui tantam exhibuit reverentiam, ut quibuslibet reis ad ipsam confugientibus parceret. Proinde subditi regno ejus divinos honores imagini ejus cœperunt impendere. Hujus exemplo plurimi caris suis mortuis imagines dedicarunt, & sicut ab idolo Beli cæteri traxerunt occasionem, sic & ab ejus nomine generale nomen, Assyrii enim *Belum* dicunt, Babylonii *Bel*, Moabitæ *Beel*, Palæstina *Baal*, alii *Baalim* dixerunt, imò & nomina specificaverunt superaddentes, ut *Beelfegor*, hoc est *Deus tentiginis*, qui est *Priapus*, quem plurimi Deum hortorum nominant,

minant; quandoque *Balim*, qui est Deus Sodomorum, & sonat vir meus, id est, robur meum & caput. Quod autem *Beelzebub* dicitur, nullius idoli nomen erat, sed Judæi irrisoriè vicinum sibi idolum Achronitarum sic vocabant, & sonat vir muscarum, ob sordes immolatitii sanguinis, quem sequuntur muscæ, nec & * finalis littera d, vel l. vel u, vel b. *Syrophanes* primus fuit idololatra Ægyptiorum. Non erit omittendum, quod quidam dicunt *Salomonem* primum invenisse, quod in annulo quidam includunt spiritum immundum, per quem imperant aliis dæmoniis. Sed & apud Judæos erant exorcistæ, qui per exorcismos Salomonis dæmones ejiciebant, maximè si radix cujusdam herbæ poneretur in naribus obsessi. Ait enim *Josephus*, se vidisse quendam exorcistam captum & ad Vespasianum adductum, dum obsideret Hierusalem, qui annulum, sub cujus gemma radix erat, posuit in naribus cujusdam obsessi & adjuravit dæmonem, & egressus est dæmon. Ut autem probaret ejectum dæmonem, posuit pelvim aquâ plenam in medio, & adjuravit dæmonem, ut subverteret pelvim, & subvertit eam. Sed & *Cyprianus* quidam Carthaginiensis magus in pyxide reclusos habebat dæmones, & quando volebat, mittebat eos ad peragenda negotia sua. Quadam itaque die præcepit eis, ut adducerent ei S. Justinam virginem, quam diligebat, & non potuerunt, signaculo enim crucis se munierat. Quô compertô, magus statim factus est Christianus, & simul cum virgine fide Christi martyrium suscepit. Magos quoque mortuos suscitasse legimus, quibusdam characteribus sub utraque axilla: & loqui eos ac incedere faciunt, sed ut comedant, nequaquam efficere possunt, id quod soli Deo convenit. *Assur*, filius Sem filii Noë primus invenit purpuram & ungventa carnium & corporum. *Ericbthonius*, filius Vulcani, primus invenit currum, & *Troilus* primus quadrigam junxit. In diebus Assveri, qui & Artaxerxes, *Athenienses* viginti quatuor litteris uti cœperunt, cùm antè tantum quindecim usi fuissent. Illô tempore *Aristoteles* agens decimum octavum annum audivit *Platonem*, & *Diogenes* & *Isocrates* claruerunt. Tunc venenô interiere *Anaxagoras* Physicus & *Heraclitus* tenebrosus, & *Democritus* & *Socrates* Philosophi. Tempore Philadelphi regis Ægypti *argenteus nummus primus* in orbe figuratur. Temporibus Gideonis, de quo legitur in libro Judicum, *Mercurius* invenit syringas, trahens nomen à Syringa uxore Cadmi Armonica, quæ propter zelum Armoniæ à viro suo recesserat. Invenit quoque idem lyram hoc modo: reperit concham testudinis mortuæ ac putrefactæ, cujus nervuli arentes & extensi in ore conchæ ad auram tenuem sibilum reddebant. Quis autem fuerit iste Mercurius, dubitare licet; fuerunt enim tres secundum Josephum Mercurii: *Mercurius Hermes*, *Mercurius Trismegistus* Philosophus, & *Mercurius junior*. *Dædalus* eâ tempestate fecit *aves metallinas*, quas volare fecit artificiosè, spiritu incluso, dicitur etiam fecisse *simulacra se moventia*. Ipse primus omnium pedes statuarum à se divisit, qui anteà conjuncti fiebant. Tunc *Orpheus* clarus fuit, & *Minos* Cretensibus primus *legem* dedit, quod Plato negat. Tunc *hydra* multorum capitum claruit, quam callidissimum sophistam Plato asserit. Tempore Abimelech *thorus* (*) inventus est in Græcia, quod instrumentum dicitur Sancti ab pelle esse, cum duabus cicutis, & per alteram inspiratur, per alteram reddit sonum. Jair Galadites de tribu Manasses judicavit populum Israël 22 annis. Hic habuit triginta filios, quos fecit Principes triginta civitatum, quas vocavit nomine suo *Ajotjair*, id est, *oppida Jair*. Eô tempore *Carmentis* nympha *literas Latinas* invenit. *Salomon* primò disputavit de natura arborum & herbarum, à Cedro usque ad issopum, de natura quoque animantium omnium philosophatus est, per unumquodque genus, parabolas dicens. Excogitavit etiam *conjurationes*, quibus solent ægritudines mitigari, alias quoque, quibus dæmones ejicerentur, & alias, quibus obstructi non redirent. Anno post eversionem Trojæ quadringentesimô quartô decimo, Olympiade autem sexta, quæ quinto decimo anno quatuor in medio expletis apud Elidem, Græciæ civitatem, agone & ludis exercebatur, *Roma* urbs in Italia à Romulo & Remo geminis autoribus condita est, cujus regnum continuò Romulus parricidio imbuit, parilique successu crudelitatis sine mora raptas Sabinas improbis nuptiis confœderatas, maritorum & parentum cruore dotavit. Ex quibus è Consualibus ludis atrociter raptis pulcherrima virginum Thalamoni duci Romuli sorte data est, unde quia benè sibi cesserat, locus nuptiarum dictus est *thalamus*. *Romulus* primus milites instituit, qui sub Tatio, Rege Sabinorum, Romulo favebant, *Quirites* appellavit, centum senes elegit, quos *Patres* appellavit. Secundus à Romulo Rex Numa Pompilius hos senes *Senatores* appellavit. Hic primus Imperialem largitionem militibus dedit, Januarium & Februarium anno addidit. *Noë* primus *vineam* plantavit, id est, labruscas sylvestres ad culturam duxit. Cùm verò longè pòst percute-

(*) non bene legi potuit. Suspicio esse poterat ex ductu literarum, quasi esset lituus; sed duplex cicuta vel fistula magis tibiam utricularem indicat.

retur Ægyptus decem plagis, quidam Ægyptiorum timentes Ægyptum perituram egressi sunt: ut *Cecrops*, qui ingressus Græciam condidit Acten, quæ nunc *Athenæ*. Eâ tempestate egressus est *Dionysius Bacchus*, qui & Argos condidit & usum vineæ Græcis dedit. Sed à Noë asserunt primum altare erectum & esum carnium cœpisse, cùm post sacrificium Noæ egressi ab arca odoratus est Dominus odorem svavitatis, & benedixit eis Dominus: Crescite & multiplicamini, & sit terror vester super cuncta animantia terræ: quasi [diceret:] Olera virentia prius dederam in cibum, nunc trado vobis animantia, excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis, hoc est, animal suffocatum. Tempore Manassis *Glauchus* de Chio primus *ferri glutinum* intra se excogitavit. *Tullius Hostilius* primus in regno Romanorum *purpurá* & *fascibus* usus est. *Servius* nobilis captivæ filius primus Romanorum civium *census* instituit. Primus *Joseph* in Ægypto instituit *partiarios colonos*. Cùm enim fames in Ægypto invaluit, & pretium defecisset emtoribus, sustentavit eos Joseph anno illo per commutationem pecorum. Sequente anno cùm fames invalesceret, emit omnem terram Ægypti pro alimentis & subjecit eam servituti Pharaonis, præter terram sacerdotum, quam dederant eis Reges, quibus cibaria instituta debebantur ex horreis Principis. Circa vero finem sterilitatis ait Joseph ad populos: En vos & pecora vestra & terra in manu Pharaonis sunt. Ecce vobis reddo terram & pecora, & dabo semina, & coletis terram Regi, quintam partem dabitis Regi, quatuor partes permitto vobis in sementem & in cibos. Qui dixerunt: Salus nostra in manu tua est. Hic duo tibi, *Princeps sacratissime*, notanda sunt, quod boni Regis est populum servare, non dissipare; salvare, non perdere, parcere, non servituti jugoque immisericordi subjugare. Amandus enim est Rex propter misericordiam, timendus propter justitiam, horrendus propter acerbitatem & impietatem, hinc est illud Tiberii Cæsaris laudabile memorandumque responsum, cùm quibusdam Præsidibus augenda provinciis tributa svadentibus scripsit: boni pastoris est pecus tondere, non deglubere. Secundò tibi considerandum est, *felix Auguste*, quod gentiles & immundi suis sacerdotibus, quinimò deorum nefandorum execrabilibus ministris tempore famis ex horreis publicis stipendia dabant, cùm nostro tempore *Principes & milites vestri venerabilibus corporis Christi consecratoribus id solum dimittant, quod rapere nequeunt. Solâ vitâ sine libertate relictâ, altaribus corrosis unicum paupertatis habent solatium oblationes pauperum devorare, quia sine defensore facilè rapiuntur. Patronos se nominant ecclesiarum, qui prædones sunt, & autores nequitiarum, & in caput, Romani, totum hoc redundat imperii, cui committitur custodia altarium, ideoque quicquid à sibi subjectis multum delinquitur, ad pœnam perpetuam Principis reservatur.* Profectò multò consultiùs Romana respublica defensabatur, quando *electione, non successione* obtinebatur imperium, & quarumlibet provinciarum rectores temporali regnantes officio castigatius agebant, quia commissam potestatem de facili occasione amittere formidabant. Nunc autem immaturos infantulos, inconstantes, truces, impios & omnis levitatis autores *paterna* vocat ad dominationem *successio*, nec ex Dei munere regnare se credunt, sed ex naturæ debito. Satius igitur erat maturum & approbatum erigere, quàm sub puerilibus actibus senes & inveteratos contemtibiliter tabescere. *Tarquinius Superbus* genera tormentorum excogitavit, vincula, tauros, fustes, id est, flagella de corrigiis, laminas, carceres & pedes, catenas ac metalla. Romæ post exactos Reges sub Bruto, primo Consule, *milliaria terminis lapidum* distingvuntur, & tunc protendebatur imperium tantùm ad quindecim milliaria. Ante annos urbis conditæ CCC. Ninus, Rex Assyriorum, sævus bellator cruentam vitam quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit. Huic mortuo *Semiramis* uxor successit, virum animo, fœminam habitu gerens, hæc libidine ardens & sanguinem sitiens, inter incessabilia stupra & homicidia, cùm eos, quos Regiæ accersitos meretricio satiatos concubitu oblectasset, occideret, tandem filio flagitiosè concepto, impiè exposito, incestè cognitò, privatam ignominiam publico scelere obtexit; præcepit enim, ut inter parentes & filios nulla naturæ delata reverentia de conjugiis expetendis, ut cuique libitum esset, liberum fieret. Hæc prima omnium *braccas* ad contegendam verendorum verecundiam invenit. Anno ante urbem conditam 64 novissimus apud Assyrios regnavit *Sardanapalus*, vir muliere corruptior, qui inter scortorum greges fœmineò habitu purpuram colò tractans à præfecto suo Arbace, qui tunc Medis præerat, visus atque execrationi habitus, mox etiam excitis Medorum populis, ad bellum provocatus & victus ardenti pyræ se injecit. Hic primus *pulvinaria* invenit. *Prometheus* frater Atlantis invenit primus *annulum ferreum*, & inclusit in eo gemmam, *ungulum* eum nominans, quia sicut unguis carne, sic gemma metallô circumdatur. Tradidit etiam in quarto digito ponendum propter venam cordis, quæ digitum illum premit, ad rememorandam cujusvis ex contactu amicitiam. Tempore Cyri, Regis Persarum *Phalaris* Siculus Agrigentinos, arreptâ tyrannide,

nide, populabatur, qui crudelis mente, commentis crudelior, omnia nefariè in innocentes agens, invenit aliquando, quem justè puniret injustus. Nam puer illius quidam erat opifex affectans tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati ipsius ratus taurum æneum fecit, cui faber è latere januam composuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret, ut cùm inclusus ibidem subjectis ignibus combureretur, sonum vocis extortæ capacitas æris concavi augeret, pulsuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque spectaculo, mugitus pecudis, non hominis gemitus videretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem execratus, & ultioni materiam præbuit & crudelitati, nam ipsum opificem suâ inventione punivit. Sub Melchisedech Abimelech Rex Geraræ, quæ est post vallem Mamre, ad terram Australem inter Kades, unde fluxerunt aquæ contradictionis, cùm rapuisset Saram, correptus à Domino, dixit Saræ: Ecce dedi fratri tuo pro te mille argenteos, hoc erit tibi in velamen oculorum coram hominibus, qui tecum sunt, id est, ad pepla emenda, ne ameris. Et hinc *pepla* dicunt originem habuisse, quasi ad velanda capita & facies operiendas. *Mensas* ad usum prandentium primus *Dædalus* instituit. *Memphin*, civitatem Ægypti *Epaphus* Jovis filius ædificavit, ubi *chartarum* usus inventus est primus, ubi & Mathematici optimi extiterunt. Q litteram Latini primi invenerunt, Græcis loco q. c. scribentibus. Y literam Pythagoras invenit, ad exemplum humanæ vitæ, cujus prior virgula primam significat ætatem incertam. Bivium, quod superest, ab adolescentia incipit, cujus dextera pars ardua, sed ad beatam vitam tendit. Sinistra facilior à luce ad interitum ducens. In Insulâ Samo in Ægeo mari sita fictilia vasa reperta fuerunt, de qua fuerunt *Sibylla* & *Pythagoras*. In insulis Balearibus inventæ sunt *fundæ* & *ballistæ*. *Æsculapius*, Apollinis filius *Medicinæ artem* laude & opere ampliavit. *Esculus* arbor glandifera per e scribitur, dicta ab esu, quod ex ea prius escam sumserunt homines. Stercorandi agri rationem quidam nomine *Stercutius* primus induxit, hunc quidam *Saturnum* putaverunt, ut magnam illi nobilitatem facerent; stercorare enim est cum lætamine aspergere, vel quod melius est, asternere, qui & Stercutius dictus est. *In epistola Petri Alexandrini de imagine Salvatoris* legitur, quod omnes synagogæ in ecclesias consecratæ fuerunt, ibique mos inolevit, ut Pontifices catholicæ fidei basilicas & oratoria dedicarent & altaria consecrarent in venerationem Domini Salvatoris. In diebus Othoniel, Judicis Israël *Cadmus* regnavit Thebis, ex cujus filia Semele natus est *Dionysius, Liber pater*. Tunc *Bithynia* condita est à *Phœnice*, qui Phœnicibus quasdam literas tradidit & ad scribendum *vermiculum*(*) *colorem* instituit, unde & color ille *Phœniceus* dictus est, qui posteà, literâ mutatâ, *Puniceus* dicitur, ut ait *Nicolaus Damascenus*. *Abraham* veniens advena cum exercitu de terra, quæ super Babylonem est, & dicitur Chaldæorum, regnavit in Damasco, factâque fame magnâ in terra, descendit in Ægyptum, & à Pharaone, Rege Ægypti, deductus *arithmeticam*, & *quæ de astrologia sunt*, Ægyptiis tradidit, ante eis incognita, à quibus postea pervenerunt ad Græcos. Unde & Moses, quia in Ægypto nutritus, peritus dicitur omni scientiâ Ægyptiorum. Tempore Abrahæ jam ita processerat libido dominandi, quod unaquæque civitas suum Regulum habebat, quorum plurimi alicui majori serviebant, tandem omnes uni monarchæ subditi fuerunt. Ab angelo primum nomen prædictum fuit Ismaëlis, cùm aufugit Agar à facie Saræ. Sunt autem in V. T. quatuor ab angelo prænunciati: *Ismaël*, *Isaac*, *Samson* & *Josias*, &, ut quidam tradunt, etiam *Jeremias*. In N. T. duo tantùm, *Christus*, qui & *JEsus*, & *Johannes*. *Samuel* primus instituit *conventus religiosorum jugiter psallentium Domino*, & dicebatur domus conventûs eorum *cuneus*, quasi *conneus*, (**) & dicebantur *prophetare*, hoc est, Dominum laudare jugiter, & fortè aliqui ex eis quandoque prophetabant, unde & Saul inter eos prophetasse dicitur. Abraham primus circumcidit se & familiam suam, & tunc mutatur nomen *Abram*, quasi *Abaram*, hoc est, *pater excelsus* in *Abraham*, quod audit, *pater multarum*, subaudi *gentium*, hinc sumunt Judæi, quod in circumcisione imponunt nomina, & Christiani in signo crucis, quod est baptismus. *Eusebius* ait, primo omnium prophetarum Abrahæ Verbum Dei, cùm in figura apparuisset humana, vocationem gentium pollicetur, & apparuit ei Filius, quem & adoravit. Verùm, quia nusquam legitur, patrem apparuisse in substantia creata, dicunt doctores, quod duo angeli apparuerunt in designatione duorum præconum Mosis & Heliæ, quorum alter primum prævenit adventum, alter præveniet secundum. Tertius verò filius Dei fuit, quem adoravit, & ita tunc primò verbum Dei in carne apparuit, sicut Octaviano beata virgo cùm filio apparuit, ut infra *decisione 2. c. de imperio Romano*. De Abraham legitur, quod crevit Isaac & trimus ablactatus est, & fecit pater grande convivium de illo, quia, ut tradunt, illo die primò accessit filius ad mensam patris, cùm hodiè à plerisque militibus tempus hoc non expe-

(*) Gallis *vermeil*. (**) forte, Connaus, id est commune templum.

expectetur, & forte tunc major erat trimus, quàm modo sit septennis; mundus enim senescit & deficit. In Rebecca primò incepit, ut sponsæ consensus in nuptiis loquendo requiratur, illic enim voluntas ejus à Nahor & matre puellæ etiam consensus requisitus est. Esau veniens ab agro lassus, parvipendens primogenita sua, vendidit ea Jacob pro edulio lentis, & juravit se talem venditionem ratum habiturum. Hinc est, quod provinciales omnes contractus indistinctè sacramento corporaliter præstito firmant, & maximè *propter legem Frederici*, quæ sancit, sacramenta puberum spontè facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter observari. Erat autem primogenito vestis specialis, quâ induebatur in sacrificiis tantùm offerendis, & recepturus finalem benedictionem à patre; & in diebus solennibus convivia benedicebat, & in his duplam ciborum portionem capiebat. Sed & tradunt, quòd in divisione hæreditatis duplum recipiebat, quod apparet in divisione filiorum Noæ. Tempore Isaac *Phoroneus* filius Inachi & Niobes primus *Græcis* dedit *leges*, & sub judice causas agi instituit, locum judiciorum *forum* nominans. Cujus soror *Isis* in Ægyptum navigans quosdam *literarum apices* Ægyptiis dedit. De *agricultura* etiam eos multa docuit, unde cùm prius *Io* diceretur, *Isis* ab eis dicta est, quod in eorum lingva *terram* sonat, ideoque post mortem in numero Deorum recepta est: filius etiam Phoronei, *Apis* dictus, in Ægyptum navigavit, quem alii virum Isidis fuisse tradunt: & similiter ab Ægyptiis deificatus est, & *Serapis* nominatus. Tempore Jacob apud lacum Traconitidis virgo apparuit, quam Græci *nympham* dixerunt. Hæc plures artes adinvenit, & maximè lanificium. Eadem dicta est *Palias* à Pallene insula Thraciæ, in qua nutrita est, vel à Pallante gigante, quem interfecit. Videns Pharao dolos sibi nihil posse prodesse, præcepit omne masculinum Israël in pueritia in flumen projici; pro quo peccato creditur Deus Ægyptios in hunc errorem tradidisse, ut Apim pro Deo colerent. Erat autem Apis, ut ait Plinius, qui & testatur, se eum vidisse, quidam taurus, qui ex improviso egrediebatur de flumine, habens in humero dextro signum candidum ad instar lunæ corniculatæ. Ad hunc statim confluentes Ægyptii omni genere Musicæ psallebant, & ipse levabatur in aëre super eos & tanquam saliens ferebatur, ad cujus motum populus stabat aut saltabat, & eodem die taurus evanescebat. Dicunt tamen quidam, quod in festo Serapis annuatim emergebat; unde & ipsum Serapin, hoc est Api consecratum autumant vocatum. Alii tantùm post decennium apparere dicunt, alii tantùm tempore Justi sacerdotis Heliopolios, tempore Injusti non, ut quasi divinitus justitia judicaretur sacerdotum. Peccatum ergò fluminis punivit Deus in errore fluminis, & pro morte primogenitorum Ægypti voluit, ut sacrificarentur sibi primogenita Israelitici populi, ut omne mas adaperiens vulvam &c. Et attendendum, quod Ægyptii adorabant taurum in honore Apis, vaccam pro Iside, ovem pro Ammone, cujus imago erat in corona Pharaonis, quam fregit Moses. Cùm timuissent intrare mare rubrum Ruben, Simeon & Levi, Judas primus aggressus est iter post Mosen, unde & ex eo regnum promeruit. Canticum Mosis quia prius ceteris legitur, *canticum* dicitur *canticorum*, quod cum tympanis & instrumentis musicis septem continuis diebus cantabant filii Israël, singulis diebus ad littus accedentes, viri seorsum, & mulieres seorsum; ad cujus memoriam *paschali hebdomada tantùm redimus ad fontes.* Tradunt quidam, quod formatio corporis animalis in utero matris ab humero dextro inchoatur, unde in lege dicebatur armus dexter separationis, quia in separatione membrorum hostiæ primus ab ea separabatur, & quia in partem sacerdotum eum separavit Moses ut digniorem. *Ablativus casus* à Latinis primò est inventus, ideoque ultimus ponitur, & eo Græci carent, pro quo genitivo utuntur. *Alea lusoria*, ab Aleo lusore dicta, qui eam primus invenit apud Belgium civitatem Galliæ, à quo *Gallia Belgica* dicitur.

XXI. De Seth, & ejus generatione Strabonis autoritate.

MOrtuò Abel & profugo facto Cain, Adam cognovit uxorem suam, quæ peperit ei filium, & vocavit eum *Seth.* Dicit *Strabus* post mortem Abel vovisse Adam, non ultra suam se cogniturum uxorem, sed, Deo jubente per angelum, fregit votum, ut Dei filius ex eo nasceretur. Verùm Joseph dicit, Abel occiso & Cain fugiente, Adam de procuratione filiorum cogitasse, quia vehementer eum generationis amor angebat. Hanc igitur generandi voluntatem & propagationis amorem potuit *Strabus* dicere præceptum Domini, dum in mente concipiebat illud sibi pridem factum Domini præceptum: Crescite & multiplicamini, sicut ergò votum fuit in mente conceptum, ita voluntas contraria ad propagandum in mente concipitur; nec tamen reus voti judicatur Adam, cùm genuit Seth, ex cujus semine nascitura erat mater, quæ voti hujus propositi virginalis in mente concepti conscia

Chri-

Christum esset paritura. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, hoc est, me cogniturum non esse proposui. Habebat ista privati cordis secreta cogitatio tacitam in se conditionem, nisi Deus mihi aliter revelaverit. Habebat & illa Adæ privata devotio primordialis mandati corde impressam conditionem, & quia Deus quasi calamo scribæ velociter scribentis legem naturalem in ejus mente araverat, deliberationem secreti propositi secretâ revelatione melioris arbitrii commutavit in amorem propagandi. Non ergò ex fracto voto Adæ nascitur Christus Dei filius, verum ex transgressione sancti propositi, de Maria nascitur DEI filius. Quia & hic sine coitu, ut in mente conceperat, prodiit conceptus, & ibi secreta correptione spiritus contristati nascitur Seth, non patris frangens votum, sed animum, non enim est pater increpandus de transgressione voti, qui in mente tranquillata tenuit vim divini præcepti.

XXII. De Enos & Methusalem.

Cum ergò Adam tres filios genuerit, Abel sine semine mortuo, Cain in semine multiplicato sed profugo, Seth in vera patris successione genuit (ad mundi successivam sementem) Enos, & hic Kenaan, & hic Malaleel, & hic Jared, & hic Enoch, & hic Methusalem, & hic Noë. Septimus ergò in generatione Adæ per Cain descendens Lamech pessimus fuit, septimus in generatione Adæ per Seth, optimus fuit Enoch, quia transtulit illum Dominus in paradisum voluptatis ad tempus, ut cum Elia convertat corda patrum in filios. Sanè de annis Mathusalæ plures inter se plurima controvertunt, dicentibus septuaginta, ipsum quatuordecim annis vixisse post diluvium, cùm nec translatus legatur ut Enoch, nec in arca fuisse, ut Noë. Dicunt alii, ipsum sex annis mortuum ante diluvium. *Hieronymus* eodem anno eum mortuum affirmat, quô factum fuit diluvium, hoc idem attestante numero in libro Genesis assignato. Omnes tamen asserunt, Mathusalem vixisse annis nongentis sexaginta novem.

XXIII. De causa diluvii.

Porrò Noë decimus ab Adam, in quo prima ætas terminata est, cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham & Japhet. Moses dicturus de diluvio, præmisit causam diluvii, ita inquiens: Cùm cœpissent homines multiplicari super terram, viderunt filii Dei, hoc est, filii Seth religiosi filias hominum de stirpe Cain, & victi concupiscentia acceperunt eas uxores, & nati sunt ab eis gigantes. Utrum verò sub Noë, vel ante Noë multum vel modicum id factum fuerit, non determinat legislator. *Josephus* tamen dicit, usque ad septimam generationem permansisse filios Seth, post ad mala progressos, recedentes à solennitatibus suis, & ob hoc contra se Deum irritasse; nam multi angeli DEI cum mulieribus coëuntes injuriosos filios genuerunt, qui propter confidentiam fortitudinis à Græcis *gigantes* dicti sunt. *Methodius* causam diluvii diffusius executus, dicit, quingentesimo anno primæ chiliadis filios Caini abusos uxoribus fratrum suorum nimiis fornicationibus. Sexcentesimo mulieres in vesaniam versæ supergressæ viris abutebantur. Mortuô Adam, Seth separavit cognationem suam à cognatione Cain, qui redierat ad natale solùm, nam & pater vivens prohibuerat, ne miscerentur. Et habitavit Seth in quodam monte proximo paradiso; Cain autem habitavit in campo Damasceno, ubi fratrem occiderat, in qua regione plasmatus fuit Adam. Quingentesimô anno chiliadis secundæ exarserunt homines in alterutrum coeuntes. Septingentesimo anno filii Seth cupierunt filias Cain, & nati sunt gigantes; & inceptâ chiliade tertiâ, inundavit diluvium, sicut ordinavit *Methodius*. Potuit esse etiam, ut incubi dæmones gignerent gigantes, à magnitudine corporum sic dictos, à γῆς, quod est terra. Sed immanitati corporum respondebat immanitas animorum. Sunt tamen & post diluvium nati alii gigantes in Ebro, & pòst fuerunt in Thane civitate Ægypti, qui dicti sunt Titanes, de quorum stirpe fuit Enachim, cujus filii habitaverunt in Ebron, de quibus ortus est Goliath & quidam alii. Sed in *historia Britonum, ex quibus per matrem, venerande Princeps, originem ducis*, legitur, quod *Brutus*, filius Sylvii, quem Ascanius ex filia Latini Lavinia genuerat, cùm in puerperio matrem neptem Laviniæ, in venatu Sylvium patrem peremisset, ideoque profugus in Græcia, auxilio Assaraci progeniem Heleni filii Priami servituti Pandali Regis Græcorum addictam à Pyrrho, Achillis filio in captivitatem ductam, potentia virtutis suæ liberasset, Hinoge filiâ Prandasi in conjugium ductâ, Leogræciâ, Græcorum insulâ transactâ, responsoque in somnis per Dianam accepto, triginta dierum cursu enavigato, Africâ subductâ, ad aras Philistinorum

& lacum ſalinarum inter Ruſſiadam, & montes Azan, flumine Malve tranſitô, Mauritaniâ decurſâ, columnis Herculis exactis ad Tyrrhenum æquor pervenit, ubi Corineum ducem cum quatuor generationibus exulum Trojæ, qui Antenoris fugam comitati fuerant, reperit. Hunc in ſocium auxiliariumque evocans, devictô *Goffario Aquitanorum Rege*, *Conſuleque Svardo*, bipenne Corinei transverberato, mari Britannico enavigato Albion inſulam ingreditur, quæ prius a Bruto *Britannia* major nuncupatur, ad differentiam minoris, quæ ad tempus fuerat, velut fugientis Bruti aſylum; majore Britannia poſtmodum in regnum perpetuum deductâ. Diſtributione itaque dicta factâ terrarum, ceſſit in partem Corinei *Cornubia*, quæ vel à cornu Britanniæ, vel ab ipſo Duce Corineo Cornubia nuncupatur. Corineus in hac Britanniarum parte gigantes reperit, quos ſolos inſulæ habitatores fuiſſe ad tunc legimus. Delectabatur Corineus contra gigantes ſingulariter dimicare, quos potenter, ut pueros, facilius opprimebat vir modeſtus ac tenuis, virtutis incomparabilis ac audaciæ inexceſſæ. Inter ceteros gigantes erat inibi Gog Magog, deteſtabilis ſtaturæ, XII. cubitorum, tantæ virtutis exiſtens, quod quercum ſemel excuſſam velut virgulam coryli evellebat. Hunc ſingulari certamine Corineus aggreditur, & licet ei duas coſtas ex latere dextro & unam ex ſiniſtro gigas conſtringendo fregiſſet, ſuccenſus tamen irâ Corineus impoſitam humeris ſarcinam de rupe vicina currendo dejecit, unde & locus usque in hodiernum diem ſaltus *Gog Magog* nominatur. Ad giganteam fortitudinem Samſon accedit. Ad ultimos quoque vitæ hujus dies *Carolus* giganteis viribus non immeritò comparatur, de quo ſcribit *Turpinus in geſtis ejus*, quod octo pedes longiſſimos ſuos haberet in longitudine, facies ejus unius palmi & dimidii, frons unius pedis, oculi ſimiles oculis leonis, ſcintillantes ut carbunculus. Supercilia oculorum dimidium palmum habebant. Cingulum octo palmos in ſuccinctorio, præter ligulas. Militem armatum cum equo ſolo ictu unico à vertice capitis usque ad baſſos ſeparabat. Quatuor ſerros equinos leviter extendebat: militem armatum erectè ſtantem ſuper palmam ſolâ manu à terra usque ad caput ſuum facilè levabat. Nos quoque vidimus *ſepulchrum Iſoreti in ſuburbio Pariſienſi* viginti pedes in longum habens, præter cervicem & caput, quem *S. Guillelmus* peremit. *Ferracutum* quoque, quem apud Vageram *Rolandus*, ipſo locum ſuæ mortis prodente, devicit, de genere Goliæ legimus è Syria miſſum in Hiſpaniam, qui cùm ob ferrea arma nec ligna nec lapides timeret, virtutem quadraginta fortium habens, ſtaturam habebat quaſi cubitorum viginti, faciem unius cubiti, naſum unius palmi, brachia & tibias quatuor cubitorum, digitos ternorum palmorum. Legitur etiam in *hiſtoria Britonum*, quod *Aurelius Ambroſius Fruncher*, *pater Arturi & filius Conſtantini*, *fratris Andrecani*, *Regis Armoricæ*, hoc eſt, Britanniæ minoris, volens *Conſules* ac Principes Romanos in Britanniam ſecum advectos, ab *Engiſto*, *Duce Saxonum*, per proditionem enecatos condignâ tantis viris ſepulturâ honorare, fecit à *Merlino propheta Britonum*, afferri lapides myſticos ad diverſa medicamenta ſalubres à gigantibus olim in *Childardum* montem Hiberniæ à terræ finibus advectos, ut inter eos balnea conſtruerent ſuis infirmitatibus profutura. Lavabant namque lapides & intra balnea diffundebant, ſicque ægroti ſanabantur. Nec eſt in eis lapis ſine medicamento. Hos, inquam, lapides ad montem *Ambrun juxta Saliſberiam* in majore Britannia mirô Merlinus artificio compoſuit, ingenii ſui effectum ad perpetuam relinquens hominum admirationem: nam usque in hodiernum diem chorea dicitur illic eſſe gigantium, in qua ſepultus eſt & ipſe Aurelius Ambroſius occultâ potatione veneni interemtus. Porro de Og Rege Baſan legimus, quod fuit de ſtirpe gigantium, & monſtrabatur lectus ejus ferreus in Rabath filiorum Ammon, novem habens cubitos longitudinis & quatuor latitudinis.

XXIV. De diluvio, arca & iri.

IRatus Dominus peccatis hominum, quæ ſuperiore capitulo memoravimus, dixit: pœnitet me feciſſe hominem, quaſi delebo, ſicut homo pœnitens ſolet opus delere, quod fecerat. Non enim permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Quaſi diceret: Non puniam eum æternaliter ut diabolum, quia fragilis eſt, ſed hoc reddam, quod meretur, & tamen, priusquam diſperdam eum, dabo illi tempus pœnitudinis, ſi voluerit, eruntque dies illius ad pœnitentiam 120 annorum; non quod iſte ſit terminus humanæ vitæ poſt diluvium, cùm multi quotidie 120 annos ſupergrediantur, ſed quia centum annis ædificata ſit arca, aut, ſecundum *Strabum*, eô anno dixit, quô cœpit arca fieri: ſed quia in malitia perſeverabant, ante præfixum terminum, ſcilicet centeſimo anno, deleti ſunt. Vel arbitror, numerum hunc terminum fuiſſe pœnitentiæ humanæ, non vitæ, ſicut in pſalmo numerus octogenarius terminus fuit pœnitentiæ, non vitæ, cùm dicitur: ſunt autem in potentatibus octo-

octoginta anni, & amplius eorum dolor & labor. Sequitur, quod ait Dominus: Finis universæ carnis venit coram me, præter illos, quos in arca salvabo, & disperdam illos cum terra, hoc est, auferam cum eis fertilitatem terræ; ferunt enim vigorem terræ ac fœcunditatem longè inferiorem esse post diluvium. Unde usus vel esus carnium hominibus concessus est post diluvium, cùm anteà fructibus terræ victitarent. Sed & ait Augustinus, nondum animalia carnibus usa esse, sicut nec homines utebantur carnibus ante diluvium. Porrò arca ad modum corporis humani facta fuit, & ad exemplum spiritualis imperii seu terreni. Cùm enim longitudo fuit trecentorum cubitorum, altitudo triginta, quinquaginta verò latitudo, ad instar corporis humani facta fuit, cujus longitudo sexies major est latitudine, & decies major altitudine; est enim longitudo à planta pedis usque ad verticem capitis, latitudo à crate lateris ad cratem, altitudo à dorso ad ventrem. Quod tamen quidam volunt jam tùm dictum de corpore Christi, cujus dimensionem *Isidorus* describit. Fuit igitur arca in fundamento quadrata, sed in forma alterâ parte longiore, ab angulis in arctum conscendens, donec in cubito summitas ejus perficiatur. Arca hæc ad imaginem ecclesiæ pertinet, cujus Noë proregem & dominum Papam significat, in qua ut in arca recolliguntur animalia munda & immunda, dum in eadem orationis domo regenerati per aquam & spiritum sanctum quidam sunt boni, quidam mali, quidam electi, quidam reprobi, quidam in vasa contumeliæ, aliqui in vasa honoris transsumti. Arca bituminata, Ecclesia indissolubili fidei constantia glutinata est, quæ bicamerata est & tricamerata, quasi per cœnacula, & tristega (***) Dum intromitteret mites & immites, fortes & debiles: quædam sunt inter apothecas opportuna ecclesiarum membra, quædam ad sentinam stercoraria **** Nec enim mirandum, si uno columbæ cibario per os transsumto intestina nutriuntur, ut decoquant ******** exteriora calescunt, ut proficiant ex eodem cibo in uno vase conglutinato. Delicatiora transsumuntur, ut nutriant; viliora, ut sentinam impleant. Sic & *in domo Imperiali* quidam nobiliora tractant ministeria, quidam viliora projiciunt; dum nobiles frusta percipiunt, viliores extra discerpunt. Et cùm ad imaginem & similitudinem sui creavit Deus hominem conformitate rationis, non dimensione quantitatis; voluit tamen ut in Imperatore sit ratio discernens, ut dominetur; & corporis pars sincerior, ut gloriam capiat, & abjectior, ne superbiat. Porrò arca cubitis erat mensurata geometricis, sex vel novem nostris. Continet enim, ut ait *Rabanus noster*, pedem, continet & dimidium, qualis in arca fœderis esse describitur, cujus longitudo duos cubitos habebat & semissem, latitudo cubitum & semissem, altitudo similiter cubitum & dimidium. Quod autem fuerit cubitus communis & non geometricus, apparet in altari Lateranensi infra, quod dicitur arca, contineri. Dicit etiam *Josephus* cubitum vocari in arca fœderis duos palmos; enimverò in arcam Noë, de qua nobis agendum est, ingressa sunt animantia immunda bina, hoc est combinata, quasi masculus & fœmina, secundum genus suum; de mundis verò septena. Immunda sanè vocavit Moses, quæ lex immunda vocat, vel tunc dicebantur immunda, quia esui hominum tunc non erant apta; naturaliter enim non erant concessa. Sive autem munda sive immunda, tantùm generantia ingressa sunt, quod patet ex eo, quod additur, secundum genus suum, vel ex genere suo. Ingresso ergò Noë in arcam, nupti sunt fontes abyssi, hoc est, aqua quæ est in visceribus terræ, & cataractæ cœli, id est nubes, quasi fenestræ cœli. Cataractæ enim propriè sunt meatus Nili, cum in septem ostia separatur, vel decidua, in quibus decidit, quæ cataduppa vocantur, quæ tantum murmur in cadendo faciunt, quod aures nascentium ibi obsurduerunt. Adversum * quoque, quibus meatus aquarum initiales cataractæ dicuntur, & super eos montes, qui nunc sunt, quia tunc terram dicunt in planitie factam, excrevit aqua altior quindecim cubitis, ut ablueret sordes aëris usque quò ascenderant opera hominum, usque ad eundem locum ascendet ignis judicii ob aëris purgationem. Vel si tunc forte erant montes, potuit vapor sacrificiorum & ignis tantum ascendisse, & aëra tantum maculasse.

Mense secundo, septima & vicesimâ die mensis dixit DEus ad Noë: Egredere de arca tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum. Conjunctim jubentur exire, qui disjunctim intraverunt; tunc enim dixit DEus ad Noë: Ingredieris in arcam tu & filii tui & uxor tua & uxores filiorum tuorum. Ac si diceret: Tempore afflictionis vacandum est ab amplexibus, tempore verò egressionis à pœnitentia & spiritu contribulato tunc redit tempus amplexuum. Unde mox subjunxit illud originale mandatum: Crescite & multiplicamini. Huic quoque consonat apostolus, cùm ait, ut vir & uxor ad tempus carnali invicem fraudarentur

(***) ita vox, in Manuscriptis nostris non legenda, suppleta est ex Codice Bibliothecæ Regis Galliæ, unde, opinor, hunc locum citat Ducangius in magno opere Glossarii Latini, v. bicameratus.

rentur debito, ut vacent orationi. Quia verò maximè timebat Noë, ne Dominus iterum aquas diluvii immitteret super terram, Noë quotidiè, ut ait *Josephus*, orante, ne id fieret, pepigit ei pactum Dominus, quòd ultra non faceret diluvium, & in signum fœderis hujus posuit arcum suum in nubibus, & est signum duorum judiciorum: judicii per aquam præteriti, ut non timeatur: Judicii per ignem futuri, ut expectetur, inde est, quod duos habet colores, cœruleum, qui est aqueus, & est exterior, quia præteriit: rubeum, qui est igneus, & est interior, quia venturus est ignis. Unde tradunt sancti quadraginta annis ante judicium verè appariturum arcum cœli, quod etiam naturaliter ostendet aëris deficcationem jam cœptam.

SECUNDA DECISIO.

I. De divisione filiorum Noæ, & divisione quatuor regnorum.

Sicut suprà meminimus, Noë genuit Sem, Cham & Japhet. Verùm Moses post diluvium generationes Noæ computans incipit à Japhet minore, ut ultimò ponatur Sem, cujus successionem texere intendit. Texuntur autem ex his septuaginta duæ generationes: quindecim de Japhet, de Cham viginti septem, de Sem triginta. Hi tres disseminati in tribus partibus orbis. *Secundum Alcuinum* Sem Asiam, Cham Africam, Japhet Europam sortitus est. Vel *secundum Josephum* expressius dicitur: Filii Japhet tenuerunt septentrionalem regionem à Tauro & Amano, montibus Ciliciæ & Syriæ usque ad fluvium Tanaim; in Europa verò usque ad Gades. Filii verò Cham à provincia Syria & Amano & Libano montibus cunctas terras obtinuerunt, quæcunque ad mare sunt positæ: apprehendentes etiam eas, quæ usque ad Oceanum sunt, & proprias facientes appellationes. Filii verò Sem usque ad Oceanum seorsum habitant Asiam, ab Euphrate facientes initium. Sem ergò benedictus & primogenitus ampliorem partem & meliorem obtinuit. Porrò *Methodius* de quodam filio Noæ, de quo non egit Moses, sic ait: Centesimo anno tertiæ chiliadis natus est Noæ filius ad similitudinem ejus, & dixit eum *Jonicum*. Trecentesimo anno dedit Noæ donationes filio suo Jonico, & dimisit eum in terram *Etham*, & intravit eam Jonicus usque ad mare, quod dicitur Helichora, quod est solis regio. Hic accepit donum sapientiæ à Domino & invenit Astronomiam, ad quem venit Nimbrot gigas, & eruditus est ab eo, & accepit ab eo consilium, in quibus regnare cœpisset. Jonicus iste futuros quosdam eventus prævidit,

dit, & maximè de ortu quatuor regnorum & occasu eorum per successionem, & prædixit discipulo suo Nimbrot, de quo *Belus* descendit Nembrotides, rex Babylonis, à quo regnum Babyloniæ. Pòst de Sem Medi & Persæ & Græci, à quibus regnum Medorum, Macedonicum sive Græcorum, post quod Africanum. Ultimùm de Japhet Romani prodeunt, velut Græcorum & Latinorum seminaria. Narrat autem *Josephus in libro quæstionum super genesin*, quod ex tribus filiis Noæ, adhuc ipso vivente, nati sunt viginti quatuor millia virorum & centum, extra mulieres & parvulos. De his sanè regnis successivis prophetavit Daniel, cùm somnium Nabuchodonosor exponens dixit: Videbas coram te statuam grandem & terribilem, cujus & columna erat ex auro, pectus & brachia de argento, venter & femora æreæ, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis, & abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, & contrivit eam, & redacta est in favillam, quæ vento rapitur, & non est inventus locus ejus. Lapis autem factus est mons magnus, & implevit totam terram. Nunc audi, Rex, interpretationem ejus: Tu es caput aureum cum his, qui succedunt tibi. Et post hoc consurget regnum aliud minus te, quod intelligendum est de regno Medorum & Persarum, tanquam per duo brachia, per quæ dejectum est regnum Babylonis. Tertium erat æneum, quod imperabat terræ universæ, quod intelligendum est de regno Græcorum, quod vocalius fuit ceteris vel propter eloquentiam Græcorum, vel propter famam Alexandri. Quartùm regnum erit ferreum, quia sicut domat omnia metalla, sic illud regnum conteret omnia, quod intelligendum est de imperio Romanorum. Porrò quia vidisti partem pedum terream, partem ferream, sicut ferrum non potest misceri testæ, sic erunt in eo civiles discordiæ, & pars solidabitur, & pars alteram conteret, tunc suscitabit Deus regnum cœli & comminuet omnia regna, & stabit in æternum. Cœpit autem regnum Assyriorum à Belo anno vigesimo quinto Sarug, proavi Abrahæ, vel, ut alii scribunt, à Nino, rege Assyriorum primò, qui propagandæ dominationis libidine arma foràs extulit, perque omnem vitam quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit, cui successit uxor Semiramis, virum animo, fœminam habitu gerens. Æthiopiam bello pressam, sanguine interlitam imperio adjecit. Indis quoque bellum intulit, quos præter illam & Alexandrum Magnum nullus intravit. Regnum verò Assyriorum per M CC XLIV annos usque ad Sardanapalum per quinquaginta propemodum Reges actum est, & nunquam penè inferendis vel excipiendis usque ad tempus id bellis quievit. Vel secundum alios annis M CCC VII à Belo usque ad annum septimum Usiæ, regis Judææ. Interfectô autem Sardanapalô ab Arbaco antea præfecto suo, rege Medorum; Arbacus Regni nomen & summam ad Medos transtulit. Deinde multis præliis undique scatentibus per varias provincias, ad Scythas Chaldæosque, & rursus ad Medos regnum rediit. Medis enim Phraortes imperavit, post hunc Dejoces, post quem Astyages, cujus nepos Cyrus fuit. Verùm Nabuchodonosor ceterique post eum usque ad Cyrum regentes quamvis Chaldæorum viribus potentes & Babyloniæ nomine clari legantur, in numero tamen & ordine regum non habentur illustrium. Descendente autem Arbaco in Medos, partem regni penes se retinuere Chaldæi, qui Babyloniam sibi adversus Medos vindicaverunt: ita Babyloniæ potestas apud Medos, proprietas apud Chaldæos fuit. Chaldæi autem propter antiquam regiæ urbis dignitatem non illam suam, sed illius se vocare maluerunt. Babylon itaque illo anno sub Arbaco præfecto dehonorata, quo Roma sub Phoca, à quo omnes Romanorum exoriuntur historiæ, ut propriè dixerim, seminata est. Illa nunc quasi moriens, ***** hereditatem, hoc verò pubescet, dum se agnovit heredem, tunc Oriens occidit, & ortum est Occidentis imperium. Sanè inter primum ac novissimum hoc est Babylonium & Romanum, quasi inter patrem senem ac filium parvulum, Africanum à meridie, Macedonicum à septentrione, brevia & media quasi tutor & curator venerunt, potestate temporis, non verò hereditatis admissâ. Macedonicum quingentis & quatuordecim annis stetit incolume, ab Alexandro incipiens in ejus ducibus finiit. Vel si altius agimus tempora à Carano usque ad Persen, paulò minus, quàm septingentis annis stetit; circa quod ante urbem Romam per viginti duos annos (a) ab Elissa condita invenitur vernaculum atque intestinum semper intrasse malum, nutriens discordiam. Septingentesimô pòst anno & paulò amplius, quàm condita & diruta est, omni murali lapide in pulverem comminuto, anno ab urbe condita sexcentesimo sexto; utrumque regnum septenarius ille numerus, quô judicantur omnia, terminavit. Macedonicum igitur Africanumque regnum, hoc est quasi meridie ac septentrione, brevibus vicibus partes tutoris tenuit ac curatoris. Babylonium, & Romanum, & occidentis hereditatem nutriebat. Macedonicum sub septentrione tùm ipsa cœli plaga, tùm Alexandri magni aræ po-

(a) f. Carthagine.

sitæ usque ad nunc sub Riphæis montibus docent. Africanum Siciliæ & Corsæ historiæ monstrant. Romam quoque crebris irruptionibus lassatam Sennones Galli, duce Brenno, (*) cum Gallonis Regis Britannorum filio minore, extincto populô, urbe deletâ, ipsum quoque Romæ nomen in extremis cineribus prosequentes, anno ab urbe condita CCCLXIV deterruerunt. Quibus exeuntibus remanserat in illo quondam urbis ambitu **** ruinarum obscœna congeries, & undique per impedita errantium ***** ignotorum. Offensæ vocis imago respondens trepidos suspendebat, auditus horror quatiebat animos, silentia ipsa terrebant, siquidem *materia pavoris est raritas in spatiosis*. Sed & MCLXXIV anno, postquam condita fuit, à Gothis & Alarico Rege eorum, comite autem suo; irrupta & opibus spoliata, non regno. Ibi vix quenquam inventum Senatorem, qui licet absens, evaserit; hîc vix quenquam requiri, qui fortè ut *** perierit, rectè sanè comparari, hunc fuisse ibi senatorum numerum, qui hic fuit perditorum.

II. De divisione orbis tripartiti in summa.

DIvisionem filiorum Noæ explevimus, quorum possessio ab Oriente in Occidentem, ab Austro ad septentrionem porrecta est, habentque divisiones istæ, ut prælibavimus, partitionum nomina, scilicet Asiam, Europam & Africam, quorum loca specialia per certas regiones, civitates & montes, maria ac flumina describere nostri propositi est, ut, *cùm aliqua mirabilia cuilibet terræ locove assignabuntur, facilius habeatur locorum & temporum gestorum notitia*. Quamvis ergò quidam velint duas tantum orbis partes fieri, Asiam scilicet & Europam, Africam in Europa accipiendam putantes; nos tamen assignantes orbis divisionem distributioni filiorum Noæ, à quibus summa totius orbis cœpit partitio, orbem totius terræ Oceani limbo circum septum & quadratum statuimus secundum Pauli Orosii sententiam, ejusque tres partes, Asiam, Europam & Africam nominamus. Generalis ergò terminorum suorum uniuscujusque partis descriptio hæc est.

De Asia.

ASia tribus partibus Oceano circumdata per totam transversi plagam Orientis extenditur. Hæc occasum versus dextra sui sub axe septentrionis incipientem contingit Europam, à sinistra dimittens Africam; sub Ægypto verò & Syria *mare rubrum*, quod *magnum* generaliter dicimus, habet. Et est Asia multò major, quàm Europa vel Africa. *Sem* enim, qui eam obtinuit, *primogenitus* erat, ideoque majorem ac uberiorem partem accepit; Japhet Europam similiter bonam; Cham, quia maledictus, Africam, quæ sterilior est, accepit.

De Europa.

EUropa verò, ut diximus, incipit sub plaga septentrionis, à flumine Tanai, quà Riphæi montes Sarmatico aversi Oceano Tanaim fluvium fundunt, qui præteriens *aras* aërias (**) *Alexandri magni*, in Moschorum finibus sitas, Mæotidas auget paludes, quarum immensa exundatio juxta *Theodosiam* urbem Euxinum pontum latè ingrediuntur, unde & mare illud dulce vocatur. [inde] juxta Constantinopolin longæ mittuntur angustiæ, donec eas *mare* hoc *mediterraneum, quod nostrum dicimus*, accipiat. Ibi *brachium S. Georgii* est. Europæ in Hispania occidentalis Oceanus terminus est, maximè ubi apud Gades insulas *Herculis columnæ* visuntur, & Tyrrheni maris faucibus Oceanus immittitur, ubi est civitas *Hispalis*, quæ nunc vocatur *Sevilia*.

De Africa.

AFricæ principium est à finibus Ægypti urbeque Alexandriæ, ubi *Paretonia* civitas sita est, super hoc *mare magnum*, quod omnes plagas terrarum interluit, unde per loca, quæ accolæ *Catabathmon* vocant, haut procul à castris Alexandri M. & super (**b) Caleazorum deinde suprà, juxta superiorum fines *Abasitarum* missa in transversum per deserta loca Æthiopiæ, *meridianum* contingit *Oceanum*. Termini Africæ ad Occidentem iidem sunt, qui & Europæ, id est fauces Gaditani freti. Ultimus autem ejus finis est mons Atlas, & *insulæ*, quas *Fortunatas* vocant.

III. De

(*) f. Senones Galli cum Gallonis (Wallis) duce Brenno Regis Britannorum filio. (**) f. æreas.
(**b) super lacum Chalearcum.

III. De Asia Orientali.

NUnc, ſicut pollicitus ſum, tripartiti orbis particulares regiones ſignificare curabo, hanc lectoribus meis [inſinuans] cautelam, quod, ſiquas regiones aut urbes aliis quàm vulgus nominat [vocabulis] nominavero, venia detur, eò, quod *eventus varii circa loca nomina variaverunt cum gentibus.* *Aſia* ergò *à regina* ejuſdem nominis nuncupatur. Hujus *prima regio* in Oriente eſt *paradiſus*, locus fidelium, omnique amœnitate conſpicuus, inadibilis hominibus, quia igneo muro usque ad cœlum cinctus. In hoc eſt lignum vitæ, de cujus fructu qui comederit, ſemper in uno ſtatu immortalis permanebit. In hoc fons, ut ſuperiore diſtinctione tractavimus, oritur, in quatuor flumina diviſus. Nam (b) *Phiſon & Ganges*, qui in India de monte *Orthobares* naſcitur & contra Orientem fluens Oceano excipitur. Gihon, qui & *Nilus* juxta Atlantem fluens mox *à terra abſorbetur*, per quam occulto meatu in littore *rubri maris* denuò refunditur, & verſus Orientem ſurgens & *Æthiopiam* circumiens ſic per Ægyptum labitur, ac in ſeptem oſtia diviſus magnum mare juxta Alexandriam ingreditur. Porrò *Tigris* & *Euphrates* in Armenia de monte *Pariedro* (c) funduntur, & contra meridiem vergentes rubro tandem mari immerguntur. Poſt paradiſum ſunt multa loca deſerta & invia, ob diverſa ſerpentium & ferarum genera. Habet ergò Aſia ad mediam frontem Orientis in Oceano & oſtia fluminis *Gangis*, à ſiniſtra promontorium *Galigardamana*, (d) cui ſubjacet ad Eurum inſula *Taprobane*, ex qua Oceanus Indicus vocari incipit. A dextra habet Imavi montis, ubi Caucaſus deficit, promontorium *Samara*, cui ad Aquilonem ſubjacent oſtia fluminis *Ortorogoræ*, (e) à quo *Oceanus Sericus* appellatur. In his finibus India eſt, ab Indo fluvio dicta, qui ad *** de monte Caucaſo naſcitur & ad meridiem curſum ſuum dirigens à *rubro mari* excipitur. Reliqua, ut dixi, aqua & Indico Oceano terminatur ex uno latere, ex altero regione tenebrarum. [*India*] *Superior*, in qua prædicavit *Bartholomæus*; *inferior*, in qua prædicavit *Thomas*; & hæc ducit ad Medos, in qua civitas eſt Edeſſa. Eſt & *India meridiana*, quæ tangit Æthiopiam, in qua prædicavit *Matthæus* apoſtolus. In inferiore eſt urbs *Elioforus*, in qua reperit beatus Thomas Gondoſurum Regem, veniens à Cæſarea mandatu dominico. Hic India clauditur: ab ea Oceanus Indicus appellatur. India *quadraginta quatuor* gentes habet absque inſula Taprobane, quæ *decem* habet *civitates* absque aliis pluribus inſulis ac habitatoribus pluribus. Porrò inſula Taprobane Indiæ ſubjacens ad Eurum, Oceano & rubro mari circumdata, in longitudinem per millia paſſuum, in latitudinem per ſtadia DCXXV protenſa. Tota margaritis repletur; habens in fine Indiæ, ubi elephantes naſcuntur, civitatem *Elmacidam* in confinio Taprobanæ, ad terminos rubri maris poſitam. Hyænis elephantisque repleta duas æſtates & duas hyemes fertur habere unô anno, & omni tempore viret. In Indico Oceano quoque ſunt *Criſa* & *Arguſſa* inſulæ, aurô & argento & omni metallô fœcundæ & ſemper floridæ. Ibi ſunt etiam montes aurei, qui propter dracones & [gryphes] non poſſunt adiri. In India eſt *mons Caſpius*, à quo *mare Caſpium* vocatur, inter quem & mare, Gog & Magog ferociſſimæ gentes, à magno Alexandro incluſæ feruntur, quæ humanis carnibus & belluinis crudis veſcuntur, ut in Ezechiel legitur. India ad ſubſolanum oriens, oceano Indico clauditur, in quo ſunt ab Oriente *inſula major* & inſula *Eſcolaria*. India à parte Vulturni habet montem *Innabum*, cui jungitur mons Caſpius, ſub quorum radicibus *Tirabeni* & *** porrò inter montes illos & Oceanum latè ſpatiantur civitates iſtæ: *** Antioca, Tramata, Magaris, Carſania & Antiochion. In India ſunt XLIV regiones, ut dixi, & multi populi Garmanioreſtæ, Coarcratæ, quorum ſylvæ tangunt æthera. In montanis Indiæ ſunt *Pigmæi* duorum cubitorum homines, quibus cum gruibus pugna eſt, qui tertio anno pariter & octavo ſeneſcunt. Apud hos *piper* creſcit, colore album quidem, ſed dum ſerpentes, illic habitantes, flamma fugantur, nigrum colorem ab incendio trahit. Habet & India *** XII cubitorum homines, qui pugnam habent cum gryphibus. Sanè gryphes corpora leonis habent, alas & ungulas aquilarum. Habet & India *** & *Brachmanes*, qui ſe ultrò in ignem mittunt, amore alterius vitæ. Sunt alii, qui jam ſenio confectos parentes mactant, & eorum carnes ad epulas præparant: impio judicatô, qui facere iſta negaverit. De iſtis meminit Ariſtoteles, cùm dixit: Bonum eſt mactare patrem in ** Unde literatus ille noſtri temporis vir, *M. Radulphus Niger*, Domini mei junioris Regis [Henrici] cum Topica Ariſtotelis & Elenchos verſibus gloſſaret, ait:

Sunt loca, ſunt gentes, quibus eſt mactare parentes,
Cum mors, aut pietas, aut longa ſupervenit ætas.

Sunt

(b) Nempe. (c) Parchohatra. (d) Caligarda Imavi. (e) Octogorſæ.

Sunt alii in India populi, piscibus crudis utentes salsumque mare bibentes. Sunt & ibi diversa animantium monstra, quorum quædam hominibus, quædam bestiis adscribuntur: ut qui adversas plantas habent & octenos in pedibus digitos: alii canina capita, ungves aduncos, quibus est vestis pecudum, latratus canum. Illic sunt matres, quæ semel pariunt & canos partus edunt, qui in senectute nigrescunt & longa nostræ ætatis tempora excedunt. Sunt & aliæ, quæ quinquies pariunt, sed partus octavum non excedunt annum. Illic sunt monoculi & * * cyclopes, ex quibus fuit Polyphemus; & *unipedes*, qui uno fulti pede auram currendi celeritate vincunt.

Desunt in MSto nonnulla folia.

habet hos suffraganeos: Capritanum, Scalensem, Minorensem, Luteranum. *Surrentinus* metropolita hos habet suffraganeos: Lobrenensem, & Equenensem, castelli maris vel Stabicum. *Neapolitanus* hos habet suffraganeos: Aversaneum, [Acerranum] Nolanum, Puteolanum, Cumanum, Insulanum [Ischlanum.] *Capuanus* hos habet suffraganeos: Tianensem, Calvensem, Calimensem, Casertinum, Svesanum, Venefranum, Aquinensem [Atimensem] Soranensem *Domini Papæ.* In *Calabria* sunt quatuor metropoles. *Raginensis* Archiepiscopus hos habet suffraganeos: Cassanensem, Helicastrensem, [Neocastrensem] Catacensem, Crotoniensem, Tropiensem, Oppensem, Bovensem, Gerotinensem, Squillacensem, Millecensem, *Domini Papæ.* *Consentinus* hos habet suffraganeos: Maturanensem. Rosanensis caret suffraganeo. Sisignianensem, *Domini Papæ.* * * hos habet suffraganeos Ebriecensem, Senoniensem, Seneocestrensem. In *Sicilia* sunt tres metropoles. *Panormitanus* hos habet suffraganeos: Agrigentinensem, Mazereneum [Macaranensem,] * Milcratensem. *Mons regalis* hos habet suffraganeos: Syracusanensem, Cataniensem. Messanensis duos habet suffraganeos: Cefalonensem, Patensem. Episcopatus S. Martii & episcopatus Miletensis *sunt Domini Papæ.*

Nunc ad insulas Oceani, quæ partes Oceani Europam respiciunt, nos referamus. *Dacia* ergo habet metropolitam *Lundonum*, qui hos habet suffraganeos: * * Oteniensem, Siewicensem, Ripensem, Wibergensem, Arrosiensem, Burgalanensem. *Norwegia* habet metropolitanum *Nidrosiensem.* Is habet suffraganeos, Bergenensem, Stavangrensem, Hamarcopensem, Hasmoensem, Hartadensem, Subtrahiensem. *Svecia* insula inter Daciam & Norwegiam habet Archiepiscopum *Upsalensem*, cujus Suffraganeus Augustensis vel Svicensis, Stawiganensis, Lingacopensis, Scarensis.

Explicuimus partes Europæ à montibus Riphæis ac flumine Tanai Mæotidisque paludibus per partes Septentrionales à termino Oceani usque ad flumen Rhenum, & ab Alpibus Penninis usque ad mare Hadriaticum & *Tyrrhenum* & *Jonicum*, quorum alterum à Tyras filio Japhet, à quo Thraces exorti sunt, Tyrrhenum dicitur, quod Græci Jonium, Itali Inferum nominant. Unde Tyrrhenia pars Italiæ Hetruria, ubi quoque Tiberis descendit in mare. Quia illic habitasse fertur Turus, Lydi frater, Turenum nuncupatur; vel Tyrrhenum, quia multas interluit terras. Nunc etiam Europæ partes, quas Alpes & flumen Rheni & mare hoc nostrum & Occidentalis Oceanus terminant, explicemus. In his *Gallia* prius occurrit, à candore sic dicta. Gala enim Græcè, Latinè lac sonat. Hinc est illud Hieronymi in vita B. Hilarionis: Candidatus Constantini Imperatoris rutilus comâ, & candore corporis indicans provinciam, ab infantia dæmone obsessus est. Inter Saxones quippe & Alemannos, gens non tàm lata quàm valida, apud historicos Germania nunc Francia dicitur. Sed & Galli dicuntur sacerdotes matris Deorum ob hoc, quod mos est eis apud Phrygiam castrari, qui omnia turpissima agunt. Gallos Cæsar castravit, cùm eos vicisset, in eorum scilicet opprobrium. Porrò Galli consimilibus suis candidiores sunt. Secundum enim diversitatem aëris Romanos graves, Græcos leves, Afros versipelles, Gallos naturâ feroces, Anglos ingenio potentiores, Teutonicos robustiores videmus, quod natura climatum facit. Gallia nunc *Celtica* dicitur, à qua *Celtiberi*, à Gallis, qui prius Celtici dicebantur, & ab Ibero Hispaniæ fluvio, ubi consederunt, quorum ex nomine regio Celtiberia vocatur, in confinio Burgundiæ sita, includens Aquitaniam & Gasconiam. Nunc Gallia Belgica à civitate Belgis, quæ tertia pars Galliarum dicitur. Hæc habet ab Oriente limitem fluvium Rheni & Germaniam, ab Euro Alpes Penninas, à meridiè provinciam Narbonensem, à Cyrcio Oceanum Britannicum, à septentrione insulam Britannicam. Sed & Senones Galli pro parte Burgundiones dicuntur, qui antiquitus Cenones dicebantur. His cum duce Brenno, fratre Bellini Regis majoris Britanniæ, restitit Manlius Consul, voce anseris excitatus, cum Romam captam incendere vellent. Porrò antiquitas tres esse Gallias docuit: Togatam, id est Longobardiam, adinstar Romanorum, Comatam,

matam, id est Burgundiam; & Franciam Braccatam, id est Teutonicam, à longis braccis. Enimverò nomen Longobardorum sic cœpisse legimus. Gens enim Longobardorum priusquam hoc nomen assumeret, exeuntes de Scandenavia Oceani insula, de qua Burgundiones sunt egressi, quæ est inter Oceanum & Danubium, cum uxoribus & liberis Danubium transmearunt, cumque transeuntibus Huni parassent bellum, Longobardi mulieribus suis comam capitis ad maxillas mentumque ligaverunt, quô potius, habitus virorum imitantes, plurimam hostium multitudinem simularent. Comis ad maxillam barbam facientibus fertur desuper vox dixisse: Hi sunt *Longobardi*. Ad hæc Longobardi clamant: Qui instituisti nomen, concede victoriam. Quô dicto Hunnos superant, partem Pannoniæ invadunt, nec multum tempus *Narses* patricius minis *Justini Imperatoris* ejusque Augustæ Sociæ perterritus, eo quod ipsa ei apparatum muliebrem ex auro factum, quia eunuchus erat, cum quo filaret, direxerat, dicens, ut pensa lanaria regeret, non populum. At ille respondit: Filum filabo, cujus finem Justinus vel Augusta non perficiet. Tunc Longobardos à Pannoniis invitans cum Alboeno Rege Italiam introduxit. Porrò Gallia, quam diximus Belgicam, particulares habet regiones, Neustriam seu Normanniam, Boloniam, Flandriam, Andegaviam, Turoniam, Bituricam, Britanniam, Armoricam, Pictaviam, Aquitaniam, Gasconiam, Narbonensem Provinciam. In harum medio est Francia, à *Franco* Rege dicta, qui de Troja, ut quidam dicunt, cum Ænea fugiens, populo nomen dedit. Sanè in catalogo Romanorum & Francorum legimus, & Judicum vel Regum Israël, quia cum Abdon de tribu Ephraim regeret populum Israël annis octo, hujus anno tertio capta est Troja ab Assyriis. Tunc Æneas & Phrygius frater à Troja fugiunt. Æneas regnavit in Latio, Phrygius vel Phrygas in Phrygia. Post hujus mortem in duas partes Trojani dividuntur: una pars Macedoniam petiit, ut suo potirentur auxilio: alia, quæ de Phrygia progressa est, per multas regiones pervagando cum uxoribus & liberis, electô sibi Rege Francione, à quo Franci dicuntur, multôque tempore cum plurimis gentibus pugnam gerens eò, quòd fortis esset in bello, Asiam vastans & iter in Europam dirigens, super littus Danubii inter Oceanum ac Thraciam resedit, inter quos Priamus & Antenor, post Ilium destructum infamiam verecundiæ fugâ obtegentes, ripam Tanais fluvii adierunt, terminos Pannoniorum juxta Mæotides paludes petentes, missisque per gyrum exploratoribus reperierunt locum à communi hominum habitatione semotum, undis marinis circumseptum, ibique construxerunt civitatem Sicambriam nomine. Consuetâ ergò feritate expugnantes confines suos, in armis cruentam vitam exercuerunt. Tandem tempore Valentiniani Imperatoris, cum ipse strenuus Alanorum gentem domasset, &, eo quod ad Mæotides Paludes fugisset, fugientes capere non posset, *Sicambri* illa loca tanquam sibi nota invadentes Alanos captos Imperatori repræsentarunt. Sed peracta victoria Imperator Sicambros omni libertate donavit, eosque Francos in posterum nominandos censuit. Porro jam decem annis post hæc elapsis primarius quidam Imperatoris Romani venit, à Francis tributum exigere: qui grave servitutis novæ jugum ferentes eligentesque vita libertatem redimere, exactorem improbum immisericorditer, gladioque suos socios trucidarunt. His auditis Imperator Francos invasit, Priamoque Francorum Rege interempto in fugam convertit. Major itaque pars illorum fuga sibi consulens, prædamque huc illucque exercens ripas Rheni fluvii adiit, illic in Germanorum oppidis figens territoria. Reliquiæ vero Francorum Sicambriæ manserunt, electo sibi Rege Torquato, à quo Gens *Torquorum* nomen accepit. Franci vero erecto sibi in Regem Ferramundo filio Marchionis vel Marcomiri filii Priami, civitatem ad instar Trojæ ædificarunt. Opus quidem cœptum, sed non consummatum. Defuncto Ferramundo, Clodio filius ejus in Regem erigitur in finibus Torringorum Dispergo castello habitans. Paucis tamen diebus Franci, nempe suspecti & dubii, & in incerto vacillantes, audientes Galliam terram esse nemorosam ac fertilem, illuc tendunt, vindictam sumturi de Romanis, qui à Rheno ad Ligerim & à Ligeri ad usque Hispaniam terram tenebant. Sed & Burgundiones tunc Ariani, habitantes secus Rhodanum, quorum Dux aut Rex Alaricus favore Valentiniani Imperatoris tunc Arianus à Clodovæo Rege interficitur non longo post tempore. Sanè Clodio carbonariam sylvam ingressus, Tornacensem civitatem obtinuit, & ex hinc Cameracum properavit. Illic, trucidatis Romanis, Ambianensem civitatem cepit, ibi regni sedem statuens. Huic successit Merovæus, cui successit filius ejus Childericus, qui Agrippinam Coloniam civitatem regni cepit, & Treviris super Mosellam fluvium & Svessionem, Aurelianis & Andegavis. Childerico filius ejus *Clodovæus* successit in regnum, cui, cum baptizaretur, dixit *S. Remigius*: Mitis depone colla Sicamber, adora, quod incendi, incendisti, quod adorasti. Quô mortuô, quatuor ejus filii inter se regnum diviserunt Francorum, Theodorico apud Metensem Lotharingiæ urbem, Clodomiro apud Aurelianensem, Childeberto Parisiensem, Clotario Svessionensem ad sedem Regni eligente. Jam

nunc ad distinctionem Galliæ redeamus. Sunt ergo in Gallia, ut diximus, Belgica *Helvetii*, fortissima omnium Gallorum gens, quibus perpetua penè cum Germanis pugna est & altercatio, à quibus Rheno tantùm fluvio dirimuntur. Sunt & Bellovaci & Svessiones, sunt Arverni; quorum indomita feritas prædicatur, ita, ut nunquam usque ad tempus Julii Cæsaris mercatores ad se admiserint vina ceteraque venalia deferre, *quibus jucunditate inducta corpore virtus aufertur*. Sunt & Atrebates & Ambiani, sunt Morini & Menapii, sunt Caletes & Velocassii, Veromandui & Ambiani, Condruses, Eburones, Cenomani. Sequitur *Gallia Lugdunensis*, quæ & comata à comis longis nuncupatur. Hæc ducta per longum, & per angustum inflexa, Aquitanniam provinciam semicingit, & habet ab Oriente Galliam Belgicam, à meridie partem *provinciæ Narbonensis*, quæ sub-Alpina nominatur, mari mediterraneo Rhodanoque terminata. Ad hoc Narbonensis provincia pars Galliarum habet ab Oriente Alpes Cocias, inter quas & mare ac Rhodanum sunt hæ provinciæ, *Arelatensis*, quæ caput est regni. *Viennensis* quæ Cancellariâ Regni gaudet. *Tarentasiensis*, *Ebredunensis* & *Aquensis*, & pro aliqua sui parte *Lugdunensis* ac *Bisuntina*. Habet Narbonensis provincia ab Occidente Hispaniam, à Circio Aquitaniam, à septentrione Lugdunensem, ab Aqvilone Galliam Belgicam, à meridie Gallicum mare, quod etiam est inter Sardiniam & insulas Baleares: Habens in fronte, quâ Rhodanus fluvius exit in mare, *Sicadas* insulas, quas vulgo Camargas nominant, quasi caras marchias. In modum insulæ, Rhodano per tria ostia diviso, clauduntur; terrâ fertilis salinis excelsæ bonitatis; piscationibus stagnorum, mariumque fluvialibus venationibus, cirogis **, & aucupationibus & pascuis incomparabiles. Illic ad littus maris est prima omnium ecclesiarum citra marinarum, in honorem beatissimæ Dei genitricis fundata, ac à discipulis à Judæa pulsis & in rate sine remigio dimissis per mare, Maximino Aquense, Lazaro Massiliense (evangelico fratre Marthæ & Mariæ) Eutropio Aurasicense, Georgio Vellaicense, Saturnino Tolosano, Martiali Lemovicense ex LXXII. discipulis consecrata; adstantibus Martha & Maria Magdalena, cum aliis multis. Sub hujus basilicæ altari ab ipsis de terra piscato * lapide titulari de marmore pario modico substrato, tenet autoritate plena vetustas sex corporum sanctorum capita in quadrum disposita, reliqua corporum eminentia suis tumulis clausa; inter quæ *duas Marias* asserunt sepultas, quæ manè prima sabbati cum aromatibus venerunt videre sepulchrum. Est & in capite ad ripam Rhodani civitas *Arelas*, caput regni Burgundiæ, dicta quasi ara lata deorum. Illic enim solent quotannis omnes in regni illius adjunctis provinciis, paganitatis ludibrio territi, in Kalendis Martialibus convenire, & in omnium conspectu *sacrificium* tristis *Amnestiæ* suscipere, in loco suburbii, qui Rocheta dicitur, ubi duabus immensæ celsitudinis columnis ara superposita. Trium juvenum illo die sanguis innoxius pro salute populi, populo superspergebatur, quos velut suos, de communi emtos, per totum anni circulum ad nefandam victimam pascebant. Hæc autem conspiciens Trophimus, unus ex LXXII, consobrinus Pauli apostoli, Stephani Protomartyris & Gamalielis Doctoris legis, in melius commutavit, docens: sanguinem populo fundendum sanguinem esse Christi, fusum in cruce. Unde conversione factâ tàm Regis quàm populi, qui à Petro & Paulo fuerat Romæ ordinatus episcopus, à Paulo in Hispaniam proficiente Arelatensis Galliarum primus ordinatur apostolus, cujus successor *Dionysius* Parisiensem suo sanguine ornavit urbem, sicque successiva Arelatensis ecclesiæ Episcoporum prædicatio Gallias fide Christi imbuit, & totius Galliæ Arelas primatiam usque ad novissima tempora diutissime obtinuit, ut testatur Zosimus Papa & epistola Gregorii ad Augustinum Anglorum episcopum missa, ut c. 25. q.II. c. I. Galliarum. Sanè Narbonensis provincia *Togata* dicebatur, à longitudine togarum sic dicta, quamvis tempore mores hominum mutante nunc inter omnes homines Narbonensis provinciæ viri ac mulieres more Hispanorum ac Gasconum arctius vestiuntur, itaque insuta potius quàm inducta corpora judicantur; sicut *in libro facetiarum*, quem ad imperium excellentissimi Regis minoris Angliæ Henrici, avunculi vestri & Domini mei, latius dixi, *Imperator & Domine Serenissime*. Ad hanc Aquitania provincia ab aquis, Rhodano & Ligeri dicta, vel ab aquis, quibus abundabant aut potentius invehuntur, quasi Equitania ab obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus est, & in orbem agitur. Hæc ab ortu (*a*) Oceanum, qui Aquitanicus sinus dicitur, ab occasu Hispanias habet; à septentrione & Occidente (*b*) Lugdunensem, ab Euro & meridie Narbonensem contingit provinciam.

De

(*a*) à Circio. (*b*) Aquilone.

De provinciis & urbibus Galliæ.

NUnc singulares Galliarum urbes enumeremus, *Galliam* in Franciam, Burgundiam & Gasconiam, *more Romanæ Ecclesiæ* distingventes. Francia ergò habet septem metropoles cum suis suffraganeis. *Lugdunensis*, cujus titulus ministratus, est prima sedes Galliarum, hos habet suffraganeos: Heduensem, Matisconensem, Cabillonensem, Lingonensem. *Rhemensis* hos habet suffraganeos: Suessionensem, Catalaunensem, Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, Atrebatensem, Ambianensem, Silvanectensem, Belvacensem, Laudunensem. *Senonensis* Franciæ hos habet Episcopos suffraganeos: Parisiensem, Carnotensem, Aurelianensem, Nibernìensem, Altissiodorensem, Trecensem, Meltensem. *Turonensis* hos habet suffraganeos: Cenomanensem, Redonensem, Andegavensem, Nannetensem, (*) Corrisopicensem, Venetensem, Maclovìensem, Briocensem, Tregorensem, Leonensem, Dolensem. *Rhotomagensis* hos habet suffraganeos: Bajocensem, Abrincensem, Ebroicensem, Sagiensem, Lixoviensem, Constantiensem. *Biturricensis* hos habet suffraganeos: Claromontanum, Ruthenensem, Caturcensem, Lemovicensem, Mimatensem, Albigensem, Aniciensis est Domini Papæ. *Bordegalensis* hos habet suffraganeos: Pictaviensem, Santonensem, Egolimensem, Petrogorcensem, Agennensem. *Narbonensis* Gasconiæ archiepiscopus hos habet suffraganeos: Carcasonensem, Bitterrensem, Agathensem, Lodevensem, Tolosanum, Magalonensem, Nemausensem, Uticensem, Elvensem. *Viennensis*, Burgundiæ Archiepiscopus & Regis Cancellarius, cujus numismatis inscriptio habet: *Maxima Sedes Galliarum*, quæ & ipsa carcer dicitur olim fuisse Imperii. Unde Pontium Pilatum à Tiberio damnatum in carcere tenuit, hos habet suffraganeos: Valentinum, Vivariensem, Diensem, Gratianopolitanensem, Maurianensem, Gebenennensem. Distat autem *Gebennensis civitas* quatuordecim milliaribus à capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus, & est inter Alpium juga situs, de quo in vita *Thebæorum* legitur: Maximianus Imperator circa Octodurum itinere fessus se tenebat, legio verò in Agaunensibus angustiis substitit, quas vulgò S. Mauritium de Camblais nominant. Porrò Solodorum, ubi quidam de legione ista passi sunt, castrum est super Arulam fluvium, non longè à Rheno. *Gasconia* duos habet metropolitanos. *Auxitanus* hos habet suffraganeos: Aquensem, Lettorensem, episcopatum Convenarum, Consuranensem, Bigornensem, Adaurensem vel Farinensem, Olorensem, Lascurensem, Basatensem, Bajonensem. *Aquensis*, Burgundiæ Archiepiscopus, hos habet suffraganeos: Aptensem, Regensem, Foronilìensem, Vapnicensem, Cistericensem. *Burgundia* sex habet metropoles. *Bisuntinos* hos habet suffraganeos: Basiliensem, Lausanensem, Belicensem. *Tarentasiensis* hos habet suffraganeos: Sedunensem, Augustensem. *Ebredunensis* hos habet suffraganeos: Dignensem, Niciensem, Antipolitanensem, Glandevensem, Senecensem, Ventiensem. *Arelatensis* Burgundiæ Archiepiscopus & caput Regni hos habet suffraganeos: Massiliensem, Avinionensem, Auraficensem, Vasionenensem, Cavallicensem, Tricastriciensem, Carpentoratensem, Tolonensem.

Hispania.

NArbonensi provinciæ jungitur Hispania ab Hispano Rege dicta, prius Iberia ab Ibero flumine, posteà Hesperia ab Hespero Rege dicta; prius vel potius ab Hespero stella, de qua Virgilius:

Redit hesperus, ite capellæ.

Hæc terrarum situ trigona, & circumfusione Oceani, Tyrrhenique pelagi penè insula efficitur, cujus angulus prior spectans ad Orientem à dextris Aquitaniâ provinciâ, à sinistris Balearico mari arctatur, & Narbonensium finibus inseritur. Secundus angulus circumversus tendit, ubi Bragantia, Gallæciæ civitas, sita, altissimam farum & inter pauca memorandi operis ad speculam Britanniæ erigit. Tertius ejus angulus est, quô Gades insulæ intentæ in Africam, Atlantem montem, interjecto spatio sinuque Oceani prospiciunt. *Hispaniam citeriorem* ab Oriente incipientem Pirenæus Saltus à parte Septentrionis usque ad Cantabros, Asturesque deducit, atque inde per Vacceos & Ceretanos, quos ab occasu habet: postea in maris nostri littore Carthago determinat. *Hispania ulterior* habet ab Oriente Vacceos, Celtiberos & Oretanos, à septentrione Oceanum & ab occasu; à meridie Oceanum Gaditani fre-

(*) Corisopolitanum.

fretum. Unde mare nostrum, quod Tyrrhenum vocatur, immittitur. In Hispania sex sunt provinciæ, Tarraconensis, Carthago, Lusitania, Gallæcia, Bætica, Tragitana. Sanè ex distinctione Romana Hispania quatuor habet metropoles. *Tarraconensis*, Archiepiscopus Hispaniæ, hos habet suffraganeos: Barcinonensem, Gerundensem, Vicensem vel Ausonensem, Ilerdensem, Oscensem, Turiasonensem, Calaguritanensem, Urgellensem, Cæsaraugustanensem, Dertosensis Pampilonensem. *Bracarensis* Archiepiscopus hos habet suffraganeos: Portugallensem, Conimbricensem, Visensem, Lamecensem, Auriensem, Tudensem, Lucensem, Astoricensem, Mindunensem. *Toletanus* hos habet suffraganeos: Sequentinensem, Seguntinensem, Oxomensem, Burgensem, *qui est Domini Papæ*, Palentinensem, Segorbicensem, Segobiensem, Concensem. *Meritanus vel Compostellanus* hos habet suffraganeos: Abulensem, Placentiensem, Salamantinensem, Elixeum, Caminensem, Egitaniensem, Ulisbonensem, (Legionensis *Domini Papæ*, Ovetensis *Domini Papæ*, Comorrensis *Domini Papæ*,) Cuntanensem. Sunt autem in Hispania civitates Paganorum Hispalis, Corduba, Almaria, Valentia, Complutum, Melega.

De Insulis Oceani.

DEcursâ Galliâ atque Hispaniâ, consequens erit insulas Oceani describere, quæ Galliam respiciunt & in Boream tendunt.

Britannia major.

BRitannia ergò major insula Oceani, per longum quidem in Boream extenditur, à meridie Gallias habens, cujus proximum littus transmeantibus civitas aperit, quæ dicitur Ruthubi portus, unde haut procul à Marinis in austro positos Menapios Batavosque prospectat. Hæc insula omnium uberrima in longum tenditur octingentis milliaribus, in latum ducentis. Vicenis itaque millibus passuum pro *dieta* computandis, ut aliqui ex recentioribus prætendunt, in longum XI (*) dietis, & in latum X. Verùm antiquiores à capite Cornubiæ usque ad finem Scotiæ triginta duas dietas computaverunt. Est autem *Britannia* à *Bruto*, primo ipsius inhabitatore, dicta, qui cùm esset filius Sylvii, filii Ascanii, filii Æneæ, expulsis gigantibus, ipsam suo regno ad instar Trojæ constructo & nominato decoravit, & nomine suo imposterum nuncupandam instituit. Verùm in Gallico littore maris Britannici est *minor Britannia*, quæ *Armorica* dicitur, quæ à filiis imprimis Trojanorum ab ipso Bruto nomen retinens, nunc Duces habuit, nunc Reges, secundum vicarias temporum vicissitudines. Porrò Britanniæ majoris quatuor ab antiquo legimus partes fuisse: ab Occidente *Cornubiam* à Corineo duce, socio Bruti dictam, à borea *Cambriam*, quam vulgares *Walliam* nominant à Walia flumine. Ab aquilone est *Albania*, quæ nunc Scotia dicitur. In medio verò versus meridiem est *Loëgria* à *Loëgrino* filio Bruti, cui ad partem venit, sic dicta; sicut à *Cambro*, fratre ipsius, Cambria. Unde & Galenses Cambros se nominant. Sic ab Albaneto eorum fratre Albania dicta perhibetur. Sanè inter Cornubiam & Loëgriam satis modicus fluvius est, inter Cambriam & Loëgriam fluvius Waja, fluvius Sabrinus & fluvius Bœcura [Solvejus,] & fluvius Deia [Tueda.] Inter Albaniam & Loëgriam modicum fretum, sed propter marinas voragines periculosum decurrit. Enimverò singulis partibus collateralibus sua nomina retinentibus, Loëgria & ipsa tota Britannia nomen suum Anglis cessit: quippe à tempore *Careni* Regis Britonum, qui quintus fuit ab Arcturo, Loëgria, Saxonibus in dominationem data, *Angliæ* nomen accepit ab Anglis, hoc est Saxonibus, ab *Engla* Saxonum insula in Britanniam olim venientibus, Gudmundo, Rege Africanorum diadema Britonum absorbente & ad Anglorum posteritatem transmittente.

De Hibernia.

HIbernia insula inter Britanniam & Hispaniam sita, longiore ab Africo in Boream spatio porrigitur. Hujus partes Cantabrico intentæ oceano Bregandam Gallicæ civitatem, ab Africo sibi in circum [in circium] occurrentem, spatioso intervallo procul spectant, ab eo præcipuè promontorio, ubi Iernæ (*a*) fluminis ostium est & Volabi Lucenique consistunt. Hæc Britanniæ propior, interposita tamen Magina insula, in aliqua sui parte insularum dimersione protractior, solisque temperie magis utilis à *Scotorum* gentibus peræque colebatur usque ad tempora illustrissimi Regis Anglorum Henrici, avi tui, *Princeps sacratissime*, qui primus, expul-

(*) leg. XX. (*a*) Venæ, (Seneæ.)

expulsis obscœnis Hiberniensium gentibus, terram Anglis possidendam fœdis militaribus distinxit, plurimo tamen Anglorum ac Britonum cretis (*b*) sanguine. Unde factum est, quod terra, quæ ab antiquissimis temporibus lacte pecudum vivens, & quadragesimam jejuniorum spernens carnibus crudis utens, & obscœnitati data religionis contemtrix erat; novâ incolatûs sui religione polleat, & sicut ultima veram religionem coacta suscepit, sic inter alias nationes ritu sancto ac religionis ardore plus omnibus ferveat; episcopalibus sedibus gaudens, monasteriis religiosissimis ac affluentibus affluenter fundatis, in copia prædiorum ac hospitalitate plenissima. In hac insula est quodam maris sinu facta, quæ B. *Brandani* nominatur, in quam muscæ non veniunt, & in qua venenifera animalia non vivunt. De hujusmodi etiam terræ pulvere asperso quævis venenifera serpentum bufonumque genera perimuntur, cui simile scimus probatissimum esse, quod si de terra castri superioris Parisiis in quovis loco fiat pulverisatio, statim omnium nocivorum vermium pestis fugatur. Est autem castrum hoc in Viennensi provincia uno milliario distans à ripa Isaræ fluminis in confinio Gratinopolitanæ. Sed & de coriis animalium quorumlibet, in insula, ut diximus, Hibernia nascentium, fiunt corrigiæ tanta efficacia hujus virtutis insignes, quod inclusos veneniferos vermes crepare cogunt, & sic statim exspirare. Idem evenit, si de rasura corrigiarum aut arborum illic crescentium toxifera conspargantur cum aqua animalia. Hiberniæ proxima insula *Man* vocatur, ipsa suo gaudens Rege, subdita tamen regno Anglorum, Scotiamque ab Oriente respiciens, urbaniore cultu, quàm solet [illa] celebriusque vivens. Sic & Scotia olim à Scotis, vilissimæ conversationis hominibus inhabitata, tunc illis expulsis & accitis militaribus personis infeodatis, & in hospitalitate factà * expositis, Reges habet successive sanctos aut sanctorum operum usque ad tempora nostra imitatores. Nunc urbes majoris Britanniæ cum suis appendicibus explicemus.

De urbibus majoris Britanniæ.

Anglia, sive major Britannia duas habet metropoles, Cantuariensem & Eboracensem. Porrò tempore Britonum tres erant in Britannia insula metropolitæ: Legionensis, qui præeminebat, in Cambria, cujus sedes apud Caerleum civitatem Legionum. Illic enim Cæsar duodecim legiones in Hibernia (*) divisit, quæ civitatem illam miro opere construxerunt, ubi & Arturus curiam solennem & omnibus incomparabilem instituit, in qua duodecim Pares Franciæ ordinavit, ut in catalogo Regum Britanniæ inferius, Deo duce, dicetur. Fuit & illis diebus secundus metropolita *Londoniensis* vel Trinovantinus. Tertius erat *Eboracensis*. Sub Legionense erant Episcopi Cambriæ, sub Longodunense (*a*) episcopi Loëgriæ, sub Ebbracense Dunelmensis & Carleonensis, & omnes Episcopi Scotiæ. Verùm tempore Augustini Anglorum apostoli, cùm ad Anglos paganitatis adhuc more, gentis suæ Saxonicæ tenebris involutos, Augustinus prædicator à B. Gregorio missus, in Britannia christianissimos clericos & monachos cum septem sedibus cathedralibus invenisset, indignantes illi subesse, eò, quòd Britones hostium suorum, Saxonum, communionem, nedum subjectionem abominarentur; tandem Regulis Anglorum viros illos religiosos ad martyrii palmam ducentibus, in sanguine sanctorum Dolobernensis ecclesia primatiam obtinuit, & exinde Cantuariensis metropolitam Trinovantum suo pallio spoliavit, Legionensem sibi subjiciens metropolin cum sibi subjectis episcopis. *Cantuariensis* ergò Archiepiscopus hos habet suffraganeos: Roffensem, Londoniensem, Cicestrensem, Exoniensem, Wintoniensem, Batoniensem, Saresberiensem, Wigorniensem, Herefordensem, Conuentrensem, qui olim fuit Cestrensis, & ** Lichelfeldensis, Norwicensis, Chemsensis. In Wallia hos habet Cantuariensis suffraganeos: Menevensem vel S. David, Bangorniensem, Landavensem, de S. Asaph. *Eboracensis* Archiepiscopus hos duos tantùm habet suffraganeos: Durhamensem, qui tot gaudet privilegiis Romanæ ecclesiæ, quod jam in plenam se recepit libertatem; Et Carleolensem, qui sæpissimè tantò tempore vacat, quòd oblivioni potius datur quàm subjectioni. Sanè episcopi Scotiæ nostris temporibus exemti, domino Papæ contribuuntur. Sunt autem hi: Episcopatus S. Andreæ, Glasguensis, episcopatus candidæ casæ, Dumkeldensis, Dublaniensis, Rosmarchinensis, Brechinensis, Aberdonensis, Murensis vel Mauritanensis, Cathanensis, episcopatus de Arogathel.

(*b*) emtam. (*) f. in hyberno. (*a*) Londoniensi.

Scotia.

SIc ergò dum *ludit in humanis Romana potentia rebus*; hunc humiliat, & hunc exaltat, hunc Argum facit, illum Polyphemat, utinam hæc sit mutatio dexteræ excelsi! Etenim plenitudo potestatis apostolicæ multos dignos ejicit & indignos erigit; tantò districtius acceptura arbitrium, quantò singularius à summo Deo expectat judicium, à nemine mortalium judicanda.

Hiberniæ urbes.

HIbernia has habet metropoles: quatuor archiepiscopatus. *Armachia* habet suffraganeos Lugitadunensem, Elvanurandum, episcopatum de Cautimannas, & de Aradachad, & de Radung, & de Radabach, & de Damagang, & de Dauli. Archiepiscopus *Dublinensis* habet suffraganeos Glendovacensem, Childerensem, Asselenensem. *Candalvanensis* habet suffraganeos Luminechensem, de insula Gathal, (*b*) de Cellumabrat, de Himelec, de Roscomen, de Wadrefort, de Lismor, de Cluaman, de Corcoja, de Rosalictier, de Ardferd. *Tuaviensis* habet suffraganeos de Magot, de Cellalad, de Roscomon, de Cumanifert, de Achasd, de Cunairi, de Celummiduac.

XI. De tertia orbis parte, quam Africam dicimus.

EXplicuimus Asiæ & Europæ singulares partitiones, nunc ad Africanos transferri convenit, quam cùm tertiam orbis partem Majores nostri accipiendam descripserunt, non spatiorum mensuras, sed divisionum rationes secuti sunt. Mare siquidem hoc magnum, quod ex occasu ab Oceano oritur, in meridiem magis vergens angustiorem inter se & Oceanum coarctatæ Africæ limitem facit. Unde aliqui etiam, quamvis longitudine parem, tamen multò angustiorem intelligentes, verecundum arbitrati [sunt] tertiam vocare partem, sed potius in Europa deputantes Africam, hoc est secundæ partis portionem appellare maluerunt. Præterea cùm multò amplius terræ in Africa ardore solis quàm in Europa rigore frigoris incultum incognitumve sit, quippe cùm omnia animantia pene vel germinantia patientius vel tolerabilius ad summum frigoris quàm ad summum caloris accedant: Ea igitur causa est, Africam per omnia minorem fœtu ac populis videri, quia ex natura sui minus habet spatii, & cœli inclementia plus deserti: cujus descriptio hæc est. Africa enim (*c*) ab *Offer* uno ex posteris filiis Ceturæ, quæ est Agar, qui castra sua fixit in Libya, nomen sumsit, vel ab *Affara* filio Agar, cujus filiam *Hercules* duxit, auxiliator ejus. Hic ab Oriente Indi fluminis surgit, & per meridiem vergens tendit in Occidentem. Hujus provincia prima *Libya* est à regina ejusdem nominis dicta. Hæc à *Paretbonio* civitate & montibus Catabathmon initium sumit: post se habet usque ad Oceanum gentes Libyorum, Æthiopum & Garamantum. Hinc est ab Oriente Ægyptus, à septentrione mare Lybicum, ab occasu Syrtes majores & Troglodytæ, contra quos *Calypso* insula est; à meridie *Oceanus Æthiopicus*. Sunt autem *Syrtes* in mari Africo major & minor, loca arenosa, quæ omnia ad se trahunt; & appropinquantes vadoso mari hærent. Ægypto vicinæ sunt, alii scopulos dicunt. Inde est Cyrenaica à *Cyrene* civitate nominata, & à regina ejusdem nominis constructa. Hæc & *Pentapolis* à quinque civitatibus sic dicta, Berenica, Arsinoë, Ptolomaide, Apollonia, Syrene, vel per S literam, vel, ut alii dicunt, per C: quæ quidem urbes à nominibus conditorum suorum sic nominantur. Inde *Tripolis barbarica* dicta, ad differentiam *Tripolis, quæ in Syria* est, non multum distans ab Antiochia. Ab hac dicitur regio illa, quam diximus, Tripolitana, quæ & Subvinitana, (*d*) quæ & Arzugum dicitur, ubi Leptis magna civitas est, quamvis Arzuges per longum Africæ limitem generaliter vocentur. Dicitur autem Tripolitana à tribus civitatibus, quæ sunt Ouasa, Berete, & Leptis magna. Habet Tripolitana ab Oriente aras Philœnorum inter Syrtes majores & Troglodytas; à septentrione mare Siculum vel potius Adriaticum, & Syrtes majores (vel minores) ab occasu Byzantium (*e*) & lacum salinarum; à meridie Getulos, Barbaros & Garamantes, & Vatabros usque ad Oceanum Æthiopicum pertingentes. Post hanc est *Bisacé* à duabus urbibus sic dicta, hoc est Adronico & Bysantio. Est autem Bysantium, ubi Adrumetus, civitas magna. Hæc non intelligitur Bysantium Thraciæ, quæ est Constantinopolis, sed Bysantium Libyæ, sibi Bysacæ provinciæ. Deinde est *Zeugis*, ubi *Carthago* magna, à Didone vel

(*b*) Gatny. (*c*) ab Epher. (*d*) Subventana. (*e*) Bysatium.

vel Elissa constructa, & *Cartada*, à Carta oppido nominata, sed à Romanis deleta & denuò reædificata, Carthago appellata. Hujus muri latitudo fuit XVIII cubitorum. Post hanc est *Getulia*, in quam ars piscandi non venit, utpote non necessaria nec opportuna. Ex hinc *Numidia*, ubi regnavit Jugurtha, in hac est Hippus Regius (*e*) civitas, ubi Præsul fuit B. Augustinus, qui Valerio accessit, non successit, ut Cap. VI. q. 1. novarum. In hac est Russicada (*f*) civitas. Habent autem hæ civitates ab Oriente Syrtes minores & lacum salinarum, à septentrione mare nostrum, quod spectat ad Siciliam & Sardiniam insulas, ab occasu Mauritaniam Sittifensem, à meridie montes Uzarae, & postea Æthiopum gentes, provagantes usque ad Oceanum Æthiopicum. Post Numidiam sequitur *Mauritania Sitifensis & Cæsariensis*, habens ab Oriente Numidiam, à septentrione mare nostrum, ab occasu fiumen *Malvam*, à meridie montem *Austrixim*, (*ff*) qui dividit inter vivam terram & arenas, jacentes usque ad Oceanum, in quibus oberrat gens *Aulolum*, quam Gaulales vocantur & Æthiopes. (*fff*) *Tingitana Mauritania* ultima pars est Africæ. Hæc habet ab Oriente flumen Malvam, à septentrione mare nostrum usque ad *fretum Gaditanum*, quod inter Abylam & Calpen, duo sibi contraria promontoria, coarctatur. Ab Occidente habet Atlantem montem & Oceanum Atlanticum, sub Africo Hesperum montem, à meridie gentes Gaulolum (*) usque ad oceanum pertingentes. Dicitur autem Tingitana à Tingi civitate, hujus Mauritaniæ metropoli. Porrò versus meridiem, ut diximus, est *Æthiopia* ab æthere dicta. Æthiopes autem à Chus, filio Cham, dicuntur. Chus enim Arabicâ lingua æthiops interpretatur. Hi quondam ab Indo flumine consurgentes, juxta Ægyptum, inter Nilum & Oceanum, in meridie sub ipsâ vicinitate solis insederunt, quorum tres sunt populi: Hesperi, Garamantes & Indi. Hesperi sunt occidentes, ab hespero stella: Garamantes Tripolitani [Tripolitanis vicini] Indi orientales. Interpretatur Æthiops, tenebræ & tenebrosus. Est autem *Mauritania* à nigredine dicta, suntque plurimæ Maurorum, hoc est nigrorum gentes: Mauritania superior, in qua civitas Neocæsarea, & civitas Tuburbicanorum. Post hanc Tingitana, & versus meridiem Æthiopia. Quarta, in qua est urbs *Saba*, de qua fuit Regina Sabæ. Ultima in Occidente, inter quas sunt *Garamantes*, à Garama civitate sic dicti. Apud hanc est fons ita frigidus per diem, ut non bibatur, & tàm fervidus per noctem, ut non tangatur. Istis versus Orientem cohabitant *Troglodytæ*, qui celeri cursu feras capiunt. Ultra Æthiopiam, versus meridiem, sunt maritima loca deserta, ob solis ardorem & diversa serpentum genera hominibus incognita. Deinde maximus Oceanus est, qui solis ardore & calore fervere dicitur ut cacabus. In extremis finibus Africæ ad Occidentem est urbs Gades à Phœnicibus constructa, ex qua Gades insula & fretum Gaditanum, ubi & *columnæ Herculis* visuntur. In ipso verò Oceano mons est *Atlas* altissimus, habens Mauritaniam Tingitanam à sinistra, à quo Atlanticum mare dicitur. *Atlas* autem *Rex* erat, frater Promethei, à quo mons nomen accepit, quia in eo residens Astrologiam descripsit. Unde & cœlum sustentare dicitur. Porrò inter montem Atlantem, qui est ab Occidente, & montes Gaulandes, à quibus inhabitatores Gauloles dicuntur, ad Africum est civitas Hesperidum, habens ab Africo Hesperium oceanum, ab Austro Gauloles, à septentrione *Theosoniam*, continuo igne flammantem. Sunt & illic insulæ Hesperiæ, ab Hespero stella vel *Hespida* civitate dictæ. In hac oves albi velleris abundant, quæ ad purpuram optimæ sunt. Unde dicitur fabulosè, aurea mala habuisse. Malon enim dicitur ovis. *Ultra has fuit insula magna, quæ*, scribente Platone, *cum populo est submersa, quæ Asiam & Europam suâ vicit magnitudine*, ubi concretum est mare. Porrò inter Zephyrum & Africum ex adverso Advennæ & Calpis, ut dixi, promontoriorum, juxta Atlantem sunt in Oceano *insulæ Gorgones*, sic dictæ, quia Gorgones eas inhabitant, distantes à terra per bidui navigationem. Sanè in ipso Gaditani freti confinio versus Africum est *insula Fortunatorum*, suo vocabulo illic omnium bona esse significans, & inhabitatores adinstar paradisi felices esse notans, loci amoenitate fructuumque plenissima ubertate, cunctis gratissima, sed paucis nota, quæ aliquando casu inventa, posteà diu quæsita, non est reperta, adeoque dicitur *perdita*. Ad hanc tradunt *Brandinum, virum sanctum, oceani exploratorem* tandem devenisse. Est autem hæc insula fortunatorum secundum Philosophos dicta, quam secundum Poëtam *Elysium campum* dicimus. Est autem elysius campus secundum Virgilium apud inferos, ubi piorum animæ, post corporis ac animæ discretionem habitant, unde dicitur ** id est interius, quasi post mortem, inter animam & corpus in medio, velut in sinu quodam, suis felicitatibus plenum, quem quidam sinum Abrahæ dicunt, quia *illic ante resurrectionem Christi Abraham cum reliquis sanctis expectabat redemtionem nostram & victoriam Christi.* Alii Theologi dicunt, locum

(*e*) Regia. (*f*) Susicada. (*ff*) Mastrixim. (*fff*) Gangynes Æthiopes. (*) Gaulolum.

locum esse juxta lunarem circulum, ubi inde purior est aër. Sunt & in Oceano, sed versus Circium ultra Hiberniam *Orcades* insulæ triginta tres, quarum viginti sunt desertæ, tredecim coluntur. Versus quoque septentrionem sunt insulæ: *Islandia*, quæ est terra glacialis, ab *is*, quod in illorum idiomate glaciem sonat; & *Gothlandia*, quas Britanniæ majori subjecit Rex Britonum Arturus, cujus facta tantò sunt stupore plena, quod etiam fabulosa vel propter sui magnitudinem vel propter nostri temporis defectum esse censentur. Post cujus exacta regnandi tempora ipsas iterum Britonum ditioni reddidit, eò, quod ab eo descivissent, *Malgio* ab Arturo quintus, vir pulcherrimus, robustus & largissimus. Succedit ultima *Thule*, Oceani insula inter septentrionalem & occidentalem plagam, à Sole, Titane, nomen faciens, quia nunquam æstivum solstitium facit. Hujus arbores nunquam folia deponunt. In hac sex mensibus æstivis æstivus dies est, ut dicunt, continua, sex hybernis nox continua. Ultra hanc versus Aquilonem est mare glacie [glaciale] frigusque perpetuum; verumtamen Orcades insulas, Islandiam, Gothlandiam & ultimam Thulen intra fines Europæ censemus.

XII. De insulis Mediterrànei maris.

ET quoniam mare mediterraneum à Mæotidis paludibus, ut diximus, incipiens, in modum Y Græcæ literæ formatur, dum ab ejus initio usque ad insulam Hellespontum protractior pars divisionis extenditur, & à mari Alexandriæ, quod mare Syricum dicitur, altera parte breviore suæ divisionis protenditur; cycladibus insulis velut meditullium litteræ continentibus, inter quas unius literæ particulas Asia minor ab Orientali parte ad Cappadociam Syriamque progreditur, * nostroque mari versus Oceanum immergitur. Postquam explicuimus longioris tractus *insulas*, nunc brevioris tractus insulas explicemus, quæ à mari nostro versus oceanum ab occasu descendunt. Inter has prima *Cyprus* occurrit, quæ ab Oriente, mari Syriæ, quod sinum Syricum vocant, ab occidente mari Pamphylico, à septentrione *aulone* Ciliciorum, à meridie Syriæ ac Phœniciæ pelago cingitur; ab euro Sidonem & montem Libani in Syria respicit. Est autem Cyprus à *Cypro* civitate dicta, cujus spatium in longo tenet millia passuum centum septuaginta quinque, in latò millia passuum, centum & viginti quinque. In hac unicus est metropolita *Nicosiensis*, & tres episcopi, Paphensis, Innocensis & Famagustanus. In hac sunt Salaminia, Cirrium & Lapitha & Paphus, nobilis olim carminibus Poëtarum; quæ frequente terræ motu lapsa, quæ olim fuerit, ostendit suarum ruinarum vestigiis. Insula *Creta* à Creto Rege dicta, eadem quæ centopolis à centum urbibus, quarum major Gortyna, finitur ab Oriente Carpathio mari, ab occasu & septentrione mari Cretico, à meridie mari Libyco, quod est Adriaticum, ab Adria civitate dictum. (*f*) Habet autem Creta in longo millia passuum centum & septuaginta duo, in lato quinquaginta. *Cyclades* insulæ dicuntur, quod in rotundo sunt positæ. Cyclos enim Græcè, orbis Latinè. Sunt autem quinquaginta quatuor insulæ, in Ægeo mari contra Asiam positæ. Harum prima *Rhodus* ab Oriente, unde lex Rhodia de jactu nuncupatur, à nomine civitatis ejusdem dicta. In hac fertur Colossus fuisse septuaginta cubitorum altus. Inter hanc & Malcas (*g*) ad Cyprum est transitus per Cycladas. Inter hanc & Cyprum sunt syrtes, quæ vulgò *Gulfus Satalia* nominantur, ubi caput Gorgonis in mare projectum dicunt, respiciuntque Sataliam urbem, quæ ad Soldanum *Iconii* dicitur pertinere. Tradunt autem *Gorgonem* meretricem fuisse, quæ suâ pulchritudine homines mentis impotes reddebat. Ejus caput Perseus in mare projecit. Indigenæ referunt, militem quendam reginam adamasse, cujus stupro cùm frui non posset, ipsam mortuam & sepultam furtivo coitu cognovit, ex qua genuit caput tàm monstrosum. In conceptione miles per vocem in aëre audivit: quod pariet, suo intuitu omnia respecta perdet & consumet. Post novem mensium decursum miles apertò tumulo caput reperit, à cujus facie se semper avertit, & cum hostibus illud ostendebat, ipsos statim cum urbibus perdebat. Tandem in mari navigans in gremio amasiæ obdormivit, quæ clanculò clavem scrinii, in quo repositum erat caput, subripuit, & cùm stulta speculatrix caput respexerat, statim obiit. Expergefactus miles re comperta doloreque tactus, caput erexit, & ab erecto vultu conspectus, cum nave periit. Hinc tradunt, in capite septennii caput faciem ad superiora vertere, & hoc periculum in mari navigantibus generare. A septentrione *Tenedos* insula à civitate Thene, à meridie *Carpatos*, contra Ægyptum posita: Unde Carpatium mare, & Carpatiæ naves. Ad occasum est *Cythera* à Cythero monte dicta. Hic & Paphus, de qua Poëta: Est & amata & clara mihi Paphos atque

(*f*) male. (*g*) Mavras.

que Cythera. *Delos* insula in medio Cycladum sita, à civitate ejusdem nominis dicta. Hæc post diluvium in Achaia factum diebus Jacob & sub Ogyge Rege, qui urbem Acinclysim nominaverat, prima apparuit. Unde Delos, quæ sonat manifestum, nomen accepit. Hæc & Orthygia ab Ortygometris, hoc est, coturnicibus sic dicta, quia illic primùm visæ sunt. *Icaria* insula ab Icaro puero Cretense sic dicta, à quo & mare Icarium, in quo submersus dicitur. *Naxos* insula Dionysii, qui est Bacchus. *Melos* quoque & *Scoria*, (*b*) rotunda insula *Paros* à civitate ejusdem nominis, à Jasonis nepote constructa. Hæc gignit *marmor* candidissimum, quod *Parium* dicitur, hîc etiam *Sardius lapis* nascitur. *Cyclon* * est insula, in qua * matrix oritur. Finiuntur autem cyclades insulæ ab Oriente littoribus Asiæ, ab Occidente mari Icario, à septentrione mari Ægæo, à meridie verò mari Carpatio. Tenent autem à septentrione in meridiem millia passuum quingenta, ab Oriente in occasum millia ducenta. *Sicilia* insula, de qua suprà in tractatu Italiæ diximus, à Siculo, fratre Itali, nomen accepit, vel à *sic* & *oleos*, hoc est à ficu & oleastro, quæ duæ arbores Græcis ipsam inhabitantibus ad conspectum primum apparuerunt. Sicos enim Græcè ficus, unde Sicomorus, ficus fatua. Dictam etiam quondam perhibent Sicaniam à Sicano Rege, sicut Trinacria à tribus promontoriis, quasi à tribus acris, Peloro, Pachynio & Lilybæo, quare & Tricadra dicitur, quasi per tres quadras divisa. Pelorum adspicit aquilonem, cui Messena civitas proxima est. Pachynium, sub quo civitas Syracusana, respicit ab Euro Austrum. Lilybæum, ubi civitas ejusdem nominis sita est, dirigitur ad occasum. Sunt ergò à Peloro in Pachynum millia passuum, centum & quinquaginta novem, à Pachyno in Lilybæum centum septuaginta septem. Sanè Sicilia ab Italia modico freto distingvitur, in quo *Scylla* & *Charybdis* marinæ voragines, quibus navigia absorbentur aut colliduntur, quem locum Pharum nominant. In hanc referunt ex coactione Regis Siculi *Rogerii* descendisse *Nicolaum Papam*, hominem de Apulia oriundum, cujus mansio ferè continuò erat in profundo maris. Hic à marinis beluis quasi notus ac familiaris vitabatur ad malum, maris sedulus explorator, currentibus in pelago navibus nautis instantes tempestates prænuntiabat, & cum derepente à mari nudus prorumpebat, & nihil præter *oleum* à transeuntibus postulabat, ut ejus beneficio fundum abyssi maris speculatius intueri posset atque rimari. Hic in Pharo nemorosam abyssum esse dicebat. Ex arborum itaque oppositis obicibus fluctus collidi invicem proponebat, asserens, in mari montes esse & valles, sylvas & campos & arbores glandiferas, ad cujus rei fidem nos quoque glandes marinas in littore maris sæpè prospeximus. Porrò Sicilia quondam patria fuit *Cyclopum*, & posteà nutrix semper tyrannorum. Erant autem Cyclopes unicum in fronte oculum habentes, quales India gignit. Hæc prima omnium terrarum commissis seminibus, aratro proscissa legitur, ut ait Isidorus. Hæc ab oriente cingitur mari Adriatico, à meridie mari Africo, quod est contra *subventanos* & *Syrtes minores*. Ab occidente habet mare Tyrrhenum, à borea usque ad subsolanum fretum Adriaticum, quod dividit Tauromenitanos Siciliæ. Est autem Tauromenitanus mons Siciliæ asper, & lapides ejus plurimùm acuti. In Sicilia est mons *Aetna*, cujus exustu sulphurea fiunt incendia, in cujus confinio est civitas Catanensis, in qua gloriosissimi corporis B. Agathæ virginis ac martyris thesaurus ostenditur, suo beneficio civitatem illam servans ab incendio. Hunc autem montem vulgares *Mongibel* appellant. In hujus deserto narrant indigenæ *Arturum magnum* nostris temporibus apparuisse. Cùm enim uno aliquo die custos Palefredi Episcopi Catanensis commissum sibi equum depulveraret, subito impetu lasciviæ pingvedinis equus exiliens ac in propriam se recipiens libertatem, fugit. Ab insequente ministro per montis ardua præcipitiaque quæsitus nec inventus, timore pedissequo succrescente, circa montis opaca perquiritur. Quid plura? arctissima semita sed plana est inventa; puer in spatiosissimam planitiem jucundam omnibusque deliciis plenam venit, ibique in palatio miro opere constructo Arturum in strato regii apparatus recubantem. Cumque ab advena & peregrino causam sui adventus percontaretur, agnitâ causa itineris, statim Palefridum episcop. facit adduci, ipsumque Præsuli reddendum, ministro commendat, adjiciens, se illic antiquitus in bello, cum Modredo nepote suo & Childerico duce Saxonum pridem commisso, vulneribus quotannis recrudescentibus, saucium diu mansisse, quinimò, ut ab indigenis accepi, Exenia (*c*) sua ad antistitem illum destinavit, quæ à multis visa & à pluribus fabulosâ novitate admirata fuerunt. Sed & in sylvis Britanniæ majoris aut minoris consimilia contigisse referuntur, narrantibus nemorum custodibus, quos *forestarios*, quasi indaginum ac vivariorum ferinorum aut regiorum nemorum, vulgus nominat, se alternis diebus circa horam meridianam & in primo noctium conticinio sub plenilunio lunâ lucente, sæpissimè vi-

Aaa aaa dere

(*b*) Sefiria [Zephyria.] (*c*) f. xenia id est munera.

dere militum copiam venantium & canum & cornuum strepitum, qui sciscitantibus, se de societate & familia Arturi esse, affirmant. His ergò velut adinstar fabularum decursis, ad materiam redeamus, non enim sine justa dubitatione quæritur, cur in Sicilia tanta fiunt incendia ac terræ motus? respondeo, quod in terra est abyssus, id est immensa profunditas sic dicta, quia hic fundus nobis imperscrutabilis; de qua abysso scriptum est: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Juxta hanc sunt loca cavernosa & speluncæ latè patentes. In his venti de spiramine aquarum concipiuntur, qui etiam spiritus procellarum dicuntur. Montes enim & aquæ ventos faciunt; montes suo obstaculo. Natura enim impetus est, ut contra fortes plus pugnet, & *obstaculum materia est pugnæ;* Sed & aqua ex sui levitate mota flatum excitat ac generat. Unde juxta fluenta Rhodani vigent flatus & homines generantur ventosi, inanes, inconstantes & in promissis suis maximè mentientes. Qualis enim materia, talis materiatus, qualis aër, talis in humano corpore complexio, nec ad id solum effectum suum ostendit aër quod gravat; Sed & velut pix omnia sua labe inficit in totum vel in partem, quod tangit. Unde est, quod tibi, *Princeps sacratissime, & Domine*, dico, quod *satius esset*, *imperium minui in dimensione terrarum, quàm sic sine correptione à sua iniquitate corrumpi ob perpetua defectum justitiæ.* Ecce enim audacter loquor, & fidelitate, quâ tibi teneor, denuncio, quod inter omnes imperii tui regiones non est angulus imperio tuo commodus, sic omnibus confinibus tuis, regi Francorum, Regibus Hispanorum, barbaris gentilium, terræ sanctæ, Italiæ, * tuo regno, Siciliæque Domino, conterminalibus tuis, terribilis aut opportunus ac necessarius. *Regnum* enim *Arelatense*, quod (ut est *in antiquissimis imperii regionibus*) continetur Bisuntina, Tarentasiensi, Lugdunensi; pro capite suo antiquissimo Vianensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi provinciis circumcluditur, quasi nodus retiacli (*) comminatoriam facit sententiam sua strenuitate, accessusque facilitate, regno Francorum; maritimæ, potenti adituque facili terræ Hispanorum, ac gentilium Africanorum; levi ac brevi Alpium cotiarum transitu, multitudini Lombardorum, Januensibus, Pisanis ac Siculis aliisque tuo imperio subjectis adjutorium ex tua voluntate ferre potest, aut ex contrario tuo motu nocumentum. Est enim *gens, quam provincialem appellamus*, consilio perspicax, opere, cùm vult, efficax, promissis fallax, sine armorum pondere bellicosa, pro sua paupertate in cibando larga, in nocendo insidiosa, inter probra taciturna; cum locus aut tempus suppetit, malefacta memorat, bello navali circumspecta & victoriosa, caloris patiens ac frigoris, famis ac saturitatis; gens in substantia tenuis, quia vult, & abundantiâ pacis affluens, quando vult. Si dominum continuum [haberet] quem timeret, nulla gens citius frangeretur ad bonum, nec ulla, quia non est à quo regatur, paratior est ad malum. Terra præ omnibus fructuosa, salibus, piscibus, carnibus, omnimodis venationibus, lapidiciniis, stagnis, lacubus, montibus, paludibus, fontibus, rivis, fluviis, nemoribus, sylvis ac pascuis deliciosa. Cùm in omnibus abundet, in solo rectore bono ac principe egena est. Tibi hoc est, *Domine*, quod imputetur, qui caput tenes imperii, & cum membra extranea moderaris, quod non minus esset commodum regnum, moderari contemnis. Hoc hactenus. Ad materiam redeamus jam cœptam. *Venti*, ut diximus, de spiramine aquarum concipiuntur, qui, ut præmisimus, spiritus procellarum dicuntur, & hi suo spiramine aquas maris, per patentes terrarum cavernas, in abyssum attrahunt, & ea inundante, iterum magno impetu repellunt. De his quoque ventis fit terræ motus. Nam venti, concavis locis inclusi, dum erumpere gestiunt, terram horrore & horribili tremore concutiunt, eamque tremere faciunt. Hinc etiam fit terræ hiatus, dum loca concava, continuis aquis fragilia, ventis concussa rumpuntur & introrsus cadentia in hiatum aperiuntur: unde multæ civitates absorptæ sunt. Hoc autem est in terra tremor, quod in nube tonitrua; hic hiatus, quod ibi fulmen. Fiunt autem cum terræ motu inundationes maris, eò videlicet spiritu infusæ, vel residentes sinu receptæ. Unde tellus Siciliæ cavernosa ac sulphurea & bitumine strata, ventis & ignibus tota patet, spirituque introrsus cum igne certante, multis sæpè locis fumum aut vapores vel flammas eructat, ventoque acrius incumbente, arenarum lapidumve moles excitat. Inde mons *Aetna* ad exemplum gehennæ tam diutinum eructuat incendium; quod *insularum Aeolidum* dicunt undis nutriri, dum aquarum concursus spiritum in unum profundum secum rapiens tamdiu suffocat, donec terræ venis diffusus fomenta ignis accendit. Hinc Scyllæi canes latrare finguntur, dum procul navigantes undarum fremore terrentur, quos sorbente voragine colligit æstus: similique de causa in aliis etiam terris incendium surgit & gehennam protendit. Ad hæc juxta Siciliam sunt positæ *Aeoliæ insulæ* ab Æolo Rege dictæ, qui Rex ventorum fabulosè describitur, quæ etiam Lipares

(*) f. reticuli.

pares dicuntur, quarum undis, ut diximus, ignem Ætnæ affirmant enutriri. Porrò inter Siciliam & Æolias est insula *Capsa*, (*k*) Carthaginem Africæ à meridie respiciens.

De Sardinia.

Sardinia insula à *Sardinio* Rege, Herculis filio, dicta vicinam habet Corsicam, parvo freto viginti milliariorum divisam. Hæc habet à meridie contra Caralitanos Numidiam, contra Corsicam, hoc est contra septentrionem Ulbienses. Hujus in longum spatium, tenet millia passuum centum (*l*) triginta, in latum octoginta. Hæc habet ab Oriente & borea Tyrrhenum mare, quod spectat ad portum urbis Romæ, ab occasu mare Sardum, ab Africo insulas Baleares longe positas, à meridie Numidicum sinum, à septentrione, ut dixi, Corsicam. Porrò, ut ajunt, in Sardinia nec lupus ex antiquo nec serpens gignitur. In ea est *solifugum* animal, morsu homines perimens. In ea est herba similis Apiastro, quæ comedentes rictibus contrahit, & quasi ridentes interimit. In hac sunt fontes calidi infirmis medelam, furibus inferentes cœcitatem.

De insula Corsica.

Corsica insula, contra Liguriam sita, à Corso Rege dicta, aut, ut alii autumant, à Corsa muliere, quæ primitus taurum suum quærens illuc venit, & referens loci fertilitatem, à Liguribus eam fecit inhabitari. Hæc & Carine, à Carino Herculis filio dicta, quia ab eo est inhabitata. Hæc multis promontoriis est angulosa, habens ab Oriente Tyrrhenum mare & portum urbis Romæ, à meridie Sardiniam, ab occasu baleares insulas, à Circio & septentrione Ligusticum sinum. Tenet autem in longum millia passuum centum sexaginta, in latum millia viginti sex.

Sicades insulæ.

Sunt & *insulæ Sicades* contra portum Massiliensium ab Oriente sitæ, parvâ plagâ ab ipsa civitate distantes. Sicades insula, quà Rhodanus mare nostrum influit, ab oriente & occidente septentrioneque fluvio Rhodano per tria brachia diviso clauditur, à meridie mari nostro; habens in longum millia passuum duodecim, in latum millia passuum quinque & paulò plus.

Bophus.

Bophus insula, aut, ut alii dicunt, Ebophus, (*) contra Hispaniam sita est. Hanc fugiunt serpentes nec ab illa longe est *Columbria* insula angvibus plena. Insulæ *baleares* duæ sunt, major & minor, quibus insunt bina oppida. Major quæ *Majorica* dicitur, Tarraconam Hispaniæ civitatem, minor, quæ vulgò *Minorica* nominatur, Barsinonam versus septentrionem contra se habent; ab oriente Sardiniam, ab Aquilone mare Gallicum, à meridie & africo Mauritanicum pelagus, ab occasu Ibericum mare. Nunc episcopatus Sardiniæ cum suis metropolitanis enumeremus. Habet enim tres metropoles.

Urbes Sardiniæ.

Calaritanus habet suffraganeos: Sulcitanum, Olienensem, Suvellenensem. *Turritanus* habet hos suffraganeos: Sorensem, Planacensem, Ampuniensem, Gisarlensem, Castrensem, Othanensem, Rosanensem. (*a*) *Arboriensis* hos habet suffraganeos: Usellensem, episcopatum S. Justæ, de Turri alba. Civitatensis *Domini Papæ*. Castellinensis *Domini Papæ*.

XIII. De mari & ejus natura.

Descripsimus orbis oceano inclusi partitiones, nec prætereundum arbitror, quod Oceanus quasi Zonarum limbus dicitur. Quinque enim Zonas mundi in modum limbi ambit; estque oceani unus *accessus* unusque *recessus*, & lunam sequitur, cujus aspiratione retrò trahitur & impulsu refunditur. Quotidie autem bis refluere & affluere cernitur, maximè in nostro Britannico mari, cùm luna crescit, aut decrescit. Cùm luna est

(*k*) f. Tapsus. (*l*) ducenta. (*) f. Ebusus. (*a*) Bosanensem.

in æquinoctio, majores Oceani fluctus surgunt, & maximè in Martio & Septembri: in solstitio minores, ob lunæ longinquitatem. In exortu lunæ vorago majore æstu fluctus revolvit & removet. Hinc est vorago, quæ omnes aquas & nives absorbet & revomit. Sicut autem calor ex igne, ita frigus ex aqua nascitur. Unde extremæ partes Oceani frigido gelu perpetuoque frigore horrent, quia calore solis semper aut sæpè carent: pars autem Oceani, quæ medium orbem dividit, ideò semper calore fervet, quia solem iterum supra se respicit. Porrò Oceanus fluminum incursu non augetur, quia fluenta dulcia partim undis salsis consumuntur, vel ventis aut vapore solis arripiuntur, partim in suos amnes per occultos meatus revertuntur. Sanè *mare* dicitur *ab amaritudine*, quod per venas terræ occulto meatu decurrens, amaritudinem ex terra deponit, dulcedinem in fontibus eructuat & in se ipsum refluit. Dicitur tamen, quod aquæ duplex sit natura, salsa & dulcis. Salsa maris est gravior: dulcis fontium est levior, sicut fluminum. Cùm ergò legitur, quod Deus fontem produxit & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, dicitur, quod eruptio omnium fontium ac fluviorum dulcis aquæ de fonte illo decurrit, & in matricem, ejusdem fontis abyssum, refluit; quæ, licet universa maria influat, amaris tamen aquis non immiscetur, sed, ut puta levis, semper super aquas salsas ut graviores labitur, & in occultum suum cursum revertitur. Inde est, quod mare non redundat, cùm illud omnia flumina subintrent. Sed & suprema maris unda non est adeò amara, sicut illa, quæ in imò posita est. Verum his obviare videtur, quod in maris fundo scaturigines dulcissimæ ebullire perhibentur, quod tamen ex vi scaturiginis, vicinas aquas potius quàm superiores ac magis remotas facit dulcescere. Porrò, quod quædam aquæ calidæ, quædam frigidæ prodeunt, ex eo provenit, quod aqua frigida naturaliter est: verùm quandoque accidentaliter ex contagione terræ sulphureæ calida est. Si vicinior ignito sulphuri, calidior; si remotior, tepida comparet: unde & ex fœtore sulphuris putrida fit, & calore ejus & siccitate scabiem curat. Sic & inhabitatione serpentum inficitur vicina aqua, quæ dum de terra corrupta exsurgit, bibentes interimit. Ex hoc provenit, quod mare mortuum à ventis non movetur, & in se nihil vivere patitur, quod ex vi bituminis lacus asphaltidis creditur evenire: ex quo glutino turris Babel dicitur ædificata. Est etiam illud notandum, quod pisces & aves in aquis commorentur, ut ex eis nutriantur, quia de ipsis facta leguntur; cùm aves aëre, pisces aquâ portantur. Aër enim ut aqua humidus, & terra aquæ permixta. Unde & quædam bestiæ de terra oriuntur, & tamen ampliorem in aquis potentiam habent, aquis potius ut potentius immorantes, ut sunt crocodili, quorum ipsa potentia ac virtus in terra modica, in aqua maxima, ita ut omnia, quæ sub aquis comprehendunt, ad se trahant.

XIV. De Ducibus Israël, & regibus Latii, & excidio Trojano.

EXplicuimus jam totius tripartiti orbis seriem, & quoniam, ut superius diximus, post Babylonium regnum orientale, Macedonicum à septentrione, & Africanum à meridie, novissimum monarchiæ locum *Romanum* tenet *imperium*, ad quod te, *serenissime Imperator*, Deus elegit, illud unde prodierit, quibusve ipsum conditionibus succreverit, breviter subjungamus. Constat ergò, *excidium Trojæ* Romani regni extitisse principium. Cùm enim ab exordio mundi usque ad annum primum egressionis filiorum Israël de Ægypto computentur anni cIɔ cIɔ CCCCLIV juxta Ebraicam veritatem, Moses eductum ab Ægypto populum rexit annis XL, à quo usque ad Salomonem & ædificationem templi sunt anni CCCCLXXX, & tunc vitis invenitur in Græcia. Post Mosen Josua ** annis populum rexit, qui terram Palæstinorum sorte populo distribuit. Post quem Athoniel de tribu Juda annis XL populum rexit, cujus tempore subjecti fuerunt Ebræi Cusan Risathaim Regi Mesopotamiæ octo annis, & tunc Cadmus literas Græcas dedit; post quem rexit populum Ajoth, filius Jera, filii Jemini, annis LXXX: cujus tempore servivit Israël Eglon Regi Moabitarum annis XVIII, donec eum percussit. Tunc Troja conditur. Huic successit Debora prophetissa de tribu Ephraim, & tunc oppressit Israël Jabin Rex Canaan annis XX. Hic notandum est, quod eodem anno, quô nati sunt Jacob & Esau, *Regnum Argivorum* exortum est sub Inacho, patre Isidis, primo Rege. Cucurrit autem usque ad duodecimum annum Deboræ, durans usque ad ultimum Acrisium, per Reges tredecim, & annos quingentos quadraginta quatuor, quo à Perseo occiso transtulit Perseus regnum in Mycenas. Quod autem dicitur processisse ab Inacho ad Elenum, dicendum, Inachi posteros regnasse usque tunc ad datum regnum *Danao*, qui ex regio genere non erat. Ex hinc rexit Gideon de tribu Manasse, sub quo servivit Israël Madianitis & Amalekitis annis sex, sed Gideon pugnante, liberatus est. Et tunc Tyrus condita.

Cui

Cui successit filius Gideonis Abimelech, qui regnavit in Sichem annis tribus. Post hunc Thola, filius Thoa de Issachar, annis XXIII. Tunc Hercules, qui & Alcides ab ἀλκῆ, quod est virtus, & idea quod est forma; quia fortis erat & formosus; Agonem Olympiacum constituit, à quo usque ad primam Olympiadem supputantur anni quadringenti & triginta. Tunc *Theseus* rapit Helenam, quam Castor & Pollux recuperant, captâ matre Thesei. Tunc Carmentis literas Latinas reperit & Carthago conditur. Ex hinc Jephtha Galadites annis sex populum rexit. Post Jephtham rexit populum Abesan de Juda, cujus tempore *Agamemnon* imperavit Mycenis & *Menelaus* Lacedæmoniis. Post hunc judicavit populum Achilon de Zabulon decem annis. Tunc Paris Helenam rapit & Troja obsidetur. Post hunc judicavit populum Abdon octo annis. Tunc clades facta est in Benjamin, pro uxore Levitæ. Et Troja anno tertio capitur ab Achivis. Æneas & Phrygius, fratres profugi, Troja exeunt. Post eversionem verò Trojæ anno sexto regnavit *Æneas* in Latio, & tunc Samson de tribu Dan rexit populum Israël, & servivit Israël Philistæis. Æneæ successit Ascanius, cui nomen Julo, & post ipsum Sylvius Æneas, Ascanii frater, & filius Æneæ secundus. Verùm Ascanius filium habuit Sylvium, ex quo prodiit Brutus, à quo Britannia tàm major quàm minor nomen accepit. Sylvio Æneæ successit Sylvius Latinus, post hunc Sylvius Albanus, post hunc Sylvius Capetus, post hunc Capys filius Capeti, post hunc Procas, post hunc Numitor, de quo illud: Ilia cum Lauso de Numitore sati. Post hunc Rhea Sylvia, post quam Roma surrexit, à filiis ejus fundata. Est autem annorum summa hæc: ab Adam usque ad Ninum, sub quo natus est Abraham, anno regni ejus quadragesimo tertio, sunt tria millia, centum & octoginta quatuor. Ex hinc usque ad subversionem Pentapolis, ducenti quadraginta, ad somnium verò Pharaonis & Joseph CCC octo minus. A Nino usque ad plagas Ægypti quingenti. A Nino usque ad raptum Helenæ octingenti octoginta. Post decennium captâ Trojâ anno sexto, ut dixi, regnavit Æneas in Latio, peremto Turno, Rege Rutulorum, ducta Lavinia, filia Latini, cui successit Julus.

XV. De regno Romanorum, Israëlitarum, Medorum, Macedonum, Ægyptiorum, Persarum.

JAm nunc excidium Trojæ, quod Romani regni seminarium fuit, ad successivam Latii gubernationem protraximus, cum regimine populi Israëlitici tempora Ducum Israël & Regum continuantes. Post Samsonem Heli Sacerdos annis quadraginta populum rexit, aut, secundum LXX interpretes, annis viginti. Post Eli Samuel annis duodecim, ut ait *Egesippus*. Ex hinc Judæorum regnum sumsit exordium à Saule, qui primus fuit Ebræorum Rex. Regnavit annis undecim, inprimis simplex, ut puer unius anni, in quo quarta ætas cœpit. Sauli David successit & regnavit annis quadraginta. Tunc Ephesus condita est. Post hunc regnavit Salomon annis totidem. Hic quarto anno regni sui templum cœpit ædificare. Post hunc Roboam regnavit annis septendecim, & Jeroboam de tribu Ephraim separavit decem tribus à domo David. Hujus anno quinto Sesac Rex Ægypti Hierosolymam & templum spoliavit. Post hunc Abias filius Jeroboam regnavit annis tribus. Post hunc filius ejus Assa annis uno & quadraginta. Hic idola destruxit & templum mundavit. Post hunc filius ejus Josaphat annis viginti quinque. Tunc prophetavit Elias. Post hunc Joram filius ejus annis octo. Et Elias raptus est. Post hunc Ahasias, filius ejus anno uno. Post hunc Athalia, mater Ahasiæ annis sex. Post hanc Joas filius Ahasiæ. Post hunc Amasias filius ejus annis viginti novem. Tunc Ælisæus sepelitur in Samaria, & Asahel Rex Syriæ afflixit Israël. Post hunc Azarias, qui & Osias, filius Amasiæ, regnavit annis LII. Hujus anno sexto Arbaces Medus, Assyriorum destruxit imperium, interfecto Sardanapalo. Post Osiam filius ejus Jotham regnavit annis sedecim. Tunc Esaias prophetavit, & Olympias prima ab Eliensibus constituitur, Eliis agentibus agonem & quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus: & ob hæc Elidum certamina tempus Olympiadum vocaverunt, quadriennio in una Olympiade supputato, sicut *indictio* dicta est quasi valde dictio, quindecim annorum spatium continens. Cùm enim per tres orbis partitiones, Europam, Asiam & Africam, Augustus Cæsar censum indixisset ad supplementum reipublicæ, prima indictio in Europa facta est per quinque annos, & quinto anno censu Romam delato, *urbs illustrabatur lampadibus;* unde & lustrum nominatum est quasi spatium quinque annorum. Sexto anno Africa censu consimili illustrabatur, & sic aliud lustrum fiebat. Undecimo anno aliud lustrum in Asia fiebat, sicque decimo quinto anno in custodia archivi publici collocabatur, & septenis diebus, expletis annis quindecim, urbs illustrabatur. Sunt qui dicunt, ideò dici indictiones per quinos annos distingui, quia primus quinque annis dabatur aurum, aliis quinis argentum, aliis quinis æs, & sic complebatur indictio per

spatium quindecim annorum. Hôc autem indictionis annum argumentô poteris invenire. Sume annos incarnationis Domini quotquot fuerunt, in præsenti, v. g. M CCXI. adde semper tria, quia quartâ indictione natus est Christus secundum Dionysium. Fiunt ergò M CCXIV. Hos partire per XV. Sunt ergò in unoquoque centenario sex indictiones & X anni. Fiunt ex MCC annis LXXX indictiones: remanent XI ex principali numero, & III ex primo ternarii additamento, & sic cuncta faciunt XIV. Quarta decima ergò est indictio, si verò nihil remanet, quinta decima erit. *Incipiunt autem Indictiones ab octavo Kal. Octobris*, ibidemque terminantur. Sed & annos incarnationis quidam à nativitate Domini, quidam ab annunciatione computant, ideoque diversi sunt. Post Jotham regnavit filius ejus Ahas annis XVI. Hujus tempore *Roma* condita est in monte Palatino XI. Kal. Maji, à geminis Remo & Romulo, Rheæ Sylviæ filiis. Post Aham regnavit Ezechias filius ejus, annis viginti novem. Cujus anno sexto *Salmanassar* Rex Assyriorum, captâ Samariâ, transtulit Israël in Assyrios. Sed mortuo Romulo, qui regnavit octo & triginta annis, successit ei Numa Pompilius, & regnavit annis quadraginta. Ex hinc Manasses, filius Ezechiæ, regnavit in Israël annis quinquaginta quinque, qui ob scelera sua captivus ductus est in Babylonem, sed posteà restitutus in regnum. Romanorum tertius Tullius Hostilius regnavit annis duobus & viginti. Manassi successit filius ejus Ammon, & regnavit annis duobus, post quem Josias filius Ammon annis uno & triginta. Hic à Nechaone Rege Ægypti perimitur in prælio. Romanorum quartus Ancus Martius, Numæ ex filia nepos, regnavit annis tribus & viginti. Tunc apud Medos regit *Cyaxares* annis triginta duobus, qui Niniven subvertit. Post quem regnavit in Israël Joachaz, filius Josiæ mensibus tribus, quem Necho Rex vinctum duxit in Ægyptum, instituens pro eo Regem Eliakim, filium Josiæ primogenitum, quem mutato nomine vocavit Joachim, ut mutatio nominis signum esset subjectionis. Hujus anno tertiô Nabuchodonosor cepit Jerusalem, & populum captivum & vasa templi transtulit in Babylonem. Successit ei Joachim, qui & Jechonias, qui regit mensibus tribus & diebus decem, & à Chaldæis obsidentibus Jerusalem ductus est in Babylonem cum populo suo: isque ad vocem Jeremiæ spontè se tradidit Nabuchdonosori. Unde ejus & matris & suorum dicta est transmigratio, quasi spontanea migratio. Illorum, qui postea captivi sunt ducti, dicitur captivitas Judæ, & ab hac transmigratione, scilicet ab octavo anno regni Nabuchodonosor, inchoant quidam septuaginta annos captivitatis, post quem Zedechias regnavit annis undecim. Tunc apud Medos regnavit Astyages, apud Romanos Sextus regnavit, Servius annis tribus & triginta. Anno vigesimo sexto post eversam Jerusalem, qui est annus vigesimus septimus transmigrationis Regis Joachim, sublevavit Evilmerodach Rex Babyloniæ caput Joachim de carcere, post quem regnavit Egesar filius ejus, cui successit filius Laborsardioch, quô mortuô, ad Balthasarem transivit imperium, qui à Cyro & Dario occisus est. Persarum itaque Rex primus *Cyrus* regnavit annis triginta. Hic, ut ait Orosius, subversô Astyage Rege Medorum, destruxit imperium Medorum, quod in illo finem accepit. Romanorum septimus Tarquinius Superbus regnavit annis triginta quinque. Post Cyrum regnavit *Cambyses*, filius ejus, annis octo. Hic in Ægypto Babylonem ædificans, ab Hebræis *Nabuchdonosor dicitur secundus*, sub quo *Judith* historia scripta est, in qua sic continetur: Anno duodecimo regni Nabuchdonosor, qui regnavit Assyriis in civitate magna Ninive, in diebus Arphaxat Regis, qui regnavit in Medis, quem interfecit Nabuchodonosor &c. Et notatur, quod usq; ad Abraham fuerunt in Ægypto dynastiæ XV, hoc est summæ potestates. Et à nativitate Abrahæ dynastiam septimã decimam obtinuerunt Thebæi pastores & Reges sic dicti. Octavam decimam Diopolitani, qui & Pharaones dicti sunt, per Reges sedecim. Variatæ autem sunt dynastiæ per diversa Regum genera usque ad hunc Regem Cambysen, sub quo primò Persæ imperaverunt Ægypto. Post Cyrum Darius regnavit annis triginta sex, & apud Romanos Regum finis est. A Romulo usque ad Tarquinium Superbum anni CCXLIII. tunc pulsis Regibus, primum Consules creantur. Deinde tribuni plebis ac dictatores, & rursum Consules per annos CCCCXLIV. usque ad Julium Cæsarem. Primus Consul Brutus fuit. Post Darium regnavit Xerxes, filius ejus annis viginti. Hic Ægyptum, quæ à Dario recesserat, cepit. Post quem Artaxerxes, qui & Longimanus, regnavit annis quadraginta. Post quem Darius cognomento Nothus annis octodecim, sub quo Ægyptus iterum à Persis recessit, post quem Darius Mnemon Darii & Parisatidis filius regnavit annis XL. Tunc Tribuni pro Consulibus esse cœperunt. Post hunc Artaxerxes, qui & Ochus, regnavit annis XXVI. Hic Ægyptum communitam, ferro Persis subjecit, cui successit Xerxes, filius ejus annis quatuor. Tunc Alexander magnus vigesimo ætatis anno regnare cœpit in Macedonia, quæ est in Europa. Post Xerxen Ochi filium regnavit in Persis Darius, Arsani filius, annis sex. Tunc Alexander, compressis celeriter Græcorum motibus, contra Illyrios & Thraces viriliter dimicans, Thebanos delevit, Achaiam, Thessaliam vectigales fecit.

Pro-

Profectus ad bellum Persicum omnes cognatos ac proximos suos interfecit. Post multas pugnas triumphans Alexandriam in Ægypto condidit. Nec mora, Dario interfectô, Babylonem obtinuit, in quo regnum Persarum cecidit, postquam steterat annis CCXXXI. Hic post mortem Darii imperavit annis quinque. Hircanos & Scythas edomuit, sicque Babylonem regressus, duodecimo anno regni sui, veneni haustu interiit. Translato itaque in multos imperio, Ptolomæus Lagi filius Ægyptum, Macedonas Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri; Syriam, Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor, Asiam Antigonus, post quem Demetrius, Lydiam, Thraciam & Hellespontum Lysimachus obtinuit. Tertio decimo Ptolomæi anno Seleucus Syriæ, Babyloniæ & Orienti imperans, primus post Alexandrum à tempore suo, secundum Maccabæorum historiam, Græcorum incipit regnum. Seleucus, capto Demetrio, Syriæ & Asiæ partes rexit. Seleucus Seleuciam, Laodiceam, Antiochiam, Apameam, Edissam, Berrhoën & Pellam urbes condidit, & in eas Judæos transtulit. Tunc Legati Alexandrinorum à Ptolomæo transmissi, *Romanorum amicitiam petierunt*. Post quem Ptolomæus Philadelphus regnavit annis triginta quatuor. Hic Judæos Ægypti liberavit & per septuaginta interpretes legem restituit. Post quem frater ejus Ptolomæus Evergetes regnavit annis 26. Post quem filius ejus Ptolomæus Epiphanes annis 24. * Apud Syriam Seleucus Philopator annis XI, post quem Antiochus Epiphanes annis undecim: Judæos diis gentilium immolare cogebat: verum Mathathias sacerdos leges patrias vindicat. Tunc regnum Macedonum Romani deponunt, eosque tributarios faciunt. Post hunc Ptolomæus Philometor regnavit annis triginta quinque, post quem Ptolomæus Evergetes annis viginti novem, sub quo Jonathas Dux Judæorum & Pontifex cum Romanis & Spartanis amicitiam facit. Tunc Brutus Hispaniam subegit. Post hunc Ptolomæus Soter, qui & Physcon, regnavit annis septendecim; tunc Hircano Pontifice Judæorum deficiente, filio Simonis, qui fuit ultimus filiorum Mathathiæ. Hic autem, Hircanus per cognomentum dictus, Johannes vocabatur. Aristobulus successit primogenitus Hircani, hic restituit regnum Judææ, quod interruptum fuerat à Sedechia annis CCCCLXXV. & mensibus tribus, qui Rex pariter & Pontifex primus fuit apud Judæos. Post quem regnavit in Judæa Jannæus, qui & Alexander. Tunc capta est à Romanis urbs Tolosa. Post hunc regnavit in Ægypto Ptolomæus, qui & Alexander. Regnavit annis decem, cujus anno septimo Syria cessit in Romanorum ditionem, capto Philippô, qui post Antiochum duobus annis regnaverat. Post hunc Ptolomæus filius Cleopatræ regnavit annis octo. Tunc *Plotius* Gallus artem Rhetoricam primus Romæ docuit. Post hunc Ptolomæus Dionysius regnavit annis triginta. Ab hujus anno quinto Alexandra, quæ & Salome, Alexandri Pontificis Judæorum uxor, post mortem viri regnavit annis novem; ex quo tempore Judæos rerum confusio variæque clades oppresserunt. Post hujus mortem Aristobulus & Hircanus filii ejus, de regno inter se dimicantes, occasionem præbuere Romanis, ut Judæam invaderent. Tunc Pompejus, omnium moderatissimus, Syriam, Cœlen, Phœnicen, Arabesque perdomuit. Jerusalêm vix tertiô mense expugnat, muros delevit, templum succendit: Aristobulo vincto ducto, Pontificatum confirmat Hircano. Fertur autem Cornelius Syllæ filius primus templum invasisse, irruentesque Romani profanaverunt templum, in ipso equos stabulantes. Unde traditur, nunquam Pompejum de cætero pugnasse, quin vinceretur. Tunc bella Pompejus cum viginti duobus Regibus Orientis gessit, ortumque est bellum civile inter ipsum & Cæsarem: fugiensque Pompejus in Alexandriam, à Ptolomæo Dionysio perimitur. Cæsar Alexandriam venit, & Ptolomæus insidias Cæsari parans, in congressu navali scapha fugiens, in Nilo submergitur. Cæsar Ægyptum Cleopatræ sorori Ptolomæi, cum qua consuetudinem stupri habuerat, contulit. Cleopatra regnavit annis duobus. Cæsar Romam rediens Monarchiam imperii primus tenuit, à quo alii Imperatores Cæsaris nomen accipiunt, in cujus morte bos ad arantem dixit, in brevi magis desituros homines quam frumenta.

XVI. De Imperio Romanorum & ortu Gothorum & Lombardorum.

EXplicuimus regna Judææ, Ægypti, Romæ, Mediæ, Macedonicum, Persarum. Nunc Imperium Romanum, quibus autoribus creverit atque dominationem suam auxerit aut diminuerit, explicemus. Sicut ergo à Romulo Romanorum regnum nomen accepit, sic à *Julio Cæsare* nomen accepit Imperii. Cui successit nepos ejus *Octavianus Augustus*, Romani augmentator præ omnibus Imperii, à quo nomen Augusti acceperunt Imperatores: qui universum orbem descripsit: qui tantam pacem continuavit, quod post XII. annos portas Jani rubigo clausas obsederat. Hujus tempore, videntes eum Senatores tantæ pulchritudinis, quod

quod in ejus faciem nemo poterat diutius intueri: & tantæ felicitatis & pacis, quod totum orbem sibi fecerat tributarium; dixerunt: *Adorare te volumus, quia Deitas est in te. Si enim hoc non esset, non ita tibi omnia prospere succederent.* Qui renitens, inducias postulavit, & vocata Sibylla Tiburtina, quæ à Senatu acceperat, exposuit. Hæc acceptis triduanis induciis, quibus arctum fecit jejunium, post diem tertium respondit; Hoc pro certo erit Imperator:

Judicii signo tellus sudore madescet,
De cœlo rex adveniet (*) *per secla futurus.*
Scilicet in carne præsens, ut judicet orbem. &c.

Illico apertum est cœlum, & nimius splendor irruit super eum. Vidit & Augustus in cœlo pulcherrimam virginem, stantem super altare, puerum tenentem in brachiis, audivitque vocem: *Hæc ara filii Dei est.* Quem statim procidens in terram adoravit, visionem istam Senatoribus retulit, & admirati sunt universi. Fuit autem hæc visio in camera Octaviani Imperatoris, ubi nunc est basilica gloriosæ Virginis in Capitolio: quæ & dicitur *Sancta Maria ara cœli.* Ad honorem hujus Augusti, nomen *Sextilis* mensis obtinuit, ob insignem victoriam ab Antonio sororio suo: quem, cum ad imperium adspirasset, & spreta sorore Octaviani, Cleopatram reginam Ægypti duxisset, sicque in manu opulenta & forti Romam impugnaturus venisset, apud Epirum occurrens Augustus, conserto bello fuga persecutum occidit. Unde triumphanti Augusto de Ægypto & Alexandria, totoque Orientis imperio; in Sextilibus Kalendis Octavianus urbem laureatus ingreditur: ob cujus insignia populus Romanus mensi nomen dedit Augusti; ut omni anniversario die Kalendarum Sextilium, urbs floreat & gaudeat. Veruntamen mortuo Arcadio Imperatore, Eudoxia ejus uxor, cum filio Theodosio, utiliter feliciterque gerens reipublicæ dominationem, ob insignia munera catenarum Apostoli Petri, sibi à Judæis collata, solemnitatem memoriæ Imperatoris demortui, convertit ad memoriam Imperatoris æterni, ejusque servi Petri, principis Apostolorum: cujus catenas primo die Sextilium Kalendarum in civitatem Romanam, cum Papa Pelagio, universoque Senatu, triumphans, laudibus & orationibus invexit. Hujus Octaviani Cæsaris anno XI, deficiente in Judæa Pontifice, Herodes à Romanis suscepit principatum; quem tenuit annis XXXVI. Octaviani Cæsaris anno XLII. nascitur Christus: circa cujus tempora defecit unctio in Judæa, secundum illud: *Non auferetur sceptrum de Juda.* Nam usque ad transmigrationem fuerunt reges de Juda; exhinc Duces usque ad Hircanum, & iterum reges. Sed Herodes alienigena fuit. Posteaquam regnaverat Augustus LVI annis, & mensibus VI, successit ei defuncto *Tiberius*, privignus Augusti, Liviæ uxoris ejus ex alio viro filius. Hic Burgundiones ex Insula Scatanavia, (*) burgos ultra Rhenum custodire coëgit. Hunc per Pilatum libenti animo miracula virtutesque Christi suscepisse, narrat historia. Sed & *Orosius* asserit, ipsum de mansuetissima ove, sævissimum lupum effectum, totum damnasse diversis moriendi torquendique ac proscribendi generibus, Senatum: eo quod religionem Christianæ fidei, ipso mandante, non suscepisset. Sed hæc in *libro*, quem de *Vita B. Virginis & discipulorum* dictavi, plenius ordinavi. Quid plura? Tiberio successit *Gajus:* Gajo *Claudius:* Claudio *Nero;* primus persecutor Christianorum. Sane anno XXII. (*) Tiberii Pilatus in Judæam procurator dirigitur: cui successit Festus Præses; cui successit Albinus: post quem Florus; cujus luxuriam & avaritiam, cæteraque flagitia, non ferentes Judæi, à Romana ditione desciverunt: ideoque per Vespasianum deleti sunt; & sic regnum Judæorum cum templo finitur. Neroni quoque *Vespasianus* successit: cui *Titus*, vir omnium virtutum genere mirabilis, utraque lingua peritissimus; Inter ocia cotidiana dicebat: *Amici, hodie perdidi diem.* Tito successit *Domitianus*, frater Titi junior: cui *Nerva;* cui *Trajanus;* cui *Aelius Adrianus.* Hic Judæos secundo rebellantes occidit, ipsisque introitum Jerusalem interdixit, ipsam redintegrans, & ex nomine suo *Æliam* nominans. Ælio successit *Antonius*, cognomento *Pius*, cum filiis suis Aurelio & Lucio. Iste Romanis censum relaxat: inde *Pater Patriæ* appellatur. Cui successit *Commodus*, qui & Lucius Antonius: Cui *Ælius Pertinax:* cui *Severus* Cæsar: cui *Antonius Aurelius*, cognomento *Caracalla*, Severi filius: cui *Macrinus* Præfectus Prætorio; (Tunc Abgarus vir sanctus regnat in Edessa) cui *Marcus Aurelius Antonius*, Sacerdos Elongabili templi; cui *Aurelius Alexander:* cujus tempore Origenes Alexandriæ, imo toto orbe, clarus habetur. Cui *Maximus*, cui *Gordianus:* cui *Philippus*, cum Philippo filio. Hic primus omnium Christianus Imperator fuit. Cui *Decius*, cui *Gallus*, cui *Ostilius*, cum filio *Volusiano.* Cui *Vallerianus*, cum filio *Galieno:* cujus temporibus solvuntur undique hostes: inter cætera Alamanni Gallias pervagantur. Dacia, Macedonia, Pontus & Asia, Gothorum

(*) *E cœlo Christus veniet.* (*) MS. *Scatavia.* (*) MS. XII.

thorum inundatione delentur. Cui *Claudius*: cui *Aurelianus*. Hic Gotthos circa Danubium profligavit: ideoque Romanam antiquis terram statuit terminis, Syriamque recepit. Cui *Tacitus*: cui *Probus*: cui *Carus* Narbonensis, cum filio *Carino*: cui *Diocletianus*: cui *Galterius*, & *Constantius* Christianus. Hi primi Romanum diviserunt imperium. Galerius Illyricum, Asiam & Orientem: Constantius Italiam, Africam, Hispanias & Gallias obtinuit. Constantius multa clementia erga homines, erga Deum animi religione, utebatur. Religiosus pater religiosiorem filium *Constantinum*, ex matre Britannica Helena, Imperatorem reliquit Galliarum & hæredem. *Constantinus* Imperator ex persecutore Christianissimus efficitur. Hic Palatium Lateranense construxit, & Basilicam S. Johannis, quæ Constantiniana dicitur. Hic Imperii sedem in Bysantium, civitatem Europæ, transtulit, eamque Constantinopolim nominavit: instituens, ut totius caput esset Orientis, & ad Imperii Romani memoriam *Nova Roma* diceretur. Sicque Roma vetus, honore privata diadematis imperialis, transit in Silvestrum, cum insignibus imperialibus, imperium mutans in pontificium, & dominium in Græcorum potentiam. Porro Constantino successit *Constantius* filius, cum *Constantino* & *Constante* fratribus. Horum temporibus claruit *Donatus* in arte Grammatica, facundissimi præceptor Hieronymi. *Hilarius* quoque Pictaviensis Episcopus, summi acutissimique ingenii, & *Eusebius* Vercellensis: *Maximinus* quoque Treverensis Episcopus: qui B. *Athanasium* à Constantino fugientem honorifice recepit, Alexandrinæ urbis Episcopum, & sanctissimi *Antonii* familiarem. Sed & ipse Antonius illorum tempore, centesimo vero anno ætatis, migravit ad Dominum, ut elegantissimo dictandi schemate B. scribit Athanasius. His imperantibus successit *Julianus*, ex clerico Imperator & paganus effectus. Cui successit *Jovinianus*, cui *Valentinianus* & *Valens*. Eorum tempore *Burgundiones*, qui tempore Tiberii egressi de maris insula Scatanavia, cum mulieribus & liberis, LXXX. fere millia, ad fluvium Rhenum pervenerunt, ibique jussione Tiberii ducentos burgos ultra Rhenum per longa tempora custodire coacti sunt: unde & Burgundionum nomen cœperunt: egressi de illis burgis Gallias petierunt, tempore constituto. Tunc quoque gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gotthos: eosque sparsim conturbatos, ab antiquis sedibus expulit. Sic quoque gentes Gotthorum transito Danubio fugientes, à Valente susceptæ sunt; hæreticæque cum Valente efficiuntur; quia & ipse ab Eudoxio rebaptizatus, Arianus erat. Cui successit *Gratianus* cum *Valentiniano* fratre. Gratianus *Theodosium*, natione Hispanum, apud Syrmium purpura induit, Orientisque tertiæ præfecit. Itaque Theodosius *Alanos*, *Hunos*, & *Gotthos* multis præliis vicit: Victorque Constantinopolim ingressus, anno regni sui secundo Augustus appellatur. Hic anno tertio Atanaricum, regem Gotthorum, in fœdus recepit; qui post XVI. die Constantinopoli obiit. *Gotthi* vero attendentes virtutem benignitatemque Theodosii, Romano se dederunt imperio. Tunc *Martinus* Turonensis claruit. Post Theodosium successit *Arcadius* filius ejus, cum *Honorio* fratre. Quibus successit *Honorius*, & filius fratris sui minor *Theodosius*. Tunc *Radagaisus* rex Gotthorum cum trecentis millibus invasit Italiam: sed mox à suis interficitur. Crossirius (*) quoque rex Wandalorum, cum Svevis & Alanis, de sedibus suis egressis, Gallias impetit, multas civitates diruit, populumque interficit. *Alaricus* rex Gotthorum Romam invadit, partemque ejus incendio consumit. Tunc Placidia, Arcadii & Honorii soror, ab *Athaulfo* Alarici propinquo capta, & in uxorem sumta est. Anno regni Alarici VI. Gotthi Gallias capiunt, & anno VII. Hispanias proficiscuntur. Post captam Romam, mortuo Alarico rege Gotthorum, in duo capita dividuntur. Qui erant in Italia, ditioni Romani se tradunt imperii: reliqui in civitate Aquitaniæ Tolosa sedem regni sui elegerunt, in qua regnavit Athalfus. Qui cum Romanis, orante Placidia, pacem tractans, à suis dolose perimitur apud Barcinonam. Cui successit *Segericus*, qui ob similem causam à suis interficitur. Huic *Valea* successit, ad hoc à Gotthis electus, ut pacem infringeret, ad hoc ordinatus à Deo, ut pacem firmaret. Cui *Theudericus* successit. Theodosio & Honorio succedit in imperio *Theodosius*, Arcadii filius, junior. Tunc Theudericus rex Gotthorum ab *Athalano* rege Hunorum perimitur. Theuderico *Torsimodus* filius successit, & hic commisso cum Athalano prælio à Theodorico & Friderico fratribus occiditur. Cui Theodoricus successit in regnum. Theodosio minori succedunt *Marcianus* & *Valentinianus*. Quibus successit *Leo*: cujus tempore Theodoricus interficitur. Cui successit rex Gotthorum *Enricus* apud Tholosam. Anno XIII. regni ejus, in medio Tholosæ civitatis, sanguis de terra erupit, & tota die fluxit; significans Gotthorum dominationem sublatam, Francorum potentia superveniente. Tunc & Gotthi in Italia consistentes, per legatos Imperatori Leoni postulant, ut *Theodoricum* eis constituat *Patricium*. Quod factum est: regna-

(*) Groserus.

regnavitque feliciter annis XXXV. Leoni succedit *Zeno*, & *Odoacer rex* Gotthorum Romam cepit, quam diutius ipsorum reges obtinuerunt. Mortuo Theodorico Travarii (*) filio, alius Theodoricus cognomento Valam, successit in regnum Gotthorum apud Italiam: qui utramque Macedoniam Thessaliamque depopulatur, civitatibus igne succensis Italiam occupat. Post hæc *Clodovæus* rex Francorum Gotthos ab Aquitania expulit, interfecto rege Alarico illorum. Zenoni successit Imperator *Anastasius*, cujus tempore moritur Clodovæus: & *Amalricus*, filius Alarici, regnum redintegrat Gotthorum, filiam Clodovæi accipiens in uxorem; qui postea apud Barcinonem à Francis occiditur. Sed & in Hispania post Amalricum *Deotha* super Gotthos regnavit; post quem *Theodosius*: qui cum ad cœnam lætus sederet, cereis extinctis à suis interficitur. Cui Agila successit. Anastasio successit *Justinus* senior: cui successit *Justinianus*, Justini ex sorore nepos. Tunc *Theodotus* regnum Gotthorum in Italia ambivit; quo defuncto, Tutila successit: contra quem Justinianus misit Narsetem Eunuchum, & Belisarium, à quibus Totila perimitur, regnumque Gotthorum in Italia destruitur. Similiter Hispanias imperialis ingrediens exercitus, *Agilam* regem Gotthorum occidit: cui succedens *Athanagildus* imperialem fugat exercitum. Cui *Liuba* successit; cui *Levigildus* successit. Justiniano Imperatori *Justinus* minor successit, & Armenia fidem Christi suscepit. Tunc *Narsis* Justini Imperatoris Eunuchus Longobardos à Pannoniis invitans, cum *Alboeno* rege Italiam introduxit. Justino successit *Tiberius* Constantinus. Tunc S. Gregorius claruit, & gens Longobardorum, comitante fame ac mortalitate, omnem invadit Italiam, ipsamque Romam vastatrix obsidet; & defuncto rege suo Alboeno, *Clip* in regem elegerunt. Tiberio successit Imperator *Mauritius*. Tunc Longobardi se ditioni *Childeberti*, filii Gundranni, filii Clotarii, filii Clodovei, regis Francorum subdiderunt: Sicque Childebertus cum Longobardis in Italia amicitiam inivit. Tunc *Leugildis* Ermingildum filium suum in Hispania, ob confessionem Christianæ fidei, sancta nocte Paschæ, cum ipse rex Gotthorum Arrianus esset, securi in capite percussum, martyrio tradidit. Cujus frater *Ricaredus* successit patri in regnum, *Leandro* Hispalensi Episcopo totam Gotthorum gentem ad instituendum in fide catholica contradens: omnesque libros Arrianos succendit. Tunc *Arnulphus* (**) Imperator Persarum baptizatur: & ab Imperatore Mauritio Episcopos, quos in Perside instituerat, recepit. Mauritio successit Imperator *Focas*. Tunc in Hispaniis successit Ricaredo *Liuba* rex Gotthorum. Cui successit *Betericus*. Cui *Gondemarus*: Cui *Sisebutus* vir sapiens, adversus manum pyraticam fortiter dimicans. Hujus tempore firmatum est regnum Gotthorum in Hispania, per maritima, ad usque montes Pyrenæos. Tunc Persæ adversus rempublicam bella gerentes, multas Romanorum provincias, ipsam quoque Jerusalem auferunt, ipsumque vivificæ crucis vexillum abduxerunt. Focæ successit Imperator *Eraclius*. Hic de Patricio factus Augustus, totam Persidam Romanæ ditioni subjicit: captivos Christianos liberavit, & Persidam thesauris exhausit. Tunc *Clotarius* Rex Francorum XII. millia solidorum, quæ annis singulis Francorum ærario solvebant, initis cum eis pactis, Longobardis remisit. Posthæc in Hispaniis Sisebuto regi Gotthorum clementissimo *Sentila* successit: hic à Sisemundo dejicitur; cui *Chintilla* successit: cui *Tolga*. Quo dejecto, unus ex primatibus *Chintasindus* in regem erigitur, qui totam Hispaniam suæ ditioni firmavit, omnesque suspectos occidit. Cui *Rinchinsundus* filius ejus successit. Eraclio successit *Eraclius* filius cum Martina matre; cui *Constantinus* filius Eraclii: cui *Constantinus II.* filius ejus: cui *Constantinus tertius*. Tunc Sarraceni Siciliam invadunt. Cui succedit *Justinianus junior*, filius Constantini. Hic pacem fecit cum Sarracenis & Africam provinciam Romano subjugavit Imperio. Tandem ab Imperio ob culpam suam pellitur. Cui *Leo* successit, cui *Tiberius*. Tunc *Guisulphus*, Dux Longobardorum, Campaniam igne, gladio ac captivitate, vastavit. Tandem muneribus, quæ capiunt hominesque Deosque, à Sergio Papa missis, Dux captivos solvit, hostesque redire fecit. Tunc *Heribertus* rex Longobardorum erat. Tiberio succesit *Justinianus* cum *Tiberio* filio: quibus succesit *Philippicus*: cui *Anastasius*. Tunc *Leuthbrandus* rex erat Longobardorum: apud Hispanias Richinsindo succesit rex Gotthorum *Wamba*. Hic Toletanus & Christianissimus, *Paulinum* procuratorem Narbonensi provinciæ ordinaverat. Sed ipse jus dominationis invadens Nemausum munit, regnum pervertit; Arrianos, qui tunc in Aquitania pollebant, auxiliarios fecit, & ad ultimum à superveniente Wamba apud Nemausum capitur, & corio bovino insutus, ut arescebat, constrictus, suffocatur. Wambæ succesit *Vintoza*, qui stupris deditus, exemplo suæ turpitudinis sacerdotes maculans, superveniente exercitu paganorum in Hispanias, à regno dejici-

(*) MS. *Trinarii*. (**) MS. *Annussus*.

dejicitur, Gotthique *Rudericum* regem eligunt. Qui cum paganis congrediens, vincitur; sicque regnum Gotthorum in Hispania finitur, Sarracenis totam Hispaniam infra biennium obtinentibus. Anastasio successit Imperator *Theodosius.* Cui *Leo* successit: cujus tempore pagani Constantinopolim triennio obsident. Sed nutu divino, fame, frigore & pestilentia perturbati, recedunt. Huic *Constantinus* Imperator successit, cujus tempore, cum à rege Hispanorum *Adoraman* Burdegala obsideretur, civitasque Arelas cum sua provincia gentilibus premeretur, *Karolus Martellus*, Rex Francorum, ab Eodone principe Aquitaniæ in auxilium suæ defensionis accitus, in suburbio Pictaviensi paganos vincit & fugat, cum triumpho Franciam gaudenter regressus. Verum Papa Gregorius Minor infestationem paganorum in Arelatense civitate non sustinens, post quadriennium hujusce tempestatis exactum, metuens ne in ulteriores Romanæ ditionis partes gentilis furor invaderet, *Karolum*, missis ei clavibus sepulchri Apostoli Petri, & vinculis ejusdem, muneribus tantis invitat, ut à partibus Imperatoris Græcorum recedens, *Romani Senatus Patricius* efficiatur. Quod humiliter ac devote suscipiens Karolus, in Romanum erigitur Patriciatum, strenuissime pro fide pugnans, & Romanæ reipublicæ curam gerens. Huic successit *Pipinus* filius ejus, *Karlemanno* fratre monacho facto. Cui successit filius ejus *Karolus*, qui duos habuit filios, *Karolomannum* & *Ludovicum.* Karolomannum Adrianus Papa *Pipinum* vocavit. Karolus autem pro republica pugnans, tandem nomen in ultimis suæ vitæ terminis assumsit imperatoris: ut, qui Romani defensor erat imperii, quin imò cœlestis regni patronus, pro tantis meritis, & inter homines *Augusti* nomen acciperet, & inter cœlestes aulicos miles Christi fortissimus prædicaretur. Ex tunc ergo apud Latinos est terminata Græcorum potentia, Romaque nomen recepit amissum, non dominium. Modico enim contenta territorio, non caput orbis, ut assolet, sed umbra vetusti capitis dici potest: quæ sic ab omni potentia evacuatur, quod, quæ frena totius orbis tenuerat, nunc sua muralia cohibere non sufficit: *nullique plus infesta, quam suo Imperatori, dum duos habere dominos contendit, inter Pontificium posita & Imperium, alterum excludit, alterum contemnit.* Quid plura? Hoc efficacissimum excidii Romani fiat argumentum, quod de Imperio mutatur in Pontificium. Sic enim regnum Judæorum, à Deo firmatum sub regibus, lapsus sui vaticinium habuit statim, ut transivit ad Pontifices. Sic Roma, cum exuit principem, cineres suos respicere jussa est. Dum enim non habet justitiam, vastitas & judicium indicantur morienti.

Epilogus de Operis continuatione.

EXcidium Trojanum præmisimus, & sic regnum Romanum, per successiones temporum, nunc Regibus, nunc Consulibus, nunc Tribunis, nunc Imperatoribus, nunc Pontificibus creditum; ad ultimum post multas irruptiones, lacessitum per Gotthos & Longobardos, ad Alemannorum atque Gallorum dominium venisse, sub nomine vetusti imperii, docuimus. Et quoniam ex eodem Trojano excidio Imperium Romanorum, cujus tenes dominationem, *Princeps serenissime*, regnumque majoris Britanniæ, *ex cujus utero prodiisti, matre tua illustrissimi Henrici regis Anglorum vetustioris filia: regnumque Francorum*, CUJUS PRO PARTE AQUITANICA DOMINIUM GESSISTI, *prodiere: felici trinitatis numero tribus regnis, ut tribus filiis, enascentibus:* dignum fuit annectere seriem regum Angliæ, ut, qualiter cum Imperio & regno Francorum connexum sit; aut quibus casibus, *à tua Saxonia*, reges Anglorum cum ipsis Anglis processerint, memorare possit Imperialis tua Majestas. Magis quoque accendetur animus tuus ad diligendum, tuendum, ac complectendum omne id, cujus radicem apud tuos noveris extitisse.

XVII. De Regno Britonum.

POst eversionem ergo Trojæ Æneas profugus regnavit in Latio, filium generans Ascanium, qui & ipse genuit Silvium, ex filia Latinii Lavinia. Ex quo filius processit *Brutus*, qui matrem suam in puerperio, neptem scilicet Laviniæ, & patrem Silvium in venando peremit. Profugus itaque propter hujusce tristes horrendosque eventus Brutus: in Græcia, auxilio Assaraci, progeniem Heleni, filii Priami, servituti Pandrasi regis Græcorum addictam, è qua à Pyrrho Achillis filio in captivitatem ducta fuisset, potentia virtutis suæ liberavit. Sic ergo Innoge filia Pandrasi in uxorem ducta, Brutus mari se credidit cum uxore, Trojanisque reliquiis, quas à jugo servitutis exemerat. *Leogracia* ergo Græcorum insula transacta, responsoque in somnis per Dianam suscepto, triginta dierum cursu enavigato, Africa subducta, ad aras Philistinorum & lacum Salinarum, inter Rusicadam & montes Azaræ, Malva flumine transito, Mauritania decursa, columnis Herculis exactis, ad Tyrrhenum æquor pervenit,

nit, ubi *Corineum* ducem, cum quatuor ſtirpibus exulum Trojæ, qui Antenoris fugam fuerant comitati, invenit. Corineum ergo Brutus in ſocium & auxiliarium evocans, devicto Goferio Aquitanorum rege, conſuleque Suardo à Corineo bipenne transverberato, ad mare Britannicum venit, quod Armoricum ſinum reſpicit, qui nunc Britannia nuncupatur. Ex hinc Albion inſulam Oceani ingreditur, quæ poſt à Bruto *Britannia major*, & nunc *Anglia* nominatur. Ad differentiam ergo minoris Britanniæ, quæ Gallias contingit, & ad tempus fuerat Bruti fugientis aſylus, Albion Britanniæ nomen & regnum accepit: Cujus inſulæ pars Corineo cedens in partem, *Cornubia* ab ipſo Duce Corineo dicta eſt, vel quia ipſa cornu Britanniæ eſt. Inſtinctu Veneris, quæ propter judicium pomi, Paridi Trojaniſque favebat, Brutus ad veteris Trojæ recenſendam memoriam, condidit firmiſſimam urbem *Trinovantum*, in ipſa velut Ilium ad Orientem conſtituens, ubi turris Londonienſis eſt, firmiſſima munitione palatium circumſeptum continens, aqua Tamaſis fluvii, quam quotidie aſcendens maris inundatio replet, in ambitu decurrente. Ad occidentem vero Pergamam conſtruxit, duo videlicet muris aggeribusque conſtructa caſtra, quorum alterum *Baniardi*, (*) alterum *Baronum de Munificeth*, ex jure eſt ſucceſſionis. Hæc velut auguſtarum portarum caſtella principaliter ſunt defenſoria. Civitatis ampla planities ſecus decurſum Tamaſis fluvii, qui ex magnitudine, mariſque refluxu, plus mare ſapit, quam fluvium, per ſex miliaria in longum protrahitur, undique flumine Tamaſi, aut marinis paludibus circumcluſa, murorum firmatur altitudine ex bitumine, quaſi minuti lapidis cæmento ſurgentium, interioribus aggeribus circumdata, turribus in ambitu murorum cum propugnaculis continuata interciſione ſurgentibus conſpicua late ſpaciatur. Fluvialis aqua & maris connexione portus eſt, & navigabilis admodum pelagi, piſcoſa in omni piſcium affluentia. Paſcuis abundat, nemoribus, omnimodiſque venationibus impreſſa: Argenti dives & auri paucis urbibus invidet: omnibus ipſa merito invidioſa exiſtit. Quis enim tantam populoſitatem crederet ſic lege conſtringi, ſic frumento omni paneque ſtabiliri; ſic humorum copia affluere, cum illic vineæ non plantentur; ſic omni mundana copia fluere; ſic ſanctorum monaſteriorum ac illuſtrium Canonicorum copioſa dicatione regularitateque gaudere. Profecto in illa unica urbe, dextris fundata auſpiciis, [non eſt] ſine exceptione caput illud divulgatum, & apud omnes peræque gentes, omniumque faſtigia regnorum probatiſſimum *Lucani* proverbium: *Invida fatorum ſeries, ſummiſque negatum ſtare diu.* Cum enim poſt everſionem Trojæ ſexageſimo nondum anno completo urbs *Trinovantum*, Hely ſacerdote populum Iſraelis regente, & Archa fœderis à Philiſtæis capta, regnantibus in Troja filiis Hectoris, expulſis poſteris Antenoris, conſtructa ſit CCCLIV. anno ante Romuleam urbem conditam, vix invenire licet ex maximis & antiquiſſimis urbem vel unicam, quæ vel nomen cum re non mutaverit, vel principatum non amiſerit, aut exterius attrita ferro, aut interius civili & inteſtino bello conſumta. Hæc ſola, cum aliarum invidia regionum, quæ ex Dei munere eſt, Niniven videt ſubverſam, Babylonem deſtructam, Svevis (**) pro parte maxima deletam, Jeruſalem cum templo everſam, Macedoniam, Perſidam, Ægyptum, Chaldeam, Judæam, Æthiopiam, regnorum & regum alternaſſe viciſſitudines, nunc dominando, nunc alterius dominio ſerviendo. *Conſtantinopolis nuper Gallorum Italicorumque irruptionibus ſuis gazis ſpoliatur:* Colonia Agrippina Childerici regis Francorum violentiam teſtatur: Hiſpania nunc à Gothis, nunc à paganis, nunc à Karolo crebras patitur mutationes. Quid ultra? Roma ipſa, de eodem ſeminario Trojano orta, licet conſtructione poſterior, & dominatione potentior, ſuos tamen cineres vidit ſub Duce Brenno; incendium ſuum horruit ſub Alarico; cotidianos imminentium ruinarum defectus deplorat, dum more ſenis decrepiti alieno vix baculo poteſt ſuſtentari: nihil habens honorabilis vetuſtatis, præter faſtum popularem, & antiquatam lapidum congeriem. Jam nunc ad hiſtoriam recurramus, quæ Bruto tres fuiſſe filios teſtatur: Locrinum, à quo *Loëgria*, media pars inſulæ, ſic dicitur: Albanectum, à quo *Albania*, quæ nunc eſt *Scotia;* Cambrem, à quo *Cambria*, quæ nunc *Wales* dicitur. Hi primi inſulam diviſerunt ſecundum prænominatas ſuorum nominum regiones. Albanectum occidit Umber, rex Humorum. Humbrum Locrinus, à quo *Humber fluvius* nomen accepit. Locrinus ſagitta percuſſus in prælio, quod habuit cum uxore ſua Gondolena filia Corinei, interiit. Erat autem cauſa prælii Eferildis regina Germaniæ, cujus amore uxorem ſuam reliquerat. Locrino ſucceſſit Gondolena uxor ejus; poſt quam Nadan filius ejus & Locrini. Tunc regnabat Samuel in Judæa, & Homerus claruit. Cui ſucceſſit Menpricius. Tunc regnabat Euriſteus in Lacedæmonia. Huic ſucceſſit Eborancus filius, qui condidit *Eboracum*, alteram Britanniæ metropolim. Hic primus poſt Brutum in Gallias claſſem duxit. Tunc regnavit David; & Gath

(*) *Baialdi.* (**) Infra Deciſione II. c. 1 vocatur *Svenis civitas magna* in Perſia.

& Gath & Nathan & Asaph prophetaverunt. Post Eborancum regnavit Brutus, viride scutum. Hujus fratres decem & novem Germaniam adepti sunt, auxilio Silvii Albani, qui tunc regnabat in Albania, quæ caput fuit regni Romanorum. Post hunc Leil, à quo civitas Carliul nomen habet. Tunc cœpit Salomon templum ædificare, & regina austri venit ad Salomonem. Post hunc Rudilibas. Hic condidit *Caërtbet*; (*) hoc est, *Cantuariam*, metropolim & primatiam Anglorum; & *Caërguiut*, quæ est *Guintonia*. *Caer* enim lingua Trojana civitas interpretatur. Hic condidit opidum *Paledur*, ubi aquila loquebatur, dum murus ædificaretur. Post hunc Bladud filius ejus. Hic fecit *Caërbadon*, ubi sunt balnea Badonis calida, ad usus mortalium apta, quibus præfecit numen Minervæ, & ipsis inextinguibiles supposuit ignes, ut nunquam deficiant in favillas, sed ex quo tabescere incipiunt, in saxeos globos convertuntur. Tunc Elias oravit, & non pluit annos tres & menses sex. Bladud docuit Britones nigromantiam. Huic successit Leir filius ejus. Hic condidit *Caerleir* super Soram, quæ est *Leircestria*, & instituit in regnum Gonozillam filiam suam cum viro suo, duce Albaniæ Maglanno, & Ragan alteram filiam, cum viro suo Edewino, (**) duce Cornubiæ: qui expulerunt socerum suum. Post Leir recepit regnum suum per Aganippum regem Galliæ, cui junxerat filiam tertiam Cordoillam: quæ dixit patri, dum filias interrogaret, quantum quævis illum diligeret? aliis multa loquentibus, illa respondit: Quantum habes, tantum vales, & tantum te diligo. Unde post patrem regnavit Cordoilla. Post quam filii sororum, Marganus trans Humbrum fluvium, Cumedagius citra Humbrum. Post biennium Cumedagius expulit Marganum, solusque regnavit XXXIII. annis. Tunc Esaias & Osee prophetaverunt. Tunc Roma condita XI. Kal. Maji post eversionem Trojæ quadringentesimo quartodecimo anno, à geminis fratribus. Cumedagio successit Ravalla, cujus tempore cœlum pluit tribus diebus sanguine, & muscarum affluentia homines moriebantur. Post hunc Gurgantius: post hunc Sisillius: post hunc Jaggo Gurgantii nepos: post hunc Cantinarcus (***) Sisillii filius: post hunc Gorbodudo. Post Porrex, qui fratre suo interfecto, & victo Suardo rege Francorum, fratris auxiliario, ipse quoque à matre interficitur, regno per multa tempora vacante, & in quinque reges dilacerato, scilicet Clotensem regem Cornubiæ, Pinetem regem Loëgriæ, Rodonacum regem Cambriæ, Staterium regem Albaniæ. Post hos Dunigallo filius Clotensis solus regnavit, aliis expulsis. Hic primus sibi fecit diadema ex auro. Hic fecit *leges Mulmicias*, (****) *quæ adhuc servantur in Anglia.* Hic statuit, ut templa & stratæ, ipsæ quoque civitates & aratra colonorum, ad se fugientes tuerentur. Huic successit Belinus primogenitus, secundum leges Trojanorum, in diadema Loegriæ, Cambriæ & Cornubiæ, & Brennus minor sub eo Northanhumbriam usque Catanesiam. Bœlinus tributariam fecit Daciam, regem Guthlacum captum ducens. Hic vias publicas IIII. struxit, *& leges, quas postea rex Alvredus scripsit, quas Gildas refert.* Hic sævus expulsus à Nothanhumbria, successit Segino regi Allobrogum, ducta filia ejus. Hic, quod apud Allobroges maximum erat, in dandis cibis profusus erat, nullique janua ejus prohibebatur. Hic postea cum Belino fratre confœderatus, regulos Francorum & urbes sibi subjecit cum fratre suo intra annum unum. Deinde Romam incendunt, sicut refert *Paulus Orosius*. Mortuo Belino successit ei Gurgiut Barcriso (*****) filius ejus. Hic Daciam iterum subjecit: Baclisque (******) per mare MXXX navibus laborantibus, Yberniam dedit inhabitandam. Post hunc Guithelinus regnavit; cujus uxor Marcia *leges Marcias* instituit, *quas vulgus Marchenelage* nominat. Post hunc regnavit uxor jam dicta: post quam frater ejus Danius. Post hunc Maurindus filius Danii: qui strenuus, largus, omnique homini insuperabilis, devoratus est à belua inauditæ feritatis, à partibus Ybernici maris, cum qua diu pugnaverat. Post quem primogenitus ejus Gordonianus: post quem Archingallo pessimus. Quo à principibus deposito, successit frater ejus Elidurus: qui nimia pietate tentus, fratri de capite suo diadema restituit. Post quem Elidurus iterato regnavit: Post quem Ingemus citra Humbrum regnavit, & Peredurus frater ejus in Scotia. Post hæc solus Peredurus Monarcha fuit: post quem tertio regnavit Elidurus, quem fratres incarceraverant apud Trinovantum. Post quem regnavit Gordonianus filius: post quem Maurantis Arcagolonis (*******) filius. Post hunc Evimanus frater ejus. Post hunc Edowallo Ingemii filius. Cui successit Ronno Pereduri filius; cui Carellus; cui Corlus; cui Porrex; cui Carinus; cui Fulgonius; cui Eldradus; cui Androgius; cui Urianus; cui Eliud; cui Clodaneus; cui Cloternus; cui Gurgontius; (********) cui Merianus; cui Blandudo; cui Capor; cui Ocnus; cui Sisillus; cui Belgerbradus. (*********) Hic *in Musicis instrumentis & modulis omnes cantores excessit.* Post hunc Archinais; cui successit Addol; cui Redion;

(*) Merchent. (**) MS. *Evelsino.* (***) MS. *Cainicus.* (****) *Mulnucias.* (*****) *Barctrivil.* (******) *Baslisque.* (*******) *Arcogollonis.* (********) *Gurguncus.* (*********) *Blegrabradus.*

cui Redelchius; cui Sumul; (*) cui Penesil; cui Seir; cui Capor; cui Gligut; cui Eli filius ejus. Post hunc Lud filius ejus, à quo *Caerlud*, quæ prius *Trinovantum*, & nunc per corruptionem *Londonia* nomen habet. Huic successit Cassibellinus frater Lud, qui à Julio Cæsare impugnatus apud Dorobellum vicit Cæsarem; Nennio fratre Cassibellini retinente in clypeo suo ensem Julii; cum quo post XV dies apud Trinovantum est sepultus, juxta portam aquilonarem. Est autem nomen ensis *Crocea mors*. Cumque resumtis viribus iterato Cæsar Britanniam impeteret, collisis ad palos in Tamasi fluvio fixos navibus, Cæsar ad Morinos & ad turrim *Dodres* in Flandria, ad tutamen suum erectam, fugere coactus est. Tertio per Androgenum nepotem Cassibellini Trinovantum capitur, ipso eum inducente. Huic ergo tributario facto in tribus millibus librarum argenti, successit Tenuancius frater Androgeni, filius Lud, dux Cornubiæ. Cui successit Cambellinus filius ejus; cujus tempore natus est Christus. Cui successit Gniderius filius ejus: quem tributum negantem Claudius Cæsar, ab ipso primum victus, sumtis armis Britannicis, fraudulenter interfecit apud Poresestriam. Cui successit Arturagus frater ejus, qui in eodem prælio occiderat Lælium Hamonem, cujus consilio Claudius prælia gerebat. A quo *Hamtonia* dicta & *Suthamtonia* & *Northamtonia*, quia australis & borealis mansio Hamonis. Post hæc confœderatione facta cum Claudio, Claudius construxit Caërglon, hoc est *Glonceftriam*, quasi Claudicestriam, in confinio Gambriæ & Loëgriæ. Eo tempore Petrus Apostolus Antiochenam fundavit Ecclesiam: veniensque Romam, misit Marcum in Ægyptum, ad prædicandum Evangelium quod scripsit. Arturago successit in regno filius suus Maurius: qui Roducregem Pictorum vincens, sociis ejus dedit partem Scotiæ, quæ *Catamnesia* dicitur. Qui carentes uxoribus transfretaverunt in Hiberniam, & ex illis sic mixtis nati sunt *Scoti*. Huic successit filius ejus Coillus, vir strenuus & justus, & Romanis plurimum favorabilis. Huic successit Lucius ipso melior. Is primus petiit à Papa Eleuterio doctrinam sibi dari fidei Christianæ. Qui duos ei religiosos doctores misit, Faganum & Duvianum. Hi pro XXVIII flaminibus XXVIII. Episcopatus instituerunt, pro tribus Archiflaminibus tres Archiepiscopos statuerunt, *Londoniensem*, *Eboracensem* & *Legionensem*: quæ civitas Legionum super flumen Oscam in Glamorgantia sita fuit. Igitur Londoniensi subjacuit Loëgria & Cornubia; Legionensi Cambria, Sabrino flumine ab aliis separata: Eboracensi Deira & Albania; quas magnum flumen Humber à Loëgria secernit, sicut *Gildas* scribit. Hic Lucius omnia territoria templis pridem collata, contulit Ecclesiis & ampliavit. Huic sine liberis mortuo successit Severus, Legatus Romanorum, qui vallum inter Deiram & Albaniam jussu Imperatoris fecit. Huic successit filius Bassianus, quem *Carausius Brito*, ex infima gente procreatus, Romæ ordinatus, ut piratas arceret, occidit, & ita in regnum ejus successit, dans Pictis locum in Albania, ubi mixtim cum Britonibus permanserunt. Huic successit Alectes, Roma missus, ut Carausium occideret. Quo peremto, quia Alecto Brictiones opprimebat, eo quod Carausio adhæserant: tandem Asclepiodotum, Ducem Cornubiæ, in regem erexerunt, qui Alectum peremit, & convocatis Demetis, Venedotis, Deiris & Albanis, Gallum Alecti collegam, Londonii obsessum ac deditum, decollari fecit apud torrentem Navigallum, (**) quod Anglice sonat Gallebroec, à cæde ejusdem Galli sic nominatum. Isto regnante orta est persecutio Diocletiani: cujus Legatus Maximianus Herculius, princeps militiæ, tyrannice Ecclesias Britonum subvertit, omnes Christianos delevit, & Albanum Magistrum militum in Britannia apud Verolanum occidit, ubi nunc ecclesia (***) est sancti Albani, XX. millibus passuum à Londoniensi civitate. Julium vero & Aaron cives urbis Legionum occidit. Amfiabalus, Doctor Albani, mutatis vestibus occultatus est. Interea Ocel, (****) Dux Caortolum, hoc est Colecestriæ, conserto prælio peremit Asclepiodotum, & regnum accepit. Exhinc Constantius senator Britanniam ingressus, pacificatus cum Ocel, intra paucos dies mortuo Ocel, successit in regnum, ducta Elena filia Ocel, in musicis instrumentis & liberalibus artibus doctissima: ex qua nascitur Constantinus, qui patri apud Eboracum sepulto successit in regnum. Quo facto Imperatore, successit in regnum Octavius rex Gwisseorum (*a*) usque ad tempus Gratiani & Valentiniani. Hic filiam suam cum regno dedit Maximiano Senatori, consanguineo Constantini, nepoti Coel, Ducis Britonum, patre Britanno, filio Oceli, (*b*) avunculo Constantini, & matre & natione Romano. Regnavit ergo Maximianus, & Britanniam minorem, quæ citra mare Britannicum Armorica dicitur, subjugavit, peremto Umbaldo, ipsamque Conano dedit, vocans eam Britanniam minorem, replevitque Britonibus expulsis Gallis. Exhinc Maximianus Germania quoque subjugata, thronum imperii sui statuit Treveris, duosque Imperatores dejecit, Valentinianum & Gra-

(*) *Saumul.* (**) Nautgallum. (***) Abbatia. (****) Coel Dux Coercolum. (*a*) Gebzisseorum. (*b*) Coëli.

& Gratianum, uno peremto, altero à Roma fugato. Conanus vero rex Armoricæ propter infestationes Gallorum duxit filiam Dionothi regis Cornubiæ, qui Carodoco fratri successerat in regnum: & cum undecim millia virginum militibus suis dari postulasset à Britonibus, in mari periclitatæ sunt, aut ab exercitu Granii (c) & Melgæ, regis scilicet Hunorum & Pictorum, martyrio traditæ. Tunc iidem principes, fautores Gratiani & Valentiniani, Britanniam vastant: sed per Gratianum municipem, à Maximiano ad Britanniam missum, fugantur. Mortuo ergo Maximiano, Gratianus regnum obtinuit, & interfectus est. Britonibus ergò à Granio rege Hunorum, & Melga Pictorum, & Dacis, & Norwegensibus lacessitis, consilio Gvitelini Londoniensis Archiepiscopi, Adroenus rex Armoricus Constantinum (d) fratrem suum in regem majoris Britanniæ concessit. Cui viriliter regnanti successit Constans filius, monachus factus in Ecclesia S. Amphibali Gvintoniæ, & exinde promotus à Vortigerno Consule Glocestriæ. Sed in brevi Constans à Pictis & familiaribus suis occiditur, & Vortigernus in regem erigitur. Ejus tempore applicuerunt in Britannia Saxones Hengistus & Horsus, cum socia multitudine, & à Vortigerno recepti, possessionibus ditantur, dato solo ad mensuram corii bovini, propter munitionem ædificandam, quæ exinde Thwancastria, quasi castrum corrigiæ nuncupatur. Hengisti quoque filia illud solemne ac divulgatum ciborum invitatorium invenit, *Wescabil*, quod interpretatur, sis hilaris: & è contra respondetur, *Drincail*, hoc est, bibe hilariter. Sed in Britannico sonant, *Cantinoch & Bodiut*. Ab istis Saxonibus ab *Engla insula* venientibus, seminarium ortum est Anglorum. Duxit ergo filiam Hengisti adhuc pagani Vortigernus, unde corrupta fuit sincera fides Brittonum, & ad Pelagianam hæresin declinare cœperunt. Sunt tamen à B. Germano Antisiodorense, & S. Lupo Trecacense, Episcopis prædicantibus conversi. Unde consilio Brittonum Vortigerno ejecto, Vortinus ejus filius in regem erigitur: Saxones cum rege ejiciuntur. Vortino per novercam, filiam Hengisti, novercaliter occiso, redit Vortigernus in regnum; revocatoque Hengisto socero, cum innumera Saxonum copia, fit ab illis in pago Ambri proditio, in qua nobiles quadringenti octoginta, & Consules fere omnes Brittonum, occultis Saxonum cultellis perimuntur. Tunc urbibus à potestate Vortigerni ereptis, consilio Brittonum, ædificavit Vortigernus turrim super ripam exhausti gurgitis, in cujus ædificatione Merlinus prophetare cœpit de draconibus è stagno egressis, quorum alter rubeus Brittones, alter albus Saxones notat. Completa igitur prophetia, ut Merlinus prædixerat, Aurelius Ambrosius ex Armorico sinu veniens applicuit, & Vortigernus occiditur (e) cum Hengisto, aliisque Saxonibus; fecitque ad memoriam nobilium, qui pridem in proditione Saxonum per Vortigernum fuerant peremti, lapides olim in Childardo monte Yberniæ collocatos, ad Ambresbiriam per Merlinum locari in modum choreæ, sicut à gigantibus fuerant dispositi. Unde & in ejusdem choreæ medio Aurelius Ambrosius post aliquot annos sepultus fuit: Cui succesit Uther frater ejus. Verum in morte Ambrosii apparuit stella, unicum habens radium miræ pulchritudinis & magnitudinis. Ad radium erat globus igneus in draconis similitudinem extensus, ex cujus ore duo procedebant radii, quorum unus ultra Gallias, alter in Yberniam vergens, in sex minores radios terminabatur. Hanc autem novitatis apparentiam Merlinus exposuit, dicens: sidus esse Uther, & draconem sub sidere; Radium ultra Gallias protensum Arcturum, cujus potentia sibi regna Galliarum subjiciet. Radium minorem filiam, cujus filii ac nepotes Britanniæ Yberniæque regnum obtinebunt, per septem (f) regulos divisum. Audita ergo expositione, Uther duos jussit ex auro dracones fabricari, unum dans majori sedi Gvintoniæ, alterum sibi reservans in præliis: & exin vocatus est Uther pendragon in lingua Trojana, quod sonat Latine caput draconis. Hinc prodiit illud apud Anglos regium vexillum draconem habens, cum capite aureo, quod vicinis expertum & paganis, sub avunculo tuo illustri rege Ricardo, in ultramarinis partibus terribile fuit, Princeps Christianissime. Sane Uther in amorem Ingernæ (g) uxoris Gorlois, Ducis Cornubiæ, vehementer exardescens, occulta Merlini occultatione & incantatione faciem Gorlois induit. Ulfui (h) familiaris Uther, assumit speciem Jordani, cui castrum Tratogol (i) dux cum uxore commiserat. Sed & ipse Merlinus mutata specie, cum Uther castrum ingreditur inexpugnabile. Uther ergo Ygernam specie viri seductam cognovit, prægnantemque reliquit: sicque capto castro, Dumilioc, (k) in quo dux ad tuendum se incluserat, dux occiditur, ductisque similitudinibus ad verum, Uther Ygernam duxit uxorem, ex qua genuit Arcturum & Annam. Diem functo post multos actus strenuos Uther pendragon, succesit Arcturus,

(c) Gaunii. (d) Constantium. (e) Vyrtigernum occidit. (f) sex. (g) Igernæ. (h) Ulsin. (i) Tiatagel. (k) Dumiliat.

cturus, qui cum Eolo (l) rege Armoricorum, filio sororis Arcturi, ex Biducio Armoricorum rege generato, Saxones Colligermium (m) & Baldulfum, ipsumque Ducem Germaniæ Childericum, post multas victi victorisque fortunas expulit à Britannia atque peremit. Hic Scotos, Pictos & Ybernienses contra se & Eolum dimicantes, in stamno Murais, obsessos capit. Erat autem stamnum Lumonoy dictum *LX.* insulas continens & *LX.* flumina recipiens, nec ex eis, præter unum, ad mare decurrit. Porro in insulis *LX.* totidem sunt rupes, & totidem aquilarum nidi; quæ quotannis convenientes, prodigium, quod erat in regno venturum, novaque superventura, celso clamore communiter edito notificabant. Erat & aliud non longe abhinc stagnum, longitudinem habens XX. pedum, totidemque in latitudine, altitudinem verò sive natura, sive humano artificio constructum. Hoc quatuor piscium genera inter quatuor angulos producebat, nec in aliqua parte alterius pisces reperiebantur. Est & aliud stagnum in confinio Galliarum sive Cambriæ, prope Sabrinum flumen, quod incolæ Linliwan dicunt: Hoc cum in ipsum mare fluctuat, recipitur in modum voraginis, sorbendoque fluctus nullatenus repletur, ut riparum marginem operiat. At dum mare decrescit, eructat ad instar montis absorptas aquas, quibus demum ripas tegit & aspergit. Interim si tota gens regionis illius facie recta de prope astaret, recepta intra vestes undarum aspergine, vel vix, vel nunquam elabi valeret, quin à stagno suffocaretur. Tergo autem verso, non est irroratio timenda, si quis etiam in ripa consisteret. Arcturus (n) igitur, expulsis Saxonibus, Ecclesias restituit, proceres privilegiis, Episcopos honoribus honoravit. Augesilinum in regem Scotorum, Urianum fratrem in regem Murefensium instituit. Loth, qui tempore Aurelii Ambrosii sororem Arcturi duxerat, ex qua Galnamium (o) & Mordredum (p) genuerat, Consulem Londoniæ & provinciarum sibi adjacentium instituit; Yberniam, Orcades Insulas, Daciam, Gothlandiam, & Norvejam sceptro suo subjecit, illas Loth sororio suo commendans gubernandas. Ex hinc invadit Gallias, Frollonem Tribunum Roma missum ad custodiendas Gallias, Parisius in insula extra murum singulari duello vicit & occidit: Gontardum Pictaviensium Ducem ditioni suæ subjecit: Gasconiam ferro, flammaque depopulans, ipsam tandem subjugavit: & mensam jocundam [f. rotundam] instituit apud Cornubiam in insula Jatata. Elapsis itaque novem mensibus, cùm totius Galliæ partes suæ potestati submisisset, consilio Parisiis celebrato statum regni sub lege ac pace confirmans, XII. Pares instituit, Guduero (q) Pincernæ Andegaviam, Rajo Dapifero Neustriam, quæ nunc est Normannia, largiens. Ex hinc curiam in Cambria civitate Legionum ad S. festum Pentecostes celebravit in Clamargantia super (r) Scani fluvium. Sane civitas Legionum duabus eminebat Ecclesiis: una Deo dicata virginum, (s) sub honore Julii Martyris: altera S. Aaron socii ejus Canonicorum conventu instructa. Tertiam tunc habebat Ecclesiam totius tunc Britanniæ primatem. Nec immerito quarto loco commendabile fuit gymnasium, regiis sumtibus instructum, ducentorum Philosophorum qui liberalibus artibus eruditi, cursus stellarum rimabantur, & Arcturo venturos eventus pronunciabant. Enimvero in curia solemni tres tunc erant Archipræsules: Legionensis, Londoniensis & Eboracensis. Hi tres in palatio regali regem coronaverunt. Quatuor reges suffraganei quatuor aureos gladios præferebant; Angelos (t) rex Albaniæ, quæ nunc est Scotia; Cador (u) rex Cornubiæ; (x) Scater rex Dumeciæ, quæ nunc est Suthgales, i. e. Gallia austrina; Caduallo Venedociæ, quæ nunc est Northgales, id est, Gallia borealis. Porro Urianus rex Murefensium cum X. Comitibus Palatinis, quos Consules nuncupabant. Sunt autem, Comes Claudiocestriæ, Comes Gvigorniæ, Comes Cestriæ, Comes Gaerguerensis, hoc est de Waleriut, Comes Leircestrensis, Comes Saresberiensis, Comes Bathoniensis, Comes Dorchecestrensis, Comes Ridocenensis, hoc est, Cenofordensis, (y) cum Duce Doroberniæ, multisque non minoris dignitatis heroibus. Sed & ex insulis subjectis Rex Yberniæ, Rex Midlandiæ, (z) Rex Guthlandiæ, Rex Orcadum, Rex Norvegiæ, Rex Daciæ, Dux Ruthenorum, hoc est, Flandrensium. Alii tamen Rusiam Rutheniam nominant. Sed & in provincia Narbonensi, civitas Rutenensis Bituricensi est Archiepiscopo subjecta. Item Consul Bononiensis, Consul Cenomanensis, Consul Andegavensis, Dux Pictaviensis; Oelus (a) rex Armoricorum Brittonum; Duodecim Pares Galliarum, quos Garinus Carnotensis conducebat. Singuli quoque singula parabant officia, regem ad metropolitanam prosequentes Ecclesiam. Reginam quoque quatuor præmissorum regum reginæ præcedebant, quatuor albas columbas præferen-

(l) Colo. (m) Colgrinium. (n) Arturus. (o) Golvannum. (p) Modocum. (q) Bunduero [f. Gundacro.] (r) Oscam. (s) Domino dicata Virginique. (t) Augesilus. (u) Cadar. (x) Stacer. (y) Exonefon. (z) Hicalandiæ [f. Hitlandiæ.] (a) Celus.

ferentes. Celebrato solemniter divino obsequio, levioribus mutatoriis rex indutus ad mensam accedit. Regina quoque in suo non minus solemni palatio cum dominabus illustribus discumbit. Sic enim Trojanus mos est, ut solemnibus diebus mares cum maribus, mulieres cum mulieribus, discumbant seorsim atque distinctim. Finito de more convivio instaurantur ludi, & unicuique pro victoria munus regalis largitionis impenditur. Illic donantur honores, Episcopatus assignantur, mutantur veterani, promoventur digni: & dum circa hæc curia vacat, revocatur ad arma deliciosa (*b*) juventus, Lucio Consule Romano tributum pridem extortum per legatos petente. Unde datis induciis successit nova malorum congeries. Verum post multa pericula exacta, Lucius conserto prælio trucidatur, multaque Romanorum, & non modica Brittonum, strage facta, victor Arcturus ubi Romanum invadit imperium, ad proprias injurias ulciscendas revocatur, dum domestico (*c*) flumine Modredus ejus nepos custos factus regni, usurpans regnum, regis & domini, nec non avunculi, præsumsit fœdare conjugium. Unde post aliquot tempus pugna conserta cum Modredo nefandissimo, & Childerico rege (*d*) Saxonum, auxiliario Modredi, è Germania nefandis pactis advocato, rex Albaniæ Augesilus & Galvandus Arcturi nepos, omnium par, & in strenuitate omnibus præpar, (*e*) sub dubio bellorum fato corruunt cum multis: alteraque pugna revocata, Arcturus vulneratur, omnibus hostibus ab ipso peremtis. Unde secundum vulgarem Brittonum traditionem in insulam Davalim ipsum dicunt translatum, ut vulnera quotannis recrudescentia subinterpolata sanatione curarentur à Morganda fatata: quem fabulose Britones post data tempora credunt rediturum in regnum. Vulneratus itaque Arcturus, Constantino cognato suo, Cadoris Ducis Cornubiæ filio, Britanniam regendam commisit, anno ab incarnatione Domini quingentesimo XLII. Constantino Conanus, Conano Uroporius successit; cui Malgo quidam, pulcherrimus, robustus & largissimus. Hic omnes insulas suæ ditioni restituit, Yberniam, Illandiam, (*f*) Gothlandiam, Orcades, Norwegiam & Daciam. Malgoni successit Carecius, civilium amator bellorum: cujus sævitiam ac inconstantiam non sustinens populus Brittonum & Saxonum, advocant in auxilium contra eum Gudinundum (*g*) regem Africanorum: qui ipsum de civitate in civitatem persecutus, cum seria interminatione (*h*) tandem in Gallias ire coëgit. Sicque Gudinundus tota Loëgria, quæ pars melior est & media regni, devastata, fugatis Episcopis, destructis Ecclesiis, monachis & clericis profugatis, in Gallias transit, auxilium daturus Isembardo nepoti Ludovici regis Francorum, qui cum Gudinundo tum amicitiæ pepigit fœdus, utque facilius ejus haberet auxilium, de Christiano factus est paganus, sacrificiis idolorum se maculans, ut cum Gudinundo vindictam de Ludovico avunculo suo sumeret, qui, ut asserunt, ipsum vi de Francia ejecerat. Ex isto tempore Saxones se Anglos nominaverunt, qui Loëgriam possederunt, & ab eis Anglia dicta est, Brittonibus fugatis atque dispersis. Diadema quoque Brittonum in Anglos cessit. Ea tempestate per plures Loëgria divisa regulos, in Cancia regem habuit Edelbertum, ad quem Augustinus à B. Gregorio missus est. Quo ad fidem converso, & una cum populo suo baptizato, transiens Augustinus ad Brittones, illic septem Episcopatus, cum Legionense Metropolita reperit. Illic Abbas Dincot, (*i*) pater mille tunc extitit monachorum, qui solitarie divisimque manentes, ex labore manuum sibi victualia quæsitabant. Augustino itaque sibi petente ab illis fieri subjectionem, negaverunt, eo quod hostium suorum communionem, nedum subjectionem, abominarentur, maxime cum suum Archiepiscopum Brittonum diademate insignivissent. Hoc responso motus rex Canciæ Edelbertus, cum Edelfredo rege Northanhumbrorum, & aliis regulis, Abbatem Dincot peremit, & monachos ejus de confessoribus martyres fecit. Verum Britones cum regulis confligentes, advocato Margadud, rege Dematarum, (*k*) & Caduano rege Venedorum, & duce Cornubiæ, Edelfredum vulnerant; ipsoque cum suis in fugam versis, Caduanum sibi præficiunt in regem, facta concordia, ut Caduanus Britanniam citra Humbrum possideat, Edelfredo ultra Humbrum regnante. Illis post longam amicitiam defunctis succedunt filii, Caduallo, Caduano, Eduinus Edelfredo. Hi post longam pacem discordes facti sunt, quia Caduallo negabat Eduinum posse regali diademate in partibus suis insigniri, dicens contra veteres esse traditiones, regnum unius coronæ duobus coronatis debere submitti. Deinde post multa hinc inde prælia conserta, plurimosque necatos, tandem Caduallo auxilio Salomonis regis Armoricorum, cognati sui, Eduinum occidit, auxilium sibi dante Penda rege Merciorum; sicque cum Eduino peremtis regulis Oswendo (*l*) quoque successore Edoini cum multis aliis post multas victorias ad marty-

(*b*) bellicosa. (*c*) f. crimine. (*d*) Duce. (*e*) Suppar. (*f*) Hislandiam. (*g*) Gunduvindum. (*h*) sæva internecione. (*i*) Dinoot. (*k*) Democorum. (*l*) Oswaldo.

rium ducto, Caduallo solus in Britannia regnavit. Hic est is Oswaldus Rex & Martyr, cui speciali privilegio virtuti datum est, quod quicunque ipsius jejunaverit in pane & aqua, & quotannis id egerit; tot diebus ante obitum suum, mortis adventum præsciet. Quod à Sanctæ memoriæ Mauritio quondam Parisiensi Episcopo, cum moreretur, accepimus, qui quinquaginta diebus mortem suam prædixit, eo quòd totidem annis jejunium fecisse se, publicè protestatus est. His accedit, quod quisquis jejunat vigilias omnium festivitatum B. Mariæ, & S. Michaelis, & Sanctorum XI mill. Martyrum, quæ X Cal. Jul. est solemnis; quantumcunque vulneretur Tu perteà non morietur; quod in multis probatur & à multis accepimus: sed & ob id eo qui à mortuis resurrexit, testificatus est. Oswaldo successit frater ejus Oswi, cum Codoallone firmam pactus amicitiam. Sed cum in ipsum Oswi filius ejus Alvredus, & Oswaldus filius fratris ejus insurgerent, & in alteram partem tacito Brittonum consilio Penda rex Merciorum auxiliarius advenisset, victus est Penda & occisus. Cui successit beneficio Codoalonis Wlfridus filius Pendæ. Completis autem octo annis & XL. Codoallo mortuus est. Cujus corpus balsamo & aromatibus conditum, super equum æneum collocaverunt, super occidentalem portam Londoniæ, in signum victoriæ, ad terrorem Saxonum. Cadualloni successit Cadualladrus (*k*) ejus filius, cujus tempore inaudita fames & aëris corruptio insulam totam omnibus bene colonis destituerunt. Unde longo post tempore decurso, Saxones totam insulam occupantes, Adelstanum primum regio diademate insignitum, sibi præfecerunt, dividentes regnum per ducatus & consulatus. Cum vero Saxonum tranquillitatem Caduäldus interrumpere parasset, potitus auxilio Alani regis Armoricorum cognati sui: vox divina intonuit, ut cœptis desisteret, & ad Sergium Papam properaret, ut peracta Romæ pœnitentia inter Beatos acciperetur: Brittonumque regnum tunc primum rediturum promisit, cum reliquias corporis sui, aliorumque SS., quas propter paganorum metum Duduras (*l*) portaverant. Consilio igitur divino motus Carduäldus cœpta deserit, Romam adiit, ibique sub sancta confessione permanens, per manus Sergii Papæ languore defunctus, sepultus est: anno Domini sexcentesimo (*m*) XII. Kalend. Maji.

XVIII. De Regno Francorum & ejus ortu.

Decurrimus, ut breviter potuimus, regnum Brittonum, quod usque ad Anglos, è Germania venientes, tunc Saxones dictos, protraximus: ex quorum stirpe ab utroque parente, *Princeps Serenissime, descendisti; patrem habens illustrem Henricum Ducem Saxoniæ, avum vero per matrem Illustrissimum regem Anglorum Henricum.* Et quia tua Imperialis majestas à Karolo magno Romanum redintegratum imperium tenet, & *ex parte matris reges Francorum contingis, Comite Theobaldo avo regis hujus Philippi existente, eodemque abavi tui vetustissimi regis Henrici nepote;* regnum Francorum, quo stemmate succreverit, breviter explicemus, qualiter à Trojano prodierit excidio, & ad Karolum usque pervenerit, edocturi. Quoniam igitur supra titulo de partibus Europæ à Cociis Alpibus & Penninis, usque ad Oceanum, unde regnum Francorum prodierit, diximus, regesque usque ad Clodovæum distinctim ordinavimus, ab ipso Clodovæo, qualiter per succedaneos reges regnum transmissum sit, prosequemur.

Hic ergo Clodovæus rex Francorum, primus baptismum per manus S. Remigii suscepit. Cui dum baptizaretur, ait S. Remigius: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti; incende quod adorasti.* Is Burgundiones tributarios fecit, Gothos ab Aquitania expulit, interfecto Alarico rege ipsorum. Anno quinto post Alaricum interfectum, mortuo Clodovæo, quatuor ejus filii regnum dividunt. Theodoricus enim sedem sortitur Metis, Clodomirus Aurelianis, Childebertus Parisiis, Clotarius Svesionis. Theodorico successit filius ejus Theobaldus: cui successit Clotarius filius ejus. Childeberto apud Parisios defuncto regnum ejus & thesauros Clotarius accepit. Clotario apud Compendium mortuo, Aribertus, Gundramus, Chilpericus & Sigobertus regnum dividunt: Aribertus Parisiis, Gundramus Aurelianis, Chilpericus Svesionis, Sigobertus Metis, sedem elegit. Sigoberto autem (*n*) dolo Chilperici fratris sui interfecto, Childebertus regnum patris accepit: Chilperico Clotarius ejus filius parvulus successit. Gundranno quoque mortuo, Childebertus ejus regnum accepit, qui Italiam ingressus, Longobardos suæ ditioni subjecit, & post amicitias cum eis iniit, Childeberto Theobertus & Theodoricus succedunt, anno regni Clotarii XIV. Theobertus sortitur Austriam, sedem habens

(*k*) Cadualdus. (*l*) dudum asportaverant, recuperarent. (*m*) sexcentesimo octogesimo nono. (*n*) à duobus...

habens Metis: Theodoricus regnum cepit Gundranni in Burgundia, sedem constituens in Burgundia Aurelianis. Anno XVII. Theodorici regis, Theodoricus vinctum (o) fratrem suum Theobertum Cavillonem destinavit, ipseque anno secundo ventris profluvio moritur. Brunichildis ejus avia cum filiis Theodorici Metis resedit: Clotarius vero super eam irruens filios Theodorici interfecit, ipsam diversis pœnis ad internecionem ducens: sicque omne regnum Francorum Clotario minori subjicitur. Clotarius Longobardis indicta ab Hildeberto tributa remisit, amicitiæ fidem cum eis pactus. Clotario succedit Dagobertus & Aribertus; nec post multum Ariberto mortuo Dagobertus totum regnum possedit, & hic Sigobertum filium suum in Austriæ regnum sublimavit, sedem habens Metis. Filius vero ejus Clodovæus post ejus obitum sub ætate tenera regnum patris obtinuit. Egla vero cum regina Nantilde, quam Dagobertus reliquerat, condigne palatium gubernat & regnum Francorum. Anno III. regni Clodovæi Egla moritur, cui succedunt Archinaldus in Neustria, & Flavianus in Burgundia. Eodem anno Pipinus Major domus in palatio Sigoberti moritur, & Otto, qui bajulus Sigoberti fuerat, in locum ejus substituitur, & ipse ab Eleuterio Duce Alemannorum interficitur. Posthæc regnum Austriæ, majorque gradus in palatio Sigoberti, in manu Grimaldi filii Pipini confirmata sunt: sed hic Parisiis propter quasdam secretas factiones in carcerem truditur, ibique moritur. Clodovæo igitur mortuo successit filius Clotarius, Francique Ebroinum Majorem domus ejus constituerunt in locum Erchinoaldi, qui fuit Major domus. Clotario mortuo succedunt Theodoricus & Childericus fratres; Theodoricus in Francia, habens Majorem domus Ebroinum; Childericus in Austria cum Wlfardo Duce. Franci vero commoti, Ebroinum tonsum, monasterio Luxoviensi tradunt, & Theodoricum crinibus incisis à regno pellunt. Childericus vero ab Austria vocatus, regnum Francorum cepit. Erat autem Childericus levis per omnia, incaute agens; unde inter eos odium scandalumque maximum crevit. Francos quoque plurimum opprimebat: ex quibus unum Franconem, dictum Odilonem, ad stipitem tensum, gravissime cædi sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, iraque turbati, Ingobertus & Amalbertus, ac reliqui majores natu Francorum, contra Childericum concitantur, sicque ab Odilone rex cum regina prægnante interficitur. Wlfardus vero vix sibi per fugam consulens, in Austriam redit; Franci vero Leudesium, filium Erchinoaldi, Majorem domus ac palatii constituunt. Ebroinus itaque comam nutriens, & tonsuram deserens, magna turba stipatus Isarum transit, insidiatoresque suos potenter occidit: Lodoisus cum Theodorico rege, sociisque plurimis aufugit. Ebroinus prosequens eos Batiovilla veniens, thesauros regios invasit, regnumque recepit. Lodovico ad se vocato fraudulenterque occiso, S. Leodegarium Augustudunensem, diversis pœnis afflictum, gladio peremit: Cirinum fratrem ejus dira pœna damnavit. Reliqui vero Franci partim exilio traditi, partim propriis laribus pulsi, fuga sibi consuluerunt. Eo igitur tempore, descendente Wlfardo in Austriam, Pipinus & Martinus dominabantur in Austria, qui contra Ebroinum arma movent; quibus Ebroinus atque Theodoricus occurrunt, maximaque invicem cæde facta, Austrii terga vertunt. Martinus per fugam elapsus Lugduno se recepit, Pipino altrinsecus evadente. Martinus falso Ebroini juramento seductus à Theodorico, ad colloquium veniens, cum sociis suis dolose perimitur. Verum post plurimas fraudes Ebroini, ipse quoque ab Ermenfredo Franco, cui insidias paraverat, occiditur. Ermenfridus in Austriam ad Pipinum fugit. Franci vero Warathonem virum illustrem Majorem domus constituunt; quo postmodum defuncto Bertarium substituunt. Pipinus vero ab Austria veniens cum exercitu, Theodoricum regem & Bertarium terga vertere compulit, & Pipino victoria cessit. Nec longe post Bertario ab adulatoribus suis interfecto, Pipinus cœpit esse domus Theodorici regis Major, exque uxore sua plurimum sapiente duos genuit filios, Drogum majorem, qui ducatum cepit Campaniæ, & Grimaldum juniorem. Eo tempore Theodorico morienti successit Clodovæus filius ejus puer, regnavitque duobus annis. Cui successit Childebertus frater ejus, in cujus domo Major constituitur Grimaldus filius Pipini, qui ex concubina genuit Theobaldum: & Drogus Pipini primogenitus moritur; cui adjungitur alius ex alia uxore filius Pipini, Karolus vetulus, vir elegans, egregius atque utilis. Pipinus autem multis bellis gestis contra gentes plurimas, anno Domini septingentesimo decimo migravit in Alamanniam, annoque sequenti, ingenti facta aquarum inundatione, Childebertus rex migravit ad Dominum, cui successit Dagobertus filius ejus; cujus anno primo Grimaldus Pipini filius interficitur: in cujus locum Theobaldus filius ejus erigitur, ut sit Major domus Regis.

(o) & unicum.

Anno vero Domini DCCXIIII. Pipinus moritur. Franci vero denuo in Cotia silva in Theobaldum & Austrios irruerunt; & post multam hinc inde stragem, Theobaldus vix fugæ consilio evasit. Quo fugato Franci Ragumfredum Majorem domus elegerunt. Karolus quoque Pipini filius, à Plectrude Pipini relicta sub custodia tentus, vix evasit. Dagobertoque defuncto Franci Danielem clericum, relicta tonsura, regem constituunt, quem & Chilpericum nominant. Eo tempore Semia rex Sarracenorum Hispaniam ingressus, devictis Hispaniæ Gotthis, Hispaniaque capta, Narbonam capit; maribus occisis, mulieres captivas in Hispaniam ducit, & eodem anno Tholosam obsedit. Verum Eodone principe Aquitaniæ cum Francis præliante, Sarraceni fugantur, ex quibus multi perimuntur. Præterea quinto anno Ambissa (p) rex Sarracenorum potenter ingressus, invadit Gallias, Carcasonem capit, & usque Nemausum veniens, eorum obsides Barcinonam transmisit.

Anno Domini DCCXVIII. Chilpericus rex cum Ragumfredo & Francis Arduennam silvam ingressus, & usque ad Rhenum Coloniamque urbem perveniens, terris vastatis, cum reverterentur, à Karolo Pipini filio graviter invaditur. Et iterato bello cum Karolo, pacem postulante, nec obtinente, congressus, Chilpericus cum Ragumfredo & Francis terga vertit. Karolus in Austriam reversus, victor Coloniam ingreditur, Plectrudem thesauris Pipini patris sui spoliat, illic Clotarium regem instituens. Chilpericus Eodonem Aquitaniæ principem contra Karolum erigit: qui dum fugatur, Parisios revertitur, & Chilpericus, sublatis thesauris multis, ultra Ligerim recedit, fugiens Karoli persecutionem. Clotarius tunc in Austria obiit, & Karolo cum Eodone pacem faciente, moritur Chilpericus: cui successorem Franci erigunt Theodoricum filium Dagoberti.

Post hæc Abderamon, rex Hispaniæ Sarracenus, in manu forti per Pampilonem transiens, Pyrenæisque montibus decursis, Burdegalam obsidet: & Eodo dux Aquitaniæ à Sarracenis vincitur: verum Karoli principis Francorum auxilio, vincit iterato bello Sarracenos, rege eorum peremto. Sicque Karolus in Franciam reversus, ipsam suo subjecit imperio. Nec mora, Jussepibin, Abderamonis regis in Narbona præfectus, Arelatensem civitatem invadit, & Provinciam vastat. Ob cujus defensionem Gregorius Papa junior, Karolum ad patriciatum Romanum evocat, suadens ut à partibus Imperatoris Græcorum recederet. Quo facto Karolus Burgundiam ingrediens, Avinionem capit, Sarracenis occisis: & exinde Narbonam obsidet. Iterum cum parte exercitus sui Ancupam Sarracenorum regem vincit, & cum spoliis Franciam regreditur, Magalona destructa: arenisque Nemausensibus & portis exustis, obsides in Franciam duxit.

Anno Domini DCCXLI. Karolus Pipini filius obit, cujus principatum filii Pipinus & Karolomannus dividunt. Karolomannus Austriam, Alamanniam atque Toringiam sortitur: Pipinus Burgundiam, Neustriam atque Provinciam. Veruntamen [ille] apud montem Cassinum monachatus, filios suos fratri commendat, & Pipinus regnum patris suscepit. Interea Gafario principe Aquitaniæ Narbonam deprædante, Ansemundus Gotthus Pipino Nemausum, Magalonam & Biterris tradit, Francique Narbonam infestant. Pipinus Gafarium principem persequitur, eo quod se ditioni suæ subtrahebat. Franci Narbonam diu obsessam per Gotthos recipiunt, peremtis Sarracenis, facta pactione cum Francis: quod illi Gotthi patriis moribus legibusque paternis vivant. Et sic Narbonensis provincia Pipino subjicitur, & Gafario mortuo, Pipinus, Aquitania capta, post paucos dies obiit: Cui succedunt filii Karolus & Karolomannus. Sed Karolomanno in brevi defuncto, Karolus solus regnavit: qui congregato exercitu, Desiderium regem Longobardorum Papiæ obsessum & captum, in Franciam mittit. Et sic regnum Longobardorum finitur, Francisque tota subjicitur Italia.

Karolus Romam venit, susceptoque patriciatu redit in Hispaniam, ubi rex Sarracenorum Abitaurus Pampalonem civitatem, & se, ditioni illius subjecit. Hoc anno Karolo nascitur filius Lodovicus. Ex hinc nascitur & alius, quem Franci nominabant Karolomannum, sed mutavit Urbanus Papa nomen in Pipinum; quem Urbanus inunxit in regem Italiæ, Ludovico regnum Aquitaniæ obtinente. Tunc Rothruda regis Karoli filia Constantino Imperatori desponsatur.

Post hæc Abdelmelech Rex Sarracenorum, ad vastandas veniens provincias, suburbium Narbonæ succendit, multaque Christianorum strage facta, ac præda, dum ad Carcasonam tendit, à Comite Guillelmo, aliisque Francorum principibus, conserto prælio præpeditur. Commisso itaque bello gravi, cum plurima interitione Christianorum, fugientibus Comitibus Francorum,

---

(p) Abisa.

corum, Comes Guillelmus post diutinam pugnam à bello divertit, Sarracenis in Hispaniam cum spoliis regredientibus.

Anno igitur Domini octingentesimo primo, cum apud Græcos nomen Imperatoris vacaret, & feminis cessisset imperandi dominatio, Karolus Romæ moram faciens, accepit à Leone Papa, & universo populo Romano, decretum, ut Karolus nomen Imperatoris indueret & Augusti: eo quod Imperatores in Romana urbe sedem pridem habuissent, qui & Augusti vocabantur: & in proxima Christi nativitatis solemnitate, Karolus cum consecratione nomen Augusti, imperiumque, à Papa Leone suscepit. Ex hoc igitur tempore Græcorum imperio apud Occidentales evanescente, nomen rediit Imperatoris ad quasdam partes Occidentis, ex quo quædam Romani Imperii facta est confusio, dum duobus nomen unum obtinentibus, divisio minuit potestatem: Et sicut à solo Deo Græcorum pendet imperium, ita à sede tantum Romana Papa Occidentis asserit pendere imperium. Ecce hæc nova & inusitata commutatio facit, ut Papa solus insignia ferat imperialia; & Imperator Romanus nomen imperiale teneat, sub vulgaribus aliorum Regum insignibus. Papa dominum urbis ac imperialis sedis se monstrat, & Imperator sub nomine dominationis, Papæ minister dicitur, & in temporalibus Apostolorum executor: ille vicarius Christi & Apostolorum successor nominatur. Ecce quam infelix urbis permutatio, quæ sub unitate, ut dicit Papa, dominis duobus servire dicatur, uni ex corona, alteri ex potentia. Verum in hoc antiquæ nobilitatis recordatur efferitatem, quod utriusque domina Roma, utrumque dominum nominat; cum pro suæ voluntatis arbitrio ipsa utrique dominetur; utrique molesta, utrique cervicosa, neutrum fugit, & utrumque parvipendit. Apud Principes Alemanniæ Imperatoris est electio; apud Papam electi confirmatio atque consecratio: & nova discretione Imperator nominatur, ut dominus: consecratur, ut non dominus. Nempe imperialia non accipit insignia, quæ sibi soli Papa collata conservat, & ad altare modicum in dextro latere Basilicæ S. Petri consecratur à solo Papa: cum è diverso Papa Imperatoris insignia teneat, & ad altare S. Petri tantum inunctionem (q) suscipiat. Sane Constantinopolitanus Imperator, sede mutata, non dignitate, suo jure, non papali beneficio, imperialia gestat insignia; & velut profusæ largitionis donator, donatarium suum summum pontificem non evocat in adjutorium, domi habens suæ dignitatis plenitudinem. Verum de hoc querelam facere potest adversus inbeneficiatum, quod cum ex Constantini beneficio immensam receperit cum singulari honore dominationem, principi soli debitam; non debuit usurpare, ut alii conferret Augusti appellationem: & nisi os viderer in cœlum ponere, constanter dicerem, aut imperium Romam non posse cujusvis Imperatoris largitione exuere; aut si potuit jus imperii in Pontifice mutare, non potuit in donatoris præjudicium donatarius Augusti nomen, quod ipse non habuit, alii conferre. Porro quiescente contentione in te videtur Deus, *ô Princeps sacratissime*, veteris imperialis dignitatis plenitudinem conflasse: dum ex genere oriundus imperiali, duplicis electionis, & papalis confirmationis stolam meruisti, dignoque Dei judicio restitutus in regnum, sub cujus adquisitione pugnando diu vacillaveras, & hostem sine tuo consilio ex alieno dolo prostratum vidisti: & ad antiquæ celsitudinis redintegrationem *monarchiam Constantinopolitani vendicabis; vita comite, imperii, quæ ex propinquitate tuæ debetur Augustæ.* Precor itaque, *Christianissime Imperator*, ut cum tuo consecratore nullam habeas controversiam, sed velut boni patris filius prudens converte gladium ad gentes, quæ te non noverunt. Et sicut *ex sanctissimi Innocentii Papæ III. duplici gratia ultimum Imperatoris nomen obtinuisti:* sic per bonam innocentiam tuam & ejus gratiam, imperium novum, & à Deo sub Constantino firmatum obtineas, & gaudium tuum impleatur: dum nihil erit, quod tibi deesse possit ad gloriam imperialem, hinc nomine tibi augustali dato, illinc insignibus imperialibus, quæ non habes, obventuris, & utrobique dominationis augmento crescente.

XIX. De Imperatoribus Romanis post Karolum.

REgnum Francorum duximus usque ad Imperium illi coagulatum. Et quoniam imperium modico tempore per successiones continuas à patre in filium descendit, breviter, qui ex tunc in imperio Romanorum imperaverunt, annectamus. Dum ergo *Karolus* strenue rempublicam administraret, volens laudabilem fidei Christianæ defensionem ad suos successores transmittere, regnante in Hispaniis Abdallam, filio Otham, Sarraceno: destinavit contra odiosam sibi gentem filium suum Ludovicum regem Aquitaniæ. Qui congregato exercitu Brittonum, Gasconum, Burgundionum atque Gotthorum, Barcinonam

(q) immatriculationem.

capit, regnoque Francorum subjicit. Videns itaque Karolus suæ strenuitatis hæredem fore Ludovicum, consilio Episcoporum & Ducum ac Principum, constituit *Ludovicum* Imperatorem, tradens illi per coronam auream Imperium, sicque feliciter migravit ad Dominum, anno Domini DCCCXIIII. xv. Kal. Febr. regni ejus anno XLVII, Imperii sui XII. Sane Ludovicus Imperator apud Aquisgranum in palatio congregatis Episcopis, Ducibus, & Francorum Principibus constituit, ut unus ex tribus filiis ejus imperium post eum haberet, qui major erat natu, *Clotarius:* cui per coronam auream tradidit imperii dignitatem. Hoc graviter ferens *Bernardus* rex Italiæ, *Pipini* filius, & Ludovici ex fratre nepos, contra Ludovicum & filios ejus insidias parat, sed à Francis præventus & captus, jussu Imperatoris excœcatus est, & ejus fautores justo judicio puniti sunt. Imperavit ergo cum filio Lothario, quem alii *Clotarium* nominant: ipsoque mortuo imperavit solus *Lotharius,* & processu temporis filium suum *Ludovicum* Imperatorem erexit. Cui successit filius *Karolus*, secundus in imperatoria dignitate. Nempe ante Karolum, patrem Ludovici, *Patricii* tantum erant Francorum reges senatus Romani, non Imperatores. Carolo secundo successit *Carolus tertius;* Cui *Ludovicus;* Cui *Berengarius;* Cui *Hugo;* Cui *Berengarius secundus;* Cui *Lotharius;* Cui *Berengarius* cum *Adelberto* filio. Cui *Otto* primus; cui *Otto* secundus, cum *Ottone* filio: mortuoque *Ottone secundo*, solus imperavit filius ejus *Otto tertius.* Post quem *Henricus;* post quem *Conradus;* post quem *Henricus II;* post quem *Henricus III;* post quem *Henricus IV;* Rex Teutonicorum: à quo, primo anno ejus Imperii, captus est Paschalis Papa secundus, & factum est schisma; Imperatore tuente Antipapam Girbertum, & Antipapam Galterium, tempore Paschalis, & Urbani perseverante schismate. Imperavit quoque memoratus Henricus, sedentibus Gelasio secundo, & Calixto secundo, & Honorio II. & Innocentio II. Cujus tempore moritur *Henricus* Imperator, & successit ei *Lotharius imperator, proavus tuus, Princeps Serenissime,* qui sicut ab *Innocentio* consecratus, ita devotus & innocens erga Romanam semper extitit Ecclesiam. Hic *legem feudorum* primus instituit, sanciens, *ut nullus feudum, vel partem feudi audeat vendere seu impignorare, vel quocunque modo alienare, sine permissione majoris domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Huic sane constitutioni, quia futuris tantum, & non præteritis, formam dabat negotiis; *Fredericus* Imperator addidit: *Nos autem ad pleniorem regni utilitatem providentes, non solum in posterum, sed & omnes hujusmodi prius factas alienationes cassamus, & in irritum ducimus, nullius temporis præscriptione impediente, quod & mihi & meis contulisti.* Piissimo Lothario successit *Conradus*, vir quoque strenuus: qui & ipse, juncto sibi piissimo *rege Francorum Ludovico,* patre regis hujus Philippi, ultra marinam fecit peregrinationem, comitatus nepote suo milite strenuissimo *Frederico,* cujus militiam & audaciam *Damascus* testatur. Conrado succesit *Fredericus*, plus ad hoc operante strenuitate sua; quam electione Teutonicorum. Hic cum regnasset tempore *Papæ* tunc *Eugenii*, genere Tusci, nec non *Anastasii III. Adriani* quoque, *genere Angli*, Ruffensis Canonici, ab ipso Adriano in Imperatorem consecratur. Cumque mortuo Adriano Papa *Alexander* succederet *tertius*, genere Senensis; Fridericus schisma longissimo tempore suscitavit ac defendit. Verum Alexander, vir summi ingenii, & inter constantiæ & patientiæ semitas discretissimus, dum potuit exhortando, dum locus fuit gladio spirituali feriendo, omnia pro tempore sustinens, & omnia pro tempore judicans, ad ultimum Imperatorem vicit: & quem atrocissimis morsibus in gregem dominicum sævientem vidimus, in brevi vinctum conspeximus catastis regni cœlestis; in concilio siquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad sinum matris Ecclesiæ regressum, *intuiti sumus*, cum summa humilitate *stolam per manus sanctissimi Papæ Alexandri, quam dedit pater pœnitenti filio, recepisse.* Tunc *Mediolanum* in manu forti diutina obsidione pressum, lassatum ac deditum, in plures vicos distinxerat, dejectis turribus & cassatis munitionibus, tribusque Magis Coloniam Agrippinam usque perlatis, quo fugiens, victor Italiam declinavit. Verum in Italiam rediens, resumtis viribus, *Alexandriam,* quam civitatem novam à Lombardis constructam, suo nomine Alexander Papa Alexandriam nominans decoravit, obsidet, nec in pugnando proficit: quin imo inde rediens in confinio Comitatus Mediolanensis, à civibus Mediolani gravem jacturam, conserto prælio, sustinuit. Ideoque, ut præmisimus, viribus humanis deficientibus, coactus est immortali regi indomita colla submittere. Quid plura? tunc erecto in regem *Teotonicorum, Arelatensium & Lombardorum*, filio suo primogenito *Henrico*, salutato summo Pontifice, cum innumera strenuorum militum multitudine, *Fredericus* ad pridem consuetas, paganorum pugnas repetendas, peregrinationis iter arripuit: decursu hyemis transito Danubio, Mæotidisque paludibus transactis, ubi se in mare Euxinumque pontum dejiciunt, ad Brachium S. Georgii vulgo dictum, Iconium venit. Ibique multiplici paganorum resistentium pugna defatigatus, terram Antiochenam ingressus, cum suæ felicitatis consummationem jucundam suscepturus, terram promissionis accederet, lavacrum in satis modico

amne

amne sui corporis faciens, diem clausit extremum. Exactis ergo post Alexandrum Papam sub regni Henrici, filii Frederici, summis Pontificibus, Lucio, Urbano tertio, Mediolanensi facundissimo, ac animositate & constantia Mediolanum sapiente; Gregorio, qui se vidit citius morientem fere, quam Pontificem; Clemente: tempore Cælestini *Henricus* Romæ coronatus, ab eo nomen suscepit *Augusti*, dato Tusculano ad internecionem, ob favorem senatus adipiscendum. Erat autem Henricus vir apud moderatos modestus, apud rebelles atrocissimus, hostibus invictus, contumacibus severus, proditoribus immisericors; literatis ipse literatior; quod in armorum minus erat exercitio, supplebat facundus & munificus; generosus apud bonos, expositus apud simplices, contra superbos cervicosus. Animo patrem sapiebat, non gladio. Quoscunque seditiosos prava faciebat intentio, præveniebat consilio. Hic legem instituit apud Teutones, *ut militia*, more Gallorum & Anglorum, *successionis jure devolverentur ad proximiores cognationis gradus*; cum antea magis penderent ex principis gratia. Ideoque ad suum refundens commodum, quod aliis impertitus est beneficium, impetravit à subditis, *ut cessante pristina Palatinorum electione, imperium in ipsius posteritatem, distincta proximiorum successione transiret, & sic in ipso terminus esset electionis, principiumque successivæ dignitatis.* Hic *regem Richardum*, non tam Anglorum regem, quam *fidei Christianæ defensorem*, consilio Philippi regis Francorum, dum ab ultramarina peregrinatione, post plurima incredibiliter ac strenue gesta rediret, capit, & redemtioni pecuniariæ addicit: ut non timeat depauperatum, quem timebat affluentem. Recepit Imperator minus honeste redemtionis pretium, non, ut arbitror, voto cordis assueto satisfaciens, sed instantiæ suæ ac necessitati consulens. Quippe, ut antiquitati cognitum est, pridem è *Normannia* venientes *Robertus Guiscardus* & *Rogerius* fratres, Campaniæ partem, quam *principatum dicimus*. *Capuanum* aut *Terram Laboris* invadentes, pigritiam ac pusillanimitatem Longobardorum persecuti usque ad extremos cineres, auctore gladio, doloque interdum intercurrente, *Appuliam, Calabriam, Siciliam, Africamque superiorem* suæ ditioni subjiciunt. Unde rex *Rogerius* in gladio suo inscribi jussit id triumphale ac apoforeticum: *Appulus & Calaber, Siculus mihi servit & Afer.* Hæc indigne possessa, indignanter sustinens magnanimus Imperator *Fredericus*, quibus potuit modis Imperio Romano terras illas reddendas vendicavit. Verum strenuissimus Rex *Rogerius*, ejusque successor rex *Guillelmus*, paterno usus consilio, semper, ut eos attentat Imperator, *Lombardos* precio clam dum corruptos excitant ad arma in Imperatorem movenda, ut illorum labor ejus sit quies, & eorum commotio sit ipsorum inter suos fortitudo. Tandem exquisito *Fredericus* consilio *amitam regis Guillelmi*, qui *materteram tuam, princeps excellentissime, reginam Johannam duxerat in uxorem*, *Henrico*, de quo res agitur, *filio suo copulat Constantiam*, spe concepta, *quod deficiente prole legitima ex rege Guillelmo, amita tanquam propinquior succedens, jura imperii redintegret.* Deficiente itaque illustri rege Guillelmo, per multos regulos sparsa dominatione tanti principis, *Imperator Henricus* amore quærendæ pecuniæ, quæ sumtus tantæ quæstionis explicet, *regem illustrem avunculum vestrum*, ut præmisimus, captum, pretio subjecit redemtionis. Cumque per multos labores tristesque amnestias, post tam clericorum quam & principum atrocissimas punitiones, quicquid cordi fuerat, subjecisset Imperio, familiari potatus veneno positus est ad patres suos. *Ex hinc tua procedit electio, restituta tibi ex proavi tui piissimi Imperatoris Lotharii successione*, debita imperandi dominatione. Sane successibus felicitatis tuæ invidit hostis antiquus, & licet *conventione pridem cum principibus Teutoniæ facta ab Henrico, de successione imperii, per sanctissimum Papam Innocentium cassata:* tum quia *jus eligendi principibus ademtum* per hanc fuit; tum quia permutatio beneficiorum damnosa fieri posset imperio: tum quia, si filius parvulus, aut minus discretus, jure successionis imperium vendicaret, pendente ætatis imperfectæ consilio, totius imperii ruina immineret: tum quia jus Romanæ Ecclesiæ circa confirmationem Imperatoris, ac consecrationem, aut reprobationem, pateretur diminutionem. Licet, inquam, tum inexpedito esset dominatio, (*) metuens *rex Francorum Philippus*, strenuitatem avunculi tui, majestate tuæ celsitudinis, ad inaccessibilem potentiam (**) adjuvari, *Philippum Henrici fratrem, Ducem tunc Suevorum*, velut suæ cogitationis instrumentum, movet ad vindicandum regnum. Enimvero post multos arridentes tibi fortunæ applausus, & victorias de hoste possessas, jam rota tuæ prosperitatis ad deciduum flecti videbatur, cum Dominus omnium moderator & rector fraude suorum præventum Philippum de medio exemit; dans iterata electione, novaque domini Papæ Innocentii confirmatione tibi pendentis, quin imo jam prope labentis, dominationis statum. Considera *Princeps* igitur *sacratissime*, quod ab *Innocentio*, *Papa secundo* sanctis-

(*) Licet, inquam, esset impedita tua dominatio. (**) ad inaccessibilem potiundi paritatem.

sanctissimo, *proavus tuus* accepit imperium: quod longo tempore intermissum, & post electionem, confirmationemque primam relapsum, peræque sanctissimus tibi reddidit *Innocentius*. Ultinam innocens Innocentio exhibearis, & sinceritatem tuam, quam præsumo in te esse, operibus piæ devotionis probes tuo consecratori. Nihil enim est, quo juste illum offendas, nec quod tanto merito dignum rependas. Si credis in aliquo illum minuere velle jus imperii, cedas in modico ei, qui totum in te contulit imperium. Impugnare illum desiste, per quem expugnatores tuos vicisti. Dator effici potes de donatario, si partem ei cesseris ejus, quod per ipsum totum accepisti. Profecto imperium tuum non est, sed Christi; non tuum, sed Petri. Non à te tibi obvenit, sed à vicario Christi & successore Petri. Non tibi perpetuabitur, quod nec tu cum illo, aut in illo eris perpetuus. Cum enim interieris homo, non sumes omnia; neque descendet tecum gloria tua. Si times conscientiam tuam, quasi injustitiam propter sacramentum augustale patiatur; consule famam publicam, quæ tibi injungit criminationem de ingratitudine. Sed conscientiam tuam metuis propter Deum? Illam expone Papæ, & Domino transmitte per eum. Ipse tibi & tuus judex est, à nemine mortali judicandus. Si causam ejus reponis in sinu tuo, satis est, si famam tuam redimis per justitiam illi debitam, crimen factumque tuum contegendo. Nihil amittis, quod tuum est, si dimittis Petro, quod suum est. Petro Constantinus imperium Occidentis dedit, cui servierat regnum Francorum, regnum Teutonum, regnum Brittonum, quinimo totus Occidens, & totus circumfusus orbis. Hic Petro voluit sub Christo totum servire Occidentem. Beneficio Papæ, non suo, Roma tempore Karoli nomen recepit Imperii: beneficio Papæ Francorum regi confertur Imperium. Beneficio Papæ Regi nunc Teutonum & non Francorum debetur imperium. Nec cedit imperium, cui Teutonia, sed cui cedendum decrevit Papa. Enimvero bonus tibi erit Papa; causæ communis arbiter: aut minus bonus, ne dixerim malus. Si bonus, justo ejus judicio, si justam tenes causam, vinces. Si minus bonus, eum in sua causa judicem constituendo, te exonerabis à periculo famæ, ipsumque gravabis onere justitiæ.

De successione Regum Franciæ post Karolum.

EXplicuimus Imperatorum Romanorum catalogum. Consonans erit, reges Francorum suis nominibus designare, qui post *Karolum* in regno Francorum regnaverunt. Regnavit ergo post *Karolum magnum*, *Ludovicus Pius* filius ejus. Cui successit filius ejus *Carolus Calvus*. Cui successit *Ludovicus qui nihil fecit*. Cui successit *Karolus Stultus*. Cui successit *Ludovicus Ultramarinus*. Cui successit *Lotharius*. Lothario successit *Ludovicus*, qui adhuc puer *Blanchiam* duxit uxorem. Ex hinc reges de familia Karoli defecerunt. *Ludovicus* enim iste *Ugonem* militem strenuissimum in Majorem domus suæ elegit: cui una nocte duo Sancti apparuerunt, proponentes, se in loco minus honorato sepultos esse. Rogabant itaque Ugonem, ut ossa eorum cum debita reverentia transferret, & in loco honesto reconditam sepeliret, sub hujusce spe mercedis, quod ei daretur regnum Francorum, & usque in septimam generationem apud suos successione perseveraret. Visioni repente fidelis adfuit executor, & dum talia solemnius agerentur ac devotius, *Ludovicus* rex ægritudine gravi correptus decubuit. Nec diutinam passus languoris instantiam, testamentum conditurus, reginam sibi unice dilectam, simul *Ugonem* ad juranda mandata, quæ daret, adegit. Jurejurando hinc inde præstito, donat regnum uxori suæ, sub præstiti sacramenti fide *Ugonem* obtestans, ut post datam legibus diem ducat in uxorem *Blanchiam*, regno suo potiturus & dominio. Sepulto rege, cum pietate & reverentia regi debita. Ugo Blanchiam sub tempore & ordine canonico duxit solemniter, & licet regnum viriliter gubernaretur, noluit tamen ungi in regem: ut declinata sua unctione, ad ulteriorem gradum successio septena decurreret. Successit igitur ei filius *Ugo*, Ugonis magni filius. Cui successit *Robertus*, filius ejus. Cui successit *Henricus* filius ejus. Cui successit *Philippus* ejus filius. Cui successit *Ludovicus Lippus*. Cui successit *Ludovicus* piissimus amator cleri & verus Dei cultor: qui à multis deceptus, nullumque decipiens, in sancta simplicitate transivit ad Dominum, relicto *Philippo* filio: qui paternam postponens simplicitatem, materni generis astutias duxit in usum. Hic regni sui nobilissimos vi atque ingenio suppeditans, terminos avitæ proprietatis, intra sui tamen regni metas, ampliavit. Quid de cætero de futura successione sit per futura tempora venturum, judicare nescio, cum apud me spiritus non sit prophetiæ, satisque sit narrasse præterita, & ignorasse futura.

XX. De

XX. De Regibus Anglorum à tempore Normannorum.

JAm nunc ad reges Anglorum enumerandos veniamus ab eo tempore, quo regno Brittonum profligato, Saxones Anglorum regnum susceperunt, illo celebri vetustissimoque *Majoris Britanniæ* nomine in *Angliæ* nuncupationem transeunte. Verum quia opus nostrum ad inutilem protractionem ducere superfluum esset, ac vano otio plenum, omissis multis regum ac regni permutationibus, per regulos & generationes ex latere venientes, nunc ab ipsa Anglia, nunc à Dacia procedentibus regibus, omisso Canuto strenuissimo, rege ejusque sequacibus, ad sanctissimum regem *Edoardum* veniamus, cujus fidem & scientiam leges, quas scripsit, sancte testantur, & miracula cotidiana loquuntur. Hic in die apparitionis anno Domini MLXVI. cœlos ingressus, sub sancta confessione hæredem reliquit *Heraldum* nepotem, virtute corporis incomparabilem, moribus ingenuum, militia singularem; cujus tanta erat magnanimitas, quod omnia terrena sibi subjicienda credebat, & secundum mentis quantitatem successum ipsi prosperitas arridebat. Dum pueriles ageret annos, ex mandato *regis avunculi sui*, apud *Ducem Neustriæ*, quam vulgo Normanniam vocant, educatur, eo quod apud nobilissimos Anglos usus teneat, *filios suos apud Gallos nutriri, ob usum armorum, & linguæ nativæ barbariem tollendam.* Erat duci illi filius spurius *Guilelmus* nomine, ex subinducta illi civis cujusdam filia genitus, eo consilio, ut quovis modo soboles ex eo Normannis nasceretur. Cum ergo more juvenculorum in curia *hæres Angliæ* & *filius Ducis* essent confœderati, tandem venit eis in mentem, ut *Heraldus* sororem Guillelmi acciperet in uxorem ac reginam; ac è converso *Guillelmus* Heraldi sororem in conjugem juraret & ducissam: uno quoque pro suo tempore, pacta se servaturos jurantibus. Mortuo ergo sanctissimo rege *Eduardo*, *Heraldus* regnum suscepit; & defuncto rege duce, *Guillelmus* ducatum Neustriæ partim vi, partim quibusdam cum rege Francorum pactionibus obtinuit. Mandat dux regi, ut secundum pristina jurata, & uxorem suam recipiat, & duci debitam non neget. Quorum utrumque detestatus Haraldus, cum apud castrum Doloberniam per mare in scafa spaciandi causa se faceret cum paucis vectitari, tandem subito flatu avectus in Flandriam, commentus est, se ad Ducem venisse, ut uxorem pollicitam acciperet, & daret promissam. Gaudenter exceptus, & ad ducem veniens, spondet firmius complere promissa, & ducta sorore ducis redit in Angliam. Ubi suæ redditus potestati, convertitur in arcum pravum spretoque totiens iterato jurejurando, in tantam ex privilegio singularis militiæ evehitur superbiam, quod omnia tentans, & de mala causa nullam capiens diffidentiam, cum Scotis pugnam aggreditur: & dum inter atrocia vulnera hinc inde inflicta victor existit, audit ducem Normanniæ, convocatis auxiliariis, & nobili stirpe Francorum, partem Angliæ meridianam intrasse, ut contemtum suum, & verecundiam illatam, ultore ferro vindicaret. Comperiens talia rex *Heraldus*, ut erat audacissimus, vix alligatis vulneribus nuper in pugna contritorum, occurrit inconsiderate *Normannis*, exercitu suo non exspectato. Ejus adventum sentientes Normanni, de paucitate diffisi, de strenuitate Regis timentes, aggerem pro muro faciunt, & cum instaret dies Sabbathi, voto perpetuo se suamque posteritatem obligaverunt, quod in perpetuum *carnibus die Sabbathi abstinerent*, si de manu fortiorum liberati, sine damno, secundum justitiam causæ suæ, victoriam reportarent. Miserator ergo & misericors dominus, qui justos exaudit, & humiliat, sicut vult, superbos, quos inter primos insultus paulisper contrivit; in fine cum paucitate victores facit; & *Heraldus*, utrum fuga sibi consuluerit, an in prælio ceciderit, adhuc dubium reliquit. Dato igitur populo in dispersionem, regeque evanescente, Dux Normanniæ *Londoniam* advectus, in regem evehitur, sorore *Heraldi* in uxorem ducta. Ex hinc prodit *Guillelmus*, rex Anglorum per nuptias, & Dux Normannorum per paternam successionem. Hic post multos cum Anglis singulares conflictus, potens bellator, justus princeps, & in omnibus tam modestus, quam strenuus, tres filios reliquit, regem *Guillelmum*, *Robertum* cognomento *Curtam hosam*, ducem Normannorum, & *Henricum*. Defuncto patre succedit *Guillelmus* primogenitus in regnum, vir impius, ecclesiarum persecutor, inmisericors circa imbelles: qui Archiepiscopum Cantuariensem plurimum persecutus, ab Angelo percutiente peremtus, *Guintoniæ* sepultus est, sub infamiæ perpetuo monumento. Dux Normannorum *Robertus* inter illos, qui per manus sanctissimi Urbani II. ultramarinam peregrinationem susceperunt, primarius cum *Comite S. Ægidii Raimundo*, patre *Comitis Namfulsi*, (*a*) & *Duce Godofredo de Banlun*, (*b*) & *Comite Baldewino*, & *Böemundo principe*, & *Comite Stephano*, & *Episcopo Aniciense*, cum multis proceribus Hierosolymam adiit, vir in armis strenuissimus,

Ddd ddd mise-

(*a*) *Nonaffusi.* (*b*) *Builim.*

misericordia plenus, & sicut sub armis consultissimus, ita depositis armis in perfectiore scientia non defectivus. Capta *Antiochia*, receptoque Dominico sepulchro, *Dux Robertus in regem ultramarinæ acquisitionis eligitur*, eo quod filius regis Anglorum strenuitate potens, stemmate cunctos præcelleret. Jam *de morte primogeniti fratris sui Guillelmi nuncii adveniunt*, & spe regni pacifici obtinendi, regnum sanctum, in quo pro Christo pugnandum erat, declinavit. Dux quoque Godefredus regnum suscipiendum in excusationem duxit, prætextu sanctæ humilitatis; asserens se indignum illic corona aurea insigniri, ubi Christus corona spinea voluit coronari pro nostra salute. Cessit ergo diadema Hierosolymitanum Comiti *Baldewino*, eo quod ipse inter tot agones excellentissimo ac singulari ictu paganum armatum per medium in duo frusta diviserat. Dux vero *Robertus* post multa mirabiliter ac laudabiliter acta, spe regni Anglicani repatrians, *Henrico* fratri juniori, qui jam regnum invaserat, obvius factus, apud Tenarthebrai infra fines Normanniæ, conserto prælio capitur. Ex hinc apud *Claudii castrum* quatuordecim annis incarceratus, ibidem defunctus est: utroque regno privatus, Hierosolymitano, quod contemsit; Anglicano, quod appetiit. Regnavit ergo rex *Henricus* in pace feliciter, cujus *unico filio in mari Britannico naufragato, filia filio Imperatoris Romani nuptui traditur*. Hæc in tantum paternam sapientiam imitabatur, quod cum paucis, non dicam, suppeditavit imperium, verum & ipsam *Romam*, quæ caput extat imperii, ditioni voluntatique suæ subjecit. Infra paucos annos viro defuncto, dum ad patrem rediit in Angliam, occultis insidiis capitur, eodemque furore continuato, *in uxorem ducitur à strenuissimo Comite, illustri Andegavensium Gaufredo, regis Fulconis ultramarini filio;* ex quo suscepit tres filios; *Henricum, Gaufredum Plantegenest*, & *Guillelmum Longam spatam;* rege Anglorum *Henrico* raptum filiæ dissimulante, & de violentia faciente voluntatem. Post aliquot annos mortuo Comite Andegavensium *Gaufredo*, filiaque regis, eademque Imperatrice, retinente jure mariti ex successione filiorum *Andegaviam, Turoniam* & *Cenomanniam*, tandem avus, sola Imperatrice cum filiis superstite, testamentum condidit, in quo *filiam cum Henrico filio Comitis Andegavensis* instituit hæredem. Verum quia infans nondum trimus, consilium tanto regno debitum non haberet, nec muliebris sexus constantiam, tam ferocissimis gentibus edomandis oportuniam: necessarium visum fuit tutelæ nomine regem ad tempus inserere, cujus virtute ac strenuitate motus barbaræ gentis refrenarentur, & enormia delicta punirentur. Erigitur ergo ex ipsius regis Henrici deliberatione Comes *Stephanus* in regem pro tutore, regis Henrici ex sorore nepos, Comitis *Theobaldi* frater, illustris *Henrici*, Guintoniensis Episcopi, germanus: vir quidem in fide ferax; in promissis fidelis, militia singularis; simplicitate pius; omnis cupiditatis ac avaritiæ expers. Hic sacramento constrictus, quod fideliter regnum tueatur, & usque ad præfinita tum tempora moderetur; coronatur, inungitur, & prospere regit populum in fortitudine virtutis suæ, ab omnibus formidatus & dilectus; tandem simplicitate bonitatis ductus, circa puniendos compatiens, & affligendos emollitus; ut arcus humectatus lentescit, & à superbis magnanimibus Anglis, jam ex lenitate regis in insolentiam ductis, attentatus & impugnatus, contradictionem sentit potentum & guerram. Faciebat ad causam seditionis, quod fide oblita, & sacramento pridem præstito, consilio asseclarum suorum postposito, in animo gerit, Imperatricem cum filio legitimo, regni hærede, prorsus exhæredem facere, & loco illorum filium proprium substituere Comitem *Eustachium*, virum speciosum forma, affabilem, generosum, militibus placentem, largum, militia patrissantem. Huic ad defensionis augmentum in uxorem datur *Constantia*, regis *Ludovici* Francorum soror, hujus regis *Philippi* amita. Sed post modicum tempus evanescente viro, eadem comiti Tolosano *Raymundo* nubit: ex quo ortus est Comes iste *Raymundus*, cujus vitam miserandam testatur afflictio. Defuncto *Eustachio*, regis Stephani unico, mota fuit in patrem Anglia, nobilibus regni regem, propter fidem, qua Imperatrici tenebantur, persequentibus. Exinde jam pubescente *Henrico*, & in armorum exercitio crescente, ducatus Normanniæ se mittit in deditionem: assumtoque Ducis nomine, Henricus fideles & potentes regni excitat in arma. Tandem rebus armis actis strenuiter, dum conserto prælio inter *Stephanum* & Ducem, acies hinc inde consisterent, pax fit in hac forma, quod rex Stephanus, dum vixerit, regni teneret gubernacula; & adoptatus *Henricus* in filium, post ejus fata succedat in regnum. Nec mora infra paucos annos defuncto rege Stephano, Dux coronatur in regem: qui ducta *regina Franciæ, & à piissimo rege Ludovico* dimissa, prætextu consanguinitatis probatæ, *filia* scilicet *quondam Illustrissimi Ducis Aquitaniæ Comitis Pictaviæ Alienor, genuit ex ea filios contracto sibi dominio Aquitaniæ*. Igitur *Henricus* rex Anglorum, Dux Normannorum & Aquitannorum, & Comes Andegavensis, genuit *Guillelmum* primogenitum, qui velut ros matutinus, nec solis exspectato calore, pertransiit. Additur regi filius alter *Henricus*, qui vix plenæ pubertatis effectus, ungitur in regem, & diademate paterno coronatur, *junior*que *rex* appellatur. Hic

Hic ſtatura procerus, effigie præclarus, vultu pro debito jucunditatem & maturitatem prætendebat; ſpecioſus inter filios hominum, affabilis, hilaris, & apud omnes gratioſus ab omnibus diligebatur, & omnibus amabilis, inimicum habere non poterat: militia ſingularis, ut corporis venuſtate omnes antecedebat, ſic ſtrenuitate, favore, & morum inſigni gratia, largitate & fidei ſinceritate omnibus præferebatur. Quid plura? In hoc omnia probitatum & virtutum genera Deus conflavit; & quæ plus illuſtribus ſors ſingularibus largitur ſingularius, huic ita omnia contendit generalius & pinguius dare præconia, ut nil in eo terrenum fuiſſe putaretur, ſi non *immatura morte fuiſſet interceptus.* Nempe ut in ipſo adoleſcentiæ fervore vivens, mundo fuit ſolatium, ita moriens univerſæ militiæ fuit exitium. Unum in ejus planctu memini dixiſſe:

Roſa formæ ſingularis
Marcet, perit, alter Paris,
Hector alter occubuit.
Alter primus, non ſecundus,
Illi Troja, huic mundus,
Et jus omne periit.

Cum obiit Henricus, cœlum eſuriit, & mundus abiit mendicus. Poſt hunc genitus floruit ille rex regum terrenorum *Ricardus*, in ſtrenuitate, magnanimitate, militia, ſcientia, & omnis generis virtutibus nulli mortalium ſecundus: ſacri patrimonii Jeſu Chriſti, Terræque Sanctæ ſtrenuus defenſor: timor gentilium, mors hoſtium, gladius & tutamen Chriſtianorum; cui mundus ad largitiones non ſufficeret, & orbis velut pugillus erat ad dominandum. Succeſſit *proles tertia, Comes aut potius Dux Brittonum*, Arcturo fabuloſo animali virtute non inferior, ſtrenuus, militia pollens, liberalitate excelſus, probitate & magnanimitate incomparabilis, exactis paucis in virtute immenſa annis obiit. Adjungitur *quartus illuſtris Rex Johannes*, cujus incrementum ac laudes præſentiali inſpectioni commendo, ne videar aut ex inſufficientia mea minus dixiſſe de eo, quam eſt; aut adulationi deſervire in eo, quod dixero aliquid, quod eſt. Ecce quod de leone rugiente quatuor leunculi prodierunt, quorum quilibet in fortisſimum crevit leonem, aut itidem ſpe futuræ nobilitatis, minitantem. Nec tacenda ſunt inſignia illa leonum ubera, quæ ſuo lacte & ſtrenuitate potentiſſimas orbis partes illuſtraverunt. Dum ex eodem rege Henrico prodiit hinc *Duciſſa Saxoniæ*, cujus flos, *tu Sereniſſime Princeps*, ut bonæ arboris, dulciſſimum pomum proceſſiſti, cum illuſtri *Comite Palatino Henrico*, & *Guillelmo longa ſpata*, fratribus tuis utroque parente conjunctis; nec non nobiliſſima Comitiſſa *Alienora* germana tua. Ex *altera ejuſdem Henrici filia* novellæ & inſignes plantationes Hiſpaniæ pullulant, *filii Illuſtriſſimi regis Compoſtellani*, quorum initia, ſi medium & finem cœpto proſequuntur auſpicio, magis patrum præambuli videbuntur, quam pediſſequi. Ex *tertia quondam illuſtris regis Siculi conjuge* prodiit *Raimundus* Dux Narbonenſis, Comes Toloſæ, & Marchio Provinciæ: qui utinam utriusque avi fidem, virtutem & conſtantiam imitabitur, ut ſub Ducis Comitis & Marchionis nomine, virtuti & ſtrenuitati regum avito more æquiparetur. Huc usque, *Excellentiſſime Imperator*, Regum Angliæ ſtemma ſtirpesque perduxi, veniam poſtulans, quia minus dixi: cum ad veritatem ſtrenuitatemque prædeceſſorum tuorum recenſendam nec dies ſufficere poſſet, nec calamus.

XXI. Epilogus capitalium provinciarum totius orbis, & primo Aſiæ usque ad terram ſanctam.

Decurſis ab excidio Trojano regnis ac Regibus [hinc] prodeuntibus Romanorum, Francorum ac Britonum, epilogus nobis retexendus erit provinciarum, ut in ſumma lector percurrat, quæ diffuſo tractatu per orbis diſtincta climata prænotavimus. Et quem *terræ ſanctæ* ſitum brevius, quàm oportuit, propter materiæ continuationem transcurrimus, ipſum hic ſub ſuis terminis latius proſequemur. Sunt ergò in Aſia, primâ fronte Orientis, *paradiſus*, locus quidem deliciarum, omnibus montibus ſupereminens, vicinus cœlo, nihil habens, quod ſaluti hominis poſſit obeſſe: & poſt paradiſum *India ſuperior*, in qua prædicavit Bartholomæus, in qua civitas eſt Antochion ** Regis. Inferior ad Occidentem, in qua prædicavit Thomas. Et hæc ducit ad Medos, in qua eſt civitas *Ediſſa* & urbs *Elioforus*, in qua B. Thomas, veniens à Cæſarea mandato dominico, reperit Gundoforum regem. Eſt & India meridiana, ducens ad Æthiopiam, in qua prædicavit *in civitate Vadaner* Matthæus apoſtolus, unde fugerunt ab ejus facie Saram & Arfaxat magi, qui exinde fugientes in Perſidem, poſteà reperti ſunt in Perſide à Si-

à Simone Cananæo & Juda Zelote, apostolis. Unde Apostoli, rege Astyage cum toto populo suo ad fidem Christi converso, exeuntes à Babylone, circumiverunt duodecim provincias Persidis, & civitates earum. Quibus peragratis, venerunt ad *Suenis*, (*a*) civitatem magnam, ubi à magis memoratis sunt occisi, & apud Babylonem sepulti, ut scribit *Abdias*, *Babylonis episcopus*, Ebraicè, *Eutropius* Græcè, *Africanus historiographus* Latinè. Porrò Indiæ jungitur *Scythia*, Ymabo & Caucaso montibus ab India distincta. Huic subjacet *Hircania* ad occasum. Sanè ab Indo flumine, quod est ab Oriente usque ad flumen Tigrim, quod est ad occasum, sunt hæ provinciæ: *Arachosia*, *Parthia*, *Assyria*, *Persis* & *Media*. A flumine Tigri usque ad flumen Euphratem est *Mesopotamia*, in qua in hyeme profunditas luti, in æstate aquæ defectus, in saltibus latrunculi. In ea Carrhæ, urbs Nahor. In Mesopotamia mansit Jacob cum Laban, & ex adverso est mons Galaat, transmisso amne, in quo est civitas ad septentrionem Ninive, ad meridiem Babylonia. Babyloniæ succedit *Chaldæa*, cui jungitur *Arabia* ad Austrum; *Nabathæa*, regio Saracenorum, versus occidentem. Sanè propter sui nobilitatem nomine *Babyloniæ* quandoque Assyria, Chaldæa & Mesopotamia censebantur. A flumine Euphrate, quod est ab Oriente, usque ad mare mediterraneum, quod est ab occasu; deinde à septentrione, ubi civitas est *Dacusa*, in confinio Cappadociæ & Armeniæ sita, haut procul, ubi nascitur Euphrates; quod ad Ægyptum & extremum sinum Arabicum, qui est ad meridiem, longo angustoque sulco, à rubro mari, ubi est Oceanus, occasum versus extenditur, *Syria* generaliter nominatur: in qua sunt provinciæ *Cœle-Syria*, in qua est Antiochia. *Syria Palæstina*, *Syria Phœnice*, *Syria Æolia* juxta montem Taurum. In capite Syriæ superioris est *Cappadocia*, habens ab Oriente Armeniam, ab occasu Asiam minorem, ab aquilone montem Taurum, à meridie mare Cyrenaicum; cui subjacent *Cilicia* & *Isauria* usque ad Cilicium sinum, qui respicit insulam Cyprum. Cappadociæ urbs maxima est *Cæsarea*, in quam applicuit B. Thomas. Syriæ inferioris caput est *Damascus*, ubi mansit Abraham, cujus nomen illic celebre habetur, ubi & vicus ejus Abram dicitur, unde fuit *Nicolaus Damascenus*. Nunc situm terræ sanctæ, quæ terminis Syriæ circumcluditur, describamus, sicut à *Theodosio Diacono tractatu brevi* notatum legimus, profusiorem descriptionem aliis tractatoribus relinquentes.

XXII. *De situ terræ sanctæ secundum Theodosium, & de via filiorum Israël.*

Civitas ergò *Jerusalem* habet portas sex extra posticia. A porta Benjamin ad Jordanem & Jericho dicunt octodecim milliaria esse. A Jericho ad Orientem distant *Galgala* stadiis decem à Jordane, & ad Galgala stadia quinquaginta. Illic est *ager Domini*, quem Dominus noster Jesus Christus unò sulco aravit propria manu. Ibi sunt duodecim lapides, quos levaverunt filii Israël de Jordane, ad quos Johannes fecit demonstrationem, dicens: Potest Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. A Jericho ad fontem Elisæi milliaria duo. Ibi erat domus Raab, quæ recepit exploratores. A Jerusalem usque ad *Bethsaida* milliaria duodecim. In hac vidit Jacob angelos ascendentes & descendentes, quod alii in Luza dicunt factum, ideoque *Bethel* dicta est. A Betsaida ad *Sichem*, quæ nunc dicitur *Neapolis*, milliaria triginta tria. Ibi est puteus, quem fecit Jacob. A Sichem in Samariam sive *Sebasten* milliaria sex. Illic decollatus dicitur *Johannes Baptista*, vel, quod verius est, in castello *Macheronta*, & Herodias in palatio ipso caput ejus sepelivit, non sustinens cùm corpore reliquo ipsum sepeliri, timens, ne si capiti corpus jungeretur, facile resurgeret. Unde corpus ejus apud *Sebasten*, Palæstinæ urbem, quam dictam asserunt olim Samariam, sepultum est usque ad tempora Juliani apostatæ, cujus exercitus ossa dispersit & collecta pro magna parte cremavit. Sed quædam ex his, collecta à monachis Hierosolymitanis, *Athanasio Alexandrino episcopo* oblata sunt. *Caput* à *Felice monacho* translatum, & *apud Aquitaniam*, vico *Engvitanico*, (*b*) juxta flumen Vulturniam, à *Pipino*, *Rege Francorum* Patritioque Romanorum, est in basilica nova sub ciborio repositum. A Sebasta in *Cenopolin* milliaria triginta. Ibi passus est *B. Basilius*. A Cenopoli ad *Tiberiada*, ubi mare est, milliaria quatuordecim. Super illud mare Christus ambulavit. Ex hinc ad *Magdalum* milliaria duo, unde Maria Magdalena. A Magdalo usque *Bersaben*, quod interpretatur *septem fontes*, aut *fœdus putei*, quod pepigit Abraham cum Abimelech, milliaria quinque. Illic saturavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus. A septem fontibus in Capernaum milliaria II. Exinde à *Bethsaida*,

(*a*) supra, ubi de regno Britonum agit autor, hanc civitatem *Suevis* vocat. (*b*) Engenico.

saida, quod est *probatica piscina*, milliaria III. Hic nati sunt Petrus & Andreas, Philippus, & filii Zebedæi. A Bethsaida usque *Paneam* vel *Paneadem* quinquaginta milliaria. Inde ex duobus locis oriuntur fontes duo, Jor & Dan, qui sub civitate *Pancada*, quæ nunc *Belina* dicitur aut *Cæsarea Philippi*, juncti Jordanem conficiunt. Inde fuit mulier illa, quam Dominus noster de profluvio sangvinis liberavit, cujus nomen *Mariosam* dicunt. Illic est statua electrina in ecclesia, quam ipsa Mariosa construxit, ubi incipit mons *Libani*. A porta, ubi pugnavit David cum Goliath in monte *Bizima*, usque in *Euthoporim* milliaria quindecim. Ab Euthopori usque, ubi jacet *S. Zacharias*, milliaria quinque. Ex hinc ad *Ascalonem* milliaria viginti. Ex hinc usque *Gazam* milliaria viginti quatuor. A Gaza circiter milliaria quinque *Thebarda* vicus ad Austrum situs, ex quo ortus est *B. Hilarion*. A Thebarda in *Betuliam*, ubi Holofernes occisus est à Judith, milliaria duodecim. A Jerusalem in *Silonem*, ubi fuit arca testimonii, milliaria octo. Ex hinc à Jerusalem ad *Emaus* sexaginta quinque stadia, ubi *Annon* & *Cleophas* cognoverunt Dominum in fractione panis, ubi & martyrium susceperunt. Ab *Indianopoli* usque *Joppe* milliaria duodecim. Ibi S. Petrus suscitavit Tabitam. Illic cete jactavit *Jonam*. A Joppe usque *Cæsaream* Palæstinæ milliaria triginta. Ibi baptizatus est *Cornelius Centurio* à Petro, & ibidem martyrium suscepit. A *Cæsarea Palæstinæ* ad alteram *Cæsaream*, unde fuit *Simon magus*, milliaria viginti quinque. A *Diocrea* ad Nazareth milliaria quinque. A Nazareth usque in *Deidiopirum*, ubi Dominus post resurrectionem discipulis apparuit, milliaria septem. A Jerusalem usque quo baptizavit *Philippus* Eunuchum, milliaria viginti sex. (*c*) Hinc usque ad Terebinthum, quod dicitur *Mambre*, milliaria quinque. (*cc*) A Terebintho ad *speluncam duplicem* milliaria quatuor. Hinc in *Cedron* milliaria duo. Illic mansit David, cum fugit à Saul. A Jerusalem usque in *Ramatha* milliaria quinque, ubi requiescit Samuel. A Jerusalem usque quo habitabat *S. Elisabeth*, milliaria sex. A Jerusalem usque in Anathoth, ubi natus & sepultus Hieremias propheta, milliaria sex. A Jerusalem in Bethaniam, ubi suscitatus est Lazarus, milliaria duo. Ex hinc ad *montem Oliveti* milliare unum, unde Dominus ascendit ad cœlos. Illic asserunt viginti quatuor ecclesias ædificatas fuisse. A monte Oliveti ad vicum *Erinicum*, ubi dormivit Abimelech, discipulus Jeremiæ, ubi fuit *Baruch* propheta in spelunca, milliaria **** qui est *Calvariæ locus*, usque *sepulchrum Domini*, passus quindecim. Illic decalvabantur homines. Illic obtulit Abraham filium suum in holocaustum Domino. Et quia mons saxosus est, per gradus ascenditur. Ibi *crux Domini* inventa est, ubi *Golgatha* dicitur. Sunt tamen, qui affirmant, partem omnem, quæ corpus Domini contigit nudum, & sanguine ejus ubique tincta fuit, ab humano tactu atque conspectu statim in cœlum raptam fuisse, eamque demum in judicio apparituram. Et nota, quod *vallis visionis* dicitur locus iste *Jerusalem* ab Esaia, propter eminentiam montium, in quorum summo est monticulus, *Morija* dictus, in quo Abraham immolavit Isaac. Ubi Judæi tradunt, post templum sanctum & altare [fuisse) in quo & Abraham fecit altare, & David vidit angelum reponentem gladium, in area Jebusei, de quo dixit Esaias: Erit mons in vertice meo, ad congregandas gentes omnes. Omnis enim secta templum adorat. Ibi quoque vidit *Jacob scalam*, unde *Betbebel* dicitur. A *Golgatha* usque ad *sanctam Sion* passus ducenti, quæ est mater, ut tradunt, omnium ecclesiarum, quam Christus cum Apostolis fundavit, & eam dicunt Marci Evangelistæ fuisse. A sancta Sion usque ad domum Caiphæ passus **, illic est *ecclesia sanctæ Sophiæ*, & è vicino missus est Jeremias in lacum leonum. In *domo Caiphæ* columna fuit, ad quam flagellatus est Christus, & jussu Domini in sanctam Sion secuta est. Dum ergò flagellaretur & columnam amplexaretur Dominus, sicut in cera molli, brachia, manus & digiti immerserunt, & adhuc vestigia expressa comparent tàm in facie & mento, quàm oculis. Porrò *S. Stephanus* foras portam Galilææ lapidatus est, ubi à Theodosia Imperatrice ecclesia fundata est: à *Siloa* ad lacum leonum, ubi missus est *Jeremias*, passus centum. Piscina intra muros est. A *domo Pilati* ad *probaticam piscinam* passus centum. Illic est *grabatus paralytici*, quem curavit Dominus. In probatica est ecclesia B. Mariæ virginis. Item super *Jordanem* fabricata est ecclesia, ubi Dominus baptizatus est. Exinde usque quo *Jordanus* in mare mortuum influit, sunt milliaria quinque. In loco illo submersæ sunt cum *Sodoma* civitates aliæ, ubi & *statua salis* est, in quam versa fuit uxor Loth. Hæc cum luna crescit & decrescit. Sed in *monte Oliveti* posuit Dominus humeros super lapidem, in quo fixi humeri adhuc apparent, qui locus ideo Chanan vocatur. Et est illic ecclesia fabricata, juxta quam est ecclesia, in qua *S. Tecla* requiescit. Est & è vicino *Betphage*, unde pullus, super quem sedit Dominus, adductus est, cum quo *portam Benjamin* intravit, pueris clamantibus: Osanna

 Ibi

(*c*) quinque. (*cc*) duo.

Ibi legitur: *Mare vidit & fugit, Jordanus conversus est retrorsum. Quid est tibi, mare, quod fugisti, & tu Jordane, quia conversus es retrorsum.* Asserunt enim, cùm baptizaretur Christus, Jordanem ascendisse, ut operiret eum. Sed & trans Jordanem sunt *montes*, qui,cum Dominus descenderet ad baptismum, ante eum ambulabant gestiendo, & hodiè velut *saltantes* apparent, secundum illud Davidis: *Montes exultaverunt ut arietes, & colles velut agni ovium. Sarepta* Sidoniæ juxta Syriam est, quam Phoenicem dicunt, juxta montem Carmeli, & dicitur Sarepta Sidoniæ, cum à se distent duodecim milliaribus, quia illis diebus Sidonia metropolis fuit Sareptæ. Hinc vice versa Sarepta metropolis dicitur esse Sidoniæ. Illic *Elias* ad viduam mittitur, cujus nomen tacetur. In *Arabia* sunt civitates, quas destruxit Jesus Nave, in quibus manebant Amorræi, Pheresæi & Jersæi. Juxta civitatem est locus, qui vocatur *S. Jacobus*, quia illic B. Jacobus,ab ipso Christo Hierosolymorum episcopus [constitutus] unam construxit memoriam,in qua corpora *sanctorum Zachariæ* & *Simonis* recondidit,ibi se cum illis reponi constituens: ubi post ascensionem Domini à pinnaculo templi præcipitatus, & pertica fullonis excusso cerebrò, positus est. Inde est locus, ubi Dominum Judas tradidit. Ibi ecclesia matris Domini, ubi Dominus lavit pedes discipulorum & cœnavit. Ibi quatuor sunt accubitus, ternos homines capientes, & nonnulli religione tenti, * illic alia præter carnes comedunt, & lucernas accendunt. Etenim spelunca in loco,& viciniore loco monasterium est castimonialium, quæ nunquam vivæ vel mortuæ exeunt vel efferuntur; victum de muro accipientes, & aquam de cisterna, quam apud se habent. Civitas *Ceirsona* est ad mare posita, ubi *S. Clemens* martyrium cepit, cujus in mari memoria est, & anchora collo ejus appensa. In ejus natali mare sex milliaribus siccatur, & tentoriis velut in plano tensis, populus ad divina celebranda cum clero convenit, & si quis anchoram tetigerit, statim ab omni furore dæmonumque vexatione liberatus redit. A Ceirsona usque in Conope, ubi S. Andreas liberavit S. Matthæum à carcere, sunt milliaria. ** Dicebatur autem olim Ronope in Rumidonia. Porrò in Ægypto civitas est *Memphis*, quæ nunc *Babylonia minor* dicitur. In hac manebat Pharao. Illic Joseph cum pincerna & pistore in carcerem missus est. Illic duo sunt *monasteria*, unum *Armeniorum*, alterum *Romanorum*, hoc *S. Jeremiæ*, illud *S. Apollonii* eremitæ. In Cæsarea, quam diximus, Cappadociæ Beatus *** eremita ac martyr mulsit agrestia sylvestriaque animalia, & ex lacte caseum conficiebat. *Ager Domini*, qui est in Galgala, irrigatur fonte *Belisci*, extenditurque milliaria sex. Hic aratur & colitur ac seritur pro media parte in Augusto, & metitur ad Pascha ita, quod in cœna Domini populus illo pane communicatur: alia verò pars illo collecto aratur ac velociter occurrit. Ibi est *vitis, quam Dominus plantavit*, quæ in Pentecoste fructum sic maturum reddit & maturat, quod de vino illo *Constantinopolitani* in Pentecoste communicantur. Civitas* *Leviada* trans Jordanem distat à Jericho milliaribus duodecim, & in ipsa Moses silicem virgâ percussit & fluxerunt aquæ, quæ, quia abundantius terram totam irrigant, *** incolatum majorem habent. Illic aquæ calidæ sunt, ubi leprosi mundantur. Ibi Moses migravit à seculo. *Super Jordanem, ubi baptizatus est Christus*, est columna marmorea, & in ipsa crux ferrea, ubi ecclesia S. Joannis Baptistæ constructa ab *Anastasio Imperatore*, super cameras ædificata in excelsô, propter metum fluminis inundantis: in qua monachi morantur, senos solidos à fisco accipientes. Mons *Subar* in Galilæa, ubi Elias raptus est. Illic memoria est Elisæi, ubi fontem illum benedixerat. In civitate Ephrat sunt *septem dormientes & catulus Uricanus ad pedes eorum*, quorum nomina sunt hæc: *Sisoco, Tellidis, Eugenis, Stophanis, Pronatis, Sabbaris, Simpliacis.* Horum mater Hilaria Græcè dicitur, Latinè Felicitas. Ibi est *Timotheus*, discipulus S. Pauli. Juxta montem Sina, Ephrat civitate, Moses pugnavit cum Abimelech. De Jerusalem usque Babyloniam sunt mansiones quindecim, quas Alexander Magnus Macedo fabricavit. Usque in montem Sina mansiones sunt quatuordecim, si per compendium ambulaveris. Si per Ægyptum, mansiones sunt quinque & viginti. Est locus tertio milliario à Jerusalem, in quo sancta Dei genitrix, cum iret in Bethlehem, descendit ab asina, cui insederat, super lapidem, & super eum sedit benedicens ei. *Urbicius* vero *Præpositus imperialis palatii*, qui capitibus Imperatorum coronas imponere consuevit, *ipsosque velut Patricius castigare*, lapidem in quadram incidit ad formam altaris, proponens ipsum Constantinopolin dirigere; verùm cum ad portam S. Stephani venisset, lapis immobilis factus est,qui prius unico jugo boum ducebatur. Consilio itaque factô, lapis sepulchro Domini applicatur, ubi post sepulchrum in altare erectus, ad communicandum populum suum præbet ministerium. Urbicius verò sub Anastasio Imperatore mortuus, terrâ Constantinopolitana etiam tertio sepultus, contineri non potuit. Et quia sunt, qui terminos terræ sanctæ à Domino institutos nesciunt, audiant, Dominum Abrahæ terminos terræ promissionis definiisse à rivo Corila flumine Ægypti usque ad Euphratem, & populos ejus nominavit. Porrò Jacob, cùm egrediens à Mesopotamiâ, ubi servierat Laban, trans-

transvadasset Jordanem in baculo suo, ubi nunc dicitur vadum Jacob vel Jaboth, occurrens Esau fixit tabernacula, ubi hodiè civitas est *Socoth*, quod sonat *tabernacula*, trans Jordanem, in parte Sicopoleos & Gedeon. Sed in confinio Sochoth est *Sichem* urbs, à qua Sichim vel Sichimitæ. Enimverò à Jerusalem in *Bethlehem* milliaria sex. Hæc *Ephrata* dicta est ab uxore Caleph, quæ ibi est sepulta. Sepulta quoque est *Rachel* in via, quæ ducit ad Bethlehem, ubi erexit lapidem super sepulchrum ejus Jacob, qui adhuc apparet. Sed & juxta Bethlehem ait *Hieronymus* locum esse, ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob suos greges pavit, quem in signum futurorum vocavit Jacob *turrim Ader*, item turrim gregis, ubi dicunt Ebræi templum ædificatum esse, quasi quodam vaticinio dicta sit *turris congregationis futuræ ad templum.* Ad hoc est *sepulchrum*, in quo juravit Joseph sepelire Jacob, quod *Abrahaminum* dicunt, distans à calvaria per triginta milliaria. Icon enim fuit sancti sepulchri in terra, in qua sciebant Christum resurrecturum, ut cum eo resurgerent. A Jerusalem usque montem Sina mansiones **. Est autem *mons Sina* in terra Madian, ubi Moses pascebat oves soceri sui Jethro sive Raguel. Mons hic in quadam sui parte dicitur *Oreb.* Erat autem mons abundans in pascuis, cum propter sui celsitudinem adibilis vix erat, cumque opinio erat, illic Dominum habitare. Unde cum dimisisset Pharao populum Israël, non eduxit eos per Palæstinam conterminam Ægypto, propter antiquam molestiam & odium patrum, ne insurgerent Philistæi adversus eos, sed circumduxit eos per desertum, quod est juxta mare rubrum; cum pro mandato Domini, jubentis, ut populus duceretur ad montem Sina ad immolandum ei, tùm quia, si Ægyptii conversi vellent eos persequi, timerent propter asperitatem viæ. Filii igitur Israël profecti sunt à Ramesse in Sochoth, & de Sochoth venerunt in Etham, quæ civitas erat deserta in capite solitudinis, quæ à *Josepho* lucus dicitur, ubi & Babylonem post conditam dicunt, dum Cambyses Ægyptum vastaret, quæ nunc *minor* est *Babylonia* in Ægypto: præcepitque Dominus, ut reversi aliquantulum versus Ægyptum castra metarentur in regione Phiaroth, quæ est inter Magdalum & mare, contra Beelsephon. Est autem *Magdalon* civitas in confinio Ægypti, ad quam Judæi tempore Jeremiæ, interfecto Godolia, primò confugerunt. Sic ergò posuerunt castra supra *mare rubrum.* Dicitur autem rubrum, non quod aqua sit rubra, sed omnis terra circumstans, ex qua gurges inficitur; unde minium acutissimum excerpitur. Quicquid etiam ad esum in fructibus est, hunc colorem participat. Illic gemmæ rubræ inveniuntur, quæ humo involutæ & inter arenas conjectæ, terræ colorem habent & maris. Hoc mare in duas partes secernitur; quæ ab Oriente, *Sinus Persicus* appellatur, quia Persæ ejus oram inhabitant; altera *sinus Arabicus*, quia respicit Arabiam. Sanè ita coarctati erant filii Israël, quod ex una parte erant montes asperrimi & immeabiles, ex altera parte mare. Cum ergò extendisset Moses manum, flavit ventus vehemens & convertit aquam in siccum, *divisumque est mare in duodecim divisiones, ut qualibet tribus per turmas suas incederet.* Filii ergò Israël secundum *Josephum* ad contra positam terram venerunt. Ebræi verò tradunt, quod, cum venissent ad extremum montis in mare porrecti, per longam maris viam obliquaverunt, & circumeundo montem ad idem littus Ægypti redierunt, quod sic probant. Natura maris est, ut quod in eo perit, ad proximum littus projiciat. Cum ergò manè jacerent mortui in littore Ægyptii, patet, quod idem erat littus ex altera montis parte. Non enim in spatio noctis æquinoctialis vel hi vel illi ad medium maris transcurrissent. Post hoc ingressi sunt in desertum Sur. Ebræus habet in desertum Ethan, quippe ante mare fuerunt in deserto Ethan, post mare in deserto Sur; postea in Elin, & post in deserto Sin, & ambulaverunt tribus diebus per solitudinem, non invenientes aquam, donec venerunt in Marath, ubi propter amaritudinem aquæ Moyses immisit lignum. Tradunt autem Hebræi, quod illud lignum naturaliter amarissimum erat, ut mirabilior esset virtus divina, quæ amaro addita dulcedinem operata est. *Josephus* dicit, aquam impotabilem fuisse, quia stativa & inhausta fuerat, secundum illud: *Et capiunt vitium, ni moveantur, aquæ.* Unde Moses injectâ dimidiâ virgâ, fecit eam exhauriri, & sic, frequenti concussione exercitata, facta est potabilis. Est autem desertum Sin inter Elim & Sinai. Exinde per mansiones suas venerunt in Raphidim, & exinde in Oreb, quæ est pars montis Sina, ubi Moses, percussâ petrâ, produxit aquam; quæ dicitur *Petra Oreb.* Est tamen alibi alia petra, Oreb dicta sic, quia Oreb occisus est in ea. Mense igitur tertio egressionis de Ægypto, id est, Kal. Julii venerunt ad montem Sinai, in quo lex data est & arca de lignis Sethim facta. Dicuntur autem ligna ab Hebræis hornon. In arca posita est testificatio, id est tabulæ, in quibus testamentum scriptum erat. Quæcunque enim sic reposita sunt, testimonia dici possunt. Posita est in arca *urna aurea*, plena mannâ, in testificationem, quod panem dedisset eis de cœlo; *Tabulæ*, in testificationem, quod legem naturalem sopitam in cordibus suscitaverit in scripto; *Virga Aaron* in testificationem, quod omnis potestas à Deo est. *Deuteronomius* quoque est in ar-

in arca in testimonium pacti, quod dixerunt: *Omnia, quæcunque dixerit nobis Deus, faciemus.* Dictumque est tabernaculum testimonii, quia causæ præ foribus ejus agebantur. Ex quo doctrinam simul & correctionem sumant laici, qui passim intra ecclesias causas impudenter tractant. Sequitur catalogus mansionum ab exitu de Ægypto; Fuerunt enim ante transitum maris rubri mansiones quatuor, ut præmisimus: Ramesse, Sochoth, Ethan, Phiarot, à mari rubro usque ad signa mansiones octo: Mara, Elim, Jam-Suf, quod sonat mare rubrum vel scirpi. Erat enim fortè locus scirpeus. Post Jam-Suf, desertum Sin, Daphca, Raphidim, solitudo Sinai. Porrò à monte Sina in Cades mansiones sunt una & viginti. Sepulchra concupiscentiæ: Astaroth, Remmon, Phares, Lebna, Ressa, Celatha, mons Siph, Areda, Machelot, Thahath, Thare, Methca, Esmona, Moseroth, Benejaacam, mons Galaat, Jetebatha, Ebrona, Asiongaber, Cades. A Cades usque ad campestria Moab mansiones novem: Montes Hor, Salmona. Inde veniunt ad torrentem Zareth, quem transierunt sicco pede, ut mare rubrum. Inde ad montes Arnon, quorum quidam inclinati sunt coram illis, inde Phinon, Oboth, Jeabarim, Dibongad, Helmon, Deblataim, montes Abarim, campestria Moab, præcepitque Dominus, filios Levi habere sparsim in omnibus tribubus quadraginta octo civitates ad inhabitandum, & à muris forinsecus per circuitum terram mille passuum ad pascua. Ex his autem civitatibus sex erant refugii, tres citra Jordanem, & tres ultra Jordanem. Trans Jordanem Bosor in tribu Ruben. Ramoth in tribu Gad. Galam in Basan in tribu Manasse. Ultra Jordanem est Hebron in tribu Juda, civitas sacerdotalis & fugitivorum. Addidit quoque Dominus terræ promissionis terminos, dicens: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, erit vester, à deserto, quod est in meridie, & Libano, qui est in septentrione, & flumine magno Euphrate, qui est in Oriente, usque ad mare mediterraneum,* quod Tyrrhenum dicimus. In hoc medio habitabant, qui ab Israël expulsi sunt, Cananæus, Amorræus, Pheresæus, Jebuseus, Eveus, Etheus; in Deuteronomio additur Gergeseus. In promissione facta Abrahæ gentes *decem* delendæ dicuntur, & tunc ibi reverâ erant. *Cum* verò *illic venerunt filii Israël, jam tres erant deletæ.* Filii enim Loth deleverant gigantes, filii Esau Horreos. Cappadoces deleverant partem Eveorum. Decursis mansionibus memoratis, sub Josua Israël ad Jordanem pervenit, arcaque undis immissa, steterunt aquæ descendentes, ad instar montis intumescentes, & apparebant procul, usque ad locum, qui dicitur *Sarthan*, inferioribus aquis in mare mortuum descendentibus. Sacerdotes verò stabant in medio fluminis, donec populus per arentem alveum transiisset; ex hinc ascendens ad Galgala, ubi Josua altare construxit de duodecim lapidibus, quos per duodecim tribus tulerat de Jordane. In Arabia sunt quadraginta mansiones; nam & Arabia tempore filiorum Israël solitudo erat & desertum, terra invia & inaquosa. In Arabia est *mons regalis*, quem Balduinus primus rex Francorum in civitate Jerusalem ad tuendum regnum David firmum reddidit. In *Arabia* quadraginta annis errat populus. In Arabia sunt castra filiorum Israël in deserto, in quo fontes duodecim & septuaginta palmæ, de mari rubro exeuntes, reperti sunt. In Arabia vallis Moysis, in qua percussit bis silicem, & exeuntes duo rivuli totam terram irrigant. In Arabia mons Sinaï. In Arabia fuit columna nubis per diem, & ignis per noctem. Arabiæ jungitur *Idumæa* in confinibus Betoron. In Idumæa est terra Damasci, & est sub Syria. Caput est Syriæ *Damascus*. Idumæam & Phœniciam dividit *Libanus*. *Phœnicia*, in qua Libanus; urbs nobilissima Phœnicum *Tyrus* metropolis, in qua Christus non fuit receptus, quæ tot martyres Deo reddidit, quorum numerum solius Dei scientia colligit. Tyrus *Origenem* tumulatum celat. Ante Tyrum est lapis, super quem sedit Jesus, marmoreus, usque ad expulsionem gentium ab urbe manens illæsus, sed posteà confractus à Francis & Venetis. Sanè super residuum lapidis fundata est ecclesia in honorem Salvatoris. Octavo milliario à Tyro contra Orientem supra mare est *Sarfent*, quod est Sarepta Sidoniorum. Sexto milliario à Sarfent est *Sidon*, civitas egregia, ex qua fuit Dido, quæ Carthaginem condidit in Africa. Sexto decimo milliario à Sidone est *Berythus*, opulentissima civitas, in qua est *imago Salvatoris*. *Arphat* est urbs Damasci, *Bosra* est pars Idumææ, quæ alio nomine vocatur *Hus*, ex qua beatus Job: quæ & alio nomine *Sueta* dicitur, à qua *Baldac, Suites*. *Theman*, metropolis Idumææ, ex qua Eliphat Themanites. *Naman* est oppidum, ex quo Saphar Naamanites. In Idumææ finibus secundo milliario à Jordane est fluvius *Jaboc*, quem transvadavit Jacob, cum rediens à Mesopotamia luctatus est cum angelo. In Idumæa est mons *Seir* sub Damasco. Secundo milliario à Damasco est locus, in quo Christus apparuit Saulo, cum dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Ad radicem Libani oriuntur duo fluvii Farbat (*) & Albana fluvii Damasci. Montes Libani & planitiem Arcados præterfluit Albana, & ma-

(*) Pharfar.

& magno mari se copulat. In finibus illis S. Eustachius ab uxore & liberis suis recessit. Pharfar per Syriam tendit ad *Reblata*, hoc est, *Antiochiam*, labensque secus muros ejus decimo milliario ab Antiochia in portum solvitur S. Simeonis, mediterraneo se commendans. Ad radicem Libani *Paneas* civitas est sita, quæ nunc Belineas, olim Cæsarea Philippi. Ad radicem quoque Libani oriuntur illi præclari fontes Jor & Dan, ex quibus sub montibus Gibel fluvius Jordanus conficitur. A montibus usque ad lacum Asfaltidis vallis illa, per quam Jordanis labitur, Gorrus appellatur, & Aulon, quod est nomen Ebræum, & vallis illa grandis atque campestris ex utraque parte vallatur montibus continuis à Libano usque ad desertum Pharan. Dividit Jordanus Galilæam & Idumæam terramque Bethoron, quæ est Idumææ secunda metropolis. Dan ferè ab ortu suo subterraneum ducit gurgitem suum usque ad Meddan planitiem, in qua satis patenter alveum suum ostendit. Vocatur autem planities illa Meldan, quia in ea melius usus est, Saracenice Meldan plateam, Latinè forum sonat, sic dicta, quod intrante æstate, innumerabilis populus, omnimoda venalia secum deferens, illuc convenit, & Parthorum & Arabum turba ad tuendum populum & ad pascendos greges in pascuis; nam & illic totâ morantur æstate. Componitur autem Medden ex Med & Dan, hoc est aqua Dan. Juxta hanc planitiem pyramis est, ubi Beati Job [memoria] à Græcis & gentibus solennis habetur. Dan contra Galilæam gentium se obliquans & urbem Cedar usque, secus medicabilia balnea, spineti plana transiens, Jor copulatur. Jor hunc longè accipiens locum * reddit ex se. Posteà mare Galilææ, sumens initium inter Bethsaidam & Capernaum. A Bethsaida verò fuerunt Petrus & Andreas & Jacobus Alphei. Quartô milliario à Bethsaida est Corazin, in qua nascetur Anti-Christus, seductor orbis. Unde in evangelio: Væ tibi *Corazin*, væ tibi *Bethsaida*! Quarto milliario à Corazin est excellentissima civitas *Cedar*, de qua in psalmo: *Habitavi cum habitantibus Cedar*. *Capernaum* in dextra parte maris sita est, civitas centurionis, cujus puerum sanavit Jesus. Secundo milliario à Capernaum est montis illius descensus, in quo fecit Dominus sermonem ad turbas, ubi & curavit leprosum. Milliario à descensu est locus, in quo pavit Dominus quinque millia hominum, qui & *mensa* vocatur. Huic subjacet locus, in quo Christus post resurrectionem suam apparens discipulis, comedit partem piscis assi. Illic Dominus super mare ambulavit. Illic Petro dixit: modicæ fidei, cur dubitasti? In sinistra parte *stagni Genezareth*, in concavo montis est *Magdalum* oppidum, à quo *Maria Magdalena*. Hæc autem regio dicitur Galilæa gentium, in tribu Zabulon & Nephthalim. In superioribus Galilææ hujus partibus fuerunt viginti civitates, quas Salomon Hiram Regi amico suo dedit. Secundo milliario à Magdalo civitas est *Tiberias*, à Tiberio Cæsare dicta, quam in juventute sua frequentare solebat. Quarto milliario à Tiberiade *Bethulia* civitas, ex qua Judith, quæ pro gente sua in obsidione urbis Holofernem peremit. Quatuor milliaribus à Tiberiade contra meridiem est *Dodaim*, ubi Joseph invenit fratres pascentes oves. Decimo milliari à Tiberiade est *Nazareth*, civitas Galilææ, in quâ nutritus fuit Dominus. Secundo milliario à Nazareth Sephora, civitas, viâ, quæ ducit Acon. Ex Sephora *Anna*, mater matris Domini. Quarto milliari à Nazareth est Galilææ Cana contra Orientem, à qua Philippus & Nathanael, in qua Jesus convertit aquam in vinum. In Nazareth labitur fons exiguus, ex quo puer Jesus aquam matri ministrabat. Milliario à Nazareth contra meridiem est locus, qui præcipitium dicitur, ex quo Jesum præcipitare voluerunt parentes ejus, sed ab eis in momento disparuit. Quarto milliario à Nazareth contra Orientem est mons Hermon. In descensu montis Thabor obviavit Melchisedech Abrahæ revertenti à cæde quatuor Regum. Secundo milliario à Thabor est civitas *Nain*, ubi Christus suscitavit filium viduæ. Secundo milliario à Nain est mons *Endor*, ad cujus radicem supra torrentem Cison cum filio Deboræ prophetissæ Barac filius devicit Idumæos, occiso Sisarâ. Unde in psalmo: *Fac illis sicut Madian & Sisaræ* ** factum, *disperierunt in Endor*. Thabor & Hermon exultabunt &c. Quinto milliario à Nain est civitas *Jesraël*, quæ est Zaram, ex qua impiissima Jesabel regina, quæ abstulit vineam Naboth, quæ & pro importunitate sua præcipitata fuit à summo palatii, cujus adhuc pyramis superstes est. Juxta Jesraël est campus *Mageddo*, in quo Josias Rex à Rege Ægypti subactus occubuit. Milliario à Jesraël *montes Gilboa*, in quibus occiderunt Saul & Jonathas. Secundo milliario à Galboë contra orientem est *Scyttopolis* civitas, ** Galilææ metropolis, supra cujus muros suspenderunt caput Saul. Quinto milliario à Jesraël est Gemium oppidum illud, à quo incipit *Samaria*, quæ & Sebaste & Augusta ab Augusto Cæsare dicta. Porrò Samaria nomen est urbis & patriæ. Quinto milliari à Sebaste est *Neapolis*, quæ & *Sichem*, à Sichem patre Emor, qui Dinam filiam Jacob deambulantem in finibus illis rapuit. Illuc delata sunt ossa Joseph de Ægypto. Ibi juxta fontem fabricavit Jerobeam vitulos aureos, ex quibus posuit unum in Luza, & alium in Dan. Sichar aut Sechem juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo, in quo fons Jacob, qui puteus dicitur,

dicitur, ad quem sedisse legitur Jesus fessus ab itinere, quando loquebatur cum *Samaritana.* Juxta Sichem est Terebinthus, sub quâ Jacob abscondit idola. Supra Sichem viginti milliaribus & quatuor à Jerusalem, viâ, quæ ducit Diospolin, mons *Silo* & civitas, quæ dicitur Jarania, ubi arca testimonii & tabernaculum manserunt ab adventu filiorum Israël usque ad tempus Salomonis & David. Vicesimo milliario à Sichem & sexto decimo ab Ebron, & decimo quarto à Jericho, & quarto à Bethlehem & septimo decimo à Bersabee, & vicesimo quarto ab Ascalone totidemque à Joppe, & sexto à Ramatha est Jerusalem civitas, Judææ metropolis, quæque & Sion dicta est, de quâ in psalmo: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Huic proxima est à sex milliaribus *Bethlehem* civitas Juda, quæ & Ephrata dicitur. Quarto milliario à Bethlehem contrà meridiem est ecclesia B. ** ubi ipso transeunte de hoc mundo ad Dominum, ejus monachi cum eo pariter agnoverunt, quod ab eo devotè præscierant, eò, quod eorum pius pater extiterat, nec post eum in mundo vivere volebant, ejus amore ferventes, quorum singulorum imagines in ecclesia videri possunt, eò modo, quo se habuerant in dissolutione patris agonizantes; translati posteà in Jerusalem. Milliario à Bethlehem locus, in quo Rachel, cùm peperisset Benjamin, à viro suo tumulata est. Illic Jacob duodecim lapides, in numerum duodecim filiorum Israël, tumulo supposuit, cujus adhuc pyramis apparet. Secundo milliario à Jerusalem viâ, quæ ducit Sichem, mons Gabaa in tribu Benjamin. Milliario à Jerusalem, in accubitu montis Oliveti *mons offensionis*, dictus offensionis, quia in eo rex Salomon adoravit idolum Moloch. *Bethania* collateralis est montis oliveti, qui monti offensionis continuus; dividit autem eos via, quæ ducit de [valle] Josaphat per Bethphage. In monte Sion lavit Dominus pedes discipulorum. Ibidem cænavit cum discipulis, ubi & B. Johannes supra pectus Domini recubuit. Ad sinistram montis Sion est ager mortis peregrinorum, qui dicitur *Acheldama.* Secus viam, quæ ducit Ephratam, *Mons Gion*, in quo fuit unctus rex Salomon & regium diadema suscepit. In Jerusalem, in accubitu montis oliveti vendidit Dominum Judas. Contra Orientem trans Cedron jactu lapidis est *Gethsemane*, ubi oravit Christus ad patrem. Ibi dixit Petro: *Non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* deinde ingressus est Gethsemane. Datô fraudis osculo, Jesus ducitur in Sion, in prætorium Pilati, ubi eum Petrus negavit & fugit ad locum, qui modò vulgariter nuncupatur *Galli cantus*, & est via Galilææ, quæ ducit ad descensum Josaphat, sub porta montis Sion. In monte Sion flagellatus & consputus [est Dominus.] In *Golgatha*, qui est calvariæ locus, crucifixus est, diciturque *calvaria*, quia ibi decalvabantur rei, hoc est, puniebantur. Sub loco calvariæ ad dextram locus est, in quo Joseph petiit à Pilato dari sibi corpus Jesu, quod & in monumento, haud longè in horto de petra nova exciso, posuit. Sub loco calvariæ in capite ecclesiæ crux Domini ab Helena reperta est. Secundo milliario à Jerusalem crevit arbor illa dulcissima, quæ meruit ferre pretium seculi, in quâ verus leo pependit. Locus, qui modò carcer dicitur, in passione Domini campestris erat, sed in eo moram habuit, dum ei machinabantur supplicium. Sexto milliario à Jerusalem est *Eleuthropolis*, quæ dicitur *Emaus*, ubi Dominus apparuit discipulis duobus. In monte oliveti *Dominus cœlos ascendit.* In monte Sion *virgo Maria transiit ex hoc mundo, & in Josaphat sepulta fuit.* Monte Sion David & Salomon sepulti sunt & alii Reges. Ante portam Jerusalem, quæ respicit occasum, lapidatus est *B. Stephanus* & in Sion sepultus, inter Nicodemum & Gamalielem & Abdon, (**) posteà Constantinopolin transvectus: ad ultimum Romæ in tumulo B. Laurentii sepultus, ubi venienti Stephano Laurentius ad unam partem cessit, unde in ejus tumulo scriptum est:

Quem Sion occidit, vobis Bisantia misit.

Ante portam Jerusalem juxta lacum, qui meridiem respicit, est cavea, in quam Leo quidam ferè duodecim millia martyrum, sub Cosrhoë peremta, jussu Dei unâ nocte intulit, unde caverna leonis dicitur. Sexto milliario à Jerusalem viâ, quæ ducit Ramatha, mons Modin, ex quo Mathathias, pater Maccabæorum. Octavô milliario à Modin viâ, quæ ducit Joppen, Lidda, quæ & *Diospolis*, ubi corpus *B. Georgii* sepultum esse dicitur. Milliario à Ramatha, & tertio milliario à Bethlehem *Amos propheta* requiescit in oppido Tercion. Quarto milliario à Jerusalem contra Austrum est oppidum, in quo morabatur Zacharias, quando beata virgo salutavit Elisabeth. Secundo milliario à Jericho ad sinistram est *desertum*, quod vulgò *Quarantena* dicitur, ubi Jesus jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Illic eum tentavit diabolus. Secundo milliario à Quarantena est *mons* excelsus, *à quo diabolus ostendit ei omnia regna* subdita sibi. Sub Quarantena est fontis illius rivulus, quem Elisæus ex amarissimo fecit potabilem. Tertio lapide à Jericho, secundo milliario à Jordane est locus, qui dicitur spe-

(**) Abidon.

ſpelunca duplex, quò filii Jacob tulerunt & repoſuerunt oſſa Jacob ex Ægypto adducta. Engaddi in tribu Juda, ubi abſcondit ſe David in ſolitudine, quæ eſt in regione Jericho. Octavo milliario à Nazareth jacet mons, ad radicem cujus juxta fontem Lamech pater Noæ, venatum veniens ſagittâ ſuâ occidit Cain. Tertio milliario à Lay monte mons *Carmeli*, de quo in canticis: *Collum ejus ſicut Carmelus.* Illic Elias diutiſſimè converſatus eſt. Sexto decimo milliario à Nazareth contra Orientem, ſupra mare Galilææ *Gergeſa*, viculus ille, in quo Salvator eos, qui à Dæmonibus vexabantur, ſanitati reſtituit, ex quibus ejecti in mare vicinum præcipitium fecerunt. Sexto decimo milliario à Carmelo contra meridiem eſt *Cæſarea Palæſtinæ metropolis*, ex qua Cornelius centurio, quem baptizavit Petrus. In hac eſt *turris Stratonis*, quam Herodes conſtruxit contra adventum Cæſaris Auguſti. Fecit ibi pariter niveo de marmore portam. Ipſe quoque Herodes turrim ædificavit, quæ totam civitatem Hieroſolymitanam ſupereminet, quæ turris David vulgò nuncupatur, ut ait Joſephus, eamque nominavit Antoniam. Eſt in civitate Jeruſalem *templum Domini*, quod ædificavit Salomon, petens ut in eo populus omnis exaudiretur. De hoc templo dicit Dominus: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Illud pro incontinentia populi & Principis ſpoliavit Nabuchdonoſor, tempore Regis Sedechiæ. Poſt hæc Pompejus templum ſuccendit & prophanavit, ſed poſt paſſionem Chriſti illud Titus & Veſpaſianus deleverunt, cum mille duobus annis ſtetiſſet, præhabitâ antè deliberatione diutinâ, utrum templum tanquam incitamentum hoſtium Titus incenderet, an in teſtimonium victoriæ reſervaret, tandem ipſum ineffectum ac vacuum, nullique uſui bono, propter germinantem eccleſiam, commodum, diruit ac incendit, quod quidam ſub Conſtantino Imperatore ab Helena matre reædificatum aſſerunt pro reverentia ſanctæ crucis inventæ, alii ab Heraclio, qui Perſas, revectâ cruce, ſtravit. Plerique à Juſtiniano Auguſto, alii à quodam Admira Memphis Ægypti, pro reverentia *A-Cakiber*, hoc eſt, Summi Dei. Sed hoc certum eſt, quod ab omnibus populis celebre habetur.

Proſecutio.

DEcurrimus regiones terræ ſanctæ, nunc ad Ægyptum recurrentes Ægypti provincias percurramus. Sunt igitur in Ægypto ſex provinciæ: Ægyptus, in qua eſt Alexandria, * Auguſtamnus, Thebaida, Libya ſicca, Libya Pentapolis, Arcudia. Sanè inter duo Nili capita Æthiopia eſt montuoſa, arenoſa atque deſerta. Porrò in Aſia ad partem ſeptentrionalem in Ponto ſunt hæ provinciæ: Pontus * Polimacus, Pontus Amaſiæ, * Horridiana; Bithynia, Paphlagonia, Armenia major, Armenia minor, Cappadocia. Ex illo medio * Araxis, fluvii Armeniæ in mare Caſpium decurrentis & montis Tauri. A ſeptentrione Amazonum gens eſt, & exinde Maſſagetæ, Colchi, & Sarmatæ, Seres & Bactrii. A mari Caſpio ſub aquilonari plaga Albania eſt. Et citra Riphæos montes ad Aquilonem Hyperborei habitant. Aſia minor has habet provincias: Aſiam ipſam, in qua eſt Bilſion, (*) Liciam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Helleſpontum, Pamphyliam, Poſſidiam, Frigiam primam, Frigiam ſalutarem, Lycaoniam, Ciliciam.

Nunc Europæ provincias enumeremus in ſumma.

A Septentrione igitur à Tanai fluvio prima Europæ regio Scythia inferior appellatur, in qua Alania & Gothia & Scandenavia. Hinc Ruthenia, Polonia & Dacia verſus Oceanum latè porriguntur, inſulis intercurrentibus. Inter has & mare noſtrum, Illyricum eſt, in quo Dalmatia ſupra mare; Pannonia prima, in qua Sirmium: Pannonia ſecunda, Valeria, Sclavonia, Mœſia ſuperior, Epirus vetus, Epirus nova, Norica ripenſis ſuper Danubium, Norica mediterranea, Dardania, Orica, Achaia, Macedonia, Theſſalia, poſt hæc Thracia prima, Thracia ſecunda, Moeſia inferior, ** minor, in qua eſt Conſtantinopolis, primo Licius dicta, poſt Byſantium; poſt quam Rodopa & Boeotia. Ad hæc, ad mare noſtrum Pannoniæ jungitur, ut diximus, Dalmatia ſupra mare, ubi eſt Aquileja, & exinde mari Adriatico & mediterraneo Alpibusque Cotiis Italia terminatur, quæ has habet provincias: Romuleam, in qua Verno, * cujus caput eſt Roma. Tuſciam, Umbriam, Flamineam, in qua Ravenna, Campaniam, in qua eſt Capua, Picenum, Liguriam, in qua Mediolanum, Venetias, Alpes, *** Apuliam, Calabriam cum Lucania, Rhætiam primam, Rhætiam ſecundam, Siciliam, Sardiniam & Corſicam.

(*) Byrſa [pruſia.]

Subalpina Gallia.

NUnc Europæ provincias enumeremus, quæ ab Alpibus & mari mediterraneo & Oceano occidentali terminantur. In his occurrit prima Viennensis. Item Alpes maritimæ, quæ Tarantasiensem, Ebredunensem provincias continent. Item provincia Narbonensis prima, in qua ipsa Narbo, item Narbonensis secunda, quæ nunc Aquensis dicitur. Item provincia Arelatensis, quæ caput est regni Burgundiæ. Item Aquitanica prima, in quâ est Bituris. Item Aquitanica secunda, in qua est Burdegala. Item *Novem populonia*, quam *Gasconiam* dicimus, in qua caput est urbs Ausciorum. Item Lugdunensis prima, in qua Lugdunum Galliæ. Item Lugdunensis secunda, cujus caput est Rothomagus. Item Lugdunensis tertia, cujus caput est Turonis. Item maxima Sequanorum, cujus caput Bisuntium. Item Belgica prima, in qua Treveris. Item Belgica secunda, cujus caput Rhemis. Item Germania prima, in qua Moguntium. Item Germania secunda, in qua Colonia Agrippinensium. Ad hæc has habet *Hispania* provincias: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, in qua est Emerita, Galliciam, insulas Baleares, Tingintanam trans fretum, quod ab Oceano fusum terras intrat, inter Calpen & Alminam, duo sibi contraria promontoria. *Britannia*, Oceani insula, has hactenus intra se continet provincias: Loëgriam, Cambriam, Albaniam & Cornubiam. *Africa*, tertia pars orbis non dimensione terrarum, sed numero divisionum, has habet provincias: *Proconsularem*, in qua olim fuit nobilis illa Carthago, *Numidiam, Gætuliam*, *Tripolim*, *Mauritaniam Sitifensem, & Mauritaniam Cæsariensem.* Hæc de numero & nominibus provinciarum annotavimus, alia fortassis nomina interdum interserentes, quàm in priore tractatûs nostri serie proposuimus. Cujus diversitatis ea sit ratio, quod illic profusius rem prosequentes *Orosium & alios Historiographos* secuti sumus, & *Romanæ ecclesiæ registrum*, cujus de verbo ad verbum habuimus. Hanc autem provinciarum seriem de *registro Romano*, in quo non secundum Archiepiscopatus, *sed secundum antiquitus distincta officia Præsidatuum vel Proconsulatuum, præfecturarum & moderationum Romani imperii* ordinavimus, hic antiquitati servientes, illic novitati locum dantes. Nec indignentur aliqui, quod aliis olim videbantur esse subjecti, cùm tolerandum sit antiquioribus, quod cum tempore dignitate sunt diminuti. Ut autem oculata fide avidis mentibus & sitientibus auribus satisfaciamus, in summa naturalem provinciarum ordinem & situm per tres orbis partes distinctarum in emendatiore pictura subjunximus; considerantes, quod ipsa pictorum varietas mendaces efficit de locorum veritate picturas, quas *mappas mundi* vulgus nominat. Plerumque enim pictor, ut aliàs testis, cum de suo addit, partis mendacio totam testimonii seriem decolorat, ut *in decretis* c. 3. q. 9. *pura & simplex.* Nec adscribat lector ignorantiæ vel mendacio, quod interdum nomina secus, quàm hoc tempore se habent, scribimus, cùm *nunc antiquitati servierimus*, *nunc consuetudini loquentium satisfacere nos oportuerit.* Ecce enim Babylonia Abathenis olim dicebatur; Hierapolis *Halap* dicitur, Edissa Rages Medorum Jappe & Affre; Nitria, Damiata; Thebais, Barbas; Memphis Babylonia minor, quam Epaphus Isidis ex Heleno genitus condidit, cùm in secunda Ægypto regnavit; Ebron sanctus Abraham; Sichem, Neapolis; Lidda, S. Georgius, Jannas, Assur; Paneas Belinas; Paral Palurium; Samaria, Sebaste; Biblium Gibelet, Seleucomalla Seleucia; Hierapolis Malbech; Bosra Busselech. Sic & apud Græcos nomina mutata sunt, ut Bysantium Constantinopolis: apud Latinos Trinovantum Londonia; Agrippina Colonia; Arelas, Arles; Constantia Sardorum nunc Sagium, & apud Britones Nenetum Ossisinctum Diabletum. Et in Lotharingia Metis Mediomatricorum; & Tullo, Leucorum; & Veredunensium. In Italia Papia Ticinum vocatur, in Provincia Vapincum olim Argentina. In Syria Bergibim, hoc est Bersabee, Jerichuntus Jereb, Tiberiadis Diocæsarea, Legionum id est Lignum. Caraca id est Petra. Porphyreon id est Caypha, Acriptolemais, id est Accon; [Antiochia Mygdoniæ] nunc autem Nizibi, id est Sarepta Sarphat, Butrion id est Butrin; Ortosia id est Saectus, Berytus id est Baruth; Serenovalla id est Seleucia; Hieropolis, id est Malbech. In Anglia Cantuariensis olim Dolobernensis; Lincolinensis Lindifernensis. In Syria Reblata, id est, Antiochia.

De ortu Provinciarum & Civitatum, & filiis filiorum Noha & sex ætatibus.

HIs ita decursis, breviter, à quibus provinciæ terrarum & civitates initium habuerint, explicemus, sed breviter quæ *ex chronicis Claudii ad Adonem* collegimus. Cum ergo prima seculi ætas ab Adam protoplasto cœperit, velut prima die facta est lux, & divisa luce à tenebris, factum vesper & mane. Sic constitutus est primus Adam in amœnitate paradisi, & post ejus ejectio-

ejectionem, separatis filiis Dei à semine nequam, longe post natis Gigantibus, corrupta est omnis terra, donec diluvio fuerunt omnia peccata deleta. Incipitque *ætas prima* juxta veritatem annis mille sexcentis quinquaginta sex; sed septuaginta interpretes duobus millibus ducentis quadraginta duobus; per generationes secundum utramque editionem X. quæ omnes deletæ sunt in *diluvio*, *sicut primam infantiæ* memoriam cujuscunque hominis delere consuevit oblivio. Porro *secunda seculi ætate*, quæ incipit à Nohe & diluvio, Arca fertur super aquas. Sed secunda die firmamentum factum est in medio, quæ habuit vesperam, quando filii Adam pedes ab oriente moventes, construendam super turrim convenerunt, linguarumque divisione mulctati ab invicem dispersi sunt. Hæc ætas juxta Hebræos à Nohe usque ad Abraham generationibus decem, annis mille LXXII; terra tanquam pueritia loquente, quod infantia fari nesciunt, lingua hebræa distincta est: Sane Nohæ ex Japhet succreverunt filii septem, Gomer, Magoch, Madai, Madian, Tubal, Mosoch, Tyras. Hi septem possederunt terram in Asia ab Amano & Tauro, montibus Syriæ & Ciliciæ usque ad flumen Tanaim; in Europa vero usque ad Gaditam. Ab his diversæ regionum gentes nomina sortitæ sunt, ex quibus quædam nomina, ut dixi, mutata sunt: quædam adhuc in sua vetustate perseverant. Sunt enim Gomer Galathæ, Magoch Scytæ, Madai Medi; Javan Jones qui & Græci, unde & mare jonium appellatur. Tubal qui & Hiberi, hoc est Hyspani, à quibus composito nomine Celtiberi dicuntur. Mosoch Cappadoces, unde & urbs eorum usque modo *Mosecha* dicitur. Tyras Thraces. Hæ, inquam, septem Gentes ex Japhet natæ, Aquilonem possederunt. Ad hæc filii *Gomer* hi sunt: Ascenes, quos Græci Reginas nominant; Riphath Paphlagones, Togorma Phrygas vel Phrygios. Filii Javan Elisa, Tharsis, Cethin, à quo Cethir, à quibus urbs Cypri Cethim (VI*) nominatur. Dodenim, à quo Rhodii. De Jonibus & Græcis nascuntur Elisæi, qui & Eolides; unde & lingua Græcorum Eolis dicitur. Tarsos Josephus Cilicas arbitratur: unde & eorum metropolis dicitur Tarsus, Paulo Apostolo gloriosa. Si ergo legimus Varronis de antiquitatibus libros & aliorum veterum, videbimus, omnes pene insulas & totius orbis littora, terrasque maritimas gentis accolis occupatas: quoniam ab Amano & Tauro montibus omnia maritima, ad Oceanum possedere Britannicum. Generatio ergo Japhet aquilonem amplians usque ad mare Britannicum pervenit. Filii *Cham* hi sunt, Chus, à quo Æthiopes. Nam Æthiopia Chus ab Hebræis dicitur. Mesraim, à quo Ægyptii. Puth, à quo Lybia, unde fluvius Mauritaniæ adhuc Puth nuncupatur, & regio Puthensis. Modo vero antiquum Lybiæ nomen in una ejus climatis parte residet: reliqua ejus pars Africa nominatur. Enimvero Chanaan obtinuit terram, quam Judæi deinceps ejectis Cananeis possederunt. Filii Chus Saba, à quo Sabæi. Interpretatur autem *Saba* Arabia, unde in septuagesimo primo psalmo, ubi nos habemus *Reges Arabum & Saba munera offerent*, in Hebræo scriptum est bis Reges Saba, primum per Syn, secundum per Samech. Secundus (*) Eniba, à quo Getuli in parte remotioris Africæ, heremo cohærentes. Tertius Sabata, à quo nunc Asturos nominamus. Quartus Resma; quintus Sabatecha, quorum nomina & gentes ignorantur. Chus autem genuit *Nembrot*, qui turrim ædificans regnavit in Babylone, & Jareth, quæ est Edissa, & (**) Inacha, quæ est visibilis, & in *Calamine*, quæ à Seleuco Rege Seleucia dicta est, vel quæ nunc Tephison (***) dicitur. At vero Mesraim genuit Ludym & Anaim & Laabim & Neptoym & Sethusym & Chesluym, (de quibus egressi sunt Philistini) & Chatarim. Verum à Labaim dicti sunt Lybii, qui prius Puthici à Puth filio Cham vocabantur, aut Puthei. Philistæos autem, ex Chesluim natos, corrupto idiomate Palæstinos nominant: cæteræ vero sex gentes, in bello Æthiopico subversæ, in oblivionem datæ sunt. Primo, quæ nobis cognitæ, possederunt terram à Gaza usque in extremos fines Ægypti. Porro de Canaan filio Cham prius natus est Sydon, à quo urbs in Phœnice Sydon nominatur; & Arachæus, qui Archas condidit, oppidum in radicibus montis Libani situm; & Aradius. Hinc Aradii dicuntur, qui Aradum insulam possederunt, angusto freto à Phœnicis littore separatam; & Samar, à quo Samaria nobilis Syriæ Cœles civitas; & Emetheus, à quo Emath civitas. Hanc Macedones, qui post Alexandrum regnarunt, Epiphanem nominaverunt. Alii hanc Antiochiam dicunt, alii Emas primam ab Antiochia mansionem versus Edissam, & fuit terminus Cananæorum à Sydone usque Gerara, & usque ad Gazam, pervenientibus Sodomam & Gomorram, Adamam & Seboym usque ad Segor. Fuerunt ergo omnes filii Cham, hoc est medii filii Nohe, IV, & nepotes V, & ex uno ejus filio pronepotes duo, quorum simul summa XI; quibus enumeratis reditur ad alium filium Cham, scilicet Mesraim, & commemorantur, quos genuit, non tanquam singuli homines, sed nationes VII: & de sexta

(VI*) Citium urbs Cypri. (*) Evila. (**) In Acha. (***) an Tephlis?

velut de septimo filio commemorantur exisse Philistini, unde fiunt VIII. Inde tertium ad Canaan reditur, in quo filio maledictus est Cham, & quos genuit, XI nominantur. Demum usque ad quos fines pervenerunt, commemoratis quibusdam civitatibus, dicitur: hi filii Cham in tribubus per linguas suas in regionibus suis, ac per hoc in filiis nepotibusque computatis de progenie Cham XXXI referuntur. Filii Sem: Elam, Assur, Arphaxat, Lud & Aram. Hi ab Euphrate fluvio usque ad Indicum Oceanum tenent. Est autem Elam, à quo Elamitæ, id est, Persæ appellati sunt. Assur Ninum condidit. Filii autem Aram, Hus (unde terra Hus, de qua Job) & Hul (à quo Armenii) & Gotor (à quo Carii) & Mosoch (à quo Mæones.) Hus Traconitidis conditor fuit & Damasci, inter Palæstinam & Syriam Cœlen: Verum autem Arphaxat genuit Sela, de quo ortus est Heber. Arphaxat est, à quo Chaldæi; Lud, à quo Lydii; Aram, à quo Syrii, quorum metropolis Damascus. Genuit autem Heber, filius Sela, filii Arphaxat, duos filios, quorum unus Phaleg, qui interpretatur dividens, eo quod in diebus ejus facta fuit linguarum divisio. Computatis ergo omnibus filiis ac nepotibus & pronepotibus Nohe, fiunt ex Sem XXVII & omnes progeniti, de tribus filiis Nohe, id est quindecim de Japhet, XXXI de Cham, de Sem XXVII, fiunt in summa LXXIII, vel sicut demonstrabitur postea LXXII. Geniti fuerunt, quando facta est linguarum divisio. Hoc quoque sciendum, quod multorum filii ideo non sunt commemorati, quia gentibus nascendo accesserunt, ipsi autem gentes facere nequiverunt. Auctus tamen est numerus gentium multo amplius quam linguarum. Sanè Faleg, filius Heber, filii Sela, filii Arphaxat, filii Sem, filii Nohe, ut diximus, interpretatur divisio, cui pater suus Heber ideo nomen illud imposuit, quia tempore nativitatis ejus terra per linguarum divisionem divisa est, cujus divisiones Ammonius Rhetor in expositione Psalmi centesimi quarti ita meminit: Sem primogenito Nohe Persis facta est, à Perside & Bactrianis usque in Indiam longe, & usque in Rinocuram flumen, quod sacra scriptura torrentem Ægypti vocare consuevit, quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico XXVII, in quibus linguis gentes sunt patriarum CCCCVI, non diversarum linguarum: sed, ut dixi, diversarum patriarum; verbi gratia: cum una sit lingua latina, attamen gentes infra continet multas, ut sunt feroces Franci, Galli, Itali qui & Romani, Longobardi, Hispani, Astures & Wascones. Cham vero secundus filius Nohe à Rinocura usque ad Gadram habet linguas sermone Punico à parte Garamantum, Latino à parte Boreæ, Barbarico à parte meridiana; Æthiopum & Ægyptiorum ac Barbaris interioribus vario sermone XXII, in patriis CCXCIIII. Japhet autem tertius filius Nohe à Media ad Gadaram & ad Boream. Habet autem flumen Tigrim, qui dividit Mediam & Babyloniam, in patriis CCC sermone vario, in linguas XXIII. Fiunt omnes simul linguæ LXXII, patriæ autem gentium mille, quæ in tripartito hoc seculo hoc ordine sitæ sunt. Habet enim ut diximus Japhet fluvium Tigrim, qui dividit Babyloniam. Sem Euphratem, Cham Gyhon, qui est Nilus. Porro Phaleg genuit Reu; & ipse genuit Saruch, & ipse Nachor, & ipse Thare, & ipse genuit Abraham. Nachor de Melcha uxore, filia Arami, natus est Hus, de cujus stirpe Job descendit. Unde vir erat in terra Hus, nomine Job. Unde merito reprehenduntur, qui autumant, Job de genere Esau fuisse, quia hoc in Hebræo non habetur. Secundus filius Nachor de Melcha fuit Buz, de cujus genere tradunt Hebræi fuisse Balaam Prophetam. Unde in libro Job dicitur, & iratus Heliu filius Barachel Buzites, quia primo Balaam, qui & * Inhelim dicitur, de radice Buz descendit. Tertius filius Nachor ex Melcha Camuel pater Damasci: quartus Casded, à quo Casdim hoc est Chaldæi nuncupantur. Successit ætati secundæ, in qua natus est Abraham, *ætas tertia*. Et sicut die tertia in creatione mundi, aquis in unum collectis, apparuit arida terra, herbis sylvisque decora; ita tertia mundi ætate, firmatis in cultu dæmonum nationibus, Abraham patriam cognationemque deserens, sanctorum semine fœcundatur. Advenit quoque ejus ætatis vespera, quando gens Hebræa, malis coacta prementibus, contra Dei voluntatem Regem sibi petiit, qui mox, ordinatos primo Dei Sacerdotes Prophetasque, trucidavit: postmodum cum tota gente sua gladio periit Allophylorum: quæ ætas tertia ab Abraham usque ad David generationes juxta utramque auctoritatem habet quatuordecim: annos vero DCCCCXLI. Fuit autem hæc ætas quasi quædam adolescentia populi Dei, à qua ætate, quia incipit homo, propterea Matthæus Evangelista generationum ordinem ex Abraham capit, qui mutatum nomen accepit, pater multarum gentium constitutus. A prima ergo promissione Abrahæ usque ad introitum Jacob in Ægyptum fuerunt anni CCXV. Manserunt autem filii Israël in Ægypto CCXV annis. Post mortem vero Joseph annis CXLIIII. Inter mortem Joseph & nativitatem Moysis fuerunt anni LXIIII. Octoginta erat annorum Moyses, quando missus est ad Pharaonem. Ab introitu Jacob in Ægyptum usque ad mortem Joseph fuerunt anni LXXI. His ergo septuaginta & uni annis si addas LXIIII, fiunt CXXXV, quibus adde octoginta, & fiunt CCXV, quibus appone CCXV à promissione Abrahæ usque ad in-

ad introitum Jacob in Ægyptum, & fiunt in ſumma CCCCXXX. Unde Apoſtolus ad Galathas ait: *hoc autem dico, teſtamentum à Deo, quod factum eſt poſt CCCCXXX annos*; ſicut fuerunt à conditione mundi ad tranſitum maris rubri anni duo millia CCCCLIII, à diluvio usque ad eundem anni DCCXCVII. Nunc ad *quartam ſeculi ætatem* nos transferamus. Sicut enim quarta die cœlum in initio creaturarum luminaribus ornatur, ita quarta ætate mundi Iſraeliticus populus, cœleſti fide radians, regno David & Salomonis ſplendet, & ædificatione ſanctiſſimi templi honoratur. Accepit quoque veſperam, quando crebreſcentibus peccatis regnum illud à Chaldæis eſt diſſipatum, templo deſtructo, & gente in Babylonem translata. Habet ergo hæc ætas, à David usque ad transmigrationem Babylonis juxta Hebræos annos CCCCLXXXIIII, juxta ſeptuaginta interpretes XL, juxta utrosque codices generationes XVII; quos tamen Matthæus ponit in myſterii gratiam XIIII. Sicut ergo juvenilis ætas gubernationi apta tempora habet, ita hæc ætas Regum habet initium. Lucas vero circa Sacerdotalem Domini ſtirpem atque perſonam magis occupatus, ad ipſum David non Regium ſtemma ſecutus aſcendit, ſed per eos, qui Reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium David, qui nec ipſe Rex fuit: cum Matthæus per Salomonem deſcendens cæteros Reges ex ordine ſit proſecutus ſub myſtico numero. Salomon ergo quadraginta annis regnavit, & quarto regni ſui anno, menſe ſecundo, templum cœpit, collectis ab egreſſu filiorum [Iſraël] CCCCLXXX annis. * Septem annis perficitur templum, & uno menſe anni octavi dedicatur. Quarto autem regni anno Salomonis impleti ſunt anni à creatione mundi duo millia DCCCXXXIII. Uti vero in generationibus Matthæi figuratur noſtræ carnis peccatricis ſuſceptio, facta à Chriſto, quod ille deſcendit per Salomonem, in cujus matre David peccavit: ita in Lucæ generationibus figuratur abolitio noſtrorum peccatorum per Chriſtum facta. Poſtquam aſcendendo narrat, ad David per Nathan aſcendit, per cujus nominis Prophetam Deus primus crimen expiavit. Sicut enim dicit Apoſtolus: *miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, hoc eſt ſuſceptio carnis peccatorum. Quod addidit, *ut de peccato damnaret peccatum in carne*, hæc eſt remiſſio peccatorum. *Quinta ſeculi ætas* eſt à transmigratione usque ad nativitatem Domini; quia ſicut quinta die diſtincti ſunt piſces & aves, avectæ ab aquis; illis in aqua manentibus, iſtis in aera levatis; ita in quinta ſeculi ætate multiplicatur in Chaldæa populus Iſraelis: quibusdam ad voluptates Chaldæorum declinantibus, aliis Hyeroſolymam petentibus: his deſideria cœleſtia ſpectantibus, illis deſtitutis volatu virtutum, & inter fluenta Babyloniæ reſidentibus. Advenit quoque huic ætati veſpera, quando imminente jam Salvatoris adventu, Romanis Judæa facta eſt ſub tributo, velut *ſenilis ætatis* mole, malis undique ſcatentibus depreſſa; ipſa peræque XIIII generationibus terminata, annis quingentis LXXXVIII coarctatur. *Sexta ſeculi ætas* ab adventu Domini inchoata, termino nullo clauditur. Sicut autem ſexta die terra animantibus repleta legitur, & homo ad imaginem Dei creatur, *ex cujus* dormientis *coſta Eva* formatur: ita præcinentibus Prophetis filius Dei in carne noſtra apparuit, hominis imaginem per peccatum deformatam redintegraturus; ex cujus *latere dormientis in cruce* ſanguis, & aqua *novam formaverunt matrem Eccleſiam*. Hujus ætatis veſpera ſub Antichriſto tenebras faciet, ut *ætas decrepita* morte terminanda, octavam (*) Beatæ reſurrectionis ætatem expectans. In hac ergo ætate *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis:* natus eſt, qui ſibi erat; natus eſt nobis; datus ex Divinitate, natus ex virgine; natus, qui ſentiret occaſum, datus, qui neſciret exordium; natus, qui matre eſſet poſterior, datus, quo nec pater antiquior; natus, qui moreretur, datus, per quem ad vitam renaſceremur: illic dominatur, hic humiliatur: ſibi regnat, nobis militat; & factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Aſſumtum quippe hominem deſignat humerus, latentem in homine Dominum vox principatus. Agnoſce duplicem ſub perſonæ unitate ſubſtantiam. De noſtro habuit, quod appendit; de ſuo quod eſt, donavit: de noſtro habuit, unde caderet; de ſuo, unde reſurgeret: de noſtro habuit, unde pro nobis mortem ſolveret; de ſuo, unde penitus in nullo debitor appareret: de noſtro, ut crucifigeretur; de ſuo, unde glorificaretur: de noſtro dedit peccati hoſtiam; de ſuo indulgens, tribuit gratiam: de noſtro itaque illi humiliatio; de ſuo paratur aſcenſio: de noſtro obtulit ſacrificium; de ſuo contulit præmium. Duarum ergo naturarum capax, homo eſſe in infirmitatibus agnoſcitur, Deus ex virtutibus approbatur. Fiunt ergo *ſecundum Claudium* in ſumma ab exordio mundi usque ad VItam [ætatem] tria millia nongenti quinquaginta duo, ut *Beda* teſtatur.

TER-

(*) ſeptimam.

TERTIA DECISIO

Continens mirabilia uniuscujusque provinciæ, non omnia, sed ex omnibus aliqua.

UT operi cœpto debitam consummationis exhibeamus perfectionem, consequens erit, postquam de creatione cœli & terræ & eorum dispositione ac ornatu *primam decisionem* ordinavimus, & in *secunda decisione* mundum in tres partes distinctum per singulas regiones ac provincias divisimus, cum succedentium regnorum per loca & tempora descriptione; illam nostri tractatus primordialem materiam & causam ad aliquantam, prout licuerit, perfectionem ducere. Ut enim ab exordio meminimus, propositi nostri principium est, mirabilia singularum provinciarum delitiosis auribus inferre, ut habeat *Imperialis Celsitudo*, cum dilucidum fuerit ei vacationis intervallum, quo suas recreet meditationes, secundum illud: Interpone tuis interdum gaudia curis. Enimverò non ex dicace *histrionum* garrulitate *otium* decet *imperiale* imbui, sed potius abjectis importunis fabularum mendaciis, quæ vetustatis autoritas comprobavit, aut scripturarum firmavit autoritas, aut quotidianæ conspectionis fides oculata testatur, ad hortum sacri auditus sunt ducenda. Et quoniam humanæ mentis aviditas ad audiendas ac hauriendas novitates semper acuitur; antiquissima commutari necesse erit in nova, naturalia in mirabilia, apud plerosque usitata in inaudita. Censemus enim, *nova* quadruplici ratione judicari, aut creatione, aut eventu, aut raritate, aut inauditu. Quæ ergò nova creantur, delectant ex naturæ motu: quæ nuper eveniunt, si frequentia, minus, si rara, plus habent admirationis. Quæ inaudita percipiuntur, amplectimur tùm ex mutatione cursus naturalis, quem admiramur, tum ex ignorantia causæ, cujus ratio nobis est imperscrutabilis, tum ex assuetudine nostrâ, quàm in aliis variari sine cognitione justi judicii cernimus. Ex his duo proveniunt miracula & mirabilia, cùm utrorumque finis sit admiratio. Porrò *miracula* dicimus usitatius, quæ præter naturam divinæ virtuti adscribimus, ut, cum virgo parit, cum Lazarus resurgit, cum lapsa membra redintegrantur. *Mirabilia* verò dicimus, quæ nostræ cognitioni non subjacent, etiam cum sint naturalia. Sed & mirabilia constituit ignorantia reddendæ rationis, quare sic fit. Ecce enim vulgare notumque est, salamandram in igne vivere, & cum ignis consumtivæ sit naturæ, hæc igne nutritur, non consumitur. Vidi equidem, cùm nuper Romæ essem, allatam à Cardinali Petro Capuano *corrigiam de corio salamandræ* amplam, velut cinctorium renum, & cum ex contrectatione aliquas sordes contraxisset, in igne ipsam vidimus ab omni inquinamento purgatam & in nullo corruptam. Sed & damnatissimi montes Siciliæ, qui tantâ temporis diuturnitate ac vetustate nunc ac deinceps flammis æstuant & integri perseverant, satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi, sicut indicant animæ, non omne quod dolere potest, posse & mori. *Carnem* quoque *pavonis* nulla temporis vetustate corrumpi testatur *Augustinus in libro de C. D.* asserens se id ita probasse: Cum enim ex auditis faceret periculum, frustum ad octo dies coctum jussit conservari intactum, quod cum exacto tempore incorruptum, & per triginta dies servasset integrum, & post annum, nihil os ejus offendit olfactu, nisi quod aliquantulum corpulentiæ siccioris fuit & contractioris. Unde his rebus insita duratio prodierit, quis judicare queat? cum & *ignis* admiranda sit permutatio, qui cum naturâ sit lucidus, ipse in sui colore pulcherrimus, omnia quæ lambit, decolorat; dum ex ardente fulgenteque pruna carbonem reddit teterrimum, & econtra lapides igne cocti candidi fiunt. Porrò carbones ictu levissimo franguntur pressuque facillimo conteruntur; & in eis tanta est firmitas, quod nullo humore corrumpuntur, nulla ætate vincuntur: cumque carbonum materia, lignum, sub aqua aut terra putrescat, ad carbonum perpetuitatis indicium sub *terminis agrariis* carbones ponuntur, ut terminis cujusvis malitiâ motis, verior rei dubiæ firmitas probetur, dum carbones incorrupti sub stipite vel *memoriali lapide* reperiuntur. Accedit ad consimilem admirationem, quod de *calce* quotidianâ conspectione videmus, quæ si aquâ frigidâ conspersa fuerit, ignescit, cum omnia frigiditate aquæ tacta frigescant. Olei verò perfusione non calet, cum oleum sit ignis incitamentum. Hæc omnia si de aliquo Indico lapide narrarentur, cujus experimentum ad nos pervenire non posset, profectò mendacium judicaremus, aut certè admirationis stupore teneremur. Quia verò ante oculos nostros quotidianâ de his documenta versantur, non genere minus mirabili, sed ipsa visus assiduitate vilescunt, ita ut ex ipsa India, quia remota pars orbis est, desideremus nonnulla mirari, quæ ad (*) nos poterant

(*) apud.

rant minus miranda (**) perduci. Nullus ergò fabulosa judicet, quæ scribimus. Non enim ut inanibus verbis aures sacras detineamus, hæc collegimus, sed ut, omissis rumorum mendaciis, qui paucitati (***) veritates immiscent, miranda, quæ non noverunt fallaces, veridica terrarum & autorum testificatione sumatis.

I. *De magnete lapide.*

IN India magnes lapis gignitur, qui ferrum rapit tantà violentià, quod legitur *in libro de Civ. Dei*, *Augustinum* annulum ferreum magneti junxisse, cumque raptum ad se traxisset, junctus est annulus annulo: sicque medianti annulo secundus jungitur, additur tertius, & ille rapitur, additur quartus, nec minore virtutis extensione rapitur: jamque sibi per mutua circulorum retinacula non implicatorum intrinsecus sed extrinsecus adhærentium quasi catena pependit annulorum. Probationi jungitur probatio, si ferrum scypho superferas argenteo, & magnetem supponas. Sicut enim movebitur inferius magnes, ita ferrum mutabitur, scyphô medio semper immutato. Si verò magneti junxeris adamantem, non solum magnes ferrum non rapit, sed & raptum remittit. Hæc circa naturas lapidum memoravimus, ut miretur imperfectio nostra, quod propter ignorantiam infirmitatis nostræ exsolvere non sufficimus. Infideles enim homines, cum divina, ut ait *Augustinus*, vel præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis expedienda non valemus ostendere, rationem à nobis flagitant, quam reddere non sufficimus. Excedunt quippe vires mentis humanæ, ideoque æstimant falsa plerumque, quæ dicimus, cum de his etiam, quæ quotidiana videmus, ipsi reddere rationem non possint.

II. *De Sale Agrigentino.*

AGrigentinum Siciliæ *salem* admirandà novimus contrarietate dissolvi, & in ipsa naturali dissolutione consistere. Cum igni fuerit admotus, velut in aqua fluescit, si verò jungatur aquæ, velut in igne crepitat. Sed & in Catalonia, quæ provinciæ subjacet Tarraconensi, castrum est Cardona, in cujus monte *sal saxeam trahit duritiem*, & cum in montis concavo sustollitur, superveniente pluvià, mons in eadem salis quantitate atque salsugine crescit & redintegratur. Hujus autem salis tanta firmitas est, quod in modum lapidis effertur, cultellisque admodum acutis vix radi potest aut evelli. Istud quoque in Imperio tuo, venerande Princeps, admirandum censeo, quod apud Arelatensem civitatem, regni Arelatensis caput, insula est undique Rhodano marique mediterraneo clausa, quam Leucados arva Lucanus nominat. In hac stagna sunt maritima, quæ terræ contiguitate modica aquæ (****) distenduntur. Sicut ergò frigida aqua in hyemis asperitate congelatur & constrictione frigiditatis; sic aqua salsa, quæ calida est & sicca, ex constrictione caliditatis (*****) congelatur sub Augusti fervore in salem. Quod ergò illic facit frigiditas constringens, in sale operatur caliditas in siccitatem coagulans. Accedit adhuc in sale mirabile. Est enim *in majore Britannia*, quam Angliam dicimus, avi tui regnum, *in episcopatu Wigorniensi* villa suburbana Ibichunn nomine, in qua sub monticuli cujusdam radice aqua profluit ** dulcissima. In hujus ripa putei numero pauci distenduntur, quorum profunditas modica, & aqua salsissima, cum in cacabis aqua bullitur, densescit in salem albissimum. Fertur, quod ab universa provincia à nativitate Domini usque ad nativitatem sancti Johannis Baptistæ salsissima scaturit aqua: per alteram anni partem subdulcis prorumpit & ad salem inutilis; & quod mirabilius arbitror, cùm ad usum salis aqua prorumpit opportuna, si non hauritur, supereffluit. Cum dulcescit ad alteram anni partem, vix superexcrescit, & cum tempus advenit salsuginis, vel (******) à vicinitate frangitur aquæ fluvialis: nec in aliqua propinquitate maris invenitur, aut cujusvis salsitatis contagium; cum sit illà provincia fluviis fontibusque irriguis spatiosa.

III. *De lapide asbeston.*

EST *in Arcadia* asbeston lapis, qui semel accensus exstingui non potest. Est & *in Aquensi provincia castro Balduranto* rupes rubea adinstar coralli rubei, cujus fragmenta si fuerint accensa, adinstar candelæ lumen & diuturnam lucernam faciunt ante materiæ consumtionem. Porrò *in libro XXI de Civ. Dei Augustinus* narrat, esse in quodam Veneris fano candelabrum, quod lucernam habet ardentem sub divo, nullàque tempestate vel imbre potest exstin-

(**) produci. (***) paucas falsitati. (****) distinguuntur. (*****) coagulatur. (******) f. nec.

exstingui. Sed & à multis habemus compertum, quod sunt cerei, quos refert antiquitas cum Christo ab angelo virgini præsentatos in templum, qui sine consummatione lucendique intermissione perpetuò lucent. Verum istud miraculis divinæ virtutis attribuitur, sicut & illud de *virgulæ fumi*. Habet enim vetus Hebræorum traditio, quod quædam Judæorum progenies in templo curam habebat *incensi*, qui tantâ ministerii singularitate pollebant, quod ex aromatibus faciebant incensum, quod prunis in thuribulis legalibus impositum *virgulam* faciebat *fumi aromatici* tàm constanter directò ve cœlos penetrantem, quod nulla vi ventorum declinabat ad aliam partem, præterquam ad fastigium cœli & templi, de quo Salomon in canticis sponsæ: quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii.

IV. De ficu Ægypti.

EST *in Ægypto* ficus, cujus lignum in aquam projectum non supernatat, ut communis lignorum natura est aquis supernatare. Sed cum diu immersum fuerit illius *ficus* lignum, rursus ad aquæ superficiem emergit. Scio in Anglia, *episcopatu Lincolniensi*, inter Londonias & Norhantoniam in * eo, quem *Aspele* vulgus nominat, sylvam esse, cujus ligna si secta fuerint & in aquam rivi præterfluentis projecta, vel in terra arida juxta ripam aquæ sepulta, atque vel in arida, vel in aqua per anni spatium confossa, dimittantur; redeunte anni circulo ligna saxeam duritiem contrahunt, & in quamcunque effigiem per quamvis dolaturam vel cælaturam fuerint transformata, lapidis gravitatem soliditatemque prætendunt. Si verò non secantur sed plantantur, ut in alio solo coalescunt. Cui simile in regno vestro asserunt evenire Arelatensi.

V. De pomis Pentapolis, quæ crescunt & favillant.

IN terra Sodomorum poma nascuntur aspectu pulcherrima: pro tempore crescunt, & cum ad debitam ex tempore maturitatem pervenerunt, confracta fumum faciunt & favillam.

VI. De lapide, qui cum luna crescit.

IN *Perside* lapis est, *Selenitis*, cujus candor cum luna crescit aut decrescit.

VII. De tribus donis.

IN *Italia* civitas est *Terdona*, sic dicta à tribus donis, quibus ab indigenis prædita narratur. In vigilia Paschæ, cùm jam hora baptismi venerit, fonte baptisterii ebullit aqua pellucida, ad baptismum scaturiens, & limpidissima. Est & in urbe eadem ecclesia S. Quintii, in qua quisquis baptizatus fuerit, vita ejus protenditur usque ad quadraginta annorum spatium. Accedit in ejusdem civitatis territorio mirabilius signum. Quoties enim quivis loci illius paterfamilias infra annum terminum mortis habet, sulcus terræ illius, cum aratro terra scinditur, sanguine sub cultro manat. Unde ex antiquissima consvetudine dicunt institutum, quod quoties incolæ bubulcos sub mercede annua conducunt, ipsos, tactis sacrosanctis evangeliis, jurare faciunt, tale judicium mortis patrifamilias indicatum iri.

VIII. De cœmeterio Fructuarum.

IN *episcopatu Taurinensi Italiæ* est *monasterium Fructuariense*, antiquâ religione celebre, in quo juxta ecclesiam sanctorum Benigni & Tiburtii est cœmeterium, in quo singulariter monachi sepeliuntur. Verum si post triduum aperta fuerit sepultura, in ea nec ossa nec cinis mortui comparebunt, quod multoties probatum ac compertum à monacho confine, viro religioso ac literato, accepi, sub fide verbi testificatum.

IX. de fenestra Camissæ.

ACcedit ad argumentum lucernæ inextinguibilis, cum in fano Veneris extitisset, dicit *Augustinus*, inaudita & miranda rei novitas; quæ non audita novitas est, sed ab antiquo quotidiana conspectione probante antiquitas est. In Provincia Viennense regni Arelatensis ad confinium civitatis Gratianopolis est Prioratus S. Michaëlis de Camissa, monasterio S. Theofredi suppositus locus. Hinc ab antiquo veneranda religione pollet, situ amœnus in montis pendulo altius ventis expositus, ab omni hominum strepitu semotus, & ex qualitate positionis religioni debitus. Inter cæteras religioni solitas officinas eminet refe-

refectorium latè spatiosum & omni procellæ ventorum objectum. In hujus propatulo fenestra patet grandis, ad quantitatem januæ, universam domum illuminans. Cùm ergò irrumpentibus spiritibus procellarum, domus in tanta montis ardui summitate constituta tota ferè concutitur, quævis lucerna ex quavis materia, si in medio patentis illius ostii ponatur, nullo flatu concutietur, quinimò perseverat immobilis ad lucendum. Res mira, parietes tantâ ventorum rabie turbantur, & modica candelæ scintilla non movetur.

X. *De domibus Podiensibus.*

IN Galliis, *provincia Biturricensi, civitate Aniciensi,* quam vulgus *Podium S. Mariæ* nominat, est ecclesia miraculorum frequentià celebris, reliquiis sanctorum ditata, clero populoque honorata, & inter alias præcipuas sanctæ Dei genitricis Mariæ memoriis frequentata. In hujus domo, quam cœnaculum refectionis nominant, non aranea nec musca potest, & si inferatur, diu manere, quinimò vel illicò moritur, vel fugâ miseræ suæ vitæ consulens avolat, aut inter manus tenentis elabitur. Sed & in latrina Canonicæ Podiensis nullus unquam fœtor eructuat, nullus corrupti aëris putor sentitur, cum sit locus in monte prominens & ab omni aquarum fluvio alienus. Rem expertam loquar: est in regno Arelatensi, *provincia Aquensi* vicus *Bariolus* nomine, in quo Canonica singularis fundata est, antiquitate veneranda, possessionibus honorificè fundata, hospitalitate vicinis ecclesiis invidiosa. In hac est refectorium ab antiquo ædificatum, in quo nulla musca detineri potest. Hujus rei novitatem mihi per auditum cognitam ad probationem per experimentum ducturus, *accessi sedulus explorator:* ficomellis vel cujusvis pinguedinis linimento scutellis [repletis cum] muscæ, ut assolent, insiderent, profectò rem rumore comperiens veriorem, volens fallaciam ingeniosam cogitationis humanæ frustratam quâdam violentià adjuvare, muscarum venator effectus, prædam in refectorio melli, lacti ac pinguedini supersterno. Tunc major excrevit admiratio, cum vim animi & violentiam corporis à me tentatam perpendo cassari, sicque tum fide facta de auditis stupor est augmentatus. Porrò *in Campania, civitate Neapolitana,* scimus Virgilium arte Mathematicâ muscam erexisse æneam, quæ tantæ virtutis in se habuit experimentum, quod, dum in loco constituto perseveravit integra, civitatem latè spatiosam nulla musca ingrediebatur.

XI. *De nuce, quæ similiter frondet & fructificat,*

DIcitur mirabile, dum in prætaxato vico *Barioli* aliquid novum conspexi. Vidi quippe nucem grandem in horto juxta antemuralia, quæ depositis secundum morem aliarum arborum foliis, hyemali frigore rubescit, & cum omnes ceteræ arbores, redeunte veris beneficio, succo succrescente virescant, foliis vestiantur floribusque fructificandi prænunciis suos delectent amatores, hæc sola in hyemalis constrictionis ariditate perseverat, nulliusque viroris aut fructûs præmissis indiciis, exactis jam quatuor fermè mensibus, adveniente S. Joannis Baptistæ solennitate, repentinâ exultatione nascentis præcursoris gaudio cum gaudet, (*) & ex improviso producit folia & fructum, cujus quantitas in nullo inferior est aut depressior aliarum arborum nucibus.

XII. *De carne imputrescibili macelli.*

JAm nunc ad *civitatem Campaniæ Neapolin* redeamus, in qua macellum est, in cujus pariete insertum perhibetur à Virgilio frustum carnis tantæ efficaciæ, quod dum illic erit inclusum in ipsius macelli continentia, nulla caro quanto tempore vetusta nares olefacientis aut intuentis adspectum aut comedentis saporem offendet. Est & in eadem civitate porta Dominica Nolam, Campaniæ civitatem olim inclytam, respiciens, in cujus ingressu est via lapidibus artificiosè constructa, sub hujus viæ sigillo conclusit Virgilius omne genus reptilis nocui: unde provenit, quod cum civitas illa in ambitu plurimùm spatiosa, tota columnis subterrenis innitatur, musca in cavernis aut rimis interioribus, aut hortis infra urbis mœnia conclusis vermis nocivus [non] reperitur. Tertium est, quod illic expertus sum, tunc quidem ipsius ignarus, sed fortuito casu reapse mihi dante scientiam & probationem, coactus sum esse sciens ejus, quod si non præventus essem periculo, vix alienâ relatione fieri posse assererem. Nempe *anno, quo fuit Acon obsessa,* circa imminens S. Johannis Baptistæ festum cum essem *Salerni,* de subito su-

 perve-

(*) congaudet.

pervenit mihi hospes jucundus, cujus sincera dilectio cum dignatione cum diutina in scholis & *curia domini mei Regis vetustioris Angliæ, avi vestri*, serenissime Princeps, commansione firmata, non jam alterum à me, sed in ipso me alterum mihi obvenisse faciebat. Exultavit cor meum propter singularitatem affectionis, & propter rumores, quos recensiare mihi tàm fidelis nuncius poterat, de nostrorum prosperitate propinquorum, quorum omnium hic non tàm sanguine quàm amore fuit propinquissimus. Properantem ad transitum & transfretationem diu reluctantem vici precum instantia. *Philippus* hic erat, *filius patricii* olim illustris *Comitis Saresberiensis, cujus neptis ex fratre comitatum Sarisberiensem jure matrimonii transfundit in istum avunculum vestrum, Domine Imperator.* Inter volentem & invitum meliore consilio trahitur amicus *ad civitatem Nolanam*, ubi tunc ex mandato *Domini mei illustris Regis Siculi Guilielmi* mansio mihi erat ob declinandos Panormitanos tumultus ac fervores æstivos. Quid plura? Post aliquos dies deliberavimus ad Neapolitanum mare accedere, si quô fortassis eventu paratior ac minus sumtuosa nobis illuc occurreret transfretatio. Civitatem advenimus, in hospitio venerabilis *auditoris mei in jure Canonico* apud Bononiam, *Johannis Pinnatelli, Neapolitani Archidiaconi, scientiâ, moribus & sanguine illustris*, nos recipientes, à quo jucundè suscepti, causam adventus nostri pandimus, ipseque, compertâ voti nostri instantiâ, dum parantur epulæ, mare nobiscum accedit. Facto vix unius horæ spatio, succinctâ brevitate verborum navis conducitur pretio ** optato, & ad instantiam viatorum dies data ad navigandum accelerat. Ad hospitium redeuntibus sermo est, quô successu quibusve auspiciis omnia nobis desiderata tàm celeri manu * concurrerint? ignorantibus & stupentibus nobis de tanta felicitate successuum: Heus, inquit Archidiaconus, per quam civitatis portam intrastis? cumque, quæ fuerit porta, explicarem; ille perspicax intellector adjecit: meritò tàm brevi manu vobis fortuna subvenit. Sed oro, mihi veridicâ relatione dicatis, quâ parte aditûs ingressi estis, dextrâ vel sinistrâ? respondemus: Cùm ad ipsam veniremus portam, & paratior nobis ad sinistram pateret ingressus, occurrit ex improviso asinus lignorum strue oneratus, & ex occursu compulsi sumus ad dextram declinare. Tunc Archidiaconus: Ut sciatis, quanta miranda Virgilius in hac urbe fuerit operatus, accedamus ad locum, & ostendam, quod in illa porta memoriale reliquerit Virgilius super terram. Accedentibus nobis ostendit in dextra parte caput parieti portali insertum de marmore Pario, cujus rictus ad risum & eximiæ jucunditatis hilaritatem trahebantur. In sinistra verò parte parietis erat aliud caput de consimili marmore infixum, sed alteri valdè dissimile, oculis siquidem torvis flentis vultum ac irati, casusque infelicis jacturam deplorantis prætendebat. Ex his tàm adversis vultuum imaginationibus duo sibi contraria fortunæ fata proponit Archidiaconus omnibus ingredientibus imminere, dummodò nulla fiat declinatio ad dextram sive ad sinistram, & ex industria procuratio, sed sicut fatalia sunt, fato eventuique committantur. Quisquis, inquit, ad dextram civitatem istam ingreditur, semper dextro cornu ad omnem propositi sui effectum prosperatur, semper crescit & augetur: quicunque ad sinistram flectitur, semper decidit, & ab omni desiderio suo fraudatur. Quia ergò ex asini objectione ad dextram deflexistis, considerate, quàm celeriter & quantâ prosperitate iter vestrum perfecistis. Non tamen hæc scripsimus, quasi Sadducæorum sectam comprobemus, qui *omnia* dicebant *in Deo & marmore consistere*, hoc est in fato & casu fortunæ; cum omnia in sola Dei voluntate sint posita, secundum illud: In voluntate tua, Domine, cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ &c. Sed admirationem *artis Mathematicæ Virgilii* memorabimus.

XIII. De horto Virgilii & tuba ænea.

Erat in confinio ejusdem civitatis Neapolitanæ velut ex opposito mons virginum, in cujus declivo, inter prærupta saxorum aditu gravi, Virgilius hortum plantaverat multis herbarum generibus consitum. In hoc invenitur *herba Lucii*, quam oves cœcæ quandoque tangentes statim acutissimum visum recipiunt. In eodem erat imago ænea buccinam ad os tenens, quam quoties Auster ex objecto subintrabat, statim ipsius venti flatus convertebatur. Quid autem conversio ista Noti, commodi portabat, audite. Est in confinio civitatis Neapolitanæ mons excelsus, mari infixus, subjectam sibi terram Laboris spatiosam prospectans. Hic mense Madio fumum teterrimum eructuat, & interdum ardentissima ligna projicit, exusta in carbonis colorem. Unde illic quoddam inferni terreni spiraculum asserunt ebullire. Flante ergo Noto pulvis calidus segetes omnesque fructus exurit, sicque terra feracissima ad sterilitatem ducitur. Ob hoc tanto regionis illius damno consulens Virgilius in opposito monte statuam, ut diximus, cum tuba erexit, ut ad primum ventilati cornu sonitum, & in ipsa tuba flatus subintrantis impulsum Notus repulsus vi Mathesis quassaretur. Unde fit,

sit, quod statua illa vel ætate consumta vel invidorum malitiâ demolitâ, sæpè pristina damna reparantur.

XIV. De faba versa & ejus efficacia.

IN hujus sanè montis æstuantis ascensu crescit herba, quam vulgus *fabam inversam* nominat, ad altitudinem novellæ nucis alta foliis, ut nucis, amplis subacutis. Hujus fructus, sicut fabæ, siliquis includitur, eâ tamen diversitate, quod dependent terramque respiciunt, cum econtra fabarum siliquæ in altum protendantur. Est autem hujus potentia satis ridiculosa; si enim ipsam cum oratione dominica ter repetita genu flexo collegeris: orans, ut, qualem vultum prætendis, talem gustans ex ea protrudas; sine dubio hunc ipsum habere effectum conspicies. Si colligendo ridens, risum ex ea speras, gustans usque ad solis occasum ridebis sine intermissione; si fletus simulas, flebis falsâ quasi pietate turbatus. Si nauseam aut egerendi gestum exprimis, id idem continget comedenti. Nec his fidem dedissem, si non ipse probassem; cùm summo labore, ardua montis illius petens, herbam reperi in caverna montis sub castro, quod indigenæ *Summam* nominant, quod Regis speciale est, munitione firmissimum.

XV. De balneis Puteolanis.

EST etiam in civitate Neapolitana *civitas Puteolana*, in qua *Virgilius* ad utilitatem popularem & admirationem perpetuam balnea construxit, miro artificio ædificata, ad cujusvis interioris ac exterioris morbi curationem profutura, singulisque *cochleis* singulos *titulos* superscripsit, in quibus notitia erat, cui morbo quod balneum deberetur. Verùm novissimis diebus, cum apud Salernum studium Physicorum vigere cœpisset, Salernitani invidia tacti titulos balneorum corruperunt, timentes, ne divulgata balneorum potentia lucrum practicantibus auferret aut diminueret. Ipsa tamen balnea pro maxima parte intacta, diversis morborum generibus medelam tribuunt. Suspecta quoque sunt illa, quæ certam incolarum non habent notitiam, aut ad virtutem memoriam, eò, quod inter duo contrariorum effectuum infirmitas infici (*) quandoque posset quàm curari.

XVI. De rupe incisa, quæ nullas admittit insidias.

IN eodem confinio mirâ virtute est admodum cryptæ mons concavus, cujus tanta est longitudo, quod medium tenenti vix duo capita comparent. Arte Mathematicâ hæc operatus est Virgilius, quod in illo montis opaco inimicus inimico si ponit insidias, nullo dolo nullove fraudis ingenio suæ malitiæ in nocendo dare potest effectum.

XVII. De Johanne episcopo & animabus mortuorum.

SUnt in confinio Puteolano montes, quorum arena in summitate pedes adurit & sui ardore prohibet ascendentibus progressum. Illic refert antiquitas, *episcopum Johannem* quendam *Puteolanum*, virum sanctum & in omni bono opere perfectum, dum *agendam mortuorum* sedulus orator passim deambulando cantaret, audisse animarum lamentationes, quæ in concavitate montis sulphurei audiebantur pati. Sed & quandoque cuidam lamentanti episcopus ex parte Domini nostri Jesu Christi præcepit, cujus sit anima, cujusve reatus criminationi obnoxia pandat. Familiari itaque lacrymosoque colloquio, humanâ voce anima adjurata respondit, se cujusdam noti atque vicini spiritum esse, illic gravibus incendiis pœnalibus addictam. Inquit vir sanctus: si quam spem salutis haberet? at illa, se missis & orationibus respondit posse salvari, si per annum quotidianum pro ea offerretur domino sacrificium. Ad hæc episcopus: ô, inquit, anima Christiana, quibus intersigniis quibusve indiciis compertam habebo tuam salvationem? respondit anima: si revolutô annô redieris ad hunc locum, & me sub Dei nomine interpellaveris, respondebo tibi, si in locis his pœnalibus adhuc fuero: sin autem, pro certo scias, me per Dei misericordiam & tuas orationes esse liberatam. Quid ultra? revoluto anno, in missis & orationibus ab episcopo continuato, animam adjuratam nusquam auditam referebat episcopus. Unde ipsam prorsus liberam Vir Dei ex conditione præsumebat. Asserunt enim animas, quamdiu in locis pœnalibus, quasi nobis vicinis & conjunctis, sunt, per visiones nunc somniorum, nunc manifestè in corporum pristinorum similitudine

(*) f. confici potius.

ex divina dispensatione, confinibus & amicis frequenter, ut licenter, apparere, statusque sui miseriam & necessitatem pandere. Verùm cum ad altiora gaudia, purgatorio exacto, evectæ fuerint, jam ad nostram non se offerunt visionem.

XVIII. *De visione portarum inferni.*

ALiud ejusdem episcopi mirabile dictum recensebo, dummodò non tædet audire, quod salubre esse debebit didicisse. Est in confinio loci jam dicti lacus, quem Johannis dicunt, cujus aqua teterrima, sed (**) in confuso oleo efficitur limpidissima ac lucida. Ad hunc lacum memoratus episcopus accedens, ut exploraret, quid in aqua posset esse vel sub aqua latens, in cujus confinio multas ac terribiles lamentantium voces frequenter audiebat; Uno aliquô die cadum olei purissimi aquæ superfudit, statimque, vel ut accensâ lucernâ, vidit sub aqua portas æneas & vectes ferreos maximæ quantitatis prostratos; cœpitque in viri sancti mentem subire, has esse portas inferni, quas Dominus noster Jesus Christus confregit, quando infernum spoliavit.

XIX. *De Averno.*

ESt & inter Neapolin & Puteolos locus quidam, quasi stagni sicca vestigia, terra quidem lutosa. In hunc locum si projectum quid, licet animatum fuerit, statim moritur. Sed & aves volitantes, halitu loci illius statim inficiuntur & sic moriuntur. De cœlo isto scripsit Lucretius:

Principio quod averna vocantur, nomen aornis
Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis.

Huic simile in attractione vidimus in regno Arelatensi, in confinio civitatis Avinionensis, villa, quæ *Thorum* dicitur. Erat enim in loco, quo nuper ecclesia *in honorem S. Mariæ* constructa est, lutum, tantam habens attractivam, quod si quodlibet lignum aut quamcunque solidam materiam, aut manum aut pedem cum suis * animatis infixeris, nullâ vi nullove artificio de centro sine successione potest (***) contrahi.

XX. *De turre, quæ non admittit vigiles.*

IN Regno Arelatensi, episcopatu Valentino, castro Livornis, est turris episcopi Valentini plurimùm excelsa, quæ nocturnum custodem non admittit. Si quis autem custos ad vigiliam noctis in illa fuerit constitutus, in mane se sentiet ad vallem subjacentem delatum sine timore præcipitii, aut quolibet terrore deponentis. In valle se casu positum inveniet, & nullius sentiet ** aut collisionem.

XXI. *Pugna Scarabæorum.*

IN Galliis, provincia Narbonensi, episcopatu *** est castrum de Emolinis. In hoc duæ sunt turres, ad quarum alteram quotannis, circiter diem S. Johannis Baptistæ, convenit infinita multitudo scarabæorum, quorum corpora dimensiones aliorum scarabæorum excedunt, & plurimi sunt cornuti. Hi per octo dies tanto impetu se mutuò flagellant, quod de mortuis & depulsis vix plateæ possunt scopari.

XXII. *De rupe, quæ uno digito movetur, & non toto corpore.*

I*N regno Arelatensi, provincia Ebredunensi*, castro, quod *Noth* dicunt, est rupes magna, quam si minimo digito impulseris, totam ad facilem motum duxisti. Si verò totum corpus aut infinita plaustra boum admoveris, immobilis perseverat.

XXIII. *De figura Domini in Edissa.*

LEgimus *in gestis Salvatoris*, quod Abgarus, Rex Edissæ, quæ caput est Mesopotamiæ Syriæ, moram faciens in Mesopotamia Syriæ, auditis Domini miraculis, ardenti desiderio cordis cupiebat Christum videre. Mittens igitur ad eum epistolam per Ananiam cursorem in Hierosolymis, confessus est ex operibus, vel ipsum esse Deum aut Dei filium, exposuitque ei se ipsum & civitatem suam, quæ licet parva, duobus ipsis posset sufficere. Et in

(**) infuso. (***) f. nulla vi nullove artificio de cætero (vel de cœno) sive succussione potest extrahi.

Et in fine, cùm humiliter rogâsset, ut dignaretur fatigari ad eum veniendo, & liberare eum ab infirmitate sua, subjunxit: Valeas Jesu bone, salvator orbis, semperque nostri digneris memor esse. Magister humilitatis & humanæ salutis autor *in hæc verba rescripsit:* Beatus es, qui in me credidisti, cum ipse me non videris. Scriptum est enim de me, quia hi, qui me visuri sunt, & qui me minimè sunt visuri, ipsi in me sunt credituri, ut salvi fiant. De hoc autem, quod scripsisti, ut venirem ad te, oportet ea primùm explere, propter quæ huc missus sum. Postquam verò eventa complevero, iterum opportunum est recipi me ab eo, à quo missus sum. Cum ergò assumtus fuero, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, qui curet te ab omni infirmitate tua, & populum tuum salvet. Sed quia me corporaliter videre desideras, en tibi dirigo *linteum*, in quo faciei meæ figura & totius corporis mei status continentur, quæ tu, dum videris, ardorem tui animi refrigerare poteris. Beatus tu, sed & illi omnes beati, qui scandalum in me non habuerunt. In Dei Patris sapientia benè valeas per cuncta secula. Traditur autem ex archivis autoritatis antiquæ, quod Dominus *per linteum candidissimum totò corpore se prostraverit*, & ita virtute divinà non tantùm faciei, sed etiam totius corporis Dominici speciosissima effigies linteo impressa sit. Hæc Domini imago in linteo apud Edissam, quæ caput est *Mesopotamidis Syriæ*, sine aliquo corruptionis vestigio in majori ecclesia reservata in præcipuis festivitatibus Domini Salvatoris de aureo scrinio producitur, & cum hymnis, psalmis & orationibus adoratur. De hac quoque narratur, quod singulis annis in die sancto Paschæ in omnium conspectu diversas accipit variationes. Prima siquidem horà diei repræsentat infantiam, tertià pueritiam, quinta adolescentiam, septima juventutem, nona verò horà plenitudinem repræsentat ætatis, in qua Dominus passionem pro nostra suscepit redemtione. Fuit autem secundum verba Domini civitas Edissa conversa ad fidem Christi post ascensionem Christi ab uno ex LXXII. discipulis, *Thaddæo* nomine, per quem & salus corporis & fides mentis ab Abgaro est recepta.

XXIV. De alia figura Domini.

Est alia in linteo Domini figura expressa, quæ, ut *in gestis de vultu Lucano* legitur, hoc suum habuit initium. Cum Dominus redemtor noster exutus vestimentis suis in cruce penderet, accedens Joseph ab Arimathia ad Mariam matrem Domini & ad alias mulieres, quæ secutæ sunt Dominum ad passionem suam, ait: O, inquit, quanto amore huic justo tenebamini, ex ipso rerum effectu perpendi potest, quem etiam nudum in cruce pendere vidistis, non operuistis. Quò castigationis alloquio mota mater ejus & aliæ, quæ cum ea erant, citò euntes emerunt linteum mundissimum tàm amplum & extensum, quod tota crucifixi corporis effigies in linteo est expressa, cumque deponeretur, pendentis de cruce apparuit totius corporis effigies in linteo expressa, ad cujus similitudinem & exemplar Nicodemus *vultum Lucanum* effigiavit, in cujus medio linteum inclusit & ampullam sanguinis Domini, & unum ex tribus clavis, partemque coronæ spineæ, & spongiæ, & vestimenti Domini & beatissimæ virginis Dei genitricis, & de cunabulo Domini, & de umbilico Domini. Dicunt tamen Magistri nostri, & hoc tenet Romanorum traditio, quod umbilicus Domini & præputium circumcisionis sunt in cruce de auro purissimo adornata, gemmis & lapidibus pretiosis ** [quæ] est in quadam capsa cyprissina, quam Leo III. posuit in oratorio S. Laurentii, quod est in sacro palatio Lateranensi. Hæc quoque crux uncta est balsamo, & singulis annis eadem unctio renovatur, quando Dominus Papa cum Cardinalibus suis facit processionem ab oratorio illo in ecclesia S. Johannis Lateranensis, in exaltatione S. crucis. Et contra tradunt Galli, quod præputium Domini delatum est ab angelo Carolo M. in templo Domini, & ab eo apud Aquisgranum primò reconditum, postea à Carolo Calvo fuit apud (IV*) Carosium translatum. Quia verò, *sacratissime Princeps*, orationes sanctorum in ipsorum institutione formatæ digniorem habent apud modernos memoriam; dignum duxi subjungere *orationem* quotidianam *Nicodemi*, qui *vultum Lucanum* formavit, quem *filium Joseph justi* decurionis traditio Ebræorum dicit. Quotidiè ergò genua coram *vultu Lucano* flectens dicebat: Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi Deus noster. Ecce Deus justus, ecce Deus vivorum & mortuorum. Ecce vita viventium, spes morientium, salus omnium credentium, quem adoramus, quem glorificamus, cui benedicimus & Dominum patrem omnipotentem & Filium cum sancto Spiritu laudemus & superexaltemus in secula. Adjutor & protector & defensor sis mihi, Domine benignissime & sanctissime & misericordissime. Hanc igitur orationem in corde teneas, quoties sacerdos inter

(IV*) An apud *Carisiacum*, an potius apud *Parisium*.

ter verba consecratoria hostiam elevat, adjungas: Ave Rex noster, principem mortis in cruce debellans. Ave corpus Domini nostri Jesu Christi, quod pro nobis suspensum est in patibulo & consecratur in hoc altari in memoriam passionis Dominicæ. Connectas quoque *orationem Eusebii:* Perficiant in nobis, Domine, sacramenta tua, quod continent, ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Illud sanè non erit omittendum, quod *Vultus Lucanus* oculos tenet apertos & terribiles ostendit, quod ad figuram pertinet. Sicut enim leo rex omnium ferarum, cum dormit, oculos aperit, ut intuentibus in eum nunquam dormire vel suæ potestatis vigilantiam intermittere videatur; ita Christus nunquam non suæ potestatis virtutem sed malis terribilem ostendit. Si quis autem, unde aut qualiter *Vultus Lucanus* ad nos usque pervenerit, quærit, audiat, ipsum tempore Caroli & Pipini contransalpino reverendo *Gilfredo, Galliæ Præsule*, repertum Hierosolymis in domo Seleucii in absconso positum. Hunc extrahens in navi bituminata desuper clausa tabulata reconditum sine remige ac remigio à portu Joppe dimittit, sicque divinâ virtute præduce per maris aquas advecta ad plagam pelagi Lunensis applicare parat. Sanè Lunensis, ut eis piratica vita in usu erat, rapiendi animo accedentes spe suâ frustrati miraculo divino tanti thesauri indigni judicati, dum fugiunt, ad fugiendum insecutionem parant, dum fugant & fugientem insequuntur navim, magis fugiuntur; sicque fit, quod dum insecutionem parant, navis fugit, stat cum subsistentibus, redit cum redeuntibus. Tantâ novitate tacta vicinia ad Luccensem hæc inaudita sed diu tentata retulit. Nec mora, sanctissimus *Luccensis antistes Johannes* navigia disponit, remos orationum aptat, psalmorumque usus, navigio navim, quam non persequitur, consequitur & cum debita veneratione recipit. Indignati Lunenses, quod Luccensibus insecuta ductum navis occurrit, quæstionem movent de acquisitis, proponunt, quæ ad sui commodum quæstus eis videntur accommoda. Tandem pace reformatâ, vultus sanctissimus cum inserto thesauro Luccensium parti cedit. Unicaque ampulla de duabus, sanguinem [de] imaginibus Salvatoris continentibus, Lunensibus addicitur ad aliquod miseriæ suæ remedium, quæ etiam jam nunc ad proximum castrum translata. Est autem *castrum Lunense* episcopi, quod S. Mariæ de Sartenai dicunt, ubi ampullam vidimus & tractavimus, ubi etiam episcopatum in maledictionem Lunensium translatum audivimus.

XXV. *De figura Domini, quæ Veronica dicitur.*

Porrò sunt alii vultus Domini, sicut est *Veronica*, quam quidam Romæ delatam à *Veronica* dicunt, quam ignotam tradunt mulierem esse. Verùm ex antiquissimis scripturis comprobavimus, hanc esse Martham sororem Lazari, Christi hospitam, quæ fluxum sanguinis duodecim annis passa tactu fimbriæ dominicæ sanata fuit, propter diutinam passionem fluxus carnalis in *** unde *** poplitis vena incurvata Veronica dicta est. Hanc ex traditione veterum novimus in tabula pictam habuisse Dominici vultûs effigiem, quam *Volusianus amicus Tiberii Cæsaris* apud Hierosolymam ab ipso transmissus, ut de factis & miraculis Christi certum signum referret, quô de morbo suo Tiberius curaretur, ab ipsa Martha, licet invita, quorundam subjectione abstraxerat. In cujus direptione Martha contristata vultum hospitis sui secuta traditur Romam venisse & Tiberium in primo Veronicæ picturæ conspectu curasse. Unde etiam ex tunc longo ante Apostolorum adventum tempore, Christi fides usque adeò Romanis innotuit, quod Tiberius de mansuetissima ove sævissimus lupus effectus perhibetur desæviens in senatum eo quod, ipso volente, suscipere Christi agnitionem dedignaretur, sicut *in libro de transitu B. Virginis & gestis discipulorum* profusius tractavi. Est ergò *Veronica pictura Domini vera* (v.*) secundum carnem repræsentans effigiem à pectore superius *in basilica S. Petri juxta valvam* à parte introitus dextra recondita. Est & alia dominici vultus effigies in tabula æquè depicta, in oratorio S. Laurentii, in palatio Lateranensi, quam sanctæ memoriæ nostri temporis Papa Alexander III multiplici panno serico operuit eò, quod attentius intuentibus tremorem cum mortis periculo inferret. Unumque procul dubio compertum habeo, quod si diligenter *vultum dominicum*, quem Judæus *in palatio Lateranensi* juxta oratorium S. Laurentii vulneravit, cujus vulnus cruore tanquam recente faciem dextram operuit, attendas, non absimile Veronicæ basilicæ S. Petri cive picturæ, quæ in ipso S. Laurentii est oratorio, vultuque Lucano reperies.

XXVI.

(v.*) vera icon, ut optimè judicavit Mabillonius.

XXVI. *De virtute epistolæ Domini & beati Thomæ apostoli.*

JAm nunc ad materiam pridem cœptam redeamus. In Edissa equidem civitate ob præscientiam sanctæ imaginationis Christi nullus hæreticus vivere potest, nullus paganus, nullus idolorum cultor, nullus Judæus. Sed nec locum illum barbari possunt invadere. Si quando exercitus obvenit hostilis, stans super portam civitatis innocens puerulus epistolam legit, & sic eâdem die, quâ legitur epistola, aut pacantur barbari, aut fugiunt effœminati. In hac siquidem civitate sepultum asserunt beatum Thomam apostolum, qui à Rege Gundoforo exceptus est in ** civitate Elioforo, veniens à Cæsarea ex mandato dominico invicem ***, cumque ipsum ad fidem Christi convertisset, profectus est exinde *Thomas* ad Indiam superiorem, in qua regnabat Rex Migdeus, ubi reginâ conversâ ad fidem Christi, cum multitudine populi sui, decollatus est ac sepultus. Deinde à Cæsare Romano *Alexandro*, veniente victore de Perside, Xerxe Rege devictô, impetraverunt Edisseni, ut mitteret ad Reges Indorum, imperans, Edissenis reddi corpus apostoli: quô impetratô, translatum est corpus in civitatem Edissam, quô in locello argenteo repositum catenis argenteis suspensum dicitur. Sed & de apostolo narratur, quod sacro die paschali corpus ejus deponitur, & juxta altare majus in cathedra collocatur, sicque de manu ejus populus communionem recipit. Et est mirabile, quod nullus in mortali persistens, & impœnitens ecclesiam ingreditur, aut si se communioni improbus exactor ingerit, apostolus ad dandam communionem manum retrahit, ut publicetur rei delinquentis criminositas, aut extorqueatur impœnitentis ac præsumtuosi confessio.

XXVII. *De littore *** Palæstinæ.*

UT testatur B. Hieronymus *in vita S. Hilarionis*, littus quod Palæstinæ, Syriæ, Ægyptoque protenditur, per naturam molle ** in saxa durescentia asperatur, paulatimque cohærens sibi ** perdit tactum, cum non perdit aspectum.

XXVIII. *De virtute quorundam lapidum.*

SUnt, qui virtutem lapidum ad incantationes magicas pro fabulosis reputant, quorum incredulitatem quotidianis experimentis arguimus, nec non authenticis sanctorum patrum scripturis. Ecce enim, ut *in prima decisione* notavimus *sub titulo de inventione Musicæ* & multorum artificiorum, *Salomon docuit includi dæmones*, & cum sigillis & characteribus & exorcismis hinc adsci, inde arctari. Sed & *Merlinum* scimus in Anglia *juxta montem Ambrii* choream gigantum collocatam transtulisse à *Childardo* monte Hiberniæ, & cum incantationibus lapides ad perpetuam admirationem sub divo suspendisse, ut in prima decisione, titulo de gigantibus, memoravimus. Porrò B. audiamus Hieronymum in vita B. Hilarionis narrantem, quod propter felicem Sabinarum raptum servatum à Romulo, exinde in Romanis urbibus Conso, quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu: & sic equos partis adversæ fregisse, victoria fuit. Cum Italicus quidam perpendisset, adversarium suum annulo suo habentem maleficum, (*) qui dæmoniacis quibusdam præcantationibus & hujus præpediret equos & illius concitaret ad cursum: venit ad B. Hilarionem, & non tàm adversarium lædi, quàm se defendi obsecrans obtinuit. Aqua enim scypho fictili, quo bibere vir Dei consueverat, imposita Italicus stabulum, quod hippodromium dicunt, ab ἵππος, quod est equus, & dromos, quod est velox (Unde Herodes audiens Judæos mortem suam expectare cum gaudio, nobiliores ex eis conclusit in hippodromio) equos & aurigas suos carcerumque repagula conspersit, sicque victor effectus est. Plerosque vidimus affirmantes, quod lapides pretiosi, qui muscarum habent cælaturam, hanc habent virtutem, quod si sacrati fuerint, à loco, in quo sunt, omnem muscarum frequentiam expellunt: qui verò cælaturam habent equorum habentium alas, velocitatem equi cursoris augent aut conferunt. Quia *de lapidum consecratione* tetigimus *& cælatura;* quiddam mirandum & dignè memorandum tibi, *Princeps sacratissime*, offero. In quadam Hebræorum doctorum traditione scriptum legi, quod Deus, cum populo suo peculiare dedisset, ** ut ab omni opere servili sabbatum intactum servarent; affectione speciali illos prosequens præcepit, ut colligerent limpidissimos lapides fluviorum; inter quos, torrentum impetu politos & fluxu aquarum complanatos, multi reperiebantur pretiosi, qui

 de cur-

(*) f. maleficium. (**) dedisset præceptum.

de cursu fluminum paradisi ad fines Syriæ & ad fines Asiæ deveniunt, & à vicinitate fluviorum inde Ægyptum & Arabiam tangunt. Hos voluit filios Israël in manibus tenere vel præ oculis habere, eô consilio divinæ providentiæ, ut acciperet cogitatio mentis otium (IV*) vel laborem, ut sic minus ureret animum affectata interdicti operis corporalis æstuatio. Sicut ergò cujusvis ad cogitandum vana vel seria, cœlestia seu terrena movebatur intentio, sic post modicum tempus cælatura, divina virtute firmata, (V*) nunc in animis cogitantium variè præordinata, levibus & otiosis bestias, aves & herbas aut arbores præsentabat; gravibus & præterita Dei miracula patribus exhibita cogitantibus, apparebat Moses cum virga draconis, repræsentatio aut immolatio Isaac, aut hujusce divinæ virtutis signa. Unde lapides illi *capmau* (VI*) vulgò dicuntur, quasi caput in Deo facientes admirabili. *Manhy* siquidem Ebraicè interjectio est admirantis. Unde manna à *manhu* quasi admiratione nomen accepit. Sic: euge nunc subsannantis, ut ibi: [advertuntur statim & erubescentes,] (VII*) qui dicunt mihi euge euge; nunc congratulantis, ut ibi: euge serve bone & fidelis. Sic Osanna laudis: unde pueri clamabant: benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Hinc est, quod sacram imaginationem habentes lapides, altioris & sacratioris virtutis sunt: qui verò mentium vanitati respondebant, quotidianis utentium commodis deserviebant. Nunc de consecratione lapidum pauca loquamur. Nullus enim lapis est pretiosus, qui ad consequendam suam virtutem extrinsecam, cum herba sui nominis, aut cum sanguine avis aut bestiæ non consecretur, adjunctis *exorcismis*, quorum notitia ad nos per *Salomonem* descendit. Extrinsecam diximus; intrinsecam quippe virtutem plerique lapides habent à sui natura sibi insitam, præter id, quod extrinsecus adjurati ac consecrati efficiunt. Nempe Smaragdus, quod ex naturali sua coloris intentione visui prodest, ex natura contrahit: quod gratiam confert, ex consecratione. Sapphirus potestatem potentis, affluentiam divitis auget ex admiratione ac conservat. Sed & nonnulli inflaturas, pustulas nocivas & anthracem curant. *Heliotropia* cum herba sui nominis consecratur, & sic hominem profectò reddit invisibilem. Achates cum Achate herba facit virtutem. Quid plura? tot verba herbæ lapidesque pretiosi conferre solent remedia, quot humanitati nostræ sunt opportuna, gratiosa vel necessaria; non hæc operantibus lapidibus aut lapidum impressuris, non herbis aut herbarum alligamentis, sed hæc omnia operante summo rerum autore Deo. In verbis, herbis & lapidibus cælatura (VIII*) signum est efficaciæ, & non ad effectum. (IX*) Indita lapidi natura cum verbis consecratoriis innatam virtutem ampliat & confirmat: Oportet tamen, ut honestatem corporis & sinceritatem mentis is conferat, qui gestando lapidem, ejus virtutem probare contendit. Fugit ab indigno contrectatore dignitas lapidis, & ab obscœno consecratore efficacia consecrationis: non quod conferatur à bono majus, à malo minus, sed ubi dignus non est dator, datorum minoratur autoritas, & peccatum conferentis exauditionem tardat summi largitoris: & quamvis gratiam conferat muneris, gratiam tamen non confert cœlestis autoris, quam propter suam amisit vilitatem, indignum se exhibens administratorem sacramentalem: hinc est, quod sicut *lapides episcoporum benedictionibus cum herbis adjunctis per solennes exorcismos consecrantur*, ita cum ex turpitudine gestantis inficiuntur, *ad manum episcopi* cum sanguine columbæ liniuntur, & orationibus iteratis amissam virtutem vel intercisam recipiunt. Facit ergò columbæ sanguis in lapide, quod cinis vitulæ rufæ faciebat in populi expiatione, aut *byssopus cum salibus in ecclesiæ reconciliatione.* Si consecrationis modum quæris in lapidibus, libellum consule *de consecratione lapidum*, ubi reperies multos lapides unicà gaudere benedictione, alios per duodecim lunationes repetitas benedictiones desiderare. Nec vacat à figura, quia, cum sint septuaginta duo Dei nomina, ut tradunt Ebræi, totidemque linguarum genera, & ex totidem litteris unum nomen Domini compactum; Unicuique lapidi unum nomen circumscribendum erit, & hoc maximè in septuaginta duobus lapidibus præcipuis observatur.

XXIX. De dracone, quem boam dicunt.

A*pud Epidaurum Dalmatiæ oppidum* inventus est *à B. Hilarione* draco miræ magnitudinis ac incognitæ, quales gentili sermone *boas* vocant, ab eo, quod tàm grandes sunt, quod boves glutire solent.

XXX.

(IV*) f. negotium. (V*) f. formata. (VI*) An *Capman?* Contabrigiensis codex *Caphmay*; videntur hic intelligi gemmæ in figuras sculptæ, quas hodie *Caméos* dicimus. (VII*) legendum: Avertantur statim & erubescant, qui dicunt mihi: Euge, Euge. Alluditur ad Psalm. LXIX. 4. add. XXXIV. 25. 26. XXXIX. 25. 26. (VIII*) signatura. (IX*) & non dat effectum.

XXX. *De arenis calidis.*

LEgimus *in dialogo Severi*, quod Postumianus referebat, se, cum Alexandriam navigaret, reluctantc Austro, penè in Syrtes illatum fuisse, quod providè nautæ caventes jactis latus navis anchoris sustinuerunt. Tribus, inquit Postumianus, ferè à littore milliaribus parvum tugurium inter arenas conspicio, cujus tectum, sicut Salustius ait, quasi carina navis erat contiguum terræ, satis firmis tabulatis stratum, non quod illic vis ulla imbrium timeatur; fuisse enim illic pluviam ne fando quidem auditum est; sed quod ventorum ibi ea vis est, ut, si quando vel de mitiori cœlo aliquantulum flatus spirare cœperit, magis in illis terris, quàm in ullo mari naufragium fit. Nulla ibi germina, sata nulla proveniunt: quippe instabili loco, arentibus arenis ad omnem ventorum motum cedentibus. Verùm ubi aversa quædam à mari promontoria ventis resistunt, terra aliquantulum solidior herbam raram atque hispidam gignit, quæ ovibus est pabulum satis utile. Incolæ lacte vivunt; qui solertiores sunt, vel ita dixerim, ditiores, hordeaceo pane vescuntur. Ea ibi sola messis est, quæ celeritate proventus per naturam solis sive aëris, ventorum casus solet evadere: quippe fertur à die jacti seminis tricesimo die maturescere. Consistere autem illic non alia ratio facit, quod omni tributo liberi sunt. Extrema siquidem (*) Cerenorum ora est deserto illi contigua, quod inter Ægyptum & Africam intermina est, per quod olim Cato Cæsarem fugiens duxit exercitum. Illic prandium reperi sanè locupletissimum, dum senex apponit hordeaceum panem; fasciculum etiam herbæ intulit, cujus nomen excidit, quæ menthæ similis folus exuberans, saporem mellis præstabat. Hujus prædulci admodum suavitate delectati atque exsatiati fuimus. Eramus nos quatuor, & ipse quintus.

XXXI. *De herbis Ægypti.*

DE harum terrarum desertarum herbis aliqua subjungamus. Erat *in provincia Aquensi* & regno tuo *Princeps*, Arelatensis miles strenuus & *Dominus castri Dalfini, juncti castro Frolcalcariensi.* Hic *Isnardus* nomine, proposito melioris vitæ, nec filiis parvulis nec uxore juvencula salutatis, transfretavit, id habens propositum, ut qualis in solitudine antiquorum patrum esset convictus, ipse suæ conversionis experientia probaret. Jam per solitudinem septennis incesserat, cum in mentem venit cuidam ex originariis suis, ut quo devenerit dominus ejus, circumeundo terram perquirat. Navigavit & post multas hospitatim perquisitiones tandem solitudinem intrans reperit hominem, quem optaverat: non minus agnitus quàm agnoscebat. Salutationis verbis præmissis, & transcursô propinquorum, affinium & filiorum statu, post horam debitam mensa parata succedit, herbâ sui ministerium præbente vice panis quotidiani. Quoddam radicis genus apponitur secus pauxilluli rivuli decursum. Hospes benedictione datâ stupet, & fame invitante ad gustandum ducitur, radices oblatas tàm sapidas reperit, quod meritò omnem nostri convictus panem aut cibum dedignari poterat aut oblivisci. Comedit & satiatur. Satiatus inquit, quæ sit & cujus herbæ radix oblata? qualiterve aut quo indice præostensa? Ad hæc vir sanctus: cum propter mundi spretas delicias ad hanc in monte Libani solitudinem pervenissem, ut non tantùm mundi sed & mei immemor fierem, videns terram montuosam & apertam, incultam & omni fructu sterilem, consumto modicô pane, quem ad viaticulum meum detuleram, crescenteque corporis naturali esurie, dubius extiti, quid consultius esset, aut ardui cœptique propositi difficultatem deserere, aut, quod cœperam, arduum institutum prosequi, usque quò natura deficeret. Quid ultra? ad herbas sylvestres me transfero: corde cruditatem earum insperatam insipiditatemque abominante, jam torpescebat ardor ardui principii: cum repentè corvus advenit, ereptamque in præsenti cujusdam herbæ radicem, ad pedes meos deponit advectam. Tunc ego tacitus rem considerans, herbam ori applico, suavemque ac omni dulcedine plenam reperio. Exhinc (**) aviditati necessitatique meæ consultum agnoscens, panem omnem dedi oblivioni, eligens (***) dulcedinem radicis, quam & tu probasti, quàm omnem veterem odorem ollæ, panis nec farinæ, quas mecum duxeram. Et convivio spiritualiter factô, hospiti suo frater eremi incola valedixit, dans illi salutationis extremæ verbum, & panis sui tàm solennem quàm jugem memoriam.

(*) Cyreneorum. (**) timiditati. (***) supple: *potius.*

XXXII. *De calore solis, quò cibaria sicut igne coquuntur.*

IN prænominato *Severi dialogo* refert Postumianus: ubi primus eremum ingressus sum, duodecim fermè à Nilo milliaribus vidi ollam cum oleribus, quæ nobis in cœnam à viro Dei parabatur sine igne fervere. Tanta quippe illic vis solis est, ut quibuslibet Cocis etiam *ad gallorum pulmenta* sufficiat. Ex majore parte, qui illic inter illa secreta consistunt, [oleribus] cum alia ibi germina nulla succedant, exceptis palmarum pomis, quæ dactylos nominamus, aluntur.

XXXIII. *De olympo, qui flatum ventorum excedit.*

CUm in plerisque scripturis celsitudo montium describatur, non erit omittendum, quod olympus, mons Thraciæ, tantæ dicitur altitudinis, quod ad ejus apicem nullus ventorum flatus unquam pertingit, quod ex literarum perpetuitate & aëris nimia subtilitate convincitur, ut suprà, titulo de fonte paradisi, & quatuor fluviis memoravimus. Si enim illuc venti pervenirent, utique flatus aquosi crassiorem ibi quandoque aërem generarent. Est & in ipso Africæ Oceano mons Atlas altissimus, qui fabulosè humeris suis cælum sustentare dicitur, habens Mauritaniam Tingitanam ad sinistram, ut suprà, decisione secunda, titulo de Africa latius exposuimus. Sed & ut testatur *Postumianus in dialogo Severi*, vertex Sinai montis tantam habet celsitudinem, quod summum ejus cacumen, cœlo penè vicinum, nequaquam adiri potest. *Quotidiana* tamen *historia* memorat, *in summitate montis Sinai angelorum ministerio beatissimam virginem Catharinam esse sepultam*, ubi juge olim (v*) manat; fortassis summitatem verticis intellexerunt autores. Verumtamen in ipso cacumine verticis, ubi Deus locutus est ad Mosen, legem instituens, credimus locum esse inaccessum à tempore Mosis, ubi nubes operuit Mosen. In ejus tamen confinio, sed aliquantò inferius, virgo Catharina per manus angelicas sepulta prædicatur.

XXXIV. *De vento, quem in chirotheca conclusit sanctus.*

QUia verò ventorum ac montium fecimus mentionem, asserentes, montes plurimos omnibus ventis esse altiores, illud quoque annectimus, valles esse sic montium contiguitate conclusas, quod ad illas nunquam aura pervenit. Ecce in regno Arelatensi, *episcopatu Vasconensi castrum Dðvionis* multis colonis inhabitatum. Hoc in valle, circumquaque montibus circumsepta, positum est, in quod eò, quòd ventus nec levissimus subintraverat usque ad tempora Caroli M. sterilis semper vallis extiterat, omnique humano commodo prorsus inutilis. Verùm infœcunditatem ipsius comperiens *Archiepiscopus Arelatensis*, sanctissimus vir, miraculis præclarus, Cæsarius, mare civitati suæ subjacens adiit, & chirothecam suam vento marino repletam strinxit. Accedens itaque ad vallem, inutilem tunc habitam, in nomine Christi chirothecam, plenam vento, scopulo cuidam injecit, ventumque perpetuum jussit emittere. Sicque factum est, quod statim rupes, factô foramine, per scissuram exhaustum ventum semper eructuat, quem *pontianum* vulgus nominat, quasi à ponto illuc virtute divinâ translatum. Hic, inquam, impetuosus terminos cujusdam subterfluentis aquæ non transgreditur, omnia fœcundat, omnia salubrat, & dum prætereuntes à fronte salutat, eos altiore flatûs algore flagellat: quos vallis confinium egressos quasi prohibitus, ne datas sibi metas excedat, non approximat.

XXXV. *De virgula, quæ per obedientiam floruit.*

INsigne cujusdam abbatis mandatum quantam in novitio quodam operatum sit virtutem, Postumianus refert. Abbas pollicenti novitio perpetem ad omnia vel extrema patientiam, storacinam virgam jam pridem aridam solo figit, imperans ut tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec lignum aridum in solo arente vivesceret. Subjectus advena divinæ legis imperio aquam à Nilo per duo fermè milliaria humeris quotidiè convehebat, quò duobus annis infructuosè completo, tertio demum succedentium temporum labente curriculo, virga floruit. Ego, inquit, Postumianus ipsam ex illa virgula arbusculam, quæ hodiè intra atrium monasterii est, ramis virentibus vidi, quasi testimonium virtutis divinæ maneat. Ex his apparet, *serenissime Princeps*, quid meriti sancti habeat obedientia, quæ non minus terreno Principi debetur in his, quæ ad jura pertinent imperii, quàm spirituali patri in his, quæ ad Deum

(v*) f. juge oleum.

Deum spectant. Vult enim Deus hominem homini subesse duplici ratione, carnali Domino, quia caro est, & spirituali, quia spiritus est, & sicut spiritus carni dominatur, à quo regitur, ita spiritualia præcepta præferenda sunt carnalibus in his, quæ militant adversus animam. Non solum autem dijudicanda sunt mandata terrena, sed & ipsa spiritualis Domini distinguenda sunt præcepta. *Habet* enim *Prælatus, in quo facilè deviet, cum sit homo, & decipi possit aut irâ vel odiô, vel terrore aut amore corrumpi seu turbari.* Tunc ergò cum generalis datur ad aliquid agendum sententia, semper subjecto bono erit timenda ac tenenda: cum verò ad spiritualia descendit capitula, si manifestè injusta ex causa & animo, spernenda erit, *ut c. 1. q. 3. non semper, &c. si Deus jubet.* Si *ex animo solo* injusta, timenda, si *ex ordine* tantùm, timenda; si *ex ordine & animo* justa, sed *ex causa manifestè injusta*, temnenda erit, cum expressum fuerit contra Deum lata, *ut dist. 40. multi, ubi dicitur: Mandant aliqua matres fieri &c.* Si *ex ordine* injusta, non erit à subdito spernenda, sed usque ad sequentem synodum toleranda, ut *c. 11. q. 3. si episcopus forte. Si ex justa causa sit, an non? dubitatur,* humiliter servetur. *Si ex manifestè injusta causa, sed non de his, quæ circa fidem habent periculum*, tenenda erit. Potuit enim aliud subesse peccatum, propter quod sententia fuisset in reum jaculanda, ut ait *Gregorius.* Porrò *in summo Pontifice pro sententia est ipsa rei vitatio.* ut *dist. 23. Si verò inimicus. Hæc quidem de ecclesiastico judice in his, quæ ad Deum spectant.* Si verò Imperator mandat, & id fieri Papa vel episcopus vetat: profectò *circa terrena, cum in executione mandati imperialis non subest contemtus divinæ legis, Imperatori erit parendum:* à quo tunc demum erit recedendum, cùm aut certum est esse contra Deum, aut dubitatur, an sit fidei consonum, ut *c. 23. q. 4. quid culpatur in bello.* Si ergò mandat, quæ jura sunt Imperii, obedientiam habeo non sacrilego Principi, sed sacratissimæ legi, non Imperatori, sed imperio. Sic & Pontifici malo non obedio, sed sedi; non Prælato, sed Ecclesiæ; non Papæ, sed Petro; non homini, sed Deo, cujus legatione fungitur, *ut c. 2. q. 7. accusatio.* Audi, lector, audi, quid *beatissima Thebæorum legio* in Imperatorem egerit. Erant viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores: evangelici præcepti etiam sub armis non immemores. Reddebant quæ Dei erant, Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari persolvebant. Inquiunt ad Imperatorem Maximinianum: *Tibi militiam, Deo debemus innocentiam. A te stipendia laboris accipimus, ab illo vitæ exordium sumsimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut autorem vitæ negemus. Dextræ istæ pugnare adversus impios atque inimicos sciunt, laniare pios atque cives nesciunt. Meminimus nos pro civibus potius quàm contra cives arma sumsisse. Pugnavimus pro fide, quam, quo pacto tibi servabimus, si hanc Domino nostro non exhibemus? Juravimus in sacramenta divina, juravimus deinde in sacramenta regia. Nihil nobis* (vi*) *deseri credas necesse est, si priora prærumpimus.* Attende ergo, *sanctissime Papa, qui mandas, ne Principi paream.* Pareo libens in his, quæ Dei sunt, tibi, ut animæ custodi: parebo & Principi in his, quæ jus tangunt imperii. Servabo fidem imperio, cui juravi in Imperatore: fidem Deo servabo, cui juravi in baptismo. Utrumque Deo, quod illi debeo, solvam, si tibi in spiritualibus, & in terrenis Imperio obediero. Non veni pugnam constituere inter sacerdotium & imperium. Unica sunt in Christo, concordia sunt in christiano. Utrinque invenies consonantiam, si servaveris utrinque debitam obedientiam. Principi legionis tuam, si miles es, debes obedientiam: quantò fortius Imperatori parendum est, cui fidelitatem juràsti. Audi mirabilem obedientiæ transgressionem mirabili pœnæ cruciatu punitam. Tempore Darii Regis Persarum Manlius Torquatus Consul Romanorum filium suum virgis cæsum securi percussit, quod contra imperium Consulum cum hostibus pugnaverat, quamvis de ipsis victor extitisset. Si consul hæc punivit in filio, quæ laudanda potius erant cùm triumpho; quæ pœna dabitur feodatario, qui etiam sub Principe malo jura non defendit imperii. Quisquis es militiæ debitor, considera, quid debeas, & attende, ne factus Princeps exigas à subditis, quod ipse subditus non impenderas.

XXXVI. De vineis sine plantatore crescentibus.

Est *in Narbonensi provincia ad confinium montis Pessulani castrum Montisferrandi*, in cujus confinio Sylva succisa atque combusta, terra more novalium colitur, aratroque scissa vites producit sine plantatione. Sic igitur vinea beneficio naturæ concreta, per triennium vina facit optima; exhinc ad sterilitatem sylvestrem rediens, nisi iterato igne uratur.

(vi*) f. deferri.

XXXVII. De vado de Rodestini.

IN Britannia majore, *episcopatu Lincolinensi*, loco, qui ab indigenis *Rodestini* nominatur, est aqua profluens ad quantitatem grandis rivi, modico vado passim transmeabilis. In hoc si duos equos septennes adaquaveris, quantumcunque sint in corporis dimensione inæquales, in humectatione tibiarum & laterum invenire pariter poteris sub æqualitate altitudinis humectatos. Cumque aquam modicè vadosam transieris, occurret in ripa *mausoleum apertum*, hominis unius capax, quod ad omnem plenæ ætatis hominem in longitudine videbis convenire.

XXXVIII. De aqua, quæ potata reparat vires.

IN Britannia majore, *episcopatu Connetrense & Comitatu de Staford* ad radicem montis, cui *Mabul*, indigenæ nomen indiderunt, est aqua in modum paludis amplæ diffusa, in territorio villæ, quam *Magdaleam* dicunt. In hac palude aqua est limpidissima & sylvæ infinitæ continua, quæ tantam habet in reficiendis corporum viribus efficaciam, quod quoties venatores cervos aliasve feras insecuti fuerunt usque ad equorum lassitudinem, si in ipso æstuantis solis ardore aquam gustaverint ac equis exposuerint hauriendam, sic amissas currendi vires reparant, quod non cucurrisse dietam, sed vix attigisse jam cœptam, arbitreris. Nec absimilis est herbæ *cerifolii* aut panis calidi, ut, quibus mustela ex diutina cum serpente concertatione lassata se implicat, ut ex confricatione herbarum amissas resumat vires.

XXXIX. De puteo, de Cerseules.

IN regno nostro Arelatensi, *diœcesi Vapicensi*, est *castrum Cerseules*, in cujus castri territorio lacus altæ profunditatis excrevit. Sanè in lacus medio crusta pratum fecit, quæ per anni circulum ab hominum attactu libera, tempore herbæ tondendæ, applicitis restibus, ad terram trahitur lacui imminentem, & sic defalcata sectiones recipit. Inter plurimos cohæredes facta itaque congrua divisione, solutis funibus crusta redit in id ipsum, quo fuerat, meditullium lacus occupatura.

XL. De aquis marinis, quæ congelantur in sal.

IN regno Arelatensi, *comitatu Aquense territorioque urbis Arelatensis* aquæ nimio frigidissimorum flatuum rigore congelantur in glaciem: effectuque contrario præ nimio solis ardore sub Augusti fervore, aqua salsa congelatur & condensatur in salis coagulum. Ex hinc ergò sumi ratio potest, quare mare Oceanum circuiri non potest discursu navigantium. Hinc enim, frigore congelatum sub septentrione, fit rigidum; illinc nimio solis ardore spissatum, transeuntibus efficitur ab Euro ad Austrum & meridiem inmeabile.

XLI. De vexillis apparentibus in die S. Constantini.

IN Italia *in confinio Alpium Apenninarum*, *episcopatu Taurinensi* juxta est mons, in cujus vertice requiescit *B. Constantius unus de sanctissima legione Thebæorum*. Ad radices verò montis est *abbatia* religione præclara ab antiquo. Quotannis igitur *in die festivitatis S. Constantii*, advenientibus ad solennitatem apparent vexilla quàm plurima in cacumine montis deambulantia, nunc alba nunc rubea, quorum portitores nulli comparent: Et si quis ad apicem montis adscenderet, statim illa processionis visio disparet.

XLII. De rupe, quæ nominatur aqua villa.

SOlent adolescentiæ sectatores non minus figmenta venari quàm vera; & cum vanitas vanitatum sit & omnia vanitas: vani filii hominum, dum mentiuntur, in stateris inter matura præcoquum aliquid decerpunt, & non minus fabulis delectantur quam rebus gestis. Ecce in regno Arelatensi & *episcopatu Gratianopolitanó* juxta Diensis Diœcesis confinium est rupes altissima in territorio, quod incolæ *Treves* nominant, quam altera è vicino rupes respicit, cui nomen *aqua villa*, eò, quod sit æqualis illi, sed inaccessibilis in sua altitudine. (**) Ex opposita ergò rupe conspicientibus apparet illic fons perspicuus, qui scopulosâ scalâ delabitur: & in summo rupis apice ad modum prati, herba viret, in quo nonnunquam panni super extensi

(**) ita duo montes æquales dicti, *die Gleichen*, prope Gottingam.

extensi candidissimi visuntur ad exsiccandum expositi, sicut lotrices in usu habent. Istud unde prodeat aut quid signet, aut quô ministrante compareat, quærere facile fuit, sed invenire difficillimum.

XLIII. *De fenestris, in quibus apparent dominæ.*

IN regno quoque Arelatensi & *provincia Aquensi* tradunt esse rupem, in cujus arduitate adinstar parietis, per fenestras intercisi, à longinqua via transeuntibus dominæ duæ vel plures apparent, invicem, ut assimulant, alloquentes, ac mutuo risu applaudentes. Hæ subsistentibus à remotis videntur speciosæ, jucundæ ac deliciantes; accedentibus autem visio penitus evanescit in fabulam.

XLIV. *De natura beveris & ejus domicilio.*

QUamvis de naturis animalium tractare nobis non sit propositi, tamen interserere inusitata, plerisque incognita, tanquam miranda scribere fuit. *In deciduo Alpium Apenninarum* juxta *castrum Secusiam in Taurinensi episcopatu* est [rivus] modicum fluvium faciens, sed ex terræ pendulo & aliarum scaturiginum inmersione in latiorem amnem prorumpens. In hujus ripa ostensus est mihi *bever* animal, quoad anteriorem partem gressibile; sed ad subtiliorem medietatem in piscem desinit. Partem inferiorem semper aquæ immergit, superiorem terræ infigit, & ut naturæ suæ commoda inveniat receptacula, in ripa quasi solaria cavernosa facit, ut, cum ascendit aquâ vel descendit, paratas sibi reperiat mansiones. De hoc sanè animali *egregius versificator Bernardus Sylvester* ait:

Cisinius [***] *obrepsit, & vestitura potentis,*
Marturis, & spolio non leviore bever.

XLV. *De antipodibus & eorum terra.*

IN Britannia majore castrum est inter montana quædam situm, cui populus nomen *Bech* imposuit. Mœnium ejus difficile expugnabile, & in monte caverna foraminis, quæ velut fistula ventum pro tempore validissimè eructuat. Unde tanta prodeat aura, miratur populus; & inter plurima, quæ ibidem cum admiratione geruntur, accepi à viro religiosissimo, *Roberto Priore de Renildewlta*, exinde oriunda, quod cum vir nobilis *Guilielmus Peverelli* castrum, cum adjacente *baronia*, prætaxatum possideret, vir quidem strenuus & potens, ac in animalibus diversis copiosus: uno aliquo die subulcus ejus, cum segnis circa creditum sibi ministerium esset, suem gravidam, de genere scropharum magis generosam, perdidit. Timens ergò propter jacturam asperiosa *vicarii dominici* verba, cogitavit penes se, si quo fortassis casu sus illa foramen Bech famosum sed usque ad illa tempora inscrutatum subintrasset. Apponit in animo, ut abditi loci se faciat perscrutatorem. Intrat cavernam tempore tunc ab omni vento tranquillam, & cum diutinam in procedendo viam perfecisset, tandem ab opacis in lucidum locum obvenit, solutum in spatiosam camporum planitiem. Terram ingressus latè cultam, messores reperit fructus maturos colligentes, & inter spicas pendentes scropham, quæ multiplicaverat ex se succulos editos, recognovit. Tunc miratus subulcus, & de redintegrata jactura congratulatus, facto rerum, prout evenerat, verbo cum præposito terræ illius, scrophram recipit, & cum gaudio dimissus, ad gregem porcorum educit. Mira res, à messibus subterraneis veniens, hyemalia frigora videt in nostro hemisphærio perseverare, quod utique solis absentiæ ac vicariæ præsentiæ meritò adscribendum duxi.

XLVI. *De imagine B. Virginis.*

CUm de mirabilibus mundi tractatus nostri sit propositi, nihil inter mirabilia dignius quàm id, quod quotidianâ admiratione dignum & divinâ virtute firmatur & utilitati nostræ deservire censetur. Ecce *in Syria inferiore & provincia Damascena* sub potestate paganorum est ecclesia, quam *B. Mariæ de Sardenax* nominant. In hac est *iconia*, imaginem beatissimæ virginis repræsentans, sub cujus mamilla carnea, divino miraculo facta, *oleum vice lactis stillat*, infirmorum sanitati proficuum, quod, qualiter aut quo divino judicio

[***] *Cisimus*, ita legi & hunc versum in Codice Regio Parisino apparet ex Glossario Latino accuratissimi Du Cangii v. Cisimus. Sed male ibi *potenter* pro potentis. Nam Marturis dicitur esse vestitura potentis, seu divitis. Optimum legitur *potentum*.

dicio provenerit, à multis celeriter tàm testificatum, quàm scripturæ commendatum habemus.

XLVII. *De cruce latronis, Dominum in cruce confitentis.*

IN *insula Cypro* crux est latronis confitentis Dominum, cui Dominus ait: hodiè mecum eris in paradiso, eratque sub divo posita, eò, quod tempore inventionis sanctæ crucis, cùm *S. Helena* mater Constantini Imperatoris & *filia Liacolli* (*) *Regis Britanniæ majoris* cum thesauro pretiosissimo crucis, clavorum, & ampullæ sanguinis & aquæ, quæ fluxerant ex latere Domini pendentis in cruce, transitum fecit per Cyprum, Romam rediens, tunc terra Cypri nullum cadaver poterat retinere. Unde factum est, ut ad instantiam populi, de corruptione aëris & miranda novitate conquerentis *crucem in insula Cypro relinqueret*, cujus virtute terra cadavera mortuorum absorpta retinuit, cum ante in tempus sepulta removere consuevisset. Est autem hoc insigne crucis illius mirabile, quod, cum sit in ecclesia inclusa, nullo fixorio firmatur, verùm in aëre stans sine firmamento, osculum porrigentibus se offert, contactum manuum fugit. Si attentatur manibus, statim movetur & fugam facit, nunc ad latus declinans, nunc ad altum tendens.

XLVIII. *De aqua, quæ nunquam bullit.*

EST in Regno Arelatensi, & *castro de Puilica* aqua limpidissima, usui mortalium plurimum commoda. Hujus miranda est complexio, quod cum ad plenum carnes omnisque generis legumina decoquat, nunquam tamen bullire potest. Unde provenit, quod ignoti & transeuntes, hæc ignorantes, & aquæ bullitionem expectantes, post diutinos ignes longasque moras, carnes aut pisces Cacabo immissos reperiunt sic comminutos & excoctos, quod minus sapidi ex nimia coctione redduntur.

XLIX. *De facie Domini, impressa rupi.*

MIlliario uno à Nazareth contra meridiem ostenditur locus, qui dicitur *saltus Domini* eò, quod Judæi turbati ira, ejicientesque Jesum extra Civitatem, duxerunt eum ad supercilium montis, ut præcipitarent eum. Ille autem transiens per medium eorum ibat: descendens itaque Dominus impressit se rupi, cedensque ei rupes fecit locum quasi latibuli, in quo adhuc vestigia lineamentorum ejus impressa notantur.

L. *De statua & herba fimbriæ.*

IN historia Ecclesiastica legitur, quod quidam fecit statuam auream in honore Salvatoris, & post statuam ipsius illic Martha sanata est. Ibi quoque nascebatur herba quædam ita plerumque crescens, quod tangebat fimbriam vestimenti imaginis, eratque tantæ virtutis, quod quicunque ex ea sumebat, à languore, quo tenebatur, liberabatur. Et de hac intelligendum putant, quod dicit *Ambrosius in sermone de Salomone.* Commemorans enim beneficia Christi circa genus humanum, post aliqua præmissa, subdidit: tum languidum sanguinis fluxum siccat in Martha, inde dæmones expellit de Maria, inde Corpus redivivi Spiritus calore contingit in Lazaro. At cum dicitur in Evangelio, dum iret Jesus ad filiam Jairi Archisynagogi suscitandam, mulierem per 12. annos fluxum sanguinis passam, ad tactum fimbriæ vestimenti ejus curatam, ad Martham non referunt, sed ad aliam mulierem, cujus nomen tacetur. Sed de his latius diximus *in tractatu de vita beatæ Virginis & sociorum & eorum transitu.*

LI. *De Balsamo.*

IN Syria Regio est Idumæa pinguissima, ubi palmarum plurimum & Balsamorum nutritur: cujus inciso, lapidibus acutis, robore, stillantem lachrymam ex vulneribus colligunt, cujus bonitas sic probatur. Si ponderat opobalsamum plus duplo vel triplo quam terebinthinum, purum est: si minus aut æqualiter, sophisticatur.

LII. *De medicabilibus balneis.*

PHilippus in termino Judææ septentrionali constituit Civitatem, quam vocavit *Cæsaream Philippi,* in memoriam Tiberii Cæsaris & sui nominis; & est in Regione Phœnices, ubi ad radicem Libani oriuntur duo fontes Jor & Dan, quorum rivuli sociati sub montibus Gilböe

(*) Coëlli.

Gilböe sub urbe Cedar secus medicabilia balnea Jordanem faciunt, nomen ejus quasi ex suis nominibus componentes. Tamen Hieronymus dicit, quod civitas illa olim dicta est Dan, ubi vitulum aureum posuit Jeroboam, à qua rivus præterfluens dictus est Jordanis, quasi ex nomine fontis & civitatis cognominatus, quæ civitas nunc *Paneas* dicitur. Porro *Josephus* dicit, ultra Cæsaream centum viginti stadiis modicum locum esse, qui à rotunditate *phiala* dicitur semper plenus & nunquam regurgitans, ibi oritur Jordanis, & paulo post à terra sorbetur, ad radicem Libani iterum ebulliens: quod primus Philippus Tetrarcha deprehendit. Nam missis in phialam paleis, eas apud Paneam redditas invenit. Paneam autem vocat Josephus fontem sub Libano consimili ebulliendi genere, ** supra Seleuciam ex quodam lacu rivulum nasci, quem vocant majorem Jordanem. Sicut ex duobus rivis ad locum, qui dicitur *aureum templum Jovis*, confluentibus conficitur Jordanis: sic Nilum ex paradiso natum & absorptum, sub Athlante nasci diximus. Sanè mare Galilææ locus est, qui fit Jordane influente, & dicitur *mare*, cum sit aqua dulcis, idiomate Hebræorum, qui omnem aquarum collectionem Tharsis id est mare vocant. Dicitur autem *Galilææ*, quia præterfluit Galilæam, & quandoque mare *Tiberiadis*, quia civitas hæc famosa illi imminet. Sed & *stagnum Genesareth* ex accidenti dicitur. Quandoque enim crispantibus undis generat ex se aurum, extenditurque centum quadraginta stadiis in longitudinem, & quadraginta in latitudinem. Dicit tamen Josephus, eam sic dictam à modica regione *Genesera*, quam præterfluit, quam etiam dicit admirabilem. Nam tota diversissimi generis arbustis consita, nulli eorum suam ubertatem negat aut temperiem. Sunt illic nuces, quæ maxime frigoribus gaudent: sunt & palmæ, quas nutrit calor æstivus: sunt ficus & oleæ, quibus aura melior est destinata; ut quasi repugnantia bona contentioso terræ studio foveantur. Hanc dicit Josephus irrigari fonte, quem nominant *Capharnaum*, quem plerique venam esse Nili opinantur, quia *coracinum piscem* generat, nusquam præter Nilum repertum.

LIII. *De signis, quæ apparuerunt in morte Julii Cæsaris.*

Inter mundi miranda, vice digressionis, signa, quæ apparuerunt in morte Julii Cæsaris, advertere dignum duxi, ut habeant deliciosæ aures, quæ de tanto principe hauriant, & corda principum de miranda novitate reddantur attonita. Tracto siquidem regno per Reges septem, annis CCXL, post, Consulibus annis CCCCLXIIII, obiit Cæsar anno ætatis suæ quinquagesimo nono, corpusque ejus pro rostris combustum est, ac in urna deaurata super Juliam petram Numidii lapidis ad altitudinem viginti pedum reconditum, ut supra *decisione secunda*, *titulo de situ Romæ* diximus. Centesimo ergo die ante mortem ejus, fulmen cecidit juxta statuam ipsius in foro, & de nomine ejus superscripto C. litteram capitalem abrasit. Nocte præcedente diem obitus fenestræ thalami ejus cum tanto strepitu sunt apertæ, ut exiliens stratis, ruituram domum existimaret. Eadem die cum iret in capitolium, datæ sunt ei litteræ, indices mortis imminentis; quæ, dum referretur in capitolio stylis confossus, inventæ sunt in ejus manu nondum solutæ. Die sequenti apparuerunt tres soles in oriente, qui paulatim in unum corpus solare coacti sunt, significantes, quod dominium Lepidi, & Marci Antonii & Augusti in Monarchiam rediret: vel potius quod notitia Trini Dei & unius, toti orbi notificanda veniebat. Bos etiam in hæc verba prorupit, dicens: *in brevi magis defituros homines quam frumenta.*

LIV. *De ligno dominicæ crucis & piscina probatica.*

Tradit antiquitas, quod in ædificatione templi inventum est *lignum nulli usui commodum in ipsius templi constructione.* Aut enim brevius erat, aut longius quam requirebatur. Veniens autem regina Sabæ vidit in spiritu in domo saltus, quæ Verota dicebatur, lignum dominicæ crucis, & nunciavit Salomoni, cum jam recessit ab eo, quod in eo, moreretur quidam, pro quo occiso perirent Judæi, perderentque locum & gentem. Timens Salomon effodit illud in terra, ubi post facta est probatica piscina. Appropinquante enim tempore Christi, superenatavit quasi pronuncians Christum, & *exinde cœpit*, *ut dicunt*, *motio*, quæ fiebat angelo descendente, & qui primus languens in aquam descendebat, sanus fiebat à quacunque infirmitate, & hoc lignum afferunt esse crucem Domini. Sed hæc autorem certum non habent, quo certum sit, quô tempore motio cœperit, aut quâ temporis horâ fiebat, quoniam potius continuus languentium adventus incertitudinem horæ monstrat.

LV. De vermiculo.

IN regno Arelatensi & confinio maritimo est arbor, cujus sarcina pretium *duodecim nummorum* (a) *Wigorniensium*. Ejus fructus in flore facit pretium quinquaginta librarum. Ejus cortex ad onus vestis pretium habet quinque solidorum. *Vermiculus* hic est, *quô tinguntur pretiosissimi Regum panni*, sive serici, ut examiti, sive lanei, ut scharlata. (b) Et est mirandum, quod nulla vestis linea colorem vermiculatum recipit, sed sola vestis, quæ ex vivo, animanteque vel quovis animato decerpitur. Vermiculus autem ex arbore, ad modum ilicis & quantitatem dumi pungitiva folia habente, prodit ad pedem, nodulum faciens mollem ad formam ciceris, aquosum, & cùm exterius colorem habeat nebulæ & roris coagulati, interius rubet; & cum ungve magisterialiter decerpitur, ne, tenui ruptâ pelliculâ, humor inclusus effluat, post quam exsiccatur, & corio includitur. Cum enim tempus solstitii æstivi advenerit, ex se ipsos vermiculos generat, & nisi coriis subtiliter consutis includerentur, omnes fugerent aut in nihilum evanescerent. Hinc est, quod *vermiculus* nominatur *propter dissolutionem, quam in vermes facilè facit*, ex natura roris majalis, à quo generatur; unde & illo tantùm mense colligitur. Arbor autem vermiculum generans vulgo *Analis* nuncupatur.

LVI. De serico, unde & qualiter prodeat.

NUnc annectamus de natura bombycis, quæ non minus erit admiranda. Est enim à sui principio quasi semen sinapis minutissimum, cumque tempus advenit, panniculo inclusum coactum illud semen in sinu dominarum ac virginum tenetur: beneficio caloris vivificatum foliis mori supponitur, & super tabulam vermiculi extensi, nutrimento foliorum mori, in brevi crescunt ad grossorum vermium quantitatem. Quid plura, cum tempus operandi advenerit, globo serico, continuantes jejunium, sericum ex se conficiunt, & post pauca tempora adinstar papilionum alati, in aëris libertatem jam recipiendi, globum penetrant, quem fecerunt, & dum avolare parant, compressis masculi fœminis miscentur, qui tamdiu caudatim copulati in suæ libidinis æstu sine omni cibo vivunt, donec exspirent, & sic fœmina semen exserit cum morte. Projectis ergò parentum bustis, grana generationis colliguntur & in thecis reposita in vere eo, quô præmisimus, ordine vivificantur. *Color* autem *serici nativus croceus est*, & *cùm decoquitur*, *albissimum recipit candorem*, facile cujusvis coloris susceptibilem per adoptionem.

LVII. De dominica castri de Esperuel.

FRequens est, ut angeli satanæ in angelos lucis se transforment, & in humanis mentibus aliquid diabolicæ immissionis nutriant. Ad istorum agnitionem quoddam admiratione dignissimum subtexui, quod à viris probatissimæ ac sinceræ religionis accepi. Erat in regni Arelatensis finibus, *episcopatu Valentino*, *castrum Esperuel* nomine. Hujus castri domina in assiduam consuetudinem duxerat, inter Missarum solennia post evangelium ecclesiam egredi. Non enim poterat consecrationem dominici corporis sustinere. Cum post multos annos id compertum vir ejus, Dominus castri, habuisset, nec tantæ præsumtionis causam sedulus investigator invenisset, iu uno aliquo die solemni finitô evangelio, egrediens Domina, per virum & clientulos ejus invita ac renitens detinetur, statimque sacerdote verba consecratoria proferente, *domina* spiritu diabolico levata avolat, partemque capellæ secum in præcipitium ducens, nullatenus in partibus illis visa est. Sed & pars turris, cui capella innitebatur, adhuc superstes rerum fert testimonium. Hinc tibi, *felix Auguste*, doctrina sumenda est circa eos, *qui circa divina sacramenta devoti sunt*, & contra illos, [ob presbyteros] qui fornicantur, adeò contemnentes sacramenta per manus nostri temporis sacerdotum ministrata, *quasi ad veritatem virtutemque sacramentorum dignitas aut indignitas operetur ministrantium*. Profectò hæretici sunt hi, qui solem contemnunt transeuntem per immunda loca. Quisquis ad baptismum venit per fidem, Deo saltem decimam sui laboris offerat primitiasque cogitationis secundum illud: *primum quærite regnum Dei*, decimasque solvat suæ dietæ. Saltem dum corpus consecratur dominicum & offertur pro nobis ad dominum Deum Patrem, unicâ horâ stet cum Christo in cruce pro nobis pendente, oret cum orante, vigilet cum vigilante; dum pro ipso Christus patrocinatur ejus Advocatus, à judicis præsentia non recedat. In ecclesia nihil præter orandum meditetur, nihil loquatur, nihil vagis oculis intueatur. *Non sit solo evan-*

(a) MSC. Paris. citante du Cange in Glossar. v. Vermiculus Mergoriensium. (b) Scarlacta.

evangelio contentus, non oratione, non epistola: non negligat illud, quod sequitur, quod quæritur & quod creditur. Omnis consummationis finis quærendus est. Cùm enim Deus suos dilexisset, in fine dilexit illos. Finis, non pugna coronat. Nil credas actum, cum quid superesset agendum. Si cum xenio nuncius Domini venisti, ut offeras, quod mittitur, nunquid dictô salutationis verbo & proposita xenii dominici qualitate, ipso quod mittitur, non porrecto, ac responso gratiarum non audito, redibis prudenter, imperfecto opere? si offerre venis per orationem, quod sacerdos offert per communicationem, ut quid xenio non porrecto summo patri, refugisti? hic enim est paschalis transitus ad esum agni mysticum per Jesum ordinatus. Transit enim per medium castrorum nostrorum agnus, qui tollit peccata mundi. Transit etiam per os sacerdotis ita, quod non comminuitur ex eo. Et sicut in verbis consecratoriis à sinu Patris mittitur, ut descendat ad manus sacerdotis, ita & in communicationem redit & ascendit per os sacerdotale ad Deum Patrem nostrum, & à nobis & pro nobis factas preces in ejus conspectum oblaturus. Hinc est quod ab ipso Domino dicitur; Hoc facite in meam commemorationem: quotiescunque enim hoc feceritis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Quisquis ergò fugis non completâ hostia, ipsam, quæ mittitur pro te, hostiam tibi prodesse non posse credis; quasi venisses, ut Imperatorem visitares, visisque cursoribus ejus, recessisses? [Cursores] domini sunt & nuncii, Gregorius in introitu, quem cecinit, Paulus in epistola, ac Propheta in lectione, modulatio gradualis & Alleluja. Tuba Dominica sonat in evangelio, verùm inter secreta sacerdotis opera Christus ipse descendit, tantò districtius occurrentem te sibi dijudicans, quantò secretiùs te videt intus renes, & corda perscrutans. Ecce, quòd peccato pessimæ illius mulierculæ, de qua diximus, capella corruit, ipsaque inter manus tenentium eam evanuit, sed & ipsum castrum saniore dirutum consilio sedem mutavit & nomen. Translati enim sunt incolæ ad castrum, quod Carpei nuncupatur.

LVIII. De militibus, qui apparent.

IN *Catalonia* est rupes in aliquantam planitiem extensâ, in cujus summitate circa meridianam horam conspiciuntur milites arma gestantes, *seseque more militum hastis impellentes.* Si verò ad locum quis accesserit, nihil prorsus hujusce rei apparet.

LIX. De Wandlebiria.

IN Anglia *ad terminos episcopatus Eliensis* est castrum *Cantabrica* nomine, infra cujus limites è vicino locus est, quem *Wandlebiriam* dicunt, eò, quod illic Wandali partes Britanniæ sævâ Christianorum peremtione vastantes, castra metati sunt. Ubi verò ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallatis circumcluditur, unico adinstar portalis aditu patens ad ingressum. In hanc campi planitiem ab antiquissimis temporibus colitur fama, quæ vulgò testatur, post noctis continuum lucente lunâ, si quis miles ingrediens exclamat: miles contra militem veniat; [quod] statim ex adverso miles occurrat, qui ad congrediendum paratus, concurrentibus equis, aut resistentem dejicit aut dejicitur. Verùm ad cautelam præambulum est, quod intra aditus illius septa miles solus habet ingredi, ab exteriore conspectu sociis non arctandus. Ad hujus rei fidem, rem gestam & multis vulgò cognitam subjungo, quam ab incolis & indigenis auditui meo subjeci. Erat in Britannia majore, paucis exactis diebus miles in armis strenuissimus, omnibus virtutibus dotatus, inter Barones paucis secundus in potentia, nullique inferior in probitate. Hic aliquo die castrum memoratum ut hospes ingreditur, & cum in hyemis tempore post cœnam noctu *familia divitis* ad focum, *ut potentibus moris est, recensendis antiquorum gestis* operam daret, & aures accommodaret, tandem occurrit ab indigenis prætaxatum mirabile recensitum. Vir ergò strenuus, ut, quod auribus hauserat, rei ipsius experientia probaret, unum de nobilibus armigeris eligit, quô comite locum adiit, ad ostensum locum loricatus miles appropinquans, soni pedem ascendit, dimissôque domicellô, campum solus ingreditur. Exclamat, *miles,* ut alterum inveniat, & ad vocem ex opposito miles aut instar militis celer occurrit, peræquè, ut videbatur, armatus. Quid plura? ostensis clypeis, directis hastis equi occurrunt; equites impulsibus mutuis concutiuntur, & elusa jam alterius lancea ictuque evanescente per lubricum, Osbertus adversarium suum potenter impellit ad casum. Cadens & sine mora resurgens ut Osbertum per lora conspicit equum ex causa lucratum abducere, lanceam succutit, & dum eam modo jaculi missilis emittit, femur Osberti ictu atrocissimo transfodit. Ex adverso miles noster, aut præ gaudio victoriæ ictum vulnusque non sentiens aut dissimulans, disparente adversario, campum victor egreditur, equum lucratum annigero tradit, staturâ grandem, levitate agilem, & in apparentia pulcherrimum.

Regredienti viro nobili familiaris turba occurrit, eventum miratur, casum dejecti militis gratum habens, & strenuitatem tàm illustris Baronis commendans. Exuit Osbertus arma militaria, & cum caligas ferreas discalcearet, unam sanguine coagulato videt inpletam. Stupet familia de vulnere, sed Dominus indignatur timere. Concurrit excitus populus, & quos somnus antè presserat, excrescens admiratio ducit ad vigilandum. Testis triumphi equus freno non demisso tenetur, ad publicum conspectum expositus, oculis torvis, cervice erectâ, pilô nigrô, sella militari, totôque substernio itidem nigrô. Jam galli cantus advenerat, & equus saltibus æstuans, naribus ebulliens, pedibus terram pulsans, loris, quibus tenebatur, disruptis in nativam recipit se libertatem, fugâ factâ insecutus disparuit. Et nobilis noster id infixi vulneris perpetuum habuit nocumentum, quod singulis annis illo eodem noctis renovatæ momento, vulnus in superficie curâ superductum, recrudescebat. Unde factum est, quod post paucos annos miles illustris transfretavit, & sub multiplicata pugnandi contra paganos strenuitate vitam divino ministerio finivit.

LX. De cornu potaconis.

ACcidit aliud non minus mirandum, in Britannia majore satis divulgatum. Erat *in Comitatu Claudii Cestriæ* sylva venatoria, apris, cervis, omnique venatione secundum Angliæ conditionem copiosa. In hujus nemoroso saltu erat monticulus ad staturam hominis in apicem exsurgens, in quem milites aliique venatores ascendere consveverunt, cum æstu ac siti fatigati aliquod instantiæ suæ quærebant remedium. Verùm ex loci ac rei conditione, relictis à longè sociis solus quirivius ascendit, cumque solus quasi ad alterum loquens diceret: sitio, statim ex improviso latere propinator adstabat celebri cultu, vultu hilari, manu exposita *cornu* grande gestans, auro gemmisque ornatum, *sicut apud antiquissimos Anglos usus habet*. Vice calicis nectar, ignoti sed suavissimi saporis offerebatur, quô haustô, totus calescentis corporis æstas & lassitudo fugiebat, ut non laborasse sed laborem arripere velle quis crederetur. Sed & sumtô nectare minister mantile ad ora siccanda porrigebat, & expleto suo ministerio disparens nec mercedem pro obsequio, nec colloquium pro inquisitione expectabat. Hoc multis annositatis antiquæ curriculis apud vetustissimos celeberrimum ac quotidianum agebatur: cum uno aliquo die miles in civitate illa venator illuc accessit, & postulato potu & sumto cornu, non illud, ut consuetudinis ac urbanitatis erat, pincernæ restituit, sed ad proprium usum retinuit. Verum *Dominus & Comes illustris Claudii castri*, compertâ rei veritate morte damnavit prædonem, & cornu illud excellentissimo *Proavo tuo Regi Henrico vetustiori* donavit, ne tanti fautor mali fuisse censeretur, si domesticæ proprietatis thesauro rapinam alienam congessisset.

LXI. De Neptunis sive Portunis, qui homines illudunt.

SIcut inter homines mirabilia quædam natura producit, ita spiritus in corporibus aëreis, quæ assumunt, ex divina permissione, ludibria sui faciunt. Ecce enim Anglia dæmones quosdam habet, dæmones, inquam, nescio dixerim, an secretas & ignotæ generationis effigies, quos Galli Neptunos, Angli Portunos nominant. Istis insitum est, quod simplicitatem fortunatorum colonorum amplectuntur, & cum nocturnas propter domesticas operas agunt vigilias, subitò clausis januis, ad ignem calefiunt, & ranunculas ex sinu projectas, prunis impositas comedunt, senili vultu, facie corrugatâ, statura pusilli, dimidium pollicis non habentes. Panniculis consertis induuntur, & si quid gestandum in domo fuerit, aut onerosi operis agendum, ad operandum se jungunt, citius humanâ facilitate expediunt. Id illis insitum est, ut obsequi possint, & obesse non possint. Verum unicum quasi modulum nocendi habent. Cum enim inter ambiguas noctis tenebras Angli solitarii quandoque equitant, Portunus nonnunquam invisus, equitanti se copulat, & cum diutius comitatur euntem, tandem loris arreptis equum in lutum ad manum ducit, in quo dum infixus volutatur, Portunus exiens cachinnum facit, & sic hujuscemodi ludibrio humanam simplicitatem deridet.

LXII. De Grant.

ESt in Anglia quoddam dæmonum genus, quod suo idiomate *Grant* nominant, adinstar pulli equini anniculi, tibiis erectum, oculis scintillantibus. Istud dæmonum genus sæpissimè comparet in plateis, in ipsius diei fervore, aut circa solis occiduum. *Et quoties apparet, futurum in urbe illa vel vico portendit incendium.* Cum ergò sequente die vel nocte instat periculum, in plateis discursu facto canes provocat ad latrandum, & dum fugam simu-

ſimulat, ſequentes canes ad inſequendum ſpe vana conſequendi invitat. Hujusmodi illuſio convicaneis de ignis cuſtodia cautelam facit, & ſic officioſum dæmonum genus, dum conſpicientes terret, ſuo adventu munire ignorantes ſolet.

LXIII. De delphinis.

Quisquis marini fluctus inveſtigator extitit, aut ipſius maris explorator, audiat & conſtanter affirmet, nullam in noſtra habitatione terrena repertam cujusvis animantis effigiem, cujus ſimilitudinem non liceat in piſcibus Oceani Britannici ab umbilico ſuperius ſpeculari. Illic piſcis monachus ad medium ventrem ſquama monachali piſcem tegit. Illic Rex piſcis eſt coronatus, illic miles armatus equitat, illic canis, rictum oris aperiens, illic porcus, quem delphinum nominant, quem de genere militum eſſe vulgus autumat, Porcina inter fluctus maris transſumta, latentem effigie. Narrant enim nautæ, in mari mediterraneo, quod noſtrum dicimus, aliquo die navi pelagum ſulcante, delphinos innumeros navim circuire, cumque ex juvenili agilitate quidam ex nautis delphinum telô vulneráſſet: aliis delphinis maris fundum petentibus, de ſubito inaudita tempeſtas navim involvit. Nautis jam de vita deſperantibus, ecce quidam ad formam equitis equo ſuper mare advehitur & pro liberatione omnium vulneratorem delphini ſibi expoſtulat exponi. Inter preſſuras nautæ poſiti periclitari timent, & ſocium exponere morti crudeliſſimum putant: ſuæ quippe ſaluti conſulere cum alienæ vitæ diſpendio infame faciunt. Tandem vulnerator ipſe, dum mavult omnes unius pœnâ liberari, cum ſint innocentes, quàm propter ſuam levitatem tantum populum periculum pati, ne ex ipſius tuitione efficiantur nocentes, exponit ſe morti, quam meruit, & libens ex invita electionis voluntate aſcendit militis equum ex poſteriore dorſi parte. Abiit ſic miles, ſuper aquam firmam egrediendi ſemitam eligens, ſicut in fixo ſolo greſſus firmarentur. In longinquam in brevi transcurſu regionem adventus, in lecto pretioſi apparatus militem reperit, quem, ut delphinum, pridem vulneraverat, & dum à ductore ſuo telum vulneri infixum jubetur extrahere, mandatis parens, *vulneris auxilium dextra nociva tulit.* Eo factô, reducitur nauta celeri curſu ad navim, redditusque ſociis, rerum geſtarum ſeriem pandit, & per ipſius factum morti (*) addicti, ex contrario facto ejus liberantur. Hinc eſt, quod exinde nautæ delphinos perſequi ceſſant. *Sunt* enim *venturæ tempeſtatis indices,* & indignum eſſet eis pœnam infligere, per quos imminentis habetur periculi cautela. Sic *ciconias* aſſerunt *in remotis orbis partibus homines eſſe,* & apud nos avium ſpecie vivere, de quibus mirandum judico, quod *in hyeme fluminibus ſe immergunt,* in quorum fundo nonnunquam à piſcatoribus dormientes extrahuntur: nosque taliter è gurgite tractas vidimus ad ignem calefieri, velut à gravi ſomno expergefactas & vitæ reddi, cum antea more lapidum inſenſibilium viſerentur. Sic & hirundines quercubus infixæ concavis dormiendo hyemem tranſigunt.

LXIV. De Sirenibus maris Britannici.

Adhæc in mari Britannico *Sirenes ſcopulis inſidere videntur*, quæ caput fœmineum, capillos lucidos & proceros habent, ubera muliebria, omniaque fœmineæ formæ membra usque ad umbilicum, cætera in piſcem finiuntur. Hæ cantu dulciſſimo ſic nautarum tranſeuntium corda penetrant, quod ſuavi aurium pruritu admodum delectati officii ſui fiunt immores, & incauti naufragium perſæpè patiuntur.

LXV. De ſagacitate animalium.

Licet de quibusdam animalium naturis admirandum ſit, tamen ea miranda tantùm credimus, quæ rarum habent conſpectum, cum ipſa videntium aſſuetudo admirationem tollat, quam raritas intuentium inducebat. Ecce miranda *aſperioli* (**) ſagacitas, qui cum aquam transfretare propter ſui modicitatem non ſufficiat, fruſtulo ligni ſe ſupponit, & erectâ caudâ velum facit, quo duce à ſubveniente flatu flumen poſſit transcurrere. Sed & coturnices, cum ad hyemandum inſulas maris calidiores petunt, continuum volandi laborem mirô temperantiæ conſiliô adjuvant, dum unam adinſtar veli alam erigunt, & viciſſim permutatis alis ſibi ſubveniunt. Ad hoc in ſubalpina Gallia inter *altiſſimas rupes Condruſii* (***) hircos ſapientes & corio delicatiore præſtantes, quorum venatio ex inconſideratis

Hhh hhh 3 præci-

(*) à magiſtratu ſcilicet, quod ſocium prodidiſſent. (**) *aſcerioli* eſcureil, *id eſt ſciuri.* (***) forte Camuſii, *Gemſen* ita Germanis rupicapræ volantur, nam mox nominantur *Camuſii.* Et ita forte legendum: Condruſii ſunt hirci ſapientes (ſapidi) &c.

præcipitiis pendet. Cum enim venatorem præsentiunt, uno ad collis apicem servante custodiam; ut auditis compertisque venatorum insidiis, custos exsufflando sternutat, grex totus exilit, rupesque arduas occupat. Cum ergò venator à collibus *Camusios* elicit, unum è consortibus suis inter arcta semitarum ad latus montis constituit, ut transeuntem feram, à currendo transeundoque præpeditam, ad præcipitium inter convallium suspensa deducat. Verùm ex insita cautela camusius solicito oculo, si quam modicam lucis intercapedinem inter montem & semitæ obstructorem viderit, illuc impetum dirigit, & demissis cornibus, quemcunque obicem reperit, aut præcipitat aut cornu transfigit. Porrò apud Poloniam frequens onagrorum est venatio, quorum eadem ferè est natura quæ & asinorum. Sunt enim asini sylvestres, cornua habentes ad modum damarum, melancholicæ complexionis, dum siccitatem habent innatam, & sitibundi sunt. Cum ergò venatorum cornua intonantia præsentiunt, ad fontes properant, atque immenso haustu se satiant, ut siccitatem, ex calore currentis adauctam, sumti potus humiditate temperent. Enim verò, canibus urgentibus, paulatim gradum sistunt, & supervenientes tantâ inundatione per nates involvunt, quod excœcatos diutius à sequendo retardent, & inter oculos obductos ad fugam citatam se accingunt. De his ad literam in psalmo dicitur: Expectabunt onagri in siti sua.

LXVI. De monte Catalonia.

REm novam atque insolitam sed salubri consilio plenam aggredimur, & cautelam incautis facilè præstantem. Est *in Catalonia, Episcopatu Gerundensi* mons excelsus valdè, cui nomen *Cavagum* accolæ indiderunt. Hujus ambitus arduus & pro magna parte inaccessibilis ad ascensum; in cujus summitate lacus est aquam continens subnigram & in fundo imperscrutabilem. Illic mansio fertur esse Dæmonum ad modum palatii dilatata, & janua clausa. Facies tamen ipsius mansionis sicut ipsorum dæmonum vulgaribus est incognita ac invisibilis. In lacum siquis aliquam lapideam aut aliàs solidam projecerit materiam, statim tanquam offensis dæmonibus tempestas erumpit. Est in quadam apicis particula nix perpetua, glacies continua: crystalli illic copia & nulla unquam solis præsentia. Ad hujus montis radicem fluvius est, aureas habens arenas. Unde ex ejus arenis aurum, quod vulgus *palleol* nominat, elicitur. *In hujus montis consistentia & circuitu argentum foditur* & multiplex fertilitas erumpit. Ex opposito quoque ad septem leucas mons est *Grini* nomine, maris littori inhærens. Nunc quid in his locis nuper contigerit, lector attendat. Erat in conjuncta monti villa, *Juncbera* nomine, vir agricola, *Petrus de Cabinam* nuncupatus, hic uno aliquo die, cum domi rebus domesticis intenderet, & ejulatu filiæ parvulæ continuo & impacabili turbaretur, tandem, ut offensis mos est, filiam suam dæmonibus commendat. Commendationi incautæ paratus recep[t]tor occurrit, & invisibili raptu dæmonum turbo puellam abducit. Completo jam ab his septen[ni]o, dum ad radicem montis indigena quidam iter arriperet, videt hominem celeri cursu transeuntem, qui flebili voce plangebat. Heu me, inquit, miserum, quid agam, qui tantò pondere premor! requisitus ab alio viatore, quæ sit causa tanti doloris? respondit, se in monte *Convagum* jam septennium transegisse sub commendatione dæmonum, qui ipso quotidiè pro vehiculo utebantur. Et ut auditor rei tàm incredibili fidem adhiberet, argumentum certissimum junxit: esse in servili commendatione dæmonum in eodem monte puellam, filiam *Petri de Calbinam*, è villa *Juncbera* oriundam. De puellæ hujus educatione tædium facientes dæmones, ipsam libenter commendatori suo restituerent, si modò pater eam in monte reposceret. Stupet auditor, incertus, an sileat incredibilia, an loquatur injuncta. Eligit, ut statim patri filiæ denunciet. Villam memoratam intrans, patrem puellæ reperit de diutina filiæ amissione querulantem. Inquirit causam plangendi, &, auditâ rei fide, adjicit, se, quæ præmisimus ab illo, quo vice vehiculi utebantur dæmones, audisse: consultius dicens esse, ut ad loca designata veniens sub divini nominis attestatione ad restitutionem amissæ filiæ dæmones adjuraret. Auditis nuncii verbis pater obstupuit, & dum intrà se cogitat, quid deliberatius agat? eligit consilio nuncii fidelis se supponere. Montem ascendit, per loca lacus discurrit, dæmones, ut commendatam filiam reddant adjurat, & tandem, quasi repentino flatu, filia prodit, procera staturâ, arida, tetra, oculis vagis, ossibus & nervis & pellibus vix hærentibus, horrenda aspectu, idiomate nullo intellecta, & vix humanum aliquid sapiens aut intelligens. Receptam prolem pater admirans, & dubius, an alendam retineat, episcopum Gerundensem adit, eventum tristem pandit: quid agendum ei sit, sollicitus exquirit. Episcopus, ut vir religiosus & exemplo bono commissum sibi gregem informans, puellam in omnium exponit aspectu, reique seriem pandens, prædicando docuit subditos, ne de cætero commendent sua dæmonibus, eò, quod *adversarius noster, diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem*

quem devoret, & quosdam ut datos mactat, & sine spe reddendi incarceratos sibi peculiat: quosdam ut commendatos macerat & ad tempus affligit. Nec diu post *ille, quo dæmones pro vehiculo utebantur, consimili patris obtestatione liberatus in medium exit*, & quia, cum raptus erat, majoris perfectiorisque discretionis extiterat, fidelius ac intelligibilius, quæ apud dæmones gerebantur exposuit. Afferebat, *juxta lacum in subterraneo specu palatium esse latum*, in cujus aditu janua est, & intra januam interior quædam obscuritas, ad quam cum mutuo applausu dæmones, postquam orbis partes percurrerint, conveniunt. Verùm hanc palatii consistentiam nullus [intrat] præter ipsos & eos, qui perpetuo donationis jugo in dæmonum transierunt proprietatem: his, qui dæmonibus commendantur, exteriorem januam observantibus. Ex his informari possumus, ne familiam dæmonibus commendemus, qui cautius *insidiantur, ut rapiant pauperem, dum attrahunt eum*. Est validissimum Doctorum argumentum, quod inter montes memoratos perpetua viget ventorum, ex opposito sibi concertantium, tempestas, & rara illic reperitur aut nulla unquam tranquillitas.

LXVII. *De Lirinensi monasterio.*

EST in regno Arelatensi ad confinium episcopatus *maritima insula, maris angusto intervallo à terra communi distincta*, quam Lirinensem nominant, ubi antiquissimis temporibus polluisse legimus monachorum religionem. *In hanc maris insulam nullus unquam vermis ingreditur*, quod nescio an religioni tantorum sanctorum patrum debeatur, an ipsius soli complexioni attribuatur.

LXVIII. *De astutia vulpis.*

DUm naturalem vulpeculæ astutiam audimus, nihil aliud agimus, nisi quod vitam nostram ad prudentiam augendam informamus. Ecce, quod vulpes, ut se sentit pulicum pungentium amarà lue gravari, aquam accedit, & retrogrado incessu caudæ summitatem aquæ immergit. Pulices ergò, ut humorem sentiunt, ficciorem partem corporis fugiendo occupant; sicque dum corpus à natibus aquæ paulatim infigit, pulices ad ultimam rictus partem ascendere compelluntur. Cum ad labia deducta fuerit infelix turba, ut os totum humectat, stupæ vel alicui molliori materiæ, quam pauló antè vulpes collectam in ore posuerat, pulices insiliunt, & cum sentit astutum animal, ipsos triste mutasse asylum, stupam ore projicit, & sic aquâ exit, & peste nocivâ liberatur.

LXIX. *De Laichibrai.* (*)

EST in Britannia majore sylva multiplici venationis genere copiosa, quæ Carleolensem respicit civitatem. In hujus quasi medio vallis est montibus circumsepta juxta stratam publicam. In hac, inquam, valle quotidiè ad horam unam diei auditur classicum campanarum dulce resonans. Unde indigenæ loco illi deserto nomen imposuerunt in idiomate (**) Gallico (***) Laikibraine.

LXX. *De cornu sancti Simeonis.*

ACcedit miro mirabilius in eadem sylva. Erat in ejusdem sylvæ continentia villa *Pendred* nomine, ex qua miles oriundus, cum in nemore semotus ab hominum strepitu venaretur, subitâ tonitrui fulgoris coruscantis tempestate turbatur. Cum hinc fulmina in sylvam succederent, conspicit in conspectu tempestatis caniculam grandem pertransire, ex cujus faucibus fulminabat ignis. Territo tali ac tàm stupendâ visione militi ex insperato occurrit miles, cornu venatorium bajulans. Occurrenti miles tremore plenus occurrit, & dum, quæ sit causa timoris, aperitur, *heus*, inquit, superveniens consolator, *pelle timorem. Ego sum sanctus Simeon, quem inter fulgura supplex invocasti. Hoc tibi dono cornu ad perpetuam tui familiæque tuæ munitionem, ut quotiescunque fulmina timueris aut tonitrua, cornu intonetis, statimque omnis imminentis periculi formido evanescat, nec ulla sit fulminandi potestas intra terminos cornualis exauditionis.* Adhuc inquirit sanctus Simeon, si quid mirum viderit, quod stuporem ei induxerit aut admirationem? Respondet interrogatus: se caniculam vidisse ex oris rictibus fulminantem; quàm cum insequeretur sanctus Simeon, evanuit, cornu ad rei memoriam & perpetuam familiæ tuitionem apud militem derelictô, quod à multis visum

(*) in codice Cantabrigiensi est: *Lay Kibrait.* (**) id est, Wallico. (***) in Cod. Cantabr. Lay qui brait (brame.)

ſum eſt & admiratum. Eſt enim procerum, & more cornu venatorii recurvum, quaſi de cornibus bubulis ſit confectum. Porrò canicula, de qua meminimus, in ejusdem villæ confinio domum ſacerdotis ingreſſa, per oppoſita ſibi oſtia tranſitum faciens, domum cum minùs legitimè genita familia ſuccendit.

LXXI. *De feris ſylva de Carluil.*

SUccedit in eadem *ſylva Carleoli* miranda novitas, quinimò admiranda vetuſtas. Cum enim ſylva ſit cervorum infinità multitudine copioſa, frequenter evenit, quod ubi paulò antè innumera ferarum viſa fuit multitudo, poſt horas paucas, ſi tota fuerit perluſtrata, unicam fermè non reddet, cum nec deperditæ multitudinis regreſſus cognoſci poſſit aut egreſſus.

LXXII. *De ſerpentibus.*

SEleucià Babyloniam pergentibus ſubjacet regio in Sidonia, in qua *ſerpentes* naſcuntur immenſi atque horrendi, *habentes bina capita*, quorum oculi lucent velut lucerna. Naſcuntur & *onagri cornuti* & formà maximi. Huic confinis *Arabia* jungitur inculta propter ſerpentes, *ceraſtes* nuncupatos, cornua arietina habentes, quibus homines vulnerant & perimunt. Illic multitudo *piperis* naſcitur, *quod ibidem ſerpentes cuſtodiunt*, verùm homines cum maturum piper comperiunt, ligna incendunt & ſic ſerpentes igne fugant, & ita mutato colore nativo piper nigrum fit ab incendio.

LXXIII. *De equinocephalis.*

SEleuciæ à parte dextra euntibus ad mare rubrum ſunt *vicinales diviſiones*, ibi naſcuntur *equinocephali*, jubas equorum habentes, validiſſimi, immenſis dentibus flammam ſpirantes. *Vicinali diviſione* cohæret civitas hominibus plena: à dextra parte deſcenditur ad Ægyptum, hinc ad inſulam, in qua naſcuntur *nutrientes barbam usque ad genua*, qui nuncupantur *hydrophagi*, quia piſces crudos comedunt. Eſt in eadem inſula *Gargarus* fluvius, trans quem naſcuntur *formicæ Myrmidones* magnitudine catulorum, habentes pedes ſenos, & centrias, id eſt, medias partes quaſi locuſtæ marinæ: dentes canum habent, colore nigræ aurumque cuſtodiunt, quod proferunt de ſubterraneis ad lucem. Cum verò hominem aut animal quodlibet attigerint, ad oſſa devorant, ſuntque velociſſimæ, ut magis volare quàm gradi cenſeantur. Hæ, ſole oriente, *usque ad horam quintam* ſub terra aurum fodiunt & exinde in lucem producunt, quod ab artificibus ingenioſè extrahitur. Ducunt enim camelos quàm plures & camelas cum pullis ſuis, & cum ad ripam tranſeundi fluminis pervenerint, ad riparios ceſpites pullos alligant. Tranſito itaque flumine cum utriusque ſexus camelis, camelabus aurum imponunt, quæ onuſtæ & amore pullorum allectæ, curſu feſtino transvadant. Comperientes ergò homines inſequentium agmina formicarum, relictis ad fluvium & ad devorandum expoſitis camelis maſculis, celeri tranſitu flumen peragrant. Sanè formicæ prædonum capturà fraudatæ, objectorum camelorum devoratione retardantur, & fluvio contradicente præpeditæ faciunt quod poſſunt, dum devorant camelos, quos inveniunt. Sic fit, ut *aurum* illud *Obryzum* ad nos usque perveniat. Inter has autem vias colonia eſt ex irrigatione Nili fertilis facta. Nilus enim implet *Briſonem* Ægyptium fluvium, (IV*) cujus beneficio terra inundata ad fertilitatem revocatur. In his Briſonis fluvii confiniis elephantes naſcuntur affluenter, *homines* quoque *longa femora ad menſuram duodecim* ** *habentes:* reliquum corpus itidem duodecim pedum longitudine terminatur. Horum brachia candida usque ad humeros, ſuræ nigræ, pedes rubri, caput rotundum, naſus procerus. Hi homines certis temporibus in *ciconias* transformantur, & apud nos quotannis fœtum faciunt.

LXXIV. *De beſtiis Briſonis.*

IN eisdem *Briſonis* fluvii partibus naſcuntur beſtiæ celeres, adinſtar equorum. Pedes leonum habent, colla equina longitudinem pedum tricenorum, vaſtitatem pedum duodecim, orificio amplo. Si quis haſce beſtias perſequi voluerit, ſanguinem ſuum à quolibet ſeſeque adimens (V*) fugit, & ab eis omninò non nocetur, & hippophagi appellantur.

LXXV.

(IV*) Nilus in Geneſi Gihon, ſed Piſon Ganges habetur à plerisque. (V*) f. fugit.

LXXV. *De hominibus sine capite.*

EST etiam alia insula in Brisone fluvio, ubi nascuntur homines sine capite, habentes oculos & os in pectore. Longitudo eorum pedum duodecim, latitudo & vastitas pedum septem. Corporis color auro similis. Ibi quoque nascuntur dracones immensi, quorum longitudo centum pedum & quinquaginta, latitudo & crassities ad quantitatem maximarum columnarum.

LXXVI. *De mulieribus barbatis.*

A Parte dextra euntibus ad mare rubrum civitates duæ sunt *Phœnix* & *Joracia*, ubi mansio est plurimùm hominum locupletum, à quibus ad Indiam & Arabiam directiones fiunt. Hi tenent rubri maris imperium. Illic nascuntur *margaritæ maximæ & optimæ formæ*. Circa eadem loca sunt mulieres horrendè barbatæ usque ad mamillas. Caput habent planum, pellibus vestiuntur, venatrices sunt. Pro canibus bestias nutriunt ad venandum, ad instar & quantitatem leopardorum.

LXXVII. *De fœminis, quæ habent dentes caprinos.*

SUnt & vicini montes, in quibus nascuntur mulieres, quæ dentes habent caprinos, capillos usque ad talos & *in lumbis caudas bovinas*. Altæ sunt pedibus septem, corpus pilosum ut camelus. In hoc sanè confinio colonia optimè fertilis est, in qua manebat *Darius* rex Persarum, ubi plurimâ ubertate amœnitateque fruebatur. In illa quoque civitate Reges plurimi sunt ad Oceanum, quorum nomina vel numerum ignoramus. Veruntamen hæc testantur, quod ab inde redeuntes conspeximus plurimis ac pretiosis donariis remuneratos.

LXXVIII. *De Æthiopia & palatiis duobus.*

ULtra terminos memoratos sunt flumina, ex quibus *lapides pretiosi* eliciuntur, ubi *gemmæ* fiunt naturales. Gens autem illa Æthiopum nomine censetur. Juxta hos quoque Oceani fines nascuntur Soraci, qui apud alios *Tritonides* quasi *divini* appellantur, *à quibus de omni interrogatione responsum accipitur.* Sunt & circa eadem loca *palatia* duo, unum *solis*, alterum *lunæ*. Illud solis, die mediocriter calet & nocte fervet. Illic nascuntur *homines habentes sedecim pedes in longitudinem, septem verò in latitudinem*, caput magnum, auriculas quasi alas, corpus candidum, & cum homines viderint, auriculas protendunt ita, ut eos volare credas. In his terminis *colonia* est *solis* ad modum insulæ, in longitudine habens stadia ducenta & in latitudine totidem. Colonia ergò solis muro cincta *Heliopolis* nuncupatur, instructura ærea ac ferrea, opere alternato. Illic arbores sunt *lauro & olivæ* consimiles, ex quibus *thus & opobalsamum* distillando nascuntur. Dicitur autem balsamus, arbor; balsamum, destillans humor; carpobalsamum, fructus; silobalsamum, lignum, quod inciditur; opobalsamum liquor, quem in foramine concavitatis pendere cernimus, sic dictus ab *ope*, quod est concavitas. Unde oppida dicuntur à concavitate vallorum, quæ de opere, id est terra fiunt. Sanè *Dioscorides* dicit, *balsamum* fruticem esse ad quantitatem tantum duorum cubitorum, *crescentem circa Babyloniam in campo, ubi sunt septem fontes.* Si autem ad alium locum transfertur, nec florem nec fructum facit. In æstate rami ejus exciduntur aliquantulum, sicque gutta exit, & in suppositum vas vitreum stillat ad quadraginta libras. In eodem loco duæ sunt ædes satis consimiles quadratæ, ex auro & cinnamomo constructæ. Longitudo unius ædis & latitudo pedum trecentorum sexaginta quinque, parietes novem. In hac est (VII*) arula ex margaritis & cylindris instructa, latitudine pedum septuaginta. Ibidem lectulus solis ex auro obryzo confectus & ebore, lapidibus pretiosissimis interjectis, cujus fulgor radiat ad palatii interioris consistentiam. Est in eadem æde vinea aurea, cujus vitis ex auro facta & confixa, & ejus vitis pavimentum ex lapidibus pretiosissimis & cylindris. In vitibus aureis pendent racemi ex margaritis & unionibus. Ædi contigua domus est sacerdotis ex auro strata. Sacerdos verò thure vestitur (*) & ex opobalsamo vivit, (**) sub vitibus in pavimento dormit, extraneo nulli aditum pandit, nisi qui apud Heliopolin commorabitur.

(VII*) f. Areola. (*) f. *vescitur*. (**) f. bibit.

LXXIX. De Phœnice.

AD confinium Heliopolis mons est Atlas, inascensibilis propter sui celsitudinem, in quo avis est caput habens aquilæ, pennas maximas similes. (*) In hoc quoque monte avis est Phœnix, amplam habens vittam, in capite cristam similem orbiculari caudæ pavonis. *In hac ave deliciæ solis esse referuntur.* Innumeris vivit annis, & solâ, ut tradunt, divinitate processit; ideoque amomo & thure vivens, nido insidet ex margaritis ac unionibus constructo. Ex se nidoque combusto renascitur; unde semper vivere prædicatur, secundum illud Ovidii:

Una est, quæ reparat seseque reseminat ales,
Assyrii Phœnica vocant, non fruge, nec herbis,
Sed thuris lacrymis & succo vivit amomi.

LXXX. De flammis solis Orientis.

SUnt ad montis hujus confinium alii montes, quos *Olympum* & Smaragdon vulgò nominant. Hi, sole oriente, flammas emittunt usque in horam quintam. Circa montes hos mare ferunt, quod coloniam Heliopolis tangit. Illud non dixerim transire, sed nec respicere humanus oculus aliquamdiu potest. Porrò in colonia Heliopolis homines sunt religiosi & deorum cultores in gente sua. Nec procul ab illis homines sunt deos spernentes, Ægyptii quidem. In eorum quoque confinio sunt *homines caprarum cornua & pedes habentes*, quos alii Gorgones alii Gaulales nominant.

LXXXI. De hominibus, qui pedes habent octenos & totidem oculos.

SI quis dimensionem terrarum perscrutari paraverit, attendat, non omnia nos corporali visione probasse, quæ scripsimus, quinimò quædam ex alienis libris transsumta, quædam ex virorum proborum relatione congessimus, nihil mendacium linguis aut mimorum fallaciis contribuentes. Ut ergò præmisimus, *à finibus Antiochiæ, cui Durius fluvius subjacet*, deserta, sanctis hominibus copiosè repleta, spatiosa patent, à quibus usque ad *Olivam insulam* & usque *ad finem Euphratis* mansiones pleræque sunt. Hæc insula multitudinem habet ovium, & exinde colonia magna & negotiatoribus exposita. Illic de velleribus ovium ac caprarum tunicæ byssique fiunt. Hinc transeuntibus ad meridiem *civitas Ocynti* opulentissima quam (**) *Artimediam* dicunt. Illic terra fertilis & in fructibus opulenta. Porrò *à Babylonia usque Mesopotamiam stadia sunt sexaginta*, lacus piscosi, & hinc usque damascum mansiones pleræque. A finistra verò euntibus civitates occurrunt duodecim, *Valatha*, *Melemno*, *Cleopatra*, *Termasia*, *Marmino*, *Maragdon*, *Casia*, *Possidonia*, *Nidia*, *Amdan*, *Eleudiana*, *Flavus*. Ex hinc ad *castellum Philoniæ* transitus est, ubi gallinæ sunt, quales apud nos, colore similes, sed qui eas prandere voluerit, corpus suum comburet. Sunt & illic *homines quasi simii*, qui, ut sonum audierint, fugiunt, pedes habent octenos, totidemque oculos, cornua bina; quos qui perimere voluerit, diligenter se muniat armaturis.

LXXXII. De pratis, quæ moventur ad tactum pedum, & montibus Walensibus.

LIcet terra solidum habeat fundamentum, sæpè tamen evenit, quod aquis superfertur; unde mobilitatem quandam trahit. Ecce in regno Arelatensi, provincia Aquense est castrum *podii Michaëlis*, & ad Castri confinium pratum occurrit, quod statim, ut primo attentatur ingressu, totum ab extremis limitibus exsurgit & contremiscit. Unde hanc indigenæ cautelam contraxerunt, quod quoties prædonum sentiunt insultum, omnia animalia prato illi imponunt, & cum superveniunt hostes, & ad extrahendam prædam accinguntur, statim terræ motatione fugiunt territi. Sed & quod plurimum mirandum est, in terra *Walensium* intra terminos Britanniæ majoris, montes excelsi fundamenta sua in saxis durissimis statuerunt, & in cacumine tantâ aquositate terra crustatur, quod, ubi vix pedem fixeris, terram ad jactum lapidis moveri senties. Unde supervenientibus hostibus, *Walenses* terram illam glutinosam *suâ transilientes agilitate*, impetus hostiles aut eludunt, aut cum damno hostium constanter expectant.

LXXXIII.

(*) In MSC. Cantabrig. videbatur legi hippæ vel luppæ. (**) An *Artemita* civitas 500. stadiis à Seleuciâ distans, ad orientem?

LXXXIII. *De angelis percutientibus.*

IN Hispania ex antiquissima consuetudine obtinuit, quod septenis annis solent *angeli percutientes* terræ illius habitatores invadere. Unde nuper contigit, quod quidam *de regno illustris Regis Arragonensis*, vir nobilis *Petrus*, Latro nominatus ex cognomine, miles equidem strenuus & potens, cùm cum commilitonibus suis in aula jaceret, singulis stratis suos dormientes capientibus, circa secundas noctis vigilias, aliis somno datis, ipse solus oculis clausis vigilabat. Inter hæc noctis continua duo Mauri domum tàm cito gressu subintrant accenso lumine, ut potentibus mos est in cameris inter somnos perpetuum lumen habere. Mauri inter se referunt, quolibet spiculum suum tenente: *Heus*, inquit, *quare dormientes non percutis?* at ille statim vibrato jaculo missibili unum ex militibus sub pectore percutit, & cum, ut alterum percutiat, invitatur à socio, respondit, se in illum nullam nocendi habere potestatem eò, quod die illo fœniculum tetigerit. Hoc audiens vir nobilis & oculis apertis illos intuens; sub immoderato timore noctis silentia transegit; cumque ad auroram percussus è gravi somno excitaretur, planctu ingenti vulneris inflicti dolorem in latere testificatur, cumque nihil præter livorem in loco illo invenisset, & à *Petro Latrone* causam doloris audisset, advocatô sacerdote, post confessionem accepto viaticô infra paucos dies positus est ad patres suos. Ex his apud Hispanos & Catalanos inolevit, quod quotidiè fœniculum in (**) manu tangunt & tres nodulos fœniculi equis suis ad frenum aut capistrum alligant, ne cujusvis malevoli festinatione moriantur. Nec miretur lector, si verborum tantam vim esse dicimus, ut fascinari linguâ malorum possint subjectæ bestiæ, cum ad januam nobis sit in civitate nostra Arelatensi, *Princeps sacratissime*, *civis de Buniano*, cujus commendatio tàm infectiva est, quod *si quis equum aut aliud animal domesticum laudaverit*, *statim aut mortem aut mortis periculum incurrit*. Cui consentit Poëta, cum dixit: *Nescio, quis teneros verbis mihi fascinat agnos.* Sed & in civitate Arelatensi cum ante non multos annos bonæ memoriæ illustris *Rex Arragonensis Ildefonsus* præsens esset, multâ copiâ militum stipatus; & ut moris est Hispanis & provincialibus, milites in equis phaleratis arma gestarent, dum in medio stadii cursorii quidam miles velocitate pennigera transiret, adstans alius miles nobilis gyrans faciem, adcurrentem ad verba subito dicta equum depulsum tantâ celeritate corruere fecit, quod nec à casu resurgere, nec aliquem membrorum motum liberum habere potuit. Respiciens ergò ascensor equi militem, quem vulgus hujusce fascinationis sciebat artificem, coram positis nobilibus & dominabus [rogavit,] ne in hoc articulo suas ulciscerentur injurias, de contractis pridem inimicitiis. Pietate motus nobilis, cui satis erat publicæ vindictæ habuisse testimonium, in alteram partem toto gyratô corpore, ad contraria verba eàdem felicitate equum restituit, quâ dejecerat, sicque equus prohibitô dolore totus in sudorem solutus, beneficio malefici dietam suam currendo victoriosè perfecit.

LXXXIV. *De accipitre Regis Scotorum.*

CUm hæc & his similia *tuæ celsitudini*, *Princeps Serenissime*, memoramus, nihil aliud agimus, nisi quod tuæ sollicitudinis seria, otiorum parenthesi, tempora temperamus, quæ licet vanitati litigiosæ possint adscribi, sustinenda tamen sunt ex eo, quod non modicam ad multa præstare possunt doctrinam aut cautelam. Vidimus equidem illustrem sanctæ memoriæ *Regem Scotorum Guilielmum*, *quem avus tuus excellentissimus rex Anglorum Henricus vetustus rebellem vicit & captum diu tenuit*, iterumque debitæ suæ ditioni subjecit, quendam secum habuisse accipitrem, qui solo verborum laqueo grues aliasve quaslibet aëreas aves capiebat, ad pronunciationem verborum suorum prostratas.

LXXXV. *De lamiis & dracis & phantasiis.*

ACcedit circa mundi hujus mirabilia quæstio de lamiis & dracis, ex quibus *lamiæ* dicuntur esse *mulieres*, *quæ noctu domos momentaneo discursu penetrant dolia vel & cophinos*, *cantharos & ollas perscrutantur*, *infantes ex cunis extrahunt*, *luminaria accendunt & nonnunquam dormientes affligunt*. Sed & *dracos* vulgò asserunt formam hominis assumere, primosque in forum publicum adventare sine cujusvis agitatione. Hos perhibent in cavernis fluviorum mansionem habere, & nunc in specie annulorum aureorum supernatantium aut scyphorum, mulieres allicere ac pueros in ripis fluminum balneantes. Nam dum visa cupiunt consequi, subitô raptu coguntur ad intima delabi, nec plus hoc contingere dicunt

(**) In Cantabr. manè

quàm fœminis lactantibus, quas draci rapiunt, ut prolem suam infelicem nutriant, & nonnunquam post exactum septennium remuneratæ ad hoc nostrum redeunt hemisphærium; quæ etiam narrant, se in amplis palatiis cum dracis & eorum uxoribus in cavernis & ripis fluminum habitasse. Vidimus equidem hujuscemodi fœminam raptam, dum in ripa fluminis Rhodani panniculos ablueret, scypho ligneo superenatante, quem dum ad comprehendendum sequeretur, ad altiora progressa à draco introfertur, nutrixque facta filii sui sub aqua, illæsa rediit, à viro & amicis vix agnita post septennium. Narrabat æquè miranda, quod *hominibus raptis draci vescebantur, & se in humanas species transformabant*, cumque uno aliquo die pastillum anguillarem pro parte dracus nutrici dedisset, ipsa digitos pastilli adipe linitos ad oculum unum & unam faciem casu ducens, meruit limpidissimum sub aqua ac subtilissimum habere intuitum. Completò ergò suæ vicis anno tertiò, cum ad propria rediisset, in foro (*) Pellicadii summò manè dracum obvium habuit, quem agnitum salutavit, de statu dominæ ac alumni sui quæstionem faciens. Ad hæc dracus, heus, inquit, quonam oculo mei cepisti agnitionem? at illa oculum visionis indicat, quem adipe pastilli pridem perunxerat, quo comperto dracus digitum oculo infixit, sicque de cætero non visus aut cognoscibilis divertit. Sed & in Rhodani ripa sub continentia domus militiæ ad portam borealem civitatis Arelatensis quædam fluminis abyssus est, sicut *sub rupe castri Tarascensis*, ubi tempore beatæ Marthæ Christi hospitæ, Lazari ac Magdalenæ sororis, *tarascus* serpens de genere pessimi illius leviathan oceanalis anguis occultabatur, ut homines per Rhodanum sibi incorporaret. In his ergò locis profundissimis affirmant, dracos sæpissimè de nocte lucida, in specie humana videri. Unde paucis annis exactis post continuum triduum publicè audiebatur in loco extra portam civitatis, quam prædiximus, quasi specie hominis per ripam discurrente: *Hora præteriit, & homo non venit.* Die igitur tertià circa horam nonam, cum acrius hominis illa species vocem memoratam exaggeraret, festino cursu juvenis quidam ad ripam veniens totus imbibitur, & ita vox illa de cætero audita non fuit.

LXXXVI. De lamiis & nocturnis larvis.

LAmias, quas vulgò *mascas* aut in Gallica lingua *strias* nominant, physici dicunt, nocturnas esse imaginationes, quæ ex grossitie humorum animas dormientium turbant, & pondus faciunt. Verùm Augustinus, ipsas, ex dictis autorum, ponit dæmones esse, qui ex animabus malè meritis corpora aërea impleant. Dicuntur autem lamiæ vel potius *laniæ* à laniando, quia laniant infantes. *Larvæ* verò quasi *larium exemplaria phantastica*, quæ imagines & figuras hominum repræsentant, cum non sint homines, sed divina quadam & secretà permissione hominum illusiones. *Sicut* enim *circa corpus, ita circa animum vel animam hominum dæmones nihil nisi ex divina possunt permissione operari.* Ut autem moribus ac auribus hominum satisfaciamus, constituamus, hoc esse fœminarum ac virorum quorundam infortunia, quod de nocte celerrimo volatu regiones transcurrunt, domos intrant, dormientes opprimunt, ingerunt somnia gravia, quibus planctus excitant. Sed & comedere videntur & lucernas accendere, ossa hominum dissolvere, quin nonnunquam dissoluta cum ordinis turbatione compaginare, sanguinem humanum bibere, & infantes de loco ad locum mutare. Audivimus quippe à viro nobili & per omnia christianissimo, domino *Humberto*, *Arelatensi Archiepiscopo*, *affini nostro*, sanctæ probatæque fidei Præsule & vitæ perfectioris, quod cum lactens esset multàque parentum diligentià custoditus, ex christianissima matre editus, nocte unà in cunis positus & fasciatus ante lectum parentum circa mediæ noctis * crepundias flere auditur, subità expergefactione excitata mater ad cunas manus apponit, nec invenit infantem, quem apprehendat. Tacitè rem considerans & loqui timet, & silentia diutina non sustinet. Accensà candelà, dum infantem per devia quæsitat, ipsum in volutabro aquæ, quæ de ablutione pedum serotina effusa fuerat, reperit volutantem sine ploratu, fasciatum, & ad lumen matri parumper arridentem. Quid ultra? nutrici & marito rem ad oculum monstrat, & hoc ab alio, quàm à nocturnis phantasmatibus actum nemo cogitabat: nam & ubi hujusmodi phantasmatum solet esse discursus, à multis compertum habetur, infantes in manè, januis clausis extra domos & cunabula in plateis esse repertos. Sed & dolia vinò plena in ipso cellario nostro vidimus nonnunquam, *extractà clepsydrà*, vinum nullum effundere, nulloque conatu aliud præter aërem in ipsis inveniri, verùm post horam ita reperiebantur oppleta, quod nihil deerat ad perfectionem. Si quæris: quid sibi velint hæc audita sæpissimè ac miranda? respondeo, quod

(*) In MSC. Cantabr. est *Belliquadri*, hoc est Beaucaire.

quod ait beatissimus omnium quæstionum investigator *Augustinus, id totum divini judicii secretis attribuendum,* qui facit angelos suos spiritus, ministros suos ut flammam ignis. Sicut enim bonos angelos aëreis corporibus induit ad ministerium suum familiarius exercendum, ita & dæmones corporum formis phantasticis & larvatis, quasi larium, hoc est, domorum familiaritatem in figura tenentibus, indui sustinet, ut, quod mandatis in bonis operatur ad bonum; hoc ejus patientiâ mali operentur ad nostræ infirmitatis illusionem ac pœnam. Si quæris, cujus najus naturæ sint ista phantasmata? respondeo, quod *Apulejus Platonicus* ait, *inter philosophos summus.* Breviter enim definiens inquit, *dæmones esse genere animalia, animô passiva, mente rationabilia, corpore aërea, tempore æterna.* Porrò, ut ait *Augustinus*, quod genere sunt animalia, non est magnum, nam & hoc pecora sunt. Quod mente sunt rationabilia, non est supra nos, nam & nos id sumus. Quod ipsa tempore æterna, quid boni est, cum non sint beata? quippe melior est temporalis felicitas quàm misera æternitas. Quod animo sunt passiva, hoc nostræ miseriæ signum nobiscum commune habent. Quod corpore aërea, quanti æstimandum est, cum omni corpori præferatur anima qualiscunque naturæ, & ideò *religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debetur ei rei, quæ inferior est animô.* Sanè de moribus dæmonum loquens idem *Platonicus* dixit, eos *eisdem, quibus homines animi perturbationibus agitari,* irritari injuriis, obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diversis sacrorum ritibus oblectari, & in eo, si quid neglectum fuerit, commoveri. Inter cetera etiam dicit, ad eos pertinere divinationes augurum, aruspicum, vatum atque somniorum. Ab his quoque esse miracula magorum, mediosque in aëre inter Deum & homines esse constitutos, ut vota hominum longâ distantiâ locorum suspensa, Deo repræsentent. Enim verò elegantissimè concludit *Augustinus:* frustrà Apulejus & quicunque ita sentiunt, hos dæmonibus detulerunt honores, sic eos medios inter cœlum æthereum terramque constituentes, ut, quia *nullus deus miscetur homini, ut Platonem dixisse perhibent,* isti ad deos preces proferant, hominum, dum sacrificia recipiunt: & itidem ad homines referant impetrata, quæ poscunt. Indignum enim putaverunt, qui hoc tradiderunt, miscere homines Diis & Deos hominibus: dignum autem, misceri Dæmones Diis & hominibus; hinc petita quæ allegent, inde concessa quæ appetant. Etenim urgens & arctissima causa cogit dæmones medios inter Deos & homines agere, ut ab hominibus deferant desiderata & à diis deferant impetrata. Præclara igitur sanctitas Dei, quæ non miscetur homini supplicanti, & miscetur dæmoni arroganti; non miscetur homini confugienti ad divinitatem, & miscetur Dæmoni fugienti divinitatem; non miscetur homini petenti veniam, & miscetur dæmoni suadenti nequitiam. Cum de hujuscemodi dæmonum aut angelorum malorum corporibus quæritur, respondeo, me cum Augustino dubitare, an secundum illud Propheticum: *qui facit angelos suos spiritus & ministros suos ut flammam ardentem*, igneæ sint corporeæque naturæ, an mysticè hoc de bonis tantùm sit intelligendum, *quia spirituali igne charitatis debent fervere.* Apparuisse tamen angelos in talibus corporibus, ut non solùm videri sed etiam tangi possint, eadem *scriptura verissima*, ut ait Augustinus, testatur, & exinde fama creberrima. Multi enim experti sunt & ab expertis audierunt, quibus certissimè est fides adhibenda, se vidisse Sylvanos & Panes, quos incubos nominant, Galli verò (*) dusios dicunt Non audeo aliquid hîc definire, utrum aliqui spiritus elemento aëreo corporati, possint hanc agere vel pati libidinem, ut quoquo modo fœminis se immisceant aut ab hominibus talia patiantur. Nam hoc etiam elementum, cum agitatur flabellum, sensu corporis tactuque sentitur. Hoc equidem à viris omni exceptione majoribus quotidiè scimus probatum, quod quosdam hujusmodi larvarum, (**) quas Fadas nominant, amatores audivimus, & cum ad aliarum fœminarum matrimonia se transtulerunt, ante mortuos quàm cum super inductis carnali se copulâ immiscuerunt; plurimosque in summa temporali felicitate vidimus stetisse: qui cum ab hujuscemodi fandarum se abstraxerunt amplexibus, aut illas publicaverunt eloquio, non tantùm temporales successus sed etiam miseræ vitæ solatium amiserunt. Quid sibi hæc velint, nescio, & quærentibus, id solùm respondeo: *Judicia Dei abyssus multa.* Unum tamen scio, quod angeli Dei nullo tempore sic labi potuerunt, dicente Apostolo Petro: *Si* enim *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis mersos retrudens tradidit in judicio puniendos reservari.* Verùm hi, qui cum diabolo minus superbierunt, ad hujusmodi illusiones reservati sunt, ad hominum pœnam.

(*) an drusios? (**) Fatæ, quæ vulgo Fées.

LXXXVII. *De stagno piscoso, cum nulli prohibetur.*

IN Anglia stagnum est, quod vulgò *Wlferesimere*, quasi *mare Wlfen* Regis nominatur, quod cùm omnibus piscantibus passim exponitur, piscibus abundat: cum homines ab ejus piscatione arctantur, aut rarus in illo aut nullus piscis invenitur. Est autem locus in confinio *Galliæ*.

LXXXVIII. *De alio stagno.*

ESt in eadem regione *Haveringemere*, quod si quis navigans, dnm transit, præclamaverit, *prout haveringemere aut alletbophe cuntbefere*, statim correptus subita tempestate submergitur cum navigio. Sonant autem hæc in latina lingua opprobrium, àcsi dicatur stagno illi, quod vocatur Haveringemere, id est mare Haveringi. Angli siquidem, ut Ebræi, omnem aquarum cursum mare dicunt. Unde mare Tiberiadis dicitur.) *Phrut* Tibi, mare, & omnibus, qui te transfretant. Et satis mirandum, quod aquæ hujusmodi concipiunt indignationes.

LXXXIX. *De fonte, qui pluere facit.*

ESt *in provincia regni Arelatensis* fons quidam pellucidus, in quem, si lapidem vel lignum aut hujuscemodi materiam projeceris, statim de fonte pluvia ascendit, quæ projicientem totum humectat.

XC. *De cœmeterio Elisii campi & illuc advectis.*

INsigne mirum ac ex divina virtute miraculum audi, *Princeps sacratissime. Caput regni Burgundionum, quod Arelatense dicitur, civitas est Arelas,* antiquissimis dotata privilegiis. Hanc ordinatus ab apostolis, Petro & Paulo, *Trophimus*, Jesu Christi discipulus, *comitante eum apostolo Paulo, cum transiret in Hispanias*, ad fidem Christi convertit, & post pauca associatis sibi *Maximino Aquense, Eutropio Auriscense, Saturnino Solosano, Martiale Lemoviense, Sergio Paulo Narbonense, Frontone Petragoricense, sanctissimis episcopis & Jesu ex LXXII. discipulis* deliberavit cœmeterium solenne ad meridianam urbis partem constituere, in quo omnium orthodoxorum corpora sepulturæ traderentur: ut *sicut ab Arelatensi ecclesia tota Gallia fidei sumsit exordium, ita & mortui in Christo undecunque advecti sepulturæ communis haberent beneficium.* Factâ itaque consecratione solenni per manus sanctissimorum Antistitum ad Orientalem partem, ubi nunc est ecclesia ab ipsis in honorem B. Virginis consecrata: illis Christus, pridem in carne familiariter agnitus, apparuit, opus eorum suâ benedictione perfundens, dato cœmeterio, ac illis sepeliendis munere, ut *quicunque inibi sepelirentur, nullas in cadaveribus suis paterentur diabolicas illusiones*, secundum quod in evangelio legitur, *quosdam dæmones habitare in sepulchris*, Unde dicitur: exeunte Jesu de navi, occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Ex hujusmodi ergò dominicæ benedictionis munere, nec non propter sacratissimorum virorum consecrationes *apud omnes majoris autoritatis Galliarum Principes ac clericos inolevit, quod maxima potentum pars, quæ in Galliis aut circa Pyreneos montes aut Alpes Penninas in pugnis paganorum moriebantur, illuc sepulturam habent*, & quidam in plaustris, alii in curribus, nonnulli in equis, plurimi per dependulum fluentis Rhodani *ad cœmeterium campi Elisii* deferebantur, ubi *Jovianus* & *Comes Bertramus* & *Aistulphus* & innumeri Proceres requiescunt. Est ergò omni admiratione dignissimum, quod nullus in thecis positus mortuus, ultimos civitatis Arelatensis terminos, quos *Rocbetam* nominant, quantalibet vi ventorum aut tempestate compulsus præterit, sed infra semper subsistens in aqua rotatur, donec applicet, aut ad ripam fluminis ductus cœmeterio sacro inferatur. Mirandis magis miranda succedunt, quæ oculis conspeximus sub innumera utriusque sexûs hominum multitudine. Solent, ut præmisimus, in doliis bituminatis ac euthecis corpora mortuorum à longinquis regionibus fluminis Rhodani dimitti, cum pecunia sigillata, quæ cœmeterio tàm sacro nomine eleemosynæ confertur. Uno aliquo die, nondum decennio delapso, dolium cum mortuo suo descendit inter illud angustum, quod ex alternis ripis *castrum Tarraconense* & *castrum Belliquadri* prospectant. Exilientes adolescentes Belliquadri, dolium ad terram trahunt, & relicto mortuo pecuniam reconditam rapiunt. Repulsum dolium inter impetuosi amnis fluctus subsistit, & nec vi fluminis præcipitis nec juvenum impulsibus potuit descendere, verùm rotans & in se revolvens eosdem circinabat fluminis fluctus. Jam ipsius facti celati signa prodierunt in publicum, & *Comitis Tolosani* in castro *Bajulus* divina mente concepit, aliquid injuriæ

riæ mortuo ab incolis castri fuisse inflictam. Perquirit sollicitus, investigatores mittit, & secretos sceleris hujus exploratores conducit. Tandem qui scrutatur corda & renes Deus, ante cujus oculos nihil latere potest, factum publicat, statimque vicarius Comitis pecuniam reponi jubet cum mortuo, delinquentesque gravi pœna affligit. Restitutô censu, confestim mortuus sine omni impellentis adjutorio viam aggreditur & infra modicam auram apud civitatem Arelatensem applicans sepulturæ honorificè traditur.

XCI. *De nuce, quæ sex aut septem facit nucleos.*

EST in regno Arelatensi, episcopatu Aquensi, *castro Pontonis*, nux quædam, *quam à cornice plantatam ferunt*, sicut mos est avibus nucleos nonnunquam projicere, vel levatos deperdere. Nux hæc in arborem grandem excrevit, & cum aliæ ejus generis arbores fructificant, hæc globum facit adinstar pomi vel pineæ: quô fractô, sex aut septem, aut decem quandoque nuclei eliciuntur.

XCII. *De equo Giraldi de Cabreriis.*

SUnt, qui phantastica non credunt, & quorum causam nesciunt, materiam non mirantur. Diximus lamiarum usum & larvarum frequentem esse. Nunc ergò jucundum quid & circa hæc divulgatum, ac penè toti orbi cognitum inseramus. Erat temporibus nostris *in Catalonia* miles nobilissimis ortus natalibus, militiâ strenuus, elegantiâ gratiosus, cui nomen *Giraldus de Cabreriis*. Hic equum habebat in bonitate singularem, velocitate invincibilem, &, quod sine exemplo mirandum fuit, in omnibus angustiis consiliosum. Huic nobilis indidit, ut *bonus amicus* vocaretur. Solo pane triticeo in concha vescebatur argentea, & culcitra de pluma pro substernio utebatur. Quoties arctissimo quoquam negotio vir nobilis urgebatur, tanquam ad cujusvis discretissimum consilium, ad equum confugiebat. Verumtamen quibus verbis quibusve signis aut motibus ad intellectum responsa formabat, hominibus præter dominum suum erat incognitum. Sed hoc apud omnes probatissimum fuit, etiam apud hostes capitales, quod nullius præter equum usus consilio, in omnibus prosperè agebat, omnes eludens & à nullo elusus; à nemine victus & à multis persequentibus fugiebat, dum volebat, & inter crebros ictus fugabat, quos eligebat ad pugnam. Erat miles in juventute sua jucundus, hilaris, musicis instrumentis plurimùm instructus, à dominabus invidiosè desideratus. *In palatio nostro, (quod ex vestro munere vestraque gratia ad nos rediit per sententiam curiæ Imperialis*, Princeps excellentissime, *propter jus patrimoniale uxoris nostræ*) in præsentia piæ memoriæ Ildephonsi, Regis illustris quondam Arragonensis & socrus vestræ, (quæ singulari laude præcellebat) inter dominas sui confinii nec non in conspectu multorum Procerum miles sæpè dictus violam trahebat: dominæ chorum ducebant, & ad tactum chordarum equus incomparabilibus circumflexionibus saltabat. Quid plura? quid dicam nescio. Si verus equus fuit, unde in eo consilium, intelligentia, fidesque, quæ in disertissimo admiranda. Si *fadus* erat, (***) ut homines asserunt, aut genus quoddam mixtum dæmonibus, qualiter comedebat, & ad ultimum peremto suo domino, ab armigero suo, pretio permaximo tum corrupto, (eò, quod ipso [equo] phlebotomato alium equum ascenderat,) nunquam post hoc cibum assumsit, sed cervice ad parietem collisâ mirabiliter ac miserabiliter interiit.

XCIII. *De phantasiis nocturnis opiniones.*

SUnt, qui dicunt hujusmodi phantasias *ex animi timiditate & melancholia* hominibus apparere videri, sicut in phreneticis & laborantibus majoribus hemitritæis, solet evenire. Alios asserunt tales imaginationes videre in somniis tàm expressè, quod sibi ipsis vigilare videntur, ut quibusdam, id confessis, contigisse, *Augustinus in libro de civitate Dei* refert. Sed contra hoc movet me, quod mulieres agnosco vicinas nostras, quæ præcesserant in diebus suis, quæ mihi proponebant, se de nocte vidisse clientulas & clientulos discoopertos cum verecundia. Quæ etiam referebant ea, quæ de nocte gerebantur à nobis in longè remotis partibus. Nonnunquam enim visas flagellationes nocturnas in parvulis nostris ajebant, asserebantque, se dormientibus viris suis cum cœtu lamiarum celeri pennâ mare transire, mundum percurrere; & si quis aut si qua in tali discursu Christum nominaverit, statim in quocunque loco & quantovis

(***) *fadus* equus id est incantatus, ut supra fadæ, id est fatæ, fées.

vis periculo fuerit, corruit. Vidimus equidem in regno Atelatensi mulierem *ex castro Bellicadri* oriundam, ex consimili causa *inter medias Rhodani undas cecidisse*, & *usque ad umbilicum humectatam*, de nocte media absque vitæ periculo, sed non sine timore evasisse. Scimus, quasdam *in forma cattarum* à furtivè vigilantibus de nocte visas ac vulneratas, in castro (IV*) vulnera truncationesque membrorum ostendisse. Si quis hæc non ita esse crederet, *Ambrosius* frustrà *in hymnis* notasset:

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata.

Et iterum:

Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
Hoc excitato lucifer
Solvit polum caligine,
Hinc omnis errorum chorus:
Viam nocendi deserit.

Et quia de spinis uvas colligere bonum esset, & de tribulis ficus dulce licet inusitatum, audiat lector urbanum contra nocturnas pollutiones & imaginationes, timores ac lamias antidotum: cùm cubas, fac orationem cum versiculo S. Johannis Baptistæ, & orationem sancti Johannis evangelistæ, cum versiculo; & orationem S. Antonii cum versiculo ad ultima verba dicas: &, ut à viris religiosissimis audivi, verissimo experimento compertum, nulla hæc observantem imaginatio polluet, nulla pollutio maculabit, nullus hostis versuti timor concutiet. Sunt autem hi versiculi: Fuit homo missus à Deo. Oratio: Perpetuis nos, Domine, beati Johannis Baptistæ tuere præsidiis, & quantò fragiliores sumus, tantò magis necessariis attolle subsidiis. Item versiculus in honorem S. Johannis evangelistæ: Valdè honorandus beatus Johannes &c. Oratio: Ecclesiam tuam, quæsumus Domine Deus benigne illustra, ut beati Johannis evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna & ab omnibus muniatur adversis. Item versiculus de B. Antonio cum antiphona: Vox sonat Antonii, quia fortis ad arma fuisti. Extollam toto nomen in orbe tuum. Ora pro nobis beate Antoni &c. Oratio: Deus, qui beato Antonio confessori tuo, per viam virtutum incedenti, lumen tuæ visitationis ostendisti, concede propitius, ut ipsum pro nobis intercessorem sentiamus in cœlis, cujus vitæ irradiamur exemplo in terris. Si causam quæris, quarè sanctorum istorum memoria tanti circa talia sit meriti? respondeo, contraria contrariis curari, & ita virginitas pollutionis nescia, pollutionem fugit & fugat. In *Antonio* quis dubitat tantam fuisse sanctæ perfectionis constantiam, quod adeò *speciale donum meruit super dæmonibus agnoscendis & expellendis*, ut ait beatissimus *Athanasius in vita B. Antonii.* Adhuc à viro sancto accepi, optimum esse post ista remedium atque solatium *hymnum*, qui apud Anglos in quadragesimali tempore cantatur ad completorium: *Cultor Dei memento &c.*

XCIV. *De arbore, quæ siliquas facit.*

IN regno Arelatensi *ad confinium urbis Massiliensis* arbor est, quæ fructum facit ad modum fabarum, & in ipsa siliqua nihil præter lapides invenies.

XCV. *De corvo de claveno & ejus sagacitate.*

DE brutis animalibus tacere non possumus, quibus nonnunquam supervenire videmus humanæ cujusdam sapientiæ vigilantiam. Ecce enim in regno Arelatensi corvus erat, qui tantam habebat discretionem, quod *hostiles insidias explorabat*, & transcursis montibus & castri terminis, si quid erat repentinum aut insidiosum, loquebatur. Ad aleas pecuniam mutuabat, & inter rimas occultaverat. Hic cum dominam castri nimis familiarem cuidam comperisset, post multas dominæ denunciationes factas, ad ultimum domino prodidit adulterium, sicque factum est, ut ab adultero ictu sagittæ percussus periret.

XCVI.

(IV*) leg. in crastino.

XCVI. De judicio cygnorum.

Quanta matrimonio legitimo fides debeatur, leges humanæ, quæ castitati ac pudicitiæ favent, suâ monstrant censurâ. Nec solum id legibus, quæ constringunt hominum vitam, continetur, esse puniendum, quod contra fidem thori committitur, sed, quod mirabilius est, etiam aves zelant compares suas, & sui stimuli naturalis judicio puniunt illas, quæ adulterant. Ecce, quod in regno Anglorum, *episcopatu Londoniensi, & Comitatu Essec* est castrum *Angra* nuncupatum, quod bonæ memoriæ *Richardus de Luci* Domini Avi vestri, illustrissimi Regis Anglorum, in Anglia quondam justitiarius, construxit. Uno aliquo die, cum ad exedras palatii milites se misissent ad prospiciendum, ecce multitudo cygnorum in prato domibus subjecto convenit, & cum, quasi consilio facto, adinvicem diu vocibus suis contulissent, unus ex medio, sicut mos est accusatori vel ejus patrono, longo garritu querelam deponit, & cum ad unam partem quidam tanquam judices se facerent, tandem produci mandant cygnam. Duo igitur missi à judicibus, ream in medio constituunt,& post factas hujusmodi garritiones vice allegationum, tandem judices definiunt causam,ream adulterii toti gregi exponentes. Insultat cygnorum cœtus, deplumat damnatam, & sic frigori expositam mortis addicunt supplicio.

XCVII. De ovo corvino supposito ciconiæ.

Mira loquar & universo civitatis nostræ Arelatensis notissima populo. Ex antiquissimis diebus in usu habent ciconiæ in muris ac turribus urbis nidificare. Cum ergò ova expedîssent ad pullos, quidam levitate animi ductus, ovum corvinum ovis ciconiæ supposuit, & sic excitatum calore ovum inter cætera pullum fecit secundum naturæ debitum corvinum. Corvus prodit,& intuitus ciconius pullum, à suo genere plurimùm dissimilem, proclamationem facit ad sui numeri cœtum. Congregantur ciconiæ, producitur rea delata, instituitur vice accusationis rostrorum strepitus, & ostensus ille pullus naturæ inconveniens pro testimonio præsumtivo recipitur & sufficit ad condemnationem matris suppositivæ. Nudati ergo mater & pullus putativus plumâ naturali, simul ad judicium præcipitati de turre excellenti, mortem inciderunt. Intuere, *felix Auguste*, quantam doctrinam ex avium garritu licet sumere, dum à cygnis sententia formatur ex reatus evidentia,& à ciconiis præsumtio violentum judicium extorquet, utrisque ad castitatem servandam & incestum puniendum studentibus. Quid ergò infelicitas nostri temporis merebitur supplicii, *ubi lascivia pro laude suscipitur, adulterium argumentosum probitatis indicium effertur, furtivos habuisse dominarum aut virginum amplexus, militiæ insignis est incitamentum.* Videant, inquam, & intelligant milites nostri mirandum avium judicium, & à brutis addiscant, quæ observent. Nocet emta furore voluptas, ubi laus criminosa sordescit, & virtus libidinis habet titulum. Tantò hæc arctius vitanda judico, quantò hæc publicatius aguntur, & ab omnium cognitore domino secretius puniuntur.

XCVIII. De caseo putrefacto.

Considera, *semper felix Auguste*, quantæ labis sit crimen adulterii. Quicunque nocte se adulterino coitu polluerit, in crastino, si ex lactis coagulo caseum fecerit, sine salis beneficio nec per unum diem servare poterit, quod operatus est, à vermibus incorruptum. Si quæris tanti miraculi autoritatem? respondeo, quotidianam rerum evidentiam pro probatione sufficere.

XCIX. De mortuo, qui occidit uxorem quondam suam.

Nec tantùm à vivis, sed etiam à mortuis zelum immaculati thori servatum novimus. Erat enim in regno vestro Arelatensi, & *provincia ac comitatu Aquense* vir nobili genere illustris, moribus insignis, & *militia privilegiatus Guilielmus de Mostiers.* Uxorem duxerat peræquè illustrem & apud homines gratiosam, cautam & castam, ex qua susceptis liberis, diem clausit extremum. Hic cum supremam ordinaret voluntatem, uxori sub fide conjugali injunxit, ne cuidam secundò nuberet, quem inimicum capitalem habuerat, adjiciens, si cum illo contraheret, mortario salsorio, quod ad oculum erat, se ipsam interfecturum. Paruit indictæ viduitati domina, præ instantia doloris, animo turbato, omnem conventionem gratanter suscipiens. Quid plura? defuncto viro, post decursos aliquot annos superstes uxor, amicorum inducta consilio, nubit militi, capitali mariti prioris hosti, cujus ei

nuptias interdixerat: non oblita fidei promissæ nec comminationis adjunctæ; sed diu renitens compulsa est nubere invito animo. Proponentique minas defuncti, ab amicis respondebatur: mortuis non esse potestatem nocendi. Nupsit domina, & ab ecclesia, contracto matrimonio, domum reducta, ut paulisper cum dominabus consederat, subito clamore prorumpit in hæc verba: Heu me miseram, quæ fidem thori promissam violare præsumo. Ecce vir meus adstat mortario me peremturus. Statim in publico tàm solennis multitudinis conspectu, mortuus mortario erecto dominam excerebrat, & licet erigi viderent omnes mortarium, à quo tamen erigeretur, non erat, qui agnosceret. Sufficiebat ad percussoris agnitionem uxoris ipsum proclamantis testimonium & mors subsecutiva.

C. *De hospitalitate cujusdam.*

QUicunque vult attendere, quantis meritis hospitalitas sit prosequenda, audiat miram rem ac mirandam, vel potius miraculosam. Erat in regno nostri imperii miles strenuus, hospitalis & largus, ad omnes cum hospitalitate recipiendos expositus, circa familiam benè procurandam curiosus. Cum ad initium jejunii quadragesimale, quod vulgò *carniprivium* nominant, ventum esset, nec haberet in substantia extenuatus miles, quod die saturationis apponeret, tantæ crapulationi solenniter debitum, secretario suo occulto suasit consilio, ut equum optimum, quem habebat, secretâ manu mactaret, & per frusta concisum coqueret loco carnis vaccinæ. Imperatis à secretis paruit, & cum in crastino armiger ex aliunde veniens equum vellet abstergere, ac, ut moris est, depulverare, à domino timente, ne proderetur factum hesternum, quantò diutius potuit, ab ingressu stabuli est quæsitus extrinsecis actionibus præpeditus. Tandem armiger equum audit hinnientem, & accedens, in publicum producit incolumem. Miraculo tanto jungamus urbanum exemplum. Miles quidam in carniprivio familiæ suæ equum suum dedit loco carnis bovinæ. Ignorans rem taciti consilii familia cibatur & saturatur opulentissimè. Sed & alter miles eodem usus consilio die sancto paschæ, consimili cibo familiam reficit. Utrumque post tempora effluxa ad majoris domini pervenit notitiam, nec mora, utrôque vocato, dominus solum illum, qui in carniprivio equum coxerat, novi equi largitione remunerat: illi, qui paschalem solennitatem consimili xenio honoraverat, clausit manus. Requisitus dominus, quô judicio potius remunerasset unum quàm alterum? respondit, eum muneratum instantiâ tantâ coactum ex temporis conditione, quod in crastino nullum habebat locum consilii; verùm, qui die paschali equum coxerat in crastino, potuit præcedentis diei supplere defectum.

CI. *De baculo putrefacto.*

QUæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut ex his, quæ non videmus, cautiores simus ad ea, quæ videbimus, aut ex insidiis fortunæ incidere poterimus. Erat in regno Arelatensi & *castro Tarasconensi*, ubi Christi hospita, Martha, soror Mariæ & Lazari, requiescit, bubulcus. Hic cum sulcaret terram aratro, ut moris est, virgam aculei decorticatam in manu gestabat, & post horam meridianam serpentem invenit tortuosum & curvum. Suo motu, alias veneniferum multiplicatis ictibus eum baculo seu virga peremit, statimque virga nigeminam contrahit infectionem, & cum infectione putredo baculum occupat: qua jam ad manum per virgam ascendente putredine, baculus projicitur, statimque totus in putredine dissolutus confringitur.

CII. *De racemis de Roca Maura.*

EST in Rhodano castrum *Roca maura*, cujus corpus *ad Imperium jure fluvii, territorium ad regnum Francorum jure limitum pertinere arbitrantur.* In hujus castri territorio sunt botri, quos brumestas vulgus nominat, grossiores acinos habentes. Hi botri florent ut vineæ, producunt racemos & spem sui cultoris eludunt. Cum enim ad festum S. Johannis Baptistæ perventum fuerit, omnium fructu evanescente, nihil in illis, quod ad fructum faciat, reperitur.

CIII. *De mortuo, qui apparet virgini; mira dicit & annunciat.*

MUltoties & à multis insultatur, cum pœnas infernales ante oculos ponimus. Quod eis, quæ de altero seculo proponimus, frivola sunt, adjicientes, inventitia esse. Non ergò credunt, quod scriptum legitur, quod non audierint ab aliquo, qui vel resurre-

xerit mortuus, vel viventibus appareat post mortem. Qualiter enim sciunt, qui hæc nec viderunt nec probaverunt? Ad hæc respondeo, nostri temporis defectum non sustinere, ut quatriduani resurgant & annuncient, quæ fiunt apud mortuos. Sed nec & omnibus mortuis, quibus datur, ut ad nos in apparentia redeant, permittitur prodere, quæ vident; *cum & Paulus in tertium cœlum raptus viderit arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Sed & *Lazarus proditor inferni* dicitur eò, *quod multa de statu infernorum scripsit*, quamvis aut liber hic non habeatur aut inter apocryphos censeatur. Dicitur ergò proditor inferni, non quod omnia, quæ vidit in inferno, prodiderit, sed quia ex multis aliqua prodidit, quatenus divina potentia dispensativè permisit. Ut autem incredulis & quasi impossibilitate huc post mortem redeundi, excusantibus suam non ignorantiam sed contumaciam, satisfaciam, rem novam & inter nos nuper publicatam edisseram, in cujus novitate mirentur corda, stupeant animi, membra contremiscant. Erat anno Domini M CC XI. mense Julii, anno autem Pontificatûs domini Innocentii III. tertiò decimo, imperii autem vestri anno secundo, *in regno Arelatensi, provincia ac diœcesi Arelatensi*, castro Belliquadri puella virgoque undennis, parentibus orta probis & copiosis, fidelibus & industriis. Huic consanguineus erat ex Aptensi civitate oriundus, juvenis in prima adolescentia, imberbis, strenuus, amabilis; & pro quibusdam ætatis suæ lubricæ excessibus exul à patrio solo factus, Belliquadrum veniens, non suâ culpâ, sed alieno infortunio vulneratur ad mortem. Aspiciens mortem remisit illatam injuriam, dimisit occisori, & cum sufficiente contritione & confessione sumto viatico diem functus est. Post tres aut quinque dies de nocte, lucente lucernâ, vigilanti puellæ, quam admodum in vita dilexerat, comparuit; à qua salutatur non sine timore, cum propter facilem pusillanimitatem, tum propter id, quod naturaliter mortalibus cordibus insitum est, ut mortuos abhorreant, & cum trepidatione mentis expectent. Uerùm sic ut mos est his, qui divino motu moventur, timorem virginis consolatur, verbum blandè loquens, ait enim: Consanguinea, ne timeas. Nimia enim & pristina ductus affectione, ex divina permissione ad te venio, nec à me in aliquo noceri posse tibi existimes. Tibi soli me loqui permissum est, & per te ad alios responsa mea transfundere. Ad hæc virgo loquentem alloquitur: inquirit, qualiter, cum mortuus sit, huc aut quo pacto redeat? at ille statim, ut audit nomen mortui, stupet, gemit & velut vulneratus a verbo mortis & attonitus, inquit: O dulcissima, nunquam verbum hoc à tuo ore exeat. *Tanta* enim *est mortis & tàm incomparabilis asperitas, quod, qui semel mortem gustavit, nec ipsam verbi recordatione sustinere potest, quin spiritus in afflictionem quandam redeat.* Dum hæc inter se verba mortuus & virgo conferunt, pater & mater puellæ vigilantes audiverunt verba virginis: vocem verò mortui nec audire quidem poterant. Inquiunt ad filiam: quid & cui loquatur. At illa: Nonne videtis, inquit, consanguineum meum *Guilielmum* pridem defunctum, qui adstat & me alloquitur? illi ergò crucis signo præposito, mirantur & stupent, nihil videntes, solamque loquentem virginem audientes. Nec mora; recedit mortuus, & demùm septimo die, cùm pater & mater virginis, pro recensenda memoria defuncti, monasterium S. Michaëlis de Figoleto, duobus à loco distans milliaribus, adiissent cum vicinis & amicis: circa horam tertiam virgini solitariæ in camera paterna statim mortuus apparet. Rursus à virgine familiariter salutatur; & dum, unde veniat aut quo comite illuc venerit, inquiritur? respondit, se in aëre mansionem inter spiritus habere, & pœnas ignis purgatorii sustinere, adjiciens: Priorem & fratres domus S. Michaëlis eum in hoc instanti aquâ svavissima & plurimùm refrigerante adspersisse, suisque sacrificiis & orationibus maximum illi beneficium contulisse. Iuquirit virgo, ut quis ejus sit comes, ostendat. Ille ergo ad sinistram, quasi post tergum profert diabolum cornutum, tetrum, adspectu horridum, spumantem flammas & spirantem incendia. Virgo, *ut moris est provincialibus, ad aquam benedictam, in camera repositam, manum mittens adspersit diabolum*, statimque adspersus evanuit: affirmante mortuo, quod maximum illâ aquæ benedictæ conspersione consecutus est beneficium & incendii remedium. Sane de hoc igne dicit Gregorius in dialogo, quod corporeus est, quo torquentur spiritus. Quia si incorporeus spiritus in hoc corpore teneri potest, quod vivificat: quare non pœnaliter ibi teneatur, ubi mortificatur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat. Et sicut unus sol hos magis, illos minus urit; ita unus ignis gehennæ hos magis illos minus cruciat: semper tamen urit, quos urit. Iam elabente aliquot dierum spatio fama viciniam tangit, & moti confines admiratione ac novitate, virginem visitant; & ad gestorum auditorumque probationem miles de vico S. Ægidii, notus noster ac familiaris, locum accedit. Post alia, multa per os virgineum ad mortuum transfudit. Heus, inquit, virgo, quære à consangvineo tuo, si quis aliquid ei hodiè impendit beneficium? ad cujus quæstionem mortuus respondit, militem illum

duos pro anima sua denarios cuidam pauperi in egressu villæ S. Ægidii exhibuisse, quod sibi soli cognitum fuisse confitebatur. Alio die *Prior Tarraconensis* advenit, ut audita rerum veritate probaret, cumque virgini faceret quæstionem, si consanguineum suum pridem vidisset? illa respondit, illum statutis & præfixis horis advenire, adjiciens, se, dum hæc loquebantur, jam advenientem conspicere. Quærit Prior, ubinam stat? quid agit? unde venit? quem comitem ducit? virgo respondit, quod ad alteram Prior se manum mittat; nam pedem ejus ferè conculcaverat. Quæstionem proponens virgo de quæsitis intuetur mortuum ad singula quæsita quasi post humerum verso capite à consiliario, quem ipsa non videt, responsum expectare. Secreta igitur insinuatione respondit mortuus virgini, se in aëre purgatorium pati sed solito mitius; se Angelum habere comitem. Et cum rogata à Priore, ut eum ostendat virgini, virgo quæreret conspicere, statim producit à dextris hominem albissimum, alba circumseptum facie, splendore infinito coruscantem, cujus nomen Michaëlem esse dicit: suæ & multarum animarum esse custodem. Tandem virgo proprio motu quærit: quid sibi velit, quod pridiè tàm nudus & confractis vestibus apparuit, nunc è diverso pristinis sit vestimentis indutus? respondit, has esse vestes suas, quas mater ipsius virginis pauperibus dederat, quibus antea non potuit indui, cùm nullo beneficio poterat, ipsis non distributis, adjuvari. Adjecit, se pœnam pati pro cingulo, quod cuidam civi Aptensi non restituerat, dicens: se à cinctorio ignis liberari, si cingulum illud, in scrinio suo repositum, restitueretur: quod factum est. Item, quærit Prior: quid ipse egerit, dum castrum Bellicadri intraret? respondit, quod vino porrecto in domo *Guilielmi Bedocii Grammatici* Prior ipse prius biberit, *cum diu conflictum habuisset ad socios, quis prior bibiturus esset?* Quærit si quod sibi ipse Prior bonum contulisset? respondit, maximum sibi remedium illatum ex eo, quod Missas pro eo cantari fecerat. Quærit Prior: quid summum mortuorum sit adjutorium? respondit: sacrificium in Missa. Quærit: qualiter novit, quæ hic aguntur? respondit, spiritum omnia ad oculum habere, nulloque medio à conspectu arceri, ideoque turpitudines maximè vitandas, quia infinitorum spirituum habent conspectum, & verecundia infinito testimonio adjuvatur. Quærit: si videt Deum & beatam virginem & sanctos & bonos & malos? respondit, quod Deum nunc videt, & in conspectu est beatæ virginis, sed lucidius, exacto purgatorio, ipsum conspiciet, & post judicium infinitâ speculatione clarius. Quærit in secreto à virgine Prior de vita sua & conversatione. Respondit, non expedire Priori, ut exprimat, quæ intus conscientia sua familiarius ac verecundius agnovit. Vno aliquo die, dùm in conspectu stat virginis, ait, familiarem suum, *filium Guilielmi de Agenno* migrasse à seculo & transire, malis sociis stipatum. Et cùm requireretur, si statim aliud seculum ingrediebatur ad purgatorium? respondit, quod quandoque migrantes à seculo post diem tertium vel quartum non perveniunt ad locum destinatum. Ut verbum probetur effectu, curritur ad satis contiguam domum, & illum jam obiisse reperiunt, quem dixerat. Inquisitus per virginem à viris literatis, cùm mortis nomen mortui abhorreant, quod nomen sit morti mitius imponendum? respondit, migratio à seculo. Requisitus, ubi sit locus gehennæ? respondit, quod infernus sub terra locus est caliginosus, puteus fœdidus, horrendus, & illum non ingrediuntur usque post judicium. Verùm damnati in aliis locis pœnalibus stant in pœna infernali, damnatoriam & multò duriorem expectantes sententiam. Sic *sinus Abrahæ* locus est jucundus & quietus, ubi bonorum spiritus requiescunt, usque quo judicialis paradisus detur justificatis ad gloriam. Purgatorius quoque in aëre est. Multoties requisitus super his, quæ aguntur in hoc seculo aut super futuris, invitus respondit, dicens: non inquirendum de hujusmodi vilibus & contransitoriis: asserebatque sibi permissum, ut de spiritualibus responderet non terrenis, nisi per vices, semperque interrogatus ad consiliarium, quasi post humerum responsum expectans, flectebatur. Requisitus, si omnia terrena illi oneri essent? respondit, levissimam paleam à spiritu sustineri non posse. Interrogatus, si longo tempore hujusmodi collocutio cum hominibus ei permitteretur? respondit, quod non videbatur ei hoc permittendum ultra id tempus, quô ista virgo maneret, nempe finito purgatorio. Nulla enim cum hominibus hujusmodi futura esse videbatur communio. Interrogatus, cujus licentiâ huic virgini apparebat, & unde id processerat? respondit, istam inter consanguineas omnes à se in seculo nostro magis dilectam, ipsamque inter tristis exitûs angustias eum fortiter adjurasse, ut omnibus modis, si quo pacto id fieri poterat, ad eam rediret, statum illi suum edicturus. Coactus adjuratione, & licentiam à Deo capiens, ad eam veni; ad ipsa status mei explorati, & novitatis & mirabilium, quæ non novit, amore, in recessu quotidiano, ut redeam, me adjurat. Causa verò reditus mei est, ut per verba mea infidelitas non credentium ad fidem convertatur, & fides credentium ad me-

ad melius accendatur. Hæc hactenus. Nunc ad arctiora divini consilii secreta me transfero. Erat *sacerdos vir equidem peritus in litteratura, bonus, religiosus ac timens Deum.* Hic inter initia visionis istius, quæ dicebatur, frivolam reputans accessit ad virginem, per eam ad mortuum verba transfundens. Rogat ergò virginem, ut apparenti sibi insinuet, quatenus, si fieri posset, sacerdoti loquatur, ut non quasi jam per canalem aquæ salutaris transeat ad aureolas, sed ipse sacerdos verba responsionis ejus absque intermedio excipiat. Quid plura? petitur & post moras impetratur. Hic ergò ad locum condictum veniens, sacerdos arctioribus quæstionibus invigilat, & quia nobis plurimum extitit commendatus & familiaris, quæstiones varias illi proponit, ut solvat: ex cujus ore sub attestatione & divini nominis obtestatione scripsi, quæ dictito. Interrogatus respondit: se in exitu vitæ plurimum ac incomparabiliter exhorruisse, & quod tàm boni quàm mali angeli ipsi apparuerunt. Bonis tandem prævalentibus, qui eum in purgatorium duxerunt. Adjecit, omnem pœnam morti esse incomparabilem & inæqualem, minimamque purgatorii pœnam quavis corporali pœnâ esse asperiorem. Intetrogatus respondit, quod omnes animæ salvandæ intrant purgatorium, præter animas sanctorum, qui statim cœlum suum intrant, quia in hoc corpore mortali suum egerunt purgatorium. Porrò damnandi non intrant purgatorium nec infernum inferiorem usque ad diem judicii, sed in aëre pœnas sustinent infernales sine omni intermissione. Sed & secundum quod peccata graviora commissa sunt, purgatorium diutius ac gravius durat. Sanè in aëre est quoddam cœlum, in quo sunt sancti, remotum à purgatorio, & illic gaudent omnes sancti, & laudes cantant Deo. Interrogatus, quas laudes canunt? respondit: Illud angelicum: *Gloria in excelsis Deo,* & nonnunquam pro vivis precantur. Dixit etiam, quod animæ in purgatorio nonnullæ hoc canticum canunt, & quædam, videntes salvationem suam venturam in proximo, inter pœnas purgatorii gaudent spe patriæ & gloriæ, ad quam tendunt. Interrogatus respondit, quod omnes animas videt, quæ sunt in purgatorio & audit quarundam gemitus & aliarum gaudium, quæ purgatorium compleverunt, & novit quasdam, quæ sint: alias, quas in hoc seculo non novit, non agnoscit in purgatorio. Pœnas quoque damnatorum videt, sed ipsos damnatos non novit. Item videt cœlum & videt infernum, & stat, ubi in vicino utrumque est, ut ex vicinitate sui intendatur gaudium justorum & tristitia perditorum. Cùm verò animæ exeunt à corpore, videt eas venientes, & quocunque vadunt, videt: non tamen eas agnoscit, quia non novit illos, quorum sunt. Interrogatus, in quo loco habitet? respondit, quod mansio ejus vicinior est Jerusalem, quàm loco, quo manere solet in seculo. Interrogatus, si sancti omnes habent gloriam plenam? respondit, quod quidam habent tantam gloriam, quantam possunt ante diem judicii, alii minus plenam. Nempe B. Hieronymus multum in gloria sua defectum patitur ex eo, *quod volentibus festum conceptionis B. virginis solennizare, non consentit.* Interrogatus, si quando requiescunt animæ in purgatorio? respondit, quod *in omni hebdomada à vespere diei sabbathi usque in vesperam diei dominicæ requiescunt à pœnis, & quando generaliter offertur pro eis sacrificium in Missa, omnes quiescunt.* Cùm verò specialiter pro aliqua canitur, illa interim requiem habet integram. Aliæ verò ex generalis beneficii participio remedium habent, sed non in tanta quantitate. Interrogatus respondit, multùm prodesse eleemosynas, quæ propter reverentiam ac memoriam dantur Patris & Filii & Spiritus sancti, & beatæ virginis, & Apostolorum Petri & Pauli. Interrogatus respondit, se Michaëlem habere custodem. Cumque uno die rogaretur, ut Michaël daret benedictionem suam virgini & sacerdoti, cum quo loquebatur, respondit, quod beatus Michael annuit: & cùm extenderet manum Michaël ad benedicendum, tantus fulgor virginem percussit, quod ipsam intueri nemo sustinere sine stupore potuit. Interrogatus respondit, quod ipse videt bonos & malos angelos, & utrosque videt sua ministeria complere. Et adjecit, quod quilibet christianus habet ad custodiam suam bonum angelum, dum tamen est sine mortali peccato. Nam *dum est in mortali, recedit ab eo bonus angelus, & quasi de illo verecundiam patitur:* pœnitentiâ verò susceptâ, redit ad custodiam. Interrogatus respondit, corporis effigiem, quam prætendit, corpus non est nisi aëreum, ipsum asserens non posse pati, sed tantùm spiritum: neque posse onus quamvis levissimum sustinere. Inde est, quod cum sacerdos illi stolam supponeret, gratum habuit: sed onus impressum sustinere nequiit, asserens, * sacerdotale vinculum diaboli esse. Interrogatus, si in purgatorio est nox aut dies continuus? respondit, quod vicissim dies & nox, verùm nox non est ita obscura ut hìc Interrogatus respondit *summum bonum* esse in hoc seculo *post sacrificium & eleemosynas, abstinere à mendaciis.* Interrogatus, si Johannes Baptista, qui in utero sanctificatus Dominum exultando sensit, & verus præcursor & Propheta Domini, dubitavit, an Christus hìc esset, quando misit ad eum discipulos suos, ut in-

terrogarent eum: Tu quis es? respondit, Johannem non dubitasse, sed ad tollendam dubitationem discipulorum, illos misisse. Interrogatus, si mors aut internecio Albiensium Deo placeret? respondit, pridem nullum factum religionis tantum Deo placuisse, & adjecit, quod bonos Deus in suo judicio voluit discerni à malis. Nam & boni per sustinentiam peccaverunt, qui per hæresin fidem non maculaverunt. Qui verò hîc cremantur in corpore, post mortem durius cremantur in spiritu. Accedit ad enarrata mirandum plurimum & memorandum. Cum enim sanctissimi *Episcopi Aurasiensis Galli*, adventum mortuus iste plurimùm affectaret, & episcopus ille ad capitulum Cisterciense accessurus, sui copiam facere non posset, dicto sacerdoti quæstiones in scriptis episcopus misit, quas ad comprobationem veritatis & ad instructionem excogitaverat. Uno ergò die, cum mortui responsiones sacerdos noster quarundam quæstionum audiret, mortuus adstantibus inquit: Ecce, quod episcopus Aurasicensis quæstiones mittit, quarum solutionem à me fieri petit & jam ad ostium nuncius est. Et cùm super quibus quæstiones verterentur, inquiritur, respondit ex ordine ad quæstiones, & dum hæc aguntur, nuncius mittit schedulam quæstionibus plenam, in sacerdotis nostri manus exponens. Mirantur omnes præscientiam, & dum agilitatem spiritus ponderant, dant admirationi consilium, & quæstiones exquiruut, & accipiunt per ordinem solutiones. Si vis quæstiones cum responsionibus nosse, recurre, quæcunque præmisimus ferè ab illo loco: interrogatus, cujus licentia &c. Item interrogatus, an unicus esset angelus omnium animarum bonarum custos Michaël? respondit, quod nomen hoc officii est non personæ, nec unius sed legionis. Sunt enim hujus nominis omnes animarum custodes. Interrogatus in vigilia S. Michaëlis, dum quæstionibus à sacerdote teneretur, quarè solitò instantius licentiam sibi dari postularet? respondit, quod oportebat festinare eum ad instantem S. Michaëlis solennitatem: asserens, hoc in cœlis festum celebre esse apud omnes angelos, omnesque archangelos pro hujus diei victoria gloriam & laudes Deo persolvere. Quinimò die isto dicit omnes animas in purgatorio positas quiescere, & custodis sui Michaëlis laudibus inservire. Quid plura? de futuris multa interrogatus constanter respondit. Sed ea postposui libri nostri contextui interserere, nec videremur Dei ordinationem prævenire consilio, vel calumniatoribus locum aperire. Verumtamen *in quibus Deo placeas, aut econtra in quibus displiceas*, Princeps serenissime, *secretà tibi scripturà*, sicut ab eo acceptum habeo, *per nuncium fidelem transmitto*, ut de bona affectione gratuleris, & de sinistra pœnitentialem meditationem concipias, & dum in bonis proficere studebis, mala cavere vel curare festines. Rem mirandam loquar & usui humanitatis nostræ plurimum commodam. Cum hujus, de quo agitur defuncti avunculus, cum propter inflicta ipsi defuncto mortifera vulnera, de quibus ultionis occultas parabat insidias, cum propter pristinas & inveteratas inimicitias de longè contractas, inimici ejus avunculo & ejusdem filio secretas machinationes nocendi disposuissent: die præcedente circa horam vespertinam solitò serius mortuus noster apparuit consanguineæ, de qua præmisimus, prædicens, quod patri virginis & fratri à nominatis hostibus in crastino circa ostium ecclesiæ B. virginis, in Bellicadro sitæ, disponerentur insidiæ, quibus ordinatum erat, ut ambobus vita repentinis ictibus prærriperetur. Ut autem nulla nocendi potestas esset hostibus ad opus ducenda, jussit patrem dimersionem capitis in candela cerea *B. Wilhelmo* devovere, dimersionem verò filii *B. Benedicto, qui pontem Avinionensem super Rhodanum instituit*, in cujus medio transitus compendio & ipse S. Benedictus sepultus requiescit, loco à castro Bellicadri per octo fermè milliaria distante. Ut ergò præmunitionis hujus apertissimum induceret argumentum, adjunxit defunctus, quod in crastino invenirent ad januas ecclesiæ memoratæ inimicos, quos ex nomine designaverat, armatos, ut longam malorum deliberationem executione funesta prosequerentur. Adjecit etiam, quod unicuique christiano specialis sanctus ad tuitionem est deputatus, quem si quis sciens invocaverit & oblatione & devotione sua honoraverit, pro facto in mortis periculo positus, celere remedium inveniet. Quid ultra? in crastino pater virginis & frater inimicos condictos ad ostium basilicæ armatos reperiunt, quibus per oblationes sanctissimo Guilielmo, fortissimo pro Christo athletæ, & piissimo Benedicto præmissas, omnis nocendi facultas præclusa fuisse monstratur. Et quia solet à plurimis non immeritò dubitari, utrum visiones pro somniis vanis sint reputandæ? an potius denunciationes divinæ per spiritus subtiliter factæ sint appellandæ? audiat lector, quid nuper me contigerit audiente. Cum propter instantiam negotiorum inquisitionibus, sigillatim faciendis à mortuo, vacare non possem, injunxi motum animi mei sacerdoti, quem prænotavi, ut ad illum verba mea transferret. Cum ergò die statuto ad respondendum sacerdos ultra horam præfixam moras faceret, post prandium somno tentus meridiano, apparuit sacerdoti in spiritu excitator, qui

eum

eum à somno eduxit, eâdemque horâ mortuus ultra Rhodanum apparens virgini sæpius memoratæ, proposuit; sacerdotem locum & diem præfixum non observasse. Proponente itaque virgine, quod per nuncium illum vocando citaret, respondit, sacerdotem alio nuncio præventum. Nec mora, sacerdos ingreditur: accusatus de mora, & excusationem somniculosæ gravationis opponens adjecit, se in spiritu evocatum, ut celerius occurreret occurrenti, quod ab ipso mortuo factum ex ejusdem mortui publicata confessione tàm sacerdos quàm virgo cognovit. Ut agnoscamus, quanta sit apud Deum Prælatorum nostrorum ligandi solvendique potestas, audi, quid sacerdoti respondit quærenti, si mortaliter peccavit, quia votivum solverat jejunium ex licentia cujusdam sacerdotis, propter instantiam peregrinati itineris? respondit, quod exinde nullam peccati contraxit maculam: quia tanta est sacerdotis potestas, quod subditum solvit à reatu, si non subfuerit pœnitentis simulatio, & si in ligando vel solvendo præceps aut negligens pastor fuerit aut ignorans, ovis crimen non est, sed pastoris. Accedit adhoc insigne mirandum signum, quod Dominus notum fecit nostris temporibus in conspectu gentium, revelando justitiam suam. Erat *Comes Raymundus*, pater hujus *Comitis Raymundi*, quem propter consensum *hæreticorum Albigensium Innocentius Papa Tertius* crebris impulsibus legatorum suorum, & ad ultimum cotidianis Francorum insultibus in cineres, potentiæ suæ exsufflandos, induxit. Ejus, inquam, pater Comitis Illustrissimi Raymundi Tholosani, vel, ut vulgus ait, Comitis Sancti Ægidii, nepos ex nobili comite Ildefonso genitus, erat quidem in militia singularis, consilio perspicax, urbanitate præcipuus, magnanimitate operosus. Hic ab illustrissimo Rege *Henrico Vetusto* Anglorum, avo vestro, *Imperator sacratissime*, nec non insignissimo Comite Barcinonense R. Berigario, Regibus, ** Comitibus, Ducibus, * quamajore per plurima tempora lacessitus, ac semper invictus, sic omnes suo prævenit consilio, quod potentior victorias imminentes inde omnino eludebat: etiam quibus utpote fortioribus resistere non poterat, astutia sua triumphum surripiebat. Uno ergo aliquo die hostilibus incursibus fatigatus, & thesauris exhaustis, quibus auxiliarios suos solitus est stipendiare, *monasterium sancti Ægidii* velut pro emendicato suffragio occupat, & oblationes, quas pia fidelium peregrinantium devotio congerebat, invadit. Tam atrocibus sacrilegiis succedit Ecclesiastica vindicta, & Comes propter suam contumaciam anathemati suppositus. Dum hæc aguntur, *Abbas Bonæ Vallis*, ordini Cistertiensi solicitus Viennensis provinciæ stationarius, vir equidem summæ perfectæque religionis, villam Sancti Ægidii ingreditur, ut Comitem increpet, arguat, & ad viam emendationis vitæ reducat. Mane facto post missæ celebrationem vir sanctus, sacerdotalibus indutus ornamentis, præ foribus Ecclesiæ populo occurrenti prædicaturus se obtulit, comite secus pedes ejus sedente, adstantibus proceribus, militaribus, popularibusque personis. Abbas manu silentium indicens homiliam aggreditur, sumpto exordio ab illo Symboli Apostolici articulo (credo sanctorum communionem) Stupente clero de tanta viri sinceritate & facundia, prorupit declamator Ecclesiæ ad intimandam communionis Ecclesiasticæ dignitatem ac beneficium, ac excommunicationis pœnam & incommodum. Sicut enim, dum in corpore columbæ quævis plumula per inhærentiam perseverat, omnique cibario per os columbæ transumpto sustentatur ac alitur; quæ si decerpitur à corpore, arescit & putrescit, omni carens nutrimento: ita qualibet anima, dum in gremio persistit Ecclesiæ, omni cibo sacrificii, psalmorum ac eleemosynarum atque bonorum operum, universitati Ecclesiasticæ per participium coalescit; quæ cum anathemate separatur à communione Ecclesiæ, putrescit Diabolo tradita & ab omni bonorum consortio segregata. Ut ergo populo lapidei cordis satisfaciat, & corda carnea manifeste tangat, præcipit Abbas confratri, ut panem calidum atque recentem afferat. Paret frater imperanti, & allatum in publico panem, deliciosa manu confectum de grano pretiosissimo, populo exponit, ostendens, quantæ panis sit virtutis, quantæ fragrantiæ, quam splendidi saporis. Hunc ergò excommunicationi subjicit, ipsi maledictionis ingeminans verba, ac si reus esset cujusvis damnati facinoris. Completa anathematis celebritate panem frangit, & statim ex fragmentis fœtor incomparabilis prorumpit: quin immo panis antea visa dulcedo ac species in cineres solvitur ac putredinem interiorem. Quid moror? iterum panem hic corruptum ac fœtidum, quasi pœnitentem, flagellat, & aqua benedicta perfundit: sacra solemni absolutionis benedictione reconciliat, & statim panis à gremio matris Ecclesiæ velut lotus prodiens, pristinum decorem atque saporem recipit. Stupet Comes Sancti Ægidii: stat populus tanta miraculorum novitate attonitus: tactusque Comes interius igne divini luminis, ad pedes sanctissimi Hugonis Abbatis Bonæ Vallensis prostratus, lachrymas fundit, sacrilegium cœptum dissolvit, rapta restituit, & accepta pœnitentia, per manum sancti viri communionem recipit sanctæ matris Ecclesiæ. Ecce, *Princeps sacratissime*,

tissime, quanta cautela bono Christiano est misericordia, ne in laqueum cadat Diaboli, ne sua culpa consortium amittat communionis sanctæ, cujus infœderatione fortis est ad pugnam, & triumphator de hoste superbo.

CIV. De pullo Struthionis & vase vitreo.

Quantum fuerit Salomonis ingenium, dum meditor, nullam subtilitatis ejus potentiam invenio, præter sapientiam ex solo Dei munere, secretâ quadam inspiratione venientem. Inter præclara ejus artificia legimus, quod *Biblos civitas est Phœnicia*, de qua dicit Ezechiel: Senes Biblii & prudentes ejus. Biblion ergò elegit Salomon *ad sculpenda & polienda marmora & ligna ædificationis templi*. Tradunt autem Judæi, ad celerius eruderandos lapides Salomonem habuisse sanguinem vermiculi, quem dicunt *Tamir*, *quô conspersa marmora facilè secabantur*. Hujus autem rei repertorium hoc fuit. Erat Salomoni *Struthio* habens pullum, & cum conclusisset pullum in vase vitreo, struthio videns pullum, nec eum potens habere, de deserto tulit *vermiculum*, cujus sanguine vitrum linivit, & ita sectum est. Videns autem Salomon cacumen montis Morijæ angustum, dejecit, & in aream spatiis amplioribus diffudit. Sanè temporibus nostris *sub Papa Alexandro III*, dum puer eram, inventa est Romæ phiala plena liquore lacteo, quô conspersa omnia lapidum genera sculpturam talem recipiebant, qualem manus insculpere volentis protrahebat. Erat autem phiala ex antiquissimo palatio elicita, cujus materiam aut artificium populus Romanus admirabatur.

CV. De arbore, ex qua lignum Domini.

Traditio Græcorum habet, quod de arbore illa, in cujus fructu peccavit Adam, ramus fuit translatus in Jerusalem, qui in tantam excrevit arborem, quod de illa facta est crux Domini, ut in eodem ligno repararetur, quô perditum fuit genus humanum.

CVI. Urbanum Principis responsum.

Ut polimita tunica Joseph plus deliciarum habeat, audi, *Princeps sacratissime*, urbanitatis responsum. Cum post Ptolomæum in Ægypto regnaret *Philadelphus*, vir studiosus & librorum cupidus, petiit ab Eleazare sacerdote in Judæa sibi mitti Legem Dei editam, & digito ejus scriptam: & ad hoc facilius digniusque habendum liberavit captivos Iudæos centum & viginti millia, dans dominis eorum pro capite centum & viginti drachmas argenti poscentibus. Cumque dixisset Rex, hoc magnum esse, dixerunt, hoc quidem magnum est, sed non Regi munifico. O urbana responsio, quæ ut corda legentium tangat, audi urbano verbo junctam mirandam & miraculosam memoriam. Cum enim Eleazarus ex singulis tribubus sex viros misisset Philadelpho, qui LXX interpretes dicuntur, duobus ex numero crescente non numeratis, secundum morem scripturæ, quæ modicum numerum excrescentem in magna summa subticet; more potentium, qui ad perfectionem magnæ quantitatis in calculo modicam summam prætereunt: Ipsi Regem de agnitione unius Dei instruxerunt, plenius disputando de uno Deo colendo, & quod nulla creatura esset Deus. Inde est, quod ubicunque occurrit eis aliquis de Trinitate sermo, vel sub silentio transierunt vel sub ænigmate transtulerunt, ne tres Deos colendos tradidisse viderentur. Similiter de incarnatione verbi tacuerunt aut minus expresserunt. Unde in Esaia, cum dixisset, puerum nobis nasciturum, & addidit sex nomina, quorum unum est Deus, * pro illis quatuor nominibus transtulerunt: magni consilii angelus, ne viderentur tradidisse hominem deificatum. Et ecce mirum, cum enim datis singuli cellis diluculo egressi ad optandum Regi bona & pulchritudinem, id est, diuturnitatem annorum, (*sicut fit Papæ, cum proclamatur, multos annos,*) loti ad mare secundum purificationem Judæorum, interpretabantur usque ad horam nonam, inde transeuntes usque ad cibum & requiem: consummato opere in LXXII diebus una & eadem inventa est singulorum editio, collatione concors, & sine omni dissonantia eadem. Quod vix alibi legimus, præter id, quod de Esdra legitur, qui per Spiritum sanctum legem reparavit, *quam postea cum veteri scriptura, quæ apud Samaritanos erat, correxit*. Sic in passione Domini, quam *Nicodemus Ebraicè dictavit & Æneas Ebræus transtulit in Græcum*, Charinus & Lenthius, qui apparuerunt Judæis in resurrectione sanctorum, qui dormierunt, & visi sunt ingredi in sanctam civitatem, singulis themis (*) id est, chartulis seriem passionis & resurrectionis, divisi per loca, velut uno ore dictaverunt.

CVII.

(*) tomis.

CVII. *De mirabilibus, quæ sunt, ubi quinque civitates sunt submersæ.*

PRopter populi peccata versa est tota regio illa & quinque civitates Sodomorum in lacum salsum & sterilem, qui dicitur *mare mortuum*, quod in eo nec aves nec pisces vivere possunt. Navim non patitur, quinimò tota supereminet nisi sit bituminata, & hoc fortè propter homines intus viventes. Siquis vivum aliqua arte immiserit, statim super exilit. Lucerna ardens supernatat, extincta mergitur. Multis in locis nigras bituminis glebas evomit, ideoque lacus Asphaltites appellatur. De hoc ait Josephus: fabula Sodomiticæ terræ fidem habet. Nimiâ enim ejus levitate etiam gravissima in eum jacta referuntur. Unde Vespasianus quosdam manibus post tergum vinctis jussit in altum projici, & omnes tanquam spiritus repulsi, desuper enatabant. Hic lacus Judæam dividit & Arabiam, quæ olim fuit solitudo invia & aquosa, per quam quadraginta annis filii Israël vagabantur.

CVIII. *De coitu Loth cum filiabus.*

QUando Loth cognovit filias inebriatus à vino, duo dicunt in eo facta fuisse mirabilia: quod coierit nesciens, & quod in defloratione virgo concipiat. Unde secundum hoc dicunt Antichristum se dicturum filium virginis.

CIX. *De arbore, quam dicimus agnum castum.*

EST arbor, quam *agnum castum* nominant, cujus ramus si capiti dormientis supponatur, visiones capitis phantasticas non sentiet dormiens. Unde ejus ramum Rebeccam capiti suo supposuisse tradunt, collidentibus in utero geminis, cum consuleret Dominum, dormiens super pelles hostiarum in monte Morija, ubi Abraham altare erexerat.

CX. *De pascuis Ægypti.*

MIrandum satis arbitror, quod in terra Ægypti, quando imminet sterilitas in messibus, abundat in pascuis, & è converso: cùm hoc sit contra naturam aliarum regionum. Quod afferunt evenire, quia diuturnior mora fluminis super terram opportunitatem colligendi spicam vel sata adimit, pascua autem nutrit.

CXI. *De peritia Mosis & sculptura.*

LEgimus, Mosen fuisse tantæ pulchritudinis, ut nullus adeò severus esset, qui ejus adspectui non inhæreret, multique, dum cernerent eum per plateam ferri, occupationes, in quibus studebant, deseruerunt. Hic Æthiopes, dux factus Ægyptiorum, est persecutus. Ut eos breviore itinere præventos superaret, transiens per loca deserta plena serpentibus, tulit in arcis papyreis super plaustra ibices, hoc est ciconias Ægyptias, naturaliter infestas serpentibus, quæ rostro per posteriora misso alvum purgant. Castra igitur metatus dimisit ibices, ut devorarent serpentes, sicque præventos & victos Æthiopes inclusit in civitate *Maroe* quæ antea Saba regia dicebatur. Quam cùm diu obsedisset, quia inexpugnabilis erat, injecit oculos in eum *Tharbis filia Regis Æthiopum*, quæ ex condicto tradidit ei civitatem, si eam duceret uxorem. Et ita factum est. Contra hanc & Mosen jurgati sunt postea Mirjam & Aaron. Cùm autem redire voluisset Moses, non acquievit uxor, proinde, tanquam vir astrorum peritus, imagines sculpsit in gemmis hujus efficaciæ, ut una memoriam altera oblivionem conferret. Cumque paribus annulis eas inseruisset, annulum oblivionis uxori præbuit, alterum ipse tulit, & tandem Ægyptum ingressus est.

CXII. *De ossibus Joseph & ove.*

CUm populus Israël exiret de Ægypto, accidit, quòd Nilus præter solitum adhuc inundabat terram, in qua Josephi sepulchrum erat. Tenebantur autem ex juramento asportare ossa ejus. Tunc scripsit Moses nomen Domini in lamina aurea tetragrammaton in hunc modum: יהוה quæ superposita aquæ superenatavit, usque quo veniens staret suprà, ubi erat sepulchrum. Et ascendentes sustulerunt ossa, quæ sublata leguntur eis prophetasse fortè de difficultate itineris. Tamen Hebræi tradunt, quod ovis ex improviso adstitit juxta eos, loquens ad illos, ob quam rem duxerunt eam per desertum multo tempore, appellantes eam *ovem Joseph*. De quo in psalmo, *qui deducis velut ovem Joseph*. Enim verò si licet tantis miraculis ingenia nostri temporis comparare, ecce novum, quod nostris temporibus accidit. Tempore *Regis Siculi Rogerii* quidam Magister natione Anglus ad Regem accessit, postulans aliquid à Rege munifico dari. Cumque Rex illustris genere & moribus arbitraretur aliquod à se beneficium peti, respondit, pete quod vis beneficium & dabo tibi. Erat enim petitor summè literatus, *in trivio & quadrivio potens & acutissimus, in Physica operosus, in Astronomia summus.* Ait ergò Regi, se non solatia temporalia petere, sed potius, quod apud homines vile putatur: *ossa* videlicet *Virgilii*, ubicunque

possent inveniri infra metas regni sui. Innuit Rex, & magister, acceptis literis Regiis Neapolin venit, ubi Virgilium studia ingenii sui in multis exercuerat. Porrectis literis populus obedientiam parat, & ignarus sepulturæ, libenter annuit, quod pro impossibili credebat existimandum. Tandem magister arte suâ ad manum ductâ, reperit ossa infra tumulum in medio montis cujusdam, ad quem nec signum scissuræ dignoscebatur. Foditur locus, & effoditur post longos labores tumulus, in quo invenitur contineri corpus Virgilii, & ad caput liber, in quo *ars notoria* (*) erat scripta, cum aliis studii ejus characteribus. Levatur pulvis cum ossibus, & liber à magistro extrahitur. Ad hæc populus Neapolitanus attendens specialem affectionem, quam habuerat Virgilius erga civitatem, timens, ne ex ossium subtractione enorme damnum civitas tota pateretur, elegit susceptum Regis mandatum eludere, quàm obediendo tantæ urbis excidio occasionem præbere. Arbitrabatur enim, eo consilio, Virgilium sibi in montis arcano tumulum posuisse, ut ossa ejus evecta artificiorum suorum importarent interitum. Magister ergò militum cum turba civium ossa conjuncta copulant, & in culeo reposita in castello maris ad urbis ipsius confinium deferunt, ubi per medias crates ferreas intueri volentibus ostenduntur. Requisitus autem Magister, quid de ossibus facturus erat? respondit, se per conjurationes effecturum, quod ad ejus interrogationem ossa omnem Virgilii artem ipsi panderent. Quinimò satisfactum sibi proposuit, si per quadraginta dies ei ossium copia daretur. Asportato ergò libro solo magister abiit, & nos quædam ex ipso libro per venerabilem *Johannem Neapolitanum Cardinalem* tempore Papæ Alexandri per excerpta vidimus, & probari verissima rerum experientia fecimus.

CXIII. De Cherubim & figura eorum.

IN Exodo legitur, quod ex utraque parte oraculi scilicet in duobus angulis anterioribus positi sunt duo Cherubim aurei & productiles. Non scilicet fusiles, sed crebris concussionibus malleorum producti sunt. Sunt autem, ut dicit Josephus, animalia volatilia, habentia figuram, quæ à nullo hominum est conspecta. Hoc dixit Moses, se in Dei sede conspexisse figurata.

CXIV. De lapidibus Rationalis.

TRadunt Judæi, in medio Rationalis fuisse lapidem quendam, magnitudine duorum digitorum, in quo secundum coloris mutationem perpendebant, utrum Deum sibi placatum haberent, an offensum. Josephus dicit *Sardonicem*, qui in dextro humero gerebatur, *cùm sacrificium Deo placebat, tanto splendore micare, quod etiam procul positis radius ejus apparebat.* Egressuris verò ad prælium, si Deus esset cum eis, *tantus fulgor in lapidibus Rationalis apparebat*, quod omnium multitudini erat manifestum, eorum auxilio Deum adesse, & ob hoc *rationale judicii* dicunt nuncupatum.

CXV. De facie Mosis cornuta.

NOn sine admiratione est, quod legitur, Mosen descendentem de monte cum tabulis apparuisse cum facie cornuta, & ipse ignorabat: id est, radii miri splendoris ferebantur de facie ejus, qui reverberabant oculos intuentium, quos radios *gloriam vultus Mosis* appellat Apostolus. Tradunt etiam Hebræi, quod tertiò Moses adscenderit in montem ad Deum, & quod cum eo fuerit quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunans. Cumque rediret, cum certitudine veniæ, erat nona dies septimi mensis, & in crastino afflixerunt animas suas jejunio: in cujus veniæ memoriam dictus est decimus dies illius mensis *dies propitiationis.* Quod si verum est, potest esse, quod ob hoc *tres in ecclesia sint pœnitentibus constituta quadragesima*, vel ut alii tradunt, propter tres jejunantes Mosen, Eliam, & Christum.

CXVI. De serpentibus ignitis & urentibus.

In libro Numerorum legitur, quod dum populus Israël circuiret montem *Hor*, qui jungitur Arabiæ, præteriens *Archan, Metropolin Arabum*, quæ nunc *Petra* dicitur; propter murmurationem Israëlis immisit Dominus in eos serpentes ignitos, hoc est, nigerrimos, & veloces ad modum scintillarum. Vel ut alii tradunt, quia tactos veneno inflammabant usque ad tumorem & ruborem igneum. Sed ab hoc serpentum veneno liberati sunt ex erectione serpentis ignei, quem postea *celebriter observatum* contrivit in pulverem Ezechias Rex Juda. In Deuteronomio verò legitur, quod inter beneficia, quæ repetit Dominus Israëli murmuranti memoravit, quod evaserant serpentes, flatu urentes circumstantia, qui *dipsades* dicuntur, Latinè verò *situlæ*, quia perimunt hominem siti, adeò parvæ, quod si conculcantur, vix videntur. Harum venenum antè exstingvit, quam sentiatur, nec tristitiam sentit moriturus. Dicitur autem *situla* per contrarium: vas enim, quod situla dicitur, situm aufert, hæc affert. Sic *pharetra*, quia infert mortem,

(*) In Cantabrig. notaria.

tem, & *feretrum*, quia fert vel aufert mortuum. Sanè in *Tuscia* est *insula ad dominationem spectans Comitis Eldebrandini*, in qua sunt *vermes alati* ad formam serpentum, qui statim, ut volant, subjecta sibi hominum corpora in tantum inficiunt, quod ipsis dysenteriam incutiunt, & demum superveniente somno fluxus importunus curatur. Sed *in Syria* sunt vermes, qui sua punctura *tumorem ventositatis* infligunt.

CXVII. De agro Hebron & crucis parte.

IN Syria inferiore civitate Hebron, terra scilicet Damascena est ager, cujus gleba rubra est, quæ ab incolis ostenditur, & effossa comeditur, ac per Ægyptum venalis portatur, pro specie carissima commendata. Hic ager, in quantum latè & profundè effossus fuerit, in tantum Dei dispositione anno finito redditâ glebâ reparatus invenitur. Cui simile dicunt esse, quod quædam pars crucis dominicæ est apud va***, cujus frustula annuatim decoriantur, nutuque divino ad caput anni læsura redintegratur.

CXVIII. De mari Pamphylio.

NOn est mirandum aut incredibile, quod in transitu filiorum Israël mare se diviserit & hinc inde murum fecerit; cum Josephus dicat, Alexandro Darium persequente, mare Pamphylium exercitui fuisse divisum, Domino volente, qui per eum regnum Persarum delere volebat.

CXIX. De tumulo Mosis & S. Catharinæ, & Johannis Evangelistæ.

IN Arabia est mons Abarim, in quo Dominus sepelivit Mosen, ejus tumulo nusquam apparente. Sic aliàs in monte Sinai ab angelis collocatum S. Cathrinæ virginis & martyris legimus & corpus & discipuli, quem diligebat Jesus, in manna scaturiens permutatur.

CXX. De hominibus, qui fuerunt lupi.

SÆpè apud doctos quæstio movetur, si Nabuchodonosor per injunctum tempus pœnitentiæ in bovem verum sit divinâ virtute mutatus, cum facilius sit creaturam transmutando formare, quam de nihilo creare. Scribunt plerique, ipsum vitam bestialem, in convictu bovis comedentis fœnum, sumsisse, non naturam. Unum scio, apud nostrates quotidianum esse, quod sic fatis hominum currentibus, quidam per lunationes mutantur in lupos. Scimus enim, in *Alvernia, episcopatu Claromontensi Pontium de Capitolio* nobilem virum pridem exhæredasse (*) *Raimbaudum de Pineto* militem & in armis exercitatum. Hic vagus factus & profugus super terram, dum solus more ferino devia lustraret & saltus, unâ nocte nimio timore turbatus, cum mentis alienatione, in lupum versus tantam patriæ cladem intulit, quod multorum colonorum mansiones fecit esse desertas. Infantes in forma lupina devorabat: sed & grandævos ferinis morsibus lacerabat. Tandem à fabro quodam lignario graviter attentatus ictu securis alterum pedem perdidit, sicque specie resumtâ hominem induit. Tunc in propatulo confessus, sibi placitam pedis jacturam eò, quod illo amputato, miseriam illam & malitiam cum damnatione perdiderit. Asserunt enim, qui talia duxerunt in usum, membrorum truncatione ab hujusmodi infortunio homines tales liberari. Sed & apud *castrum Luch* in confinio *Vivariensis episcopatus, Myndensis* (**) est accola *Calcevayra* nuncupatus, qui consimilis fati, per mutationes neomeniæ, sorte fatigatur, asserens se, cum tempus advenerit, vestes suas, relictis omnibus, sub dio vel rupe secreta seponere: & cum in arena diu nudus se volutaverit, lupi formam & ingluviem induit, ore patulo & apertis rictibus inhiat in prædam, asserens, *lupos idcircò apertò ore currere, quia os cum magno labore pedumque adjutorio aperiunt*, quod aperire nequeunt, cum ab insecutoribus præveniuntur. Tunc ergò à captura frustrantur & facilè capiuntur.

CXXI. De Chimæra & Sibyllis.

CHimæram belluam esse tradunt, ore leonem, postremò draconem, medio capellam, capite vomentem ignem, quam Bellerophon dicitur peremisse. Et hæc quidam poëtica figmenta esse asserentes, exponunt ad literam, Chimæram montem esse Ciliciæ, qui locis quibusdam leones nutrit & capras; quibusdam ardebat, quibusdam plenus erat serpentibus: Hunc Bellerophon habitabilem fecit, unde fingitur Chimæram occidisse. Legitur autem Sibylla, quæ in Italia vaticinata est, (***) Chimæra dicta propter sua vaticinia, quæ mutabilitate suâ varias producebat prophetiæ figuras. Erant enim decem Sibyllæ, dictæ sic à Σιὸς, quod Æolico sermone sonat Deus, & βȣλὴ, quod est mens. Inde Sibylla quasi Dei mens vel divina mens. Sicut ergo Prophetæ vates, ita fœminæ Sibyllæ appellabantur. Prima erat *Persica*, secunda *Lybica*, tertia *Delphica*, in templo Delphis genita, quæ Trojana bella vaticinata est. Quarta *Chimæra* in Italia, quinta *Erythræa*, nomine Eritila (****) orta in Babylone, quæ Græcis Ἴλιον petentibus vaticinata est, perituram

(*) id est extorrem fecisse atque bonis suis hæreditariis exuisse. (**) Mantalensis prope Mantalam Territorii Viennensis, non procul à Vivariensi. (***) Cumæa. (****) f. *Erophyle* quod nomen propriumaliàs est Sibyllæ Cumanæ.

ram Trojam & Homerum mendacia scripturum. Sexta *Samia*, quæ (*) Semivate dicta est. Septima *Cumana*, nomine *Amalthea*, quæ & *Cymea*. Octava *Hellespontia* in agro Trojano nata, quæ scribitur tempore Cyri & Solonis fuisse. Nona *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ. Decima & ultima *Tiburtina*, nomine *Albunea*. Porrò omnes hæ de Christo manifestissimè scripserunt. *Celebrior* autem *inter omnes Erythræa*, quæ vaticinata legitur tempore, quô Roma condita fuit: quo tempore regnavit Achaz, vel, ut alii dicunt, Ezechias, uti suprà de Ducibus Israël & Regibus Latii latius diximus. Huic adscribit vir clarissimus *Flactianus* (**) in quodam Græco Codice illud celebre vaticinium: *judicii signum*. Tradunt alii, hoc dixisse Chimæram inter multa alia, quæ contra falsos Deos scripsit. Historia Romanorum hæc Sibyllæ Tiburtinæ ascripsit, ut suprà, titulo de Romano imperio memoravimus. Lactantius quoque interserit apertissima de Christo vaticinia Sibyllæ, quamvis cui Sibyllæ adscribantur, non exprimat. Sed hoc certissimum est, quod in verbis illis apertissime series passionis de felle & aceto, de cruce & colaphis & obscuratione solis per tres horas, de morte & resurrectione continetur.

CXXII. De valle, de Lentuscula.

EST in Regno Arelatensi & *provincia Ebredunensi locus, in quo per Alpium summa cacumina facili cursu in æstate, & brevi sed plurimum periculoso transitu descenditur in Italiam*. Nomen vallis *de Lentuscla* incolæ indiderunt, in cujus apice si quis tussierit aut clamaverit, statim ex altis rupibus nix coagulata descendit, & exaggerationem ad se trahens infinito cumulo transeuntes obruit, & ad infimam abyssum dejectos prosternit.

CXXIII. De avibus ex arboribus nascentibus.

CUm secundum insitam primæ creationis naturam ex primis generantibus animalia prodeant per generationem & corruptionem; novum & inauditum est apud omnes peræquè nationes, quod in quadam majoris Britanniæ parte quotidianum est. Ecce enim *in Archiepiscopatu Cantuariensi, Comitatu Cantiæ ad confinium Albaciæ de Faverethsam*, in littore maris arbusculæ nascuntur ad quantitatem salicum. Ex istis *nodi pullulant velut futuræ germinationis prænuncii*, cumque secundum tempora creationis excreverint, formantur in aviculas, quæ post dies naturæ datos rostro dependent, & vivificatæ, facto leni alarum succussatione, quasi puerperio consummato in mare decidunt, & quandoque marinis fluctibus expositæ, humanis contactibus subtrahuntur. Aves istæ ad quantitatem modicorum anserum crescunt, pennis variis & (***) ancinis intermixtæ; *quadragesimali tempore assatæ comeduntur*: considerata potius ad hoc nativâ processione, quàm carnis sapiditate. Avem vulgus (****) Barnetam nominat.

CXXIV. De Racemis Ingustabilibus.

IN Galliis, *Provincia Narbonensi*, juxta civitatem Rocciam est vinea ad dominium Episcopi pertinens, de cujus racemis canis nec porcus, nec aliud animal gustare potest, & facit vinum optimū.

CXXV. De fonte, qui tempore metendorum pratorum apparet.

IN provincia Narbonensi, *Lodevensi Episcopatu* est fons apud spaniatum, qui tempore metendorum & adaquandorum pratorum, ad pratum quoddam irrigendum scaturit affluenter, & post ejusdem prati tonsionem statim arescit & non apparet.

CXXVI. De aqua, de qua sanantur gutturnosi.

EST *in provincia Ebredunensi*, quæ pars est regni Arelatensis, *castrum de Barles*, in cujus territorio fons scaturit, ex cujus aquæ potu & lavacro curantur gutturnosi. Sunt & in Regno Arelatensi plurimi fontes, qui æstate fervente scaturiunt, hyeme vero siccantur.

CXXVII. De fonte, qui repente perditur & redit.

INsigne mirabile in regno Arelatensi, *comitatu Aquense*, villa *Camps, territorio Argentino*, est fons, qui repentina ebullitione prodit, in quo lavatur; & post modicum, cum respicitur locus scaturiginis, nullum prorsus fontis apparet vestigium usque adeo, quod etsi signum baculi aut pallii pro nota dimiseris, nec baculum nec pallium reperies, nisi forte post aliquot dies, & sub eodem casu. Huic mirabili argumentum præstat *Insula perdita*, quæ *fortunatorum* dicitur, ut supra de tertia parte orbis, juxta finem tituli.

CXXVIII. De duobus fontibus.

EST in Provincia Narbonensi *vicus Alingenius* nomine, in quo duo sunt fontes, quorum unus nunquam aliquid coquit, alterius aqua nunquam bullit.

In Provincia Arelatensi *ad confinium Massiliæ* est castrum *Cæsaresta*, in cujus finibus est fons, qui una tantum hora scaturiens quotidie, mare ingreditur.

CXXIX. De fonte, qui nihil sordidum admittit.

APud Narbonensem Provinciam *Episcopatu Uticensi* est fons, in quem si quid sordidum miseris, statim fons scaturiginem suam mutat, & priorem locum deserit. *Exi-*

(*) Φυτοῖ. (**) f. Tatianus. (***) id est uncinis. (****) Barneclam.

Exitus operis:
Epistola ad MAGISTRUM JOHANNEM MARCUM, *Secretarium Domini Imperatoris.*

Venerabili amico uni ex paucis, Johanni Marco, Præposito de Ildeneshem, unus ex suis præcordialibus & devotis *Magister Gervasius in regno Arelatensi Imperialis aulæ Mariscallus* salutem, & in amicitia cum Martha Mariæ optimam partem eligere. Cum mediator Dei & hominum Christus sic ordinaverit rerum seriem, ut non per rapinam arbitremur nos divinam pertingere posse celsitudinem, sed quasi scala media divinitatem contemplemur mediante suæ humanitatis beneficio, dignum est, ut nos Christi exemplo Imperialem non attemptemus Majestatem pastorum sibilo, si non internuncium præmisimus ad gratiam capescendam. Dum ergo ad Tantæ Celsitudinis benivolentiam optandam liberalitas vestra velut mediatrix est, opusculum, quod ad *ocium Imperiale* contexui, vestræ dilectioni præ-offero, ut si videritis, acceptum fore munusculum, à vobis probationem capiat & oblationem, & secundum illud: *Vox precor Augustas pro me tua molliat aures*, non quasi in aliquo commeruerim, sed ut facilius, quod amplius erit, merear. Sit ergo inter dulcedinem Principis & devotionem subditi liberalitas vestra, dextra mediatrix, ut quod in me operatur pia devotio ad merendum, te mediatore operetur effusa Principis largitas ad gratificandum Profecto non modica vestri meriti portio redundabit in nos, si gratiam Augustalem ex gratia vestræ interpretationis senserimus augeri: cum non multo minor sit gratia suggerentis, quam remunerantis. (Causa) vero retributionis multoties est instantia memorantis. Valeat dominus & amicus, liberalitatem consuetam sine intermissione continuans apud devotum Dominum Imperatorem.

LXIV. Variæ Lectiones & Emendationes Ditmari, serius annotatæ.

Libr. I. pagin. 326 lin. 17 addas l. *addens* p. 324 lin. 31 id est l. *idem*. 36 Witzeburgensis l. *Wirzeburgensis*. p. 325 lin. 5 comitatur honorificè l. *comitatur & honorificè*. 5 a fine. *Teresi* (*Arx Reginoni Terassa*) p. 326 lin. 32 parvumque -- *parumque* - 33. esse comprobavit -- *esse morte sua comprobavit*. - 34. In ipsa tunc continuè manens Ecclesia mercatorum, custodes -- *in ipsa tunc continuè manentibus Ecclesiæ mercatorum custodes* -- p. 327. lin. 1. alius. Propheta scilicet. Prior fuit Esaias XXVI, 19: sed verba sequentia sunt ipsius Christi. Ergo Ditmari locus est corruptus, quem ita restituo ex MSo Chronici, quod Honorio Solilario ascribitur sub titulo: *imago mundi*. Et alius (scilicet Daniel XII, 2) *multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*. Et ipse Dominus (Joh. V, 25, 28) *Mortui, qui in monumentis sunt, audiunt vocem Filii Dei, & procedent*. Hæc Dn. Vignola notavit. 11. neptis meæ quod - - *neptis meæ ac ex alia nurus & quod*. 16. finiti l. finiri. 33 contra Dominum -- *contra Deum* p. 328. lin. 11. Nec pluribus l. *Væ populis*. 21 studii l. *studui*. 29 imitationem -- *ad imitationem*. antepenult. mais l. *malis*. ult. deleatur *præbiabtu*. p. 329 l. in penult. omnia scientia l. (daimon à scientia.)

Libr. II p. 330, 7 à fine tandem l. tunc. p. 331. lin. 10 post: In Domino deleatur: *tunc* 20. In Mersepurgk. MS. *Edesburg* leg. *Eresburg*. 24 oppediit l. oppetiit. p. 332 lin. 1. Posthæc Papia -- *Post hæc Rex Papia*. 5. Hugone f. *Cunone*. 24 secreta l. *secreto* 32 quis -- *quibus*. 34 divertens l. *divertentes*. 37 possedit l. *obsedit*. 47. perpeti mala, adde: *hortaturque suos, præmia promittens cum gratia cunctis faventibus sibi*. p. 333 lin. 21 promisso l. *permisso* p. 334. lin. 1 alieni l. *aliam* 28. veram visionem -- *veram affirmans promissionem*. p. 335 lin. 17 Luitharim l *Luitharium*. 21 Sundersleve - *Santersleve*. p. 336 lin. 39 Guthero -- *Gunthero* 48 ipsemet l. *ipse me*. 53 pertuli -- protuli. 54. Michalem -- *Michaelem*. 57. in eos l. *inter eos*. 59 deleatur: *non* - p. 337. lin. 18, 19 verba uncinis inclusa (quod - - timeret) deleantur. 23. lucernas -- *coronas*. 29 Vurta -- *Warta*. 52. tandem -- *tunc*. p. 338 lin. 9. conservari l. *conversari* ibid. (o) sine tali famine (o) sine aliquo tali vivamine scilicet. f. *juvamine*. 27. in Domino charum -- Domino charum p. 339 lin 25 nobili - Meibom. legit *mobili*, quod rectius videtur. p. 340. 18-20. 11 Cal. Maji die Dominica - - interpositis diebus 5. leg 5. *Cal. Maji* --- *interpositis diebus 11*. Ita emendandum ex anni 973 rationibus colligit Dn. Vignola. lin. 37 non nobis, nomini -- *non nobis, sed*. 42 æternitate -- *beata æternitate*. 50 in commisisse, nimis l. *in commissis se nimis*.

Libr. III. p. 341 lin 8 locetur, deleatur *punctum* & lin. 9 post magni, ponatur *comma*. lin. 50. Choron -- *Chorin*. Niricchua -- *Niriechua* - p. 342. lin. 5. vidorem -- *Victorem*. 22. quia l. qui p. 45, 46. (vulgo Egdora -- hodieque retinet) hæc annotatio non erat ponenda in textu. p 343. lin. 7. Cromena -- *Cramma* lin. 38. fieri humiliter -- *fieri communem suppliciter*. 44. suæ l. *sua*. 54. superposito -- *superpositus*. p. 344. lin. 23. præbetis -- *præbebis* 26. possidere -- *possessurum*. 45. præcipere -- *percipere* 49. post dominabatur ponatur *comma*. 55. scilicet -- *sunt*. p. 345. lin. 21. Pug -- *Pue* vel Pauc 31. Cathedria -- *Cathedra*. 53. Tongera -- *Tangera*. p 347. lin. 14. DCCCCLXXVIII. l. DCCCCLXXXIII.

Libr. IV. p. 348 lin. 1. cum -- *eum*. 10. Hesseburg -- *Hesleburg*. 26. sociis, & -- *sociis adiit, &* 47. Erfordia -- *Erpesford* 55. ergastalo l. *ergastulo*. 57. possidentes -- *obsidentes*, p. 349. lin. 7. hinc -- *huic*. 13. Papia. Nomen loci videtur corruptum. 29. Osdasus -- *Osdagus*. 33. casus l. *casu* 42. meimet Suith. Locus corruptus 52. suas, ad l. *suas, primam ad*. 57. post æquivoco pon. *comma* p. 350. lin. 53. DCCCCLXXXIX. forte: DCCCCLXXXX ut colligit Dn. Vignola ex Calvisio, cujus calculum firmat Chronographus Saxo à me editus. p. 351. lin. 2. Sanctæ l. *Sancti*. 13, 14. literis bene f. *literis non bene* 45. Mirgimendensis l. *Mimigardensis*. penult. convictus -- *conjunctus*. p. 352. lin. 12, 13. vallante -- volante. ibid. innocens, f. *innocente Episcopo*. 18. brevi -- *breviter*. 20. qui in omnibus -- *qui eundem in omnibus* 29. defensori -- *defensoribus*. 34 receperunt -- *recepit* p. 353. lin. 23. auro f. *tauro*. 28. sibi paraverat -- *sibi prius paraverat*. 32. in suos l. is vos. 51. abscissione, optavit -- *abscissione, quod optavit*. p. 354. lin. 12. hunc l. *tunc*. p. 355. lin. 2. Toma l. *Torna*. p.

356. lin. 10. graviter inclytum -- *gravitate inclytam.* 35. confratribus Henrico -- *confratibus meis Henrico* 53. Luiderdam -- *Luidgerdam.* 57. exuit -- *exivit.* p. 357. lin. 32. Papponem l. *Popponem.* 33. Wiotislaensem -- *Wrotizlaensem* (id est Vratislaviensem.) 40. habita II. -- *habita in II.* 52. depositis -- *dispositis.* p. 358. lin. 13. jeji niis -- *jejunus.* 14. pervenere -- *pravenere.* 19. paterna -- *Paterno.* 48 Ekkihardium -- *Ekkihardum.* 54. num currui -- *num, inquit currui* ibid. & vera -- *& sit vera.* pag. 359. lin. 24. Iterantis -- *Itinerantis* 52. atque -- *absque* - 54. deplicuit l. *displicuit.* p. 360. lin. 4. Sventepultum -- *Sventepulcum.* 7. ab exilio -- *ab exilio hoc.* 10. traxit -- *contraxit.* 27. Ezonis l *Ezoni.* 39. ut l. *&* 53. affici -- *effici* pag. 361. lin. 25. multorum -- multis - 27. Heppo -l. Hepo. 39. commisit, & -- *commisit præfecto, &* 53. occiduis -- *in occiduis.* p. 362. lin. 3. Pertha -- *Bertha.* 23, 24. Asanbrunensis -- *Asanbrugensis.* (id est, Osnabrugensis) 27. responderit -- *responderet.* 32. displiceat -- *displicebat.* p. 363. lin. 17. intus l. *Vitus.* 23. probata -- *pronotata.* pag. 364. lin. 29. quod -- *quid.*

Libr. V. pag. 364. lin. 37. Burgundiæ l. *Burgundia.* 40. Post necem l. *postque necem.* p. 365. lin. 11. quæ -- *qua.* 22. Regem -- *regnum.* 39. suo -- *suimet.* 50. quam sperabamus -- *quam unquam sperabamus.* pag. 366. lin. 4. deligenter -- *diligenter.* 32. commissis f. *amicis* 36. Bojemorum -- *Bojemiorum* pag. 367. lin. 26. Rhenum transeundi -- *Rhenum ibidem transeundi.* 32. coronatur Francorum. l. *Coronatur. Francorum.* pag. 368. lin. 17. ex Alstidi l. *& Alstidi.* 20. Bernhardo -- *Bernwardo* (ex MS.) pag. 369. lin. 21. (Franci -- François) hæc annotatio male irrepsit in textum. 27. idem -- *ibidem* 29. vitiorum l. *villicorum*, & expectant l. *expectavit.* pag. 370. lin. 15. internus -- *in thermis.* 42. verba: (*ab Henrico tunc duce*) deleantur. 43. primos -- *primo.* 49. clausasque l. *clusasque.* pag. 371. lin. 4. fodium l. *fodrum.* 26. Lamberti f. suffragia (pro quo delendum lin. 27. *suffragio*, quod transpositum, & legendum: *intercessione.* pag. 372. lin. 38. actum -- *actutum.* 54. obsidem -- *ob fidem.* pag. 373. lin. 7. auctoribus -- f. *actoribus.* 34. collato f. *collecto* pag. 374. lin. 43. sufflationem l. *in sufflationem.* 45. lue f. lui. 46. in spiritum l. *in spiritu.* 52. inæquabilitatem -- *inæqualitatem.* pag. 375. lin. 35. plasma l. *phasma.* 49. subvenere -- *subvertere* 52. manebat -- *remanebat.* 58. agri -- burgi. pag 376. lin. 3. clerus -- *clerus.*

Libr. VI. pag. 376. lin. 15, 16. in quinto cardinalis ordinis loco, ac in ejusdem quartæ initio hebdomatæ l. *in quarto cardinalis ---- ejusdem quintæ initio.* Ita emendat Dn. Vignola, quia de anno 1004. agitur, & quarta anni hebdomada in Februarium cadere nequit. 22. suimet Wigberto -- *suimet, nomine Wigberto.* 23. Præsumit l. *præsumsit.* 37. culpabiliter -- *culpabilem.* pag 377. lin. 3. III. l. IV. 28. suo plantore l. *supplantatore.* 49. plura l. *perplura.* pag. 378. lin. 40. porrexit -- *perrexit.* 46. tum infit. -- tum id infit. 59. Boeimorum -- Bojemorum. pag. 379. lin. 13. Zobislaus l. *Zobislaus.* 19. Wissigrani -- *Wissigrodi.* 43. sponspondit l. *spopondit.* pag. 380. lin. 11. Lipsie -- *Lipsic.* pag. 381. lin 28. Delenda verba: *Deest decretum synodi Tremoniensis.* SS. primas -- *primus.* p. 382. lin. 6. explicavere -- *exploravere.* 33. agnoscens l. *agnoscentes.* p. 383. lin. 15. Walecorn f. *Walkeren.* 28. permittens -- *præmittens.* 31. voluit -- *noluit.* p. 384. lin. 4. Janmiro l. *Jarimiro.* 12. invitus -- *id invitus.* 24. VII. -- ad VII. 39. qualiter l. *quatitur.* 48. Postam l. *Postquam.* 50. postulatum l. *præstolatur.* p. 385. lin. 6. Geronem -- *Gezonem.* 22. Et l. *Est.* 50. referam l. *referebam.* p. 386. lin. 18. longa -- *longè.* 20. quarum -- *quantum.* 30. convocationis l. *convocatu.* 47. donum l. *Dominum.* pag. 387. lin. 3. & quia affinitatis l. *& affinitatis.* 7. iniquitatis ociosus l. *iniquitatis quam divinæ æquitatis ociosus.* 13. calicem -- *& calicem.* 23. ordinaret -- *ordinarer.* 25. Mereric -- *Meieric.* ibid. dominii l. *domini.* 41. præfutura -- *profutura.* 47. perveni -- *præveni.* pag 388. lin. 6. curant; sed hoc -- *curant, hoc.* 12. alia fugiat, quæ l. *illa fugiat quæque.* 13. contendant l. *contendat.* 22. Ara -- *Ora* 33, 34. regis efficitur l. *regis miles efficitur.* 57. Wizdunensis l. *Wirdunensis.* pag. 389. lin. 1. effugientibus, cum Episcopis interfecti sunt l. *effugientibus cum Episcopis, interfecti sunt.* 22. non esse l. *esse.* 46. huc l. *huic.* pag. 390. lin. 3. Cilensi -- *Silensi* in MS. (id est, Silesiam) 8. in postremum -- *in posterum.* 17. Thebæotum -- *Thebæorum* 24. juxta -- *justa.* 33. natelicius l. *natalitius.* 44. covaluit. l. *convaluit.* ult. Metensis l. *Metensis Præsul.* p. 391. lin. 1. domus -- *Dominus* 20. petit. petiit 29. evigilat, missam -- *evigilat & missam.* 30. 31. obierunt -- *obierat.* 44. familior. l. *familiarior.* 54. indigno l. *mihi indigno* pag. 392. lin. 4. IV. VII. leg. *IV. & VII.* 9. studiosum etiam l. *studiosum, etiam* 14. eo l. *ego.* 41. in dietæ -- *indictæ* 42. Belegari -- *Belegori.* 47. tunc, quia -- *tamen quia.* 51. Bernhardum l. *Bernwardum.* pag. 393. lin. 8, 9. Meinwerce l. *Meinwerco.* 15. & hunc l. *& cum hunc.* 30, 31. juxta ad montem -- *juxta montem.* p. 394. lin. 5. eo l *ea.* 21. bene dixit l. *benedixit.* pag. 395. lin. 1 Gucelinus de Wisso f. *Guncelinus & Wisso.* 12. Geronem l. *& Geronem.* 16. ascendebam, & cum -- est, -- *accedebam, & cum -- esset.* 18 utrum -- *ut cum.* 31. videntes -- *ridentes.* 33 rectam -- *rectum.* 35. arca -- *area.* 36. aliis -- illis. 49. omnis l. *omnes* pag. 396. lin. 7. à fin. II. Non. Febr. l. *II. Non. Januar*, Ita emendat Dn. Vignola. p. 397. lin. 17. Regis, efficitur -- *Regis miles efficitur.* 42. Luinberg f. *Luniborg.* penult. conflixit l. *confluxit*, pag. 398. lin. 3. scripta scelus -- *scripta mox scelus.* 21. mortem l. *post mortem.* 51. nobis l. *vobis.* 399. lin. 10. datur -- *detur.*

Libr. VII. pag- 400. lin. 27. mystice f. *mystace.* 43 apud nos l. *ut apud nos* 49. Hadwigus -- *Hardwigus.* p. 401. lin. 11. in saltu -- *in Geronis saltu.* 52. qui l. *quod* 53. voluisset -- *valuisset.* pag. 402. lin. 48. resisteret -- *resisterent.* pag. 403. lin. 31. Immaleshusen -- *Immadeshusen.* 34. Valcorbensis l. *Val, Corbejensis.* 35. Drachtmer -- *Druchtmer.* vel *Druchtmar.* pag. 404. lin. 19, 20. Sclancisvordi f. *Slaccowerd.* 28. & propter l. *& ne propter* & pag. 405. lin. 4. octogintos -- *octingentos.* 20. ex nostris iterum l. *ex nostris, confortati hostes glomerantur, & nostros iterum.* 35. Hæc l. *hoc* 36. novam urbem (*Munchneuburg*) 39. quæ l. *quod* 44. superpositæ -- *superpositam.* p. 406. lin. 11. Wurzia -- Wurzin. pag. 407. lin. 8. Pictaviensi l. Pictaviensis. 14. præcedit l. *præcepit.* 32. liberos -- *liberè.* p. 408. lin. 22. complere -- *compleri.* 29. memoravi in Throtmanni juventam l. *memoriam in Trutmanni inventam.* (vide pag. 380.) pag. 409. lin. 11. Angelos l. *Anglos.* 18. insevit -- *insævit.* 50. mirabilis -- *mirabiles.* pag. 410. lin. 5, 6. Duce suimet -- Turgato f. *Duce suimet Turguto. cum CCC. & XL. navibus.* 10. eo l. *ea.* 45. peccatis -- *peccetis.* p. 411. lin. 24. omnia l. *omni* 30. cogit l. *cogitat.* 31. indicat l. *judicat.* p. 412. lin. 9. materteræ meæ f. *filius* 13. continua l. *contigua.* 23. tum -- *tunc.* 29. caret Ecclesia tanti defensoris f. *caret Ecclesia auxilio* (vel simile aliquid) *tanti defensoris* (nempe occisi) p. 413. lin. 1. Scitiani f. quæ hodie *Zittau.* 39. conducto - *corrupto.* p. 414. lin. 5. effecta f. *evecta* ibid. Waltherum l. *Waltherdum.* 5. à fine. idem l. *ibidem.* p. 415. lin. 9. sic l. *sit.* 20. mox parte l. *mox ex parte* p. 417. lin. 23. nutu. l. *nyru*-47. hortatum l. *hortatu.* p 418. lin. 7. aut -- *vel* 9. angustia l. *angustias.* 17. provocamur -- *provocemur.* 21. *Clementis.*

Libr. IIX. p. 419. lin. 11. Dominici l. *Domini.* 52. Spiritus f. *Spiritu.* p. 420. lin. 24. Wari -- *Waagri.* 31. seculari l. *secularis.* 44 corrigibilibus f. *incorrigibilibus.* 55. pirata l. *piratæ.* p. 421. lin. 4. Fulden l. *Fuldensis.* p. 422. lin. 23. hæc -- *he.* p. 423. lin. 46. VIII. Cal. l. *VIII. Cal. Julii.* p. 424 lin. 6 a fin. cognoscit, se cum l. *cognoscit se, cum.* p. 425. lin. 3, 4. ingemisco, quia l. *introduco, quia.* 18. ex animo f. *examini.* 51. illic. l. *ille.* 52. Mirrida -- *Miruidu.* Vita Ditmari p. 427. lin. 4. à fin. levi l. *levi.* p. 430. lin. 28. Exulit l. extulit.

FINIS.



